UA 141
Tom. V.

Národní knihovna ČR
Historické fondy
21 A 141/T.5
Národní knihovna
1002600385

XXI
A 141

Digitized by Google

Digitized by Google

Národn
Histori
21

Digitized by Google

ILLYRICI SACRI

TOMUS QUINTUS.

ECCLESIA JADERTINA


CUM SUFFRAGANEIS,

ET ECCLESIA ZAGRABIENSIS.

AUCTORE

DANIELE FARLATO

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU.



VENETIIS, MDCCLXXV.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNI
CARSANÆ
ARCHIEPISCOPO JADERENSI

JACOBUS COLETUS.



Omus quintus Illyrici Sacri Tibi exhibet, Præsul Amplissime, nobilissimam Ecclesiam Tuam, quæ priorem hujus voluminis partem occupat. Nec vero aliunde illustrius, quam a Te, auspicium & patrocinium petere potest, aut debet, quo ornata & munita in publicum prodeat. Metropolis ipsa Jaderensis cum Ecclesiis sibi subjectis, quæ Tuis humeris sustinetur, Tua sapientia & auctoritate regitur, Tuis virtutibus fulget, injuriam sibi fieri putaret, si rerum suarum historia ornamenta & præsidia, quibus domi abundat, extrinsecus sibi arcesseret. Quin immo Ecclesia Zagrabiensis, cui in hoc volumine posteriorem locum recta ordinis ratio tribuit, in societatem ejusdem honoris & patrocinii cum Ecclesia Tua admitti cupit, seque in Tuam fidem & tute-

Digitized by Google

lam conferre. Quod si hanc quoque excipere velis, ut eximia Tua benignitas sperare jubet, Tomus quintus Illyrici Sacri totus Tuus erit, & Tuis auspiciis decoratus, Tuaque clientela tectus fidenter sane atque alacriter in vulgus exibit. Enimvero mihi non est iccirco erubescendum, quod alienum opus Tuo nomini inscriptum esse cupiam, Tuamque gratiam alienis laboribus promereri. Equidem aliquot abhinc annis in societatem Illyricæ Historiæ cum Daniele Farlato describendæ adlectus ab iis, quibus eram moderatoribus jure religiosæ vitæ subjectus, sin minus operam manumque contuli in hunc Tomum, quem ipse prope tum absolverat, attamen studiorum suorum frui communione jam cœperam, atque ejusdem consiliorum, rerumque ab illo scriptarum particeps esse; & cum is Illyrici Sacri negotium & curam omnem mihi re quidem vera animo concessisset, eo vita defuncto, potestas omnis totius Operis perficiundi itidem mihi est ultro permissa. Quamobrem gratulor primum, & valde gaudeo, quod, cum aliquo saltem possessionis jure in volumen hocce non caream, aliquid Tibi videar offerre, in quo partes meæ sunt ullæ, cuique præterea inseri quædam & adjungi necesse omnino fuit, quæ Danielis studium ac diligentiam effugerant. Deinde hoc etiam nomine præcipue lætor, futurum sane fuisse, ut consilium Te Patronum & Auspicem deligendi ab ipso Farlato maxime probaretur, si Te ante novisset in istam celsissimam Ecclesiasticæ Hierarchiæ Sedem evectum, quam e vivis suo quidem bono, at acerbo nostrum mœrore eriperetur; de quo cum honorifica jam Tibi insederit opinio, & gravissimum de illius virtute ac doctrina judicium, ejus propterea vitæ morumque exemplar, Te quoque consiliario atque hortatore, huic volumini ad ipsius laudem, & legentium imitationem præpositum, ideo jucundum magis intelligentiæ Tuæ, magisque probatum fore confido. Quid enim Tibi revera gratius atque jucundius, quam ea religionis & virtutis cujuslibet exempla intueri, Tuaque prosequi gratia, ad quæ jam inde ab ineunte ætate conformatus, indolis æque atque ingenii documenta haud obscura dedisti pietati atque doctrinæ maxime idonei? Etenim post prima pueritiæ crepundia Jaderæ in patria tua politioribus litteris excultus, cum Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisses, ita rerum naturalium & divinarum scientiæ virtutes omnes viro Ecclesiastico dignas adjunxisti, ut qualis & quantus futurus esses probe intelligerent Spalatensis & Jadertinus Antistites, qui te docendis, regendisque harum Ecclesiarum alumnis sapienti judicio selegerant. Quare, ubi in Patavino Lyceo magna omnium approbatione Theologiæ Doctor es renunciatus, ante Jadertinæ Ecclesiæ Tibi procuratio commissa fuit Provicarii generalis munere, quam in illustre Canonicorum Jaderensium Collegium cooptareris, & Archidiaconi dignitate ceteros antecelleres. Tum vero optimus ille Jadrensis Ecclesiæ Præsul Matthæus Caramanus, quasi præsagiens ac divinans, Tuam in rebus magnis, atque arduis perspicaciam & sollertiam experiundo, Te sibi successorem aliquando futurum, integra Tibi generalis Vicarii auctoritate collata, huic summo Ecclesiasticæ Hierarchiæ muneri sustinendo quodammodo Te præparavit. Quo quidem viginti annorum tempore tum multis præclare factis & sapientissime provisis, tum sollerti cura, atque ingenti labore,

quo

Digitized by Google

quo decem ferme annos amplam hujus Ecclesiæ diœcesim solus administraveras, & præsens ipse totam inviseras (dum inter tot difficillima curanda negotia, & conficienda, perinde ac Tibi satis otii superesset, idem unus & urbanum clerum morum doctrina, & infimam plebem Christiana catechesi instituere, atque erudire miro vigilantiæ studio satagebas certis cujusque hebdomadæ diebus), dignum præterea Te præbuisti, quem Sacra Fidei propagandæ Congregatio gravissimis tractandis, expediendisque rebus præficeret; eique Tuam dexteritatem, celeritatem, tum eximiam scientiam, & singularem industriam adeo probasti, ut omnia e sententia a Te transacta fuisse testaretur. In his igitur functionibus obeundis tantum religionis studium, tanta fides, & consilii magnitudo, rerumque agendarum experientia poscebat, ut, qui de abdicando Vicarii munere cogitabas religiosa animi modestia, ad altiores dignitatis gradus conscenderes. Jamque Te Nonensi Episcopatui destinabat animo Caramanus, postquam de funere Antonii Tripcovichii illius Ecclesiæ Præsulis allatum fuit, Teque prorsus inscio, dignum virtutum Tuarum testimonium obtulerat Romano Pontifici, qui in deligendo optimo Antistite cognosceret, tantum sibi de Te polliceri ipsum posse, quantum sapientiæ, ac virtuti Tuæ jam exploratæ arduum quodlibet rei Ecclesiasticæ munus committendum esse omnes consentiebant. Divino tamen consilio alia jam tibi Sedes erat decreta, in qua primo egregiæ veri Antistitis dotes ex Te ceteris prælucerent, & ad gregem Christianum pascendum doctrina, exemplis, auctoritate pastorali accederes. Etenim cum Ecclesia Corcyrensis vacaret anno MDCCLXXI., Clemens XIV. P. M. Te unum elegit, quem illius Ecclesiæ Episcopum renuntiaret: cujus in regimine religionis Tuæ, doctrinæ, ac pietatis declarandæ quælibet Tibi oblata occasio, a Te item arrepta est, ut nihil unquam prætermitteres, quod in animarum cederet salutem, & omnium commoda, atque utilitatem; præsertim cum præclaro quidem exemplo, neque in ea urbe viso antehac, ut optimæ Cleri Corcyrensis institutioni consuleres, moribus, & doctrina præstantem virum, & idoneum Præceptorem ipse intra Tuas ædes exceperis, Tuisque sumtibus alueris, Corcyrensem vero diœcesim Tuo ære, Tuisque impensis vigilantissime totam inviseris, nequid oneris Tuo gregi inferres, & liberiorem, amantioremque pro illius incolumitate Tuæ caritatis curam ipse experiretur. Verum enimvero Tua hæc virtus, & sapientia, Tuus hic divini cultus proferendi, & mortalium salutis procurandæ studium, Tua denique rei ecclesiasticæ administrandæ scientia, atque industria exiguis Ecclesiæ Corcyrensis finibus contineri diutius non debuit. Quamobrem idem Pontifex, Te nihil tale quærentem, ac ne cogitantem quidem in altissimo Ecclesiæ Jadertinæ fastigio collocavit, neminem aptiorem esse existimans ad regimen illius Ecclesiæ late diffusum, nec magis honorificum, quam laboriosum, ut cum fide, integritate, & virtutum omnium subsidio geratur: Tibi vero campum amplissimum dedit, in quo Tua pastoralis sollicitudo, & ingens illa, qua incensus es, Divinæ gloriæ propagandæ, & Dominici gregis excolendi cupiditas latius excurrere, & exerceri queat. Suscepto Archiepiscopatu Jaderensi jam multa laudabiliter gessisti, & longe plura, ac majora moliris: quam exspectationem Tui concitasti, non modo egre-

Digitized by Google

gie ſuſtines, ac tueris, verum etiam vincere, ac ſuperare cœpiſti: eximiæ opinioni, quam de Te jampridem fovebant animo Jaderenſis provinciæ Clerus, populuſque, abunde cumulateque ſatisfacis; & quæ de Tuis virtutibus ac meritis honorificentiſſima judicia fecerunt, illuſtribus cœptis & factis egregie comprobas. Gaude igitur iſta Tua ſingulari, quam apud omnes obtines, in Divinæ gloriæ, ac religionis augmentum exiſtimatione, & gratia; ſed multo magis gaude Tuis virtutibus, & præclariſſime geſtis, quibus illas Tibi promeruiſti. Ac denique patere, Ampliſſime Præſul, e Tua dignitate, amplitudine, auctoritate tantum decoris ac præſidii in hunc Illyrici Sacri Tomum derivari, ut hac, qua fulges, meritorum Tuorum pleniſſima luce Farlati quoque nomen, acta, & labores magis ac magis ſplendeant ubique, Tuoque Nomine, ac patrocinio metuenda litteratorum hominum judicia ſine periculo ſuſtinere poſſint. Ad extremum me quoque cum exiguis meis lucubrationibus, oro obſecroque, ut in Tuam clientelam, & gratiam recipere velis, & hoc munus, quod Tibi dono dicoque, eo loco habeas, ut idem ſit ſingularis Tuæ erga me benignitatis argumentum, & pignus meæ erga Te ſummæ obſervantiæ, ſempiternæque venerationis.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM

DE VITA

DANIELIS FARLATI S. J.

Triplex eſt, erudite Lector, hominum genus, quorum memoria ſcriptorum ſtilo & laudibus ſolet poſteritati commendari. Alterum enim ex iis præſtat, qui religionis, ac pietatis ſtudio maxime excelluerunt; alterum eorum eſt, quorum ingenium optimis doctrinis excultum ſummam aut docendo, aut ſcribendo gloriam iiſdem præ ceteris comparavit; tertium vero illos complectitur, a quibus in eccleſiaſticæ, ſive civilis reipublicæ commodum vel una tantum in urbe, vel in ampliſſimo provinciarum, regnorumve conſpectu uberrimi rerum per ipſos geſtarum fructus redundarunt. Atque hoſce quidem eo nobiliori meritorum ſuorum commendatione decet exornari, ipſorumque recte facta aliis ad imitandum proponi, quo non uno laudis genere illuſtres ſemet præſtitere, ſed ad utramque tum virtutem, tum doctrinam excolendam contento ſtudio, eximioque profectu incubuerunt; & id præterea ſunt affecuti, ut ingentes & privatis & publicis rebus opere, exemploque parerent utilitates. Quorum in numero videtur mihi inter primos facile collocandus egregius plane vir, & Operis hujuſce Auctor Daniel Farlatus; cum id non meo ſolum judicio, ſed communi quoque ſapientum virorum conſenſu fuerit jamdiu comprobatum, quibus Danielis virtus, doctrina, & præclara agendi ratio probe cognita erat, atque perſpecta. Indecore igitur actum cum illo fuiſſet, & injuſte, ſi hoc in loco, & ipſa hujuſce Tomi fronte, qui non poſtremus extitit ſtudiorum ſuorum labor, quamdam quaſi hominis imaginem, non ære, ſed ipſius expreſſam moribus, actiſque conſpiciendam omnibus non propoſuiſſemus; unde exiſtimatio illa, quam ſibi antehac promeritus eſt, publico recte factorum ſuorum præconio aucta magis, magiſque vulgata confirmetur; & hoc, quidquid eſt, humanæ laudis, gloriæque, a qua, dum vixit, ſummopere, conſtanterque abhorruit, ejus nomen honorabilius apud poſteros ſervet, atque tueatur. Hoc ego conſilio, tum ut aliquod grati animi obſequium rependam collatis ab illo in me beneficiis, breve commentariolum de vita, & ſcriptis Danielis tibi, Lector, exhibeo: quamvis autem pleraque, & pretioſiora virtutum ſuarum monumenta ipſe nos quam occultiſſime celaverit, ex hiſce paucis liquido intelliges, cujus viri ſit opus, quod legis, & opus ipſum ne levi quidem ullius gratiæ captandæ ſpe, ſed religione, ac pietate duce elaboratum & deſcriptum fuiſſe.

Danielis ortus, & educatio.

Daniel Farlatus honeſto genere natus eſt anno 1690. in oppido Forojulienſi S. Danielis, cujus nobilitati eximium decus Danielis noſtri nomen adjunxit. Puer in diſciplina parentum pietatis rudimenta edoctus præclaram jam tum animi docilitatem præ ſe tulit ad omnia religionis officia; & in prima illa morum inſtitutione ſatis oſtendit, quam belle divino munere e ormatus ejus animus eſſet, qui deinceps ſingulari vitæ innocentia Deo carus in primis, & miti quadam natura cum ingenuo agendi candore, & affabili gravitate conjuncta hominibus mirifice acceptus efficeretur. Cumque ætate jam adoleſceret, ne optimæ filii indoli quidquam deeſſet, quod eidem excolendæ utilius eſſe judicaretur, a parentibus Goritiam miſſus eſt, ut nobile illius urbis Lyceum adiret, & inter humaniorum litterarum ſtudia Chriſtianis præcipue præceptis, inſtitutiſque imbueretur. Nec ſuorum optatis, atque exſpectationi Daniel defuit; ſiquidem politioribus litteris egregie cultus primas ingenii laudes obtinuit, & adeo celeres, firmoſque in conſequenda virtute progreſſus edidit, ut nullæ ætatis illecebræ animum adoleſcentis ab arrepto itinere retardarint, & fluxa, caducaque humanarum rerum fide deſpecta, maturo jam judicio ſtatuerit, ſe ſe ab illis penitus abdicare. Quare cum octavum ſupra decimum ætatis annum proxime attigiſſet, communicato cum iis conſilio, quibus conſcientiæ ſuæ moderatoribus utebatur, factaque illi a patre poteſtate, ut in Societatem Jeſu admitteretur, ſupplex petiit, eamque ingreſſus eſt Bononiæ anno

Societatem Jeſu ingreditur.

1707. Novo vitæ genere lætus totum ſe Daniel e diſciplina, & præſcripto D. Ignatii regendum commiſit, atque in illam curam unice incumbens, ut quemcumque propoſitæ ſibi perfectionis gradum conſcenderet, ingenti alacritate, ac fervore primos religioſæ probationis & ſtudiorum annos laudabiliter exegit: quantum enim virtutum exercitatione, atque exemplo juvenis adhuc excelluerit, id mihi certo indicio eſt, quod didici ab iis, quibus eo tempore communis fuit cum Daniele convictus, ipſum eadem, qua ſenex, animi, actioniſque habitudine ſe ſe juvenem præbuiſſe, dignum propterea, qui ab omnibus diligeretur, & omnibus eſſet admirationi: quod ſolidæ omnino, probatæque ab ipſa adoleſcentia virtutis graviſſimum eſt teſtimonium. Quare poſt abſoluta priora ſtudia, & habitam publice de Philoſophia diſputationem, ut, quod moris erat, docendi humaniores litteras munus iniret, Patavium adiit Majorum juſſu, qua in urbe omnium diſciplinarum, & virorum doctiſſimorum domicilio ſatis intelligebant, Danielis operam uberes tum pietatis, tum doctrinæ fructus eſſe allaturam. Et exſpectationem quidem minime fefellit eventus; quippe Daniel, ubi primum commiſſos ſibi puerorum animos colere, & e formare cœpit ingenia, partim ſeveriori diſciplina uſus, qua intelligebat hujuſmodi ætatem in officio continendam eſſe, partim gravi quadam agendi humanitate, tum qua hortatione, qua præmiis, qua æmulationis ſtudio ſegniores excitans, alacriores impellens eos ita ſibi devinxit, ut ad quæque religionis, ac ludi litterarii munera, progreſſioneſque paratiſſimos ſemper habuerit, & ſingulari animorum, ingeniorumque utilitate illos provexerit. Sed major, quam intra privatos gymnaſii parietes, exiſtimatio illi apud cives obvenit, & partum de-

Digitized by Google

cus multò illustrius, cum publicas de more functiones rei litterariæ aut carmine obiret, aut soluta oratione, quo utroque in genere eximiam latini sermonis gratiam, atque dignitatem scribendo erat assecutus; quamvis ingenii præcipue vis, ac nitor in iis eluceret, & mira inventionis perspicuitas, & gravitas, quibus haud minus præclaram doctrinæ, scientiæque laudem a doctissimis quibusque Lycei publici viris promerebatur, quam jucundissimo suæ consuetudinis fructu illos oblectaret. Ita quinquenni magisterio Patavii perfunctus, ut gravioribus Theologiæ disciplinis operam daret, Romam abiit, quo selecti ingenio, ac virtute juvenes convenire solebant ex unaquaque provincia, ut in illo universi orbis theatro quidquid religiosę perfectionis, ac doctrinarum addiscerent probatissimorum hominum adjuti exemplis, & præceptionibus instituti. Atque inter ceteros quidem coæquales, & condiscipulos Daniel is erat, quem omnes suspicerent, cum aut ingenii, aut virtutis, aut absolutissimæ legum suarum observantię prçclariora in dies specimina ederet; eaque plurium vox erat, qui divinarum rerum exercitatione, sapientiaque alios antecellebant, Danielem æque morum integritate, ac intelligentiæ nitore, & acumine Angelicam quodammodo speciem præ se ferre. Hinc mirum non est, uberrimam cujusque scientiæ, ac doctrinæ supellectilem ab eo sibi comparatam fuisse, in Divinarum vero Scripturarum & Ecclesiasticæ historiæ sedula lectione ingenium, atque memoriam eximio sacræ eruditionis thesauro locupletasse: quare cum Theologicorum studiorum metam prope jam attingeret, de Sacris Litteris in unam, de Theologia universa in duplicem disputationem plurimis propositis quæstionibus differere palam potuit adeo docte, sapienterque, ut singularem præ ceteris existimationem & laudem ab nobilissimo præclarissimorum, qui aderant, virorum cœtu fuerit consecutus. Jamque sacerdotali auctus dignitate, & officio is Daniel erat effectus, qui seu morum probitate, atque sanctimonia, seu cogitandi, agendique prudentia, ac sagacitate, ipsa demum doctrinæ copia præcipuis quibuslibet obeundis muneribus apprime idoneus ab omnibus judicaretur; cum, quo nescio modo, divino certe consilio, & ingenti tum Ecclesiæ, tum civitatis Patavinæ bono, Patavium illico redire jubetur anno 1722. vix supremo studiorum cursu perfecto, ut in conscribenda Illyricæ Ecclesiæ historia socius foret, atque adjutor P. Philippo Riceputo S. J. qui grande hoc opus tum moliebatur, & summa eruditorum exspectatione exorsus jam fuerat.

Illyrici sacri historiam scribit. Hic non ea quidem repetam, quæ de hocce Opere, & primo illius conditore Riceputo Daniel ipse fuse, distincteque differuit in præfatione Tomi primi; sed, qua erat modestia præditus, quantum sibi laboris, negotiique creatum fuerit, silentio præteriit, cum plures annos propositum a Riceputo suæ historiæ specimen sequi, eique mentem, totamque scribendi rationem conformare debuerit; quin etiam vir magistro suo multo sane doctrina, ingenioque præstantior ab illius nunquam voluntate deflexit, ejusque vel primo nutui ne levi quidem obstitit repugnantiæ verbo. Itaque totum illud annorum ferme xx. spatium, quo suam Philippo operam præbuit, laboris meritique plenum fuit; Daniel etenim in versandis modo, ordinandisque, quæ Philippus collegerat, monumentis, modo in iis exscribendis, & de origine, ac vicibus Illyricarum gentium pluribus libris, ac commentariolis jam conficiendis occupabatur quotidie ad Riceputi consilium: utilitatis vero nihil inde consecutum est; siquidem, Philippo vita defuncto anno 1742., novam ipse historiæ Illyricæ ideam animo efformavit, novumque, & ab illo, quod Philippus excogitaverat, plane diversum opus aggressus est. Igitur Daniel ingenti rerum, studiorumque mole pressus, chartarum undique, & veterum monumentorum congerie circumseptus, dum e tota pęne Italia, ac Dalmatia docti, eruditi, ac principes viri, quos Riceputus in tanti operis admirationem, desideriumque exciverat, in illum unum mentem defixam habebant, suis unus ipse viribus quid consilii ceperit, quibusque subsidiis manum operi incipiundo admoverit, in laudatissima historiæ hujusce præfatione idem lucuienta oratione patefecit; quid vero unus ipse præstiterit annorum triginta spatio, testantur volumina quinque Illyrici Sacri suo consilio, ingenioque disposita, suo labore confecta, suis descripta manibus, methodo, doctrina, eruditione, stilo nobilissima, & typis jam evulgata, queis adde sextum fere absolutum, & septimum proxime inchoatum. *Hujusce operis judicium.* Hęc totius Farlati operis summa est, de quo multę opiniones propositæ, plures dictæ sententiæ, plurima, eaque dissimilia prolata judicia. Suos namque censores habuit Daniel, quos aliquando magis æquos esse cupierit; sed religiosus vir, ac mitis justas quoque in litteris contentiones effugere maluit, quam objecta sibi in historię leges, & critices artem peccata, quę plura poterat, tueri. Illud fateri certe debemus, nihil defuisse Danieli sollicitudinis, industrię, studiique, quo in Historiam suam, quidquid ad illam attinet, tum ea quęcumque in penitioribus archivorum loculis latebant, quæque sibi comparare poterat, apte, sollerterque conferret: hinc laboriosum iter ab illo susceptum per maritimas Dalmatię urbes; hinc adhibita impense cura in perquirendis, invisendisque tum privatis tum publicis veterum gestorum tabulis, ac monumentis: nec ab scribendarum litterarum eo molestiori, quo diuturnior est, occupatione unquam cessatum est, ut eruditi consulerentur viri, quorum scientia Illyricæ Historiæ esset profutura, aut a principibus dignitate & auctoritate hominibus eorum posceretur tutela, atque patrocinium; immo & pecuniæ tantum insumere sibi fas duxit, quantum homini licuit religiosa paupertate amantissime obstricto. Quid igitur in Daniele, ejusque scriptis reprehendas? duo nimirum, alterum quod nimię scribendi licentię aliquando indulserit in prioribus Tomis, alterum quod in postremis jejuna aliquando arescat historia: post hęc haud negavero, aliquoties Farlatum errasse, at aliorum culpa, quibus ea fides defuit, quam humani animi honestas, atque integritas postulabat, at librorum defectu, & monumentorum, quę paucissima in plerisque Illyrici urbibus bellorum ac temporum injurias effugerunt, at ea demum ingenii nostri natura, atque conditione, qua factum est, ut nullius hactenus vel summi in scribendo viri labores aliqua & justa animadversione carere videantur. Nam quod ad artem critices spectat, hanc Daniel apprime novit, & de ejus natura, atque usu ingeniose eleganterque disseruit brevi commentariolo, quod inter cetera ejusdem scripta latitabat: cum vero id illi vitio prçcipue vertitur, quod ab critices legibus, institutisque simplici quadam credulitate desciverit, vereor, ne in quo censores isti Danielem reprehendunt, ipsi se accusent, & quantum hujusce artis

tis

Digitized by Google

tis tribuendum sit usui, quantum æquo, sanctoque jure denegandum, ignorent. Qua de re, atque ipso Farlati opere lectissimum Lipsiensium Censorum in duos priores Tomos judicium profero, a quibus neque luculentius, neque dignius, laudationis testimonium is potuit exspectare. *Magni*, inquiunt enim in Actis Erudit. anni 1759., *opus ingenii, multi laboris, copiosæ doctrinæ, plurimique in historia ecclesiastica usus nostris lectoribus indicamus*: tum proposito, laudatoque Farlati consilio, totam operis ideam exhibent, illiusque quasi succum exprimunt; deinde subdunt; *Decessit etiam auctor aliquoties a proposita materia, & jucunda excursionibus doctis lectoribus diverticula facere voluit . . . . Toto quidem in opere elucet quædam amabilis modestia, sibi plerumque diffidens, multa lectorum arbitrio relinquens, non plus novis ut opinionibus concedatur postulans, quam rationes & conjecturæ, quibus res quæque suffulciatur, mereantur, sæpissime suam assensionem cohibens, & rem relinquens in medio. Est denique scribendi genus satis elegans, & quod veterum auctorum diligentem lectionem redolet.* Sed in censura Tomi II. Honorii III. Antistitis Salonitani historiam prȩsertim commendant, quȩ *tum propter multitudinem, magnitudinemque rerum, quæ eo tempore acciderunt, tum propter animadversiones ab auctore allatas valde præ reliquis eminet*; & hisce denique concludunt: *Hæc de celeberrimi Farlati labore, quem eximium & præclarum totum fere per opus elucere intelleximus. Nihil hic fortasse aliud, quam nimiam copiam reprehendas . . . . Sed compensabit, & obliterabit hunc nævum elegantia, quam in describendis rebus satis probabit auctor viris doctis.* Huic testimonio nihil est, quod insuper addas, ut Danielis opus & scripta æquiori commendatione probentur.

Verum quisque animadvertens, quanta studiorum mole is premebatur, facile existimabit, toto vitæ suæ tempore illum hoc uno in opere calamo ingenioque fuisse occupatum. Et mirum sane censere solemus, si quis aliqua in scientia versatus ad illam illustrandam omnem vitæ cursum, & continuum pluribus libris conficiendis laborem contulerit; quanto igitur id magis in Daniele mirandum, qui præter Illyricæ Historiæ negotium gravissimis quotidie domi forisque occupationibus distinebatur? Equidem in sui admirationem unumquemque trahebat, cum hominem viderent exiguis corporis viribus, & annos aliquot pȩne quotidianis febribus afflictum impigre hilariterque præsto ubique adesse, quo vel animorum cura, vel eorum, qui præerant, jussa, vel cujuspiam vices supplendi necessitas illum vocabat, tum adeo multa, & inter se dissimilia munera ita obire, quasi studiorum suorum oblitus iis unice, semperque vacasset. Etenim quo primum tempore Patavium rediit, ut ingens erat de illo existimatio, sæpe Philosophicis & Theologicis conventibus publice disputaturus intererat, nec raro sacras panegyres oratus de suggestu dicebat; cum plures interea illum pȩne ad fastidium convenirent, ut eorum nomine latinas lucubrationes variis de rebus digereret, iisque interdum magni ad Ecclesiæ Patavinæ decus momenti. Sed ubi casuum quorumdam necessitate adductus animarum procurandæ saluti præterea semet addixit, nullum profecto munus fuit ex iis, quæ in hanc operam solent exerceri, quo & ipse aut crebro, aut ad supremum usque vitæ spiritum perfunctus non fuerit. Nam plures annos diversos hominum cœtus, ipsos vero suæ familiæ socios sacris D. Ignatii exercitationibus quotannis excoluit: plures quandoque habebat de religione sermones ad scholarum alumnos, & sacrarum Virginum collegia statis diebus per sollemnes Adventus & Quadragesimæ ferias adibat, quas piis concionibus ad religiosum cultum, morumque sanctitatem adhortabatur: ab hoc tamen munere anno ante destitit, quam vita decederet, eodemque tempore a novemdiali concionum cursu abstinuit, quem in magna hominum frequentia ante festum diem D. Josephi diutissime peregit tenui sed aureo eloquio, atque ad cujuslibet ingenium & utilitatem mirifice accommodato. Attamen eo gravius, quo diuturnius fuit excipiendi pœnitentium confessiones ministerium, in quo mira hominis prudentia, promta facilitas, ingens doctrinæ copia, & caritas prorsus singularis eluxit, cum neminem a se unquam rejecerit, omnes aut recrearit afflictos, aut timidos dubiosque in spem æternæ felicitatis erexerit, perditos atque flagitiosos per rectum Christianæ legis tramitem firmo gradu deduxerit, probos piosque perfecta veræ solidæque virtutis exercitatione instituerit magno ipsorum profectu: hinc ingens ad illum cujusque generis, ordinis, atque ætatis hominum concursus, juvenum præsertim, ac rusticorum, quos paterno quodam affectu complecti solebat, & incredibili patientia, ac suavi animi vultusque affabilitate Christianis præceptis erudire; nec pauci erant dignitate, aut doctrina præstantes viri etiam ex urbis Prætoribus, & e religiosis familiis, quorum conscientias moderabatur, animosque consilio regebat: ad hæc peculiarem quoque sacrarum Virginum curam suscepit, & adolescentulos, qui scholis intererant, præcipuo quodam studio tum quavis hebdomada Pœnitentiæ Sacramento expiare, tum piis institutionibus imbuere nunquam desiit. At nihil erat Danieli antiquius, quam reorum, qui publicis tenentur carceribus, cura, quo perditis, miserrimisque ipsorum animæ & corporis rebus omnem, quam posset, opem ac levamen afferret. Quo in munere caritatis & laboris pleno adjutor antea extitit annos plures Antonio Contareno ejusdem, cujus Daniel, Societatis viro, & æque sanctimonia, ac summis in Ecclesiam Patavinam meritis præclaro: cumque hic ætate, & valetudine gravis quibusque muniis obeundis impar jam esset, Danieli totum incubuit, quantum illud oneris erat. At in eo perferendo nemo satis illius patientiam, animi magnitudinem, constantiam, & invictos labores justo præconio commendaverit. Quæ nam assidue illum urgebat sollicitudo aut cibi, aut vestium, aut pecuniæ eorum comparandæ egestati? quam prudens veniæ quandoque impetrandæ studium aut citius obtinendæ in leviora delicta sententiæ? quis ardor, ut animorum cujusque incolumitati prospiceret? nec ulla ferme hebdomada effluxit, quin neque conviciis, injuriisve deterritus, neque incultis, & agrestibus agendi modis repulsus inter illas locorum angustias, & fœdas carcerum latebras hilari vultu versaretur, miseriores inviseret, ægros solaretur, quos opus erat, sacræ confessionis ope juvaret, adeo ut hoc in munere vitam pȩne consumserit, cum inde domum redux eodem die letali morbo correptus est, quo demum interiit. Quantum propterea admirationis in se promeritus sit, quæ de illo in dies creverit existimatio, quos fructus pietatis, atque religionis attulerit constans hæc, & perpetua vitæ ratio in cujuscumque utilitatem impensæ, quilibet sapiens aperte intelli-

Cetera Danielis acta.

telli-

Digitized by Google

telligit, recteque dignoscit: hinc nemo unus in Patavina civitate Farlatum novit, qui vehementer tanti viri quotidianos labores, ejusque piissime gesta non suspexerit, & ubi se dabat occasio, justis laudibus non cumulaverit. Porro hanc in Daniele nostro agendi consuetudinem, atque irrequietum pro divinæ gloriæ amplitudine, & æterna animorum salute studium ipse Pontifex Maximus Clemens XIII. magnopere admiratus est, quippe qui Patavinæ Ecclesiæ Antistes cum esset, nedum suis ipse oculis egregia ejus acta conspexerat, sed ejusdem & consilio & opere plurimum usus fuerat. Quare cum Daniel tertium Illyricæ Historiæ Tomum illius Pontificis nomini inscripsisset, Clemens oblatum sibi munus perhumaniter excipiens litteris quoque ad Danielem datis die XI. Septembris anni 1765. & gratam erga illum animi sui voluntatem significavit, & præconceptam rerum, quæ ab eo gerebantur, admirationem tot inter studiorum gravissimas occupationes præcipue testatus est. Quarum litterarum exemplum hic subjicio, ut ex iis suus honos, decusque Danielis actis, meritisque augeatur.


Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Religiose Vir Salutem & Apostolicam Benedictionem. Impigre Te urgere, quod suscepisti de Illyrico Sacro spissum opus & operosum, ostendit tertium Volumen de Ecclesia Spalatensi, quod typis editum Nostro Nomini dicatum voluisti. Quam tuæ erga nos voluntatis & obsequii significationem per quam grato animo excepimus, & memori mente defixam perpetuo retinebimus. Ceterum non satis mirari possumus, qui gravis annis & tot laboribus fractus, quos in animarum salutem sumis adsiduos, ejusmodi scripta proferas, ex quibus existimare quivis debeat, Te ab omnibus Instituti quod profiteris, muneribus vacuum omnem operam tempusque tuum ponere in studiis Sacrarum Litterarum. Deum enixe precamur, ut tibi vitam valetudinem viresque suppeditet, non tam ut præclarum opus ad finem possis perducere, quam ut diutius Fideles, qui te utuntur in æternæ salutis via Magistro & Duce, pietatis Tuæ fructibus perfruantur. Tibique Dilecte Fili, intimo nostri cordis affectu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Ejus virtutes, Ex hisce igitur, quæ de rebus a Daniele gestis brevi perstrinximus, promtum est de virtutibus ejus judicium, quarum tantummodo præsidio iis omnibus pie recteque perfungi potuit, in quibus integrum vitæ suæ cursum constantissime exegit. Sane præ ceteris eximia in Deum religio ac pietas inclaruit; atque hanc ita precandi quotidiana consuetudine, assiduoque usu præ se ferebat, ut ex invito interdum quidam Divini ardoris ignes erumperent, quos animus continere non poterat, præsertim cum sacris operaretur; & is tunc erat totius hominis habitus ad religionem compositus, ut intuentium mentes & corda eodem, quo ipse fervebat, pietatis œstu accenderet: omnia vero, quæ ad Deum ejusque Divos attinent, præcipuo cultu venerari solitus, ipsam divinorum librorum lectionem, cui quotidie ferme impendit breve temporis spatium, nudò semper capite cum reverentia percurrebat. Propterea qua caritate in proximorum adjumentum & salutem ardentissime ferretur, ea satis indicant munera, quæ vel sponte vel jussus continue gessit, quippe qui recte intelligebat, nullum præstantius, nullum Deo gratius esse obsequium, quam quod cum spiritali ceterorum bono, & æterna utilitate conjungitur. Hoc autem ut assequeretur, nihil prætermittebat, quod vel corporum, vel animorum in primis incolumitati prodesset; neque illi obstitere certa vitæ discrimina, quin ultro se se iisdem objiceret impavidus, ubi cujuscumque salus id ab eo postulasset: sane cum Patavii in foro Nobilium flagitiosi quidam inter se concurrissent, & ex iis unus plumbea ictus glande prope animam efflaret, Daniel, qui fortuito aberat haud procul, accitus illico inter volitantes adhuc igneos adversariorum globos adstitit morituro, eique suprema impertiit Christianæ religionis subsidia. Accidit etiam aliquando, ut is Patavio proficisceretur Venetias publico ad iter usus navigio, quod Patavinum appellant, &, exorta ibidem duorum rixa, alter alterum stricto ense pęne confoderet; at Daniel subito permotus casu, nihilque veritus furentis hominis iram, ejus manu vi apprehensa ictum avertit; postea illum blande allocutus tantum verborum mansuetudine, & caritate valuit, ut is Danieli obsequens ad officium se composuerit. Efficax quidem adeo erat ad cujusque ingenium ejus sermo, ut sive consilio, sive exhortatione in sui sententiam quemlibet alliceret, animosque ad ea, quæ religionis, officiique erant, mira suavitate pertraheret, quam etiam in reprehensionibus præcipue servabat; quin addita interdum præter humanam vis quædam inesse illi videbatur, unde quisquam pertinacissimus rationem victus pacatusque mutabat; quod facinoroso cuidam contigit, qui morte damnatus ob patratam hominis cędem, in extremam rabiem adeo efferatus est, ut, cum impendens sibi supplicium effugere nullo modo posset, ne animę quidem saluti consultum a se esse vellet, & quorumvis consilia, ac monita obstinate contemneret. Aderant religiosi, piique viri, quos dolor angebat desperatæ hominis pœnitentiæ, & nihil opis fuerat prætermissum, quo ab miserando insaniæ statu resipisceret, sed irrito conatu. Quare acciri Danielem jubet urbis Præfectus, qui confestim advolat, & reo assidens leniter illum compellat, hortatur, orat, precibus & justitiæ divinæ minas, & misericordiæ pollicitationes intermiscet: res mira; Daniele loquente, & cunctis exspectatione suspensis, miser ille repente sustollit oculos, ima trahit suspiria, atque rectæ rationis usum recipiens peccata rite confitetur, tum demum expiatus, & cælesti epulo refectus justas sui criminis pœnas libens luit, animamque, ut spes fuit, e Tartari faucibus ereptam Domino reddidit. Certum porro mihi est, alia quoque admiratione digna eidem accidisse, quæ tamen ipse cautissime occultabat, quippe, cum de se, suisque rebus quam demisse & humiliter sentiret, nullum unquam sibi verbum excidere passus est, quod aliquam sui existimationem apud ceteros pareret; dum aliorum & scripta, & facta ingenuo laudis testimonio commendabat; & sin minus probatione digna forent, aut silentio sensum premebat animi, aut excusationi locum quærebat, nunquam de aliis contemtim locutus. Hæc vero submissio quovis in ejus opere dictoque elucebat, præsertim cum Superiorum jussa, & consilia exsequeretur, quibus absque ulla voluntatis, judiciive mora facili obedientiæ alacritate parebat,

bat , infimæ etiam conditionis homines ita excipiens , & alloquens , ut obsequio auctoritatem temperaret . Equidem ab omni fastu & moribus ambitiosis vehementer abhorruit , ipsoque corporis habitu , & studio voluntariæ paupertatis, quam in usu rerum omnium coluit impense , eumdem submissi, humilisque animi sensum præ se tulit: idem autem adeo mansuetus, ut vestigium in eo contumaciæ cerneres nullum , ita comis , ut lenitatem mirum in modum cum gravitate misceret ; quemcumque vel ex occursu fortuito sereno intuebatur aspectu; qualibet adiisses hora , æque accipiebat benigne ; exhibita vero tum a domesticis , tum ab externis benevolentiæ officia non respuebat , cum posset , & ipse sua iisdem ultro præstabat ; nec recreandi animi tempus opportunum & aptas rationes ulli abnuere solitus , siquis offerret , immo ipse interdum recreationis caussas & modos hilare blandeque in medium afferre , & festivo lepore sermonem condire , quo fiebat , ut ejus consuetudo maxime delectaret . Erat tamen tanta verecundia verborum , & vultus gestusque modestia , ut singulare castimoniæ decus inde nitesceret , quam nobilissimam virtutem sensuum præcipue custodia , & sedula corporis afflictatione ab omni contagione immunem tutabat ; qui præterea sui juxta Evangelicam doctrinam osor acerrimus nihil in quotidiana , & communi vita præterire sinebat , quod aliquam sibi pœnam inferret ; quidquid vero molestum & grave sive animo , sive corpori accideret vel ex ipsa anni temporum mutatione atque inclementia , nunquam conqueri auditus : quæ difficillima corporis afflictandi exercitatio , & absoluta est tolerantiæ virtus . Adversus ea , quæ videntur acerba , & contra omnes varietates in vita versantur , animo fuit ita præsenti , ut nunquam vel a statu naturæ , vel a religiosi dignitate discesserit . Cum primum Illyrici sacri volumen post ingentem laborem absolvisset , sua manu descriptum illud tradidit domestico cuidam , qui Venetias pergebat , ut typographi jam pacta opera typis ederetur . Sed dum is minus caute equitando iter agebat , vidulus , cui volumen fuerat inclusum , in itinere decidit , neque ante sensit amissum , quam ad proximas urbi lacunas pervenisset : tum valde commotus animo viam celeriter relegit, scrutatur undique loca, obvios quosque rogat , casum monet; nullum tamen reperti viduli apparet indicium . Hoc audito , Daniel sedato animo jacturam pertulit voluminis , nec ullo iræ æstu in domesticum illum exturbatus, cum nec magistratuum ope reperiri volumen posset , admirabili tranquillitate ac patientia eidem reficiendo manum admovit . Eandem animi æquitatem , & constantiam præbuit inter gravissimas sui Ordinis calamitates , quem singulari affectu diligebat , cujusque leges , atque instituta sancte servabat, & venerabatur: aliquando autem rogatus a quopiam veri ne rumores essent , qui de Societate abolenda ferebantur in vulgus , & gravi se angi sollicitudine fateretur; *Eja*, inquit Daniel , *bonum , dum licet , agamus ; tum quæ Deo placita eveniant* . Atque hac in re miram profecto divinæ providentiæ in se bonitatem expertus est, ut post cumulatam meritis, ac virtutibus vitam extremo eriperetur totius Ordinis infortunio ; nam mense Aprili anni 1773. febri repente correptus , dum e publicis carceribus domum rediret, sex fere dies in lecto decubuit ; nec spes omnino deerat valetudinis recuperandæ ; at ipsa D. Marco die sacra , Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis de more susceptis , primo vespere ad Superos placidissime evolavit annos natus tres circiter supra octoginta.

Hæc de Danielis vita, actisque tibi, Lector, proposui, quæ si recte perpenderis, ex iis cognosces, & obitus.
quantus virtute vir , quantus doctrina is extiterit ; unde nec cuique mirum videatur clarissimi viri sanctimoniam , resque ab eo gestas , & doctissima ingenii sui, atque eruditionis monumenta non solum Patavinorum civium, sed etiam externorum hominum tum in Italia præsertim, tum in Dalmatia testimonio plurimi semper habita fuisse & magna cum veneratione commendata. Statura fuit modica, & grato dignitatis aspectu, colore inter albicantem & subrufum, honesta fronte, lætis oculis , moderata nasi figura , alacri sed gravi incessu. Effigies illius nulla seu picta extat , seu plastæ opere expressa :. sed præstantissimæ virtutes , quibus enituit , dignam animi imaginem exhibent, quam docti religiosique viri imitentur, & pia posteritas celebret.



A R

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPATUS
ET EPISCOPATUS

QUI IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Digitized by Google

CONSPECTUS HUJUS VOLUMINIS.

ECCLESIA JADERTINA.

EPISCOPI SUFFRAGANEI

Metropolis Jadertinæ.

Digitized by Google

Ma-

Digitized by Google

ADDITAMENTA

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, & Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato; *Illyrici Sacri Tomus V. Auctore P. Daniele Farlati S. J. &c. Ms.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, & buoni costumi, concediamo licenza a *Sebastian Coleti* Stampator di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, & di Padova.

Dat. li 20. Luglio 1768.

(Alvise Vallaresso Rif.
(Francesco Morosini 2.do Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 351. al Num. 2486.

Davidde Marchesini Segr.

Registrato a Carte 4. al Magistrato alla Bestemmia.

Andrea Grattarol Segr.

Digitized by Google

ECCLESIA
JADERTINA.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI
JADRENSES.

Jadera princeps Liburniæ civitas.



Uam Latini *Jaderam*, sive *Jadram*; Constantinus Porphyrogenitus *Diadoram*, Slavi *Zadur*, Itali *Zaram* vocant. Civitas est nobilissima veteris Liburniæ, ejus scilicet regionis, quam Tedanius flumen ab Japidia, Titius amnis a Dalmatia sejungebat. Nunc autem quiquid est terrarum ac gentium inter duos fluvios Arsiam & Drilonem, Dalmatiæ vocabulo continetur. Jadera inter omnes civitates Dalmaticas magnitudine ambitus, ædificiorum numero & pulchritudine, civium & incolarum frequentia, commercio & divitiis facile præcellit. Nugari videtur Porphyrogenitus, qui nomen urbis ex duobus latinis vocabulis *Jam erat* conflatum fuisse commentus est; quod hæc civitas *jam erat*, antequam Roma conderetur: Τὸ κάστρον τῶν Διαδώρων καλεῖται τῇ Ῥωμαίων διαλέκτῳ ἰὰμ ἔρατ. *Diadora urbs vocatur Romanorum lingua Jam erat, videlicet quod ante Romam hæc condita fuerat; est autem urbs hæc magna, & vulgariter Diadora nuncupatur*. Lib. de Adm. cap. XXIX. Thomas Archidiaconus cap. IX. Hist. Salonit. hanc urbem a Salonitanis patria eversa profugis sæculo septimo restitutam ac denominatam fuisse censuit; sed pluribus sæculis ante Salonam excisam nomen Jaderæ huic civitati impositum fuisse constat, & Latinis Græcisque litteris celebratum. Idem tamen Archidiaconus ex aliorum sententia originem ac nomen civitatis ad quemdam Jadrum conditorem referri posse existimat: *Quidam* (Salonitani exsules) *versus occidentalem plagam navigantes, ad portum cujusdam urbis antiquæ, sed dirutæ applicuerunt; & videntes locum satis habilem ad manendum, paraverunt ibi aliquod monumentum, & habitaverunt in eo. Et quia situs loci propter adjacentes insulas & propter commoditatem portus, multum eis placebat, non habebant jam necesse ad Salonam redire; nihil enim eis videbatur deesse præter fluvium Jadrum, qui ex orientali parte Salonitanæ urbi multum delectabiliter influebat .... hoc igitur sæpius nominato urbi nomen impositum est Jadria; vel, ut quibusdam placet, ab Jadro conditore Jadria nomen accepit*. Nicolaus Polionius ex fabulis Annianis tradit Jaderam & conditam & appellatam fuisse ab Jadro, qui a Noemo septima generatione distabat. Palladius Fuscus videtur voluisse derivare urbis nomen ab amne Jadro, cum per errorem eidem urbi accommodaverit versiculum illum Lucani: *Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader*; quem quidem ad Salonam referendum esse versiculus ille proxime superior perspicue docet:

Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas;
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.

De origine vocabuli alii aliter opinantur.

Cum hæc duo vocabula *Jadra* & *Adria* unico jota, ex prima in secundam syllabam traducto, inter se differant; unde unum ortum est, indidem alterius origo videtur esse repetenda. Dalmatiam universam antiquitus Adriam appellatam fuisse ex opinione quorumdam scripsit Archidiaconus cap. I. *Quidam dicunt quod Adria dicitur a quodam Adrio Itali fratre, qui regnavit ibidem; vel secundum quosdam Adria dicitur ab Adria, quod est lapis; quia lapidosa & montuosa est hæc provincia; unde Ovidius: Subdita montanæ brachia Dalmatiæ*. Sed paullo ante idem vocabulum aliunde deduxerat: *Adria nihilominus hæc provincia nuncupatur ab Adrianne filia Minois regis, quam rapuit Theseus &c.* Undecumque huic regioni nomen *Adriæ* obvenerit, inde etiam urbis nomen derivatum videtur; quæ primum *Adria*, deinde *Jadra* & *Jadera* dicta est; & quod fere princeps esset totius regionis, nomen commune sibi proprium fecit. Hinc etiam propagatione quadam ejusdem vocabuli, & mons *Adrius*, sive *Ardius* inter Titium & Naronem, & *Mare Adriaticum*; ex quo nomen accepit gemina civitas Italica eidem mari adjacens, videlicet *Adria* civitas & colonia Tuscorum in regione Veneta, & Adria Piceni apud Matrimum amnem; quamvis alii ab alterutra mare denominatum esse existiment. Scyllax Cariandensis vetustissimus Geographorum in Periplo urbes maritimas Liburniæ percensuit, inter quas *Liasidassam*; quæ quidem Jadera est ex interpretatione Lucæ Holstenii, & Joannis Lucii. Ceterum ex aliis ante monarchiam Romanam conditam Scriptoribus neminem invenio, qui Jaderam, vel Jadertinos nominaverit, præter Aulum Hirtium, qui cap. XIII. *de Bello Alexandrino* mentionem fecit *Jadertinorum*, *quorum semper*, inquit, *in Rempublicam singulare constiterat officium*. Postea vero omnes, si Strabonem excipias, & nobilissimi quique Geographorum, Pomponius Mela, Cajus Plinius, Claudius Ptolemæus, & alii horum æquales, vel eorum ætati suppares, inter Liburniæ, sive Dalmatiæ civitates Jadram, vel Jaderam annumerarunt.

Hæc civitas & universa Liburnia anno ante Christum circiter 240. Agronis Illyriorum regis imperium subivit, & vocabulo ac finibus Illyrici in Liburniam prolatis contineri cœpit; atque exinde pars Illyrici perpetuo fuit. Paruit regibus Illyriorum usque ad Gentium postremum Illyrici regem; a quo simul cum Dalmatia, sibi ab ortu finitima, defecit anno ante Christianam epocham 180. Regio dominatu depulso, suas sibi leges, suos sibi magistratus descripsit, in morem liberæ, omnique extraneo imperio exemptæ reipublicæ. Hanc Jadrenses & Liburni libertatem annos fere centum & amplius cum retinuissent, primum socios, de-

Jadera cum Liburnia Illyricis regibus paruit; deinde libertatem est adepta.

Liburni & Jadrenses primum socii, deinde vectigales populi Romani.

inde vectigales populi Romani seipsos fecerunt. Romani cum Dalmatis Liburniæ finitimis multa jam bella gesserant, eisdemque Salonam & oram maritimam fere omnem ademerant, anno ante Christum octavo & septuagesimo; cum Liburni & Jadrenses Romanos, a quibus plures & gravissimas clades Dalmatæ acceperant, socios, quam hostes habere maluerunt; atque ut sibi suisque rebus consulerent, in clientelam populi Romani se ultro contulerunt. Hæc fusius & accuratius explicata sunt Tomo primo Illyrici Sacri Parte 1. & 2. Prolegomenon. Jadrensium præclara studia & merita in Rempublicam Romanam, multis ac perpetuis officiis testata, commendavit Aulus Hirtius supra laudatus: *quorum*, inquit, *semper in Rempublicam singulare constiterat officium*. Anno ante Christum fere quinquagesimo Jadrenses & Liburni, quibus Dalmatæ Promonam, urbem natura & loco munitam eripuerant, oratores miserunt ad Julium Cæsarem, qui tum Illyricam provinciam, tum Galliam utramque, ante aliquot annos sibi a Senatu decretas, obtinebat, cum is e Gallia transalpina rediisset in Italiam, ut quotannis facere consueverat. Ab eo ut auxilium adversus Dalmatas impetrarent, Jaderam, & regionem universam in populi Romani ditionem ac potestatem tradiderunt. Cæsar Liburnis in fidem receptis, primum quidem misit, qui Dalmatis denunciarent, ut Promonam Liburnis, imperio Romano subjectis & vectigalibus restituerent; deinde vero, cum Dalmatæ imperata facere abnuerent, jussit copias in Dalmatiam traduci, quæ Dalmatas urbe, quam occupaverant, totaque Liburnia expellerent. Sed contra quam opinabatur, omnem suum exercitum ab hostibus deletum & concisum paullo post intellexit. Cladis acceptæ ulciscendæ studio ut maxime flagraret, ultionem tamen in aliud tempus distulit; alio enim illum aliæ curæ, cogitationesque evocabant. Jam enim, quæ Cæsari cum Pompejo erant, acres acerbæque discordiæ ad bellum civile spectabant; quod haud multo post exortum magna utrinque contentione geri cœpit. Hæc Appianus de bellis Romanorum in Illyrico: *Quo autem tempore Cæsar apud Celtas cum imperio erat, Dalmatæ, cæterique benigniori fortuna utentes Illyrii Liburnis, quæ item Illyricorum gens est, Promonam urbem abstulere. Liburni in populi Romani fidem concedentes, Cæsaris in propinquo agentis opem implorarunt. Cæsar misit qui Promonam tenentibus denunciarent, ut oppidum Liburnis redderent: cumque hi contemnere imperium viderentur, validam armatorum manum submisit, qui omnes ab Illyriis concisi sunt. Neque Cæsar ultus est; non enim Pompejanis discordiis implicito, satis in eam rem otii fuit.*

In bello civili Jadrenses & Liburni Pompejanas partes secuti.

In bello civili Salona quidem a Cæsarianis constantissime stetit; Jadera vero Pompejanas partes secuta fuisse videtur. Nam Q. Cornificius Cæsaris Quæstor, qui provinciam Romanam Illyricam, compluribus castellis captis, in Cæsaris fide ac potestate retinuit, cum M. Octavius post prælium Pharsalicum ex fuga in Adriaticum cum classe Pompejana se contulisset, aliquot naves cepit, Octavio ab Jadertinis subsidio missas; hisque ad eas, quas habebat, navibus adjunctis, cum ipsa validissima Octavii classe dimicare se posse confidebat. Ita explicari, atque intelligi debere videntur quæ Aulus Hirtius cap. XIII. de Bello Alexandrino scripsit: *Cum Octavius ex fuga Pharsalici prælii magna classe in illum sinum se contulisset, paucis navibus Jadertinorum, quorum semper in Rempublicam singulare constiterat studium, dispersis Octavianis navibus, erat potitus* (idest Q. Cornificius), *ut vel classe dimicare posset, adjunctis captivis navibus sociorum &c.*

Cum Japidibus & Dalmatis in unam provinciam coaluerunt sub Octaviano Augusto,

Post interitum Cæsaris, Jadera sub imperio Octaviani Augusti, vocabulis Japidiæ & Liburniæ abrogatis, inter civitates Dalmatiæ annumerari cœpit. Augustus siquidem ex Japidia, Liburnia, Dalmatia unam provinciam sub nomine communi Dalmatiæ conflavit, eamque Proconsularem esse jussit, & Proconsuli regendam tradidit. Idem vero Augustus post Actiacam victoriam rerum omnium potitus, Jaderam mœnibus, ac turribus sepsit; eoque Coloniam Romanorum deduxit, ut docet vetus inscriptio Jaderæ reperta, atque ad *Portam Episcopi Nonæ*, ut ait Joannes Lucius, affixa.

IMP. CÆS. D. F. AVG
PARENS COLONIAE MVRVM
ET TVRRIS DEDIT.

qui coloniam Romanorum Jaderam deduxit.

Coloniam Jadertinam ab Augusto non restitutam, ut Joannes Lucius censuit, sed conditam fuisse oportet, cum Augustus hujus Coloniæ Parens appelletur. Hinc dicitur in Nummo Domitiani apud Christophorum Cellarium: COL. AVGVSTA IADERA. Alter lapis ibidem visitur priori subjectus, & posterior ætate, qui turres vetustate collabentes a T. Julio Optato restitutas fuisse declarat.

T. IVLIVS OPTATVS TVRRIS
VETVSTATE CORRVPTAS
IMPENSA SVA RESTITVIT.

Extat altera Augustalis inscriptio in domo Boccarea, quæ ad Tiberium Imp. pertinet.

TI. CAESAR DIVI AVG. F.
AVGVST. IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XX COS. III
LEG. IX. LEG. XI
P. CORNELIO. DOLABELLA
LEG. PRO. PR.

Cum civitas aquæ penuria laboraret, Trajanus Imperator inde usque ab Titio flumine aquas sane copiosas tubis æneis, aut lateritiis inclusas, circuitu milliarium fere triginta in urbem derivavit, ut vestigia ostendunt vetustissimi aquæductus; cujus auctorem lapis declarat an. 1620. inventus, atque in ædes Joannis Petri Panizzoni translatus; sed litteras posteriores exedit vetustas.

IMP. NERVA TRAIAN
PONTIF. MAX. TR
AQVAEDVCTVM COLON
IN QVO DANTE IMPEN
SACRATISSIMI PRINCI

Ex Collectaneis Simeonis Gliubavacii Patricii Jadrensis. In columna eccl. B. V. Annuntiatæ.

IMP. CAES.
M. CLAVDIO
TACITO P. P.
INVICTO
AVG. N.

In columna carceris archiepiscopalis.

D. N. IVLIANO
VICTORI AC TRI
VMPHATORI TOTI
VSQVE ORBIS AVG.
BONO REIP. O.

Jaderam Plinius, & Ptolemæus Coloniam Romanam

Ædificia Romana Jaderæ. manam vocant. Positio urbis & forma, portus manufacti & natura tutissimi magnitudo, locorum & insularum adjacentium amœnitas, agri fertilitas, cæli mira temperies Romanos allexit, & perpulit, ut hanc civitatem & magni facerent, & summopere diligerent; eamque incolis augerent, mœnibus ac turribus egregie munirent, in ejusque commodis atque ornamentis amplificandis plurimum studii operæque impenderent. *Varia*, ut scripsit Lucius, *præclari operis templorum, amphitheatri, theatri, & mœniorum vestigia Romanam magnificentiam demonstrant; inter quæ columna ingens post tot urbis casus adhuc in foro erecta cernitur, & arcus majoris ædificii pars, nunc ad portam civitatis S. Chrysogoni translatus, in cujus epistylio hæc leguntur:*

MELLA. ANNIANA. IN. MEMOR.
Q. LAEPICI. Q. F. SERG. BASSI.
MARITI. SVI. EMPORIVM. STERNI. ET.
ARCVM. FIERI. ET. STATVAS.
SVPERPONI.TEST.IVSS.EX.HS.DCDXX P.R.

A Romanis culta & habitata. Urbem & Coloniam Jadertinam a civibus & familiis Romanis frequentissime habitatam fuisse declarant antiquæ inscriptiones, ibidem in urbe & in agro circa urbem repertæ, quas Joannes Lucius adjunxit ad Monumenta historica Traguriensia; ex quibus nonnullas huc transcribere visum est.

Inscriptiones Romanæ.

In templo S. Donati.

IVNONI AVGVSTAE
APVLEIA M. FIL
QVINTA SVO ET
L. TVRPILIO BROCHI
LICINIANI FILII NOMINE
TEST. PON. IVS

Ibidem.

HELVIA VENERA
V. F. SIBI. ET
Q. PETRONIO CAPITONI
VIRO SVO. ET
Q. PETRONIO. APHRODISIO.
ET SVIS. LIBERTIS.
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE.
EORVM.

Ibidem.

C. ALIVS
SPEC. L
V. F. SIBI. ET
IN. FR.
IN. AGR.

Ad portam Episcopi Nonæ.

Q. ASIENO. Q. F.
TRO AGRIPPAE
AED. II VIRO
PONTIFICI
EX AERE CONLATO
DECVRIONIS LEP*IEFS

Ibidem.

ISIDI SERAPIDI LIBER
LIBERAE VOTO
SVSCEPTO PRO SALVTE
SCAPVLAE FILII SVI
P. QVINCTIVS PARIS
S. L. M.

Apud S. Andream.

M. AVRELIVS MARIVS
SELEVCVS
VET. ET OPT.
AELIAE CLAVDIAE
CONIVGI
INCOMPARABILI
ET SIBI
VIV. POSVIT

Apud S. Petrum Majorem.

D. M.
O. TERTVLL. FILIO O.
TERTVLLVS ET AV
REL AMANTISS. PA
RENT. PO.

Apud S. Agatham Majorem.

L. VETVRIVS FLORVS
VETERANVS SCRIBA
NA. DALMATA
VIX. ANN. LV
POSVIT
T. VETVRIVS
PANNONIVS
LIBERTVS
PATRONO B. M. G.

In æde S. Spiritus.

ROGATO AVG. LIB.
TABVL. CYPR.
FAV. SILVANVS FIL. ET
FELICISSIMA NEPTIS ET
SEVERINVS CONLIB. ET
DIVS. LIB. HEREDES
F. C.

Ad D. Joannem Evang.

SERGIA OLYMPIAS
SIBI ET
L SERGIO RVGO * F. ET
L. CALTILIO TESPIO
H. M. H. N. S.

* RVFO ex Apiano.

Apud S. Joan. Bapt.

C. DIDIO
CONCORDIANO
V. A. VI. M. VIII. D. XX.
C. DIDIVS CELER
N. IVNIA MARCELLINA
PARENTES.

Ad S. Apollinarem.

D. O. M.
VALERIAE DIDIAE
VALERIA TERCIA
MATRI PIENTISS
B. M. P.

Prope ecclesiam S. Dominici.

QVINTILIVS OPTATVS
IIIIII VIR VIVVS FECIT SIBI ET
QVINCTILIAE ARBVSCVLAE
MATRI ET NVMI. PIAE PVSILLAE
LATVM PEDES XX
LONGVM AB VNDA AD
MACERIAM.

Digitized by Google

In aula Archiepiscopi.

M. V. CORNELIVS. HIERO
V. F. SIBI. ET.
CORNELIAE. HEROIDI.
VXORI. CARISSIMAE. ET
M. CORNELIO. CARPONE. GOLEARIO
ET. M. CORNELIO. CARPO
JVRIS. STVDIOSO
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.

Prope cœnobium S. Francisci.

MANIBVS. GENTIS. SVAE.
LIBERTIS. LIBERTAB. Q. S. SIBI
PONENIS
VINEDIAE. C. F. IVCVNDAE. VXORI.
H. M. H. N. S.
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XVI.

Si quis plura hujusmodi monumenta Jadrensia Romanæ antiquitatis desiderat, adeat Joannis Lucii Appendicem ad Monumenta Traguriensia, sive *Inscriptiones Dalmaticas*.

Jadrenses & Dalmatæ pars Imperii occidentalis, deinde orientalis.

Intra finem sæculi quarti, cum facta esset divisio Imperii & Illyrici orientalis, & occidentalis, Jadera cum Dalmatia Imperio occidentis attributa pars fuit Illyrici occidentalis, & præfecto prætorio Italiæ commissa. Proximo autem sæculo post extinctum Imperium occidentale, primum sub Herulorum, deinde sub Gothorum potestatem cecidit. Sæculo sexto Justinianus Imperator Jaderam, cum Dalmatia Gothis ademptam, cum Imperio orientis conjunxit; cui constanter adhæsit usque ad sæculum undecimum, quamvis Slavi Dalmatiam mediterraneam, concessu Heraclii Augusti sibi traditam obtinerent; nisi quod sub initium sæculi noni ad breve tempus Francis & Caroli Magni imperio paruit. Post annos non ita multos, dum Michael cognomento Balbus rerum in oriente potiebatur, hujus ignaviam exosi, Jadrenses, ceterique Dalmatæ maritimi ab eo defecerunt; & per annos fere quadraginta, suis legibus, suisque magistratibus sibi constitutis, libertatem omni extraneo dominatu exemptam retinuerunt. Sed anno circiter 868. cum Saraceni oram maritimam depopulati, Ragusium terra marique obsiderent, veriti ne capto Ragusio, ceteras quoque urbes sub potestatem redigerent, ac suis viribus diffisi, missis Constantinopolim oratoribus auxilii petendi caussa, sub imperium Basilii Macedonis redierunt. Hic Dalmatia in deditionem recepta, classem centum navium adornari jussit, ut docet Porphyrogenitus, quæ, duce Niceta patricio, Ragusium obsidione liberavit. Saracenis depulsis, ab Slavis accolis Jadrenses & ceteri Dalmatæ maritimi vexari, & gravissimis damnis atque incommodis affici cœperunt. Rursus ergo legatos Constantinopolim miserunt rogatum auxilia, quibus se resque suas ab injuriis Slavorum defenderent. Basilius autem, cum e re publica esse non duceret suam classem, ac legiones, quæ præsidio erant provinciis, atque urbibus orientis, navium & copiarum detractione imminui, alioque distrahi; auctor fuit Jadertinis & Dalmatis, ut pacem & quietem ab hostibus vel suo, & Imperii detrimento redimerent; permisit siquidem, ut annua vectigalia, quæ sibi & Imperio debebant, Slavis persolverent, quibus illi conciliati ac deliniti a maleficiis abstinerent; ipse vero exiguum tributum sibi retinuit, quo suam Dalmatæ fidem adversus Imperatorem orientis profiterentur. Nulla civitas Dalmatiæ, si Spalatum excipias, majus tributum, quam Jadera Imperio, ac deinde Slavis pendebat; summam enim efficiebat centum ac decem numismatum; ex quo fit, ut Jadera secundum Spalatum, inter ceteras Dalmatiæ civitates opibus ac divitiis præpolleret. Hæc Porphyrogenitus de Adm. Imp. cap. 30. *Atque ex illo tempore*, inquit, *omnes istæ urbes Slavorum tributaria pacta ipsis solvunt*.

Tributarii Slavorum.

Hic igitur status rerum Jadrensium, & Dalmaticarum erat; vigebatque lex tributi Slavonici, cum Constantinus Porphyrogenitus, qui hæc scripsit, Imperio potiebatur; neque antea aboleri potuit, quam Jadera & Dalmatia in fidem tutelamque Venetorum concessit. Postquam Basilius Jadertinis & Dalmatis potestatem fecit annui tributi, quod Imperio debebant, Slavis solvendi, ut eos ab illorum incursionibus & molestiis liberarent, valde diminuta est Imperatorum Græcorum, sive orientis in Dalmatas dominatio. Illi siquidem præter jus constituendi supremi totius provinciæ magistratus, levissimi cujusdam tributi exigendi, & certum numerum militum, navium, & nautarum civitatibus imperandi, si quando bellum in his partibus gerendum esset, nihil fere aliud potestatis in Dalmatia retinuerunt. Qui nomine jussuque Imperatoris huic regioni præsidebat, alias *Proconsul*, alias *Strategus*, alias *Catipanus* appellabatur, & plerumque sedem stabilem, cum curia & militia prætoriana, Jaderæ habebat; itemque interdum *Prioris* quoque, qui erat magistratus urbanus, nomen gerebat in hac urbe, & officio fungebatur. *Anno 986 Majus Prior Jadræ, atque Proconsul Dalmatiarum*. Anno 1033. post recuperatam a Græcis Imperatoribus Dalmatiam *Gregorius Prior urbis Jadræ, & Proconsul*, sive *Straticus universæ Dalmatiæ*. Anno 1059. *Leo imperialis protospatarius, Prior Jadræ, & totius Dalmatiæ Catipanus*.

Priores Jaderæ, & Proconsules Dalmatiæ a Græcis Imper. constituti.

Sæculo decimo vergente tam Chrobati, quam etiam Narentani gens Serblorum ferox & immitis rapto vivere, & rapinis ditescere assueta, tum Dalmatis, licet Chrobatorum vectigalibus, oram maritimam, tum Venetis Adriaticam navigationem latrociniis & piraticis lembis infestam reddebant. Cum nihil auxilii sperare possent a Basilio & Constantino Imperatoribus, implicitis multiplici bello civili & Bulgarico, primum Jadrenses, deinde horum exemplo ceteri Dalmatæ ad Venetorum opes confugere, atque in eorum potestatem & clientelam se suaque tradere decreverunt. Ac Jadrenses quidem, antequam reliqui Dalmatæ legatos suos Venetias mitterent rogatum auxilia, jam erant in fide ac ditione Venetorum, ut docet Andreas Dandulus. *Illis namque temporibus in Dalmatarum confinio, non plus, quam Jadrenses cives Venetorum ditioni obtemperabant*: quem Danduli locum Joannes Lucius lib. 2. cap. v. his verbis illustravit: *Tunc Jadram solum in Dalmatia Venetos in protectione habuisse Dandulus, & ceteri Chronistæ referunt. Jadrenses vero aliqua ex caussa eorumdem protectioni se dedisse oportet, quæ proximorum Croatorum molestiis tribui debet; & ob imbecillitatem virium Imperii orientalis, ad vicinam & antiquam societatem revertisse, ut a Croatorum molestiis liberarentur; & Venetorum protectionem nactos, Croatis quoque negasse tributum*

Primum Jadrenses, deinde ceteri Dalmatæ Venetorum imperium acceperunt.

butum conjectari potest. Itaque Petrus Urseolus II. Dux Venetorum, rogatu Dalmatarum, ineunte sæculo undecimo classem eduxit, ad ulciscendos & compescendos Slavos, Venetis ac Dalmatis infestos; & oram maritimam prætervectus, civitates illas ultro in deditionem venientes ad Venetum imperium adjunxit. Ab omnibus quidem jusjurandum in verba Ducis, legesque Venetorum exactum fuisse scripsit Dandulus; non item vero ab Jadrensibus, qui Ducem ac Dominum suum, quibus dignum erat, honoribus & acclamationibus exceperunt; sed cum jampridem Venetorum imperio subjecti essent, necesse non fuit novo sacramento fidem illorum obstringere. *Altera vero die*, ait Dandulus, *Jadrensem antequam appropinquaret urbem, ejusdem civitatis Prior cum Episcopo, & ceteris suum dominum receperunt*. Ita Veneti sub initium sæculi undecimi, post Jaderam ante aliquot annos in fidem receptam, Dalmatiam universam, tum voluntaria earum gentium deditione, tum etiam *permissione*, ut ait Dandulus, *Basilii & Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum*, cum hi mallent Dalmatas, quibus opitulari non poterant, Venetorum tutelæ committere, quam injuriis Slavorum expositos relinquere, jure quam optimo adepti sunt, centum fere annis, antequam in eam regionem arma inferrent, vel certe suum dominatum protenderent reges Hungariæ, quibuscum Veneti pro Jadera vel retinenda, vel recuperanda, plurima posterioribus sæculis & gravissima bella gesserunt.

Postea redeunt ad Imperium orientis.

Jadera cum reliqua Dalmatia anno circiter 1030. sub Imperium orientis rediit. Exinde magistratus Græcos ferme usque ad annum 1074. huic civitati ac provinciæ præpositos invenio. Andreas Dandulus Jaderam a Salomone rege Hungariæ Venetis ademptam, a Dominico Contareno Duce anno secundo sui principatus recuperatam fuisse tradit: quæ quidem inter se perspicue pugnant. Nam secundus annus Dominici Ducis Venetorum congruit cum anno 1045. cum Salomon nondum imperare cœperat, qui regnum in Hungaria obtinuit anno 1063. Præterea nemo est ex antiquis Hungaricis Scriptoribus, qui tradiderit ante S. Ladislavum, qui anno 1076. Geysæ fratri successit, atque ante annum 1091. quemquam ex Hungariæ regibus arma copiasque in has regiones intulisse. Anno circiter 1074. Dominicus Silvo Dux Venetiarum Northmannis, qui navigationem Adriaticam, oramque maritimam infestam armatis navigiis faciebant, in fugam aversis mare purgavit, Dalmatis salutem & tranquillitatem restituit. Quo facto animos Jadrensium, & Dalmatarum ita sibi conciliavit, ut in Venetorum fidem ac potestatem, unde ante annos amplius quadraginta desciverant, se rursus contulerint, eo promptius ac libentius, quod cum expositi essent Northmannorum excursionibus ac direptionibus, nihil præsidii ab Imperatoribus orientis expectare poterant: ea siquidem tempestate Græcorum opes, magis etiam ab Saracenis in Asia, quam a Northmannis in Italia erant debilitatæ fractæque. Ergo Dominicus Silvo Jadrenses & Dalmatas novo beneficio obstrictos in deditionem & clientelam recepit; & cum non deessent ex illis populis, qui Northmannis studebant, seque ad illorum amicitiam cupiebant adjungere, omnes jurejurando adegit nihil rei posthac & commercii cum Northmannis sibi futurum. Hæc breviter Dandulus, *Northmanni Dalmaticorum fines invadunt, & destruunt. Dux itaque egressus eos abire coegit; & ab incolis solidam fidelitatem cum promissione non adducendi Northmannos in Dalmatiam suscepit*.

A Northmannis vexati rursus in Venetorum fidem ac tutelam se conferunt.

Colomanus rex Hungariæ Jaderam, & Dalmatiam Venetis eripuit; utramque Ordelaphus Dux Venetorum recuperavit.

Jadera in ditione mansit ac potestate Venetorum usque ad annum quintum sæculi duodecimi; cum Colomanus rex Hungariæ immemor fœderis, quod cum Venetis contra Northmannos pepigerat, ex absentia Venetæ classis ad sacram Syriacam expeditionem profectæ, occasionem Dalmatiæ Venetis eripiendæ arripuit; ac primum Jaderam vehementissime oppugnatam ad deditionem compulit; demum reliquas omnes Dalmatiæ urbes sub imperium Hungaricum subjunxit. Post obitum Colomani anno 1114. extincti, Ordelaphus Dux Venetorum, ingenti classe in Dalmatiam traducta, tum insulas sponte in fidem redeuntes recepit, tum Jaderam obsidione cinxit, & acriter oppugnare institit, quam intra paucos dies deditionem facere coegit. Sed castellum quod Colomanus inædificaverat, Hungari tunc quidem retinuerant, sed biennio post illud quoque Venetus Hungaris ademit, qui magno prælio fusi fugatique tota Dalmatia excesserunt. Exinde Jadera per annos circiter tercentos motibus fere perpetuis rerumque publicarum conversionibus obnoxia, alias Venetis, alias Hungaris paruit; & nulla civitas Dalmatiæ fuit, quam Veneti sæpius vel amiserint, vel recuperaverint. Demum sæculo decimo quinto ineunte Jaderam Veneti ab Ladislavo rege Neapolitano, qui Dalmatiam Sigismundo regi Hungariæ ademerat, centum millibus nummum argenteorum redemerunt: quæ civitas deinde stabili fide nomini & imperio Veneto in perpetuum adhæsit.

Pro Jadera vel retinenda vel recuperanda Veneti cum Hungaris iterum ac sæpius bella gesserunt.

Jaderæ positio, & descriptio.

In ea Dalmatiæ, seu veteris Liburniæ regione, quæ inter Jadertinum & Japidicum fretum interjacet, sita est Jadera, marique assidet, quo fere undique circumluitur; nisi quod brevi quodam isthmo & angusto, qua in solem orientem spectat, continenti annectitur. Enona, sive Nona distat in meridiem passuum millia circiter decem. Iter maritimum Pola Jaderam, cum Antoninus quadringentis & quinquaginta stadiis, Plinius centum & sexaginta milliariis definierint, hic longius produxit, ille brevius contraxit, quam urbis utriusque distantia postulat. Idem Antoninus Jaderam ab Salona centum milliarium interjectu disjunxit. Duplo majorem distantiam Plinius interposuit: *Salona Colonia ad Jaderam CCXXII. M. pass.* Relicta priori, reliquas notas arithmeticas detrahi oportet, quas librariis, quam Plinio libentius adscripserim. Jadera urbs & natura & situ, & descriptione ædificiorum & pulchritudine inprimis nobilis, mille passuum & quingentorum ambitu circumscribitur. Egregiis mœnibus & propugnaculis septa est, aliisque insuper operibus & munitionibus firmata. Urbi ab oriente arx adhæret, isthmo imposita, atque ad normam hodiernæ militaris architecturæ sollerter constructa, validissima ad quaslibet hostiles ab continenti aggressiones vel sustinendas, vel repellendas. Portus ab septemtrione urbi subest, capacissimus navium & classium cujuslibet magnitudinis; ostium in orientem obvertit; binis propugnaculis instructus ad maritimos hostes aditu prohibendos, tutusque ab impetu ventorum australium ipsiusmet urbis interpositu; via aliorum ven-

ventorum, continentis, atque aggerum objectu infringitur. Palladius Fuscus lib. I. *de situ oræ Illyrici*, de positione, opulentia, portu, commercio, agro urbis Jaderæ hæc breviter scripsit. *Ab Nona stadiis circiter octoginta abest Jadera, urbs sane inter Illyricas clarissima, non solum quia Romana colonia fuit, verum etiam quod tam Græcorum, quam Latinorum monumentis celebrata est. Est autem in quadam Liburniæ cervice in occiduas solis partes procurrenti sita .... a tribus lateribus mari cingitur, nec ulla hodie inter Illyricas urbes existit, quæ a nautis, & maritimis negotiatoribus ultro citroque commeantibus magis frequentetur, vel quod appellere volentibus in opportunissimo loco posita est, portumque pulcherrimum atque tutissimum habet, vel potius quia quovis tempore res usui necessaria ibi venales existunt. Verum ejus ager ante Turcarum incursiones frequens erat, & adeo hominibus abundabat, quod illa civitas sine ullis externis auxiliis decem triremes armare poterat, & sæpe armavit.*

Ædificia, & magistratus.

Jadera plurimis ædificiis referta est tum publicis, tum privatis. Est palatium sane amplum & magnificum, in quo diversari solet Provisor generalis totius Dalmatiæ, insignibus propemodum regiis utens, summa rerum omnium potestate præditus, eo comitatu septus sive aulico, sive militari, qui veterem regni Dalmatiæ speciem & majestatem repræsentat. Sunt ædes prætoriæ, sunt etiam præfectitiæ, & nobiles, & ornatæ; in his habitat Præfectus, quem *Capitaneum magnum*, in illis Prætor, quem *Comitem* vocant; uterque ex patricia Veneta nobilitate; alter rem civilem, alter rem militarem administrat. His adde Præfectum arcis, Venetum itidem patricium, qui etiam quæstoris munere fungitur, ærario publico præpositus. Est forum, est curia, ubi controversiæ disceptantur, jus civibus redditur, de rebus communibus consulitur, & comitia ad creandos urbanos magistratus habentur. Tres sunt ordines civitatis, nobilium, mercatorum, artificum. Consilium publicum ex viris nobilibus constat; e quibus tertio quoque mense Consiliarii quatuor deliguntur, qui Rectoribus civitatis assideant, atque adjumento sint ad rem publicam bene gerendam. Sunt plures in urbe magistratus variis muneribus præpositi, quorum alii viris patriciis, alii civibus inferioris ordinis mandari solent. Habent Jadertini leges sapientissimas, quarum descriptione optimus civitatis status continetur; aliæ ad rem sacram & cultum divinum, aliæ ad rem civilem, militarem, forensem, agrariam, annonariam, itemque ad tributa, & mercimonia pertinent; quæ quidem leges imperantes honesta atque utilia, prohibentesque contraria, quidquid in omni bene morata & constituta civitate ad commune & privatum commodum desiderari potest, distribute atque ordine persequuntur, & declarant. Hæ omnes in unum codicem collectæ, & Senatus Veneti auctoritate comprobatæ, vocantur *Statutum Jadrense*.

Civium Jadrensium elogium.

Jadertini ad omnem honestatem atque humanitatem natura ipsa facti esse videntur. Ea quippe sunt indole præditi, ut quamvis nullo ductore & magistro admonente, per se ipsi rationem ducem facile sequantur. Comes sunt, perurbani, officiosique tum inter se, tum etiam erga hospites atque advenas, quos sibi benevolentia & obsequio devinciunt, ac de omnibus bene mereri student. Commode ac bene habitant, & domos habent, pro cujusque conditione ac dignitate, satis amplas & ornatas, & copiosa cujusque generis supellectili lautaque instructas. Munditiem amant in victu, elegantiam in cultu corporis, utramque cum laudabili parsimonia conjunctam; sed cum res ac tempus postulat, in sollemnioribus conviviis, in publicis functionibus & spectaculis, apparatum, pompam, magnificentiam desiderari non patiuntur. Villas habent, in insulis præsertim perpulchre descriptas, æque amœnas & fructuosas; ad quas statis anni temporibus, tum rusticandi gratia, tum rei agrariæ & pecuariæ inspiciundæ curandæque caussa itare solent; ibique summa cum animi oblectatione, & rerum suarum emolumento commorantur. Ut paucis omnia complectar, nulla fortasse civitas est Dalmatiæ, quæ indole, lingua, moribus, victus cultusque lautitia, ædificiorum descriptione, urbanitate officiorum, omnique vitæ civilis consuetudine, ad civitates Italiæ vel cultissimas propius accedat; ut quicumque apud Jadertinos diversatus, in ipsa media Italia versari se credat. Sunt Jadertini præstantissimo ingenio, acuto & perspicaci; nullumque est genus doctrinæ tam sublimis & reconditæ, quam assequi, in eaque excellere nequeant, si studium ac diligentiam vel mediocrem adhibeant. Sunt singulari in agendo industria præditi, atque ad difficillima quæque negotia expedienda, resque publicas & privatas curandas quam aptissimi. Sunt etiam indole militari; atque ad pugnam, tum animi tum corporis viribus in primis valent, & studio gloriæ bellicæ maxime ducuntur. Quare plurimi sane ex hac urbe extiterunt illustres viri, alii præclara eruditione atque doctrina ornati, alii magna prudentia & eximia rerum gerendarum scientia excellentes, alii denique rei militaris periti, bellicis præfecturis & laudibus insignes.

Territorii Jadrensis amœnitas & fecunditas.

Territorium Jadrense partim ex continenti, partim ex insulis constat; & *Comitatus Jaderæ* appellatur. In continente longius, quam latius protenditur; quippe cum pars superior in septemtrionem spectans ad territorium Nonense pertineat. Regio in primis amœna est; cæli admodum jucunda salubrique temperie fruitur; partim in colles molliter assurgit, felix præpinguibus glebis, & riguo solo, segetum omnigenarum feraci; castellis porro, pagis, villisque ita referta est, ut vix alia Dalmatiæ regio sit vicis, domiciliis, incolis frequentior. Quatuor sunt loca præcipua, quæ Jadertinorum jurisdictioni subsunt. Zemonicum oppidum non ignobile, duum ferme ab Jadera horarum itinere, scrupeo celsoque loco incumbens; *qui cingitur*, ut docet Typographus *Magni Regni Hungariæ*, *muro veteri quidem, sed robusto, quem angulis de more adnexa propugnacula, & ex his alterum, quod septemtrionem respicit, ad recentioris artis leges conformatum, stabiliunt*. Nadinum sex circiter a Zemonico milliaribus distans, de quo idem Typographus: *Nadinum oppidum, quondam a Gothis eversum, deinde a Venetis in gratiam Jadertinorum fortalitii haud contemnendi forma donatum, haud procul ab Auranensi Euripo in edito consistit, unde in subjecta undique loca patet prospectus. Statio hæc bis a Turcis capta, toties a Venetis recepta legitur; postremo autem sub anno 1684. ab igne, quem Turcæ sponte digressi applicuerant, adeo fœdata est, ut eam-*

Oppida primaria.

Digitized by Google

eamdem a Veneta Republica redintegrari, ac munitionibus instrui oportuerit. Aurana infra Nadinum ad meridiem, ad lacum cognominem sita, olim castellum, & nobilis statio fuit Equitum militiæ templi, locus peramœnus, & domiciliis non ita multis habitatus. Jadera vetus, oppidulum parvum ad mare adjacens, ubi olim *Blandona*, quam Auctor Itinerarii Antoniani viginti millia passuum ab Jadera disjunxit, postea *Belgradum* sive *Alba Maris*, quam Chrobati ædificarunt, Veneti sæculo duodecimo everterunt; ejusque adhuc rudera & vestigia visuntur. Nunc oppidum est exiguum, & infrequens, quod Jadera vetus appellatur. Id vocabuli unde acceperit, explicatum est Tomo II. Illyr. Sac. pag. 321. & 322.

Insulæ territorii Jadrensis præcipuæ.

Comitatus Jadrensis insulæ plurimæ numero sunt, pleræque circuitu exiguæ; tres ceteris magnitudine præstant; Ullianum & Pasmania modico spatio inter se disjunctæ, Jadertino freto adjacent; tertia ab utraque passuum millia fere septem in meridiem distat, omnium maxima, quæ in longitudinem ab occasu in ortum ad triginta milliaria porrigitur. *Magnam*, aut *Longam* vulgo appellant; & *Sale* etiam vocari solet ab oppido ejusdem nominis, ac totius insulæ principe, quod situm est in angulo extremo, ad orientem & meridiem converso. His aliæ minores circumfusæ propemodum innumerabiles, quarum plerasque scopulos verius dixerim. Prima omnium ab occidente est *Melada* in sinu Flanatico, quam Porphyrogenitus *Meletum*, Anonymus Ravennas Geographus *Malatam* vocant; postrema omnium ab oriente Vergada, quam Porphyrogenitus, Lucio interprete, *Lumbricatum* appellat; a Pasmania brevi euripo interfluo discreta, & familiis focisque admodum paucis habitata. Ceteras intermedias nulla re memorabiles nominare necesse non est. Uberrimis & optimis pascuis ad greges alendos fere omnes abundant. Pleræque vinum etiam, triticum, oleum, & cujusque generis fruges & fructus ferunt. Mare circumfusum piscium apprime ferax, copiosos e piscatu questus insularibus suppeditat. Jadertini suas villas & possessiones habent non solum in continenti, sed etiam in insulis; utrinque magnos proventus percipiunt. His accedit commercium maritimum multiplex, & valde quæstuosum, ex quo civitas & familiæ privatæ plurimum ditescunt. Ita & mare, & terra, & insulæ, omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam & copiam Jadertinis contribuunt.

Aliæ longe plures, sed exiguæ.

Initia Christianæ religionis apud Jadrenses temporibus apostolicis æqualia.

Christianæ religionis ab Jadertinis susceptæ primordia inde usque a temporibus apostolicis repetenda esse certius videtur, quam ut in dubium revocari possit. Cum Titus, Hermes, Domnius, a principibus Apostolorum Petro & Paullo in Dalmatiam missi, Evangelii lumen illis gentibus intulerint, & Christi cultum in ea regione & finitimis locis longe lateque propagaverint; credibile non est neglectos ab illis fuisse & prætermissos Jadertinos, quorum civitas secundum Salonam, incolarum numero, divitiarum copia, celebritate nominis ac famæ, inter ceteras Dalmatiæ urbes longe præstabat. Nec vero absimile est primum illis Episcopum datum fuisse ab ipso B. Domnio, qui suam sedem pontificiam, totius provinciæ principem Salonæ constituerat.

Priores Episcopi præter Sanctum Felicem ignoti.

Ceterum Jadrensis Episcopatus initia nobis incognita sunt; neque ullum Jaderæ Antistitem nominatim proferre possumus ante S. Felicem, qui sæculo quarto ad exitum vergente Ecclesiam Jadertinam administravit. Post Felicem usque ad sæculum undecimum Episcopos non amplius septem antiqua monumenta suppeditant, longe pauciores, quam ut seriem pontificalem sexcentorum annorum explere possint. Tantam nominum & actorum episcopalium stragem multiplex communium rerum conversio, crebra urbis oppugnatio & direptio, veterum tabularum incensio, vetustas demum atque edacitas temporum fecit. Quæ igitur caussa & calamitas posteriorum, eadem superiorum ante Felicem Antistitum notitiam posteritati præripuit.

Sæculo 12. Ecclesia Jadrensis jure metropolitico donata.

Ab sæculo undecimo continuatio serierque Episcoporum & Archiepiscoporum Jadrensium, fideli litterarum custodiæ commissa, ac nullis fere lacunis interrupta, ad nostram ætatem pervenit. Sæculo duodecimo Eugenius III. Episcopum Jadrensem jure ac titulo metropolitico donavit, tribus eidem ecclesiis Absorensi, Veglensi, Arbensi contributis; quas metropoli ac provinciæ Spalatensi detraxit.

Vetus Capitulum.

Nihilo certiora sunt initia Capituli Jadrensis. Principio, ut ceteris ecclesiis cathedralibus, sic etiam Jadertinæ suum erat collegium e presbyteris & diaconis constans, qui cum clericis ordinum inferiorum nocturnæ ac diurnæ psalmodiæ operam dabant, quorumque consilio atque opera Episcopus ad regendam suam parœciam utebatur. *Is erat Senatus*, ut docet Ludovicus Thomasinus, *id Episcopi Consilium*. Parochis omnibus clericisque urbanis pariter ac ruralibus dignitate & imperio præerat; & mortuo Episcopo vel absente, universæ diœceseos regimen suscipiebat. Hæc congregatio e presbyteris & diaconis conflata, in quam deinde in aliquibus ecclesiis recepti sunt etiam subdiaconi, postquam scilicet hic ordo inter sacros annumerari, & lege castitatis obstringi cœpit, nunc *Capitulum* dicitur; & in eam qui cooptati sunt *Canonici* vocantur. Habebant Jadertini Canonici ædes communes prope palatium episcopale; quæ quidem ædes fortuito incendio conflagrarunt, nec postea restitutæ sunt; sed area universa, quam occupabant, ad hortos archiepiscopales amplificandos accessit. Suus erat Capitulo Jadrensi Archidiaconus, dignitate, & auctoritate princeps omnium Canonicorum; sed hujus mentionem sæculo undecimo antiquiorem nullam invenio. Anno autem 1091. *Majus Archidiaconus fideliter scripsit* sententiam Andreæ Episcopi Jadrensis, quam tulerat secundum Vekenegam antistitam cœnobii Mariani Jadrensis.

Capitulum Jadrense a Petro de Matafaris Archiepiscopo restitutum, auctum, reformatum.

Sunt qui existimant collegium Canonicorum Jadrensium institutum fuisse a Petro de Matafaris Archiepiscopo, qui sæculo decimo quarto Jadertinam provinciam administrabat. Sed potius ab eo restitutum, sive auctum, atque ad veteris disciplinæ & juris canonici normam reformatum esse dixerim. Jamdudum siquidem ob civiles discordias, & bellicos tumultus, reditusque mensæ capitularis alio distractos & amissos, prope dissolutum fuerat; & qui supererant ex ordine Canonicorum, cum presbyteris & clericis aliarum ecclesiarum permixti, nullo fere canonicæ societatis vinculo inter se colligati erant; ex quo fieri necesse fuit, ut cultus divinus in æde metropolitana magis magisque in dies obsolesceret; & pauci essent, qui statis horis chorum frequentarent, debitas Deo laudes persolverent, ac cetera publicæ religionis officia peragerent. Suum tamen titulum retinebant Archi-

Digitized by Google

chidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, quibuscum conjuncti parochi & primores quinque ecclesiarum collegialium, quæ tum in urbe erant, totius cleri Jadrensis principatum gerebant. Itaque Petrus effecit, ut rursus in Capituli unius corpus coalescerent, eosque in antiquum statum & pristinam formam ac dignitatem restituit. Canonicos omnino duodecim esse voluit, hisque, ut antea, & loco & dignitate antecedere Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium. Hanc novam descriptionem Capituli, itemque totius cleri metropolis Jadertinæ integram habes in actis ejusdem Petri Archiepiscopi. Ad Capitulum Jadrense ex antiqua ecclesiæ disciplina pertinebat jus eligendi Episcopos & Canonicos, ne illis quidem tribus exceptis, qui loci ac dignitatis primatum tenent. Duplicis etiam sigilli capitularis privilegio ex regum concessione gaudebat; alterum erat rotundæ, quo ecclesiasticæ, alterum ovalis figuræ, quo civiles publicæ privatæque tabulæ obsignari solebant. Utrumque Capitulo non honorificum modo, sed etiam quæstuosum erat. Nam in omnibus ferme rebus publicis, privatis, forensibus, domesticis contrahendis, ut rerum contractarum fides & auctoritas constaret, opus erat signi capitularis impressione; pro qua aliquid pecuniæ ab iis, quorum intererat, persolvi debebat. Itaque uni de Capitulo sigilli utriusque custodia committi solebat, cum potestate quælibet acta obsignandi, quem vocabant Custodem sigilli; lucri vero inde percepti partem ipsemet custos sibi vindicabat, partem Canonici inter se dividebant.

Privilegium sigilli Capitulo Jadrensi concessum.

Antiqua ædes cathedralis primum titulo ac patrocinio suberat S. Petri principis Apostolorum, in cujus honorem consecrata fuerat; sed sæculo nono post corpus S. Anastasiæ martyris illuc invectum, & Constantinopoli translatum, ab S. Anastasia vulgo cognominari cœpit: qui titulus Anastasianus una cum ejusdem martyris corpore in ædem novam migravit. Hanc jampridem inchoatam, sæculo decimo tertio absolvit, & ritu sollemni consecravit Laurentius Periander Archiepiscopus Jadrensis. Ibidem loci, ubi vetus fuerat, nova constructa est, sed longe augustior & magnificentior, de qua in eodem Periandro Archiepiscopo. Huic proxime adjacet palatium archiepiscopale, opere sumptuque magnifico exstructum, quod magnitudine ambitus, descriptione partium, elegantia structuræ, ceteras Antistitum Dalmatiæ ædes pontificias longe multumque superat.

Ædes cathedralis vetus titulum S. Petri cum titulo S. Anastasiæ commutavit.

Sex erant in urbe ecclesiæ, quas vocant collegiatas, sive collegiales, *S. Salvatoris*, *S. Antonii*, *S. Petri veteris in foro parvo*, *S. Petri novi in foro maximo*, *S. Michaelis*, *S. Stephani*, nunc *S. Simeonis Prophetæ*, *& S. Mariæ Majoris*. Quinque prioribus sublatis, quarum proventus Petrus Archiepiscopus partim episcopali, partim capitulari mensæ attribuit, postremam S. Mariæ idem Archiepiscopus intactam reliquit. Sed hæc, cum Veneti ædem Mariænam diruissent, ut novis operibus munitionibusque urbem ab ea parte firmarent, translata fuit ad templum S. Stephani, sive S. Simeonis Prophetæ, quæ etiamnum viget, constatque quatuor presbyteris, tribus diaconis, totidemque subdiaconis & acolythis, qui divinæ psalmodiæ ac liturgiæ quotidianam operam navant. Unus his omnibus præest, Plebani titulo ac dignitate præditus.

Collegialis ecclesia S. Simeonis Prophetæ.

Inter cetera urbis templa illud singulari commemoratione dignum est, quod sæculo nono ad latus sinistrum ædis cathedralis S. Donatus Episcopus extruxit, & Sacrosanctæ Trinitati dedicavit. Opus plane eximium figuræ orbicularis. Nunc ab S. Donato titulum habet, cujus corpus ibidem asservatur. Multa sunt in civitate pia sodalitia, multa in omnibus vicis templa & sacella, ex quorum multitudine ornatuque religio & pietas Jadrensium maxime elucet. Nec desunt vel ad curandos ægrotos, ac præsertim milites Nosocomia; nec Mons pietatis ad inopum & egentium necessitati consulendum. Cœnobia ac cœtus hominum vel mulierum, vitæ religiosæ vinculo, & monasticæ disciplinæ jure sociati sunt novem omnino. Antiquitate ac dignitate omnibus antecedit monasterium Benedictinum S. Chrysogoni martyris, cum insigni basilica, in qua hujus sanctissimi martyris corpus conditum ferunt. Cœnobium Franciscanum rigidioris observantiæ inde usque ab hujus ordinis primordio ædificatum fuit, & cum templo eidem adjuncto a S. Francisco nunc cognominatur. Suum itidem in urbe domicilium habent Patres tertii Ordinis Franciscani, quibus ædes S. Joannis, nunc S. Silvestri attributa fuit. Erat vetustissimum templum S. Platonis Monachi, qui pro cultu sacrarum imaginum contra Iconomachos egregie decertavit. Hoc sæculo decimo tertio magnificentius auctum ac restitutum, una cum monasterio ibidem a fundamentis exstructo, Patribus Dominicanis Jadertini tradiderunt; exinde ab S. Dominico titulum accepit. Duo sunt collegia sacrarum Virginum Ordinis Benedictini, unum S. Mariæ, quod Cresimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ sæculo undecimo fundavit, & optimis vectigalibus instruxit, ut Cichæ sororis suæ pio desiderio obsequeretur, quæ sumpto habitu monachali, prima ejusdem Antistita fuit; alterum S. Catharinæ, quod anno 1391. Petrus de Matafaris Archiepiscopus condidit, dotatum ex bonis sane copiosis, quæ huic cœnobio instituendo Franciscus Chrysogonus testamento legavit. Duo præterea antiquitus erant collegia virginum ejusdem Ordinis Benedictini, unum videlicet S. Nicolai, alterum S. Demetrii. Utrumque pristinum institutum commutavit; & primum quidem virgines sub regula S. Claræ, secundum virgines sub regula S. Dominici recepit. His quintum accessit virginum Nonensium, quæ bello Cyprio fervente cum ob metum Turcarum Jaderam translatæ fuissent, eisdem attributum est domicilium & templum S. Petri veteris, quod deinde ab S. Marcella cognominari cœpit, cujus corpus Nona translatum ibidem servatur & colitur.

Templum insigne S. Donati Ep. Jadren.

Cœnobia utriusque sexus.

Nec prætereunda est ædes S. Eliæ Prophetæ, quam frequentant & colunt advenæ ritus Græci, patriis sedibus vel a Turcis ejecti, vel sponte relictis, atque Jaderam permissu Senatus Veneti sub ea conditione recepti, ut, sanctissimis Ecclesiæ orientalis ritibus & cærimoniis retentis, vinculo catholicæ fidei, sinceræque obedientiæ conjuncti essent cum Ecclesia Romana, & Archiepiscopo Jadertino subjecti. Extat etiam Seminarium archiepiscopale, quod sæculo superiori Bernardus Florius Archiepiscopus e præscripto & norma Concilii Tridentini ad clericos bonis litteris ac moribus imbuentes instituit. Huic Vincentius Zmajavichius Archiepiscopus alterum adjecit Illyricis clericis erudiendis.

Ædes S. Eliæ & Seminarium archiepiscopale.

Ecclesia & civitas Jadrensis plurimis & insigni-

gni-

Digitized by Google

Divorum reliquiæ, quas ecclesia & civitas Jadrensis veneratur.

gnibus Divorum reliquiis referta est, quas antiqua & eximia religione veneratur, quarumque præsidio tum publica, tum privata salus & felicitas nititur. Harum catalogum ad nos transmissum, si huic loco intexerem, facturus operæ pretium mihi videor.

„ *In Basilica Metropolitana.*

„ Ossa & cineres S. Anastasiæ martyris. Conduntur in arca marmorea, ejusdem aræ inserta.

„ Corpora Sanctarum virginum & martyrum Irenes, Agapes, & Chioniæ, loculo itidem marmoreo inclusa, subter altare maximum.

„ *In Sanctuario ejusdem basilicæ.*

„ Ossa S. Zoili confessoris in arca cypressina picta & inaurata, cui inscriptum est: *Ossa S. Zoili confessoris.*

„ Maxilla inferior S. Anastasiæ in ejusdem simulacro argenteo.

„ Cranium S. Sixti martyris in ejusdem itidem simulacro argenteo.

„ Caput integrum S. Leonardi in theca argentea.

„ Ex capite S. Mariæ Magdalenæ, quod inclusum est in capite argenteo cum hac epigraphe.

„ *Ne desperetis vos, qui peccare soletis,*
„ *Exemploque meo vos reparate Deo.*

„ Pars capitis S. Marthæ virginis itidem in capite argenteo.

„ Caput S. Jacobi martyris in theca argentea, cui hæc epigraphe insculpta est: *Ego Bosna jussi fieri hanc capsam in honorem S. Jacobi martyris ob remedium animæ viri mei, & animæ meæ.*

„ Caput S. Orontii martyris in capsula argentea.

„ Pars capitis S. Georgii in capite argenteo.

„ Humerus S. Marci Evangelistæ in theca argentea.

„ Brachium S. Donati Episcopi Jadrensis; cui condendo elaboratum fuit brachium ex auro solido & purissimo, pretiosis margaritis & gemmis ornatum, eique hæc inscriptio incisa: *Rex Colomane Rector Amandavia hoc bene fecisti, retribuit tibi quod voluisti.*

„ Alterum ejusdem brachium in altero itidem argenteo brachio, cum hac epigraphe: *Brachium S. Donati Episcopi.*

„ Articulus ex digito S. Joannis Baptistæ in brachio argenteo inclusus.

Brachium S. Euphemiæ in aurea theca ad similitudinem brachii conformata, plurimis ibidem margaritis intexta, & inscripta his litteris: *Præstantius cum uxore sua Dobra fieri fecit.*

„ Pars brachii S. Zoili confessoris in vase cryſtallino, laminis argenteis instructo.

„ Brachium S. Sixti in brachio argenteo; item in altero brachio argenteo brachium S. Isidori Episcopi, quod *Chaica uxor Demetrii fieri fecit*, ut ibidem inscriptum est.

„ Pars cranii S. Ursulæ in theca cryſtallina variis argenteis ornamentis distincta.

„ Reliquiæ Sanctorum Innocentium, & Marthæ in pyxide cryſtallina.

„ Spina ex corona Christi Domini, & fragmentum spongiæ eidem ad potandum acetum adhibitæ, in theca cryſtallina, quatuor ex argento draconibus innixa.

„ Tres digiti S. Donati in totidem thecis argenteis.

„ Pes uterque S. Chrysogoni in duabus thecis ex argento, ad pedis similitudinem confectis.

„ Ossa S. Donati in arcula lignea, argenteis laminis undique obtecta; cui titulus inscriptus: *Hoc opus factum fuit tempore nobilium virorum Viti Gandali, Ulcinæ de Martinusiis, & Pauli de Gallelis Anno Domini 1326.*

„ Reliquiæ S. Martini in tabula quadrata oblonga ex solido argento, & his litteris incisa: *Paulus Martinus, & Mladenus Croatiæ præsides S. C. P. fieri jusserunt; Donatus vero Brittanicus, & Candidus, & Grisogonus Nassius, procuratores fabricæ, vetustate deformatam de Robobelli Antistitis consensu in melius restituerunt anno 1496.*

„ Reliquiæ S. Danielis Prophetæ in tabulam argenteam insertæ, in qua cælatæ sunt effigies Sanctorum Petri & Paulli, itemque S. Danielis, & epigraphe incisa: *Paulus Banus Croatorum & totius Bosnæ Dominus me fecit ad honorem S. Petri, S. Pauli, & S. Danielis Prophetæ.*

„ Caput Virginis unius de sociis S. Ursulæ in capsa cupressina eleganti opere cælata.

„ Plures Divorum reliquiæ duabus crucibus argenteis infixæ.

„ Aliæ itidem multæ particulæ ex Divorum exuviis decerptæ in duabus arculis, altera argentea, altera eburnea.

„ Extat itidem tabula quadrata oblonga, quam circumcirca exornat corona ex ebeno & argento, mira arte facta, & plurimis Sanctorum reliquiis referta apte sciteque dispositis; inter quas principem locum obtinet fragmentum, ex ligno Sacrosanctæ Crucis.

„ *In Templo S. Donati proximo Basilicæ Cathedrali.*

„ Corpus ejusdem in arca marmorea cum hac inscriptione ibidem insculpta: *Ossa S. Donati Archiepiscopi.*

„ *In Æde S. Mariæ.*

„ Caput S. Gregorii Papæ in theca argentea.

„ Caput S. Quirini martyris in capite argenteo inaurato.

„ Ossa S. Andreæ Apostoli, & S. Marci Evangelistæ in theca argentea.

„ Fragmenta ex ossibus S. Anastasiæ, & S. Simeonis Prophetæ, itemque duo dentes, alter S. Mariæ Magdalenæ, alter S. Benedicti abbatis in theca cryſtallina laminis argenteis ornata.

„ Varia fragmenta ex capite S. Euphemiæ, ex ossibus S. Zoili confessoris, ex columna Christi Domini, ex ligno Sanctissimæ Crucis, ex indusio S. Agnetis, ex reliquiis S. Martini, suis quæque arculis inclusa, partim argenteis, partim cryſtallinis.

„ *In Æde S. Silvestri, nunc S. Crucis.*

„ Reliquiæ S. Fausti in capite argenteo.

„ Brachium S. Priami martyris in brachio argenteo.

„ Ex brachio S. Donati fragmentum in brachio argenteo.

„ Reliquiæ S. Marcellæ in vase ex cryſtallo & argento. In duobus vasis ejusdem operis ac materiæ

„ Reliquiæ S. Rogerii & S. Christophori.

„ Velum S. Barbaræ in vase argenteo & cryſtallino.

„ Ex lacte B. V. in vasculo argenteo.

„ *In Æde S. Chrysogoni.*

„ Reliquiæ S. Ursini martyris & costa S.

„ Lu-

Digitized by Google

„ Luciæ in capsa crystallina.

„ Lapis, in quo S. Chrysogonus caput gladio supposuit.

„ Corpus ejusdem S. Chrysogoni, sed locus ignotus, in quo conditus est.

„ *In Æde S. Rocchi.*

„ Caput S. Zoili confessoris in theca argentea.

„ *In Æde S. Marcellæ.*

„ Ex ossibus S. Casimiri, S. Adriani mart., S. Floriani mart., S. Agapiti mart., S. Felicis mart., itemque ex reliquiis S. Marcellæ virginis, S. Margaritæ virginis & mart., S. Petri martyris, Sanctorum Lucani & Theophanis martyrum, SS. Hermetis & Bonifacii martyrum fragmenta, in aliis atque aliis thecis partim crystallinis, partim argenteis.

„ *In Æde S. Catharinæ.*

„ Caput S. Justæ virginis & martyris, digitus S. Donati Episcopi, itemque S. Ambrosii Episcopi, & reliquiæ S. Catharinæ virg. & mart. in quatuor vasis argenteis.

„ *In Æde S. Demetrii.*

„ Reliquiæ S. Helenæ, & S. Demetrii in duabus thecis argenteis.

„ Reliquiæ S. Joannis Baptistæ, & aliorum Divorum insertæ cruci argenteæ.

„ *In Æde S. Nicolai.*

„ Plura fragmenta ex reliquiis S. Nicolai, & S. Claræ, ex ligno S. Crucis, ex columna Christi Domini, itemque brachium S. Bonifacii & manus S. Agapiti mart. quæ omnia inclusa sunt totidem thecis vel argenteis vel crystallinis. Crux itidem & tabella alias Divorum reliquias utrobique infixas exhibet.

„ *In Æde S. Simeonis Prophetæ.*

„ Corpus ejusdem integrum, & ab omni tabe intactum in arca ex argento solido, mira arte facta, & præclaris operibus cælata.

„ *In Æde S. Dominici.*

„ Digitus S. Dominici; duo frustula, alterum ex brachio S. Thomæ Aquinatis, alterum ex brachio S. Andreæ Apostoli; pes S. Helenæ, S. Constantini, particula ex ligno S. Crucis, in quinis thecis ex argento & crystallo.

Descriptio diœcesis Jadrensis. Diœcesis Jadrensis varios pro temporum varietate fines habuit; ac principio quidem amplissimos, cùm pauci essent in Dalmatia Episcopi. Post Nonensem & Belgradensem Episcopatus institutos, terminis admodum exiguis continebatur, ut docet Thomas Archidiaconus cap. xv. Hist. Salon. *Jadrensis Episcopatus non magnam habuit parochiam, propter vicinitatem Nonensis & Belgradensis Episcopatuum*. Nunc vero his regionibus circumscribitur. Ab occasu & septentrione Nonensi, ab orienti Scardonensi diœcesi terminatur. A meridie vero oram, quam fretum Jadertinum præterfluit, in longitudine millia passuum circiter triginta productum, & omnes ex adverso insulas, cum postremis ad occasum insulis sinus Flanatici, itemque partem insulæ Pagi, qua spectat in orientem, complectitur.

Oppida & insulæ. In continenti oppida præcipua diœcesis Jadertinæ eadem sunt, quæ supra diximus territorii Jadrensis finibus includi, videlicet Zemonicum, Nadinum, Aurana, Jadera vetus. Prima ab occasu insula in sinu Flanatico ad diœcesim Jadertinam pertinens est Mesada; in qua olim erat cœnobium monachorum, Ordinis Benedictini, cujus Abbas anno 1247. traditur in monumentis Traguriensibus quosdam libros vendidisse Gervasio Subdiacono & Dessæ Kafarizzæ procuratoribus ædis Laurentianæ Traguriensis. Pagus, olim Gissa, insula ejusdem sinus Flanatici bipartito divisa est; qua spectat in occasum Arbensi, qua vergit ad solem orientem, olim Nonensi, nunc Jadertino Antistiti subest. Primarium insulæ oppidum ad septemtrionem contra litus Japidicum, cui itidem Pago nomen est, ad jurisdictionem Ecclesiæ Jadrensis pertinet. In eo insigne est collegium ex duodecim Canonicis constans, quibus Archipresbyter præest, cui etiam commissa est procuratio animarum; huic Blasius Archiepiscopus Primicerium adjunxit, qui locum honoris ac dignitatis Archipresbytero proximum tenet. De possessione hujus insulæ atque urbis magnæ contentiones Jadertinis fuere non solum cum Arbensibus, sed etiam cum ipsis Pagensibus, qui ex jurisdictione Antistitis Jadertini se subtrahere, & proprium sibi Episcopum constituere nitebantur. In oppido duo sunt cœnobia, alterum S. Antonii, quod Patres Dominicani, alterum S. Francisci, quod Patres Franciscani, quos vocant Conventuales, obtinent; itemque collegium est satis frequens virginum Ordinis Benedictini, quod a S. Margarita cognominatur. Nobilis olim erat apud Ullianum insulam, atque opulenta S. Benedicti Abbatia, collem S. Michaelis insidens, quam Pius V. Abbati commendatario ademptam cum ejus reditibus attribuit Patribus Dominicanis Jadertinis. In eadem insula cœnobium est Franciscanum severioris disciplinæ ab S. Hieronymo cognominatum. Ulliano scopulus adjacet situs in freto Jadertino, ubi parvum monasterium, quod a Patribus Franciscanis tertii ordinis incolitur. Sed iidem Patres cœnobium paullo majus & numerosius possident in Insula magna sive longa apud Zaglavem, vicum ejusdem insulæ, quod a Gregorio Marganio Bosnensi, homine æque pio ac divite, post Bosinam a Turcis captam anno 1470. ædificatum ac dotatum ferunt. In extremo insulæ Pasmaniæ ad orientem angulo est perantiquum monasterium SS. Cosmæ & Damiani, cui nunc Abbas commendatarius præpositus est, habitaturque a paucis monachis instituti Benedictini, qui ab ceteris ejusdem ordinis congregationibus sejuncti, suique sunt juris, atque ad psalmodiam & liturgiam peragendam lingua Slavonica utuntur. Ibidem in oppido primario & cognomine ipsius insulæ extat non ignobile cœnobium Patrum e Franciscana familia, quibus ab observantia cognomen est. Vergada postrema est orientem versus insula diœcesis Jadertinæ. Præter parœciam urbanam S. Eliæ, duæ sunt in diœcesi parœciæ ritus Græci, sive Serbliani; altera S. Michaelis in Pago, cui nomen est *Miragne*, huic subsunt villæ omnino decem; altera est S. Georgii in Vico, cui nomen est *Smovichio*, & sex ipsas villas complectitur. Nunc explicanda est series Episcoporum & Archiepiscoporum Jadrensium. Episcopi & Archiep. Jadrenses recensentur.

Episcopi Jadrenses.

I. S. Felix Episc. an. 380.
Lacuna annorum 140.
II. Andreas an. 530.
III. Sabinianus an. 590.
Lacuna ann. 200.
IV. S. Donatus an. cir. 800.
V. Vitalis an. circ. 870.
VI. Firminus an. 911.
VII. Basilius an. 969.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Anastasius an. 978.
IX. Præstantius an. 1018.
X. Andreas II. an. 1029.
XI. Petrus an. 1044.
XII. Andreas III. an. 1056.
XIII. Stephanus an. cir. 1060.
XIV. Andreas IV. an. 1072.
XV. Stephanus II. an. 1073.
XVI. Andreas V. an. circ. 1090.
XVII. Gregorius an. 1101.
XVIII. Marcus an. 1111.
XIX. Micha an. 1124.
XX. Petrus II. an. 1138.
XXI. Lampridius an. 1141.

Archiepiscopi Jadrenses.

I. Lampridius idem Archiep. an. 1146.
II. Thebaldus an. 1180.
III. Damianus electus an. 1183.
IV. Petrus el. an. 1187.
V. Nicolaus el. an. 1198.
VI. Leonardus an. 1208.
VII. Joannes an. 1218.
VIII. Thomas el. an. 1238.
IX. Dominicus an. 1238.
X. Laurentius an. 1247.
XI. Andreas el. an. 1287.
XII. Joannes II. an. 1291.
XIII. Henricus an. 1297.
XIV. Jacobus an. 1300.
XV. Alexander an. 1312.
XVI. Nicolaus II. an. 1314.
XVII. Joannes III. an. 1320.
XVIII. Nicolaus III. an. 1333.
XIX. Dominicus II. an. 1367.
XX. Petrus II. an. 1376.
XXI. Joannes IV. el. an. 1398.
XXII. Lucas an. 1400.
XXIII. Blasius an. 1420.
XXIV. Laurentius II. an. 1428.
XXV. Polydorus an. 1449.
XXVI. Maphæus an. 1450.
XXVII. Joannes V. an. 1496.
XXVIII. Alexander II. an. 1503.
XXIX. Joannes VI. an. 1504.
XXX. Franciscus an. 1505.
XXXI. Ægidius an. 1530.
XXXII. Cornelius an. 1533.
XXXIII. Aloysius an. 1554.
XXXIV. Mutius an. 1555.
Aloysius iterum an. 1566.
XXXV. Andreas II. an. 1567.
XXXVI. Natalis an. 1577.
XXXVII. M. Antonius an. 1582.
XXXVIII. Aloysius II. an. 1592.
XXXIX. Aloysius III. an. 1592.
XL. Minutius an. 1596.
XLI. Victor an. 1604.
XLII. Lucas II. an. 1615.
XLIII. Octavianus an. 1624.
XLIV. Benedictus an. 1639.
XLV. Bernardus an. 1642.
XLVI. Theodorus an. 1656.
XLVII. Evangelista an. 1669.
XLVIII. Victorius an. 1688.
XLIX. Vincentius an. 1713.
L. Matthæus an. 1746.

Post historiam Ecclesiæ Jadertinæ absolutam, atque ad prælum paratam, mihi allatus est Jadera Commentarius rerum ecclesiasticarum Jadrensium, quem confecit Valerius de Ponte Archidiaconus ejusdem ecclesiæ, vir doctissimus, & Dalmaticæ antiquitatis diligentissimus investigator. Hunc nobis curavit, & Patavium transmisit Antonius Daniel Thomasonus, vir excellenti ingenio, præclara doctrina & eruditione, singularique humanitate præditus, cujus erga me, itemque Jacobi ejus parentis viri clariss. & medici præstantissimi merita tanta sunt, ut nullam eorum partem, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possim. Auctor hujus Commentarii non solum ea confirmat, quæ a nobis jam sunt exposita; sed de structura & magnificentia ædis cathedralis, de antiquitate & institutione, seu potius restitutione, & privilegiis Capituli Jadrensis, de templis ac monasteriis tum urbis, tum diœcesis, eorumque conditoribus plura, quam nos, & accuratius persecutus est. Quare facturum me operæ pretium censui, si ad nostrum Commentarium historiæ Jadrensis Ecclesiæ præpositum, hunc quoque supplementi caussa adjungerem. Brevem catalogum Antistitum Jaderæ, quem Valerius suo Commentario subjecit, quemque antea jamdudum nactus fueram, prætermittendum putavi, cum nihil afferat, quod in describendis Episcoporum actis nostram notitiam & descriptionem effugerit. Sæpe tamen ex hoc catalogo Valerium testem a nobis citatum invenies.

Rerum ecclesiasticarum Jadrensium Commentarius Valerii de Ponte.

Rerum Ecclesiasticarum Jadrensium

COMMENTARIUS

AUCTORE VALERIO DE PONTE

Archidiacono Jadertino.

„ JAdra seu Jadera urbs est Illyrici antiquissima Græcis & Latinis Scriptoribus satis nota, „ a Porphyrogenito Diodora dicta, Dalmatiæ „ princeps, olim Romanorum Colonia, nunc post „ varias dominationum vicissitudines in ditione „ Venetorum posita. Quæ de ejus origine ab „ imperitis dictitantur commentitia sunt. Sita est „ in lingua quadam veluti peninsula, quæ ma- „ ri Adriatico circumquaque alluitur, ac du- „ plici fossa a continenti dirimitur, aggeribus „ munitissima, ac in exteriori fronte latissima „ arce ac latenti anteride protecta stat firmissi- „ mo reipublicæ christianæ propugnaculum ad- „ versus Turcarum potentiam, quibus vix * qua- „ tuor milliaribus contermina est. Adjacet ab „ aquilone portus tutam præbens classibus sta- „ tionem, a meridie gemina serie insularum „ vallatur, quæ irruentem pelagum arcent; ab „ insulis ad continentem interjacet sinus non „ exiguus, ad partes orientis & ad omnem Ita- „ liæ oram frequens, & pervius. Mare etiam „ præ ceteris copiosum. Agrum * habebat olim „ latissimum ac amœnum, nunc Turcica tyran- „ nide alicubi fere ad littora coarctatum. So- „ lum omnigenis fructibus ferax congruum vi- „ tæ humanæ præbet alimentum. Quod si co- „ lonis industriis abundaret, uberioribus etiam „ regionibus vel ad delicias non invideret. As- „ siduum vel copiosum cum Turcis commer- „ cium, qui e remotis etiam provinciis Jade- „ ram veluti ad emporium confluunt. Cives „ pietate ac moribus Italicis satis imbuti Itali- „ co quoque more vestiuntur, lingua vero Ita- „ lica promiscue cum Slava utuntur, sed hæc

* Post bellum Peloponnesiacum longius distat,

* itemque ager Jadrensis latius patet,

„ vul-

„ vulgo & rusticis vernacula & usualis est. Reliqui agri incolæ fidei Christianæ tenacissimi, & infidelibus finitimi, armisque strenui, hostium impavidi, cultura non satis industrii, sed hospitio ita effusi, ut frugalitatem & parsimoniam inter dedecora ac probra numerent, quorum domus semper patent, nec notum ab ignoto distinguunt.

„ Ceterum ingenia, prout ceteris Dalmatis, versatilia & ad omnes artes ac scientias perdiscendas aptissima, ni educationis numero animorum cultus in provincia ex inopia deficerent. Testes viri Dalmatæ scholis Italicis exculti, qui haud impares se ostendunt aliarum nationum alumnis, litterarumque professoribus, quorum alii vel primarias dignitates adepti sunt, alii vero sua sorte contenti illas promeruisse gaudent.

„ Nec omittendum est nobile elogium ad portam continentis positum, ingenti sumptu, & Veneta magnificentia erectum, quod tale est:

„ *Cum urbem Dalmatiæ principem olim P. R. Coloniam Senatus Venetus munitam & ab omni hostium impetu tutam redderet, Marcus Antonius D. dus Comes, Michael Salamonus Præfectus Portam hanc summa cura construi curavere MDXXXXI.*

„ Jaderam vero fuisse Romanorum Coloniam testantur Plinius & Ptolemæus; eamque ante Augustum deductam & ab ipso restauratam testatur lapis e ruderibus veterum murorum erutus, & insitus parieti hortorum Capituli Nonæ, in regione portæ catenarum, cujus inscriptio sic se habet.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG.
PARENS COLONIAE MVRVM
ET TVRRIS DEDIT

T. IVLIVS. OPTATVS. TVRRIS. VETVSTATE.
CONSVMPTAS. INPENSA. SVA. RESTITVIT.

„ In calce ejusdem lapidis appositum est distichon docens quando exposita fuit, & talis est.

„ *Urbe hac Præfectus Sanuta ex prole Marinus*
„ *Me struxit tandem Veneto Dominante Senatu.*

„ Idem quoque indicat descriptio Acquæductus, quo Trajanus ex Titio flumine tractu 30. milliarium aquas copiosas Jaderam derivavit, quæ inscriptio est mutila in lapide detruncato; Jaderam fuisse Coloniam testatur sic.

IMP. NERVA. TRAIAN...
PONTIF. MAX. TR...
AQVEDVCTVM COLON...
IN. QVO. DANTE. IMPEN...
SACRATISSIMI. PRINCI...

„ Plurimi etiam lapides antiqui sepulcrales honorarii & votivi in eadem civitate reperiuntur ejus nobilitatem testantes, quos Joannes Lucius inter inscriptiones Dalmaticas a se collectas inseruit, & cum memoriis Tragurii edidit.

„ Hactenus rei Jadrensis geographica ac civilis facies: nunc ad ecclesiam, quæ nobis potior est, transeamus.

„ De Jadrensis Ecclesiæ origine nihil certi; nam quo tempore Jadræ civitas christianæ militiæ nomina dederit, ignotum est.

„ Attamen haud temere conjectarem, si in ipso nascentis Ecclesiæ exordio Christum induisse assererem. Etenim si Domnius Petri Apostoli discipulus Salonas Deo Christoque peperit, quomodo eum latere potuit Jadra nobilis Romanorum colonia, quin eam quoque Christi fide imbueret, & evangelicis præceptis erudiret.

„ Certiores fidei christianæ parentes incomperti. Quid enim barbarorum fœda colluvies, quæ sæpius Dalmatiam invasit ac funestavit, perdere ac obliterare non potuit?

„ Nihil mirum si cum regionis excidio rerum maxime ecclesiasticarum memoria quoque exciderit. Ceterum quæ barbaries non delevit, dominationum vicissitudo & incolarum incuria oblivione involvit.

„ Ecclesiam Jadrensem Episcopi a principio habuere. Neminem Felice antiquiorem reperio. Felix vero, Sabinianus, Donatus, & Vitalis longo annorum intervallo ita dissident, ut istos temporum hiatus implere seriemque Episcoporum deficientium colligere minime licuerit.

„ Reliqui ita se contingunt, ut fere neminem omissum suspicari possit.

„ Episcopos Jadrenses contumacia ad Archiepiscopatum evexit. Micha enim Episcopus, seu Michael, ipse Archiepiscopatus Spalatensis frustratus ac delusus, Metropolitanæ Spalatensi obedientiam primus detrectavit, novamque provinciam meditari ac sibi moliri cœpit, prout refert Thomas Archidiaconus Spalatensis cap. 19.

„ Tum Petrus ejus successor in eadem contumacia perseveravit. Lampridius tandem jura Metropolitæ ac pallii insignia a Sede Apostolica obtinuit. Ceterum Archiepiscopus post gravia Jadrensium reluctantium discrimina Gradensem Patriarcham Primatem suum agnoscere cogitur, de quo idem Lucius de regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 3. cap. 11. latissime agit, & Ughellus eodem Tom. 5. qui recitat bullas Pontificum Primatum Patriarchæ Gradensi deferentes.

„ Jadrensi Archiepiscopo tres suffragantur Episcopi, nempe Auxerensis, Veglensis, & Arbensis, qui ejus provinciam constituunt. Nam sicuti Venetis adnitentibus Archiepiscopus Jadrensis Sedis Apostolicæ gratiam ac pallium adeptus est, ita eorum quoque ope, præfati tres Episcopi civitatum, quæ Venetis tunc parebant, in illius provinciam redacti sunt; ceteris Dalmatiæ civitatibus juris Croatici existentibus Archiepiscopo Spalatensi remanentibus. Diœcesis Jadrensis patet in circuitu una cum insulis ad centum circiter millia passuum. Triginta sex habet parochias, tredecim in continenti, reliquas in insulis adjacentibus positas, quæ presbyteris idiomatis Illyrici per concursum conferuntur, quorum regimine Sacramenta populo administrantur ac religionis ratio edocetur. Privilegium celebrandi divina officia idiomate Illyrico, seu potius Slavo, concessum fuit a PP. Joanne VIII. Svetopulcro principi Moraviæ, ut refert Baronius ad annum 880. Tom. X. Annalium.

„ Ecclesiæ insularum, quæ jacturas belli minus sensere, cultiores existunt; quæ vero in continenti jacent, diuturni & sævissimi Turcarum belli calamitatibus pressæ, ac sæpius succensæ adhuc vestigia desolationis exhibent, quæ tamen pacis beneficio reparantur, ac pene ad pristinum cultum restitutæ reperiuntur,

Digitized by Google

„ tur, non obstante incolarum inopia ac recen-
„ tibus perpessis cladibus.

„ Ecclesia cathedralis in aedificium satis amplum consurgit, interius exteriusque solida „ & decora structura dispositum ac compactum. „ Opus quidem plurium annorum ac ingentis „ sumptus circa annum 1324. absolutum, ut „ constat ex inscriptione in superliminari portae „ majoris existenti, videlicet:

„ *Anno Domini MCCCXXIIII. tempore Joannis* „ *de Butovano D. G. Jadrensis Archiepiscopi.*

„ Licet aliquot ante annis, nempe anno 1285. „ consecratum fuerit a Laurentio Periandro Archiepiscopo, adsistentibus Spalatensi Archiepiscopo, ac reliquis utriusque provinciae Episcopis, uno Pharensi excepto, pro ut patet „ ex quibusdam litteris ejusdem Laurentii Episcopo Traguriensi eodem anno datis sub die „ secunda Junii, in quibus loquitur de insula „ Srimaz a Sibenicensibus occupata, quae litterae adhuc extant autenticae in archivio civitatis Sibenici.

„ Verum inspecto die quo aedem litterae datae fuerunt, plane dicendum est consecrationem ejusdem ecclesiae mense Maji fuisse celebratam: cur vero Ecclesia Jadrensis ejus „ anniversarium dedicationis officium die nona „ Junii recolat, probabiliter arbitrarer id contigisse, quia Archiepiscopus consecrator justa „ suadente causa, tunc usus fuerit facultate sibi „ a jure concessa commutandi diem anniversarium dedicationis, quem ad diem nonam „ transtulerit: sed vix cogitari potest causa tam „ remotae translationis; & quamvis non exprimatur certa dies qua datae fuerunt Archidiacono & Sibenicensibus litterae, quae in praedictis revocantur, nihilominus ex aliis scripturis, quibus usi sunt Sibenicenses coram Duce Venetiarum anno 1324. dum pro ejusdem „ insulis contendebant cum Jadrensibus, constat datas fuisse die vigesima octava Maji, „ & pridie celebratam fuisse consecrationem cathedralis Jadrae; quae scripturae asservantur in „ eodem archivio Sibenicensi. Mirum quoque „ videri potest, quod Archiepiscopus Spalatensis „ cum suis suffraganeis, qui tunc erant jurisdictionis Ungaricae, adfuerint sollemnitati consecrationis Ecclesiae Jadrensis sub dominio Venetorum existentis: attamen ex hoc argui „ potest tunc utrumque dominium pacem coluisse inter se.

„ Eadem ecclesia cathedralis olim erat sub „ titulo Sancti Petri, de cujus primaeva aedificatione aliquid certi statuere perdifficile est; „ omni tamen dubitatione caret & ortu & splendore fuisse florentem & antiquissimam. Titulus Sancti Petri transiit in nomen S. Anastasiae M. quam juniorem esse profitentur, ex „ quo ejus cineres a S. Donato Jadrensi Episcopo adductae fuerunt, ut in ejus translationis historia traditur; nunc vero in sacello „ laterali marmoreo conditae sunt.

„ In Sanctuario deposita sunt ossa S. Zoili „ Confessoris in arca cypressina cum inscriptione: *Ossa S. Zoili Confessoris.*

„ Ibidem asservantur plures reliquiae Sanctorum, nempe

„ Mandibula inferior una cum tribus dentibus, quae est insignior reliquia S. Anastasiae selecta ex ejus ossibus & cineribus, quando a Luca Stella Archiepiscopo fuit aperta „ arca & recognita, & condita in theca argentea, forma capitis pectore tenus effecta, monili aureo decorata & cum cruce encausto depicta, & unionibus pendulis exornata, in „ cujus diademate est inscriptio: *S. Anastasiae* „ *Martyris.*

„ Cranium S. Sixti martyris inclusum in theca argentea pectore tenus Martyrem repraesentante.

„ Caput integrum S. Leonardi Confessoris „ conditum in theca argentea.

„ Frustum capitis S. Mariae Magdalenae clausum in theca argentea speciem capitis cum „ humero praeseferente, sub qua haec habetur inscriptio:

„ *Ne desperetis vos, qui peccare soletis,*
„ *Exemploque meo vos reparate Deo.*

„ Frustum capitis S. Marthae virginis in theca argentea formam capitis habente.

„ Caput S. Jacobi Intercisi martyris inclusum in theca argentea rotunda, circa quam „ leguntur verba: *Ego Bosna jussi fieri hanc capsam in honorem S. Jacobi martyris ob remedium animae Casei viri mei, & animae meae.*

„ Caput S. Orontii martyris in capsula argentea, imaginibus Sanctorum exornata.

„ Frustum capitis S. Georgii clausum in theca argentea deaurata in forma capitis; desuper caelatum stemma familiae Veneriae, & forte tempore Laurentii Venerii Archiepiscopi „ fuit opus confectum.

„ Humerus S. Marci Evangelistae in theca argentea, deaurata, tripodi argenteo imposita.

„ Brachium S. Donati Episcopi conditum in „ theca ex auro purissimo, gemmis pretiosis, „ & unionibus baccata, in forma brachii effecta, quae circa vertebram manus habet inscriptum: *Rex Colomane Rector Amandaviae* „ *hoc bene fecisti, retribuit tibi quod voluisti.*

„ Brachium aliud S. Donati in theca argentea deaurata in similitudinem alterius cum inscriptione; *Brachium S. Donati Episcopi.*

„ Articulus digiti S. Joannis Baptistae inclusus „ theca argentea in forma brachii tenentis indicem extensum, cum inscriptione: *S. Joannis Baptistae.*

„ Brachium S. Chrysogoni martyris in theca argentea, crebris crystallinis lapillis exornata, cum inscriptione: *Sanctissimi Chrysogoni brachium.*

„ Brachium S. Euphemiae in theca, in forma brachii ex puro auro cum lapillis pretiosis, circa quam leguntur: *Praestantius cum* „ *uxore sua Dobra fieri fecit.*

„ Brachium S. Isidori Episcopi in theca argentea, aurolita in forma brachii cum inscriptione: *Ego Chaica uxor Dimitri fieri feci.*

„ Brachium S. Sixti martyris in theca argentea deaurata brachium imitante.

„ Pars cranii auricularis S. Ursulae Virginis „ & martyris in satis amplo ostensorio ex glaciali crystallo confecto, cum base & operculo argenteo & insignibus Archiepiscopi Varessi.

„ Frustum brachii S. Zoili Confessoris in ostensorio crystallino cum basi & operculo argenteo deaurato.

„ Spina coronae, & frustulum spongiae adhibitae in passione Domini nostri Jesu Christi, „ in vasculo crystallino suffulto quatuor draconibus argenteis.

Digitized by Google

„ Frustula reliquiarum Sanctorum Innocentium & S. Marthæ in ostensorio crystallino „ cum basi argentea.

„ Tres digiti S. Donati in tribus thecis ar- „ genteis formam digiti habentibus.

„ Duos pedes S. Chrysogoni in thecis argenteis cum inscriptione: *S. Chrysogoni*.

„ Duo ossa S. Donati in arca laminis argen- „ teis tecta cum insignibus Archiepiscopi Pi- „ sauri.

„ Plura frustula ossium S. Chrysogoni de ejus „ integula; & capulum ensis ex glaciali cry- „ stallo confectum in capsula laminis argenteis „ tecta, cum inscriptione:

„ *Hoc opus factum fuit tempore N. Nob. vir.* „ *Viti Gandali, Vulcinæ Martinusis, & Pauli de* „ *Galellis, anno Domini* 1326.

„ Frustuli reliquiarum S. Martini insiti ta- „ bellæ lamina argentea tectæ, cum imagine S. „ Martini & insigniis Archiepiscopi Robobelli, „ cum tali inscriptione:

„ *Paulus Martinus & Mladenus Croatiæ Præsi-* „ *des S. C. P. fieri jusserunt. Donatus vero Bri-* „ *tanicus Canonicus, & Chrysogonus Nassius* „ *Procuratores fabricæ vetustate deformatam,* „ *Jo. Robobelli Antistitis consensu, in melius re-* „ *stituerunt* 1496.

„ Reliquiæ S. Danielis Prophetæ in tabella „ simili lamina argentea tecta, cum imagini- „ bus Sanctorum Petri & Pauli & Danielis, & „ inscriptione:

„ *Paulus Banus Croatorum & totius Bosnæ* „ *Dominus me fecit fieri ad honorem SS. Petri,* „ *& Pauli, & S. Danielis Prophetæ.*

„ Duæ cruces argenteæ deauratæ, pluribus fi- „ guris pictæ, plures Sanctorum reliquias con- „ tinentes.

„ Caput unius ex sociabus S. Ursulæ serico „ obvolutum, & in capsula lignea repositum.

„ Duæ capsulæ, una argentea, altera eburnea „ lamina tectæ, in quibus plura fragmenta os- „ sium Sanctorum sine nominibus.

„ Tabella cum coronide ex ebano argenteis „ flosculis exornata, in qua sub nitido specu- „ lari sitæ sunt plures reliquiæ Sanctorum sin- „ gulis nominibus appositis, inter quas extat „ venerabile frustum Sanctissimæ Crucis.

„ In eodem sacrario custoditur infula archie- „ piscopalis, pretiosis unionibus ac lapillis di- „ stincta, cum insignibus Archiepiscopi Lucæ „ de Firmino, nec non baculus pastoralis argen- „ teus, mirifice elaboratus cum insignibus Mat- „ thæi Valaressi Archiepiscopi.

„ Sub tribuna collocatum est altare majus; „ ciborio marmoreo altari superposito, pretiosis „ columnis innixo, quod constructum fuit tem- „ pore ejusdem Joannis de Butovano Archie- „ piscopi, ut docet inscriptio in fronte ejusdem „ posita, videlicet:

„ *In nomine Domini anno ejusdem MCCCXXXII.* „ *factum fuit hoc opus tempore D. Joannis de* „ *Butovano Archiepiscopi Jadrensis.*

„ Icon seu tabula altaris erecta fuit ex testa- „ mento Bartholomæi Archipresbyteri, ut vide- „ re est in basi ejusdem tabulæ, ubi sic legitur.

„ *Lucas Peliparius q. Giorgii & Jacobus Dra-* „ *perius q. Joannis commissarii venerabilis Fra-* „ *tris Bartoli Archipresbyteri Jadrensis, fecerunt* „ *fieri hanc tabulam .... D. Q. D. Archi-* „ *presbyteri, cujus anima requiescat in pace. Anno* „ *Domini MCCCXCVIIII. mense Octobris. Magi-* „ *ster Doimus.*

„ Pavimentum Chori marmore discolori, pro „ ut totius etiam Ecclesiæ, stratum est. Cho- „ rus vero a solo aliquot gradibus eminet, ge- „ minos ad latera sedium ordines continens cæ- „ latoque opere egregie elaboratos, quæ singu- „ lis de clero pro dignitate sui gradus sunt as- „ signatæ. Choro subest claustrum *Confessio* nun- „ cupatum, fornice tectum & duplici ordine co- „ lumnarum suffultum. Duæ patent scalæ hinc „ inde ad descensum perviæ. Fornici inserta est „ quædam cellula continens arcam marmoream, „ in qua condita sunt corpora Sanctarum Vir- „ ginum ac Martyrum Agapis, Chioniæ, & Ire- „ nis, quæ fuerunt S. Zoili discipulæ & fami- „ liares S. Anastasiæ, in cujus actis Surius plu- „ ra de illis refert. Cellulæ innixa est basis al- „ taris majoris in basi positi, & præterea ali- „ qui dixerunt sub ara majori earundem San- „ ctarum corpora quiescere. Extat in recessu „ sub abside ejusdem confessionis mensa altaris, „ in quo tradunt depositum fuisse aliquando „ corpus S. Marci Evangelistæ, dum Alexan- „ dria Venetias veheretur, navemque Jadræ di- „ vertisse, ac sacrum corpus ibidem interim de- „ posuisse. Verum quemdam sacristam indiscre- „ ta devotione adactum arrepta occasione tunc „ surripuisse armum seu os humerale sacri cor- „ poris, quod adhuc in theca argentea deaura- „ ta inter reliquias sanctuarii asservatur & San- „ cti Marci Evangelistæ esse dicitur. Huic tra- „ ditioni adstipulatur usus ibidem celebrandi „ Missam conventualem ac reliqua divina Offi- „ cia in die translationis S. Marci die trigesima „ prima Januarii.

„ Baptisterium in sacello cathedrali adjacen- „ te collocatum amplam fontis formam præse- „ ferens ex pretioso marmore constructum est. „ Sacellum ipsum forma rotundum, fornice te- „ ctum, altariolis marmoreis circum collocatis „ ornatur.

„ Ceterum reliqua Ecclesiæ membra unde- „ quaque splendidam exhibent magnificentiam, nec „ desiderantur vasa & ornamenta. Altarium ar- „ gentea sacraque supellex valde pretiosa, qui- „ bus affatim instructa est.

„ Primordia Capituli jacent incomperta; com- „ peri tamen potest valde antiquum esse. Quod „ si ejus originem per conjecturas indagare ve- „ limus, apparet quædam Capituli imago seu „ species collegii in testamento Andreæ Prioris „ Jadræ & Proconsulis Dalmatiæ, quod existit „ in archivio monasterii S. Chrysogoni, condito „ anno 908., & a Lucio recitato in memoriis „ Tragurii lib. 4. cap. 2.

„ Aliud quoque indicium antiquitatis Capi- „ tuli colligitur ex quadam scriptura, quæ le- „ gitur in registro Privilegiorum monasterii SS. „ Cosmæ & Damiani montis Tihoni, scripta per „ Dabrum Archidiaconum Jadræ anno 1076. & „ in alia, inter privilegia monialium S. Mariæ „ Jadrensis, scripta manu Madii Archidiaconi, „ quæ cum contineat plura antiquitatis monu- „ menta referre statui.

„ *Anno Incarnationis J. C. D. N. MXCI. Kiri* „ *Alexio Costantinopoleos imperante, tempore quo* „ *Wladislaus Panoniæ rex, Crovatiæ invadens re-* „ *gnum, domnum Almum nepotem suum in illo* „ *statuit regem. Jadrensi vero cathedræ domno* „ *Andrea venerabiliter præsulante meque Drago* „ *domni Præstantii Episcopi nepote jam tertio Pri-* „ *orante, accidit ut in primo anno meæ tertiæ* „ *recuperationis coram nobis & præfato Episco-*

„ po

„ *po & aliis quam plurimis orirctur querimonia* „ *domnæ Vekeniæ filiæ Cigæ, quæ viri sui videlicet Dobroslavi thorum custodiens viginti an-* „ *nis Deo devota, monastico utebatur habitu,* „ *quam Petrus socer suus domni Dobri verbis* „ *suorum deceptus propinquorum, suo exhæreditarat verbo, filiumque suum cum quadam Sclauncula habebat moriens totius suæ hæreditatis* „ *fecerat hæredem. Hac autem moniali irretita* „ *vinculo quæ illum alimentis indumentisque foverat &c.*

„ Cæteris Omissis.

„ *Quapropter ego Dragus Prior comune servans* „ *Sacramentum neminem volens ab aliquo vim* „ *sustinere, cum jam nominato Episcopo aliisque* „ *Nobilibus ad domum illius pergentes legali hoc* „ *definientes judicio sub episcopali vinculato præcepto illam plenam partem habere jussimus &c.*

„ *Hæc ego Majus Archidiaconus quia his omnibus interfui & ut a memoratis præsulibus* „ *mihi injunctum est, fideliter scripsi & post traditam coram his testibus lecta est & sigillo* „ *dicti Prioris signata.*

„ *Joannes Judex, Vitaza testis, Miha testis,* „ *Desana testis &c.*

„ Ex quibus scripturis inferre licet, quod si tunc Ecclesia Jadrensis habuerit Archidiaconum qui est prima dignitas & caput Capituli, probabile habuisse etiam alias dignitates & canonicos, qui Capitulum constituunt.

„ Qua postmodum ratione Capitulum meliora acceperit incrementa non satis liquet. Constat tamen ex alia scriptura ejusdem archivii S. Chrysogoni anno 1190. Jadræ Capitulum extitisse ex dignitatibus & Canonicis constitutum.

„ Verum quia multi gratis opinantur Petrum de Matafaris, qui vixit usque ad annum 1400. instituisse Capitulum & Canonicos Jadrenses, ideo ut refellantur ejusmodi assertiones, sciendum est usque ad tempora dicti Petri Capitulum constitisse ex omnibus titulatis tam Ecclesiæ cathedralis, quam reliquarum collegiatarum, pro ut constat ex actis capitularibus tunc temporis celebratis. Verum cum difficilis experiretur congregatio multiplicum personarum, negotiaque tarde & confuse expedirentur, eapropter idem Petrus salubri inito consilio anno 1393. convocatis totius cleri comitiis quæ Capitulum repræsentabant, servato juris ordine, requisivit consilium ac obtinuit consensum reformandi Capitulum, augendi cathedralis Clerum & restituendi Canonicos, qui in cathedrali nescio qua de causa desierant, cum ab anno 1288. usque ad annum 1393. nullibi Canonicorum Jadrensium mentio habeatur.

„ Et quamvis Ughellus in sua serie Archiepiscoporum Jadrensium & Paulus de Paulo in suo Memoriali in calce operis Lucii de regno Dalmatiæ pag. 428. cap. 1. asserat hunc Archiepiscopum instituisse duodecim Canonicos in cathedrali Jadræ primo & solemniter; attamen tam Ughellus, quam Paulus nescio quomodo decepti aberraverint a rei veritate, cum ipso facto contrario constet ex quam plurimis scripturarum monumentis, in quibus ante Petri tempora, Canonicorum Jadrensium mentio reperitur, & signanter in prædicta scriptura 1190.; item in litteris Innocentii PP. III. lib. 3. cap. 539. circa annum 1200. scriptis Nicolao Episcopo Pharensi, qui in Ecclesiam Jadrensem se intruserat, quas refert Lucius de regno Dalm. lib. 3. cap. 13. Omitto plura alia documenta, quæ ante annum 1394. Canonicos Jadrenses extitisse docent. Quocirca dicendum est Petrum de Matafaris Archiepiscopum non instituisse sed restituisse Canonicos in cathedrali Jadræ & Capitulum jamdiu institutum reformasse, quod clare constat ex constitutionibus ab eo tunc conditis & editis, & præsertim ex præfatione, quæ valde confert ad veritatem quam indagamus.

„ Omittitur scriptura, quæ est de anno MCCCXCIII. Indictione prima, die lunæ mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris DD. Bonifacii divina providentia PP. IX. anno V. in qua agitur de reparatione Capituli & habetur, quod Metropolitanæ, suffraganeæ, & collegiatæ Ecclesiæ habebant Canonicos &c.

„ Eodem anno, Indictione, & mense, die 19. omnibus presbyteris convocatis & congregatis idem D. Archiepiscopus denuo dictam propositionem & requisitionem fecit, cui omnes prænominati pro se & successoribus eorum libere & discrepante nemine consenserunt. Insuper die 27. dicti mensis 3. & ultimo prædicti consenserunt concordi voluntate.

„ Item currentibus annis a nativitate Domini 1395. die 14. Julii præsidente in vicariatus officio egregio decretorum Doctore D. Francisco de Aristotile de Sulmona præfati Archiepiscopi Jadræ vicario generali, ab eodem vicario convocati fuerunt prædicti omnes presbyteri, & Sacerdotes, & constitutiones & statuta publicavit, quibus omnes Capitulum facientes consenserunt pro se &c.

„ Quid plura quando ipsemet Paulus de Paulo in suo Memoriali subjicit post prædictam notam de prima institutione, eodem anno 1394. die Martis in hora mediæ noctis penultima Septembris combustam fuisse Canonicam S. Anastasiæ; igitur si eodem anno jam extabant ædes Canonicorum combustæ, sequitur quod antea aliquando extiterint etiam Canonici, qui eas inhabitarent, nec credibile est illas ædificatas fuisse post publicationem Canonicorum a Petro factam, quia tunc temporis jam desierat mos antiquissimus Capitulis & Canonicis comuni mensa & dormitorio utendi; igitur necesse est quod ædes Canonicorum tunc combustæ usui fuerint Canonicis ante Petrum aliquando existentibus, quod immo indicium evidens est antiquitatis ipsius Capituli.

„ Porro cur & quando in cathedrali Jadræ Canonici desliterint, prorsus incompertum est. Attamen conjectari satis probabiliter potest, quod cum præbendæ canonicales & prædia mensæ capitularis in solo Croatico existerent, Jadraque nomen Romanum retinens ac sub ditione Imperatoris orientalis semper perseverans arctum in continenti haberet territorium (nam ab oriente Belgradum, ab occidente Nonam civitates Croatorum habebat, parumque a septemtrione Croatici fines distabant) propterea regulos seu Comites Croatorum circa illa tempora tyrannice dominantes occupasse & usurpasse prædia, ac proventus Canonicorum, quibus deficientibus Canonicos quoque Ecclesiam deseruisse eorumque nomen in oblivionem abiisse.

„ At postquam reguli ab Ungaris & Venetis „ per-

Digitized by Google

„ perdomiti abacti fuerunt, Ecclesiæ quoque „ suos reditus recipere & augere cœperunt. His „ accesserunt decimæ, quas Croati Ecclesiis suppresserant, sibique a colonis exigebant, cujus abusus vestigia in diœcesi Nonæ, quæ civitas Croatorum erat, adhuc prorsus non sunt „ obliterata; quæ quidem rerum ecclesiasticarum incrementa viam stravere Petro Archiepiscopo Canonicos restituendi ac cultum cathedralis instaurandi ac augendi. Sed de origine Capituli satis.

„ Jus eligendi Episcopos, & Archiepiscopos, „ apud Capitulum residebat, in quo aliquando „ populus, aliquando reges Ungariæ se ingesserunt. Usum est Capitulum hoc jure usque „ ad annum 1291. nam dissidio inter Capitulares, sede vacante, de electione Archiepiscopi exorto, Nicolaus PP. IV. pro bono pacis electionem sibi reservavit & Joannem Fratrem Ordinis Minorum Jadrensi Ecclesiæ præfecit. Sic rerum publicarum jura & dignitas discordia dilabuntur. Hinc obiter non alia „ incongrua conjectura desumi potest cessationis Canonicorum, quandoquidem spoliati Canonici jure eligendi, indignatione forsan concitι, Ecclesiam deseruere.

„ Electio quoque dignitatum & Canonicorum „ etiam super numerum sine *reservatione* ad „ Capitulum pertinebat, idque ex constitutionibus ejusdem Petri de Matafaris Archiepiscopi, quæ a Sede Apostolica fuerunt confirmatæ, ut testatur Maphæus Vallaresso Archiepiscopus in præfatione suarum constitutionum; quo jure idem Capitulum vix sæculo elapso etiam utebatur, sed an incuria vel „ alia de causa neglectum illud, & ad Curiam „ Romanam & ad Archiepiscopum juxta Regulas Cancellariæ Apostolicæ respective devolutum sit nescitur.

„ Idem Capitulum præter statuta suas etiam „ habet proprias consuetudines, quas Archiepiscopi sæpe abrogare nitebantur. Verum implorato per Capitulum Sedis Apostolicæ præsidio Sixtus PP. IV. eas confirmavit, inhibuitque Archiepiscopo & aliis quibuscumque quidquid adversus Capituli statuta & consuetudines innovare vel attentare per Breve diei 21. „ Januarii 1480. quod omittitur.

„ Jus convocandi Capitulum est penes Archidiaconum, irrequisito Archiepiscopo, qui „ locum in Capitulum non habet, immo ab eo „ recedunt Vicarius cæterique ministri Curiæ „ Archiepiscopalis, licet sint de Capitulo, quando tractatur aliquid controversum cum Archiepiscopo.

„ Locus capitularis congregationis est sacristia cathedralis dicta capella S. Barbaræ. Nitebantur Archiepiscopi vindicare sibi jus convocandi Capitulum illudque congregandi in „ aula sui palatii, reluctantibus semper capitularibus licet diversimode ob id vexatis.

„ Tandem per Brevem Sixti IV. auctoritate „ Apostolica firmata fuit antiqua consuetudo „ Capituli se independenter ab Archiepiscopo „ congregandi in sacristia, pro ut testantur vetustissima acta capitularia in ejus archivio servata. Tenor Brevis omittitur, sed est sub die „ 24. Januarii 1475.

„ Habet quoque Capitulum suum Cancellarium & nuncium itemque procuratores ac „ proventuum & emolumentorum exactores, „ nec non computistam qui divisiones reddituum „ calculat, ac singulis titulatis partes ex communi mensa assignat.

„ Duplici Capitulum utitur sigillo, minori in „ negotiis levioribus, majori vero rotundo in „ expeditionibus ecclesiasticis gravioribus. Olim „ etiam tertio sigillo oblongo utebatur, unde „ non exigua proveniebant emolumenta, ut in „ aliquibus Capituli statutis præscripta reperiatur „ ratio dividendi utilitates sigilli. Etenim si „ quis relevare aliquid in publicam formam „ vellet, requisito a Capitulo uno ex Canonicis, qui dicebatur Prestaldus, coram eo stipulabantur singula quæ ad præsentium vel futurorum memoriam probare voluisset, passimque in actis capitularibus rogabantur contractus sæculares, pariterque Capitulo delegabatur executio regalium mandatorum, quæ „ acta adhuc extant regesta in nonnullis voluminibus archivii capitularis, cujus claves custodiuntur ab Archidiacono, Archipresbytero, „ & Decano Canonicorum.

„ Quindecim personæ modernum constituunt „ Capitulum, videlicet Archidiaconus, Archipresbyter & Primicerius, quæ sunt dignitates ac in antiquis constitutionibus nuncupabantur Prælati, & duodecim Canonici, quorum antiquior Decani titulum obtinet. Hic „ Capitularium numerus in præfatis Petri de „ Matafaris constitutionibus constitutus fuit, in „ quo residet tota potestas & auctoritas antiqui Capituli, ut patet ex ejusdem constitutionibus quæ omittuntur.

„ Numerosus insuper itidem recensetur Clerus, nempe sex mansionarii usum Almutii „ habentes, duodecim septemanarii, qui officium etiam Diaconi exercent, decem Subdiaconi, octo Acolythi. Omnes præfati de Clero quotidiano servitio chori sunt mancipati, „ quod juxta præscriptum S. Concilii Tridentini exercent.

„ Cæterum sacræ functiones ad normam ceremonialis & rubricarum exacte celebrantur „ sub directione magistri cerimoniarum & magistri chori. Duo etiam Curati animarum, „ duo sacristæ & præfectus musices suis muneribus singuli naviter funguntur.

„ Redditus Cleri fere omnes in decimis computantur, quæ dividuntur juxta Canonum statuta, nempe inter Archiepiscopum, fabricam „ Ecclesiæ cathedralis, & mensam ejusdem Cleri, quæ partem quoque pauperum non immerito capit. Census ad præsens singulorum tenuis. Canonicorum vix 60. ducatorum, Archidiaconi duplicis, at reliquorum ordinum „ ita minor ut retrograde recensendo pro dimidia singulis decrescat, juxta gradum officii sui, nam diuturni ac sævissimi belli detrimenta pinguiores proventus hausere.

„ Archiepiscopi mensa una cum decimis tria „ millia ducatorum non excedit.

„ Adjacet cathedrali palatium archiepiscopale satis amplum, atrio, aulis, hortisque magnifice distinctum, quod instauratum olim fuit „ a Maphæo Vallaresso Archiepiscopo, ut docet inscriptio in porta Aulæ superposita, quæ „ talis est.

M. VALARESSUS. S. HIADERTINÆ ECC. PONT. HAS. AEDES. RESTAVRARE ET. ORNARE. CURAVIT.

„ Fabricæ cathedralis proventus in 4. decimarum consistunt, quæ octingentos circiter „ ducatos ut plurimum pertingunt.

„ An-

Digitized by Google

„ Antiquitus diu controversum est de procuratore fabricæ, præsertim inter Fratrem Jacobum de Fuligno Archiepiscopum, & Comune civitatis; tandem solemni stipulatione inter partes anno 1302. die 4. Octobris conventum est, quod prædictus D. Archiepiscopus solus debeat eligere & instituere duos viros legales, unum clericum, & alium laicum, qui recuperent fructus, & expendant, pro ut visum fuerit utile dicto D. Archiepiscopo, in utilitatem Ecclesiæ, quorum officium duret per annum, & compellantur per D. Comitem rationem reddere coram D. Archiepiscopo, si interesse voluerit. Verum quia hæc conventio satis firma non videbatur sine consensu Capituli, die 15. Aprilis 1305. Archidiaconus Nicephorus cum duobus œconomis seu syndicis Ecclesiæ, Capituli nomine eam approbaverunt, ut videre est lib. 5. cap. 37. reformationum in Statuto Jadræ. Nihilominus tamen postmodum iterum contentiones inter easdem partes exortæ Maphæo Vallaresso Archiepiscopo, quibus quatuor sacra consulta intercessere, videlicet 1454. 25. Septembris, 1458. 8. Julii, 1459. 10. Augusti, 1460. 17. Aprilis, quæ decreta priscam conventionem in usum revocaverunt, quæ hactenus viget hoc amplius, ut administratio integra fabricæ sit penes ecclesiasticum, in cujus fide laicus conquiescit.

„ Cathedrali ab austro contiguum est templum forma rotundum a S. Donato, ut tradunt, erectum ac sanctissimæ Trinitati dicatum, quod postmodum S. Donati titulum sortitum est. Veneratur in altari majori sacra imago B. Virginis antiquissima, sub titulo Purificationis, cui inservit congregatio duodecim Sacerdotum nuncupata Caritatis.

„ Ibidem collocata est urna marmorea, cum ossibus dicti S. Donati. Ad superiorem hujus templi partem ascenditur per scalam semicocleam, ubi frequentatur congregatio oratorii. Cernuntur inserta parietibus ejusdem templi fragmenta non exigua, quæ ex sculpturis & inscriptionibus, litteris fere palmaribus, indicant fuisse alicujus ædificii ingentis ac sumtuosæ molis, quod Junoni Augustæ dicatum, ex inscriptione cujusdam fragmenti dignoscitur, quam Romana superstitio & adulatio voluit fuisse Liviam Augusti Cæsaris uxorem.

„ Hujus forsan vestigia esse dixerim ea, quæ adhuc visuntur in hortis Seminarii Floriani ad cubitum & amplius e solo surgentia, lapidibus semirustico ordine compactis, quibus non longe imminent duæ columnæ ordine corinthio elaboratæ, trabe lapidea desuper conjunctæ, altitudinis cubitorum circiter triginta, quarum basis sub terra latet, aliasque similes extitisse indicant, quæ porticus amplissimæ fuisse demonstrant. Hanc molem forsan zelus S. Donati diruit, ejusque rudera in ædificium templi sanctissimæ Trinitatis convertit. Sed redeamus ad Ecclesias.

„ Fuerunt olim in eadem civitate sex collegiatæ sub regimine Plebanorum, ex quibus unica superstes extat, videlicet S. Simeonis, quæ olim S. Mariæ Majoris, & S. Mariæ Presbyterorum nuncupabatur; postquam vero corpus S. Simeonis in eadem illatum fuit, collegium S. Simeonis appellari cœpit, & adhuc perseverat. Verum Ecclesia S. Mariæ Presbyterorum, quæ erat satis ampla & decora, diruta fuit anno 1570. Turcico ingruente bello, quia munimenta & aggeres civitatis valde impediebat, inde S. Simeonis sacro corpore in contiguam S. Rocchi Ecclesiam recepto; demum anno 1632. in Ecclesiam S. Stephani, nunc S. Simeonis, translatum fuit, una cum collegiata S. Mariæ Majoris.

„ Collegium S. Simeonis sub regimine Plebani constat ex quatuor mansionariis, qui curam animarum per turnum exercent in circumjacenti civitatis regione, tribus Diaconis, tribus subdiaconis, & tribus acolythis, qui omnes quotidiano servitio chori sunt adscripti, habentque mensam separatam, præter redditus ex decimis cum cathedrali communes.

„ Administratio fabricæ S. Simeonis incumbit procuratoribus laicis a Consilio nobilium deputatis.

„ Jura vero clavium arcæ sacri corporis manent apud Archiepiscopum, Prætorem, Plebanum, & eosdem duos procuratores, quibus hoc jus elargitum primo fuit ab Elisabeth juniore uxore Ludovici regis Ungariæ & Poloniæ, quæ arcam argenteam S. Simeonis obtulerat.

„ Reliqua quinque collegia, videlicet S. Stephani, S. Michaelis, S. Petri veteris, vel de platea parva, nunc S. Marcellæ, S. Petri novi, vel de platea magna, cujus Ecclesia erat in medio fori indulto Apostolico demolita anno 1447. die 17. Junii, & S. Salvatoris nunc S. Antonii, communi consensu totius Cleri suppressæ fuere, earumque Clerus servitio cathedralis a Petro de Matafaris Archiepiscopo adscriptus, retento a titulatis earumdem Ecclesiarum, qui nunc Septimanarii vocantur, onere Missarum, per turnum celebrandarum respective in Ecclesiis, in quibus olim residebant, ubi nemo officia divina collegialiter celebrare potest, illis non intervenientibus.

„ Plebaniæ earumdem collegiatarum ad instar beneficiorum simplicium evaserunt collatitiæ, ac postmodum diversis temporibus unitæ, nempe S. Stephani & S. Salvatoris, uti pinguiores, Archiepiscopi suæ mensæ applicaverunt; S. Michaelis & S. Petri novi, Capitulo cessere; S. Petri veteris, cum ædibus Plebani, monialibus S. Marcellæ, quas ad ampliandum monasterium Plebanus ejusdem Ecclesiæ, cum assensu Archiepiscopi, olim perpetuo illis concessit. Istarum collegiatarum origo ignota; licet earumdem extet satis antiqua memoria.

„ Quatuor Regularium cœnobia civitas habet. Videlicet primum S. Chrysogoni martyris civitatis patroni, Ordinis S. Benedicti, cujus monasterium a solo Abbate sub jurisdictione Archiepiscopi antea regebatur; de qua subjectione cum orta fuisset controversia inter Maphæum Vallaressum & Abbatem, qui ob id in Curia Romana litem contestaverat, tandem in actis publicis cessit liti, & Archiepiscopum suum ordinarium superiorem agnovit 4. Maii 1476. Idem abiit in commendam, ac subinde mensa inter monachos & commendatarium divisa fuit, cujus redditus in mille circiter ducatos consistunt. Tandem anno 1622. unitum fuit Congregationi Cassinensi.

„ Fundatio monasterii antiquissima, sed ignota; constat tamen ex monumentis ejusdem monasterii relatis ab eodem Lucio, & præ-

Digitized by Google

sertim ex scriptura anni 986. monasterium S. Chrysogoni pridem negligentia destitutum, & oblivione suppressum, tunc instauratum fuisse, & traditum Madio monacho montis Cassini, ac subinde pluribus prædiis auctum, curante Madio Priore Jadræ & Dalmatiarum Proconsule, cum consensu nobilium, & populi, ex qua scriptura illorum temporum status civilis & ecclesiasticus apparet.

„ Scriptura omittitur, quæ est de anno 986. 19. Decembris.

„ Hæc scriptura asserit templum S. Chrysogoni a Fusculo & Andrea Prioribus Jadræ ædificatum fuisse; ideo venit considerandum testamentum ipsius Andreæ Prioris conditum anno 908. ibidem a Lucio insertum, pingui ac barbara elocutione inscriptum, sed insigni pietate. Verum cum in hoc testamento relictum fuerit quoddam legatum S. Chrysogono, & ejus Abbati, probabiliter dici potest ecclesiam S. Chrysogoni cum ipso monasterio ante Andreæ tempora extitisse, a quo una cum Fusculo instaurata fuit, sicut a Madio monasterium. Ceterum consecratio hujus ecclesiæ in forma, quæ modo videtur, celebrata fuit anno 1407. ut notat Paulus, die Martis 11. Junii, sed monachi celebrant illam die 2. Maji, quæ debet esse primæva, illa vero forte fuit reconciliatio ex aliquo accidenti.

„ Adjacet eidem ecclesiæ turris campanaria non tamen perfecta cum inscriptione:

„ *Ad laudem Dei & B. Virginis D. Bernardus Jadrensis monachus hujus ædis Prior sua & aliorum monachorum cura & expensis*. MDXLVI.

„ Asservabatur olim in eadem ecclesia corpus S. Chrysogoni martyris; an vero adhuc ibidem reperiatur incertum. Quando item Jadram primo advectum fuerit prorsus ignotum, ac proinde commentitia ac omnino apocrypha est quædam manuscripta historia ejus inventionis, quæ in membrana legitur apud monachos ejusdem monasterii sine anno, vel indictione, in qua habetur mentio personarum, locorum, & magistratuum prorsus ignotorum, quæ nullatenus congruunt nec publicis nec privatis vel antiquissimis documentis, quæ extant de rebus Jadrensibus, ac proinde fabulosa censenda est. De secunda ejusdem sacri corporis inventione, quæ contigit Andrea II. Episcopo XI. anno 1046., nihil ambigendum; testatur enim scriptura, quæ in archivio monasterii asservatur, regnante Theodora Imperatrice, tempore Grubillæ Prioris, inventum a prædicto Andrea Episcopo sacrum corpus in ecclesia sub altari ejusdem martyris.


„ Ceterum posterioribus temporibus diu dubitatum fuit de eodem sacro corpore, eoque magis, quod ex traditione habebatur illud translatum fuisse Venetias, & collocatum in ecclesia SS. Gervasii & Protasii. His adstruit fidem id quod scripsit Sansovinus in Chronico Venetiarum lib. 6. de eadem ecclesia vulgo dicta S. Trovaso, quod evenisse conjectari potest circa annum 1200. quando Jadra a Venetis desolata fuit. Verum cum nulla adsit certitudo idem sacrum corpus in eadem ecclesia reperiri, dum nullus locus ostenditur, ubi repositum sit, probabiliter dici potest, receptis in gratiam Jadrensibus, corpus etiam S. Chrysogoni illorum patroni fuisse restitutum. Cui conjecturæ congruit id quod Stringa Canonicus S. Marci, & Martinonius referunt in additionibus ad Chronicum Sansovini, nimirum corpus S. Chrysogoni fuisse in ecclesia SS. Gervasii & Protasii, sed postea Jadram revectum. Et quamvis apud Jadrenses hoc factum modo sit valde ambiguum, nec ullibi in ecclesia S. Chrysogoni indigitatur locus, ubi idem S. Corpus quiescat, attamen crederem tempore ejus restitutionis monachos ejusdem monasterii illud in aliquo ecclesiæ loco occultasse, ne imposterum eo privari periclitarentur; cui opinioni favet arca lignea intus forisque picturis exornata, exprimentibus vitam ac martyrium ejusdem Sancti, in qua asserunt conditum olim fuisse corpus S. Crysogoni, quæ in ejus sollemnitate exponitur.

„ Demum non tædeat lectorem noscere Abbates vel vetustissimos ejusdem monasterii, per seriem plurium annorum digestos ex eorum scripturis excerptos. 908. Oldobertus. 986. Madius ... Andreas. 1033. Tarso. 1036. Franco. 1046. Gisus. 1059. Petrus ... Forminus Cresimiro rege. 1069. Petrus. 1072. Petrus. 1078. Gregorius. 1195. Vincentius, cui concessit Cælestinus III. usum mitræ, baculi, ac sandalium, sicut præcessores habebant. 1221. Damianus. 1223. Controversia Abbatis absentis cum comunitate & Archiepiscopo cum delegationibus PP. Honorii III. & Gregorii IX. 1230. Damianus. 1238. Jordanus tunc Episcopus Arbensis fuerat post mortem Vincentii II. Abbas S. Chrysogoni electus. 1243. Detorente, 1247. Nicolaus Semitecolo. Reliqui uti notiores omissi.

„ Sed quoniam meminimus Priorum Jadræ, non erit inutile disserere quinam fuerunt isti Priores, ad clariorem intelligentiam eorum, quæ dicta sunt & quæ erunt dicenda. Sciendum itaque est istos Priores fuisse magistratus Jadræ, qui, cum etiam præessent toti provinciæ, appellabantur Proconsules, vel Catapani Dalmatiæ, & insuper utebantur titulo patricii & protospatarii imperialis & stratici Dalmatiæ.

„ Iidem antea duces, postmodum sub regibus Ungarorum aliquando duces, demum Bani appellati sunt. Hos censerem origine fuisse Græcos, cum Imperatorum Græcorum provinciam regerent, eosque occasione regiminis Jadræ fixisse domicilium, ubi post desolationem Salonæ, Præsides Dalmatiæ residebant. Et quamvis Græci fuerint origine, Latinum tamen ritum servasse constat ex eo, quod monasteria & Ecclesias Latinas impense excolerent mutuaque connubia cum Croatis contraherent. Verum licet hujusmodi magistratus non esset perpetuus, nec hæreditarius, sed post declinationem Imperii Græcorum populariter electivus; tamen non egrediebatur, ut plurimum, illorum agnationem, ex qua etiam Episcopi Jadræ aliquando eligebantur, quia filius patri & frater fratri sæpe in Prioratum succedebant; eundemque magistratum iterum ac tertio reassumebant, ut videre est ex scripturis, quæ paucissimæ reperiuntur illorum temporum, ex quibus tamen elicita fuit sequens illorum, licet interrupta, progenies, in qua recensentur aliqui benefici non solum S. Chrysogono, sed etiam monialibus S. Mariæ; digni ut eorum memoria vigeat & grato animo recolatur ab illis, qui adhuc eorum beneficiis fruuntur.

Petrus



„ Verum ut aliquæ personæ, quæ in hac se„ rie numerantur, & earum gesta melius inno„ tescant, possunt videri scripturæ infrascriptæ, „ videlicet ex regesto S. Mariæ 1066. scri„ ptura Ciccæ filiæ Doimi & Vekenegæ &c. „ Ex summario scripturarum S. Chrysogoni scri„ ptura Draghi Prioris 1093.

„ *Anno incarnationis D. N. J. C. 1066. Cre„ simiro rege regnante Croatiæ, & Stephano Ja„ dræ præsulante, & Drago Jadræ priorante.*

„ *Ego Cicca filia Doimi & Vekenegæ neptis „ Maji Prioris, uxor Andreæ filii Papæ post in„ terfectionem mariti, cum duabus remanens filia„ bus in viduitate, videlicet Domnana & Veke„ nega, cœpi corde perpendere qualiter istius ca„ ducæ vitæ non perderem hæreditatem, & fu„ turarum non amitterem perpetuitatem, sicque „ mihi salubrius existimans consilium ut ego cum „ majori filia videlicet Domnana Deo dicarer mo„ nacha, minorem vero Vekenegam maritali sub„ derem jugo, hujus vero consilii germanum & „ consanguineos quos habebam propinquos feci „ mihi conscios Stephanum Episcopum & Drago „ Priorem, & Cricam totius mei actus coopera„ tores &c. At postquam eis utilis est visa mea „ tractatio, communi cum concivibus habito con„ silio, ac Petro Sanctissimo Abbate S. Chryso„ goni, cum omnibus monachis huic consentien„ tes meditationi, mihi donaverunt ecclesiam S. „ Mariæ minoris, ante portam bellatam.*

„ Ex Summario S. Chrysogoni.

„ *1093. Indictione 4. imperante Alexio Magno „ Imperatore, Episcopo Jadræ Andrea, Drago „ Jadrensis Prior nepos Dragonis majoris jam se„ nex, in quinto anno sui prioratus, post pluri„ ma pericula & agones; ab incolis suis ac diver„ sarum gentium feritate gravatus, conciliatus „ omnibus nobilibus suis, concedit monachis mo„ nasterii S. Chrysogoni omnia illa servitia, quæ „ antiquitus Priores Jadræ in castro Lubicata ha„ buisse manifestum erat &c.*

„ Ex his vetustissimis monumentis potest col„ ligi quod ecclesia monialium appellabatur S. „ Maria Minor, & fundatum fuit monasterium „ per Ciccam anno 1066. quod status civitatis „ erat democraticus & alienatio ecclesiarum de „ consensu civium fiebat. Quod in judiciis et„ iam sæcularibus Episcopus suam jurisdictio„ nem interponebat & appellationes ad Archie„ piscopum Spalatensem deferebantur. Item istos „ Priores interdum expertos fuisse domi sedi„ tiones & æmulationes, foris armorum con„ gressus & bella cum regibus ac regulis Croa„ torum, licet eorum curiæ aliquando interfue„ rint, a quibus sæpe prævalide pressi, decli„ nante Græcorum Imperio, demum ad Vene„ torum præsidium cum ceteris Dalmatis com„ migrasse.

„ Arguitur etiam tenuitas rei familiaris ac „ prædiorum, quæ in eorum possessione repe„ riebantur, impar equidem dignitati magistra„ tus quem gerebant.

„ Colligitur tunc temporis Episcopos & cle„ rum sæcularem in Croatia nondum cælibatum

„ agno-

Digitized by Google

* Id colligi nequit; nam si quis Episcopus ut Præstantius, vel presbyter filios habuisse dicitur, eos genuisse potuit ante sacros Ordines susceptos.

„ agnovisse, * qui tempore Divi Gregorii Magni in Italia & insulis Italiæ cœpit institui, ut colligitur ex illius epistola 42. lib. I. ad Petrum Siciliæ subdiaconum redacta in decreto Gratiani cap. *ante triennium* cum sequ. 31. dist. cap. *nullum* 8. dist. Idem institutum dilatari cœpit sub Callisto PP. II. cap. *Presbyteris* 17. dist. Alexander quoque III. in occidentales provincias cælibatum extendere studuit, ut videre est cap. I. & cap. sane de clericis conjugatis.

„ Cresimirus junior, qui & Petrus dictus est, confirmavit donationem factam a Cresimiro seniore ejus avo Dicli, quod olim dicebatur Iculus vel Michulus, unde Promontorium dictum est Pontamicca, monasterio S. Crysogoni. Vide Lucium lib. 2. cap. 8. Idem anno 1059. fundavit monasterium & ecclesiam S. Joannis Baptistæ in Belgrado, & donavit Ciccæ sorori suæ anno 1072. terras in Tachina; quæ Cicca fundavit monasterium S. Mariæ.

„ Sciendum quoque Præstantium seniorem Episcopum Jadræ cum Madio ejus fratre donasse monasterio S. Chrysogoni ecclesiam S. Michaelis cum terris adjacentibus, quam ipsi fundaverant in insula antiquitus dicta Flavico postea Pistimana, nunc Paiman, quæ ecclesia nunc est parochialis villæ Nevilianæ. Vide Lucium.

Alter regularium conventus est S. Dominici Ordinis Prædicatorum, cujus titulus antiquitus erat S. Platonis, ibique monasterium, in quo nonnullæ moniales degebant.

„ Verum isti Fratres primum evocati a Dominico Franco Archiepiscopo, non habentes locum permanentem in civitate, a Capitulo cathedralis post illius obitum sponte fuerunt excepti & in capella seu ecclesia S. Thomæ collocati, quæ sita est apud ædes, illis tunc a Comite de mandato Ducis Venetiarum assignatas, pro ut constat ex scriptura 1244. apud eosdem Fratres existente, quæ capella nunc vocatur Capitulum monasterii; subinde a Laurentio Periandro Archiepiscopo & ab eodem Capitulo, ita postulantibus Duce Veneto & Patriarcha Gradensi 1248. donati fuerunt eadem ecclesia S. Platonis, quæ deinceps dicta fuit S. Dominici, licet consecrata fuerit ad honorem S. Marci Evangelistæ a Guidone Patriarcha Gradensi, & Dalmatiæ Primate, assistentibus Jadrensi, Arbensi, Sibenicensi, & Nonensi anno 1280. 10. Januarii ut docet diploma apud eosdem Fratres existens.

„ *Universis & singulis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis Leonardus Quirinus Comes Jadræ cum suis Consiliariis Marco Basadonio, & Philippo Donato &c.* omittuntur ob prolixitatem. Ædificium ecclesiæ S. Dominici amplum, altaribus eleganti pictura & auro effulgentibus; ædes conventus latæ cum officinis congrue dispositis; redditus sufficientes pro mensa viginti & amplius Fratrum, quibus accessit Abbatia S. Michaelis de Monte cum censu 300. circiter ducatorum, cujus commendam Beatus Pius PP. V. suppressit & huic conventui applicuit, ea lege, ut ibi studium formale institueretur ad commodum, & eruditionem indigenarum & provincialium.

„ Æqualis fere structuræ ac formæ est ecclesia S. Francisci Minorum de observantia consecrata anno 1282.

„ Hæc tamen excedit pulchritudine ac splendore altarium pretiosis columnis & statuis ornata. Conventus ædificium satis amplum, quod ducentis retro annis Fratres conventuales possidebant, apud quos remanserunt antiquæ Scripturæ, e quibus elici potuissent origo & alia quæ incomperta jacent.

„ Extant quoque in eadem civitate Fratres tertii Ordinis S. Francisci, qui vocantur Eremitæ de pœnitentia, celebrantque officia idiomate Illyrico. Horum adventus primus in agro Jadrensi fuit anno 1439. die 4. Decembris, nam ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam tunc possidebat titulo Rectoris quidam Presbyter Paulus de Littera Slava, resignata fuit in manibus Laurentii Venerii Archiepiscopi, qui eam concessit & contulit fratri Martino q. Novatii ejusdem Ordinis, ut ibi sui Fratres habitarent & conventum construerent, accedente sponsione Gregorii Mangane civis Jadræ, qui instaurare ecclesiam & monasterium ædificare professus est; quam concessionem Maphæus Vallaressus commissarius Nicolai PP. V. confirmavit anno 1454. ultima Februarii. Verum circa annum 1527. Turcis in Dalmatia omnia flammis & ferro miscentibus, jussu publico dicta ecclesia demolita fuit, receptis Fratribus ex Veneti S. C. 1521. 30. Junii in ecclesia S. Silvestri diruta, juxta pomœrium urbis posita, cum hortulis adjacentibus, ac subinde tractu temporis, adeptis solo & ædibus contiguis, monasterium construxere.

„ Confraternitas vero S. Silvestri in ecclesia S. Thomæ secessit, quæ erat Plebania nuncupata, sine cura, & sine clero. Hanc Plebanus cessit confraternitati, reservato sibi Canone unius cerei & certa portione obventionum funeralium. Eadem ecclesia etiam S. Crucis dicitur, & ob celebre & antiquum D. N. J. C. simulacrum valde veneratur. Habetur mentio de hac ecclesia in testamento Andreæ Prioris anno 908.

„ Monasteria monialium quinque; duo Ordinis S. Benedicti videlicet S. Mariæ & S. Catharinæ, unum S. Dominici in S. Demetrio, ac duo S. Claræ, unum in S. Nicolao, alterum in S. Marcella. Monasteria S. Mariæ, Nicolai, & Demetrii patent nobilibus; S. Catharinæ vero reliquis ingenuis civibus, itemque S. Marcellæ, ubi etiam puellæ nobiles Nonæ admittuntur, cum 200. circiter ab hinc annis Nona Jaderam fuerit translatum.

„ Monasterii S. Mariæ prima institutio Ciccæ sorori Cresimiri junioris Dalmatiæ & Croatiæ regis tribuitur, ut in scriptura 1066. supra relata & a Lucio cap. 15. lib. 2. Dicta ecclesia consecrata fuit anno 1072. & celebrant consecrationem moniales die 28. Octobris.

„ Habent privilegium moniales & aliud refert Lucius pag. 102. Adjacet turris campanaria, quam Colomanus Rex Ungariæ erexit, ut patet ex inscriptione.

„ *Anno Incarnationis D. N. J. C. MCV. Post victoriam & pacis præmia Jadræ Introitus a Deo concessa proprio sumptu hanc Turrim S. Mariæ Ungariæ Dalmatiæ Croatiæ construi & erigi jussit Colomanus Rex.*

„ Moderna ecclesia nullum vetustatis vestigium nunc retinet, præter ciborium aræ majoris,

„ joris, in cujus pinnaculo Crux hujusmodi extat
„ M ✠ CV quod demonstrat eodem tempore ac
„ turrim fuisse constructum.

„ Eodem anno obiit Vekenega filia Ciccæ
„ Abbatissa, quæ vivente viro monasticam vitam
„ inire decreverat, ad cujus favorem secuta est
„ sententia relata 1091.

„ Sepulta est in Capitulo ejusdem monasterii & arca columnis suffulta habet inscriptionem:

„ *Laude nitens multa jacet hic Vekenega sepulta*
„ *Quæ fabricavit Turrim simul & Capitolia*
„ *struxit.*
„ *Hæc obiit undeno centum post mille sub ævo,*
„ *Quo vivens Christus carnis portavit amictus.*
„ *Nos habet annus quintus quo Rex Colomanus*
„ *Præsul & est decimus quo G. fuit annus.*

„ Huic monasterio idem Colomanus nobile concessit privilegium regię libertatis anno 1102. quando coronatus fuit rex Croatorum Belgradi civitate regia, nunc Zaravecchia.

„ S. Nicolai ecclesia & monasterium antiquius censerem ex ejus structura, sed de ejus origine nihil certi videre licuit.

„ Idem dicendum est de origine monasterii S. Demetrii; extant tamen quædam scripturæ in archivio monasterii montis Tconi, ex quibus constat donatam fuisse ecclesiam S. Demetrii ejusdem monachis a Capitulo & universitate civitatis anno 1203. post desolationem Jadræ, quæ circa annum 1200. contigit. Eadem donatio fuit confirmata a Benedicto Falletro Patriarcha Gradensi, qui vixit circa eadem tempora.

„ Verum circa ea tempora Jadra a Venetis muris nudata ejusque ædibus eversis, cives vegetiores ac armis assueti piraticam iniere, reliqui imbecilliores utriusque sexus dispersi abiere quoquo poterant refugium quæritantes.

„ Eandem quoque calamitatem moniales S. Demetrii perpessæ sunt, quarum aliæ Arbum cum Abbatissa Viola migrarunt, aliæ vero in agro Jadrensi apud S. Petrum de Bubgnani secesserunt, ubi inopem & ærumnosam vitam agentes, ut victui suo aliquo modo consulerent, eandem ecclesiam S. Petri cum prædiis ad eam pertinentibus concesserunt Dominico Abbati SS. Cosmæ & Damiani, qui eas in protectionem uti sorores suscepit, ac alimenta atque alia ad vitam necessariam spopondit, ut docet scriptura 1207.

„ Cumque ecclesia S. Petri Bubgnane est dicecesis Belgradensis, cujus sedes Episcopalis Scardonam translata fuit post eversionem Belgradi, ideo Bartolus Episcopus Scardonensis eandem cessionem confirmavit anno 1207.

„ Jadrenses interim exsules ac profugi cladibus & calamitatibus pene consumti, salubri inito consilio supplices in gratiam & fidem Venetorum reddidere, quibus patriam repetere & domos dirutas reparare fuit permissum.

„ Ea propter Viola Abbatissa S. Demetrii, Jadram reversa ecclesiam suam requisivit, ac sibi restitui postulavit; quam tandem ejusdem Abbati Dominico cessit, ut constat ex scriptura 1208. Quomodo postea redierit ad moniales, cognoscere non licuit.

„ Monasterium S. Catharinæ recentius dignoscitur.

„ Cœpit construi a Pellegrina filia qu. Ser Cose de Saladinis & relicta qu. Ser Francisci Chrysogoni Nobilis Jadræ, quæ in testamento suo 1391. 22. Maji disponit, quod monasterium S. Catharinæ a se fundari cœptum compleri debeat per suos commissarios, inter quos nominavit præcipue Rever. D. Petrum de Matafaris Archiepiscopum, & in eo immitti debeant moniales populares, cui legavit integram suam possessionem de Peterzane, hortos, & olivetos &c. Postmodum vero Nicolaus Draperius civis Jadræ dictum monasterium & ecclesiam ampliavit, in qua cum Agnete ejus uxore sepeliri voluit, cui e suis bonis legavit, ut constat ex testamento 23. Martii 1413.

„ Sanctæ vero Marcellæ licet adventitium, cum ortum suum habuerit Nonæ civitatis regiæ antiquissimæ, pro ut indicant ibi vestigia & rudera; translatum fuit Jaderam circa annum 1500. & comune effectum civibus Jadræ & nobilibus Nonæ.

„ Extabat antiquitus aliud monasterium in suburbio Jadræ, videlicet S. Mariæ de Melta, de quo habetur mentio in Stat. lib. 3. cap. 5. sed cum suburbio demolitum est.

„ Reditus monasteriorum sufficientes.

„ Plures reliquiæ SS. asservantur in eisdem monialium ecclesiis.

„ In S. Maria.

„ De capite S. Gregorii PP.
„ Caput S. Quirini martyris.
„ De brachio S. Andreæ & S. Matthæi Apostolorum.
„ De reliquiis S. Anastasiæ & S. Simonis Prophetæ.
„ Dens S. Mariæ Magdalenæ. Item S. Benedicti Abbatis.
„ De capite S. Euphemiæ. Frustulum ossium S. Zoili confessoris.
„ De Spongia passionis. De ligno S. Crucis. De Columna flagellationis.
„ De subucula S. Agnetis. Reliquiæ S. Martini, & aliorum SS.

„ In S. Catharina.

„ Frustulum capitis S. Justæ virginis, & martyris.
„ Digitus S. Donati. Item S. Ambrosii.
„ Reliquiæ S. Catharinæ virginis & martyris.

„ In S. Demetrio.

„ Reliquiæ S. Helenæ. Item S. Demetrii. Item plurium SS. sine nomine.
„ Urceolus argenteus cum liquore, qui scatet ex corpore S. Demetrii.
„ Plures reliquiæ in cruce argentea & reliquiæ S. Jo. Baptistæ.

„ In S. Nicolao.

„ Fragmenta reliquiarum S. Nicolai.
„ De brachio S. Bonifacii.
„ Manus S. Agapiti martyris.
„ Fragmentum reliquiarum S. Claræ.
„ De ligno S. Crucis. De Spongia passionis, Fragmentum Columnæ passionis Domini.
„ Plurimæ aliæ reliquiæ SS. in tabella, & in cruce.

„ In S. Marcella.

„ Ossa S. Casimiri & S. Adriani martyrum.
„ Reliquiæ S. Marcellæ virginis. S. Margaritæ virginis & martyris. S. Felicis martyris. Dens S. Alcleræ martyris. S. Floriani martyris. S. Giovinæ martyris & virginis. S. Agapiti martyris. S. Lucreferæ martyris. SS. Petri, Lælii, Boni, Lucani, Theophonti martyrum. SS. Ermetis & Bonifacii martyrum. Parum cineris S. Petri Apostoli.

„ Reli-

„ Reliquæ ecclesiæ cum monasteriis viginti septem numerantur, pleræque a confraternitatibus laicorum & artium scholis cultæ & frequentatæ, nec non de necessariis ad divinum cultum sufficienter, & aliquæ etiam copiose instructæ. Extat etiam ecclesia S. Eliæ Prophetæ pro illis, qui sunt Græci ritus, quæ regitur per unum monachum S. Basilii, qui ibidem officia ritu Græco celebrat.

„ Extant præterea tres Congregationes Presbyterorum, novem confraternitates laicorum, pluresque artium scholæ; nec alia instituta desiderantur quæ religionis incrementa promovere possunt.

„ In plerisque memoratis ecclesiis reperiuntur plures SS. Reliquiæ decenter & splendide asservatæ, quas singulas recensere longum esset.

„ Inter cetera ampulla argentea cum quodam glutino, quod lac B. Virginis appellant, in ecclesia S. Silvestri.

„ Hospitalia septem in eadem civitate reperiuntur.

„ Unum pro damnatis ad triremes, alterum pro militibus, reliqua quinque pro pauperibus utriusque sexus, videlicet S. Jacobi, S. Martini, quod antiquitus erat in suburbio; S. Bernardini, S. Marci, & B. Virginis de Castro veteri. Illorum auctores ignoti, excepto S. Jacobi, quod Jacobus Morgane civis Jadræ instituit.

„ In eadem diœcesi quinque etiam cœnobia & conventus Regularium reperiuntur. Unum in insula Pasmani in monte, quod villæ Tconi imminet, in cujus vertice sita est ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, cum monasterio, pro angustia situs, satis opportuno, quod sex monachi Ordinis S. Benedicti idiomatis Illyrici incolunt. Abbas commendatarius illud regit & administrat. Jugum montis antiquitus castrum cingebat, cujus vestigia adhuc apparent, quo refugium aliquando patuit Capitulo cathedralis Jadræ, cum eadem civitas quoddam excidium funditus passa est, cujus meminit scriptura 1203. existens in archivio ejusdem monasterii relata a Lucio lib. 4. cap. 2. pag. 157.

„ Primordia hujus monasterii ab eodem Cresimiro rege processisse dignoscuntur circa annum 1059. ex scriptura ejusdem monasterii. Sciendum est primum ejusdem monasterii titulum fuisse S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, in cujus honorem idem rex Belgradi, nunc Zaravecchia, ædificavit ecclesiam ac monasterium, quod tradidit regendum Andreæ Abbati, illudque auxit plurimis prædiis & præcipue insula Zuris & Curte Rogovo, ut habetur ex scriptura apud monachos existente.

„ Eandem ecclesiam consecraverunt Laurentius Archiepiscopus Spalatensis una cum Apocrysariis Romanæ Sedis Episcopo Fulconio & Gebizono Abbate SS. Felicis & Alexii, nec non Præstantio Episcopo ejusdem civitatis anno 1076. quo die cives Belgradenses obtulerunt eidem ecclesiæ decimas olivarum, ut videre est ex scriptura penes monachos existente. Eodem anno & forsan die Præstantius Episcopus Belgradensis donavit eidem monasterio S. Joannis Evangelistæ ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani in monte, quod constat ex iisdem scripturis.

„ Sed cum Bonus Episcopus Belgradensis eandem ecclesiam iterum occupasset, Augustinus Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus, illam eidem monasterio restituere fecit anno 1103. & eandem donationem postea confirmavit Ordelaphus Faletro Dux Venetiarum anno 1116. ut videre est in scripturis monachorum.

„ Verum Belgrado everso a Dominico Michaele Duce Veneto, monasterium S. Joannis Evangelistæ ad insulam e regione positam translatum fuit, & dictæ ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani unitum, antiquato nomine S. Joannis. Sed cum Dux Venetus post eversionem Belgradi donasset Michæ Episcopo Jadrensi ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, illam Micha postea restituit eidem monasterio anno 1129. ut testantur scripturæ. Extant quoque plura diplomata Pontificum & regum Ungariæ, quæ testantur amplitudinem possessionum ejusdem monasterii, in cujus ditione 36. villæ numerabantur, quarum judex ordinarius Abbas monasterii existebat.

„ Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani postmodum fuit funditus cum ipso Castro deleta, quando, & a quo ignotum.

„ Iterum tamen a fundamentis constructa anno 1369. ut sequens docet inscriptio, quæ cernitur litteris Gothicis exarata supra portam lateralem ejusdem ecclesiæ.

„ ✠ *Hoc opus novæ constructionis ad futurorum rei memoriam post destructionem infrascriptorum loci & ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, Artemii, Leontii & Euprepii martyrum & fratrum, reædificatur & a fundamento construitur, ad laudem Dei Omnipotentis, Beatissimæ Virginis ejus Matris Mariæ, dictorumque SS. per Fratrem Petrum de Jadra, Dei & Apostolica gratia umilem Abbatem dicti loci, Capellanumque D. Papæ infrascripti, instante anno a Nativitate Salvatoris MCCCLXIX. Indictione 7. die 4. Junii, præsidente Papatui Urbano divina providentia Papa V. anno ejusdem 7.*

„ Cujus ecclesiæ ædificium absolutum fuit anno 1418. ut patet ex lapide inscripto, sito sub pinnaculo faciei ejusdem ecclesiæ.

„ ✠ *Hæc ecclesia fuit completa MCCCCXVIII. tempore Reverend. Prioris D. Francisci Maripetro, in honorem Beatissimorum Cosmæ & Damiani D. M.*

„ Aliud monasterium fuit in diœcesi, nempe S. Michaelis de Monte, e regione civitatis in insula Ugliani situm (nam tota insula, quæ utroque fretu terminatur, Ugliani insula dicitur, in qua plures vici seu villæ continentur) quod prius commendatum, demum a B. Pio V. suppressum fuit. Ecclesiam S. Michaelis in cacumine montis excelsi positam cingit castrum adhuc existens non spernendæ molis ac structuræ, cum arce eminenti, ex qua tamquam ex specula prospiciuntur sinum Adriaticum præternavigantes. Ipsum castrum cœptum fuisse construi circa annum 1366. colligitur ex quadam instructione Consilii generalis Jadræ, suo Nuntio ad regem Ungariæ Ludovicum ablegato, quam inserit Lucius in suis memoriis Tragurii lib. 5. cap. 7. & postea munitum anno 1373. ut docent quædam litteræ ejusdem Consilii Episcopo Vaciensi datæ, quarum meminit ibidem Lucius.

„ Item in eadem diœcesi Observantes S. Francisci tres conventus habent. Unum in insula Pasmani, quem construi jussit juxta ecclesiam S. Domnii Pellegrina de Saladinis in suo te-

„ sta-

„ stamento, in quo habitare voluit Fratres Minores de Bosna. Alterum in Ugliano cum ecclesia S. Hieronymi. Tertium in insula Silvæ fundatum a Matthæo Paulina ejusdem insulæ incola anno 1660. cum ecclesia S. Mariæ de Carmelo, erecta a Simone Paulina ejus fratre.

„ Tertiarii S. Francisci duos ibidem in diœcesi tenent conventus, unum in scopulo parvo dicto Galevaz, apud insulam S. Michaelis e regione civitatis cum ecclesia S. Pauli primi Eremitæ, quæ illis fuerat concessa per Marinum Crissava & Antonium de Chrysogonis commissarios substitutos Bartoli de Milano, & confirmata per Archiepiscopum Vallaressum commissarium Apostolicum anno 1454. die ultimo Februarii. Alterum in insula magna in loco dicto Zaglava cum ecclesia S. Michaelis, quæ constructa fuit a Gregorio Morgane præfato, & legata eisdem Fratribus cum nonnullis terris in eadem insula existentibus. Utrumque paucos Fratres habet.

„ Oppidum Pagi cum fere tota insula Jadriacæ diœcesis esse censetur, excepta ora occidentali, quæ ad diœcesim Arbensem pertinet. Eadem insula primum Cissa seu Gissa a Plinio, postea a Dandulo Kessa vel Quvssa appellata, a Croatis cum civitate ejusdem nominis desolata fuit, cujus vestigia adhuc ibidem cernuntur. Hæc a Cresimiro rege Dalmatiæ & Croatiæ anno 1071. Arbensi Ecclesiæ assignata fuit, exceptis villis Pagi, Pezzani, & Uvlassich, quas Episcopo Nonensi tribuit. Postmodum a Sebastiano Ziani Duce Veneto anno 1174. Rogerio Mauroceno Dominici Comitis Jadræ filio, titulo Comitis concessa. Verum exortis controversiis inter eundem Rogerium & Arbenses, res ad Lampridium Archiepiscopum & ad Consules & Consilium Jadræ delata est; auditis propterea partium juribus, decretum fuit anno 1177. ut insula Kessæ a Jadrensibus & Arbensibus communiter coli & pasci perpetuo debeat, nihilque Arbenses dicto Rogerio respondeant.

„ Porro rebus Dalmaticis post varios casus ad regem Ungarorum devolutis, Jadrenses ejusdem insulæ dominium a Ludovico rege iterum obtinuere, juraque sua etiam ultra fines Arbensium extendere nitebantur & in suum dominium Novaliam, Kessam, & Lonum cum suis pertinentiis includere, quibus præjudiciis Arbenses obsistere volentes anno 1372. in actis publicis jura sua protestati sunt per Hermolaum de Hermolao eorum V. Comitem & Cancellarium Consilii.

„ Verum cum Pagenses toto conatu semper Jadrensium dominatum detrectarent, anno 1393. ab eis defecere ejecto Joanne Soppe eorum Comite. At Jadrenses armis validiores recepto Pago, atrocia Pagensibus intulere jurgia, contumelias, ludibria, mutilationes, suspendia, direptiones, turpesque interneciones. Quibus a rege Sigismundo cognitis, Pagensiumque clamoribus & querelis exauditis, Pagus Jadrensibus ademptus fuit anno 1395. Pagenses a carceribus missi, resque eorum tam ecclesiasticæ quam sæculares, quæ apud Archiepiscopum servabantur, restitutæ. Ceterum ut juris ordine servato res ageretur, delegati fuerunt judices regii, Joannes Episcopus Zagabriensis, & Gara Banus Dalmatiæ & Croatiæ, qui pro dirimendis etiam aliis subditorum quæstionibus Nonam convenerant, generalem conventum celebrantes, assumptis Chrysogono Traguriensi, & Joanne Nonensi Episcopis, Comite Corbaviensi, & duobus, vel tribus nobilibus civitatum Tragur. Spalat. Scardonen. Nonen. & Arben. ubi partium juribus plenissime auditis anno 1396. 24. Junii decreverunt & declaraverunt insulam Pagi instar aliarum civitatum Dalmatiæ, in suis libertatibus esse conservandam, Jadrensibus perpetuum silentium imponendo, reservato jure Pagensibus coram rege prosequendi injurias & damna a Jadrensibus sibi illata, cujus tenor sententiæ refertur a Lucio in notis ad Memoriale Pauli de Paulo.

„ Jadrenses nihilominus illico regem appellantes, nuntios ad curiam regiam misere, qui omissis judiciorum contentionibus, consilium emendi insulam Pagi iniere, oblatis regi exhausto in pretium 40. ducatorum millibus in decennium solvendis.

„ Verum cum irriti Jadrensium conatus evasissent, Pagenses in sua libertate perrexere. Verum cum postea anno 1402. 27. Augusti Jadrenses Ladislao regi Neapolitano se dedissent, Pagum quoque in suam potestatem iterum receperunt, ut colligitur ex eodem Memoriali Pauli. Porro Jadra a Ladislao Venetis per venditionem tradita anno 1409. Pagenses excusso Jadrensium jugo regimen Venetorum liberum suscepere.

„ Sed cum villa Pagi, una cum parochiis orientalibus, illius insulæ a Cresimiro rege in privilegio 1071. Episcopo Nonensi, ut diximus, assignatæ fuissent, ac postea a Venetis occupatæ, ideo in Synodo ab Archiepiscopo Spalatensi cum suis Suffraganeis celebrata anno 1185. annuente Summo Pontifice, pro bono pacis detracta fuit Episcopo Arbensi Zupa Luchæ in solo Croatico existens, & ejus medietas assignata Episcopo Nonensi, pro parte insulæ Pagi a Venetis possessa. Porro ut Veneti eandem insulæ partem, recrudescente tunc cum Ungaris bello, tueri ac retinere possent, extructa arce in villa Pagi, eam præsidio muniere, ubi incolæ ut in tutiorem locum suas sedes locare cœperunt, quorum frequentia vicus in oppidum excrevit, & obliterata antiquæ Kessæ memoria, Pagi nomen invaluit.

„ Adjacet oppido vallis salinarum copia satis nota Reipublicæ Venetæ opulentum censum reddens, quarum laborioso proventu incolæ ut plurimum victitant. Verum tractu temporis auctis Pagi ædificiis ac ecclesiis, hostium incursionibus expositis, Senatus Venetus novum oppidi locum magis tutum & opportunum meditari cœpit, illudque in faucibus vallis, ubi euripus æstuat, anno 1443. collocavit, murisque peronatis ac turribus munivit, ac sepsit, quo incolæ Pagi migrarunt, quorum priscæ ædes ruderibus obrutæ adhuc visuntur, ac terræ veteris nomen retinent. Quæ a nobis de Pago breviter, ea fusius narrat Lucius lib. 3. cap. 12. item Paulus de Paulo in suo Memoriali.

„ In eodem oppido insignis extat collegiata constans ex Archipresbytero, qui habet curam animarum, & duodecim Canonicis, quam Petrus de Matafaris Archiepiscopus ex paro-

„ chia-

Digitized by Google

„ chiali in collegiatam erexit circa annum 1395. „ ac subinde Blasius Molinus titulo Primicerii „ auxit.

„ Quam erectionem Martinus PP. V. circa „ annum 1427. confirmavit. Hi omnes quoti- „ diano servitio chori sunt addicti, quem plures „ etiam alii Sacerdotes & clerici frequentant. „ Regitur per Vicarium foraneum, cui quin- „ que parochiæ ejusdem insulæ subsunt. Eccle- „ sia collegiata est satis ampla, perpolite ex- „ structa, supellectilibusque non indigna. Re- „ ditus congruos habet.

„ Cæterum sicut hoc oppidum, tam ecclesia- „ sticis quam sæcularibus qualitatibus non defi- „ cit, ita ut ad integrum jus civitatis & ad „ episcopalem dignitatem non immerito adspi- „ ret eoque augeri satagat, ita Episcopum ali- „ quando habuisse gratis asserit, nec ullo legi- „ timo documento probat.

„ Etenim cur in locum demortui Episcopi „ successor adlectus non fuerit, caussa assignan- „ da est. Præterea Ferdinandus Abbas Ughel- „ lus vir in perquirendis episcopalibus sedibus „ sedulus, ac accuratissimus, cui patuere Codi- „ ces Vaticani ac libri provisionum consistoria- „ lium, in quibus episcopales ecclesiæ totius „ orbis Christiani sunt descriptæ, hanc unam „ Pagensem in sua Italia sacra dum de Archie- „ piscopatu Jadrensi agit, tamquam Patriarcha- „ tui Gradensi subjecto, sibi excidere non si- „ visset, vel saltem inter suppressas vel unitas „ numerasset, prout de aliis suppressis, vel uni- „ tis vir diligentissimus meminit, quando ali- „ quod memoriæ vestigium earum invenit. Sed „ mittamus ista, & ad oppidum revertamur, „ in quo extant duo Regularium conventus, „ unum S. Dominici in S. Antonio, alterum „ Minorum conventualium in S. Francisco; „ utrumque, unum vel alterum Fratrem habent. „ Extat quoque monasterium monialium Ordi- „ nis S. Benedicti in ecclesia S. Margaritæ, ubi „ 20. sorores ac plures educandæ degunt, cu- „ jus redditus tenuitatem supplet magnificentia „ principis, non exiguo indulto salis. Oppido „ Pagi moderno pons ligneus nectit isthmum, „ in quo extat ecclesia S. Petri Apostoli cum „ parietinis monasterii, cujus proventus licet „ exigui Abbati commendatario cedunt. Op- „ pido veteri imminet ecclesia S. Mariæ Ma- „ joris, structura non ignobilis, olim parochia- „ lis, quam nunc precario tenent Fratres S. „ Francisci de observantia, in quam adhuc Ar- „ chiepiscopus & Capitulum collegiatæ jus re- „ tinent. Ædes pro Fratribus ibidem condidit „ Blasius Discovich nobilis Pagensis, ac non- „ nullas terrulas legavit, quibus accedunt elee- „ mosynæ ad victum Fratrum.



EPISCOPI JADRENSES.

S. FELIX

Episcopus Jadrensis I.

INter Episcopos Jadrenses hic primus est, cujus nomen & memoria litteris prodita ad nostram ætatem pervenit. Nullus dubito, quin huic ecclesiæ plures alii ante Felicem Antistites præfuerint, quorum notitiam vetustas atque oblivio posteritati præripuit. Ceterum, si Salonitanam excipias, nulla est in Dalmatia Ecclesia, quæ suorum Antistitum seriem altius repetere, & Episcopos Felice Jadertino antiquiores nominatim proferre possit. Ab initiis Salonitanæ Metropolis proxima fuisse primordia Episcopatus Jadertini facile existimaverim; id quidem urbis amplitudo ac dignitas postulabat, quæ ceteris Dalmatiæ civitatibus, secundum Salonam, numero civium, copia divitiarum, celebritate nominis, & advenarum commercii caussa illuc adeuntium frequentia, longe præstabat: quare Jadera dignior nulla visa fuerat, quæ prima omnium, post ecclesiasticum principatum Salonæ constitutum, episcopali sede donaretur. Hanc sæculo quarto Felix obtinebat; hujusque diœcesim ac jurisdictionem amplissimam fuisse oportet; siquidem temporibus illis, præter hunc & Metropolitam Salonitanum, vel nullus alius, vel admodum pauci erant in Dalmatia Episcopi. *Felix primus Episcoporum Jadrensium, cujus nomen extat.*

De Felice Episcopo Jadrensi nihil aliud litteris traditum est, nisi eum duobus celeberrimis Conciliis interfuisse, Aquilejensi & Mediolanensi. Anno igitur 381. convenerunt Aquilejam non solum multi ex Italia Episcopi, jubente Gratiano Imperatore, sed etiam aliqui ex regionibus finitimis, itemque Legati Afrorum & Gallorum, nulla quidem lege, sive imperio astricti, sed caritate ac studio rei catholicæ tuendæ impulsi; atque in his Felix Episcopus Jadertinus. Hujus Synodi cogendæ caussam præbuerunt Palladius & Secundianus Episcopi, alter in Mœsia, alter in Dacia, sectatores occulti Arianæ impietatis, quam in Pannonia, Mœsia, Dacia, post interitum Germinii Sirmiensis, Valentis Mursæ, Ursacii Singiduni Antistitum propemodum excitare, lateque vulgare mirum in modum studebant; id quo impunius facere possent ac liberius, fidei & religionis Catholicæ personam induerant; & Gratianum Imperatorem adeuntes queruntur se falso in suspicionem hæreseos vocari; rogant ut Concilium universale convocari jubeat, in quo suæ fidei rationem reddere possint. Eorum postulatis annuendum censuerat Gratianus; sed eum ab ejusmodi consilio revocavit Ambrosius, nihil tanti esse dictitans, *ut propter duos tantum in perfidia cariosos Episcopos toto orbe essent Ecclesiæ summis Sacerdotibus destitutæ*. Jussit igitur Gratianus solum Episcopis diœcesis Italicæ diem edici ad conveniendum Aquilejam; si qui tamen ex finitimis, vel longinquis ad Synodum Aquilejensem accederent, noluit illis aditum intercludi. Habita est Synodus *Syagrio & Eucherio clarissimis Coss.* III. Nonas, vel ipsis Nonis Septembris anno 381. Palladius & Secundianus, quamvis Ariani flagitii virus animo inclusum & compressum verbis ambiguis tegere conantes, & huc *Duobus Conciliis Aquilejensi, & Mediolanensi interfuit.*

atque

atque illuc tergiversantes, convicti tamen hæreseos haud dubiæ, damnatique recesserunt. Felix Episcopus noster hanc in Palladium nominatim sententiam tulit: *Palladium, qui blasphemias dicit in Filium, sicut Arius, cum omnibus pariter condemno*. Idem cum aliis nomen suum adscripsit tribus epistolis datis ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, ac Theodosium. In prima epistola eos rogant, ut Palladium & Secundianum Arianæ impietatis compertos, & sollemni judicio damnatos, ab ecclesiæ liminibus arceri jubeant; Photinianorum audaciam coerceant, qui clandestinos conventus Sirmii agere non verebantur: in altera monent, ne Ursicino aures præbeant, qui adversus Damasum schisma seditionemque conflaverat, ac rursus sedem Romanam invadere conabatur; in tertia denique gratias agunt Imperatoribus, quod eorum singulari virtute ac vigilantia, compressis hæreticis, pax & tranquillitas ecclesiarum sit constituta; hortantur etiam ut Timotheum Alexandrinum, & Paulinum Antiochenum Episcopos, quorumdam dissensionibus agitatos, in suam fidem & clientelam recipiant, & quamprimum ad componenda orientalium Episcoporum dissidia Concilium Sacerdotum Catholicorum Alexandriam convocari jubeant, qui *inter se plenius tractent, atque definiant, quibus impertienda communio, quibusque servanda sit*.

Ex caritate Synodum Mediolanensem adiit.

Eodem christianæ caritatis impulsu, & rei catholicæ adjuvandæ studio Felix incensus, Mediolanum se contulit ad Concilium, quod Ambrosius litteris Siricii Papæ admonitus contra Jovinianum hæresiarcham indixerat. Cum Jadertina Ecclesia neque Mediolanensi, neque Aquilejensi Metropolitæ subesset, neutrius Synodi adeundæ lege tenebatur; uni enim parebat Metropolitæ Salonitano; & quamvis cum Dalmatia una esset de septemdecim provinciis Illyrici subjectis Præfecto prætorio Illyrici, exempta tamen erat jurisdictione ecclesiastica Primatis Illyrici, & cum sua metropoli ex auctoritate nutuque Romani Patriarchæ seu Primatis pendebat, ut aliis locis sæpius dictum est. Jovinianum ergo Pontificis & Concilii Romani sententiis confixum, jussit Siricius ab ecclesia etiam & Synodo Mediolanensi damnari; in ea quippe civitate errores suos disseminandi initium fecerat, & ob hanc caussam Mediolano expulsus Romam venerat, ut pestifera opinionum suarum contagione Romanorum animos inficeret. Hæc autem erat flagitia Joviniani, virginitatem nihilo majoris apud Deum vel pretii vel meriti esse, quam sit castitas conjugalis; neminem, qui baptismum rite suscepisset, innocentiam & sanctitatem, quam e sacro fonte hauserat, posse amittere; tantumdem a Deo gratiæ inire, qui carnibus cum gratiarum actione vesceretur, quantum qui ab iisdem religiosæ temperantiæ caussa abstineret; idem piis omnibus & æquale præmium in cælo decretum esse; quod vero aures omnium horrescunt, Deiparam ex quo Christum pepererat, Virginem esse desiisse. Infamem hæresiarcham Felix cum universa Synodo Mediolanensi damnavit, & epistolam synodicam ad Siricium quarto loco post Ambrosium, Eventium Cenetensem, Maximum Æmoniensem, subscripsit *Felix Episcopus Jadertinus*, anno 390.

Post Felicem ingens centum ac fere quadraginta annorum lacuna plures Episcopos vetustate & oblivione obrutos absorbuit. Quo temporis intervallo Jadera cum Dalmatia primum sub Odoacre Herulorum, deinde sub Theodorico Gothorum imperium subivit.

ANDREAS EP. JADRENSIS II.

Andreas Ep. Jadertinus primo itemque secundo Concilio provinciali interfuit sub Honorio III. Metr. Salonit.

Hujus quoque nomen & Episcopatus Jadrensis lateret, nisi extarent acta duplicis Concilii provincialis Salonitani. Utrumque convocavit Honorius hoc nomine tertius Metropolita, primum anno 530. alterum anno 533. Utrumque a censura Joannis Lucii vindicare conati sumus in actis ejusdem Honorii; nihil est in illis, quod reprehendere queas, præter styli barbariem & mendosam scriptionem, quæ librariorum vel inscitiæ, vel incuriæ attribui potest. In priore Canones omnino quatuordecim constituti sunt, quibus nihil sanctius, nihil utilius, nihil tum juri divino & ecclesiastico, tum illis temporibus magis aptum & consentaneum. Huic proxime post Honorium Archiepiscopum subscripsit *Andreas Episcopus Ecclesiæ Jadertinæ*. In secundo primus sententiam dixit idem Andreas, censuitque provinciam Salonitanam Episcoporum numero augendam esse, propterea quod parochiæ quorumdam Episcoporum, ac præsertim Antistitis Salonitani, latius paterent, quam ad illas regendas & lustrandas unus idemque Episcopus sufficeret: *Andreas vir venerabilis Jadertinæ Ecclesiæ Episcopus dixit: Omnium Sacerdotum fratrumque meorum, Papa beatissime, prosequor voluntatem; quia tanta est bonitatis magnitudo, ut omnes nos faciat de tui oneris levamine cogitare. Quippe cum gratum vobis fore credamus propter differentiam hos pro parochia consignandæ plebi excursus, parochiasque presbyterorum vestra consecratione merentur alios ordinare Pontifices. Sicut etiam in Barcensi Ecclesia, a prædecessore vestro beatæ memoriæ Honorio est provide ordinatum; quia in tanta distensione locorum rarius consignationem chrismatis populus renatus adsequitur. Quapropter qui omnium nostrum primatum, Deo juvante, quo præsides, & curam geris, ordinationemque commissam tuorum, necesse est Pontificum adminiculis releveris*. Correctionem & explicationem his verbis adhibitam habes in actis ejusdem Honorii §. 3. Cap. II. Post Andream unus alterve Episcopus desideratur ad explendam seriem episcopalem usque ad finem hujus sæculi sexti.

Justinianus Jaderam & Dalmatiam Gothis ademit.

Nondum fortasse Andreas e vivis discesserat, cum Justinianus Imperator Gothis bellum intulit; & anno primo ejusdem belli, æræ vulgaris 535. Jaderam cum Dalmatia fere tota hostibus ademptam ad Imperium orientis adjunxit. Eodem anno Justinianus patriam suam in confinibus Epiri novæ ac Dardaniæ sitam, quam propemodum a fundamentis refectam, mœnibus validissimis firmatam, & præclaris ædificiis auctam, *Justinianam primam* appellari voluit, totius Illyrici caput & fastigium esse jussit, translata illuc ex Macedonia & urbe Thessalonicensi tum præfectura prætoriana Illyrici, tum supremo hierarchiæ Illyricæ magistratu, qui jus nomenque Primatis & Vicarii Apostolici obtinebat. Ac Dalmatiam quidem eidem Præfecto Justinianæ primæ subjecit, non item vero Ecclesias Dalmatiæ Primati ejusdem civitatis adjunxit. Hæc siquidem, ut antea Sirmiensis, ac Thessalonicensis, sic postea Justinianopolitani Metropolitæ jurisdictioni exemptæ, in potestate Primatis ac Pontificis Romani permanserunt, ut parte prima Prolegomenon, atque in Hono-

rio III. Metropolita declaratum fuit. Itaque Andreas & Ecclesia Jadrensis eumdem, quem ab initio, Primatem Romanum retinuit & coluit.

Controversia de tribus Capitulis. Post mortem Andreæ celebris illa de tribus Capitulis controversia exorta est, quæ primum occidentales ab orientalibus opinionum dissidio sejunxit, deinde occidentales ipsos inter se commisit, factionesque in contrarias distraxit. Post damnationem eorumdem Capitulorum in Synodo quinta Constantinopolitana sancitam, & Vigilii Romani Pontificis auctoritate confirmatam; qui Capitula defendere obstinatione quadam sententiæ perseverarunt, habiti sunt dictique schismatici. Ac plerique Dalmatiæ Episcopi, & fortassis etiam Jadertinus, quicumque tum fuerit, auctore Frontiniano Metropolita Salonitano, trium Capitulorum defensionem, antea, dum ea tueri licebat, susceptam, post synodicam & pontificiam damnationem obfirmatis animis retinuerunt; malueruntque ab Romano Pontifice, quam a sua pertinacia desciscere. Sed postquam Justinianus Frontinianum in exsilium deportari jussit, Petrus eidem in Sedem Archiepiscopalem suffectus Jadertinos & Dalmatas, repudiato trium Capitulorum patrocinio, ab schismate abductos in sinum Ecclesiæ revocavit.

SABINIANUS EP. JADRENSIS III.

Sabinianus Episcopus Jadrensis, Æqualis fuit Gregorio Magno, ad quem tres extant hujus sanctissimi & maximi Pontificis epistolæ. Sabinianus jam tum Ecclesiam Jadertinam regebat, cum Maximus per vim & factionem schismaticam, non sine suspicione largitionis simoniacæ electus, sedem Salonitanam invasit anno 593. Hanc electionem pluribus vitiis infectam Gregorius rescidit, & irritam fecit; vetuitque illum, aut alium quemquam injussu suo consecrari, interdicti pœna proposita

Maximo in sedem Salonitanam intruso, tum in Episcopos Dalmatiæ, si quidem hi conferre, tum in ipsum Maximum, si hic suscipere consecrationem episcopalem auderet; accessuque ad mysteria divina illos prohibuit: *quod si contra hæc*, (ut est in epistola Gregoriana data anno 593. & inscripta *Universis Episcopis per Dalmatiam*) *quidpiam vel sponte vestra, vel a quolibet coacti, præsumpseritis agere, decernimus vos a Dominici corporis & sanguinis participatione privatos, quatenus ex eadem ipsa attrectatione vestra, vel voluntate transgrediendæ præceptionis nostræ, a cælestibus mysteriis alieni sitis, nec is, quem ordinaveritis, habeatur Episcopus*. Verum consanguinei & fautores Maximi, vi manuque militari adhibita, quosdam ex Episcopis compulerunt, ut eidem manus imponerent, & consecrationem impertirent. Plures deinde Gregorius epistolas tum ad Maximum, tum ad alios Maximi caussa scripsit, quarum aliæ ad annum 94. aliæ ad 95. aliæ ad 96. ejus sæculi annum pertinent. Ac primum quidem tam Maximo, quod indignus ad Sacerdotium obrepserit, & contra quam ipse vetuerat, consecrari voluerit; quam Episcopis, qui eum consecraverant, sacris altaribus & pontificalibus ministeriis tamdiu interdictum esse voluit, quoad permissu jussuque Mauritii Imperatoris illum ordinatum fuisse constabit: Maximus siquidem cum Mauritii favorem & patrocinium sibi conciliasset, id Gregorio significandum curaverat. Deinde eidem imperavit, ut quemadmodum a Mauritio jussus fuerat, omni abjecta cunctatione, Romam veniret ad caussam dicendam, & objectas sibi criminationes depellendas. At Maximus neque Romam se conferre, neque Gregorii judicium subire voluit; & pontificio interdicto posthabito, ac violato, tum rem divinam ritu sollemni & pontificali facere, tum omnia Episcopi munera & officia exsequi pergebat. Quare ex violatione illius interdicti se ipsum in laqueum majoris excommunicationis induerat, ut eidem & Episcopis, a quibus consecrationem acceperat, Gregorius denunciaverat: *Quod si contra hæc agere præsumpseritis*, (id est, si quidpiam interea episcopalis potestatis ac muneris attingere audebitis) *anathema vobis sit a Deo, & a B. Petro Apostolorum principe; ut contemplatione judicii vestri, ceteris quoque catholicis ecclesiis ultionis vestræ præbeatur exemplum*. Hæc accuratius & distinctius in actis Maximi ex epistolis Gregorianis ibi descriptis. Cum igitur Maximus gravissimo illo anathemate confixus ac segregatus esset ab omni Christianorum cœtu, nemini licebat cum illo ullius rei sacræ commercium habere, quin illius culpæ particeps fieret, ac se quoque excommunicationis vinculo illaquearet.

Jam vero Sabinianus ex flagitiis Maximi cum pertinacia conjunctis, non levem culpam & pœnam cum ceteris Episcopis contraxit. Nam primum ipse quoque in eligendo provehendoque Maximo ad Pontificatum Salonitanum cum aliis Dalmatiæ Episcopis consensit, & Maximi electionem, postquam Gregorius irritam fecisset, ratam habuit ac legitimam; quam ob caussam eidem, atque ceteri Episcopi, interdicto suberat, quod omnibus ac singulis, quorum suffragiis Maximus electus & confirmatus fuerat, divinæ Eucharistiæ percipiendæ facultatem adimebat: si vero non solum ejus electioni & confirmationi consensum, sed etiam ejus consecrationi episcopali operam & ministerium præbuit; alterius pontificiæ censuræ vinculo obstrictus tenebatur; siquidem Gregorius Maximum, & eos, qui Maximum, manibus eidem impositis, consecrarunt, ab omni munere & officio episcopali tamdiu abstinere jussit, dum ex litteris Constantinopoli allatis cognosceret id auctoritate jussuque Imperatoris factum esse; diserteque addiderat, huic interdicto nisi paruissent, extemplo illis anathema, sive majorem excommunicationem inflictum iri. Ac Maximus quidem violato interdicto hanc gravissimam pœnam sibi consciverat; Sabinianus vero, aliosque Episcopos ab hujusmodi violatione, pœnaque in violatores constituta, alienos & immunes fuisse affirmare, vel negare non ausim. Ceterum Sabinianus, quamvis nulla alia culpa teneretur, nullisque aliis censuris ac pœnis ecclesiasticis illigatus esset, non levi tamen se culpa pœnaque obstrinxerat, propterea quod in eadem rerum sacrarum & ecclesiasticarum communione, qua fuerat antea conjunctus cum Maximo, persistere non est veritus, etiam postquam Gregorius illum nominatim ab ecclesia segregaverat, vitandumque ab omnibus esse denunciaverat: ex quo factum est, ut plures ex Jadertinis Episcopi sui auctoritate & exemplo, sive Maximi, sive illorum, qui Maximo adhærebant, consociationem sibi defugiendam non esse putarent. Itaque Jadrensium alii pontificio edicto obtemperandum, & tum Maximum, tum eos, qui juncta cum Maximo societate & communione seipsos polluerant, vitandos esse censebant; alii vero non item, qui vel

nequidquam Gregorio P. prohibente adhæsit;

igna-

Digitized by Google

E exemplo suo plures Jadrensium in eamdem culpam traxit, pœnamque.

ignari quo scelere, quave pœna se obstringerent, vel metu & necessitate quadam compulsi, cum Maximo, ejusque fautoribus ac sociis, rerum præsertim sacrarum commercium retinuerant. Extat epistola Gregorii inscripta: *Presbyteris, Diaconibus, & Clero, Nobilibus ac populo Jaderæ consistentibus, & Militibus, qui Maximo prævaricatori communicaverunt.* Data fuit anno 596. Utrosque, & qui Maximo favebant, & qui ab eo abhorrebant, Gregorius admonuit, alteros quidem ut se ab ejus labe & contagione intactos servarent, alteros vero, ut statim alienationem a Maximo & disjunctionem sibi faciendam esse intelligerent. Maximi jussa & vetita pontificia contemnentis obstinationem & pervicaciam commemorat, ob quam dignum se præbuit, qui a capite, totoque corpore Ecclesiæ abscinderetur. Quos Sedes Apostolica exsecratur, atque ab se rejicit, cum his nulla debet esse piis Christi cultoribus societas, sed potius summa distractio. Caveant ne ab illis Sacramenta percipiant, quibus cum Maximo societatem & amicitiam intercedere cognoverint; alioquin fore, ut quod sibi saluti esse deberet, in suam perniciem convertant. Habes hanc epistolam in actis Maximi.

Ex admonitione Gregorii resipuit, & omnem cum Maximo consociationem diremit.

Hæc epistola Sabiniano etiam ad resipiscendum oculos aperuit; & conscientia stimulante, primum quidem culpæ labisque ex contagiosa cum homine, multis flagitiis coinquinato & ab Ecclesia segregato, societate contractæ pudere illum ac pœnitere cœpit; deinde agnitam Maximi nequitiam & contumaciam exsecratus, omnem, quæ sibi cum eo fuerat, amicitiam & consociationem dissolvit. Id cum Gregorius rescivit, statim litteras ad Sabinianum dedit. Illum sane reprehendit, quod Maximo Sacerdotium contra fas legesque arripienti consenserit, ejusque facinoris & pœnæ participem se & consortem præbuerit; laudat vero, quod licet sera, non inutili tamen pœnitentia animum subeunte, nunc ab ejus pravis actibus dissentiat, seque a pestifero illius consortio revocaverit. Jubet eum Romam venire, & quoscumque possit Episcopos ac religiosos viros secum adducere, quos pravitas & malitia Maximi, & juncta cum illo societas & communicatio aut exitiali contagione infecerat, aut levi afflatu contigerat; ut caussa omnium diligenter excussa & cognita, pro eo ac singuli merentur, vel pœnam salutarem decernat, vel culpæ omnis pœnæque liberationem impertiat. *Nunc autem*, inquit, *quia ab ejus te nequitia cognoscimus dissentire denique, ut nec ei communices, nec nominis ipsius facias inter sacra sollemnia mentionem, ut animæ tuæ vel sero te ab eo discordasse proficiat; scriptis te præsentibus adhortamur, quatenus ad nos, mora omni submota, venire non differas; sed & alios tecum, quos tamen potueris, Episcopos, ceterosque religiosos festines adducere; ut causa subtilius examinata, & nostra, si res exegerit, congrue decenterque debeat absolutio provenire; & hi, qui in peccato ejusdem temeritate collapsi sunt, ad viam salutis, auxiliante B. Petro Apostolorum Principe, dispositione Deo placita revocentur.* Hæc epistola data est post superiorem ad Jadertinos, anno scilicet proximo 597.

Sabinianus cum ex litteris Gregorii apertius ac dilucidius cognovisset quantum in se flagitii admiserat, sequendis juvandisque partibus hominis contumacis, ejectique ab Ecclesia; exhorruit enimvero, atque in semetipsum tanti sceleris conscium ac participem salubri indignatione exarsit. Quocirca ad labes eluendas, quas ex improba illa, & Deo Ecclesiæque invisa factione contraxerat, ab urbe atque hominum frequentia secessit, seque in latebras abdidit cujusdam monasterii, ut ibidem inter monachos in jejuniis ac precibus, & voluntaria corporis afflictatione dies aliquot transigeret, tantasque errati sui pœnas ultro susciperet, quantas videlicet ab se salutare sui commissique facinoris odium, & ardens veniæ gratiæque divinæ promerendæ studium postulabat. Rescripsit ad Pontificem, confessus est peccatum suum non sine acerbissimo animi sensu ac dolore; & quid & quantum pœnarum susceperit pro illius expiatione, breviter exposuit, ac veniam suppliciter petiit. In extrema epistola nescio quid controversiæ, sive negotii, quod illi erat Constantinopoli, Gregorio commendavit; de hoc siquidem magnopere sollicitus erat, & verebatur, ne qua fraus dolusve subrepens, sibi aliquod damnum & periculum crearet; fortasse Maximus, ut Sabiniani a se defectionem ulcisceretur, aliquam eidem in urbe regia litem intenderat, vel calumniam intulerat. Hæc ex responsione Gregorii ad Sabinianum; nam hujus ad illum litteræ interciderunt. Hac tam insigni & severa pœnitentia non solum a Gregorio veniam errati, sed etiam litteras consolatorias meruit: caput autem litterarum erat, gaudere se quod maculam e consociatione sacrilega & schismatica susceptam salubri pœnitentia & satisfactione expiaverit; cumque illum & venia impertierit, & in suam Sedisque Apostolicæ gratiam & communionem jam receperit, obligatione urbis adeundæ exsolvit, quam superioribus litteris eidem imposuerat. Det operam, ut alii quoque suo exemplo suisque cohortationibus impulsi se a pestifera Maximi societate sejungant. De suis in urbe regia negotiis ne metuat, & anxio animo sit; quippe illius caussam suo apud Mauritium Apocrisario ab se diligentissime commendatam fuisse. Hæc est sententia secundæ Gregorii ad Sabinianum epistolæ, quæ scripta fuit indictione prima, mense Februario, an. 598.

Per litteras a Gregorio veniam petiit, quam etiam impetravit & litteras consolatorias ab eodem accepit.

Vix dici potest quantum alacritatis ac lætitiæ Sabiniano attulerint secundæ Gregorii litteræ, ex quibus & suam conversionem ac pœnitentiam Pontifici probatam fuisse, & se ab illo in gratiam communionemque Sedis Apostolicæ receptum esse intellexit. Ad Gregorium ergo rescripsit, se pro singulari illius indulgentia ac benignitate plurimas maximasque gratias & agere, & habere; pontificiam fidem atque opem implorat, ut sibi præsidio sit contra Maximum; a cujus consortio & factione cum descivisset, eum sibi inimicum infestumque reddiderat. Id negotii & controversiæ quod sibi erat Constantinopoli, ac versabatur in aliquo discrimine, iterum Gregorio, & magnopere commendat. De presbytero, qui nescio quod gravissimum flagitium commiserat, quid statuendum esset, Pontificem consulit. Ad extremum orat obsecratque, ut Ecclesiæ Jadertinæ privilegia & beneficia, quæ in illam Pontifices Romani contulerant, firma rataque esse jubeat. Sabinianus e suorum numero delegit hominem expertæ in primis fidei ac prudentiæ, cui has litteras Romam perferendas dedit, diligenter admonitum, ut quæ scripto breviter ac summatim commissa erant, ea ipse verbis fusius & accuratius Pontifici exponeret. Hæc quoque Sabinia-

Gratias agit Gregorio, ejusque patrocinium implorat adversus Maximum sibi infensum.

Digitized by Google

Tertia Gregorii epistola ad Sabinianum.

biniani epistola vetustate interiit. Gregorius ad omnia respondit, ac mirifice se oblectatum esse ait sincera illius & prompta pœnitentia, ejusque obedientiam commendat; bono animo esse jubet, quidquid molestiæ Maximus intulerit patienter ferat, illius minas superbas atque inanes contemnat. Hæ quatuor Gregorianæ epistolæ, una ad Jadertinos, tres ad Sabinianum, quamvis ad Ecclesiam & Episcopum Jadrensem pertineant, eas tamen actis Maximi Salonitani Antistitis interseri, conjungique oportuit, ut continuatio tota, seriesque illius gravissimæ controversiæ, & omnia, quæ ad illam referuntur, non interrupta & mutilata, sed integra & perpetua narratione, sub uno veluti aspectu ponerentur. Postremam tamen ad Sabinianum epistolam cum notis eidem subjectis hic rursus describendam censui.

Gregorius Sabiniano Episcopo Jadertino.

Satis, Frater charissime, de sinceritate tua lætificor, quod eam solliciti discretione judicii, & ubi obediendum (1) est obedire, & ubi resistendum est resistere, studio sacerdotali, cognosco.
1
Cum quanta namque te devotionis alacritate submiseris his, quæ ob culpam præteriti excessus (2)
3
indiximus, litterarum tuarum, quas per latorem præsentium direxisti, pagina reseravit. Nec poterat aliter (3) a dilecto Fratre suscipi, quam
3
a diligente mandatum est. Unde in Omnipotentis Dei miseratione confido, quia ita ejus te gratia protegit, ut per hoc etiam ab aliis (4) absolutus, salubriter paruisse te gaudeas. De hoc
4
vero quod se contristari charitas tua Maximi prævaricatoris & excommunicati (5) æmulatione
5
signavit, turbari non debet; sed decet, ut ad modicum tumentes inaniter fluctus patienter tolerando sustineas, & undarum spumas perseverantiæ virtute substernas. Novit enim patientia levigare, quod grave est, & constantia superare, quod sævit. Animos ergo tuos adversitas non dejiciat, sed accendat. Audaciorem te in omnibus vigor sacerdotalis ostendat. Nam vera documenta veritatis sunt, promptiorem in duris, & fortiorem se quemquam in contrariis exhibere. Ut igitur rectitudinis robur a bono deliberationis suæ nulla valeat impulsione convelli, mentis gressus in ejus petræ (6) soliditatem, sicut cœpistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per
5
totum mundum fundasse nostis ecclesiam; quatenus recta sinceri cordis vestigia in devio itinere non offendant. Ea vero quæ nobis scripsistis, vel præsentium lator coram positus explicavit, nos non credatis negligenter (7) omittere; sed de his omnino sollicite cogitamus. Dilectissimo autem
7
filio nostro (8) Anatolio Diacono jam & prius,
8
& nunc iterum omnia subtiliter indicavimus, hortantes ut quidquid ad utilitatem ac quietem charitatis vestræ, vel filiorum vestrorum pertinet, Creatoris nostri auxilio suffragante, agere stricte ac studiose festinet. Et ideo fraternitatem vestram ne mœror afficiat, nec inimicitia cujuslibet affligat; nam divinitatis gratia opitulante in proximo adesse confidimus, ut & præfati prævaricatoris & excommunicati præsumptio districtius reprimatur, & vestra quies, sicut desideratis, adveniat. Excellentissimo quoque (9) Ex-
9
archo, qui nobis eum studet commendare, de pravitate ipsius scribere nequaquam omisimus. Presbyterum vero, de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in Sacro Ordine post (10) lapsum, aut permanere, aut revocari posse cognoscas: circa quem tamen mitius agendum est, propterea quod commissum facinus facili dicitur professione confessus. 10
Præterea pariter hic portitor quædam ecclesiæ vestræ privilegia a nostris concessa prædecessoribus intimavit. De quibus, scriptis charitatis vestræ nos subtilius volumus informari, vel si qua ex eis scripta in ecclesiæ vestræ scrinio rejacent, eorum huc exemplaria transmitti necesse est, ut quidquid ad honoris vestri reverentiam, vel (11) 11
genium præfatæ ecclesiæ pertinet, libenti animo parare possimus. Glorioso autem communi filio Domno (12) Marcello, si huc venire voluerit, 12
instantius suadete, quia omnino eum videre desidero. Si vero illic stare elegerit, ita vos ei in charitate, qua convenit, exhibete, ut affectui ipsius, quem circa vos habet, respondere, sicut condecet, valeatis. Omnipotens Deus suæ gratiæ dono vos & custodia protegat, & cor vestrum in ea, quæ ei sunt placita, semper accendat. Mense Jun. Indictione prima, id est anno 598.

Notæ.

(1) E tuis litteris cognosco te agere fide sincera, quæ subtili judicio discernit, quibus obedire, & quibus resistere oporteat.

(2) Cum in duabus superioribus litteris ad Sabinianum nihil hujusmodi Gregorius præscripserit, necesse est alterutri epistolæ aliquid scripti separatim adjunxerit, in quo rationem ritumque obeundæ pœnitentiæ canonicæ Sabiniano tradebat.

(3) Hæc nimirum vis est sinceræ perfectæque charitatis, ut qui se ab altero diligi sentit, non possit non obsequi voluntati illius, a quo diligitur.

(4) Opera pœnalia sibi a Gregorio injuncta tam alacri promptoque ad obediendum animo suscepit ac peregit Sabinianus, ut non solum maculas omnes eluerit, quas ex inita cum excommunicatis societate contraxerat, sed etiam pro aliis delictis, si quibus obstrictus fuerat, cumulate satisfecerit.

(5) Ex quo enim Sabinianus a pestifera Maximi familiaritate desciverat, hic inimice illum insectari, & plurimis molestiis afficere nunquam destiterat. Itaque Gregorius Sabinianum egregiis documentis instruit, & confirmat ad patienter & constanter ferendum quidquid incommodi injuriæve Maximus intulerit.

(6) Jubet mentem atque animum Sabiniani, ne moveri deflectique a recto queat, in ejus petræ, id est fidei Apostolicæ, soliditate defigi, quæ convelli non potest, cuique totius ecclesiæ moles incumbit.

(7) Pollicetur se curaturum diligenter, ut res & negotia Sabiniani in urbe regia, illi ex sententia succedant.

(8) Anatolius erat Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui apud Mauritium auctoritate & gratia plurimum valebat; cuique propterea Gregorius prima & gravissima negotia sæpe commendaverat, ut Gregorianæ ad eum epistolæ declarant.

(9) Is erat Callinicus, cujus favorem & patrocinium sibi Maximus conciliaverat.

(10) De clericis post lapsum non recipiendis, ac puniendis plures extant Canones. Cum Presbytero tamen, de quo consulitur, mitius agendum censet, propterea quod de suo lapsu spon-

Digitized by Google

ſponte & ingenue confeſſus fuerat: errati autem voluntaria & prompta confeſſio aliquid indulgentiæ meretur.

(11) Huic verbo Editores Maurini hanc explanationem adhibuerunt. *Ornatum* intellige *ſplendidiorem*, decus, ſive *privilegium jam ab antiquo conceſſum, atque adeo legitime expetitum. Vide Henr. Steph. Schediaſm. c. 18. Johan. Brodæi Miſcel. lib. 9. c. 10. Siagrius Auguſtodun. Epiſcopus pro genio & honore ſuæ eccleſiæ pallium poſtulat infra lib. 9. epiſt.* 108.

(12) Marcellus ille Scholaſticus, ad quem extat epiſtola Gregorii Tomo II. Illyr. Sac. in actis Maximi a nobis deſcripta. Hunc patria Jadertinum fuiſſe oportet, aut ſubjectum Eccleſiæ Jadertinæ. Eum ſiquidem vocat *filium* tum ſibi, tum Sabiniano *communem*.

Series Epiſcopalis intervallo ducentorum fere annorum interrupta.

De Sabiniano nihil præterea veterum ſcriptis ac monumentis traditum invenio; neque compertum eſt, quamdiu vixerit. Poſt Sabinianum ſeries epiſcopalis duorum ſæculorum hiatu interrupta eſt; ex omnibus enim Epiſcopis, qui per annos fere ducentos Eccleſiam Jadertinam adminiſtrarunt, ne unum quidem vetuſtas & oblivio reliquum fecit, cujus nomen ac memoriam non aboleverit.

Avares cum Slavis Salonam & alias urbes evertunt.

An tempeſtas illa barbarica, quæ anno 639. in Dalmatiam incubuit, & Salonam urbem nobiliſſimam funditus evertit, Jaderam quoque oppreſſerit ac diruerit, mihi exploratum non eſt. Avares cum Slavis permiſtos Dalmatiam univerſam, & Iſtriam, aliaſque finitimas regiones depopulatos fuiſſe conſtat. Præter Salonam & Epidaurum, alias etiam urbes ab illis expugnatas fuiſſe commemorat Conſtantinus Porphyrogenitus lib. de Adminiſt., ſed nullas nominatim expreſſit. In ea calamitate populis illis miſeris atque afflictis aliquid ſolatii & ſubſidii attulit Joannes IV. Pontifex Maximus, quem natione Dalmatam Scriptores omnes, patria vero Jadertinum fuiſſe Onuphrius Panvinius, Alphonſus Ciacconius, & alii affirmant. Hic popularium ſuorum vicem ſollicitus, ac dolens, Martinum Abbatem eximiæ fidei & ſanctimoniæ virum, cum ingenti pecunia e ſacro ærario deprompta in Dalmatiam, atque Iſtriam miſit anno 640. ut quos Avares & Slavi in ſervitutem abduxerant, redimeret; & corpora Sanctorum Martyrum direptionibus & ſacrilegiis barbarorum erepta Romam adveheret. *Eodem tempore*, ut ſcripſit Archidiaconus cap. VIII., *Joannes Summus Pontifex, cum eſſet Dalmatinus natione, audiens gentis ſuæ miſerabilem caſum, valde condoluit, miſitque quemdam Abbatem Martinum nomine, cum multa pecuniæ quantitate pro redimendis captivis. Qui veniens ad partes Dalmatiæ multos redemit captivos a Sclavis, eoſque ad parentes ſuos remiſit. Iſte Martinus ex Apoſtolica juſſione multorum Sanctorum reliquias accepit in partibus Dalmatiæ & Iſtriæ; & detulit eas Romam ad prædictum Papam Joannem &c.* Hæc fuſius & accuratius Tomo I. & II. in actis S. Venantii & Theodori III. Antiſtitum Eccleſiæ Salonitanæ. Si Joannes IV. Jadertinus fuit, ut fuiſſe graves Auctores cenſent; habet ſane hæc civitas, cur jure meritoque tali ac tanto Pontifice glorietur, qui & theſauros Eccleſiæ S. Laurentium imitatus ad ſublevandam popularium ſuorum calamitatem effudit; & non ſolum ob ſummam pontificiam dignitatem, ſed etiam ob rerum præclare geſtarum gloriam, patriæ ſuæ univerſæque nationi magno fuit decori & ornamento. Hic primus, collecta Romana Synodo, nefarium dogma Monothelitarum, & Heraclianam Ecthesim, animo imperterrito ad omnia, quæ ſibi ab Heraclio Imperatore, vel ab ejus Exarcho Ravennate imminebant, ſollemni judicio & ſuprema auctoritate damnavit; ac præterea Monothelitis eripuit auctoritatem & patrocinium Honorii Papæ, cujus litteris ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ad maleſanos errores tuendos perverſa interpretatione explicatis abutebantur. Eum quippe, qui litteras illas Honorio dictante, & nomine juſſuque Honorii ad Sergium ſcripſerat, juſſit earumdem litterarum ſincerum germanumque ſenſum exponere, ac dilucide oſtendere aliorſum, atque Honorius intelligebat, ab hæreticis referri; ut docet S. Maximus Abbas in eo dialogo, quem cum Pyrrho habuit, qui Sergio in ſedem Conſtantinopolitanam & Monotheliticam impietatem ſucceſſerat. Ita Joannes tum Honorii famæ, tum catholicæ veritati conſuluit; neque aliunde majus graviuſque pro ſincera & orthodoxa fide Honorii teſtimonium proferri poteſt, quam ex hac explicatione mentis & ſententiæ Honorianæ, ab eo tradita, qui Honorio ab epiſtolis cum eſſet, ejus animum optime noverat, quique ex ejus ſenſu & judicio epiſtolam illam fideliter expreſſit.

Joannis IV. Papæ Dalmatæ erga ſuos populares pietas ac beneficentia.

Chrobati & Serbli expulſis Avaribus, Dalmatiam mediterraneam occupant.

Poſt cladem Avaricam, & Salonam aliaſque Dalmatiæ urbes a barbaris exciſas, primum Chrobati, deinde Serbli, utrique ex genere Slavorum, permiſſu Heraclii Imperatoris in Dalmatiam migrarunt, & Avaribus victis demum, expulſiſque Dalmatiam mediterraneam univerſam occupaverunt, cujus pars occidentalis & inferior Chrobatis, pars vero ſuperior & orientalis Serblis obvenit. Jaderam vero, ceteraſque urbes maritimas vel reædificatas, vel a barbaris intactas in ſua poteſtate Heraclius & alii deinceps Imperatores Orientis retinuerunt. Cum Sedes Archiepiſcopalis Salonitana conſtituta fuiſſet Spalati in urbe nova e Palatio Diocletiani exſtructa, aliis etiam civitatibus Dalmatiæ ſui Antiſtites reſtitui cœperunt, qui temporibus illis calamitoſiſſimis, in eaque rerum omnium perturbatione, creari deſierant. Joannes Lucius lib. I. cap. 9. exiſtimat ex Archidiacono colligi poſſe Jaderam quoque ab Avaribus dirutam, & a Salonitanis ex inſulis, ad quas profugerant, redeuntibus reſtitutam fuiſſe: *Cum ad Jadræ ruinas aliquos ex Salonitanis profugos appuliſſe narret Archidiaconus, Jadram quoque tunc diſtructam fuiſſe fatendum eſſet*. Verum Archidiaconus ait exſules illos Salonitanos non ad *Jadræ ruinas*, ſed *ad portam cujuſdam urbis antiquæ*, ſed dirutæ applicuiſſe; *& videntes*, inquit, *locum ſatis habilem ad habitandum, paraverunt ibi aliquod munimentum, & habitaverunt in eo. Et quia ſitus loci propter adjacentes inſulas, & propter commoditatem portus, multum eis placebat, non habebant jam neceſſe ad Salonam redire; nihil enim eis videbatur deeſſe præter fluvium Jadrum, qui ex orientali parte Salonitanæ urbi multum delectabiliter influebat, de quo legitur in Lucano:*

Jadera non eſt urbs illa antiqua & diruta, cujus meminit Archidiaconus, ſed potius Blandona.

Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.

Hoc igitur ſæpius nominato, urbi nomen impoſitum eſt Jadria, vel ut quibuſdam placet, ab Jadro conditore Jadria nomen accepit. Nomen Jadriæ, non ibi inventum, ſed tunc primum a Salo-

Salonitanis illatum esse scripsit Archidiaconus; quodnam vero fuerit vocabulum antiquæ illius dirutæque civitatis non tradit. Non est autem verisimile, Jaderam, urbem tota Dalmatia notissimam atque celeberrimam, amplissimamque coloniam Romanorum, ignotæ cujusdam & antiquæ urbis nomine, prætermisso proprio vocabulo, ab Archidiacono significari voluisse, quæ ab Avaribus, ut Lucius censet, diruta fuerit. Propius vero est, ut supra diximus, oppidum illud, in cujus vestigiis Salonitani ex insulis reduces domicilia sibi excitarunt, fuisse Blandonam, quam Auctor Itinerarii Antoniniani, inter Jaderam & Arausam interjecit. Congruit ejus loci positio descripta ab Archidiacono. Huic enim neque portus commoditas & opportunitas deest, & plures e regione objacent insulæ ex illis, quas Plinius Crateas, Liburnicas, Celodussas vocat.

Post cladem Avaricam suus etiam Jaderæ Ep. restitutus.

Ceterum sive tempestas illa barbarica Jaderam intactam præterierit, sive eodem, quo Salona, turbine convulsa, hæc etiam civitas corruerit; certe quidem post Avares expulsos, resque publicas compositas & tranquillatas, suum ipsa quoque Episcopum recepit. Verum anno 671. cum Chrobatis & Serblis, qui ejectis Avaribus loca mediterranea Dalmatiæ incolebant, sacro baptismate initiatis suum dari Episcopum oportuerit, hujusque sedes episcopalis Nonæ collocata sit; necesse fuit tum ipsam urbem Nonam, tum alia loca detrahi ex ditione Antistitis Jadertini, ut sua novo Episcopo diœcesis assignaretur, quæ longe lateque porrecta, quidquid erat in Dalmatia generis & nominis Slavonici complectebatur; nam initio, ut præclare Joannes Lucius animadvertit, post primum Slavorum baptismum, de quo in Joanne primo Metropolita Spalatensium, Nonensis fuit unicus totius gentis Slavonicæ Episcopus. Hinc valde diminuta fuit Jadertina diœcesis, & finibus longe contractioribus circumscripta: id quod etiam Thomas Archidiaconus docet cap. xv. *Jadrensis Episcopatus non magnam habuit parochiam, propter vicinitatem Nonensis.* Verum omnem, ut supra dixi, rerum & Antistitum Jadrensium notitiam, usque ad sæculum nonum, nimia vetustas & oblivio intercepit.

S. DONATUS EP. JADRENSIS IV.

Hic non solum rebus præclare pieque gestis, sed etiam vitæ sanctimonia & miraculis urbem & Ecclesiam Jadertinam illustravit. Jaderæ nobili genere natum ferunt; at si non patria Jadrensem, certe natione Dalmatam fuisse communis est omnium opinio. Sub initium sæculi noni ad hanc ecclesiam regendam accessit, pro cujus utilitate, & civium suorum, omniumque Dalmatarum salute duas nobilissimas legationes suscepit, alteram ad Carolum Magnum regem Franciæ, alteram ad Nicephorum Imperatorem Græcorum.

Carolus Magnus Chrobatos seu Dalmatas mediterraneos sub imperium redegit.

Carolus Pipini Francorum regis filius, is qui magnitudine rerum gestarum Magni cognomen invenit, post Saxones & Hunnos debellatos, Chrobatos etiam, qui Dalmatiam mediterraneam incolebant, & cum Hunnis finitimis adversus Francos socialia arma conjunxerant, vel subactos & bello domitos, vel ultro in fidem venientes sub imperium Francorum intra finem octavi sæculi subjunxit: id quod diserte traditum est ab Eginharto in vita Caroli: *Tost quam* (id est Saxoniam) *utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque, Liburniam, atque Dalmatiam* (mediterraneam, quam Chrobati concessu Imperatorum Orientis obtinebant) *subjecit, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus, Imperatori Constantinopolitano habere permisit*: ac deinde cum Romam venisset anno 800. ulturus injurias Leoni III. Pont. Maximo illatas, natali Christi die in basilica S. Petri Imperatoris nomen & insignia sumpsit, tradente ipsomet Pontifice, & Clero, Senatu, populoque Romano applaudente. Imperium Caroli æque potens ac beneficum plurimas utilitates Chrobatis & Pannoniis attulit; hisque gentibus erat tum præsidio ad hostium incursiones arcendas, tum adjumento ad rem publicam & privatam augendam. Ad hæc liberales artes ac disciplinas a Carolo illatas esse in Pannoniam, & magistros invectos, qui ad juventutem latinis litteris erudiendam scholas aperirent, auctor est Melchior Inchofferus: quam vero ad Pannonios bonis artibus imbuendos contulerat, eamdem Chrobatis excolendis curam impendisse non est cur dubitemus.

Cum igitur res Chrobaticæ & Pannonicæ sub imperio Caroli florerent, & auctiores quotidie fierent; Dalmatas maris accolas finitimarum gentium felicitate illectos, Græci dominatus cum Gallicano commutandi cupiditas cepit. Multæ præterea caussæ suberant, cur Dalmatas maritimos imperii Græci pœniteret. Res opesque Græcorum bellis barbaricis, & intestinis discordiis jamdudum labefactari, ac multarum provinciarum jactura diminui cœperant; & post Ravennam amissam admodum raræ, aut nullæ ab Oriente classes in Adriaticum immitti solebant, quæ oram utramque tuerentur. Quare si qua vis hostilis ingrueret, præsertim a Saracenis, qui Africam & maximam Hispaniæ partem adepti, in occasionem Dalmatiæ Italiæque occupandæ imminebant; Dalmatæ nudati præsidiis, expositique barbarorum injuriis, ab Imperio orientali sumptibus & jacturis exhausto, nulla auxilia sibi polliceri poterant; cum vix Imperatoribus ad regiam urbem & finitimas provincias tuendas satis copiarum suppeteret. Hæ scilicet caussæ Jadertinos & Dalmatas impulere, ut se in fidem ac clientelam Caroli Magni conferrent. Duos itaque legatos ad Carolum decreverunt, Donatum Episcopum & Paulum ducem Jaderæ, qui anno 806. cum legatis Venetorum profecti, sub festos natalis Dominici dies Aquisgranum ad Carolum cum venissent; se, urbes, populosque maritimos Dalmatiæ Carolo Imperatori tradiderunt; conventumque est utrinque in hanc conditionem, ut Dalmatæ annua vectigalia Carolo persolverent, Carolus præsidium ac tutelam Dalmatis rependeret: 806. *statim post natalem Domini venerunt Villerus (sive Obelerius) & Beatus Duces Venetiæ; & Paulus Dux Jaderæ, atque Donatus Episcopus ejusdem civitatis, Legati Dalmatarum ad præsentiam Caroli cum magnis donis.* Hæc Adelmus & Eginhartus in Annalibus Franc. Sed alia fuit Venetæ, alia Dalmaticæ legationis caussa. Obelerius & Beatus fratres Ducesque Venetiarum a Senatu populoque ad Carolum missi fuerant, ut de cæde sacrilega Joannis Patriarchæ Gradensis Venetos purgarent, ex ejusque animo suspiciones evellerent, quas Fortunatus Patriarcha Gradensis Venetos criminando injecerat;

Donatus Episcopus cum Paulo Duce Jaderæ legatus ad Carolum missus urbes maritimas Dalmatiæ in ejus fidem ac tutelam tradidit.

Digitized by Google

erat; id quod apud Dandulum & Scriptores Venetos fusius ac dilucidius explicatum est. Legatio autem Dalmatica eo spectabat, ut populos atque urbes maritimas in Caroli fidem ac tutelam committeret. De utriusque legationis Venetæ & Dalmaticæ exitu generatim & obscurius loquuntur Annales Francorum, quam ut quæ acta sunt & constituta, distincte ac perspicue intelligi possint: *Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ, quam Dalmatiæ;* quibus ex verbis nihil aliud colligitur, nisi Imperatorem decrevisse secundum ea, quæ oratores utriusque gentis postulaverant; nam ad Dalmatiam quod attinet, Dalmatæ in fidem ac deditionem imperii, annuo tributo imposito, recepti sunt, & Carolus Dalmatiam ad regnum Italicum Pipini filii adjunxit; eique imperavit, ut huic provinciæ magistratus præficeret, & præsidiis urbes muniret. Hæc breviter Joannes Lucius lib. 1. cap. xv. *Nam Græcorum rebus maritimis in Adriatico in dies decrescentibus, splendore potentiæ Caroli invitati Dalmatæ, Croatorumque freti vicinitate ac Venetorum amicitia, ad Francorum protectionem confugerunt.* Donatus legatione Gallicana feliciter perfunctus Jaderam rediit; & nihilo minorem, quam antea, curam & sedulitatem ad ecclesiam sibi commissam sanctissimis præceptis & exemplis excolendam adhibuit.

Niceta patricius cum classe ad recuperandam Dalmatiam missus.

De amissa deditaque Dalmatia Constantinopolim cum esset allatum, Nicephorus classem instrui jussit, ac Niceta Patricio duce in Adriaticum ad eam provinciam recuperandam transmitti anno 807. Sed Niceta præteritis intactisque insulis atque urbibus Dalmatiæ, Venetias recte contendit. A Venetis honorifice acceptus, & commeatu nautico aliisque subsidiis, quibus classis indigebat, adjutus, Obelerium Ducem Venetorum, ut est apud Dandulum, ex mandato Nicephori, honorario Spatarii titulo ornavit. Ceterum sive quod non satis virium & copiarum haberet, sive quod urbes Dalmatiæ validioribus essent Francorum præsidiis instructæ, quam ut expugnari, aut in deditionem redigi posse viderentur, dum apud Venetos degebat, pacem cum Pipino, oratoribus ultro citroque missis, faciendam censuit; sed in eas conditiones, quæ utrinque propositæ fuerant, cum pax convenire non posset, inducias pepigit usque ad mensem Augustum. Ita re infecta classem in Orientem revexit. Hæc Annales Francorum supra laudati: *Classis a Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur .... Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana in Venetia se continebat, pace facta cum Pipino, & induciis usque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta, Constantinopolim regressus est.*

Alterius Græcæ classis adventu Dalmatæ maritimi perterriti sub imperium Nicephori redeunt.

Anno 809. cum jampridem pactæ cum Francis induciæ exiissent, Nicephorum classem alteram in Adriaticum ad redigendam sub imperium Dalmatiam immisit. De hac expeditione Annales Francorum Bertiniani, & Metenses: *Classis de Constantinopoli missa prius Dalmatiam, deinde Venetiam appulit, cumque ibi hyemaret, pars ejus Comaclum insulam accessit, commissoque prælio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa atque fugata Venetiam recessit. Dux autem, qui classi præerat, nomine Paulus, cum de pace inter Græcos & Francos constituenda, quasi sibi hoc esset injunctum, apud Pipinum Italiæ regem agere moliretur, Wilario, & Beato Ducibus Venetiæ omnes conatus ejus impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit.* Dalmatas maritimos hujus classis adventu improviso & inopinato perterritos ultro in potestatem Nicephori rediisse arbitror; nam tradunt Annales Francorum anno proximo 810. *classem a Pipino ad Dalmatiæ litora vastanda missam fuisse; sed cum Paulus Cephaleniæ Præfectus cum orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum advenisset, regia classis ad propria regreditur.* Id autem argumento est urbes maritimas Dalmatiæ jam regressas ad Imperium Orientis, cum classem ad eas Pipinus quidem vastandas misisset, Paulus vero dux Græcorum tuendas duxisset. Ita Dalmatæ maritimi quarto anno, postquam Carolo se tradidissent, ad pristinos dominos Imperatores Orientis redierunt; Dalmatia vero mediterranea inter Arsiam ac Tilurum, quam Chrobati incolebant, in potestatem Francorum permansit. Intra finem anni 810. Nicephorus Arsacium Spatarium legatum de pace ad Pipinum misit, ut est in Annalibus Francorum, quem cum jam inde a mense Augusto vita functum reperisset, Aquisgranum ad Carolum progressus est, quocum ageret de concordia inter duos Imperatores constituenda. Pax ita convenit, ut Carolus Istriam, Liburniam, Dalmatiam mediterraneam, id est Chrobatiam, retineret; sed civitates maritimas Dalmatiæ, fortassis etiam Istriæ, in potestate Nicephori relinqueret, vel si nondum eas Græci receperant, Orientis Imperio restitueret. Hæc illa amicitia, hoc est illud fœdus inter Carolum & Nicephorum, cujus meminit Eginhartus in vita Caroli: *Utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Istriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam* (obtinebat), *exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus, Imperatori Constantinopolitano habere permisit.* Idem affirmat Dandulus ex Eginharto; *Postquam utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Istriam quoque, & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus, Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, acquisierat omnes barbaras ac feras nationes &c.* Verba Eginharti modo laudata referri oportet ad secundam Nicephori legationem, pacemque cum Carolo redintegratam, quæ ad annum 810. pertinet. Duas enim legationes Nicephorus ad Carolum misit, primam anno 803. ut docent Annales Francorum, cum vacuum, Irene expulsa, Imperium invasit; tunc quidem pax inter utrumque Imperium constituta est; sed de civitatibus maritimis Nicephoro relinquendis, vel reddendis nihil additum est; si enim huic paci, seu fœderi conditio hæc adjuncta fuisset, jus ac fidem Carolus violasset, cum triennio post, contra quam pax inter utrumque convenerat, urbes maritimas Dalmatiæ in deditionem acceperit; quod a fidelitate Caroli, summaque in pactis & conventis servandis constantia & religione alienum est. Restat igitur, ut verba illa Eginharti referri debeant ad legationem secundam Nicephori, pacemque Aquisgranensem anni 810. in qua cum sancitum esset, ut Carolus retineret omnia, quæ sive in Italia, sive extra Italiam possidebat, nominatim exceptæ fuerunt civitates maritimæ, quæ Nicephoro restitui, vel relinqui jubebantur.

Pax inter Carolum & Nicephorum constituta.

Nunc

Digitized by Google

Donatus Constantinopolim missus Nicephorum Dalmatis iratum reconciliavit.

Nunc de Constantinopolitana Donati ad Nicephorum legatione. A priore Gallicana vix anni quatuor intercesserant, cum a resumpta rerum ecclesiasticarum administratione iterum ad reipublicæ negotia procuranda, & civium suorum ac Dalmatarum saluti consulendum, altera non minus necessaria & longinqua legatio illum avocavit. Voluntaria illa Jadrensium ac Dalmatarum a Græcis ad Francos defectio mirum quantum Nicephori animum exasperaverat; & Dalmatis in potestatem receptis non obscura iratæ infensæque voluntatis indicia dederat. Qui eum placaret, aptior nullus visus est Donato Episcopo Jadrensi. Hunc itaque Constantinopolim legatum deprecatoremque miserunt; nec sua illos opinio fefellit. Quamvis enim ignotum non esset Nicephoro eum fuisse, qui de Dalmatia dedenda ad Carolum missus fuerat; eximia tamen viri sanctitas, prudentia, & caritas adeo Imperatoris animum sibi conciliavit, ac delinivit, ut non solum plenissimam defectionis veniam Dalmatis dederit, sed etiam si quid odii vel acerbitatis adversus Donatum ob legationem Gallicanam conceperat, id omne in summam erga sanctissimum Antistitem venerationem amoremque converterit. Nihil pro suæ civitatis & ecclesiæ utilitate postulavit, quod non illi Nicephorus prolixe cumulateque concesserit. Nullum erga illum honoris & benevolentiæ officium prætermisit. Abeuntem tum aliis muneribus, tum vero pretiosis Sanctorum Martyrum exuviis donatum dimisit. Sunt qui eum a Carolo Magno de pace cum Nicephoro componenda, ac civitatibus maritimis reddendis missum esse affirmant.

Corpus S. Anastasiæ Jaderam attulit.

Corpus S. Anastasiæ martyris Constantinopoli ab eo delatum fuisse vetus est & constans Jadrensium opinio, multarum ætatum consensu firmata. Duas nobiles in primis ac celeberrimas martyres, quibus nomen Anastasiæ fuit, apud Martyrologos commemoratas invenio, utramque patria Romanam; sed altera sub Valeriano, altera sub Diocletiano gloriosam pro Christo mortem oppetiit; hæc junior, quod posterior, illa senior, quod superior ætate fuit, appellari solet. Utram Donatus Constantinopoli

Quæ Anastasia.

Jaderam attulerit, addubitare cogit idem & commune utrique nomen; unde confusio actorum utriusque & permistio secuta est: id quod Baronius præclare animadvertit in suis notis ad Martyrologium die 25. Decembris: *Monemus lectorem de utrisque Anastasiis contigisse, ut ob commune nomen, incuria quadam Acta communicata, atque simul confusa videantur, ut quod alterius est, alteri tribuatur*. Sed ex eo loco, quem suo quæque martyrio nobilitarunt, intelligi potest, utra illarum, seniorne an junior primum Constantinopolim, deinde Jaderam advecta fuerit. Anastasia senior Romæ, Valeriano imperante, illustri martyrio perfuncta est, de qua in Martyrologio Romano ad diem 18. Octobris: *Ibidem*, id est Romæ, *S. Anastasiæ senioris virginis ... in persecutione Valeriani sub Probo Præfecto vinculis constricta, abscissis mamillis, evulsis unguibus, dentibus comminutis, manibus pedibusque præcisis, truncato capite, tot passionum monilibus ornata migravit ad sponsum. Hæc*, ut Baronius in Notis, *senior dicta respectu alterius Anastasiæ, quæ passa est in persecutione Diocletiani, de qua inferius* VIII. *Kalen. Januarii*. Palæstra vero, in qua pro Christo decertavit Anastasia junior, fuit Sirmium, civitas illis temporibus totius Illyrici princeps. Hujus quippe martyrium Apographa Hieronymiana, & Florus in suo Martyrologio apud Tillemontium, Sirmio adscribunt; idem confirmant Acta ejusdem Anastasiæ apud Surium, in quibus dicitur a Diocletiano tradita fuisse Floro Præfecto Illyrici, qui in eam & quæstionem habuit, & capitalem sententiam tulit; itemque magis diserte apud Mombritium: *Revertente Imperatore Diocletiano a Macedonia, apud Sirmium comprehensa B. Anastasia, & perducta ad forum, ubi Florus Præfectus Illyrici sedens causas audiebat &c.* Quod autem in quibusdam ejus Actorum exemplaribus scriptum est Anastasiam cum plurimis aliis, Christianæ religionis caussa, capite damnatis, male compactæ & fatiscenti naviculæ impositam, sine velis, sine remige, sine gubernaculo, & mari commissam, certissimo naufragio divinitus exemptam fuisse, id videtur pugnare cum martyrio Sirmiensi; siquidem hæc civitas a mari longissime abest. Sed maris vocabulum referri potest ad Danubium, vel Savum; uterque enim ob copiam aquarum, alvei latitudinem, atque altitudinem, motum & agitationem fluctuum, speciem quamdam maris ac similitudinem exhibet; nec desunt exempla apud Scriptores, qui fluvios ingentes, & navium justæ magnitudinis capaces, maris vocabulo afficiant. Beda, Usuardus, & alii plures una cum Martyrologio Romano docent hanc juniorem Anastasiam ad palum alligatam, strue lignorum circa illam accensa consumptam fuisse apud insulam *Palmariam*. Est contra Terracinam insula quædam inferi maris, prope ab insula Pontia, quam Palmariam vocant; sed cum inter omnes constet Anastasiam Sirmii captam, atque in carcerem inclusam, ibique longa inedia maceratam fuisse, sub Floro Præfecto Illyrici, qui ex mandato Diocletiani huic quæstioni ac judicio præfuit; nihil caussæ satis probabilis excogitari potest, cur e Sirmiensi civitate Romam deportari jussa fuerit; unde postea navigio vetusto & carioso ad certissimum naufragium imposita, cum sociis ad Palmariam insulam contra Terracinam divinitus appulerit. Cum neque in Savo, neque in Danubio exiguæ insulæ desint; ex his fortasse aliqua fuit non longe ab urbe Sirmiensi, cui nomen erat Palmariæ; ad quam cum delata fuisset Anastasia, ibidem martyrio perfuncta est; vel potius hæc insula exinde a Christianis appellari cœpit Palmaria, quod eam Anastasia cum ducentis & septuaginta commilitonibus sociisque gloriosi certaminis, victricibus tot martyriorum palmis nobilitasset. Ceterum in Actis Anastasianis apud Surium Palmaria insula nusquam nominatur; sed a Præfecto Illyrici tum alii aliis suppliciis necati dicuntur, tum Anastasia igni tradita, & ibidem sepulta dicitur in horto Apolloniæ sanctissimæ matronæ, quæ deinde, ut est in iisdem Actis, id est post pacem Ecclesiæ redditam, *Templum quoque excitat Martyri præclarum & magnificum, & postea anniversarium ei festum celebrat*.

Cum igitur de Sirmiensi martyrio & sepulcro Anastasiæ junioris vix aut ne vix quidem dubitari possit, longe verisimilius est hanc ex urbe Sirmiensi, quam illam seniorem Anastasiam inde usque ab urbe Roma Constantinopolim translatam fuisse, præsertim cum hujusce translationis tum caussa afferri, tum tempus designari possit; neutrum autem in seniorem, utrumque in juniorem Anastasiam optime convenit.

Anastasia junior Sirmio Constantinopolim translata est.

nit. Anno 441. vel sequenti Attila Hunnorum rex plurimis armatorum millibus Pannoniam invasit; & cum alias civitates, tum vero Sirmium urbem nobilissimam Pannoniæ inferioris, haud longe a confluentibus Savi & Danubii sitam, ac totius Illyrici occidentalis principem, funditus evertit. Excidium Sirmiense, quod Scriptores fere omnes in annum alterum & quadragesimum, vel huic proximum, sæculi quinti conferunt, Anastasiani corporis Constantinopolim transferendi caussam præbuit. Nam templo Anastasiano, quod Apollonia ædificaverat, pariter cum urbe diruto, ne corpus Sanctissimæ Martyris subter ruinas neglectum & obrutum insuper hominum interitu, & oblivione posteritatis, debito cultu in perpetuum careret, post aliquot annos indidem effossum, & Constantinopolim transvectum est, ut in illa regia civitate, quibus dignum erat, honoribus coleretur. Hujus translationis fidem faciunt Acta ejusdem apud Surium: *Post multos annos* (idest ab ejus martyrio amplius centum & quinquaginta) *civitatum felicissima, Constantinopolis inquam, ejus ad se exportatas suscepit reliquias, & eas deposuit in magnifico templo, & ea digno, thesaurum bonorum, fontem miraculorum, corroborationem animæ, & corporis*. Huic translationi annum primum Leonis Imperatoris, qui fuit æræ vulgaris 457., Cedrenus adscripsit. *Illo anno*, inquit, *allatæ sunt Sirmio reliquiæ Sanctæ Martyris Anastasiæ, inque ejus templo depositæ, quod est apud rostra Donnini*. Idem confirmat Theodorus Lector in extremo libro 2. Collectionum, auctor sæculi sexti, qui translationem eamdem ad Pontificatum Gennadii Patriarchæ, imperio Leonis æqualem, refert: *Gennadio Patriarcha allatæ sunt a Sirmio reliquiæ S. Anastasiæ, & in martyrio ipsius depositæ, quod in Embolis Domnii situm est*. Sed Nicephorus lib. 4. cap. 10. scriptum reliquit corpus S. Anastasiæ Constantinopolim transvectum fuisse ante imperium Leonis, cum Pulcheria & Marcianus rerum in oriente potiebantur. De templo Constantinopolitano, sive *martyrio Anastasiæ*, Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hæc subjecit; *eas esse reconditas in basilica Anastasiæ, non quidem ab ea primum ita denominata, sed a Gregorio Nazianzeno, cum illic fides collapsa* (ob Arianam perfidiam in civitate dominantem) *excitata est* (& quodammodo revixit), *ita dicta: quam quidem olim perexiguam, in augustiorem formam a se auctam, Sanctus Marcianus Presb. in honorem Dei Genitricis & Anastasiæ martyris, Deo dicandam curavit, ut Marciani Acta testantur, quæ descripsit Metaphrastes, habetque Lip. Tom. V.* Illud vero, quod ibidem a Baronio dictum est, *seniorem Anastasiam Sirmii passam, & Constantinopoli celebrem fuisse, ejusque reliquias illuc translatas esse*, eidem assentiri non possum: nam ipsemet Baronius martyrium senioris Romæ ad diem duodevicesimam Octobris adscripsit sub Valeriano Imperatore; quæ quidem, ut in notis ad eam diem idem Baronius, *Senior dicta est respectu alterius Anastasiæ, quæ passa est in persecutione Diocletiani, de qua inferius 8. Kalendas Januarii*.

Anastasia Constantinopoli culta non senior Romæ sub Valeriano, sed junior Sirmii sub Diocletiano martyrii palmam adepta.

Quo autem tempore, quam ob caussam, quo auctore senior illa ex urbe Roma Constantinopolim devecta fuerit, si quærere velis, frustra labores; ac ne verisimile id quidem est; præsertim cum plurima Sanctorum corpora ex oriente in occidentem, Constantinopoli Romam, hinc vero illuc aut nulla, aut paucissima translata fuisse inveniantur.

Anastasia junior nobili genere nata est Romæ, quam ab incunabilis Flavia mater, femina sanctissima, christianis institutis ac præceptis diligentissime erudivit. Sed Prætextatus pater invitam nubere coegit Publio viro crudeli, & cultori idolorum studiosissimo, a quo religionis caussa in arctissimam custodiam inclusa fuit. Hujus extant duæ ad Chrysogonum epistolæ, duo itidem ad eas Chrysogoni responsa. Viro mortuo Roma discessit, Chrysogonum secuta, quem Diocletianus Aquilejam deduci jusserat. In ea civitate, quod Romæ jam facere instituerat, multam ac perutilem operam tum ipsi Chrysogono, tum ceteris Christianis carcerum pædore & inedia afflictis præbuit, quos suis opibus & facultatibus sustentabat. Post martyrium Chrysogoni, cælesti hujus voce admonita, trium virginum Agapes, Chioniæ, & Irenes curam suscepit, quas jussu Diocletiani Thessalonicam abductas itidem secuta est; eisdemque ad ultimum usque spiritum pro Christo decertantibus adfuit, omniaque pietatis & charitatis officia præstitit. Deinde Sirmium se contulit, ut in ea quoque civitate, afflictis, vexatisque Christianis subsidium & solatium ferret. Ibi cum esset, a Diocletiano comprehendi jubetur, & Floro Præfecto Illyrici torquenda traditur. Ad palum alligata, & sarmentis circumpositis igne admoto, quam diu vehementerque concupierat, martyrii palmam adepta est VIII. Kal. Januarii an. 390. Hæc summatim ex Actis S. Anastasiæ, de qua fusius & accuratius in historia Ecclesiæ Sirmiensis.

Donatus Anastasiam juniorem Constantinopoli Jaderam advexit.

Hujus ergo Anastasiæ junioris corpus, quod Constantinopolim sæculo quinto translatum, in basilica Anastasiana colebatur, Nicephorus Imperator dedit Donato Episcopo Jadrensi, quod suæ erga sanctissimum virum venerationis & benevolentiæ pignus esset, ac monumentum. Has reliquias pius Antistes pluris habuit, quam gazas omnes divitiasque aulæ imperatoriæ; & hujus sacri thesauri adeptione lætus Constantinopoli discessit. Rebus omnibus, quarum caussa ad urbem regiam missus fuerat, e sententia gestis, Jaderam redeuntem, & pretiosis illis spoliis ditatum, universa civitas obviam effusa, ingenti omnium gratulatione & lætitia excepit. Corpus S. Anastasiæ in arcam marmoream inclusum in æde cathedrali collocavit, eique altare ejusdem Martyris nomine consecratum superimposuit. Ædes cathedralis Jadertina titulo & patrocinio suberat S. Petri principis Apostolorum; sed cum religio & cultus S. Anastasiæ quotidie magis effloresceret, conversis ad eam precibus ac votis Jadrensium, Martyris sepulcrum eximia veneratione & assidua frequentia celebrantium, Deo insuper haud dubiis miraculis supplicum fiduciam & sepulcri Anastasiani celebritatem augente; antiquus S. Petri titulus paullatim exsolevit, & basilica illa, veteri posthabito, novum ab S. Anastasia titulum accepit, quod deinde perpetuo retinuit. Hujus tituli Anastasiani antiquitatem confirmant tabulæ testamentariæ cujusdam Andreæ Prioris sive Rectoris Jaderæ, qui anno 908. *in Sancta Anastasia unam cuppam, & unum pannum de serico legavit*; ex quo intelligi potest, vel Donato adhuc superstite, vel proximis ab ejus obitu temporibus, ædem cathedralem ab S. Anastasia denominari cœpisse. Atque iisdem fere temporibus Jadertini Beatam

Ana-

S. Anastasia urbis & Ecclesiæ Jadertinæ Patrona.

Anastasiam urbis patronam adoptarunt; ejusque diem festum translatum ex die natali Jesu Christi Servatoris nostri, in quem illius martyrium incidit, XVIII. Kalendas Februarii ritu sollemni concelebrant, ut docet Kalendarium Ecclesiæ Jadrensis: 15. *Januar. Anastasiæ Vid. Pat. Civ. dupl.* 1. *clas. cum Octava &c.* Ejusdem vero translatio ibidem adscripta est ad diem vicesimum quintum Septembris *sub ritu semiduplici*.

Historia translationis Anastasianæ multis post episcopatum S. Donati sæculis conscripta.

De corpore S. Anastasiæ Constantinopoli Jaderam per S. Donatum translato extat historia perantiqua, quæ olim in æde cathedrali, cum anniversaria ejusdem translationis commemoratio celebrabatur, inter sollemnem ejus diei Psalmodiam, vel Liturgiam recitari solebat. Valerius a Ponte in hac historia quædam animadvertit, quæ ejus auctoritatem & fidem imminuere videntur: *Advexisse* (S. Donatum) *ossa & cineres S. Anastasiæ martyris testatur quædam historia, quæ olim legebatur in* Festo translationis *ejusdem, quæ cum in nonnullis haud integram gerat fidem, eam rejicimus in Apologia seorsim elucubrata, ubi probavimus S. Anastasiam patronam nostram, quam juniorem esse profitemur, fuisse uxorem Publii &c.* Verum præter duo menda, alterum chronologicum, alterum chorographicum, & pauca quædam ac levia errata historica, vix aliquid invenies, quod reprehendi possit. Legationem Constantinopolitanam S. Donati in annum 804. conjecit, quam post ejusdem Gallicam legationem collocari, revocarique ad annum undecimum sæculi noni oportet. Martyrium S. Anastasiæ urbi Smyrnensi affixit, quod Sirmiensi restitui debet. Utrumque mendum libentius, quam auctori hujus historiæ, librariis attribuerim, qui sæpissime in exscribendis notis arithmeticis, & nominibus locorum, quæ sunt inter se similia, falluntur & fallunt. Hæc & cetera, quæ aliqua correctione indigent, nostris in eam notis emendanda & explicanda curabimus. Hanc historiam tercentis, vel quadringentis post Episcopatum S. Donati annis conscriptam fuisse apparet, cum Episcopi Jadrenses titulum Archiepiscopalem jam usurpare cœpissent; nam S. Donatus, vocabulo e posterioribus sæculis desumpto, eidemque per anticipationem affixo, *Archipræsul* appellatur. Longissime itidem ab ætate S. Donati distabat, qui ejus arcæ sepulcrali, quamvis antiquæ, hunc titulum inscripsit: *Corpus S. Donati Archiepiscopi Jadrensis*. Historia translationis est hæc.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCIV. (1) *re-*
1 *gnantibus in orbe duobus Imperatoribus Nicepho-*
ro Constantinopolitano, Carolo vero Galliæ; &
2 *ideo inter eos orta est magna* (2) *dissensio, quoniam fortuna regni imperialis impatiens est consortis, ut pene eorum duorum Imperatorum dissensione totus mundus periclitaretur: nec hoc mirum cuilibet videtur, quippe quia nulla fides est regni sociis, & omnis potestas impatiens est consortis, ut in hoc exemplo, & in multis aliis ostenditur: legimus nempe ob id Saul persecutum fuisse David; Absalon quoque novimus eundem genitorem suum persecutum fuisse; multos etiam reges & Imperatores hujus rei causa occisos audivimus. Potest & hoc etiam ipsa Roma, cum adhuc parvum asylum esset, nobis præferre exemplum. Romulus occidit fratrem suum Remum a quo postea Roma dicta est, ut ille nobilissimus Poeta ait: Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Causam igitur tantæ discordiæ non sine divina dispositione evenisse credimus, cum scriptum sit, nihil in terra sine causa, sed propterea, ut hi duo viri religiosi atque sanctissimi,*
videlicet Donatus (3) *Jadræ urbis Præsul &* (4) 3 4
Benenatus Venetiarum Dux, tum quia legati pacis a Carolo, tum quia ecclesiarum & omnium fidelium nuntii pacis fuerunt, Constantinopolim devenirent, & pretiosum thesaurum, nulli gemmarum, vel auri pretiosi thesauro comparabilem, corpus scilicet Beatæ Virginis & Martyris Anastasiæ invenirent, quod tamen inventum primo
sic est. Apollonia (5) *femina Christianissima* 5
in quodam suo viridario extruxerat illi basilicam post passionem ejus, & ibi, ut decuit martyrem, in marmorea tumba cum aromatibus recondidit. Post multum vero temporis, multis jam elaben-
tibus annis, peccatis nimiis imminentibus (6) 6
Smyrnæ civitati, in qua corpus prælibatæ virginis & martyris, ut supra diximus, fuerat mar-
tyrizatum & reconditum, a barbaris (7) *ob-* 7
sessa & diu expugnata, tandem destructa est. Adsunt quidam viri christianissimi, ac veræ religionis; nolentes margaritas, videlicet sanctissimum corpus supradictæ virginis & martyris Anastasiæ relinquere inter porcos, ut ab illis conculcatum vilesceret, secum tollentes Constantinopolim deferunt, & timentes ne furtive eis sub-
latum fuisset, absconderunt (8) *illud; sed quia* 8
diu latere non potuit, adveniunt nuntii pacis, adveniunt amatores veræ pacis, quæ est Christus, sic enim de eo scriptum est: Ipse est pax vera viventium; adveniunt equidem Donatus Archipræsul Jadræ, & Benenatus Venetiarum Dux, ad-
veniunt pacem (9) *ferentes; quare non sine cau-* 9
sa hi duo pacis verba referunt (*ipsa enim quippe nominum suorum explicatio notat, si diligenter inquiras*). *Deum plus, quam seipsos diligentes, & proximum tamquam seipsos amantes, pa-*
cis nuntii mittuntur, quibus prænominati viri (10) 10
Smyrnites divina providentia adhæserant, & qui essent, & qualiter Constantinopolim devenissent, & sicut sanctissimum corpus Beatæ Anastasiæ vir-
ginis & martyris de (11) *Smyrna civitate* (12) 11 12
secum detulissent, omnia narrant petentes secum velle in Dalmatiam pergere; tandem gratanter & honestissime ab eis suscepti sunt. Cumque Donatus sanctissimus Archipræsul ac Benenatus Dux cœptum opus, ad quod missi fuerant, diligentissime peregissent, vento succedente secundo, una
cum supradictis viris & sanctissimo corpore (13) 13
præfatæ virginis & martyris Anastasiæ ad propria remeare cœperunt. Attamen navigantes, cum sæpissime insulis, villis, oppidis, & civitatibus applicantes, in eas descendissent causa recusationis humanæ, audiebant Dæmones circumquaque per aera ululantes; alii clamabant dicentes: Ecce martyr Anastasia venit; ecce venit Christi martyr; alii autem quasi puerili voce stridentes clamabant: O martyr Christi Anastasia, ad quid venisti torquere nos; quid tibi & nobis? abi hinc, recede a nobis. Ad cujus spectaculum omnes cucurrerunt, & multi a Dæmonibus obsessi, vincti catenis ferreis, ad eam ducti liberabantur, leprosi mundabantur, paralytici curabantur, cæcis reddebat visum, surdis auditum, claudis gressum, mancis vero dexteram; & quicumque habebant infirmos variis languoribus detentos, ducebant eos & sanabantur; sic quoque per singulas provincias corpus Beatæ Virginis & martyris Domino nostro Jesu Christo concedente operabatur. Tandem Deo duce prosperis ventis Jaderam devenerunt; cumque apud eandem civitatem devenissent, Benenatus Dux, quoniam vir prudens erat & præ-

Digitized by Google

14 præpotens, magna cum vi (14) nitebatur pretiosissimum corpus prænarratæ virginis & martyris secum Venetias asportare. Donatus vero Archipræsul e converso nitebatur similiter retinere illud, ac summa cum veneratione Jadram introducere; quibus diu altercantibus permissum est Duci; cui cum permissum foret ab hominibus, denegatum est sibi a Deo, qui cum navigare cœpisset, subito sub cæli serenitate, & maris, ac temporis tranquillitate, orta est tempestas valida; aer namque turbatur, æquor tumet, ventus adversatur, navis vero huc atque illuc ventis ac fluctibus agitatur. Benenatus autem Dux expectans temporis & maris tranquillitatem, sæpissime conatus est una cum sanctissimo corpore transfretare; qui cum hoc sibi divinitus denegatum fore cognovisset, tandem licet invitus Donato Archipræsuli sanctissimo, & cuncto clero, & populo Jadrensi habendum permisit. Ad tantum vero miraculum omnis concurrit ætas, omnisque sexus, omnis conditio exultat animo, manibus plaudunt, vocibus clamant, laudibus resonant dicentes: Gloria tibi Domine; Gloria tibi Domine. Cumque diu multumque in Dei laudem & Beatissimæ Virginis acclamatum fuisset, tandem populus acquievit. Navis vero, in qua corpus Sanctæ Virginis Martyris Anastasiæ erat, nemine cogente, sed ipsamet quasi levi quodam volatu ad portum Jadræ usque pervenit, ad portam, quæ est juxta Ecclesiam S. Georgii Martyris. Archipræsul vero Donatus quasi paratus ad celebrandum Missam, una cum clericis cujusque ordinis, ac luminaribus præparatis præcedentibus, cum clericis, monachis, sanctimonialibus, ac ceteris viris religiosis, sequentibus vero militibus, cum præfato Benenato Duce Venetiarum, cantantes & psallentes, ac summis laudibus venerantes corpus Beatissimæ Virginis & Martyris Anastasiæ per supradictam portam in civitate introducentes, ad Ecclesiam Beati Petri, ubi Archipræsulis & nunc est sedes, perduxerunt, ibique multa cum veneratione die noctuque custodierunt, donec illi ædem & aram, ubi illum conderent, præpararent. Interim autem multas ibidem, Domino cooperante, Beatissima Virgo & Martyr Anastasia virtutes operata est. Sed quanti cæci illuminati, quanti paralytici curati, quanti a Dæmonibus liberati, nec lingua promere sufficit, nec intellectus capere potest. Cives vero Jadrenses basilicam Beati Petri, in qua supradictum corpus Beatissimæ Virginis & Martyris Anastasiæ depositum extat, in æde (15) sibi

15 Apostolico decreto dicata condiderunt; quæ de cetero basilica S. Anastasiæ Virginis & Martyris vocaretur. Qui supradicti cives alii agris, alii vineis, alii insulis, alii villulis ditaverunt; nec tam grande miraculum prætermittere volumus præteritis temporibus. Cum enim cum beato corpore per dictam portam civitatis ingressi essent, accidit ut quidam incaute veniens, per eamdem portam transiret, qui mox corruens in terram ante ipsam portam expiravit. Cives autem viso tanto miraculo, timore perterriti, statim ipsam portam firmissimo muro obstruxerunt, ut nullus amplius per eam neque aditum, neque exitum habere posset, quæ usque hodie clausa est & semper usque in finem sæculorum non aperietur. Postquam vero prædicti cives domicilium & aram parassent, suisque propriis rebus mobilibus & immobilibus perbene ditassent, Donatus sanctissimus summa cum veneratione, ut decet Præsulem, & animi devotione clero & populo cantantibus & psallentibus pretiosissimum corpus Beatæ Virginis & Martyris Anastasiæ nitidissimo loco quinto (16) nonas Octobris recondidit, ubi nunc 16
multa per eandem Virginem præstantur beneficia, regnante (17) Domino nostro Jesu Christo, cu- 17
jus est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Notæ.

(1) Neque ante annum 806. Dalmatia maritima se per suos legatos Donatum Episcopum & Paullum Ducem Jaderæ, Carolo tradiderat, neque ante annum 809. in potestatem Nicephori redierat. Itaque post pacem inter Carolum & Nicephorum per Arsacium legatum anno 810. Aquisgrani constitutam, legatio Constantinopolitana Donati Episcopi secuta fuit, & ab anno quarto ad undecimum noni sæculi revocanda est.

(2) Urbes maritimæ in fidem ac potestatem Francorum per deditionem receptæ, avulsæque ab Imperio Orientis anno 806. Nicephorum a Carolo alienarunt; neque exinde inter utrumque Imperatorem concordia firma & stabilis fuit ante pacem Aquisgranensem anni 810. Niceta Patricius cum classe in Adriaticum missus anno 807. inducias quidem paucorum mensium cum Pipino rege Italiæ pepigit, sed pacem stabilire non potuit. Anno 809. Dalmatæ maritimi perterriti adventu classis Græcorum, Paullo ductore, sub imperium Nicephori redierunt. Anno demum 810. pax Aquisgrani, Arsacio internuncio Nicephori & interprete, in has conditiones convenit, ut Dalmatia mediterranea ad Carolum, maritima ad Nicephorum pertineret.

(3) Hinc intelligi licet Donatum duplici apud Nicephorum legatione anno 811. functum fuisse, altera ab Carolo injuncta, ut pacem Aquisgranensem confirmaret, de qua Eginhartus, altera nomine jussuque civium suorum & Dalmatarum suscepta, ut Nicephorum Dalmatis iratum placaret, de qua Valerius a Ponte: *Hinc conjectari licet Dalmatas indignatione Nicephori perterritos, ope legationis ejusdem Donati usos fuisse, qui Constantinopolim profectus, iram Imperatoris placavit.*

(4) Quem Annales Veneti *Beatum* vocant, is *Benenatus*, idest feliciter natus, rite appellari potest; nam eadem fere notio utrique vocabulo subest, & fortasse utroque nomine affici solebat. Obelerius cum Beato fratre principatum apud Venetos obtinuit. Uterque anno 809. quod Francis studerent, ducali solio & urbe depulsus fuit; Obelerius quidem Constantinopolim, Beatus vero Jaderam secessit. *Subsequenter Veneti*, ait Dandulus, *assistente Heberšapio Imperiali Apocrisario, hoc egerunt, ut uterque Ducis dignitatem, & patriam amitterent. Unus idest Obelerius Constantinopolim, alter vero Beatus Jaderam petiit.* Dum ergo Beatus, sive Benenatus, qui ducalis dignitatis titulum, Venetis vel invitis retinebat, Jaderæ versabatur; eum Carolus socium Donato Episcopo adjungi voluit, ad legationem Constantinopolitanam suo nomine obeundam. Hujus legationis munus eo libentius suscepit, quod Nicephori auctoritate atque opera se in pristinam apud Venetos dignitatem restitutum iri sperabat.

(5) Ex Actis S. Anastasiæ apud Surium, aliosque Hagiographos.

(6) En mendum topographicum. Expuncto Smyrnæ vocabulo, nomen *Sirmiæ* civitatis substitui

stitui oportet; nusquam enim legitur Anastasia apud Smyrnam martyrio functa esse.

(7) Attila Hunnorum Rex, qui post Bledam fratrem interfectum anno 444. regnare cœpit, Sirmium funditus evertit.

(8) Corpus S. Anastasiæ Constantinopolim devectum fortasse ad tempus aliquod delituit; illud certe ab illo latibulo & ignoratione hominum vindicavit S. Marcianus Presbyter, atque in basilica Anastasiana collocavit, ut est apud Metaphrastem in vita ejusdem S. Marciani. At Cedrenus in templo, quod eidem extructum fuit *apud Rostra Donnini*, honorifice depositum fuisse affirmat.

(9) Non ad *ferendam*, sed ad confirmandam pacem Aquisgranensem, anno 810. inter Carolum & Nicephorum conciliatam.

(10) Sirmienses.

(11) De Sirmio.

(12) Hæc correctione & explicatione indigent. Non illi quidem Sirmienses, qui falso vocantur Smyrnenses, corpus S. Anastasiæ Constantinopolim detulerant; sed de corpore S. Anastasiæ, Constantinopolim ante annos amplius quadringentos translato, quæ a majoribus quasi per manus tradita posteris acceperant, legatis, dum per Pannoniam iter haberent, narrarunt, illisque se comites adjunxerunt.

(13) Non furtim sublato, sed a Nicephoro Imperatore illis donato; ut ex inveterata & communi Jadrensium opinione supra dictum est. Legati Constantinopoli discesserant ante obitum Nicephori, qui eodem anno 811. VII. Kalendas Augusti extinctus, sedem augustalem vacuam Stauratio filio reliquit.

(14) Benenatus sive Beatus, pretioso illo thesauro Venetias allato, sperabat se in gratiam cum suis civibus redire posse, revocarique ab exilio; & fortassis etiam in sedem ducalem post obitum Angeli Particiaci restitui. Non enim ignorabat Venetos sacrarum reliquiarum cupidissimos esse, summaque erga illas veneratione affici; ut tam multa Divorum corpora avidissime expetita, & Constantinopoli, vel ex aliis partibus Orientis Venetias delata declarant.

(15) Ædes cathedralis S. Petri, post corpus S. Anastasiæ illuc illatum, hujus quoque nomine consecrata fuit; & veteri titulo paullatim exsolescente, novum ab S. Anastasia titulum accepit.

(16) Anniversaria translationis Anastasianæ commemoratio nunc recolitur VII. Kalendas Octobris.

(17) His verbis concludi solent perantiquæ Divorum historiæ, quas Legendas vocant.

Corpus S. Anastasiæ plures civitates sibi vindicant. Sed de corpore & sepulcro S. Anastasiæ, ut sæpe accidit cum de sacris lipsanis agitur, inter aliquas civitates controversia est; utrumque Jadertini esse apud se contendunt, Romani sibi vindicant, Aquilejenses repetunt, Januenses etiam antiqua utriusque possessione gloriantur. Extat Romæ ecclesia perantiqua S. Anastasiæ ad Palatium, olim titulo Cardinalitio insignita, apud quam statio est feria tertia hebdomadis primæ sollemnis jejunii quadragesimalis, & feria itidem tertia post Pentecostem; in ea corpus S. Anastasiæ conditum affirmant. In Sanctuario Aquilejensi erat capsula cum hac inscriptione: *Corpus S. Anastasiæ*. Ubertus Folieta lib. 6. hist. Genuen. *Anno 1296. Roscius Auria, cum egregiam multorum annorum operam præfectus classis, Constantinopolitano Cæsari in Ponto Euxino navasset, nonnullaque loca expugnasset; hoc laborum & meritorum præmium optavit, ut corpore S. Anastasiæ V. & M. donaretur; quod Genuam delatum in æde D. Matthæi collocatum est, in qua magna cum veneratione & religione adservatur.* Sunt etiam, qui apud Tillemontium tradunt corpus S. Anastasiæ etiamnum Constantinopoli in æde patriarchali asservari. Cum plures civitates de unius ejusdemque sacri corporis possessione inter se contendunt, hujusmodi controversiæ sic dirimi solent; scilicet duos vel plures fuisse ejusdem nominis Divos, horumque corpora illis civitatibus, inter quas est contentio, suum cuique adjudicari debere, vel certe ex ejusdem Divi aut Martyris exuviis partem aliquam insignem unicuique earum civitatum dispertiri, quam intelligi oportet ex superaddita *Corporis* . . . inscriptione. Cujus Anastasiæ corpus possideant, vel ex reliquiis Anastasianis quid & quantum apud se retineant ac venerentur illæ civitates, quas supra nominavi, inquirere nihil attinet; illud affirmare posse mihi videor, de corpore S. Anastasiæ Romanæ, viduæ Publii, martyris Sirmiensis, primum Constantinopolim, deinde Jaderam advecto, & in æde cathedrali condito, servatoque ibidem usque ad hæc tempora, vix aut ne vix quidem dubitandum esse. Hæc est indigenarum opinio ab antiquissimis temporibus accepta, & per singulas ætates sine ulla interruptione propagata, quam confirmat cultus vetustissimus sanctissimæ huic & præstantissimæ martyri perpetuo adhibitus, patrocinium urbis eidem commendatum, titulus Anastasianus ædi Metropolitanæ impositus. Nec desunt Scriptores idonei & perantiqui, quorum auctoritate Jadertina corporis Anastasiani translatio nixa est. Adelmus Donato Episcopo Jadrensi æqualis tradit in suis Annalibus exuvias S. Anastasiæ Martyris Romanæ, sponsæ Publii, filiæ Prætextati & Faustæ, Constantinopoli Jaderam delatas fuisse. Constantinus Porphyrogenitus, qui proximo post S. Donatum sæculo floruit, sepulcri ac templi Anastasiani Jadrensis fidem facit his verbis lib. de Admin. cap. 29. *In eadem vero urbe sepultum est corpus S. Anastasiæ Virginis filiæ Eustathii Regis, quod illic asservatur. Templum autem S. Anastasiæ oblongum est, simile illi, quod in Collophrasiis est, & columnas habet prasinas, atque albas, totumque ornatum est figuris pictura vetusta elaboratis, pavimentum vero ipsius ex opere tessclato confectum.* Anastasiam Virginem appellat; sunt enim, qui post initas cum Publio nuptias, virginitatem ab omni concubitu intactam servasse affirmant; quod autem filiam dixerit regis Eusthatii, amandemus licet inter fabulas Græcorum. Præterea Scriptores juniores, præsertim Dalmatas, qui corpus S. Anastasiæ Romanæ, viduæ Publii, martyris Sirmiensis Constantinopoli translatum in Basilica Metropolitana Jadrensi asservari confirmant: id quod Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus docta eruditaque dissertatione demonstravit. Sed omnem de hac re dubitationem sustulit proximo superiori sæculo Lucas Stella Archiepiscopus Jaderæ, qui arcam marmoream subter altare S. Anastasiæ inventam effossamque aperuit; in qua nihil quidem reperit, præter cineres & ossa semiustulata; sed eas corporis Anastasiani reliquias esse declaravit inscriptio tribus ejusdem arcæ lateribus

[Margin notes: quod apud Jadertinos asservari multis argumentis evincitur. — Idem confirmat inventio corporis S. Anastasiæ.]

Digitized by Google

bus incisa, quæ est hujusmodi. A fronte: ✠ *In nomine SS. Trinitatis. Hic requiescit corpus Sanctæ Anastasiæ.* ✠ *De dono Dei, & Sanctæ Anastasiæ. Donatus peccator Episcopus fecit, Deo gratias.* A tergo: ✠ *In nomine Sanctissimæ Trinitatis. Hic requiescit corpus S. Anastasiæ.* A latere sinistro: ✠ *De donis Dei Donatus peccator Episcopus fecit.* Sed de hac inventione plura in actis Stellæ Archiepiscopi.

S. Donatus corpora SS. Chrysogoni, & Zoili Aquileja Jaderam transtulit.

S. Chrysogoni Martyris, itemque S. Zoili Presbyteri Aquilejensis Jaderam translati neque auctor, neque tempus litteris proditum reperitur. Utriusque translationem Donato Episcopo Jadrensi adscribendam censeo. Chrysogonus civis Romanus, quod Christianam religionem coleret, in carcerem conjectus, jussuque Diocletiani Aquilejam perductus, non ita longe ab ea civitate apud Aquas gradatas, securi cervices Christi caussa subjecit. Ejus corpus pie curavit, & capsæ inclusum domi suæ recondidit Zoilus Presbyter, vir eximiæ sanctitatis, qui haud multis post diebus ad beatam immortalitatem migravit. Post Imperatores Christiani nominis hostes extinctos, & pacem Ecclesiæ constitutam, corpora Sanctorum Chrysogoni & Zoili ex humili loco & obscuro in altiorem & illustriorem locum evecta, quibus digna erant, honoribus Aquilejenses per annos amplius quadringentos coluerunt. Jam vero cum Donatus urbis & ecclesiæ suæ exuviis Divorum locupletandæ miro desiderio flagraret, quemadmodum a Nicephoro S. Anastasiæ, sic a Carolo Magno, cujus in ditione tum erat Aquileja & Marchia Forojuliensis, Sanctorum Chrysogoni & Zoili corpora impetrasse mihi videtur. Cum enim apud utrumque Imperatorem legatione Dalmatica fungeretur, tanta fide, religione, ac sapientia munus illud longe gravissimum sustinuit, ut magnam utriusque existimationem & benevolentiam sibi conciliaverit; & cum tali ac tanto Præsuli maxime cuperent gratificari, tum aliis donis, tum sacris præsertim, quibus maxime delectabatur, reliquiis cumularunt.

Templum Jadrense S. Chrysogoni, in quo conditus fuit;

Corpus S. Chrysogoni in templo, quod Jadertini huic sanctissimo martyri ædificarunt, apud Patres Benedictinos asservari dicitur; sed locus sepulcri ignotus est. Urbe capta & direpta sub initium sæculi decimi tertii a Venetis, sublatum fuisse ajunt; ac deinde Jadertinis in gratiam receptis restitutum Abbas illius cœnobii abdito occultoque loco recondidit, ut sacrosancti hujus depositi rursus amittendi periculum præcaveret.

sed locus sepulcri ignotus.

Loci notitia decursu temporum sensim obscurata est; & si quibus credita fuerat, eorum interitu prorsus evanuit. Ostentant arcam egregie pictam, in qua ejus corpus conditum fuerat, itemque lapidem sanguineis notis aspersum, cui caput gladio amputandum superposuit. De templo & cœnobio Benedictino S. Chrysogoni vide supra quæ scripsit Valerius a Ponte in suo Commentario pag. 18. In sanctuario ædis metropolitanæ brachium S. Chrysogoni a corpore avulsum, ejusque pedes, tribus argenteis lipsanothecis inclusi, asservantur, prætereaque ossa quædam ejusdem in capsula itidem argentea, cui hæc inscriptio incisa est:

Hoc opus factum fuit tempore nobilium virorum Viti Gandali, Vulcinæ de Martinusiis, & Pauli de Gallelis. Anno Domini 1326.

Jadrenses S. Chrysogonum urbis & ecclesiæ patronum jam inde ab antiquissimis temporibus agnoscunt & colunt; ejusque diem natalem sollemni ritu concelebrant VIII. Kalendas Octobris, ut in hujus ecclesiæ Kalendario præscriptum est: 24. *Novembris Chrysogoni Mart. Tutel. hujus nostræ Ecclesiæ, & Primarii Patr. Civit. dupl. 1. clas. cum oct.* Ejusdem vero translationem colunt XIV. Kal. Junias; 19. *Maji translatio S. Chrysogoni M. sem. per tot. diœces.*

Cultus eidem tamquam Patrono primario adhibitus.

Corpus S. Zoili in sanctuario ædis cathedralis.

Corpus S. Zoili Presbyteri, quod itidem a S. Donato Episcopo Aquileja Jaderam concessu Caroli Magni delatum existimo, duplici arca cupressina & marmorea inclusum erat. Caput seorsum in lipsanotheca argentea repositum est; & corpus quidem asservabatur in æde vetustissima S. Mariæ Majoris prope a mœnibus sita, quam Jadrenses anno 1570. urgente bello Cyprio demoliti sunt, ut muros urbis ab hac parte novis operibus, munitionibus, aggeribusque firmarent. Ab ea demolitione intactum superfuit sacellum S. Rocchi, in quo depositum fuit corpus S. Zoili, insertumque mensæ altaris S. Martini. Lucas Stella Archiepiscopus an. 1622. transtulit ad sanctuarium ædis metropolitanæ, ubi etiamnum asservatur & colitur. Arcæ inscribi jussit: *Ossa S. Zoili Confessoris.* Hæc translatio XVII., dies vero natalis S. Zoili X. Kalendas Januarii sub ritu duplici celebratur.

Exuvias trium SS. Virginum, & Martyrum, idem Donatus Jaderam attulit.

In sacello subterraneo ædis metropolitanæ subter fornicem, cui ara maxima incumbit, extat ingens arca marmorea, in qua condita esse corpora trium sororum virginum & martyrum Agapes, Chioniæ, & Irenes, communis est & constans Jadrensium opinio, cui fidem & auctoritatem adjungit cultus vetustissimus eisdem in hac urbe adhibitus, qui omnem superiorum sæculorum memoriam antegreditur. III. Nonas Agapi & Chioniæ, Nonis ipsis Aprilis Ireni clerus Jadertinæ diœceseos, jam inde ab antiquissimis temporibus, anniversaria ecclesiastici ritus cultusque officia persolvit; siquidem ad tertium Agapes & Chioniæ, ad quintum diem mensis Aprilis Irenes nomen ac martyrium in fastis Romanis & Jadrensibus adscriptum est. Harum quoque Martyrum exuvias Donato Episcopo suo Ecclesia Jadrensis acceptas referre debet, ut mihi videtur. Nam sive Aquilejæ, ut Ferrarius & alii censent, sive Thessalonicæ, ut ex illarum actis colligitur, martyrio perfunctæ & sepultæ fuerint, sive denique Aquilejenses a Thessalonicensibus, distinguendas esse putes, id quod aliqui existimant, nosque ostendere conati sumus Tomo II. Illyr. Sacr. in historia persecutionis Diocletianeæ; illas Donatus vel Aquileja cum SS. Chrysogono & Zoilo, vel Thessalonica, dum Constantinopoli rediret, cum S. Anastasia Jaderam deferre potuit.

Templum SS. Trinitati ædificavit, ubi erat delubrum Junonis Augustæ.

Sunt qui Episcopatum Donati ad annum fere octogesimum hujus sæculi noni perducunt; quod, quamvis diutissime vixerit, non est verisimile. Eximia viri sanctitas, & flagrans ad omnia religionis ac pietatis opera studium dubitari non sinit, quin præter ea, quæ modo exposita sunt, alia multa gesserit memoria & litteris digna. Sed rerum ab eo laudabiliter pieque gestarum nullum extat monumentum augustius, quam templum sane amplum & magnificum, quod ab illo ingenti mole sumptuque exstructum, & Sanctissimæ Trinitati consecratum, ejusque titulo insignitum ferunt. Est figuræ rotundæ ad similitudinem basilicæ Spalatensis S. Domnii, laterique dextero ædis cathedralis adjacet. Ajunt ibidem fuisse olim delubrum ingens Junoni Augustæ sacrum, (idest Liviæ

Digitized by Google

Liviæ uxori Octaviani Augusti Imperatoris, si vera est quorumdam interpretatio) idque confirmat vetus inscriptio, reperta inter rudera ejusdem delubri, quod jamdudum vetustate collapsum ac dirutum erat.

IVNONI AVGVSTÆ
APVLEIA. M. FIL.
QVINTA SVO. ET
L. TVRPILIO BRO*CHI
NOMINE

Ex correctione & additione Simeonis Gliubavacii:

BROCCHI
LICINIANI. FILII. NOMINE.
TEST. PON. IVS.

Idem confirmant fragmenta quædam veterum lapidum variis notis & figuris incisa, reliquiæ antiqui illius ædificii, quæ passim templi parietibus inserta conspiciuntur.

De Dracone cæso ab S. Donato narratio fabulosa.

Quædam de S. Donato mira narrantur, quibus fidem & auctoritatem adjungere non ausim; veluti illud de immani quodam Dracone, quem contrusit in angulum ejusdem templi, quod ipse ædificaverat, & signo Sacrosanctæ Crucis objecto interfecit; ac de fonte, quem e silice fusis ad Deum precibus elicuit. Huc alludit ac pertinet Antiphona illa, qua sanctissimi sui Præsulis laudes concelebrat Ecclesia Jadrensis, & insignem ad Deum conversionem cujusdam Theodosii commemorat, quem ipse a miserabili errore ad catholicam veritatem, certoque æternæ vitæ periculo ad rectum salutis tramitem revocavit: *Donate Dei Pontifex, ora pro nobis rerum opificem, qui Draconem occidisti, & Theodosium ad fidem convertisti.* Hæc, & si quæ alia de Donato mirabilia prædicantur, cum magis vulgi opinione, quam incorruptis rerum gestarum monumentis tradita sint, prætermittenda censui, præsertim quod clarorum hominum sanctitas non tam signis atque miraculis, quam charitate in Deum, & vitæ innocentia, piisque operibus continetur.

Sepultus est in æde SS. Trinitatis, quam ipse exstruxerat.

Annus & dies emortualis Donati Episcopi ignotus est; funere quam amplissimo elatus in eadem, quam ipse construxerat divinæ Trinitati, basilica perquam honorifice depositus fuit. Utrumque ejus brachium postea divulsum a corpore, & arca marmorea exemptum, alterum aurea & gemmis ornata, alterum argentea lipsanotheca inclusum servatur, & colitur in sanctuario ædis metropolitanæ. Egregia viri sanctitas nota omnibus atque perspecta, statim illi post obitum summam venerationem conciliavit apud Jadrenses, qui eum in Divorum numero habitum, sibi apud Deum, suæque urbi patronum adoptarunt; & iis, quibus cælites cum Christo regnantes affici solent, privatis publicisque honoribus coluerunt. Ejus diem festum agunt v. Kalendas Martii, ut præscriptum est in eorum Kalendario: 25. *Febr. Donati Episcopi Jadrensis. Dupl. maj. om. de com. 1. loco; in ejus Ecclesia dupl. 1. clas.*

S. Donatus Patronus Jadrensium.

Nec defuerunt, opinor, miracula divinitus edita ad ejus sanctimoniam testificandam, cælestemque felicitatem; sed defuit, qui ea litteris ac posteritati mandarent; vel si quæ in Jadrensium commentariis, aliisque publicis vel privatis erant monumentis, urbe sæpius capta, direpta, incensa perierunt. Ceterum patrocinium S. Donati non semel Jadrensibus in maximum discrimen adductis saluti fuit. Tenet fama, & Scriptorum Hungariæ & Dalmatiæ litteris traditum est, Colomanum regem Hungariæ, inter initia sæculi duodecimi, dum esset Jaderæ (quam urbem Venetis eripuerat), cum illos aversos ab se animo esse, atque ad defectionem spectare suspicaretur, decrevisse civitatem illam incendere, & funditus evertere; verum in somnis visum sibi esse videre S. Donatum vultu truci ac minaci, ab eoque se verberibus cædi, & gravi severaque admonitione increpitum deterrere, ne quid adversus Jadrenses faceret aut moliretur: hoc scriptum reliquit in suis annalibus Thuuroctius, idemque alii Scriptores Hungarici confirmant: *Cumque rex esset in Dalmatia, in civitate Zadur, & cogitaret civitatem succendere pro duritia gentis illius, & dormiret in palatio suo, quod ibi ædificaverat; & ecce Sanctus N.* (Donatus) *Zaduriensis Episcopus venit ad eum in horrido vultu, quem per capillos capiens traxit, & cum virgis laureis valde verberavit, quem cum dimisisset, illum non vidit; sed dolorem sentiebat, & ictus virgarum supra corpus suum aspiciebat; quapropter a molestatione civitatis patienter cessavit.* Idem confirmare videtur vetus inscriptio aureo brachio, in quo alterum e S. Donati brachiis inclusum est, insculpta: *Rex Colomane Rector Amandeviæ, hoc bene fecisti, retribui tibi quod voluisti.* Verisimile est Colomanum severa illa reprehensione & castigatione perterritum vovisse S. Donato pretiosum hoc monumentum, scilicet brachium aureum pro sanitate recuperanda, & voto persoluto, quod petierat impetrasse. Anno 49. sæculi superioris, cum atrox pestilentia Sibenici grassabatur, & nobiles juxta ac plebejas domos populata, latius in dies per finitimas regiones serpebat; jamque pervaserat Jaderam, & per vulgaria primum capita vagari, deinde nobilitatem quoque primoresque civitatis corripere cœperat; ope & deprecatione S. Donati depulsam fuisse, ac penitus extinctam, tum ejus templi profanati expiatio, tum cultus pristinus eidem restitutus, tum alia divina indicia declararunt; id quod suo loco ac tempore explicandum erit.

qui Colomanum regem ab excidio urbis, quod moliebatur, deterruit, & Jadrenses a peste liberavit.

Corpus S. Donati Lucas Stella Archiepiscopus ex humili loco sublatum in summo altari collocavit.

Ex quo corpus S. Donati in basilica Sanctissimæ Trinitatis depositum fuerat, & qua dignum erat, populi frequentia ac religione cultum, basilica illa titulo veteri paullatim exsolescente, ab S. Donato cognominari cœpit, quem titulum etiamnum retinet. Loculus marmoreus, in quo conditus fuerat, insertus erat parieti, retrususque in angulum templi, loco non satis conspicuo, minus certe, quam oportuerat, honorifico; & cum decursu temporis, defervescente, ut fit, civium religione, propemodum neglectus esset, nec debitus illi honos haberetur; Lucas Stella Archiepiscopus anno 1622. arcam marmoream fieri, & selectis lapillis, insertisque præclaris operibus ornari jussit; in eaque sacrum corpus reposuit, atque in summo illius basilicæ altari collocavit, ubi nunc eximia populi veneratione frequentatur & colitur. Antiquam epigraphem servari, atque in arcam novam grandibus litteris referri incidique placuit; est autem hæc: *Corpus S. Donati Archiepiscopi Jadrensis*; quam quidem epigraphem annis fere quadringentis post ejus obitum appositam fuisse oportet; postquam scilicet Ecclesia Jadertina jus ac titulum metropoliticum adepta est. De templo Sanctissimæ Trinitatis, nunc S. Donati, recole, quæ scripta sunt supra in Commentario Valeriano pag. 17. S. Donato in hujus ecclesiæ regi-

regimen unus, aut alter successit; sed utriusque nomen ac memoriam vetustas obliteravit.

VITALIS EP. JADRENSIS V.

Vitalis Ep. Jadrensis cum ceteris Dalmatis a Romano Patriarcha defecit.

Hujus Episcopatus incidit in ea tempora tenebris ac silentio digna, cum clerus populusque Jadrensis, & reliquæ omnes Ecclesiæ Dalmaticæ, impulsu Basilii Imperatoris, & Photii hostis Latinorum acerrimi, a Romano ad Constantinopolitanum Patriarcham defecerunt. Nominatim ac præcipue Vitali Episcopo Jadertino inscripta est epistola Joannis Papæ VIII. qui Dalmatas gravissimis & suavissimis verbis monet, hortatur, rogat, ut ad pristinum obsequium erga *Sedem B. Petri Principis Apostolorum, caput & magistram omnium ecclesiarum*, revertantur. Hanc epistolam Tomo III. Illyrici Sacri in Marino Archiep. Spalatensi §. 2. descripsimus, quæ cum potissimum directa fuerit ad Vitalem, iterum hic lectoribus exhibendam esse censeo. Notas vero, eidem explicationis caussa subjectas, ex loco & paragrapho, quem modo diximus, poteris, si libet, repetere.

Epistola hortatoria Joannis Papæ VIII. ad Vitalem.

Reverendissimis & Sanctissimis Episcopis Vitali Jadrensi, Dominico Absarensi, ceterisque Episcopis Dalmaticis, seu Joanni Archipresbyt. Sanctæ Sedis Salonitanæ, omnibusque Sacerdotibus, & senioribus populi, habitatoribus Spalatensis civitatis, atque Zadarensis, ceterarumque civitatum. Pastorali sollicitudine moti vos quasi oves dominicas nobis in B. Petro Apostolorum principe commissas, dicente Domino: Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas; licet pro assidua gentium persecutione nunc usque impediti, his modo apostolatus nostri litteris visitare curavimus, admonentes fraternitatem vestram, ut more præcessorum vestrorum ad Sedem B. Petri Apostoli, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, & ad nos, qui ei divinitus præsidemus, toto animo libentique voluntate reverti studeatis ... Reminisci namque debetis, quanta eosdem præcessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri cælestis regni clavigeri, devoto pectore quasi proprii filii confluebant, & quanta postmodum nunc usque sustinueritis adversa, cum ab ea vos quasi alienos separare non dubitatis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea, quæ vestra sunt, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus, atque hortamur, ut, sicuti diximus, ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ redire ovanter attendatis, ut electus a vobis canonice Archiepiscopus, una cum vestro omnium consensu & voluntate ad nos veniens, gratiam episcopalis consecrationis, sanctumque pallium a nobis more pristino incunctanter percipiat; ut gratiam, & benedictionem S. Petri, ac nostram habentes, a malis omnibus liberi, & bonis universis repleti, & hic in præsenti sæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino sine fine procul dubio exultetis. Porro si aliquid de parte Græcorum, vel Sclavorum, super vestra ad nos reversione, vel consecratione, aut de pallii perceptione dubitatis; scitote pro certo, quoniam nos secundum Sanctorum Patrum, decessorumque nostrorum Pontificum statuta, vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod si forte hanc nostram apostolicam admonitionem, immo canonicam præceptionem pro nihilo ducentes, ad Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ redire, & inde secundum antiquam normam consecrationem episcopalem, sacrumque pallium recipere contempseritis, omni ecclesiastica vos communione scitote penitus excommunicandos. Interim tamen auctoritate Dei, & Sancti Petri vobis præcipimus, ut non habeatis licentiam aliunde consecrationem, palliumque recipere. Nam si feceritis, quasi transgressores & inobedientes, vos sine dubio judicabimus. Hanc autem nostri apostolatus epistolam fraternitati vestræ per hunc præsentem Joannem Ven. presbyterum fidelem, familiarem nostrum direximus, cui scilicet aliqua injunximus, vobis verbotenus referenda; & ideo illi omnia, quæ de parte nostra dixerit vobis, credere nullatenus dubitetis, ipsamque epistolam, ut ad omnium vestrum notitiam ferat, bulla nostra jussimus in calce signari. Data X. die men. Jun. Indict. XII., id est an. Christi 879.

qui cum ceteris Dalmatis rediit ad obsequium Sedis Apostolicæ.

Nec vero hæc Dalmatarum a Sede Apostolica defectio, de qua in Georgio & Marino Archiepiscopis Spalatensibus, diuturna aut valde pertinax fuit. Altero siquidem anno post litteras pontificias acceptas, qui fuit æræ vulgaris 880. Jadrenses ac ceteri Dalmatæ, una cum Chrobatis & Serblis Dalmatiæ incolis, cognita fraude, malitia, perfidia Photii, ad sinum Ecclesiæ Romanæ redierunt.

FIRMINUS EP. JADRENSIS VI.

Firminus ab Joanne Lucio e serie Antistitum Jadrensium expungitur;

Hunc Joannes Lucius in suis ad Ughellum animadversionibus e catalogo Antistitum Jadrensium expungendum censuit; illum siquidem Ferdinandus Ughellus tertium in sede episcopali numeravit, prætermissis Felice, Sabiniano, & Vitali Episcopis, quos Ughello ignotos Nicolaus Coletus Presbyter Ecclesiæ S. Moysis Venetiarum, vir clarissimus & eruditissimus, in secunda editione Ughelliana ab se aucta & emendata, Tomo quinto, suis locis reposuit. *A me monitus*, inquit Lucius, *Abbas Ughellus, visa mei codicis antiquitate, & cum suo exemplo, quod habebat, collata, vir ingenuus, & in antiquis characteribus versatissimus, se deceptum fassus est; novamque seriem Episcoporum Jadrensium, expunctis duobus e supradicto Codice sumptis, primoque & tertio loco positis*, (idest Andrea I. & Formino) *manu propria in margine, pagina 1460. sui Tomi quinti, cœptam reliquit, integram de novo editurus, si morte præventus non fuisset*. At Firminum in serie Ughelliana Episcoporum Jadrensium retinendum esse, eique locum sextum, ut in secunda Veneta editione, attribuendum esse manifesto convincunt tabulæ testamentariæ *Andreæ Prioris*, quæ in cœnobio Benedictino S. Chrysogoni asservantur. In his Firminus nominatur, qui etiam easdem tabulas signo episcopali obsignavit. Pauca quædam ex iisdem, quæ ad pia legata pertinent, hic describere visum est. Sed latina locutio, pluribus mendis inquinata, barbariem & inscitiam illius sæculi declarat.

sed retinendus e quibusdam tabulis testamentariis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, & ejusdem Incarnationis an. 908. Indict. 7. men. Decemb. Imperante Domino N. Constantino piissimo & perpetuo Augusto, in civitate Jadren. Maturo namque & salubri consilio a majoribus proditum est, ut omnis homo ante dispensare, & deliberare suas facultates debeat, priusquam repentinæ calamitatis casu, periculo ingruente mortis metus urgeat . . . Idcirco ego peccator Andreas Prior divino juvamine fretus . . . decumbens in lecto, licet viribus invalidus, tamen mente Deo auxiliante tutus volo & jubeo, Deo auctore,

flore, & omnibus Sanctis ejus, in primum domum, in quo jussus sum vivere, cum introitu, & exitu suo habeat filio meo Andrea . . . . Et in Sancto Grisogono dimitto vinea, quæ emi de Mazulo, & terræ de Viculo quæ comparavi, servum & ancillam, & centum capita de pecora, & uno panno de sirico, & uno savano. In Sancta Maria uno panno de sirico. In Sancto Petro . . . de panno sirico. In Sancto Thoma uno savano. In Sancta Anastasia una coppa de argento, & uno panno de sirico. Firmino Episcopo dimitto cavallum meum. Petro diacono fratri meo una coppa argentea, & sella argentea. Odolberti Abbatis vestimentum de Quirino investito de panno vario, & una lana caprina, & una butte de vino, & uno cavallo. Joanni diacono coopertorio de lecto de Quirino investito de sirico, & uno feltro parato cum sirico. Ad sacerdotes detur pro anima mea centum capita de peculio, & centum modia de grano, & una bute de vino, & ceteræ oves atque capræ, quæ remanserint, dentur pro anima mea; & in captivis dentur solidi centum, & nave venundetur, & detur pro anima mea. Et pro anima mea dimitto liberos in primis Marusco cum uxore & filia, & do ei vinea, quæ comparavi de Constantino Mag. Ominico Calbaroso cum uxore sint liberi. Liberi Cacano filio Butirani Justo cum uxore sua, & quatuor filii, filio Tricinaco, filio Bribina, Trebamida Milia de Sicirano cum duo filii, uxor Rajinaco cum filio Strieterio, Simissima, Zremilo, omnes isti sunt liberi. Adzanello dimitto vinea, quæ comparavi de Maria Venetica, & alia facia de vinea, quæ emi de Barbano de Cresumi. Et si vult uxor mea Maria portionem suam possidere, observet lectum; & si duxerit virum alium, omnia auferre ab ea; & quod si absit unus ex filiis meis, aut filias obierint, omnes fratres ejus, & sorores partem defuncti dividant. Hæc cuncta quidem prælibata, Deo auctore, volo firma & stabilia permaneant, & nullus umquam audeat violare. Quod si quis protervus, Deum non metuens, nostræ definitioni, parvi pendens, contraire voluerit, iram Dei omnipotentis Patris & Filii, & Spiritus Sancti incurrat, & maledictionem a CCC. & XVIII. S. Pat., & lepra Naaman Syri plenus irremediabilis crucietur, & in novissimo maledictionis cum Diabulo, & ejus tetros ministros, ac Judas Iscariotes, in gehennæ bratro muneretur. Actum hoc tempore, die, loco, & Consule, ut supra.

Sigil. M. Firmini Episcopi sanctissimi, Odolberti Abbatis, Petri diaconi commissarii fide hujus descriptionis. Sign. Præstantii Tribuni, Constantino Trib. Vitalis Trib. Gregorio Trib. Dabro Trib. Anastasius Trib. Paulo Trib.

Et ego Joannes diaconus jussus a supra memorato Andrea Priore manu propria scr. atque feliciter post tradit. complevi.

Utraque nota chronologica, his tabulis præfixa, vitiata est; nam neque Imperium Constantini Porphyrogeniti, neque Indictio septima congruit cum anno 908. Siquidem non ante annum 911. post mortem Leonis parentis Constantinus adhuc puer, sub tutela Alexandri patrui sui, nomen & insignia Imperatoris sumpsit; annus vero 908. Indictione XI. obsignatus est. Itaque substitui oportet annum undecimum, vel duodecimum sæculi decimi, & Indictionem XIV. vel XV. Ex his tamen temporum notis colligi potest, initium Episcopatus Firmini revocandum esse vel ad posteriores noni sæculi annos, vel ad priores proximi sæculi. Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus non inscite conjecit hunc Firminum esse illum eumdem, qui anno secundo & nonagesimo superioris sæculi apud Muncimirum Ducem Chrobatorum scribæ officio fungebatur, eratque Curator, seu Præfectus regii sacelli: sic enim se ipse appellavit, & subscripsit: *Ego Firminus diaconus, & capellanus dicti ducis, præcipiente mihi domino meo Muncimiro, glorioso duce, coram dictis testibus audita scripsi & post tradita feliciter complevi*. Habes hoc Diploma in actis Petri IV. Archiepiscopi Spalatensis. Anno circiter 925. *Firminus*, sive *Forminus* interfuit Concilio nationali Spalatensi sub Joanne III. Metropolita, quod Joannes Anconitanus & Leo Prænestinus Episcopi, Legati Sedis Apostolicæ, ex mandato Joannis X. Pontificis max. convocarunt; in quo cum alia multa sapienter constituta sunt, quæ ad rem Christianam & ecclesiasticam disciplinam pertinebant, tum vero interdictum est, ne quis in posterum linguam Slavonicam ad sacrificium, ceteraque publicæ religionis officia peragenda in templis adhiberet. Interfuit itidem Concilio provinciali Spalatensi, quod anno circiter 927. indixit Madalbertus pontificius ad Bulgaros & Dalmatas legatus, ut eas, quæ de jurisdictione ac finibus erant inter Episcopos, controversias dirimeret. In eo tum Jadertinæ tum aliarum diœceseon descriptio facta est, & quibus antiquitus definiebantur, sui cuique fines restituti. Extat epistola Leonis Papæ VI. inscripta *Formino sanctæ Jadaratensis Ecclesiæ Episcopo, & Gregorio Sanctæ Nonensis Ecclesiæ Episcopo, omnibusque Episcopis per Dalmatiam commorantibus &c.* Pontifex hac epistola confirmavit acta & decreta Concilii provincialis Spalatensis, & Madalberti Legati Apostolici; illosque Episcopos debitæ adversus Metropolitam reverentiæ & obedientiæ admonuit, nominatim jussit Forminum *ita suam parochiam retinere, quemadmodum in antiquis temporibus mansit*. Data est hæc epistola vel anno 928. quo Leo suscepit, vel sequenti, quo pontificatum morte sublatus deposuit. Descripta est in Joanne III. Archiepiscopo Spalatensi, ubi fusius & accuratius de utroque Concilio nationali & provinciali. Post obitum Firmini, seu Formini, unus vel duo Episcopi desiderantur, quorum pontificatus fere usque ad annum undeseptuagesimum hujus sæculi pertingit.

Concilio nationali Dalmatico & provinciali Spalatensi interfuit.

BASILIUS EP. JADRENSIS VII.

De quo Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus: *Basilius, cujus mentio in scripturis ejusdem monasterii S. Grisogoni, quarum initium: Anno Domini 969. die 15. Julii, Imperatoribus Constantino, & Basilio Augustis, Basilio Episcopo, Majo Priore*. Sed imperium Constantini & Basilii fratrum non satis cohæret cum anno 969. neque enim ante annum 975. imperare cœperunt, post mortem scilicet Joannis Tzimiscis. Cum tamen in omnibus catalogis Basilius inscriptus reperiatur, retinendum esse arbitror, ejusque pontificatum cum ejusdem Joannis Tzimiscis imperio conjungendum, qui Nicephoro Phocæ extincto successit anno 969. Ceterum retineri etiam potest epocha illa desumpta ex imperio Constantini, & Basilii, affigique ad Episcopatum Basilii Jadertini Antistitis; nam Joannes Tzimisces anno 969. Imperator salutatus,

statim

Digitized by Google

ſtatim collegas imperii adſcivit Conſtantinum & Baſilium filios Romani, qui proximus fuit ante Nicephorum Imperator.

ANASTASIUS EP. JADRENSIS VIII.

Anno 978. in ſedem Jadertinam Baſilio ſubrogatus, hanc Eccleſiam adhuc regebat anno 981. qui quidem annus poſt ſuſceptum ab eo pontificatum octavus fuiſſe dicitur in tabulis cœnobii Benedictini S. Chryſogoni. Sub initium ſæculi ſuperioris Andreas Prior, ſive Præſes Jaderæ, & Fuſculus viri nobiles atque opulenti, cum templum D. Chryſogono & monaſterium ædificaſſent, utrumque monachis S. Benedicti tradiderunt. Ac templum cum multis in locis vitium feciſſet, ac fere jam collabaſceret, reparatione indigebat; monaſterium vero, per incuriam Abbatum ac Præſidum, a priſtina monachali diſciplina deſciverat; & pleriſque monachorum alio atque alio delabentibus, incultum ac prope deſertum, exercitationibus & officiis monaſticis vacabat. Majus Prior, ſive Rector civitatis de communi omnium civium ſententia, e conſenſu hæredum Andreæ & Fuſculi, templum reædificavit, atque ex inſtituto Sancti Benedicti intra ſepta monaſterii incluſit, cujus aream atque ambitum laxavit, muro viam publicam intercluſit, quæ templum a cœnobio ſejungebat, ut monachali ſolitudini ab hominum commercio ſegregatæ magis magiſque conſuleret. E primario Caſinenſi cœnobio Madium Monachum Presbyterum, eximiæ religionis ac prudentiæ virum, & inſtituti Benedictini apprime peritum evocavit, cui templum & monaſterium tradidit, cum omnibus prædiis, fundis, & vectigalibus annuis utriuſque; eumdemque Abbatem conſtituit, qui monachis præſideret, atque illos ad normam monaſticæ diſciplinæ inſtitueret.

Majus Prior civitatis templum & monaſterium S. Chryſogoni reſtituit.

In Chriſti nomine, & ejuſdem Incarnationis anno 986. Indictione 14. ſub die fere 19. menſis Decembris, Imperatoribus Dominis piiſſimis & perpetuis Auguſti Vaſilio & Conſtantino a Deo coronati Magni Imperatores, apud civitatem Jadræ, cathedra pontificali ſub regimine Anaſtaſii Epiſcopi. Igitur ego quidem Majus Prior ſupradictæ civitatis, atque Proconſul Dalmatiarum, una cum conſenſu omnium nobilium habitantium civitatis Jadræ, ſeu & hæredibus Domini Fuſculi, atque Andreæ Prioris, maſculorum, ſeu feminarum, atque univerſi populi, majorum & minorum omnium in unum conglobati, uno conſilio, & pari voluntate cogitantes de Dei timore, & æterna retributione; eo quod ille bene poſſideret res in ſæculo, qui ſibi de terrenis atque caducis parat præmia ſempiterna: Idcirco eccleſiam Beati Griſogoni Martyris, quæ ſita eſt infra muros prædictæ civitatis, ubi & ſacratiſſimum ejus corpus requieſcit, quod eſt ædificata a prædictis D. Fuſculo & Andrea, ubi dicitur, quod aliquando monaſterium fuiſſet, ſed per negligentiam defeciſſet, nunc adjuvante Domino reædificamus, ſecundum omnem monaſterii ordinem; atque ordinamus D. Madium Dei ſacerdotem & monachum noſtrum eſſe Abbatem, qui fuit ex monaſterio S. Benedicti, quod ſitum eſt in monte Caſſino, una cum conſenſu noſtræ congregationis B. Griſogoni, & tradimus ei prædictæ eccleſiæ omnia ibidem pertinentia, domus, vineas & terras, cultas, vel incultas, mobilia ſeu immobilia; ut in ipſius ſit poteſtate, & ſuorum fratrum, ad ſolatium ibidem ſervientium, utendum, poſſidendum, perfruendum, ordinandum ſine contradictione ullius, tibi Domino Madio Abbati prædicto, tuiſque ſucceſſoribus, qui poſt te venturi ſunt ſecundum monaſticum ordinem. Unum tamen nobis reprehenſibile videtur, quod eccleſia extra antiqua clauſtra ſit poſita, quod præcepta S. Patris Benedicti prohibent fieri, eo quod omnia neceſſaria monachis infra monaſterium debeant haberi, ut nulla neceſſitas ſit eis vagandi; ideoque viam publicam, quæ inter eccleſiam & antiquam clauſtram fuit, claudere fecimus; alia autem via publica, quæ ab oriente eccleſiæ fuit poſita, ſimiliter claudere fecimus; ſed invicem ejuſdem viæ de territorio ejuſdem eccleſiæ viam fecimus publicam ſecus murum civitatis. Hæc omnia non ſpeciali noſtro conſilio, ſed omnibus conſentientibus civibus, ad ſalvationem prædictæ civitatis & populi ordinavimus, & conſtituimus atque firmamus. Ut ſi aliquis diabolico ſpiritu impletus, quod non optamus, contra vos, veſtroſque ſucceſſores moleſtiam de rebus, aut ſubſtantiis fecerit de ſupradicta eccleſia, habeatis licentiam cum hac cartula traditionis in judicium venire, atque monſtrare ante Imperatorem, ante regem, ante Comitem, ſive judices, qui pro tempore fuerint, ut nihil aliquid de ſupradicta cauſa ſubtrahere, aut aliquem ſcandalizare poſſint; quod ſi aliquis quocumque tempore diabolico ſpiritu, tam de noſtris, quam de extraneis contra noſtram definitionem aliqua adverſa facere præſumpſerit, iratum habeat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & maledictionem a CCC. & XVIII. ſanctis Patribus, & in noviſſimo maranathe cum Diabulo, & ejus tetris Angelis ac Juda Scariote, in inferno muneretur. Hæc cartula volumus ut in ſua maneat firmitate.

Actum hoc tempore a Conſulibus ſupradictis, & loco, coram his teſtibus, & inſuper firmamus & conſtituimus, ut quiſquis contradictor extiterit, ſicut ſuperius diximus, non ſolum his ſupradictis maledictionibus ſubjaceat, ſed etiam pœnam perſolvat auri lib. viginti, & confuſus ſileat mutus, & hanc cartulam firmam & roboratam ſemper perſiſtat. Anno Pontificatus Domini Anaſtaſii octavo, indictione 14.

✠ Signamus Ego Anaſtaſius Epiſcopus teſtis ſupradictæ civitatis.

Ego Petrus Epiſcopus Arben. Civi. teſtis. Ego Domnio trib. teſtis. Ego Lampridio trib. teſtis. Ego Petrus trib. ſocer Prioris teſtis. Ego Majo trib. Cerneche teſtis. Ego Dabro frater ejus teſtis. Ego Urſana trib. teſtis. Ego Petrus trib. Spalatinus teſtis. Ego Barba trib. teſtis. Ego Nichiforus trib. teſtis. Ego Joannes trib. Arbeſano teſtis. Ego Plato trib. frater ejus teſtis. Ego quidem Anaſtaſius Epiſcopus ſupradictæ civitatis manu propria ſcripſi, & roboravi.

Poſt Anaſtaſium nihil cauſſæ eſt, cur multos Ughellus deſideret Epiſcopos, ad ſeriem Antiſtitum Jadrenſium ſine ulla interruptione continuandam; potuit ſiquidem Anaſtaſius vitam perducere uſque ad initium ſæculi proximi, cujus anno 1018. pontificatum Praſtancii ſucceſſoris idem Ughellus affixit. Itaque quod felix fortunatumque fuit Jaderæ totique Dalmatiæ, id contigit ſub Anaſtaſio Epiſcopo, ut Petrum Urſeolum Ducem Venetorum inter fauſtas lætaſque totius cleri & populi acclamationes exciperet. Nam ſub initium ſæculi undecimi, cum Dalmatæ maritimi piraticis Narentanorum & Chrobatorum vexationibus ac latrociniis expoſiti, & Græcorum Imperatorum auxiliis deſtituti,

Dalmatia ſe Venetis dedit, quorum imperium jampridem Jadrenſes acceperant.

nuti, per suos legatos in fidem ac clientelam Venetorum se contulissent; Petrus Urseolus ingenti classe oram Istriæ ac Dalmatiæ prætervectus, civitates maritimas Dalmatarum ad Venetum imperium adjunxit, Chrobatos & Narentanos piratas compescuit. Ita Veneti primam Dalmatiæ possessionem adierunt annis fere centum, antequam Hungari in eam regionem arma vexillaque inferrent. Ceterum Jadrenses jam erant in fide ac potestate Venetorum, ad quos ante annos non ita multos confugerant, ut contra piratas sibi præsidio essent, quo freti tributum a Slavis impositum abnuebant, ut docet Andreas Dandulus in Petro II. Urseolo: *Illis namque temporibus in Dalmatinorum confinio, non plus, quam Jadrenses cives, Veneticorum Ducis ditioni obtemperabant &c.* quem Danduli locum Joannes Lucius lib. 2. cap. 5. de Reg. Dal. & Croat. his verbis illustravit. *Tunc Jadram solum in Dalmatia Venetos in protectione habuisse Dandulus, & ceteri Chronistæ referunt. Jadrenses vero aliqua ex causa eorumdem protectioni se dedisse oportet, quæ proximorum Croatorum molestiis tribui debet; & ob imbecillitatem virium orientalium ad vicinam & antiquam societatem Jadrenses revertisse, ut a Croatorum molestiis liberarentur; & Venetorum protectionem nactos, Croatis tributum negasse conjectari potest.* Ac propterea, cum Petrus Urseolus reliquas civitates Dalmatiæ in deditionem receptas sollemni sacramento sibi, imperioque Veneto obstringeret; nullum ab Jadertinis jusjurandum in verba Ducis exactum, ac redditum fuisse Dandulus commemorat, quod jampridem essent in potestate Venetorum; ac proinde non erat necesse novo illos sacramento illigari. Cum igitur classis Veneta in conspectu urbis venisset, Anastasius Episcopus pontificali habitu ornatuque insignis cum clero, & rector civitatis cum primaria nobilitate & populo obviam prodivit, suumque Ducem ac dominum, quibus dignum erat, honoribus & acclamationibus excepit: *Altera vero die*, ait Dandulus, *Jadrenses antequam appropinquarent urbem, ejusdem civitatis Prior cum Episcopo & ceteris suum Dominum receperunt; & ingressi urbem, ibi regionis majores confluentes, ejusdem principis dominationi subesse præoptabant, inter quos Veglensis & Arbensis Episcopi &c.* Post aliquot annos Anastasius morte sublatus sedem vacuam successori reliquit.

PRÆSTANTIUS EP. JADRENSIS IX.

Præstantius cum fratre Majo ædificavit templum S. Michaelis apud insulam Pasmaniam, ac tradidit Abbati ac cœnobio Benedictino S. Chrysogoni.

Erat frater Maji, qui Prior fuerat Jaderæ & Proconsul Dalmatiarum, de quo supra in Anastasio. Uterque in Pasmania insula, sita e regione Belgradi, seu veteris Jaderæ, communi consilio sumptuque ædem S. Michaelis construxit, annuisque proventibus dotavit: quam deinde Trasoni Cœnobiarchæ S. Chrysogoni donarunt, ut est in tabulis illius cœnobii: *Est aliud territorium S. Chrysogoni in insula & loco, qui antiquo nomine Flavico dicitur, nunc vero Postimana nominatur, in quo loco Præstantius Episcopus una cum Majo fratre suo Priore ædificavit ecclesiam ad honorem B. Michaelis Archangeli; & quibus voluere dotarunt beneficiis; Trasjo denique, qui illis diebus nostro cœnobio præerat Abbas, prospiciens hanc sibi, suisque Fratribus satis esse congruam, & ad suam utilitatem nimis proficuam, vocavit ad se dictos fratres, & petivit illam, disponens iis necessitatem suorum Fratrum ac domus Dei: cujus voluntatem, ac petitionem consecuti sunt dictus Præsul & frater ejus; obtuleruntque in obsequio Abbatis tam ecclesiam, quam ædificaverant, quam adjacentia territoria, ut perpetuo B. Martyris Cella fieret; tradentes eam legaliter, coram quibusdam Jadrensium stabiliunt, & confirmant; quod factum inconvulsum mansit temporibus ipsorum &c.*

Hisce tabulis nullum annum adscriptum invenio; sed tum ædificationem templi S. Michaelis, tum ejusdem donationem Trasoni Cœnobiarchæ factam ad priores sæculi undecimi annos referendam esse arbitror, cum scilicet Præstantius Ecclesiam Jadrensem administrabat, & Majus Præstantii frater præfecturam urbis, quam gerebat anno 986. vel adhuc retinebat, vel depositam iterum resumpserat; nam hujusmodi Præfectis seu Prætoribus urbanis imperium in alios atque alios annos prorogare, & hoc magistratu semel perfunctis, iterum ac sæpius eadem suprema urbis administratio mandari interdum solebat. Idem existimes velim de præfectura monastica Trasonis Cœnobiarchæ, quem etiam annis 1033. & 1057. Abbatem in tabulis cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni nominatum reperio; nisi forte plures fuerint, quibus idem nomen Trasonis esset, quibusque eadem præfectura diversis temporibus obtigerit.

In diplomate Cresimiri regis Chrobatorum, quo Belgradense monasterium S. Joannis Evangelistæ multis prædiis & amplissima immunitate donavit anno 1057. testes nominantur *Drase* & *Madius filii* Præstantii Episcopi; quos itidem commemoratos invenies in tabulis cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni, quod idem Cresimirus anno 1067. regali auctoritate ac diplomate communivit. Hi erant filii Præstantii Antistitis Jadertini, qui cum *Majo fratre urbis Priore, & Proconsule Dalmatiarum*, Ecclesiam S. Michaelis, de qua supra, apud insulam Pasmaniam ædificavit, eamque Trasoni Cœnobiarchæ S. Chrysogoni donavit. In his autem posterioribus tabulis vocantur *consobrini* (id est, patrueles) *Gregorii similiter Jadrensis Prioris, & imperialis Patricii, ac totius Dalmatiæ Strategi, & filii dicti Prioris Maji*. Itaque Præstantius antequam Sacerdotium susciperet, duos illos filios Drasem & Madium genuerat e conjuge legitima, quam vel dimisit, vel morte præreptam amisit. Porro Præstantius Episcopatum Jadrensem, quem Ughellus & Valerius a Ponte conjungunt cum anno 1018., retinuit usque ad annum circiter septimum, & vicesimum hujus sæculi undecimi; nam biennio post sedem illam episcopalem obtinebat

ANDREAS II. EP. JADRENSIS X.

De quo fit mentio in tabulis cœnobii S. Chrysogoni: *1029. Indict. 12. imperante D. Romano Augusto, Andrea Venerab. Episcopo Jadertinæ civitatis, testamentum seu cartula donationis facta Mon. S. Grisogoni Jadrensis per Elenizam sororem Godemiri Bani &c.* itemque in aliis ejusdem cœnobii quadriennio post confectis: *Anno Domini 1033. die 1. Julii regnante Romano Augusto, Jaderæ regente cathedram pontificatus Andrea Vener. Episcopo, Priore urbis Domino Gregorio & Proconsule. Permutatio facta est a Traso Abbate monasterii S. Grisogoni Jadrensis cum filiis Constantini, qui dederant dicto Abbati domum*

Digitized by Google

mum suam, quæ erat prope monasterium; & ipse Abbas dedit illis aliam domum, quæ fuerat ... cum pertinentia sua, & quatuordecim solidis ... ex auro mundo per jussionem Gregorii Prioris & Proconsulis de ipsa civitate Jadræ, scripta manu Maij diaconi &c. coram testibus Andrea filio, Tribuno Vitali, Tribuno Drago &c. Ex hisce tabulis docemur Jadrenses, & civitates maritimas Dalmatiæ, quæ hoc sæculo ineunte in fidem & clientelam Venetorum transierant, sub Imperium Orientis aut omnes, aut fere omnes rediisse: id declarat tum nomen Imperatoris Græcorum, iisdem tabulis præfixum, tum Græcus magistratus, Dalmatiæ præpositus. Dalmaticæ reversionis ad Imperium Orientis caussam cum Joanne Lucio conferendam censeo in discordias ac seditiones, quibus per ea tempora res Veneta turbata est, atque in factiones distracta, de quibus Andreas Dandulus in Orthone & Dominico Urseolis Ducibus, ceterique Veneti Scriptores. Hinc occasionem oblatam Dalmatis fuisse arbitror redeundi ad pristinos dominos, Græcisque ipsis opportunitatem provinciæ recuperandæ, quam ab Imperio Orientis divulsam ægerrime ferebant: *Ex quibus*, inquit Joannes Lucius lib. 2. cap. IX. *sicuti magistratus imperialis in Dalmatia fuisse apparet; ita quoque integrum ejus dominium ad Imperium rediisse argui debet, Venetosque inter se tumultuantes Dalmatiæ protectionem vel prætermisisse, vel retinere non potuisse.* Hanc vero ob caussam Veneti alienatæ a Græcis voluntatis indicia non obscura præbuerunt; nam cum anno 1033. (ut est apud Cedrenum) Saraceni oram Illyricam incendiis & grassationibus vastarent, nullas Veneti copias navales, uti antea fecerant, subsidio Græcis miserunt; *sed Saraceni a Ragusinis & Nicephoro Patricio Nauplii Præfecto, Caranteni filio, male multati sunt, prælio victi &c. Hæc cum referat Cedrenus, neque Venetos,* ut Lucius animadvertit, *contra Saracenos more solito Græcis auxilia præstitisse memoret; argui potest ob Dalmatiæ titulum vel denegatum, vel vetitum, Venetos ab Imperio alienatos auxilia contra Saracenos, quamvis communes inimicos, præbere noluisse.*

Jadrenses cum ceteris Dalmatis sub imperium Græcorum redeunt.

Anno 1036. Andreas adhuc Ecclesiam Jadrensem regebat, ut docet Valerius a Ponte ex tabulis cœnobii S. Chrysogoni: *1036. Indict. IV. die 13. Februarii, Romani Imperii dignitatem gubernante Serenissimo Michaele, Gregorio Protospatario, & Stratico universæ Dalmatiæ, Andrea Episcopo.*

PETRUS EP. JADRENSIS XI.

Hujus nomen ac memoriam oblivioni ereptam servavit tabularium S. Chrysogoni: *Anno Domini 1044. Indict. 12. die prima Decembris, imperante Constantino Imperatore, Petro Vener. Episcopo, D. Andrea Priore. Testam. . . . Daurete, in quo relinquit S. Grisogono quoddam hortum, quod erat prope monasterium, scriptum manu Crisanæ.*

Stephanus Banus Chrobatiæ templum ac domicilium ab se constructum cœnobio Jadertino S. Chrysogoni donavit.

Sub pontificatu Petri, vel ejus, qui proxime post Petrum huic ecclesiæ præfuit, Stephanus unus de Banis Chrobatiæ, idemque *Imperialis Protospatarius*, templum in honorem S. Nicolai, S. Petri Apostoli, aliorumque Divorum, in agro Jadrensi, certe extra urbem, ut Valerius a Ponte admodum scite animadvertit, & fortasse Obrovacii, ut idem Valerius existimat, ædificavit, & parvum monasterium adjunxit, quod *Cellam* vocat: utrumque vero tum sacra, tum domestica supellectili copiose instructum, itemque frugiferis terris, & optimis vectigalibus dotatum, donavit cœnobio Jadertino S. Chrysogoni, ejusque cœnobiarchæ Trasoni, quem suum *Patrem Spiritualem* vocat: idque litteris publicis testatum esse voluit, quas laudavit & approbavit Marcus Judigus Episcopus Tinniniensis, qui & Chrobatorum Episcopus appellari solebat; hujusque approbatio erat necessaria, vel quia locus, in quo templum & domicilium illud conditum fuerat, ad ditionem regis Chrobatiæ pertinebat, vel quia si quid Chrobati de rebus suis cuiquam, præsertim extraneis donarent, ut hujusmodi donatio rata esset ac legitima, auctoritas & subscriptio Episcopi Chrobatiensis accederet oportebat, qui etiam Episcopus regius vocabatur. Hæ sunt tabulæ donationis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Stephanus Banus fabricavi istam ecclesiam ad honorem S. Nicolai Confessoris Christi, & S. Petri Apostoli, & S. Stephani Pontificis, & B. Dimitri Martyris, & Magni Grisogoni Martyris, nec non & B. Dei Genitricis Mariæ, atque omnium Sanctorum Christi. Cum conjuge mea Maria fabricavi eam sub temporibus Domini Constantini Monomaci. Ego denique Stephanus Banus, & Imperialis Protospatarius complevi hæc omnia intrante anno Domini millesimo octabo decimo, Indictione XXII., *incipiente anno decimo. De propria mea facultate laboravi eam, & dedi in eam quindecim panno de serico, & una cortina de serico, quinque planetas de serico, & quatuor paria de bracilo, & quatuor manipulos, quatuor stolas, sex camiso, quatuor amictos, quatuor cingulos, unam cupam, unum cocleare, unam fistulam de argento, iconas quinque, unam de argento, tres cruces, unam de argento, filacteria quatuor de auro, & tria de argento, unam capsam, & unum turibulum, & duos calices de argento, tre libros missales, unum Passionario, tres Omeliæ, smaragdum unum, duo antiphonaria, duo manicale, psalteria tria, imnaria duo, brebiarium unum, duo cerestata, unam sellam, unum pario de bacili, tria facinegia. Dedi etiam unam curtem, quæ cognominatur insula, cum ecclesia S. Pet., & cum sex servos, & quatuor ancillas, & alia curte, quæ vocatur nova sella, cum duodecim familiæ, & tertia curte, quæ dicitur Butinaviso cum octo familias, dedi viginti jumenta, cum duos equos, & triginta vaccas, & CCCC. pecora, & triginta duos porcos, posui tres campanas, quæ sunt appretiatæ unam libram de auro. Hæc omnia, & cum ipsa ecclesia trado in potestate D. meo Patri spirituali Trasoni Abbati, ut sit in perpetuum cella S. Grisogoni, cujus sacratissima membra Jadræ retinentur. Et si quis (quod absit) ausus fuerit subtrahere ex meis, vel extraneis, moriat de Ramato, & habeat semen super terram, & persolvat auri libras XXX. Insuper iratum habeat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & maledictionem CCCX. & VIII. Patres, & in novissimo Maranatha cum Diabolo, & ejus tetris Angelis, ac Juda Scariothe in inferno muneretur; & hac cartula volumus, ut in sua maneat firmitate.*

Et Ego Marco Judigo Croatensis collaudo, confirmo, corroboro, atque concedo.

Duplex error chronologicus in arithmeticas notas irrepsit; neque enim cum anno *millesimo octa-*

sttabo decimo imperium Constantini Monomachi cohæret, qui Michaele Calæphacto expulso, Imperatoris nomen & insignia suscepit an. 1042. Indictio autem vicesima secunda perspicue falsa est; nam quælibet Indictionum periodus quindecim ipsis annis definitur. Utrumque mendum corrigi debet ex nota sequenti chronologica: *incipiente anno decimo*, idest imperii Constantini Monomachi; hic autem annus congruit cum anno æræ vulgaris 1052. & cum Indictione sexta. Huic templo adjuncta erat *Cella*: sic enim vocari solebant parva quædam monasteria, quæ erant veluti membra unius principis monasterii, hujusque Abbati suberant. Eas monachi haud sane multi cum suo Præposito sive Decano incolebant. De hujusmodi cellis monasticis Mabillonius in Præfat. ad sæc. v. Act. SS. Benedict. §. 4. num. 53. *Observare convenit . . . eam fuisse in nobilioribus monasteriis disciplinam, ut quælibet minores sub se haberent colonias, quæ cellæ, præpositurae, obedientiæ, prioratus, monasteriola, monasteria passim, immo & Abbatiæ aliquando vocabantur. In illis cellis erant præpositi, sive decani ad nutum Abbatis, qui principi monasterio præerat, amovendi: & si qui Abbates illis præficiebantur, nonnisi prius habito primi Abbatis consensu, eorum fiebat electio, ab eodem postea confirmanda.*

Petrus Episcopus vitam prorogare potuit usque ad annum hujus sæculi quintum & quinquagesimum; nam anno proximo jam ei successor datus fuerat.

ANDREAS III. EP. JADRENSIS XII.

Andreas Ep. corpus S. Chrysogoni, quod jamdiu latebat, invenit.

Suscepto Episcopatu nihil habuit antiquius, quam ut locum investigaret, ubi conditum lateret corpus B. Chrysogoni. In urbe Jadrensi, atque adeo in ejus templo asservari, inter omnes constabat; sed loci sepulcralis memoria hominum interitu, & oblivione posteritatis sensim evanescens, omnino demum interierat. Diligenti adhibita inquisitione, illud tandem alte in terram defossum reperit subter altare ejusdem Martyris titulo consecratum. Universa civitas exsiluit gaudio, & ingens omnium ordinum concursus extitit ad sacras illas exuvias venerandas, quas sibi publicæque venerationi redditas esse lætitia incredibili gratulabantur. Ut infinitæ multitudinis cupiditati satisfieret, corpus in sacello validis septis munito aliquot dies omnium oculis expositum fuit, potestas ut esset omnibus per otium contemplandi, & quæ quisque attulerat, munera offerendi. Illud deinde Episcopus in eam arcam inclusit, quæ nunc varia visitur, egregie picta, & B. Chrysogoni effigiem, ejusque martyrii historiam variis coloribus scite admodum eleganterque repræsentans. Hujus inventionis perbrevis descriptio litteris consignata est, quæ asservatur in tabulario S. Chrysogoni; sed annus MXLVI. eidem inscriptus pugnat cum Indictione nona, & cum imperio Theodoræ Porphyrogenitæ Augustæ, quæ post obitum Constantini Monomachi intra finem anni 1054. imperare cœpit, & biennio post e vita migravit. Itaque unica nota X. exempta, annum MLVI. substitui oportet, quo cum etiam Indictio nona, & imperium Theodoræ cohæret.

Historia Inventionis.

Anno Dominicæ Incarnationis MXLVI. (MLVI.) *Indictione 9. regnante D. Theodora gloriosa Imperatrice; tempore Grubinæ Prioris, Andreas Venerab. Episcopus cum anxius quæreret B. Crisogoni martyris corpus, quod misericors Deus ad tuitionem Jaderensium olim concesserat, tandem in ecclesia & sub altare ipsius Martyris illud invenit. At cum audisset populus, quod B. Martyris corpus esset inventum, cucurrere ad eum omnes viri & mulieres, nobiles & ignobiles laudantes, & glorificantes Deum, & omnes proni in terram, unusquisque eorum, quod volebat, ante sacrum corpus offerebat. Adfuere inter eos & piscatores, qui etiam grippatores nominantur, scilicet Supena, Tizudel, Podboy, & collegæ eorum ceteri, qui B. Martyri sub jurejurando promisere, se suosque posteros unam portionem suæ piscationis omni tempore esse daturos, adjicientes, & dicentes, ut qui hanc nostram offertionem aliquo tempore subtrahere voluerit, iratum habeat trinum & unum Deum, & B. Martyrem, & Potestate loci coactus persolvat Martyri hanc portionem invitus; quæ promissio a suis promissoribus usque nunc voluntarie est peracta, & erit, ut putamus peragenda semper.*

Alteram antiquiorem ejusdem sacratissimi corporis inventionem ex tabulis cœnobii S. Chrysogoni, nimia vetustate attritis, Zoilus monachus sæculo decimo quinto transcripsit, ut ipsemet testatur, hæc ad calcem adjiciens: *Ego Zoilus monachus cœnobii gloriosi martyris Chrysogoni, motus devotione, hanc sui corporis inventionem deletam & totaliter cassam illuminavi, litteras omnino deletas iterum, seu de novo rescripsi manu propria, anno salutis MCCCCLXXXVIII.* Sed hanc historiam, quæ omni nota chronologica caret, fictam & commentitiam declarant futilia quædam & absurda interjecta, itemque nomina locorum, personarum, magistratuum, quæ neque in publicis, neque in privatis rerum Jadrensium antiquis monumentis inveniuntur; ut jure meritoque Joannes Lucius & Valerius a Ponte indignam censuerint, quæ publicam lucem aspiceret.

Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis Andreæ III. subjecit Præstantium hoc nomine secundum Episcopum Jadertinum, & Ferdinandum Ughellum reprehendit, quod hunc prætermiserit. Nititur auctoritate cujusdam regii diplomatis confecti mense Februario anno 1059. in quo Præstantius Episcopus nominatur. His temporibus rerum in Chrobatia potiebatur Cresimirus IV. hoc nomine inter duces & reges Chrobatorum, qui aliquot insulis & maritimis oppidis Dalmatiæ in suam potestatem redactis, itemque terrestri dominatu usque ad Savum prolato, regni fines terra marique amplificavit; nec solum Chrobatiæ, sed etiam Dalmatiæ regis titulum sumpsit. Hic cœnobium Benedictinum sub titulo & tutela S. Joannis Evangelistæ, ære sumptuque regio fundatum Belgradi in urbe ditionis Chrobaticæ, anno 1059. tum plurimis prædiis, ac fundis, tum amplissima immunitate donavit. Regiam donationem, quam in Theodosio Episcopo Belgradensi descriptam habes, confirmarunt Maynardus Abbas & Nicolai II. Pontificis legatus, Laurentius Archiepiscopus Spalatensis, Raynerius Chrobatiensis, Theodosius, & *Præstantius* Episcopi. Hunc autem Præstantium, quamvis neque urbis, neque ecclesiæ, cujus erat Episcopus, nomen adjectum sit, Episcopum Jaderæ fuisse Valerius existimavit, ac propterea inserendum censuit catalogo Antistitum Jadrensium, & Andreæ III. subjiciendum. Verum enimvero post diploma

Præstantius II. quem Valerius a Ponte Andreæ III. subjecit, rejiciendus.

Digitized by Google

ma illud Cresimiri, mense Februario, an. 1059. Andreas adhuc vivebat; quippe qui cum Laurentio Metropolita Spalatensi testis fuit approbatorque sententiæ, quam tulit secundum monachos S. Chrysogoni Acuzo, itidem Legatus Nicolai II. Hujus autem legatio apostolica posterior fuerit necesse est, quam illa Maynardi. Cum enim Nicolaus II. intra finem anni 1058. electus, ineunte proximo pontificalia insignia susceperit, nullum in Dalmatiam legatum mittere potuit ante Maynardum, qui mense Februario an. 1059. idest primo vel secundo mense post pontificatum a Nicolao susceptum, legatione apostolica in Dalmatia fungebatur. Itaque postquam Maynardus confecta legatione Dalmatica in urbem redierat, Nicolaus Acuzonem in Dalmatiam misit vel eodem anno, vel sequenti. Hic Jaderæ cum esset, *Cellam*, & ædiculam S. Joannis Evangelistæ, quam Eprobina, sive Corbina, femina locuples atque primaria ab se constructam in Silago insula, cum donasset S. Chrysogono, muliebri levitate & inconstantia repetebat, eidem S. Chrysogono, sive hujus ecclesiæ & cœnobio adjudicavit, præsentibus ac testibus Laurentio electo Archiepiscopo Spalatensi, Andrea Episcopo, & aliis pluribus. Sententia hæc est.

Sententia Acuzonis legati Sedis Apostolicæ secundum monachos S. Chrysogoni.

In nomine Dei æterni, futuræ recordationis memoriæ litteris notificare satagimus, ut posteris pateat, quod si quis a veritatis tramite exorbitare voluerit, ipsa littera eundem arguat. Notum sit omnibus, quod Petrus Ven. Abbas monasterii S. Chrysogoni, astans ante conspectum D. Acuzonis Apostolicæ Sedis Apocrisarii, missi a Domino Nicolao Romano Pontifice, conquestus est de quadam cella in honorem S. Joannis fundatam, ac posita in insula, quæ dicitur Silagus, quam Eprobina obtulit ecclesiæ S. Chrysogoni. Nunc autem instigante Diabolo vult eam subtrahere cænobio S. Chrysogoni, ad quod prius devota mente sua sponte contulerat. Tunc Apocrisarius Romanæ Sedis interrogavit clericos, & bonos laicos, si res ita se haberet, quemadmodum Abbas retulit. Cuncti autem, qui aderant, vera assertione perhibent Abbatem verum dixisse, & secundum donationem Gorbinæ, S. Chrysogonus omni cum justitia debet habere, & in perpetuum possidere. Unde quia Dominus Apocrisarius per ministros Dei, scilicet Sacerdotes, & clericos, & veridicos laicos cognovit hoc fore verum, protinus per virgam, quam in manu sua tenebat, investivit præfatum Abbatem de ipsa ecclesia, ac de omnibus ad eam pertinentibus; tali vero modo, quod absit, & avertat Deus, quod si quis ex præfato monasterio ecclesiam illam abstrahere voluerit, maledictionem Dei, & S. Petri Apostolorum Principis, & nostram habeat, & cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi damnetur, & cum Diabolo, & sociis ejus in inferno concremetur.

Hoc actum est in præsentia Laurentii Absarensis Episcopi, a Spalatinis, & a cuncto Concilio Archiepiscopi electi, & Andreæ quondam Episcopi, ac multorum bonorum hominum, & tempore Nicolæ Prioris, & Stratego civitatis Jaderæ, Ind. III.

Cum Laurentius, antea Episcopus Absarensis, adhuc *Archiepiscopi electi* nomen gereret, id argumento est, hanc sententiam latam fuisse anno 1059. ad exitum vergente, vel proximo ineunte, & antequam idem Acuzo ex mandato & auctoritate Nicolai translationem Laurentii ab Ecclesia Auxerensi ad Metropolim Spalatinam confirmaret, atque eidem pallium imponeret, ut diximus in actis ejusdem Laurentii. Huic sententiæ adfuisse dicitur testis approbatorque *Andreas quondam Episcopus*, urbe & ecclesia, cujus erat Episcopus, tacite prætermissa. Sed cum hæc sententia pertineret ad templum & cœnobium Jadrense, quod, ex antiqua ecclesiastica disciplina, Episcopi Jadrensis jurisdictioni suberat; cum verisimile sit Jaderæ pronunciatam fuisse, cum denique huic judicio interfuerit *Nicolaus Prior & Strategus civitatis Jaderæ;* ex his satis perspicue apparet Andream fuisse Episcopum Jadertinum tertium hoc nomine, de quo nunc agimus. Contra vero diploma illud Cresimiri, in quo nominatur *Præstantius* Episcopus, non ad Jadrensem, sed ad Belgradensem civitatem, atque ad cœnobium D. Joannis Evangelistæ in ea conditum pertinet, videturque in hac urbe confectum esse; & præterea nullus in eo sive magistratus, sive civis Jadrensis testis nominatur: nullum igitur ex eo suppetit argumentum, sive indicium, ex quo conjici possit hunc Præstantium Episcopum Jadertinum fuisse: cujus vero loci Episcopus fuerit compertum non est. Belgradensis esse non potuit; nam tunc Ecclesiæ Belgradensi Theodosius præsidebat, ut docet alterum diploma Cresimiri eodem anno 1059, & eodem mense Februario datum. Cum anno 1075. Gerardus Archiepiscopus Sipontinus, & legatus apostolicus, Cellam S. Joannis ab Episcopo Jadrensi monachis S. Chrysogoni ereptam, restitui jussit, hujus sententiam cum Laurentio Metropolita & Joanne Traguriensi Episcopo confirmavit *Præstantius Episcopus Castilanus;* sed nusquam in universa Dalmatia Episcopum *Castilanum* invenio. Adverbium *quondam* Andreæ Episcopo appositum in decreto Acuzonis, argumento est Andream post sententiam ejusdem Acuzonis prolatam, suaque voce approbatam, mortem obiisse, antequam eadem manu publici scribæ litteris consignari juberetur. Indictio III. non congruit neque cum 59. neque 60. hujus sæculi anno; hoc mendum arithmeticum librario attribui licet; quare vel primum I in X converti, vel eidem præponi X oportet, unde existat Indictio vel XII. quæ ad annum 1059., vel XIII. quæ ad annum 1060. pertinet.

Andreas nominatus in sententia Acuzonis fuisse Episcopus Jadrensis probatur.

Cum igitur Andreas III. vitam & pontificatum perduxerit usque ad finem anni 1059. vel ad initium sequentis; Præstantius secundus hujus nominis non potuit esse Episcopus Jadrensis mense Februario anni 1059. cum diploma illud Cresimiri datum est, in quo nominatur *Præstantius* Episcopus.

STEPHANUS EP. JADRENSIS XIII.

Anno 1066. Ecclesiæ Jadrensis administrationem jam susceperat, retinuitque usque ad annum 1071. ut e monumentis Jadrensibus satis perspicue intelligitur. Quare in catalogo serieque Antistitum Jadrensium nihil loci aut temporis relictum est Basilio II, quem Ughellus intrusit, ejusque Episcopatum anno 1069. affixit. Stephani autem initia referri possunt ad annum 1060. quo quidem anno, vel superiori Andream III. e vita migrasse diximus. Cicha nobilissima femina, nec genere, quam virtute illustrior; post interitum viri sui, nescio a quibus, & quam ob caussam interfecti, divino spiritu afflata,

rebus

Digitized by Google

Cicha matrona nobilissima cum Domnana filia monasterium S. Mariæ Minoris fundavit.

rebus mortalibus nuntium remittere, & monachali habitu suscepto, reliquam vitam procul ab hominum commercio, piis exercitationibus transigere, unique Deo vacare constituit. Erat filia Doimi in primis inter Jadrenses nobilis & opulenti. Matrem habuerat Vekenegam neptem Maji sive Madii olim *Prioris Jaderæ*, & *Proconsulis Dalmatiarum*, fratris Præstantii Episcopi, genitam fortasse ex Gregorio Maji filio, qui fuerat itidem *Prior* civitatis, & *Protospatarius Imperialis*. Andreæ nupserat æque clari generis viro, qui vocatur filius *Papæ;* quod nomen *Papæ* nisi proprium fuerit parentis Andreæ, hunc ex illustri aliquo viro genitum fuisse dixerim, qui post obitum conjugis, ecclesiasticæ militiæ nomen dederit, & per omnes inferiorum Ordinum gradus ad Episcopatum pervenerit; nam Episcopi antiquitus *Papæ* vocabantur. Ne haberi dicique possit filius Præstantii Jadrensium Episcopi, obstat consanguinitas, quæ Cichæ cum Andrea fuisset; hæc siquidem erat canonicum impedimentum, quod Cicham cum Andrea matrimonio jungi vetabat. Duas ex Andrea filias genuerat, Domnanam, & Vekenegam; hanc natu minimam nuptui in amplam & opulentam familiam collocaverat; illa vero cælesti instinctu afflatuque, pariter cum matre, sæculi pompis ac divitiis valedicere, ac se perpetuæ castitati ac religioni consecrare decrevit. Porro Cicha ne quid inconsulte ac temere susciperet, ageretve, quid suæ voluntatis esset, tum consanguineis, tum præsertim Stephano Episcopo aperuit; nemo fuit, quin præclara illius cogitata & consilia laudaret; & universo nobilium ac civium Concilio approbante, ædes ad id jam antea designatas coemit, ex eisque cœnobium ad normam & regulam instituti Benedictini construxit; annuos vero proventus e suis & filiæ bonis dotalibus assignavit. Proximum templum S. Mariæ *Minoris*, quod ad monasterium S. Chrysogoni jure patronatus pertinebat, in quo virgines illuc recipiendæ divinis rebus, psalmodiæ, aliisque piis exercitationibus operam darent, Petrus cœnobiarcha iisdem donavit. Hoc est illud æque antiquum ac celebre monasterium Jadrense ab S. Maria cognominatum, quod etiamnum extat, & virginum Deo sacratarum ex ordine patricio eximia religione, & regulari observantia floret, omniumque virtutum exemplis abundat. Huic templo & cœnobio cognomen *S. Mariæ Minoris* antiquitus fuit, quo distingui posset ab altera æde Mariana Jadrensi, quæ appellatur *Ecclesia S. Mariæ Majoris*, Canonicorum collegio insignis; sed abhinc duobus sæculis hanc dirui oportuit, ut propugnaculis ad urbis defensionem exstruendis locum relinqueret. De institutione hujus cœnobii quæ paullo uberius & fusius explicationis caussa exposita sunt, ea summatim ac breviter in tabulis Jadrensibus continentur.

Tabulæ institutionis monasterii virginum Jadrensium.

Anno Domini 1066. Cresimiro rege regnante, & Stephano Jadræ præsulante. Ego Cicha filia Doimi, & Vekenegæ, nepotis Madii Prioris, uxor Andreæ filii Papæ, post interfectionem mariti, cum duabus remanens filiis in viduitate, videlicet Domnana & Vekenega, cœpi corde perpendere, qualiter istius caducæ vitæ non perderem hæreditatem, & futuram non amitterem perpetuitatem, sicque mihi salubrius existimans consilium, ut ego cum majori filia, videlicet Domnana, dicarer monacha, minorem vero maritali subderem jugo; hujus vero consilii consanguineos, quos habebam propinquos, feci mihi conscios, & Stephanum Episcopum &c.

At postea quam eis utilior est visa mea tractatio, communi cum concivibus habito consilio, ac Petrum sanctissimum Abbatem S. Chrysogoni, cum omnibus monachis huic innuentibus meditationi, mihi donaverunt ecclesiam S. Mariæ Minoris ante Portam Bellata &c.

Eodem anno, quo condi, aptarique ad usus regulæ ac disciplinæ monachalis cœperat hoc cœnobium Benedictinum, exædificatum & absolutum fuit. Cicha cum Domnana filia, aliisque nobilibus atque ingenuis virginibus, ingressa, monasticæ vitæ fundamenta jecit. Illa siquidem omnium consensu Antistita constituta est, quæ ceteris præesset, & sancte pieque vivendi rationem, ex instituto S. Patris Benedicti, suis verbis & exemplis præscriberet. Sub idem tempus novo monasterio ingens decus & præsidium accessit. Sibenicum, in urbem ditionis Chrobaticæ, Cresimirus rex cum primoribus regni, & Laurentius Archiepiscopus cum Stephano Jadrensi, aliisque Episcopis provinciæ Spalatensis convenerant. In hoc augustissimo conventu Cresimirus cœnobium Jadertinum S. Mariæ *regia libertate* donavit, & immune, nullique tributo obnoxium esse jussit; atque cum omnibus ejus prædiis ac fundis in suam fidem ac tutelam recepit: id quod approbarunt, & collaudarunt omnes, qui aderant, Episcopi proceresque. Joannes Lucius docet *regia libertate* donari non personas cœnobii Jadertini, quæ cum degerent in urbe Jadrensi Orientis Imperio subjecta, Chrobatorum regum jurisdictione omnino erant exemptæ, sed ejusdem cœnobii possessiones & prædia, quæ intra fines regni Chrobatiæ continebantur; hæc siquidem immunia & libera esse jussit; ex his si quis aliquid auferret, eum quadrupli condemnavit. Contra vero cum Cresimirus caveri voluit monasteriis, quæ sita erant in urbibus Chrobatiæ, eorumque commodis & rationibus prospicere, non *Regiam*, (ut idem Lucius animadvertit lib. III. cap. 3. de Regn.), *sed simplicem* libertatem *concedendo nulli mortalium monachos subjectos esse declaravit, ab omnique tributo, & vectigali regio absolvit; Colomanus item imitatione Cresimiri, cum nondum Jadram, Dalmatiamve possideret, monialibus S. Mariæ Jadrensis regiam libertatem tribuendo, regium jus Croaticum remisisse videtur, quod non de personis, sed de terris, in Croatico regali solo a monasterio possessis, intelligendum est, eo magis quod Cresimirus & Colomanus pœnam imponant, non personas inquietantibus, sed bona mobilia, vel immobilia monasterii invadentibus: hinc observandum est verbum Regiam Dalmaticis exprimi* (idest, dari) *monasteriis, non Croaticis: ex quo Dalmaticas civitates, prout Imperii Orientalis, imperiales dictas conjici potest, ad differentiam Croaticarum Regiarum vocatarum; ideo regiæ libertatis datione intellecta fuisse monasterii bona in regali solo posita, personasque monasticas in prædiis degentes absoluta regia libertate uti, fruique debere.* Igitur Cresimirus regiam libertatem cœnobio Mariano Jadrensi traditam regali itidem diplomate confirmavit, in quo Cicham ejusdem Antistitam vocat *Sororem suam*, non quidem ex patre, sed fortassis ex matre; nam Cresimirus filius fuit Stephani regis Chrobatiæ, Cicha vero erat filia *Doimi*, & *Vekenegæ;* quæ quidem Vekenega, ut conjectari licet, post mortem conjugis, cum Stephano Cresimiri paren-

quod Cresimirus rex libertate regia donavit.

Digitized by Google

parente, ut erat femina primariæ nobilitatis, secundum matrimonium inierat; nisi forte idcirco *Sororem suam* appellat, quod Cicha consanguinitate, sive affinitate sibi propinqua esset; vel quia ob eximias ejus virtutes, & summam, quam obtinebat, ejusdem cœnobii præfecturam, honoris caussa eam sibi sororem adoptare, & *suam* dici *sororem* voluerat. Libertatem regiam cœnobio Jadertino concessam ait Cresimirus fuisse approbatam *laudatione nostri ducis Stephani*, quem, ut Lucius docet lib. II. cap. IX. de Reg., *primogenitum fuisse Cresimiri, avi nomen habentem, ad regni successionem destinatum conjectari potest; cum eodem titulo postea reges Hungariæ primogenitos suos insignire solerent*. Sed Stephanus filius fuerit necesse est fratris Cresimiri; cum in quodam diplomate ipsemet Stephanus Cresimirum non patrem, sed *patruum*, se vero designatum regni hæredem appellet. Per ea tempora rerum in Oriente potiebatur Constantinus Ducas, qui in diplomate Cresimiri *Dubcyzi*, sive vocabulo Slavonico, sive per errorem librarii, appellatur. In actis autem decretisque regum Chrobatiæ Imperatores Græcorum nominari solebant, quod ab illis titulum regium, ac provinciam illam fiduciariam duces ac reges Chrobatorum accepissent. His explicatis, ipsum Cresimiri diploma proferamus.

Diploma Cresimiri. *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1066. Dubcyzi Constantinopoleos imperante. Ego Cresimir rex Croatiæ, & Dalmatiæ, filius Stephani regis, concessione Laurent. Spalatensis Archiepiscopi, omniumque nostri regni Episcoporum, & laudatione nostri Ducis Stephani, ceterorumque Croatiæ Comitum, do regiam libertatem monasterio S. Mariæ Jadrensis, quod soror mea Cicha fabricavit, siquidem ut si aliquis protervus in aliquo, prædicto monasterio contraire voluerit, vel ut si aliquid abstulerit ecclesiæ quadruplum restituat, & sua omnia regali juri subjaceant. Hocque ab Archiepiscopo, & omnibus Episcopis confirmatum canonice, ac ab universo cœtu collaudatum est. L. Archiepiscopus Laud. Stephanus Episcopus Jaderæ Laud. Rainerius Episcopus Croatiæ Laud. Joannes Trag. Episcopus Laud. Dabro Belgrad. Episcopus Laud. Drago Arben. Episcopus Laud. Petrus Absaren. Episcopus laudavit. In die Natali Domini in Sibenico, coram omnibus prædictæ Abbatissæ Cichæ hæc scripta sunt.*

Cresimiri erga monasterium S. Chrysogoni beneficentia. Nec vero Cresimirus suam erga cœnobium monachorum S. Chrysogoni beneficentiam ac liberalitatem desiderari passus est. Petrus Cœnobiarcha suppliciter a rege postulavit, ut villas omnes, ac prædia ejusdem cœnobii, quæ sita erant in regionibus Cresimiro subjectis, regali auctoritate communiret, ac præsertim ecclesiam & domum S. Michaelis apud insulam Pasmaniam, cum omnibus terris frugiferis eidem annexis, quam Majus Prior & Præstantius Episcopus Trasoni Abbati donaverant; nam haud multis ante annis quidam iniqui homines, spe & avaritia inhiante, in eas possessiones invadere, & aliquid ex illis decerpere atque intervertere conabantur; quare necesse fuerat, ut Gregorius Maji filius, & Rector civitatis, cum Drase & Madio suis patruelibus, Præstantii filiis, in eam insulam trajicerent; & fidem facerent ea omnia, quæ ipsi certis terminis definierunt, monachis S. Chrysogoni a suis parentibus donata fuisse. Quod Petrus postulabat, Cresimirus non solum fecit, sed etiam prolixe cumulateque fecit. Nam & possessionem bonorum omnium, quæ cœnobium S. Chrysogoni ex regum & privatorum hominum donatione possidebat, auctoritate regia confirmavit; & præterea unam ex insulis ditionis Chrobaticæ, cui nomen erat *Mauni*, cum omnibus ejus proventibus, eidem cœnobio in perpetuo possidendam tradidit. Extat duplex amplissimum diploma Casimiri regis, alterum anno 1067. alterum biennio post Nonæ in urbe Chrobatica confectum; primum Abbas S. Bartholomæi, secundum Stephanus Episcopus Jaderæ scripsit, suoque chirographo confirmavit.

Anno Dominicæ Incarnationis 1067. Indict. 4. Epacta 3. concurrente 7. regnante Domino Constantino Duca Magno Imperatore, Prioratum vero Jaderæ retinente D. Leone imperiali Protospatario, & totius Dalmatiæ Catipano. Ego quidem Petrus S. Grisogoni Abbas immeritus, cerno quod his temporibus, in quibus jam fines devenere sæculorum, nonnulla subtrahuntur de possessionibus Sanctorum per ingluvias hominum mundanorum, ac Deum non metuentium, sed callida machinamenta, & dolosa solummodo amantium plurima argumenta. Unde Chirographum hoc ad posteritatis memoriam esse studui, cum consilio, ac voluntate, & testificatione præfatæ urbis nobilium, quorum nomina subterascripta reperientur de possessionibus, hoc est terris, vineis, olivetis, ac piscationibus cœnobii prædicti Christi martyris, videlicet B. Grisogoni, vel in quibus locis hæc universa habentur, quæ mei regiminis tempore in obsequio Fratrum in eodem cœnobio Christo famulantium esse cognovi, ne alicui de suprascriptis rebus minuendi facultas in posterum largiatur. Igitur scribere curavi in primis territorium, in quo olivæ, & vineæ monasterii esse plantatæ noscuntur, in loco, qui Yculi nominatur, & his terminis terminatur. Est in eodem loco vallis infra duos petrosos colles porrecta, in Oriente, quæ Rabiosa dicitur, estque primus terminus jam dicti territorii, a summitate ipsius vallis in Oriente, ubi etiam pusillus stare ulmus cernitur usque ad limitem, qui ultra ejusdem loci in occidentali parte habetur; secundus namque terminus per transversum a mari usque viam antiquam, qua itur ad Nonam, quæ est etiam contra Sublata, in qua hac de causa antiquitus sita est columpnella, quæ erat ab insidiatoribus de loco, in quo steterat, remota in Orientem quasi passus ducentos, quam nos cum consensu Cresimiri regis Croatorum, suorumque nobilium, pristino restituimus loco. Hanc ipsam denique terram, hisque terminis terminatam, sine infestatione quorumlibet hominum, servis Dei perpetuo possidendam hoc modo antiquitus in nostro jam dicto monasterio ferunt fuisse datam, quod rex quidam Croatorum veniens votum reddere Deo ad ecclesiam præfatam, petentibus servis Dei pro suæ remedio animæ donavit eam, quod factum pronepos ejus, prædictus rex, nostris quoque stabilivit diebus, tribuens nobis hoc libellum continentem ita:

Ego Cresimer, qui alio nomine vocor Petrus, Croatorum rex, Dalmatinorumque, notifico omnibus, quod justum mihi videtur, ut statuta parentum meorum antiquorum non cassentur, maxime illa, quæ ad salutem eorum pertinent animarum. Comperimus namque in gestis proavi Cresimiri Majoris, quod pro remedio animæ suæ tradidisset monasterio S. Grisogoni territorium aliquod in loco, quod dicitur Hyculas, a quercu, quæ stat supra vallem rabiosam, usque ad Stafilum, Diploma regis Cresimiri.

qui

qui hac de causa situs est in trivio, quod est contra Sublatam, perpetuo possidendum, quod totum possessoribus suis mansit tempore ipsius, & filii ejus Drizislavi, & eorum potentibus Banis, videlicet Pribinæ & Godemiri, & temporibus Suetoslavi, & ejus fratrum Cresimiri, & Goyslavi, & filii ejus regis Stephani patris mei, faventibus nobilibus Banis, eorum qui fuere temporibus, hi sunt Varda, Bozbare, & Stephanus Prasca. Unde sancimus eorum sanctiones a nobis roboratas perpetuo permanere. Si quis autem post nostrum obitum ista violare temptaverit, supremi incurrat Judicis iram, & in horrendi examinis die sinistrum possidens locum audiat, quæ sinistri merentur. Actum est in Nona civitate his coram testibus. Boleslaus Tepa testis, Adamizo Noniensis Jupanus testis, Vialcizo Jup. de Licca testis, Voleta Dad testis, Budic Postelnic testis, Joannes regis Capell. testis, Zuoiz Volar testis, Dragogna Scuto bajulus, Dodavid Vinote, Grabogna Decanus testis. Ego Abbas S. Bart. scripsi jussu Regis Domini mei.

Et aliud territorium S. Grisogoni in insula, in loco, qui antiquo nomine Flavico dicitur, nunc vero Postimana nominatur, in quo loco Præstantius Episcopus una cum Majo fratre suo Priore ædificavit ecclesiam ad honorem B. Arcang. Michaelis, & quibus voluere dotarunt beneficiis. Traso denique, qui illis diebus huic nostro cœnobio praerat, Abbas prospiciens hanc sibi, suisque fratribus satis esse congruam, & ad suam utilitatem nimis proficuam, vocavit ad se dictos fratres, & petivit illam, disponens iis necessitatem suorum fratrum, ac domus Dei; cujus voluntatem ac petitionem consecuti sunt dictus Præsul, & frater ejus, obtuleruntque in obsequio Abbatis & fratrum tam ecclesiam, quam ædificaverat, quamque adjacentia territoria, ut perpetuo B. Martyris Cella fieret; tradentes eam legaliter coram nonnullis Jadrensium stabiliunt, & confirmant. Quod factum utique inconvulsum mansit temporibus ipsorum, sed post obitum illorum, quidam temptaverunt subtrahere aliquid de donatis jam Ecclesiæ Dei territoriis; qua de causa veniens ad insulam filius dicti Prioris Gregorius, similiter Jadren. Prior, & imperialis Patricius, ac totius Dalmatiæ Stratigo, ad insulam cum suis consobrinis, filiis dicti Episcopi, quatenus quis jam numquam posset in aliquo servos Dei molestare, prædicta territoria, sicut a suis Patribus sacro cœnobio donata fuerant, clarius propalaverunt, confirmarunt, & his terminis terminarunt, a mari videlicet usque ad montium summitates, & a fundo vallis, quæ in Orientem post præfatam ecclesiam esse cernitur, in quo fossatus habetur, qui contra ipsos montes mitti videtur, usque ad maceriam, quæ ultra desertum oppidum in parte occidentali similiter habetur, quo etiam tunc ob sui facti memoriam lapidum pro signo pusillum statuunt acervum. Et hæc quippe nomina sunt eorum, qui hujus rei cum eo tunc adjuctores, cooperatores, & testes affuere; quorum jussu, & voluntate hoc Chirographum scribi fecimus, in primis scilicet Præstantius Tribunus, Dabro Trib. Martinus T., Cerneca T. Andreas T. qui postea Prior effectus est, Dabro T., Sergius T. Georgius T., Majus T. Ursana T., Petrus T., Gancella T. & alii plurimi. Ego Stephanus Jadren. Episcopus horum, & aliorum nobilium plurimorum consilio, & voluntate, jussu & testificatione, curis præpeditus nonnullis Cyrographum hoc rustico sermone conscripsi.

Alterum Cresimiri diploma.

Quoniam Divinitatis eximia celsitudo summis ac minimis, non modo pro meritis, verum etiam dispensatione profunda, æternos largitur honores, & modo ininvestigabili elevat sublimandos, & sublimium superborum colla pessundat, ut ineffabilis Judicis ineffabile quoque judicium perseveret, & omnipotentis discretio ex inexhausto procedens fonte terrena dispenset imperia. Ideo ego Cresimirus Dei gratia largiente, Croatiæ atque Dalmatiæ jura gubernans, atque avi mei beatæ memoriæ Cresimiri regis, patrisque mei regis Stephani in Elisio campo feliciter quiescentis, habenas regni tenens, anno Dominicæ Incarn. 1069. Indict. 7. Epacta 5. concurrente 3. in nostro Nonen. cœnaculo residens una cum nostris Jupanis, Comitibus, atque Banis, Capellanis etiam nostræ regalis aulæ, cogitare cœpi qualiter omnipotens Deus hæreditarii regni mihi concessit gubernacula, conservaret, & animabus meorum prædecessorum requiem donaret; inveni nihil in operibus maxime dignius, nihilque Deo acceptabilius, quam ex nostra terrestri aula supernorum civium atque Sanctorum sacrata habitacula possessionibus muneribusque ditare condignis. Igitur quia Deus omnipotens terra marique nostrum prolungavit regnum, decrevimus, & prompto animo stabilivimus monasterium S. Grisogoni Mart. cujus venerandum corpus intra ejusdem civitatis mœnia requiescit, prædiis atque possessionibus honorare, simul quia in gestis antecessorum nostrorum regum scilicet excellentissimorum in campis & territoriis plurimis prædictum monasterium invenimus privilegiatum. Nos ergo a prædecessoribus nostris in nullo deviantes pro remedio animæ meæ, meorumque defunctorum omnium, offerimus, & stabili tenore donamus tibi Beatissimo Grisogono Martyri, & præsente D. Petro tuæ Sanctæ Aulæ Abbate, nostram propriam insulam, in nostro Dalmatico mari sitam, quæ vocatur Mauni, cui ex orientali parte adjacet insula, quæ in vulgari Sclavonico Veru nuncupatur, ut eam habeat, & possideat in æternum absque cujusquam mortalium inquietudine, prædicti sanctissimi martyris monasterium; nam sic bona nostra decrevit voluntas, annuentibus, & supplicantibus venerandis nostri regni principibus. Ut autem hæc nostra donatio in æternum fundetur, & stabilitate perpetua perseveret; eam nostra, nostrorumque Episcoporum attestatione astringimus, & inviolabiliter præmunimus, statuentes, ut quicumque mortalium, immemor divini examinis, & perversorum nostræ regiæ dignitatis, voluerit umquam ausu temerario de prædicta insula, cœnobio regaliter concessa sanctissimi Grisogoni, inquietare, simulque nostra jura confundere, incurrat iram super iram futuri Judicis, & sit reus in conspectu extremi examinis, cum Herode, Juda, & Simone Mago portionem in æternum habiturus, & Antichristi consortia possessurus ab omni pace, a Deo, Sanctisque Apostolis, & a cuncto Sanctorum cœtu, & Beatiss. Grisog. maledictionem accipiat sempiternam; & nostræ regali curiæ, quibuscumque successoribus meis Regibus, Jupanis, Comitibus, sive Banis componat lib. auri C. & in nostro regno perpetuo sit infamis. ✠ Ego Cresimir rex Cro. atque Dalmatiæ.

✠ Ego Stephanus Jaderæ Episcopus scripsi, & hæc sunt nomina testium, quæ in hoc facto interfuere. Adamizo Nonen. Jupanus T. Boleslavus curialis Comes T. Viachizo Jup. de Licca T. Volessa Dat. T. Budec Postelnic Berbetien. Jup. T. Joannes regis Capellanus T. Petrus regalis

regalis

galis curiæ Judex T. Guidoz regalis Pincerna T. Dominus Leo Imperialis Protospatarius , ac totius Dalmatiæ Catipanus T. Salvislavus Nonen. Judex T. Adam Monacus de S. Bartholomæo Abbas T. Petrus Jupanus de Sidraga T. Dragomir Jupanus de Cetina T. Andreas Belgradensis Prior T.

Ego Anastasius hujus Cirographi dictator Crovaten. Episcopus , & aulæ regiæ Cancellarius , jussu & voluntate prædicti Domini mei regis scripsi , & confirmavi feliciter in civitate Nona . Amen.

Cresimirus cœnobium virginum Jadrensium novis beneficiis auxit.

Cum cœnobii Mariani Jadrensis fama , bonusque odor instituti Parthenonis manaret quotidie latius , & cresceret in dies numerus virginum Deo sacratarum ; Cresimirus rex ejusdem proventus augendos censuit ; & rogatu Cichæ Antistitæ *terram in Tochenia* eidem anno 1072. donavit, quam regalem vocat , idest ad regiam domum familiamque jure proprietatis pertinentem. Hanc donationem Jaderæ confirmavit, Stephano Episcopo præsente, atque approbante.

Anno Incarnationis Dominicæ 1072. Ego Cresimir rex Croatiæ & Dalmatiæ ob remedium animæ meæ, & praceſſorum meorum , monasterio S. Mariæ monialium, rogatu sororis meæ, quod noviter factum est Jaderæ, Cichæ , dono terram in Tochenia , quæ regalis esse dignoscitur , vel regalium servorum, vergentem per convallem ab oriente in occidentem, quæ mari determinatur, in aquilonem vero usque ad supereminentem montem, ad meridianam autem plagam trahentem ; quam avus meus C. dedit cognato suo Madio, & filio ejus Dabranæ , coram his testibus Dabro Priore filio Bolize, Niciforo, & fratre ejus Madio filio Zelle, Dobro Drago Scitinossa , Descini Jurisar, Budillo Capellano, Desa Jadrensi clerico. Si quis autem nostræ donationi in posterum contraire voluerit, bannum persolvat regalem , nostra donatio semper firma permaneat. Hoc actum est in Tochenia, & firmatum Jadræ, coram Stephano ejusdem civitatis Episcopo, Drago Priore, Sega Judice, Zella & Doda, & aliis quampluribus.

Hoc eodem anno 1072. tum Stephanus e vita decessit, tum eidem ad sedem pontificiam subrogatus fuit

ANDREAS IV. EP. JADRENSIS XIV.

Eodem anno 1072. quo Andreas Ecclesiæ Jadertinæ regimen suscepit , habitum est Jaderæ Concilium provinciale, ut colligitur ex tabulis infra describendis cœnobii S. Mariæ , quibus hæc verba inserta sunt : *Congregatis nobis cum plurimæ causæ ventilandæ & examinandæ allatæ, ut moris est Concilii generalis , confluerent* &c. Sed hujus Concilii acta decretaque interierunt. Laurentius Metropolita Spalatensis pro suo jure & Concilium convocavit, & eidem præfuit. Interfuerunt Episcopi provinciales omnino sex, qui in iisdem tabulis nominantur, Andreas Jadertinus, Petrus Arbensis, Petrus Vegliensis , Joannes Traguriensis, Basilius Belgradensis, Andreas Nonensis; Gregorius Abbas S. Chrysogoni , cum Madio & Trasone , qui licet præfectura illa monastica perfuncti , tamen Abbatis titulum retinebant; itemque Theodorus Abbas S. Stephani de Pinnis, aliique cœnobiarchæ ex Ordine S. Benedicti; & primores e clero, magistratu , & Consilio nobilium Jadrensi . Cicha virginum Jadrensium Antistita censuit divinitus oblatam opportunitatem consecrandæ basilicæ Marianæ, quam a Petro cœnobiarcha S. Chrysogoni sibi traditam refecerat, atque in augustiorem formam redegerat . Concursus enim tot Episcoporum ad hujusce consecrationis splendorem, magnificentiam, celebritatem vel plurimum addebat , quippe templorum dedicationem summa majores nostri religione confici, & quanta maxima potest , pompa apparatuque voluerunt. Laurentius Metropolita, ut ejus dignitas postulabat , consecrationem sollemni ritu peregit , ceteris Episcopis eidem honoris caussa , cum clero universo , ministerium operamque præbentibus ; & cuncta fere civitate , insolita omnium ordinum frequentia , religione, ac lætitia sacram functionem prosequente. Sub dedicationem templi Andreas Episcopus Jadertinus, & Dabro Prior, seu Præfectus urbis, convocato clero & populo, insulam Silvæ, quam Porphyrogenitus Selbon vocat, & immunitatem amplissimam cœnobio & templo Mariano, de communi omnium voluntate donarunt; quam donationem deinde , antequam Concilium dimitteretur, Episcopi & Abbates, clerus & populus, omnes una voce, & universali approbatione confirmarunt; postea tamen amplissimæ immunitati visum est aliquid detrahere . Tabulas donationis hic subjicio , sed aliquibus in locis quædam obscurius expressa sunt, quam ut facile intelligi possint.

Consecratio ædis Marianæ virginum Jadrensium , cui Andreas Ep. & Dabro insulam Silvæ donarunt.

Tabulæ donationis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1072. Indictione 8. (10.) *Ego Andreas Præsul Jaderæ urbis, una cum Drago Priore, Clero , & populo ejusdem civitatis: placuit nobis dare insulam Silvæ, & veram libertatem, veramque ingenuitatem monasterio S. Mariæ, sito in eadem urbe, in die consecrationis ejus basilicæ , jure perpetuo tenendam , ob salutem omnium nostrum vivorum & defunctorum ; quod si quis protervus deinceps hoc nostrum actum violare, aut rumpere temptaverit in aliquo, & vim sanctis monialibus , illic habitantibus , vel usque ad formellam casei rapuerit, divinam, & Sanctorum ejus, & nostram percipiat maledictionem, & medietas domus ejus cadat in publico . Ego Joannes Judicator laudo & confirmo , Candidus laudo & confirmo. In Christi nomine , Ego Drago gratia ejus Prior Jadræ urbis , una cum Nobilibus , & omni populo hujus civitatis tibi Domina Cicca Abbatissa, tuisque sororibus præsentibus & futuris, placuit nobis concedere propter Deum, & sanctam Dei Genitricem, & pro salute animarum, & corporum nostrorum veram libertatem , quam nullus ex nostris monasteriis habet, ut non cavallus, non famulus, usque ad formellam casei, per vim aliquis eis tollerit; & si quis hoc nostrum rumpere , vel contraire voluerit, deificam habeat maledictionem, & incurrat eis pœnam medietatis domus suæ.*

Actum est hoc in die consecrationis basilicæ S. Mariæ ante Andream nostrum Episcopum, & ejus Clero, & Madio Abbate, & Trasone Abbate. L. D. G. Spalat. sedis Archiepiscopus. A. Jadertinus Episcopus. Petrus Arbensis Episcopus, Petrus Vegliensis Episcopus . I. Traguriensis Episcopus, B. Belgradensis Episcopus, A. Nonensis Episcopus . G. Abb. monasterii sancti Chris. Theodorus S. Stephani, Petrus S. Nicolai, Jo. S. Michael, Dabrana S. Petri, cum omnibus Clericis & laicis Dominum timentibus Jadertinæ S. Ecclesiæ, congregatis nobis cum plurimæ ventilandæ & examinandæ allatæ, ut moris est generalis concilii, confluerent , interea etiam nihilominus illud

Digitized by Google

affuit muniminis scriptum, quod Episcopus & Prior, nobiles, & ignobiles Jadrenses, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ semper Virginis, monast. vid. & Virgin. Deo devote famulantium noviter in eadem civitate inter se temporibus constructo, tempore consecrationis jam dictæ ecclesiæ, devote, & alacriter concesserant insulam Silvæ; hoc denique licet continens, ut quę de solo patrimonio nobilium puellarum illuc ob amorem Christi concurrentium ædificatum fuerat, sic ab omni festinatione tributi quiete viverent, ut liberæ ab omni mancipatione humani servitii toto mentis affectu servirent, cui se desponsantes ancillulas tradidere. Hoc solummodo petentes, Abbatissa ingenuitate præcipua nomine Cicca cum omnibus sororibus volentibus illis amplissima de fisco civili dona conferre; quod namque dum diligentius perscrutantes investigarem, illud inde cassare studuimus, quod cassandum, & impossibile ad observandum perspeximus. Inerat siquidem ei, ut si quis ex omnibus bonis monasterii usque ad formellam casei violenter præsumeret, anathematis vinculo ex triplo ligaretur; quo jure abraso, stabilita firmare salubrius decrevimus. Ita quidem ut nullus de Clero, vel populo, magna, vel parva persona, ingenuus, vel servus ab inde in antea quicquam violenter auferre præsumat; quod si præsumpserit, & emendare post hæc, tam querimoniam resistendo voluerit, anathematis vinculo innodatus intereat, excepto quod Prior sæpe dictæ civitatis pro communi utilitate omnium concivium ipsemet, vel alius ejus iverit, vel suum legatum transmiserit, quod tamen cum omni honestate, & mensura fiat. Hoc denique promulgato acclamatum est, si placeret; succlamatum quoque est omnibus, placet.

Svinimirus post breve regnum Slavizi, rerum in Chrobatia potitus anno 1075., regali diplomate confirmavit donationem *terrarum in Tochenia*, quas Cresimirus cœnobio virginum Jadrensium attribuerat.

Ego Svinimir rex Croatiæ atque Dalmatiæ concedo, firmo, & corroboro coram Laurentio Archiepiscopo, & Joanne Abbate S. Bartholomæi, & Andrea nostro capellano, & Dominico Tepize, & Crenia Zupano, hanc donationem quam dedit noster antecessor rex Cresimir monasterio Sanctæ Mariæ sito Jaderæ, de terris in Tochinia & de conditione, sicut in suprascripta continetur cartula. Hoc actum est in Teneno Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVIII.

Dominicus Silvo dux Venetorum Jadrenses in deditionem voluntariam recepit.

His temporibus Jadera cum plerisque civitatibus maritimis Dalmatiæ sub imperium Venetorum redivit. Dominicus Silvo, qui principatum in Venetis obtinebat, jam inde ab anno 1070. susceptum, aliquot armata navigia eduxit, ut est apud Dandulum, Northmannos mari, oræque maritimæ infestos in fugam avertit, Dalmatis salutem & tranquillitatem restituit. Quo facto ita illarum gentium animos sibi conciliavit, ut in Venetorum fidem ac potestatem, unde ante aliquot annos desciverant, se rursus contulerint, eo promptius ac libentius, quod cum expositi essent Northmannorum injuriis ac direptionibus, nihil præsidii ab Imperatoribus Orientis sperare poterant. Ea siquidem tempestate Græcorum opes magis etiam a Turcis, sive Saracenis in Asia, quam a Northmannis in Italia, erant debilitatæ fractæque. Nec vero amicitiam, quæ Venetis erat cum Græcis, recepta in fidem Dalmatia dissolvit; quin eam postea magis firmarunt magisque, tum copiæ navales Venetorum Græcis subsidio missæ, quarum opera magni fuit in bello Northmannico; tum jus retinendæ ac possidendæ Dalmatiæ, quod post aliquot annos Alexius Comnenus Imperator Ducibus Venetorum stabile ac perpetuum esse aureo diplomate sancivit.

Andreas IV. hoc nomine huic ecclesiæ vix annum integrum præfuit; anno siquidem 1073. eamdem regebat

STEPHANUS II. EP. JADRENSIS XV.

Stephanus II. Ep. interfuit Concilio Provinciali Spalaten.

Cujus nomen inscriptum est tabulis cœnobii Mariani virginum Jadrensium, infra in Andrea V. proximo Stephani successore describendis; quarum initium est hujusmodi. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, & ejusdem Incarnationis 1073., regnante Cresimiro Croatiæ rege, Svinimiro Bano, Episcopo vero Domino Stephano &c.* Hic interfuit Concilio provinciali Spalatensi, quod jussu Gerardi Archiepiscopi Sipontini, legati Sedis Apostolicæ, Laurentius Metropolita convocavit anno 1075. de quo in actis ejusdem Laurentii cap. 2. §. 1. Huic enim Synodo suum nomen subscripsit *secundus* post Laurentium *Stephanus Episcopus Jadrensis*, ut docet Archidiaconus cap. XVI. Cum Stephanus *Cellam*, sive templum & domum S. Joannis Evangelistæ, in insula Silago positam, Petro Cœnobiarchæ S. Chrysogoni abstulisset, Gerardus legatus apostolicus de communi Concilii sententia restitui jussit: *Petrus Venerabilis Abbas S. Grisogoni conquestus est de Cella S. Joannis Evangelistæ, quæ Silagus dicitur, quam suus Episcopus, videlicet Stephanus, illam sibi abstulerat ... Ego autem videns sibi juste fieri, & omne Concilium mecum, rursum præcipimus suo Præsuli investire Abbatem &c.* Quam Gerardus tulit secundum Abbatem & monachos Benedictinos sententiam, integram habes in Laurentio Archiepiscopo. In tabulis S. Chrysogoni apud Valerium a Ponte anno 1078. confectis inscriptum est nomen Stephani Episcopi: *Regnante Betoniute Angelo* (id est Nicephoro Botoniate), *Jadræ Priore Drago, Stephanus Episcopus regens.* Annos fere sexdecim Stephanus Jadrensem pontificatum gessit, quem cum vita deposuit anno circiter 1090.

ANDREAS V. EP. JADRENSIS XVI.

Andreas V. Ep. Jadren. bona Dobroslavi in litem adducit.

Hujus ecclesiæ gubernacula suscepit post obitum Stephani, annos fere undecim retinuit, morte præreptus sub initium proximi sæculi dimisit. Semel atque iterum, scilicet anno 1091. & 1094. in tabulis Jadrensibus illorum temporum, Andream nominatum invenio. Vekenega filia Cichæ vidua Dobroslavi, exemplum matris secuta, cœnobium Benedictinum S. Mariæ ingressa est, seque ipsam Deo in perpetuum devovit. Dobroslavus moriens de consensu uxoris, quæ marito propositum susceptumque consilium vitæ religiosæ ineundæ aperuerat, Petro parenti suo omnium bonorum, quæ sibi ex avita, & paterna hæreditate obtigerant, usumfructum legaverat; at dominium eorumdem penes uxorem esse voluerat, quæ post mortem Petri soceri sui, de iisdem bonis quidquid liberet, statuere posset ac decernere. Illa vero hujusmodi bona cœnobio Mariano addixit, cui postea & seipsam mancipavit, eidemque jus possessionis illorum adeundæ, mortuo Petro, & omnes

ex

ex illis fructus in posterum percipiendi tradidit, ut constat ex tabulis confectis anno 1073. cum Stephanus II. adhuc sedem episcopalem tenebat.

In nomine Domini nostri Jesu Christi & ejusdem Incarnationis MLXXIII. Regnante Cresimiro Croatiæ rege, Bano Svinimiro, Episcopatum vero gubernante D. Stephano, in civitate Nona Jupanus Adamizo. Ego denique Vekenega pro remedio animæ meæ præcipio fieri in domo Sanctæ Mariæ de Jadra, omnem possessionem meam quam habeo vineis terris cultis, vel incultis, & omnia animalia pecoribus vel jumentis, omnia, & in omnibus sit in prædicta domo S. Mariæ in perpetuum possidenda; & si quis parentum meorum contraire temptaverit, quod absit, iratum habeat trinum, & unum Deum, & cum Juda Scarioth in inferno damnetur. Adamizo testis, Prodano testis, Desinna testis capellanus, Gurbina testis, Zolimiro testis, presbyter Fredruchia testis, presbyter Barba testis, Zovina testis, Nepottoi testis, presbyter Milotech testis, Petrus de Bonemute testis, & alii plures testes.

simul cum Drago Priore virginum Jadr. cœnobio adjudicavit,

Verum Petrus morti jam proximus, immemor beneficii a Dobroslavo & nuru accepti, hanc per summam injuriam exhæredavit, ut filium adhuc impuberem bonorum omnium Dobroslavi hæredem faceret, quem paucis ante annis ex quadam muliercula Slava genuerat. Vekenega statuit bona sua, seu potius cœnobii Mariani repetere ac persequi lite atque judicio. Huic controversiæ dirimendæ delecti sunt judices Andreas Episcopus, & Drago Rector civitatis, qui audita utraque parte secundum Vekenegam judicarunt. Ab hac sententia tutores, quibus Petrus filium commendaverat, quique caussam pupilli agebant, ad Laurentium Metropolitam appellarunt, non dissentiente Vekenega. Sed veriti ne in judicio quoque archiepiscopali superati caussa caderent, tergiversari cœperunt, alias ex aliis moras nectere, diem de die differre; iterum ac sæpius quo provocaverant citati, adesse renuebant. Itaque Episcopus, & Rector civitatis secunda priorem sententia confirmarunt; nisi quod de consensu Vekenegæ dimidiam domus paternæ partem pupillo relinquendam esse censuerant. Utramque sententiam Laurentius Archiepiscopus, ad quem appellatum fuerat, rogatu Vekenegæ confirmavit. Habeo exemplum utriusque sententiæ; sed quædam interjecta sunt, quæ vel culpa librarii, vel ob inscitiam latinæ locutionis, nisi aliqua explicatione adhibita, vix intelligi possunt.

quod judicium Laurentius Metropolita confirmavit.

Anno Incarnationis Jesu Christi Domini nostri
1 *MXCI. Kyri Alexio (1) Constantinopoleos impe-*
2 *rante, tempore quo Uladislaus (2) Pannoniorum*
rex, Croatiæ invadens regnum, Domnum Al-
mnum suum nepotem in illo statuit regem: Jade-
rensi vero cathedræ Domno Andrea venerabiliter
3 *Præsulante; meque Drago Domini Præstantii (3)*
4 *Episcopi nepote jam tertio (4) Priorante. Ac-*
cidit ut in primo anno meæ tertiæ recuperatio-
nis, coram nobis ac præfato Episcopo, aliisque
quampluribus oriretur querimonia Domnæ Veke-
negæ filiæ Cichæ, quæ viri sui videlicet Do-
5 *broslavi thorum (5) custodiens, viginti annis*
Deo devota, monastico utebatur habitu, quam
Petrus socer suus, domni Dabri, verbis suorum
deceptus propinquorum, suo exhæreditarat ver-
6 *bo, filiumque suum, quem quadam Sclavuncula (6)*
7 *natum habebat, moriens totius suæ (7) hæredi-*
tatis fecerat hæredem. Hanc autem monachali ir-
retitam vinculo, quæ illum alimentis indumen-
tisque foverat continue, quod veris probatur as-
sertionibus, expertem (8) suorum fieri jusserat; 8
dicens filio mortuo, huic nurui quasi (9) mor- 9
tuæ nil deberi dari. Quem etiam jam dictus Do-
broslavus filius ejus, paterna motus pietate, suæ
consensu conjugis Vekæ, quam futuram noverat
monacham, eadem notificante, moriendo suæ il-
lum proprietatis (10) fecerat participem, par 10
boum sibi tribuens cum suis culturis, aureosque
nastalos (11), quin etiam suam vineam. Nem- 11
pe neminem æstimans illi (12) compotizari hæ- 12
reditati, sua prætermissa conjuge; quippe nondum
ipse pater alia utebatur uxore: unde factum est,
utrisque coram nobis litigantibus, ipsamet D. Ve-
ka cum sua matre aliisque propinquis, & ex alia
parte Madio electo, (13) ejusque fratre Petri- 13
na, nec non Zanizo Mezichirne filio quampluri-
bus aliis (14) conjicientibus; demum jussu Præ- 14
sulis episcopali, quo sedebamus, egressi palatio,
ibidem cisternam ingredientes cum jam dicto Epi-
scopo, & Joanne judicatore, aliis nobilibus, du-
cto in medium utrorumque certamine, quid hinc
rei exitus doceret, perscrutari cœpimus, quod
more antiquorum dijudicari volentes; ut ipsa sua
frueretur parte, (15) velut si vivus adesset, 15
cujus (16) Karitate se monasticæ dederat perfe- 16
ctioni; sed huic rei contrariantibus hoc displicuit,
seque archiepiscopali velle obedire judicio concla-
mabant; quibus & illa una nobiscum assentiens,
sæpissime invitavit, ut ad suum cum ea irent
propositum, (17) qui sub unius anni judiciis no- 17
bis cernentibus, centies exclamati, (18) ire re- 18
nuerunt; quos nos hoc modo definivimus in pri-
mis anni illius (19) attributo sibi Tribuno Trun- 19
zano Maloperæ filio, partis domus, & vineæ he-
redem eam fecimus, ut vel sic Spalatum pro ut
expetierant, cum ea proficiscerentur. Quibus &
ex (20) hoc induciæ a mense Julio usque in na- 20
talem Domini largitæ sunt, sed procaciter resi-
stentes, & se hinc subtraxere. Quapropter (21) 21
ego Dragus Prior commune servans sacramentum,
neminem volens ab aliquo vim sustinere, cum jam
nominato Episcopo, aliisque nobilibus ad domum
illius pergentes, quæ sita est in quadrivio S. Pe-
tri, legali hoc definientes judicio, sub episcopali
vinculato præcepto, illam plenam habere partem
jussimus; ipsique nos illis domum partientes mo-
nach. . . . occidentalem partem domus dedimus;
duasque ulnas, & eo amplius medietatis domus
propter maritum, illam consentire voluimus, in-
fantulo.

Hæc ego Majus (22) Archidiaconus, quia his 22
omnibus interfui, & ut a memoratis Præsulibus
mihi injunctum est, fideliter, veraciterque scripsi;
& post tradita, coram his testibus lecta est, &
sigillo dicti Prioris signata. Joannes judicator Vitaza testis, Micha testis, Desinna testis, Madio Zellæ testis, Budinellus testis, Madius gener Zellæ Præstantii testis, Pruona testis, Grubicæ filius G. . . . . testis, Gauzulus presta barba testis, Barba testis, Neup. . . . testis, Dolmaldus testis, Brate testis, & alii quamplures collaudantes & confirmantes.

Sententia Laurentii Archiep. Spalatensis.

Quoniam quod a minoribus legaliter diffinitum est judicibus, a majoribus, si oportet, debeat confirmari: Corroboro ego L. . . . Salonitanæ sedis Archiepiscopus, & laudo hoc judicium a tanto honestissimo viro D. Jaderano Priore cum suis nobilibus jam datum; in ecclesiasticis enim & mundialibus sancitum habetur legibus, ne qualibet persona in sua arrogantia erecta, contra judicia semel data, conqueratur iterum in sua male visa

querimonia. In libello quidem, quem Vekenega filia Cich, a prælibato Priore datum, & ab Archidiacono M. scriptum, ad meam contulit laudationem, juste, & canonice cognovi finitum. Quis namque arrogans exhæreditare auderet hanc viduam ab hæreditate mariti sui, dum non solum ejus lectum sic nobiliter, utpote cognoscimus, observavit, ac inter viduas, quas laudat Apostolus Paulus, se ad certamen, & ad præmium utique, assumpto eorundem habitu projectoque cum suis sarcinis mundo, contulit. Unde hæc ordinata sicut superius confirmo, & immo laudo, & sub ligamine anathematis, & Nicæni Concilii vinculo quemque pono, qui hoc nitetur infringere, & delere. Hanc vero sigillo S. Domnii cartulam jussi signari, ut contra omnes permaneat conquestores in sua stabilitate firma. In hac laudatione Andreas Episcopus Jaderæ & D. ejusdem civitatis Prior testes.

Notæ.

(1) Quamvis Jadera, ceteræque urbes maritimæ sub imperium Venetorum rediissent; Veneti tamen, quibus Imperatores Græci recuperatam Jaderæ possessionem non inviti annuerant, & Alexius Comnenus aureo diplomate confirmaverat, actis tabulisque publicis ut Dalmatæ nomen Imperatorum Orientis more pristino inscriberent, grati animi & honoris caussa permiserunt.

(2) Post mortem Svinimiri ac Stephani regum Chrobatiæ, Ladislaus rex Hungariæ, is qui eximia vitæ sanctimonia Divorum numerum obtinuit, sive a sorore vidua Svinimiri, ut Scriptores Hungarici, sive a proceribus Chrobatorum, ut Archidiaconus tradit, evocatus, Chrobatiam magna ex parte subegit, & Almum fratris filium Chrobatis regem dedit; idque accidit anno 1091. ut tabulæ modo descriptæ declarant.

(3) Drago nepos erat Præstantii Jadrensis Episcopi, ex hujus filio Drase, vel Madio.

(4) Id est tertio præturam urbis gerente.

(5) Post mortem scilicet viri sui Dobroslavi in cœnobium Marianum apud matrem Cicham Antistitam se receperat, & monachalem habitum induerat.

(6) Fortasse natus erat e toro non legitimo, ac propterea carens omni jure adipiscendæ tum parentis, tum patruelis Dobroslavi hæreditatis.

(7) Non solum suorum bonorum hæredem uxorem Dobroslavus reliquerat, sed etiam illorum bonorum, quorum usumfructum parenti, dum viveret, legaverat.

(8) Nam ipsamet Vekenega consentiente, Dobroslavus bona, quæ vel ipse sibi acquisierat, vel illi ex avita & paterna hæreditate obvenerant, parenti ad fruendum, quoad viveret, atque utendum reliquit.

(9) Qui vitam religiosam profitetur, & sollemnibus votis se Deo obstringit, is perinde ac si mortuus esset, jus omne habendi, acquirendi, possidendi amittit; si quid tamen illi ex bonis paternis, vel aliunde obveniat, id omne in jus transit ac potestatem monasterii, juxta illud tritum pronunciatum: *Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.* At Vekenega non suam, sed sui monasterii caussam agebat.

(10) Id est usumfructum suorum bonorum parenti legavit; quæ quidem bona, mortuo parente, ad conjugem suam devolvi jubebat.

(11) Id est pretiosam supellectilem, auream, & gemmeam.

(12) Id est neminem putabat fore, qui hæreditatem mariti conjugi relictam, viduæ præripere studeret.

(13) Hi erant tutores, quos Petrus filio impuberi reliquerat, quique caussam pupilli agebant.

(14) Id est adversantibus.

(15) Hæreditas viri sui Vekenegæ adjudicatur.

(16) Ut vivum, sic mortuum virum suum Vekenega dilexit, ac propterea maluit vinculis vitæ religiosæ illigari, quam alteri nubere.

(17) Id est Spalatum profecti, de quibus erat controversia, secum lite contenderent.

(18) Iterum ac sæpius per præconem citati ad curiam archiepiscopalem, ad quam ipsi appellaverant.

(19) Hæc lectori interpretanda relinquimus.

(20) Post secundum judicium secundum Vekenegam factum, induciæ sex mensium illis ad caussam coram Archiepiscopo dicendam prorogantur.

(21) Cum nullo modo adduci possent, ut subirent judicium Archiepiscopi, ad quem provocaverant; Andreas Episcopus & Drago Rector civitatis priorem sententiam ita confirmant, ut tamen, Vekenega consentiente, partem dimidiam domus paternæ pupillo attribuant.

(22) Hinc colligi velim jam tum collegium aliquod Canonicorum viguisse in æde cathedrali, cui Majus Archidiaconus dignitate & auctoritate præerat; neque primum sæculo decimo quinto illud a Petro de Matafaris Archiepiscopo institutum fuisse, sed vel restitutum, vel auctum ac reformatum.

Anno itidem 1094. tabulis Jadrensibus nomen Andreæ Episcopi adscriptum reperitur: *Anno Domini 1094. imperante Alexio Magno Imperatore, Episcopo Jadræ Andrea, Drago Jadrensis Prior jam senex, in quinto sui Prioratu, post plurima pericula & agones, quæ ab incolis suis, ac diversarum gentium feritate* (sustinuit), *conciliatis omnibus nobilibus suis, concedit monachis S. Grisogoni omnia illa servitia, quæ in castro Lubicata habuisse manifestum erat &c.* Nec vero Andreas ante initium sæculi proximi sedem episcopalem vacuam successori reliquit.

GREGORIUS EP. JADRENSIS XVII.

Hujus initia episcopalia dimoveri nequeunt ab anno 1101. quippe anno hujus sæculi undecimo, annum a suscepto Episcopatu decimum agebat, ut docet inscriptio sepulcralis Vekenegæ Antistitæ cœnobii Mariani, quæ paullo post describetur. Nihil igitur caussæ erat, cur Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis Ughellum reprehenderet, quod Gregorii pontificatum anno 1101. affixerit, cujus exordium ipse in annum quintum hujus sæculi rejiciendum esse existimavit. Anno superioris sæculi 93. Colomanus Ladislavo patruo suo in regnum Hungariæ successit, Almo fratre, quem Ladislavus hæredem regni instituerat, ultro cedente, cum is maluerit dimittere, quam jus suum retinere fratre adversante, ac civili bello implicari, quod nisi multorum sanguine restingui non potuisset. Colomanus rex Hungariæ cœnobium Marianum Jadrense regia libertate donavit.

Qua-

Digitized by Google

Quadriennio post Belgradum, ceterasque urbes Chrobatiæ præsertim maritimas occupavit, quas Ladislavus intactas reliquerat, cum hic anno 1091. Chrobatiam invasit; & aliquot oppidis mediterraneis captis, necesse habuit exercitum in Hungariam reducere, propter Chunnorum irruptionem. Anno 1102. idem Colomanus Chrobatos, qui ab imperio defecerant, Hungarici exercitus adventu conterritos per voluntariam deditionem in fidem recepit; & Belgradi regalia insignia cum titulo regis Chrobatiæ & Dalmatiæ sumpsit, exemplo regum Chrobatorum, qui finibus regni ad mare prolatis, cum aliquot insulas urbesque maritimas Dalmatiæ adepti essent, se reges Chrobatiæ atque Dalmatiæ nominari, inscribique in omnibus seu publicis, seu privatis monumentis volebant. Belgradi cum esset, cœnobio Mariano virginum Jadrensium *regiam libertatem* impertiit, qua ejusdem agris & prædiis, intra fines regiæ ditionis constitutis, cautum esse voluit; & si quis ex bonis illius cœnobii aliquid surriperet, eum quadrupli condemnavit; idque sancivit hoc diplomate.

Diploma Colomani. *Anno Incarn. D. N. J. C.* 1102. *Ego Colomanus Dei gratia rex Ungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ, sano habito consilio, postquam coronatus fui Belgradi supra mare in urbe regia, rogatu subscriptorum meorum Comitum, pro charitate Dei & remedio animæ meæ dono perpetuam pacem, & regiam libertatem monast. S. Mariæ monialium, quod situm est in Jadera, ut ibi Deo devotæ degentes, servire Deum, & interpellare pro statu mei regni valeant; nam nemo sæcularibus involutus curis, Deum, ut tanto decet Ordini, contemplare potest. Unde sub istius privilegii scriptione hanc dationem libertatis regiæ sic corroboro, ut nullus mei regni audeat quicquam distrahere, vel auferre illi monaster., tam in mobilibus, quam immobilibus. Si quis vero contumax nostræ regali huic jussioni contraire tentaverit, & aliquid de bonis monasterii usurpaverit, illi ecclesiæ quadruplum reddat; usurpator vero cum suis omnibus regali sententiæ subjaceat; & hoc confirmamus nostra sigillatione istorum Comitum: Procopius Acriensis Episcopus laud., Singidunus Ragusiensis Episcopus laud., Isaac Comes laud., Petrus Comes laud., Cladia Comes laud., Saul Comes laud., Amec Comes laud., Thomas Comes laud., Andreas Comes laud., Cosmas Comes laud., Bocan. Comes laud., Dionysius Comes laud.*

Dalmatiam eripuit Venetis. Anno autem 1105. Colomanus, amicitia & societate violata, quam adversus Northmannos cum Venetis pepigerat, dum classis Venetorum abesset, sacræ contra Saracenos expeditionis caussa in Palæstinam profecta, Dalmatiam Venetæ ditionis invasit; ac primum Jaderam obsedit, vehementissime diuque oppugnavit, ac demum, S. Joanne Ursino Episcopo Traguriensi conciliatore, æquissimis conditionibus propositis, in deditionem accepit, ut scripsit Auctor vitæ ejusdem S. Joannis, quæ inserta est Tomo IV. Illyrici Sacri in Episcopis Traguriensibus. Gregorius Episcopus cum clero & populo iis, quibus dignum erat, honoribus & obsequiis Colomanum excepit, regiæque tutelæ ac beneficentiæ tum ecclesiam, tum urbem commendavit. Et Colomanus quidem Jadrenses, & quos deinde sub potestatem redegit, Tragurienses, Spalatenses, ceterosque Dalmatiæ populos, ut sibi conciliaret, atque in fide & officio retineret, plurimis maximisque beneficiis atque immunitatibus cumulavit, ut docet Bonfinius Dec. 2. lib. 1. *Colomanus recepta Jadra, ceteros paullo post Dalmatas recepit, quos ut majori diuturnioreque beneficio sibi obstringeret, ultro libertate donavit; item urbium templa donariis amplissimis excoluit;* ac regii dominatus nihil fere aliud sibi reservavit, nisi jus confirmandi Episcopi, & Comitis, quem ipsi cives pro suo arbitratu elegissent; itemque jus exigendi duas partes portorii, quod singulis rebus, quæcumque ab extraneis inferrentur, impositum erat. Jadrensis deditionis annum 1105. declarat inscriptio incisa in ea turre cœnobii ac templi Mariani virginum Jadrensium, quam Colomanus regio sumptu exstrui, & excitari jussit.

ANNO INCAR. DNI NRI IHV XPI MIL CV
POST VICTORIAM ET PACIS PRAEMIA
IADERÆ INTROITUS A DEO CONCESSA
PROPRIO SVMPTV HANC TVRRIM
SCÆ MARIÆ VNGARIÆ DALMACIÆ
CHROATIÆ CONSTRVI ET ERIGI
IVSSIT REX COLOMANVS

Idem annus ob triumphalem Colomani in urbem ingressum memorabilis præfixus est in tabulis, quas Vekenega Antistita cœnobii Mariani confecit, ut possessionem cujusdam prædii, quod Cicha ejus mater, cum eidem cœnobio præesset, de Jadrensibus emerat, testimonio venditorum, qui adhuc superstites erant, comprobaret. Tabularum initium est hujusmodi: *Anno Incarnationis D. N. Jesu Christi* 1105. *Indict.* 3. (13) *Regnante piissimo Colomano Croatiæ & Dalmatiæ, primo anno, quo triumphaliter Jaderam ingressus est.*

Dum Gregorius Ecclesiæ Jadrensi præsidebat, Crescentius Metropolita Spalatensis Concilium provinciale Jaderam convocavit; sed hujus Concilii annus ignotus, acta deperdita; & memoriam omnem obruisset vetustas, nisi adhuc extaret in archivo Capituli Spalatensis fragmentum quoddam ex ejusdem Concilii actis decerptum, in quo nominantur Episcopi provinciales, qui cum Crescentio Archiepiscopo interfuerunt, ad quinque omnino, Gregorius Jadrensis, Lupus Arbensis, Petrus Absarensis, Dominicus Veglensis, Joannes Traguriensis; itemque quatuor Cœnobiarchæ, Gregorius Abbas S. Petri de Humai, Duimus S. Stephani Spalatensis de Pinnis, Desa S. Gregorii, & Damianus S. Joannis Baptistæ Traguriensis. Adfuit itidem Theobaldus Præpositus Strigoniensis, fortasse locum tenens, sive legatus Laurentii Archiepiscopi Strigoniensis; ex quo intelligi licet jam tum conari cœpisse Archiepiscopos Strigonienses provinciam Spalatensem in suam potestatem redigere, cum primum Dalmatia juris Hungarici esse cœpit. In eo, quod dixi, fragmento nihil aliud scriptum est, nisi *Gregorium Abbatem S. Petri recordationem facere cum Theobaldo Præposito Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, in Synodo Jadrensi, coram Archiepiscopo Crescentio, & Gregorio Jadrensi Episcopo, nec non Lupo Arbensi Episcopo, atque Petro Absorensi, Dominico Veglensi, & Joanne Traguriensi Episcopo, & Duimo Abbate S. Stephani, & Desa S. Gregorii Abbate, & Damiano Traguriensi Abbate, & aliis pluribus, qui ibi interfuerunt.* Cetera desiderantur.

Gregorius Concilio provinciali interfuit, quod Crescentius Metropolita Jaderam convocavit.

Anno 1108. cum Colomanus in Dalmatiam venisset, & Jaderæ versaretur, tunc accidisse arbi-

Colomanus Jadrensium animos ab se alienavit, cujus iram S. Donatus compescuit.

arbitror, quod narrat Thuuroctius de S. Donato Episcopo Jadrensi, quem Colomanus per quietem videre sibi visus est, seque & verbis & verberibus increpitum deterreri, ne Jadrenses, quibus iratus erat, ullo incommodo molestiave afficeret; idque a nobis breviter expositum fuit in actis ejusdem S. Donati. Colomanus quippe castellum in urbe exstruxerat præsidiisque Hungaricis munierat; ut quodam veluti freno injecto, Jadrenses in fide atque officio contineret. Id mirum quantum animos civium a Colomano alienavit. Hoc enim munimento ac præsidio, data Jadrensibus libertas diminui, & contra quam postulabant conditiones, in quas urbis deditio convenerat, quædam civitati servitus imponi videbatur. Nec vero abstinebant, quo minus palam & aperte sui doloris, aversæque ab rege voluntatis indicia ostenderent; quibus usque adeo irritatus est Colomanus, ut, teste Thuuroctio, urbem incendere, & funditus evertere decreverit. Jadertinis auxilio & saluti fuit S. Donatus, qui regis iram compescuit, urbem ab incendio & excidio prohibuit.

Epitaphium Vekenegæ Antistitæ cœnobii Mariani.

Gregorius anno 1111. adhuc Ecclesiam Jadrensem regebat, cum Vekenega Antistita cœnobii S. Mariæ ex hac vita decessit, ut docet titulus sepulcralis eidem adscriptus.

Laude nitens multa, jacet hic Vekenega sepulta,
Quæ fabricam turris, simul & Capitolia struxit.
Hæc obit undeno, centum post mille sub ævo,
Quo veniens Christus carnis gestavit amictum.
Nos habet, est annus quintus quo Rex Colomanus,
Præsul & est decimus, quo G. fuit annus

Ex ultimo versiculo colligi licet annum Christi 1111. fuisse decimum Episcopatus Gregoriani. Itaque, ut supra diximus, anno 1101. Gregorius ad Ecclesiam Jadrensem regendam accessit; nec multo post obitum Vekenegæ, ipse quoque ad superos migravit; nam hoc ipso anno undecimo sæculi duodecimi sedem episcopalem obtinebat

MARCUS EP. JADRENSIS XVIII.

Marcus Ep. interfuit Concilio provinciali Spalaten.

Hunc Ughellus prætermisit, sed retinendum esse in catalogo Antistitum Jadrensium monumenta Dalmatica docent. Interfuit quippe anno 1111. Concilio provinciali, de quo in Crescentio Metropolita, & sub finem Concilii cum aliis Hungariæ & Dalmatiæ Episcopis laudavit approbavitque diploma regium, quo Colomanus privilegia Ecclesiæ Arbensis confirmavit *An. Incarn. Dom.* 1111. *in præsentia suorum Episcoporum & Comitum . . . Marcelli Vaciensis Episcopi . . . Crescentii Archiepiscopi ... Marci Jadrensis Episcopi &c.*

Veneti Jaderam recuperant.

Dum Marcus hanc ecclesiam administrabat, Colomanus obiit anno 1114. Stephano filio relicto, quem, cum nondum imperio maturus esset, procerum quorumdam fidei ac tutelæ commisit. Tunc Ordelaphus Dux Venetorum, Dalmatiæ recuperandæ occasione oblata, anno tertio decimo sui Ducatus, æræ vulgaris decimo quinto supra millesimum & centesimum, ingenti classe transvectus, primum insulas ultro in fidem redeuntes recepit, deinde Jadrenses obsidione cinxit terra marique, ac vehementer oppugnare instituit. Hungarorum præsidium famè coactum suisseurbe excedere auctor est Bonfinius. Hungaris autem abeuntibus deditio facta est, & Veneti magna civium voluntate admissi; sed castellum, quod inædificaverat Colomanus, Hungari retinuerunt. Hoc quoque anno sequenti hostibus ademptum est, itemque reliqua fere omnis Dalmatia. Sed anno proximo Veneti cum Hungaris adverso marte dimicarunt. Ordelaphus in acie periit; Veneti cæsi fugatique; Jadera tamen retenta est. Hæc Andreas Dandulus. Et quamvis anno 1124. Stephanus II. rex Hungariæ ceteras fere omnes Dalmatiæ urbes Venetis eripuerit, dum classis Venetorum aberat, & contra Saracenos in Syria rem prospere gerebat; Jadera tamen in Venetorum fide ac potestate permansit. His temporibus Marcus Episcopus e vita decessit.

MICHA, seu MICHAEL, EP. JADR. XIX.

Erat filius Calopræstantii, cujus initium Ferdinandus Ughellus & Valerius a Ponte conferunt in annum 1124. Cum conductores quorumdam prædiorum S. Chrysogoni neque vellent annuam pensionem solvere, & ipsorum prædiorum dominium usurpare ad seque transferre conarentur; Andreas Cœnobiarcha eos in judicium vocari, citarique ad Michaelem Episcopum curavit, qui secundum Abbatem sententiam dixit; & ab illis, quibus ea prædia locata erant, de fructibus inde perceptis quartam partem singulis annis persolvi monachis jussit, idque publicis tabulis mandari, quæ sunt hujusmodi: *Post multorum vero annorum curricula, quidam maligno consilio jam sæpe dicta territoria invadere cupiebant, & antiquas traditiones irrumpere volentes de vincis, quæ ibi ex consensu monachorum plantatæ fuerant, & de olivetis, vel de pomis nihil dare volebant. Tunc ego Andreas Abbas, qui illo tempore eidem monasterio præeram, una cum omni congregatione Fratrum vocavimus Michaelem Episcopum in Capitulum S. Grisogoni, & habuimus cum eis certamen, & ingens luctamen verborum, & Dei gratia convicimus eos. Tunc Episcopus cum Judicibus adjudicavit eos, ut de omni re, quæ nasceretur in terra S. Grisogoni, quartam partem darent, de vino, de oleo, de pomis; & isti sunt testes, qui ibi fuere, Majus Zambura testis &c.*

Civitas & Ecclesia Jadrensis jurisdictione & insulis aucta.

Per ea tempora non exiguum terrarum & jurisdictionis incrementum ecclesiæ pariter, urbique Jadrensi accessit. Dominicus Michael Dux Venetorum, re Syriaca bene gesta, & post multas insulas urbesque Græcis, sibi & sacræ expeditioni infestis, ademptas, classem Venetias revexit anno 1126. In regressu civitates maritimas Dalmatiæ, pulsis Hungaris, recepit. Belgradum vero, quod cives illi, Hungarorum auxiliis confisi, resistere ausi fuissent, ac præsertim quod piraticis lembis tum Jadertinos, tum Adriaticam navigationem infestarent, vi cepit ac funditus evertit. Hæc Dandulus. Pasmaniam aliasque insulas, quæ ad jus, ditionemque Belgradensium, itemque partem territorii Belgradensis, quæ in occasum spectabat, urbi & Ecclesiæ Jadertinæ concessit. Tunc Episcopus Jadrensis, qui, ut docet Archidiaconus, *non magnam habebat parochiam propter vicinitatem Nonensis, & Belgradensis Episcopatuum*, fines suæ diœceseos ab ortu & meridie, terra marique amplificavit. Civitas quoque incolis aucta est; nam e Belgradensibus hac illac fuga dispersis, sane multi Jaderam se contulerunt. Sedes episcopalis Belgrado translata est Scardonam; Virgines Benedictinas Belgradenses S. Thomæ profugas, cœnobium Marianum Virginum Belgradensium ejus-

dem

Digitized by Google

dem ordinis recepit. *Dux in Jadra*, ut ait Dandulus, *a Clero & populo tamquam suus verus Dominus receptus*, tum insulis illis, quas dixi, oppidisque urbem & ecclesiam donavit, tum vero Michaeli Episcopo templum SS. Cosmæ ac Damiani, in angulo insulæ Pasmaniæ ad orientem positum, (Icon vulgo dicitur) & loco præalto incumbens attribuit. Cœnobio Benedictino S. Joannis Evangelistæ pariter cum urbe diruto, monachi vagi ac dispersi, quo se reciperent, locum nullum inveniebant. Michael igitur rogatu cleri populique Jadertini, itemque Belgradensium exsulum, ecclesiam illam SS. Cosmæ ac Damiani incolendam ac possidendam tradidit Joanni Cœnobiarchæ S. Joannis Evangelistæ, ejusque monachis, qui ad insulam Palmaniam se transtulerunt; ibique apud ecclesiam illam, laxatis ædibus auctisque, sedem ac domicilium collocarunt. Exinde posthabito antiquo titulo *S. Joannis Evangelistæ*, hoc novum cœnobium ab SS. Cosma & Damiano cognominari cœpit, quem titulum etiamnum retinet, habitaturque a paucis monachis Benedictinis; subest vero Abbati extraneo, quem *Commendatarium* vocant. Extant tabulæ donationis, sed multis mendis inquinatæ, quas Michael Episcopus confici jussit in hæc verba.

Tabulæ donationis templi SS. Cosmæ & Damiani monachis Belgradensibus.

Almificæ Incarn. J. X., nostræque reparationis anno Domini millesimo CXXIX. abeunte. Indictione VI. elabente. Ego M. divina favente clementia, almæ Anastasiæ cathedra præsulante, notum facio tam præsentibus, quam remotis, stabile privilegium libertatis ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, quam ecclesiam post reversionem Romaniæ, desolationemque civitatum, Dux Venetiarum mihi concessit habere; qua de re maxima collectio clericorum, ac laicorum unanimes venerunt ad me, ut ego concederem sibi præfatam ecclesiam, quam Deo illustrante, favorabili voluntate, vel precamine istorum condonavi Abbati Joanni, suisque fratribus ecclesiam M. frui divinis officiis, pro ablutione suorum facinorum, vel suorum commissorum: quod si aliquis procax temere hoc meum exaratum corrumpere temptaverit, habeat maledictionem Dei, & trecentorum decem & octo Patrum, nec non & meam . . . ab omnibus bonis in futuro particeps sit cum Juda proditore. Hujus rei testes Micha, Cotona, Michade Starecca, Michael de Panza, Cuzilla, Domazza. Ego Madius Unula S. Michaelis hanc scedulam scripsi, & hujus rei testis sum.

Dum Michael huic ecclesiæ præsidebat, Hungari Bela II. regnante, anno circiter 1133., Dalmatiam omnem Venetis eripuerunt, præter Jaderam, quæ cum insulis in fide Venetorum permansit, ut docet Andreas Dandulus in Dominico Mauroceno Duce: *Cum Spalatum, Tragurium, Sibenicum, & plura alia loca Croatiæ, Hungarica rabies occupasset, Jadra cum insulanis urbibus sub ducali protectione manentibus &c.*

Michael Ecclesiam Jadrensem subduxit jurisdictioni metropolis Spalatensis.

Post discessum, seu potius disperatam fugam Manassis Metropolitæ Spalatensis, qui urbis, ac libertatis Spalatensium proditionem moliebatur, de qua dictum est in historia Antistitum Spalatensium; interregnum metropoliticum tenuit ab anno fere decimo quinto hujus sæculi usque ad annum tricesimum quintum. Interea Michaelem Episcopum suæ dignitatis augendæ, & sedis episcopalis Jadertinæ cum sede metropolitana Spalatensi commutandæ cupido incessit. Hujus adipiscendæ caussa quas artes adhibuerit, quæ consilia clandestina, quasve conventiones inierit cum Dabrone Archidiacono Spalatensi, ad quem tum, cum metropolis illa suo Antistite careret, summa rerum ecclesiasticarum pertinebat, Thomas Archidiaconus cap. 19. his verbis exposuit: *Eo itaque tempore Micha Episcopus Caloprætantii filius præerat Ecclesiæ Jad. Huic promittebat Dabro Archidiaconus Archiepiscopatum Ecclesiæ Spalatensis. Quamobrem multa donaria, & xenia consequebatur ab eo; sed quod ei de pontificatu Spalatino promiserat, nolebat ducere ad effectum. Tunc instante Episcopo, promisit Archidiaconus, talique ipsum calliditate decepit; statuit namque diem, qua Spalatum veniens Missam cantaret, admonitionem faceret, ne tanto tempore sinerent suam ecclesiam pastore viduatam manere; & inter hæc verba pollicitus est Archidiaconus primam se vocem electionis de persona Episcopi emissurum. Quid plura? Venit Episcopus, Missam cecinit, admonitionem fecit; sed is, qui se in ipsius electionem proclamaturum promiserat, nihil dixit. Videns autem Episcopus ab Archidiacono sibi fore delusum, vehementer indignatus recessit, proponens debitam subjectionem Spalatinæ metropoli subtrahere, & ab ipsius subjectione se omnino eximere.*

Michael igitur iniquo animo ferens se fraudulentis Archidiaconi promissis deceptum esse, incredibili dolore & iracundia exarsit; cumque spe omni Archiepiscopatus Spalatensis potiundi se dejectum videret; fidei atque obedientiæ vinculum, quo metropoli Spalatensi obstrictus erat, palam aperteque dissolvit, ejusdem potestati se subduxit, omni ope atque opera eniti cœpit, ut sibi & Ecclesiæ Jadertinæ jus titulumque metropoliticum acquireret. An etiam sibi arrogaverit nomen Archiepiscopi mihi non est compertum, cum nulla sint monumenta, in quibus hoc titulo insignitus appareat: certe & approbatione Romani Pontificis, & pallio, ceterisque insignibus archiepiscopalibus caruit. Nullum autem debitæ subjectionis atque obedientiæ officium præstitit Gaudio Metropolitæ Spalatensi, qui anno 1136. ad sedem archiepiscopalem evectus, diuturno interregno finem attulit. Denique cum in eo proposito susceptoque consilio permaneret, ut Ecclesiam suam ab jurisdictione Metropolitæ Spalatensis divelleret; talia meditantem & conantem mors oppressit anno 1137. vel sequenti.

PETRUS II. EP. JADRENSIS XX.

Petrus II. Ep. Jadren. imperium Metropolitæ Spalaten. abnuit; & Archielecti titulum sumpsit.

Hic anno 1138. non solum in sedem episcopalem Michaeli, sed etiam in ejus sensa, cogitata, conatusque successit, ut docet Archidiaconus loco supra laudato: *Defuncto tamen Micha Episcopo, successit alter in Ecclesia Jadrensi, qui decessoris sui sequens vestigia inobediens Spalatinæ Ecclesiæ permansit.* Itaque decessoris exemplis insistens, neque Metropolitæ suo obedientiam præstare voluit, & eodem ambitionis æstu percitus, metropoliticam dignitatem affectavit; quam cum sine auctoritate Sedis Apostolicæ obtinere non posset, tamen titulum inanem *Archielecti* assumpsit; siquidem in tabulis Jadrensibus anni 1138. apud Lucium *Petrus Archielectus* nominatur. Tantum vero abest, ut tituli assumpti approbationem, aut pallium a Sede Apostolica impetrare potuerit; ut Innocentius II. in suis ad Gaudium Archiep. Spalatensem litteris, Laterani datis anno 1138. vel proxime sequenti, quamvis nominatim Petri per-

Digitized by Google

pervicaciam non perstringat, generatim tamen jubet omnes Episcopos Dalmatiæ, id est inferioris, seu provinciæ Spalatensis, suo Metropolitæ obedientes ac subjectos esse; & vocatos Spalatum convenire ad Synodum provincialem, quam extra Ecclesiam metropolitanam celebrari vetat, siquidem Gaudius in suis ad Innocentium litteris questus fuerat de Jadrensi Episcopo, & de tribus insularibus Episcopis, quos Petrus ad defectionem a metropoli Spalatensi sollicitabat, ut ad novam, quam instituere moliebatur, metropolim adjungeret. Particulam extremam epistolæ pontificiæ huic loco intexere visum est: *Præterea Episcopos per Dalmatiam constitutos, quibus Salona tempore suo rutilando utebatur, Sanctæ Spalatinæ Ecclesiæ, ubi corpus S. Domnii discipuli B. Petri requiescit, cum omni reverentia obedire sancimus; quem unum totius Dalmatiæ Metropolitanum in Salonitana Ecclesia fore scimus, juxta quod in decretis nostris comperimus. Item quia per vestras litteras conquesti estis de Suffraganeis recusantibus venire ad Concilium Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ Metropolitanæ; nos ita statuimus, ut in Dalmatia nullo alio loco Synodus præter in vestra Metropolitana Ecclesia celebretur, & ibidem omnes Suffraganei præfatæ Ecclesiæ Salonitanæ more solito consecrentur*. Habes integram epistolam in Gaudio Archiep. Spalaten. cap. I. §. I.

Nec vero epistola & auctoritas pontificia ambitionem Petri conatumque compressit. Titulum *Archielecti*, quoad vixit, pertinaciter retinuit; sed altero aut tertio anno, quam illum susceperat, una cum vita deposuit. Nec solum, quam appetebat, dignitate caruit, sed etiam episcopalis consecrationis expers videtur fuisse. Cum enim a suo Metropolita, ut Pontifex in suis ad Gaudium litteris jubebat, accipere noluisset, neminem invenit, qui manus eidem imponere, & pontificalem consecrationem impertire auderet.

LAMPRIDIUS EP. JADRENSIS XXI.

Filius Marichnæ, ut docet Archidiaconus, ex nobili familia Jadertina *de Gallis*, sive *Gallelis*, ut Chronologi Veneti, aliique Scriptores tradunt. Duos habuit e clero Jadrensi competitores, Petrum Camasii, & Martinum Manzavini filios; suos quisque fautores & patronos habebat, quorum gratia, auctoritate, ac præsidio ad sedem episcopalem adipiscendam nitebantur. Tunc erat Rector civitatis Petrana, qui sub dominatu supremo Venetorum præturam urbis gerebat. Hic patrocinium Lampridii suscepit; & cum apud omnes imperio, dignitate, favore populari plurimum posset, facile obtinuit, ut cleri populique suffragia, vel omnia, vel pleraque in unum Lampridium confluerent. *Interea*, ut scripsit Archidiaconus, *vacante Ecclesia Jadrensi, tres ejusdem Ecclesiæ clerici ad pontificatus honorem certatim aspirabant, videlicet Lampridius Marichnæ, Petrus Camasii, & Martinus Manzavini. Comes vero civitatis eo tempore erat Petrana. Hic cœpit fovere partes Lampridii, eo quod nec ipse per se superbus, nec erat de superbo genere procreatus. Tunc Lampridius iste Jadrensis Episcopus est effectus*.

Lampridius jus ac titulum metropoliticum affectat. Ergo Lampridius Episcopatum Jadertinum adeptus anno circiter 1141. nihil prius sibi conandum & efficiendum censuit, quam ut quod decessores sui sæpe & frustra conati fuerant, sibi & ecclesiæ suæ jus ac titulum metropoliticum adipisceretur: id quod nihilo ipse studiosius, ac vehementius, quam Jadrenses expetebant. Ea tempestate Jadera sub dominatu Venetorum in maximas opes creverat, & numero ædificiorum, frequentia incolarum, multitudine navigiorum, negotiatione maritima, territorii amplitudine, divitiarum copia, ceteris Dalmatiæ civitatibus facile præstabat; præsertim postquam Dominicus Michael Dux Venetorum, Belgrado everso, insulas omnes Belgradenses, itemque partem haud exiguam Belgradensis agri Jadertinis donaverat. Urbis dignitas atque opulentia Episcopum & cives mirum quantum extulerat; tantosque illis spiritus attulit, ut ecclesia atque urbe sua indignum putarent subesse Metropolitæ Spalatensi; neque aliter utriusque dignitatem tueri se posse crederent, nisi in Hierarchia ecclesiastica ceteris ecclesiis & civitatibus episcopalibus prælata, ad gradum ac dignitatem metropoliticam eveheretur. Quæ Joannes Lucius in hanc sententiam commentatus est lib. 3. cap. XI. huc transcribenda censeo: *Quoties relata bella inter Ungaros & Venetos recrudescebant, eo magis Croati insulas & littora continentis deserere cogebantur; quarum maxima pars Jadrensium commodo cessit, qui Croatorum molestiis liberati, navigationem quietam nacti, ex situs opportunitate, opes populumque auxerunt, ceterasque Dalmatiæ civitates præcellere cœperunt; & destructo Belgrado, ex insularum ejusdem donatione a Dominico Michaele Duce Venetiarum facta eidem Episcopo Michæ, de quo Archidiaconus, ut supra relatum est, jurisdictio Episcopi Jadrensis, & reditus ampliati fuerunt; tunc Episcopum spiritus elatiores sumpsisse, & occasione oblata Archiepiscopatum Spalatensem consequi tentasse; speque delusum, obedientiam primo denegasse, mox exemptionem procurasse dicendum est: cum autem hæc Michæ inobedientia eo tempore inciderit, quo Innocentius II. ob schisma Anacleti in Gallias proficisci coactus fuit, quod ab anno 1130. usque ad 1138. perduravit; ideo nil mirum, si ejus successor non solum inobediens perseveravit, ut Archidiaconus refert, sed etiam Petrus Archielectus 1138. dictus reperiatur; eodemque tempore Gaudius Spalatensis Archielectus pallium ab Archiepiscopo Strigonien. sumere præsumpserit, qui sicuti gratiosus satis apud reges Ungariæ, quippe elatus homo eorum curias frequentabat, ut Archidiaconus refert, ita Bela rege petente ab Innocentio in sede restituto pallium recepit, ut in ejusdem Innocentii epistola refertur: ex qua apparet reluctatio aliquorum Dalmatiæ Episcoporum veniendi ad Synodum Salonitanam, sive Spalatensem, quod de Petro Michæ successore, qui se pro Archiepiscopo Jadrensi gerebat, & de tribus occidentalibus Episcopis, quos sibi in Suffraganeos destinarat, inobedientes Spalatinæ Ecclesiæ permansisse cum Archidiacono intelligendum est; sed persistente hac contumacia, cum Spalatum in Ungarorum potestatem devenisset, Venetos tunc protectionem Lampridii successoris Petri suscepisse; & ut Archiepiscopus a Summo Pontifice confirmaretur, & illis civitatibus, quæ ipsi parebant, præesset, obtinuisse Dandulus refert. Lampridius*, inquit, *Jadræ Episcopus Ducis præsidio, ab Anastasio Papa, ut Jadrensis Ecclesia metropolis & palliata de cetero foret, privilegium obtinuit; illique insularum cathedrales ecclesias Romanæ Ecclesiæ obedientes, subjecit*.

AR-

ARCHIEPISCOPI JADRENSES.

Idem LAMPRIDIUS

Archiepiscopus Jadrensis I.

Jus metropoliticum interpositis precibus Ducis Venetiarum,

Lampridio igitur & Jadrensibus plurimum profuit commendatio Ducis Venetorum, qui suas preces apud Pontificem interposuit, & id quod cupiebant, illis impetravit, ut Jadrensium animos sibi magis obstringeret, eorumque fidem hoc beneficio devinctam teneret; præsertim cum præter Jaderam & insulas Sinus Flanatici, reliqua omnia sub imperium Hungarorum rediissent: Venetæ autem Reipublicæ intererat tum Jadrensem, tum insulares Episcopos, jurisdictione ac potestate Archiepiscopi Spalatensis eximere, ne Venetis Episcopis ullius rei commercium esset cum Episcopis Hungaricæ ditionis; hoc enim sublato, facilius illi in fide ac potestate Venetorum retineri posse videbantur. Ab Anastasio IV. id honoris & potestatis Ecclesiæ & Episcopo Jadrensi collatum fuisse tradunt Thomas Archidiaconus, & Andreas Dandulus; uterque fallitur, & Ferdinandum Ughellum fefellit, qui utriusque testimonio nixus institutionem Metropolis Jadertinæ in annum 1154. & secundum pontificatus Anastasiani annum conjecit. Lampridius siquidem anno 1146. jam adeptus erat nomen ac dignitatem Archiepiscopi, ut apparet ex tabulis cœnobii SS. Cosmæ ac Damiani apud insulam Palmaniam: *Anno 1146. Indict. nona, tempore Petri Polani Ducis Ven. & Lampridii Jadrensis Archiepiscopi, & Petri Comitis &c.* Notæ chronologicæ inter se optime congruunt, sed pontificatum Anastasii antecedunt, qui anno 1153. in cathedram Romanam Eugenio III. successit; hujus autem annus secundus utroque illo charactere chronologico, in tabulis modo laudatis expresso, insignitus est; quippe ab anno 1145. usque ad an. 1153. Ecclesiæ præfuit.

non ab Anastasio IV. sed ab Eugenio III. obtinuit Lampridius.

Itaque anno 1146. vel superiori, decreto & auctoritate Eugenii III. Pontificis Maximi, Ecclesia Jadertina ex jurisdictione metropolis Spalatensis exempta fuit; & jure ac titulo metropolitico aucta & ornata, tres insulares Episcopatus Venetæ ditionis, Arbensem, Vegliensem, Auxerensem sibi subjectos obtinuit; Lampridius vero nomen Metropolitæ cum pallio ex urbe accepto rite ac legitime suscepit. Sub idem tempus Petrana Comes Jaderæ, cujus potissimum favore Lampridius sedem Jadrensem obtinuerat, ut dignitatem metropoliticam eidem collatam potestate & jurisdictione augeret, novum Episcopatum instituendum curavit, quem ad tres illos Episcopatus Ecclesiæ Jadertinæ attributos adjungeret. Duas insulas Phariam & Bractiam, quæ pertinebant ad diœcesim Spalatensem, auxiliis Venetorum adjutus, Hungaris ademerat, ut docet Archidiaconus cap. xx. *Comes prædictus* (Petrana) *cum Venetis earumdem insularum* (Phariæ & Bractiæ) *dominium occupaverat*. Auctor fuit populis utriusque insulæ, quos jampridem Episcopi proprii, a quo regerentur, eligendi habendique cupiditas incesserat, ut expulso Cernata Archipresbytero, Martinum filium Manzavini, qui ob Petranæ favorem Lampridio præstitum, se ab Episcopatu Jadrensi repulsum fuisse acerbissimo animo ferebat, sibi in Episcopum eligerent; hoc beneficio sibi conciliatum & obstrictum facile adduci posse sperabat, ut suæ voluntati obsequeretur, & novo Metropolitæ Jadrensi se suamque ecclesiam subjiceret. Sed sua illum spes fefellit. Nam Martinus Episcopatum Phariensem & Bractiensem opera & patrocinio Petranæ adeptus, posthabito utroque Metropolita Jadertino & Spalatensi, consecrationem episcopalem ab Ragusino Archiepiscopo petiit, & accepit; deinde multæ & graves de hujusmodi recenti Episcopatu contentiones Jadertino cum Spalatensi Metropolita fuerunt; demum sedes hæc episcopalis adjuncta est metropoli & provinciæ Spalatensi. Huc revoca quæ dicta sunt in Episcopis Phariensibus.

Institutio Episcopatus Phariensis.

Annos fere octo Lampridius in regenda nova metropoli prosperum sine ulla offensione ac perturbatione cursum tenuerat, neque minorem apud Venetos, quam apud Jadertinos existimationem & benevolentiam sibi conciliaverat; cum tranquillum civitatis & ecclesiæ statum exorta, unde minime oportuerat, Jadrensium a Venetis defectio perturbavit. Veneti dignitatem Patriarchæ sui Gradensis & jurisdictionem, quibuscumque possent rebus ac privilegiis amplificare mirum in modum cupiebant. Itaque cum alia multa decora & ornamenta eidem a Sede Apostolica conferenda curassent, tum vero jus imperiumque Primatis in Jadertinam metropolim ab Adriano IV. impetrarunt. Hic quoque Archidiaconus erravit, dum scripsit cap. xx. *Lampridium sub Patriarcha Gradensi pallium obtinuisse ab Anastasio Papa anno 1145.* Tria simul conjunxit, quæ inter se discrepant: *annum* 1145. cum pontificatu Anastasii IV. qui regimen universalis Ecclesiæ suscepit anno 1153. & cum eodem Anastasio tum *pallium* Lampridio traditum, tum etiam *Primatum Jadertinum* Patriarchæ Gradensi collatum; neutrum præstitit Anastasius. Eugenius III. ut dictum est, anno 1145. Ecclesiam Jadrensem jure metropolitico, Lampridium pallio donavit. Adrianus vero IV. successor Anastasii an. 1155. Metropolim & Archiepiscopum Jadrensem Henrico Dandulo Patriarchæ Gradensi subjecit. Extat epistola Adriani inscripta *Henrico Gradensi Patriarchæ, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum; data Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. 8. Kal. Martii, Indict. III. Incarn. Dom. an. MCLIV. Pontificatus vero Adriani Papæ IV. an. I.* Ex notis chronologicis, quibus designatur *an. Incarn. Dom.*, jota penultimum eximi oportet, ac substitui an. MCLV. quo cum cohæret Indictio III. & annus primus Adriani Pontificis. Subjicio particulam ex hac epistola pontificia decerptam, quæ ad rem nostram pertinet: *Inde est, quod nos honestatem ac prudentiam tuam, & devotionis sinceritatem, quam erga S. Romanam Ecclesiam semper habere dignosceris, attendentes, & ne commissa regimini & dispositioni tuæ Gradensis Ecclesia, quæ de benignitate Sedis Apostolicæ prærogativa gaudet honoris, ex brevitate Patriarchatuum, inferius & abjectius valeat apud simpliciores haberi, ad ampliandam dignitatem ipsius, primatum ei supra Jadertinum Archiepiscopatum, & Episcopatus ipsius, apostolica auctoritate concedimus, & tam te, quam successores tuos Jadertino Archiepiscopo consecrationis munus impertiri; Romano quidem Pontifici traditione pallii reservata &c.*

Jadertinam metropolim Patriarchæ Gradensi non Anastasius IV. sed Adrianus IV. subjecit.

Idem

Digitized by Google

Idem Pontifex eodem die ac loco ad Lampridium & Episcopos eidem subjectos scripsit in hanc sententiam: Patriarcham Gradensem ab se constitutum esse Primatem Jadertinæ provinciæ ac metropolis. Meminerint ergo se illi subditos esse, eumdemque iis, quæ Primati debentur, honoris atque obedientiæ officiis colere ac revereri.

Epistola Adriani ad Lampridium.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Lampridio Jadertino Archiepiscopo, ejusque suffraganeis Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam Sacrosancta Romana Ecclesia universarum ecclesiarum caput & mater est, vel remotione obsistente terrarum, vel multiplicitate impediente negotiorum, quarumdam ecclesiarum necessitatibus non tam facile potest, ut oportet, aliquando consulere; ideo aliarum ecclesiarum, quæ ampliorem curam illis impenderent, super eas institutos, & discretos, tum providos viros in partem suæ sollicitudinis consuevit evocare. Hujus itaque rei nos consideratione inducti, tum quia dignitatem Gradensis Ecclesiæ dignum duximus ampliare; tum quia utile vobis, & temporaliter, & spiritualiter esse prospeximus, habere prope vos a quo & in dubiis magisterium, & in necessitatibus solatium recipere valeatis; Venerabilem Fratrem nostrum Henricum Gradensem Patriarcham, Primatem vestrum duximus statuendum, & Gradensis Ecclesiæ dignitatem primatus, ecclesiis vestris declaravimus de cetero præsidere. Ea propter per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus eundem Patriarcham amodo Primatem vestrum humiliter habeatis; & sicuti Primati vestro, exhibeatis ei obedientiam, & honorem; ad magnum quidem profectum vestrum, annuente Domino, pertinebit, si doctrinam ejus devoto animo receperitis; & quod salubriter ipse præceperit, prosecutione operis studueritis adimplere. Datum Romæ apud S. Petrum 8. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno primo.

Lampridius & Jadertini moleste ferunt se subjectos esse Patriarchæ Gradensi.

Incredibile dictu est quam moleste tulerint Lampridius & Jadertini Ecclesiam suam in ditionem redigi Patriarchæ Gradensis: id quod eorum animos a Venetis alienavit, & ab imperio Venetorum sæpius deficiendi initium & caussam præbuit. Non ignorabant Venetorum apud Sedem Apostolicam gratiæ operæque tribuendum esse, tum quod metropoliticam dignitatem adepta fuisset, tum quod Patriarchæ Gradensi subderetur Ecclesia Jadertina; sed hoc magis despicatui, quam illud honori sibi ducebant; & plus eos dolor hujusmodi subjectionis, quam illius beneficii gratia valebat. Illud siquidem ad decus ac splendorem suæ metropolis pertinere putabant, addique cupiebant, ut, secluso quocumque alio intermedio seu Patriarcha seu Primate, uni Romano Pontifici subesset, ex ejus arbitrio solum penderet, ab eoque uno mandata & leges acciperet. Itaque Lampridium Romam miserunt, qui suam & ecclesiæ suæ caussam per se ipse ageret; oraret atque obsecraret Pontificem, ut vellet juberetque metropolim Jadertinam nullius, præterquam Sedis Apostolicæ, imperio ac potestati subjectam esse. Adrianus quod Venetorum gratia decreverat, revocare noluit; & Lampridius, suadente, vel jubente Pontifice, in augustissimo Cardinalium conventu pollicitus est se loco Primatis habiturum Henricum Patriarcham Gradensem, ejusque successores; neque commissurum, ut sua erga illum observantia & obedientia desiderari posset, quemadmodum testatur idem Pontifex in suis litteris *ad Episcopos, Ducem, & universum populum Venetiarum*, datis *Laterani Idibus Julii anno 3. Pontif.* id est anno Christi 1157. *Ad hæc discretioni vestræ, præsentium significatione volumus innotescere, quod frater noster Jadrensis Episcopus in nostra, & fratrum nostrorum præsentia, memorato fratri nostro Patriarchæ, ejusque successoribus obedientiam, tamquam Primati suo, spontanea voluntate promisit, & nos promissionem ipsam in publicum fecimus redigi instrumentum.*

Lampridius Jaderam reversus cives omnes reperit, uti eos reliquerat, plane obfirmatos in proposito susceptoque consilio abnuendi Patriarchæ Gradensis; a quo cum nulla ratione deduci possent, satius esse duxit tempori cedere, seque ad illorum voluntatem accommodare, quam in odium offensionemque totius civitatis incurrere. Igitur neque subjectionis profitendæ caussa Patriarcham Gradensem adiit, neque ullum obedientiæ ac submissionis officium eidem præstitit. At Veneti ne Jadrensium animos exacerbarent, neve occasionem rerum novandarum præberent, prudentia ac dissimulatione utendum esse censuerunt; nec vehementius eos cogendos putarunt, ut se Patriarchæ Jadrensi submitterent; præsertim cum Hungari finitimi reliquam omnem Dalmatiam possiderent, ad quorum auxilium & imperium Jadertini confugere potuissent.

Jubetur Lampridius ab Alexandro III denunciare Spalatensibus ut legem perniciosam ecclesiæ rescindant.

Cum Spalatenses legem tulissent, ne quis in posterum partem ullam, possessionemve bonorum suorum ecclesiis aut donarent, aut venderent, aut testamento legarent; Alexander Papa III. an. circiter 1160. Lampridio Archiepiscopo per litteras imperavit, ut Rectori, Consilio, Communi Spalatensium denunciaret extemplo eis pontificia auctoritate anathema inflictum, & civitatem interdicto suppositum iri, nisi legem illam ecclesiasticæ libertati atque immunitati injuriosam abrogarent, ac rescinderent. Hanc epistolam pontificiam v. Idus Junii, & reliqua, quæ ad eam pertinent, habes in Absalone Archiepiscopo Spalatensi.

Idem Pontifex noluit revocare jus metropoliticum Ecclesiæ Jadertinæ concessum.

Petrus VI. Archiepiscopus Spalatensis de multis molestiis, quibus affligtabatur, ac præsertim de præpotentium quorumdam insectationibus conquestus est apud Alexandrum III. ab eoque petiit ut dignitatem Ecclesiæ Spalatensis sibi commendatam haberet, a cujus metropolitica potestate Jadrensem cum tribus aliis Ecclesiis divulsam vehementer dolebat. Pontifex litteris ad eum redditis Anagniæ III. Nonas Majas anno 1166. quas in eodem Petro descripsimus, amicissimis verbis hominem solatus, molestias & injurias eidem illatas perinde dolet, ac si illatæ sibi essent; jubet bono animo esse, spemque omnem in Deo ponere ac defigere. Ad Jadertinam Ecclesiam quod attinet, se nihil novi decreturum, quod metropolis Spalatensis dignitati, utilitatique officiat; quibus verbis ostendit nolle se, nec debere jus metropoliticum a suis decessoribus Ecclesiæ Jadertinæ collatum abrogare: *Nos*, inquit, *de Jadrensi Ecclesia nihil citra justitiam & honorem Ecclesiæ Spalaten. de novo, auctore Deo, statuimus, aut statuemus.*

Jadrenses a Venetis deficiunt, & regimen civitatis Lampridio deferunt.

Postquam Lampridius anno 1157. Roma redierat, per aliquot annos ecclesiam suam tranquille placideque gubernavit; & quamvis imperium ac potestatem Patriarchæ Gradensis constanter abnueret, nihil tamen molestiæ aut illi, aut Jadrensibus exhibitum invenio. Verum haud multis

Digitized by Google

tis post annis rursus Archiepiscopus & Jadrenses urgeri cœperunt, ut quod Pontifex Romanus decreverat, Patriarcham Gradensem, tamquam Primatem suum agnoscerent, colerentque. Porro Jadrenses veriti, ne sub Venetorum imperio dum manerent, vi ac necessitate cogerentur ecclesiam suam eidem Patriarchæ subjicere; Dominico Mauroceno Comite, seu prætore civitatis expulso, se atque urbem in libertatem vindicarunt. Præturam vero, sive civitatis administrationem, a civibus sibi delatam Lampridius suscepit. Id tradunt apud Joannem Lucium Veneti Chronologi: *Tempore dicti Ducis* (Vitalis Michaelis II.) *quidam Archiepiscopus de Gallis Jadrensis dominatum civitatis invadere pene, ac retinere ausus est; cum Præfectus & Rector electus fuisset a civibus. Etiam hoc tempore Jadra, quæ sæpe deficiebat, pulso Mauroceno Comite suo, tertio defecit; videns dictus Dominicus Jadram defecisse, statim venit Venetias, & retulit Jadram se tradidisse Archiepiscopo Jadræ de Gallis.* Idem confirmat Andreas Dandulus; sed Jadram tunc traditam fuisse ait in fidem ac potestatem Hungarorum, id est Geysæ II. regis Hungariæ, sub cujus imperio erat, præter Jaderam & insulas, reliqua omnis Dalmatia: *Jadertini igitur subjectionem sui Archiepiscopatus Patriarchæ Gradensi molestam habentes, nunc tertio rebelles Ducis effecti, Dominicum Mauroceno defuncti Ducis natum, eorum Comitem expulerunt; & regis vexilla erigentes, se ejus dominio tradiderunt. Dux illico xxx. galeis armatis Jaderam properat, quam ab Hungaris munitam inveniens, dum obtinere nequiret, Venetias remeavit.* Sed anno sequenti idem Dux classem longe majorem apparavit, eique imperatorem præposuit Dominicum Maurocenum, qui Jaderam terra marique obsessam, vehementerque oppugnatam vi cepit, aut Hungaris abeuntibus ad deditionem compulit, ut Dandulus docet, & Jadrenses Hungarico præsidio destitutos ad fidem atque obsequium revocavit. Dominicus Maurocenus ducentos e primaria nobilitate obsides accepit, sumptoque supplicio de præcipuis seditionis auctoribus, ut tradunt alii Venetorum Chronologi, Venetias perduxit. Deinde Jaderam rediens regimen civitatis recepit, quod retinuit usque ad annum 1180. ut Jadrenses tabulæ testantur. Hanc secundam expeditionem contra Jadertinos susceptam Dandulus affixit anno decimo quinto Vitalis Michaelis Ducis Venetorum, qui cum anno 1156. principatum inierit, ejus imperii annus decimus quintus cohæret cum anno Christi 1171. sed eam ad superiores annos revocari jubent tabulæ Jadrenses, e quibus satis certo colligitur Dominicum Maurocenum anno 1167. jam in urbis præturam atque administrationem restitutum fuisse: *1167. Temporibus itaque Vitalis Michaelis Ducis Ven. & Lampridii Jadertini Archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni Comitis &c.* Itaque defectionem Jadrensium in annum 1165. contulerim, eodemque anno Vitalis Dux cum tricenis armatis triremibus Jaderam tentavit, sed re infecta Venetias rediit; anno autem 1166. Dominicus Maurocenus urbem aut vi, aut deditione sub potestatem redegit. Dandulus igitur hæc habet: *Dux itaque anno xv. ingentem paratum exercitum, cum Dominico Mauroceno Capitaneo, denuo Jaderam mittit, quos ex Hungarorum præsidio in errore tenaces, appositis scalis, & gattis, airis, & variis insultibus idem Capitaneus impugnare non destitit. Hungari ob hoc territi, relictis tentoriis fuga salvati sunt. Cives tunc desolati de solita Venetorum gratia confidentes, Jadrensem civitatem Capitaneo libere tradiderunt, qui eamdem muniens, ducentum de nobilibus Jadræ secum assumptis Venetias rediit. Jadrenses igitur, qui advenerunt, jus Primatis super eorum Archiepiscopo Patriarchæ Gradensi concessum profitentes, diruptis muris, & datis obsidibus, obtenta a Duce venia, in urbe sua restituti sunt; & postea qui in acquisitione civitatis Capitaneus erat, in Comitatu redintegratus est.* Hæc paullo aliter uterque Chronologus supra laudatus: *Quo audito Dux classem adornavit, eique præfecit Dominicum Maurocenum, qui vi simul & consilio populum in pristina Ducis ditione retinuit; ibique dictus Dominicus cum magna Venetorum & Longobardorum manu subsedit; supplicioque affecit illos proditores Jadren., qui sæpe deficiunt &c. Hoc audito Veneti classem paraverunt, multoque milite instruxere; eaque celeriter expedita, idem Dominicus Maurocenus classi cum imperio præfectus, vi cepit Jadram; atque a potestate Archiepiscopi Venetorum rebellis receptam, in eodem Præturæ magistratu regere perseveravit.*

Classis Veneta frustra Jaderam obsidet,

quæ postea iterum obsessa ad fidem & imperium redire cogitur.

Sed ut ut res gesta fuerit, illud satis const t Jadrenses una cum Archiepiscopo pollicitos esse futuros se in fide ac potestate Patriarchæ Gradensis; & venia defectionis impetrata, cum Venetis in gratiam rediisse. Exinde civitas, quoad Lampridius vixit, sub imperio Venetorum, & prætura Dominici Mauroceni pacata & tranquilla fuit. Præter cœnobium Benedictinum S. Mariæ, alterum erat Jaderæ collegium sacrum Virginum ejusdem Ordinis, sub titulo ac patrocinio S. Platonis; huic Urania, illi Scemosia præerant. Hæ de quodam prædio inter se contendebant, quod sibi utraque, suoque monasterio vindicabat. Hujus controversiæ arbiter delectus est Lampridius Archiepiscopus, una cum Dominico Mauroceno Prætore, qui secundum Antistitam cœnobii Mariani judicarunt. Hæc est sententia, quam plurium testimonio confirmari, & publicum scribam in tabulas referri jusserunt.

Jadrenses Patriarchæ Gradensi se subjiciunt.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXVII. Indictione XII. temporibus itaque Vitalis Michaelis Ducis Venetiarum, & Lampridii Jadertini Archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni Comitis. Nos denique prænominatus Lampridius Archiepiscopus, & Dominicus Maurocenus Comes, ac alii nobiles viri, qui in isto placito interfuimus, jubemus fieri cartulam recordationis de placito, quod Abbatissa Sancti Platonis Urania contra Scemosam Sanctæ Mariæ Abbatissam, de terris quæ in Bracsizo sitæ sunt, placitabat, quas Petrus Semiviti filius una cum filiis Crine & suis propinquis prænominato cœnobio dederat. Hæc namque terra incipit a territorio Sancti Chrysogoni ex utraque parte usque ad rivum descendentem, ex alia parte rivum ascendentem usque ad silvam juxta territorium S. Nicolai præter quasdam terrulas in medio positas, quæ Sancti Chrysogoni fieri probantur. Dicebat enim Sancti Platonis Abbatissa. Hæc terra cœnobio Sancti Platonis attinere, & testamentum ostendebat, quod a quodam viro pro viginti romanatis emerat. E contra Sanctæ Mariæ Abbatissa respondebat, immo nobis attinet, & nos eam semper laboravimus, & per manus nostras aliis ad laborandum tradidimus, quia Petrus Semiviti filius, una cum suis propin-

Sententia Lampridii secundum Antistitam cœnobii Mariani.

pinquis, hanc terram monasterio B. Mariæ dederat, ac etiam testamentum inde ostendebat. Unde nos rationem perscrutantes ex utraque parte, judicavimus Scemosæ Abbatissæ S. Mariæ cum sex sanctis monialibus suum testamentum affirmare, quod ipsa, uti curia præcepit, coram pluribus affirmavit. Hoc actum est coram his testibus. Josepho Judice, Crisogono Judice, Madio Judice, Madio Plebano S. Petri, Michaele Plebano Sancti Petri, Nicolao Milzaci, Andrea Lisre, Zura Talarigi, Cemesso, Vulcina filio Copre, Grubessa filio Josephi, Micha filio Tripze, Gregorio Vitaze, & Stephano Cosritti, Jacobo Segarluti Surdano, atque Stephano Zele. Et ego Joannes Sanctæ Anastasiæ subdiaconus atque notarius, ibidem cum his suprascriptis testibus interfui, scripsi, &c.

De Seniensi & Phariensi Ecclesiis Lampridius Jadertinus & Gerardus Spalatensis Metropolita inter se contendunt.

De duabus Ecclesiis Seniensi & Phariensi Lampridio cum Metropolita Spalatensi controversia fuit; utramque siquidem ad metropolim Jadertinam adjungere cupiebat. Miræus Episcopus Seniensis vel sponte sua, vel potius suasione Lampridii, Spalatensi Archiepiscopo, quam debebat, fidem atque obedientiam detrahere, atque ad Jadertinum transferre jam cœperat, hac fortasse ratione adductus, quod Senia longius Spalato, quam Jadera distaret, & brevior ac facilior sibi ad Jadertinum, quam ad Spalatensem Metropolitam foret accessus: quippe Jadertina intermedia diœcesim Seniensem a ditione Spalatensis Archiepiscopi sejungit. Huic metropoli tunc præerat Gerardus, qui cum admonendo deterrendoque tum Lampridio, tum Miræo, jus suum obtinere non posset, de utroque graviter conquestus est per litteras apud Alexandrum III. Pontificem Max. Hic litteris ad Seniensem Episcopum datis, eidem imperavit, ut, more atque exemplo decessorum suorum, se fidelem atque obedientem suo Metropolitæ Spalatensi præberet; nisi pontificiis admonitionibus & mandatis obtemperaret, in eum graviter animadversum iri; ut pœnis eidem inflictis debita Episcoporum erga suos Metropolitas obedientia sanciretur. Hæc epistola inserta est actis Miræi Episcopi Seniensis; data autem fuit Beneventi III. Id. Februarii an. 1169. hoc siquidem anno Alexander erat Beneventi, ut declarat illius ad Henricum Angliæ regem epistola, ibidem data pridie Kalendas Martii, quæ ab anno 1169. dimoveri nequit. Admonitio & auctoritas pontificia Miræum ad pristinum erga suum Metropolitam obsequium revocavit, Lampridium ab aliena diœcesi usurpanda deterruit.

Altera Lampridii cum Archiepiscopo Spalatensi contentio gravior ac diuturnior fuit. Ecclesiam ac diœcesim Phariensem uterque suam esse dicebat, sibique vindicabat; Spalatensis quod antea pars erat suæ diœceseos, ab eaque divulsa fuerat; Jadertinus vero, quod Veneti Phariam, aliasque insulas Hungaris ademptas Jadrensibus donaverant; ac præterea quod illius Episcopatus instituendi auctor fuerat Petrana Comes & Rector civitatis Jadertinæ, ut supra dictum est. Anno 1177. Alexander III. Guillelmi regis Siciliæ triremibus advectus Venetias navigabat, ut in ea civitate pacem inter Ecclesiam & Imperium conciliaret, ac Fridericum Aenobarbum Imperatorem secum in concordiam reduceret. Peropportune accidit, ut Jaderam appulerit. Illum Lampridius, clerus, populusque obviam procedens, regio apparatu, summa

Alexander III. P. Jaderam appulit.

lætitia & veneratione excepit. De adventu Alexandri Jaderam Romualdus Archiepiscopus Salernitanus hæc apud Baronium tradidit: *Jaderam applicuit, ubi ab Archiepiscopo, & Episcopis illius regionis, Comite, & populo satis honorifice est receptus.* Idem confirmat alter apud eumdem Baronium Scriptor actorum Alexandri: *In proxima Dominica, priusque sol lucesceret, ad civitatem Jaderæ, . . . & quoniam nondum quisquam Romanus Pontifex civitatem ipsam intraverat, de novo ipsius Papæ adventu facta est ingens cleri & populi illius loci lætitia communis, & ineffabilis exultatio collaudantium, & benedicentium Dominum, qui modernis temporibus per famulum suum Alexandrum successorem B. Petri, Jadertinam civitatem dignatus est visitare. Itaque præparato sibi de Romano more caballo, processionaliter deduxerunt eum per mediam civitatem ad Beatæ Anastasiæ majorem ecclesiam; in qua ipsa virgo & martyr tumulata requiescit, immensis laudibus, & canticis altissime resonantibus in eorum Slavica lingua.* De adventu Alexandri in civitatem Jaderæ hæc ex actis MSS. Romanorum PP., quæ servantur in Bibliotheca Bononiensi S. Luc. PP. Soc. Jesu pag. 162. *Alexandri III. fuga ab Italia, Friderico Imp. persequente. Pontifex per Adriaticum iter habens tempore Quadragesimæ Jaderam appulit, quæ sita est in capite Hungariæ regni, die Dominico, sole illucescente. Et quia nullus Pontifex eo unquam advenerat, facta est in clero, & populo communis & ingens lætitia. Ibi super album caballum deductus est per mediam civitatem ad B. Anastasiæ Majorem Ecclesiam, in qua ipsa virgo, & martyr honorifice tumulatur. Post diem quartum exivit Jadera, & per insulas Sclavorum Venetias versus perrexit. Hæc autem gesta videntur an. 17. aut 18. ineunte sui Pontificatus.* Erat annus decimus octavus a superiori Septembri vel Octobri jam initus, qui congruit cum anno æræ vulgaris 1177.

Raynerius Archiepiscopus Spalatensis, qui cum primoribus cleri & primaria nobilitate Alexandrum ad Issam insulam appulsum venerabundus adierat, ut tradit Archidiaconus, eumdem Jaderam usque honoris atque officii caussa comitatus est, Pontifex quatuor ipsos dies Jaderæ commoratus fuit; & *post quartum diem*, ut Scriptor supra laudatus docet, *exivit Jadera, & per Sclavorum insulas, & maritimas Istriæ civitates, felici cursu transitum faciens ad monasterium S. Nicolai, situm in faucibus Rivoalti, alacriter Domino auxiliante pervenit.* Cum ergo esset Jaderæ, uterque Archiepiscopus Spalatensis & Jadertinus Alexandrum rogavit, ut quæ inter ipsos erat, de Phariensi Ecclesia controversiam dirimeret. Sed Pontifex cum Venetias ire festinaret, illius caussæ cognitionem in aliud tempus rejiciendam censuit. Venetiis pervenit x. Kalendas Aprilis an. 1177. & pace composita, ceterisque omnibus, quorum caussa venerat, negotiis e sententia confectis, mense Octobri discessit. Dum igitur in ea civitate morabatur, Raymundum de Capella Subdiaconum Pontificium, quem paullo post Cardinalem creavit, legatum cum amplissima potestate in Dalmatiam misit, ut ecclesias illas viseret, cleri disciplinam ac populi mores, sicubi a recto tramite deflecterent, reformaret atque corrigeret; simulque eidem id mandati dedit, ut de controversia Phariensi, quæ Raynerio erat cum Lampridio, rite cognosceret, ac sententiam ferret;

Raymundum de Capella legatum in Dalmatiam missum Jadertino & Spalatensi metropolitis judicem dedit, ut controversiam Phariensem dirimeret.

ret: si vero alterutra pars ejus judicio stare nollet, ac Sedem Apostolicam appellaret; rationes in utramque partem allatas, ac testificationes jurejurando firmatas colligeret, easque tabulis consignatas ad curiam Romanam transmitteret, vel deferret; deinde diem utrique caussæ apud eum, quem Pontifex delegaverit, dicendæ præfiniret. Hæc tum ex litteris encyclicis Raymundi, tum ex epistola Alexandri ad Raynerium in hujus actis descripta, quæ data est *Venetiis in Rivoalto, XI. Kalendas Septembris*, an. 1177.

qui ad Concilium generale Spalatum convocavit Archiep. & Episcopos provinciæ Jadrensis.

Ergo Raymundus cum in Dalmatiam venisset, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Episcopos universæ illius regionis Spalatum ad Concilium generale convocaret; diemque primum Septembris ad conveniendum edixit. Extat ejusdem epistola ad Lampridium Archiepiscopum, Episcopos, Abbates, Archidiaconos, Archipresbyteros provinciæ Jadrensis, quos jubet Spalati ad tempus præscriptum adesse. Cum Ecclesia Jadrensis tum metropoliticæ, tum primatiali jurisdictioni Ecclesiæ Spalatensis exempta, sub jus imperiumque primatiale Patriarchæ Gradensis migrasset; neque Lampridius, neque Episcopi eidem subjecti, Concilii generalis Dalmatici ac Spalatensis adeundi lege ordinaria tenebantur. Sed cum legatio apostolica Raymundo tradita universam Dalmatiam complecteretur, hujus extraordinariæ potestati non solum Spalatensis, ceteræque Dalmatiæ superioris Ecclesiæ, sed etiam Jadertina metropolis suberat; eique Alexander ad corrigendas & reformandas omnes Dalmatiæ Ecclesias auctoritatem amplissimam attribuerat; omnesque Antistites illius regionis ejusdem mandatis ac decretis subjecerat. Lampridius igitur, quamvis illius ecclesia ad Primatem & Concilium generale Patriarchatus Gradensis pertineret; tamen legato Sedis Apostolicæ ad Concilium Spalatense pro potestate extraordinaria vocanti parere debuerat. Adde quod necessitas suæ caussæ agendæ tuendæque illum ad eam Synodum compellebat. In ea siquidem Raymundus ex mandato Alexandri finem imponere statuerat controversiæ inter Raynerium & Lampridium jampridem exortæ de Phariensi Ecclesia; & auditis rationibus ac testibus utrinque allatis & productis, illam aut Spalatensi, aut Jadertinæ metropoli adjudicare, pro eo ac jus & æquitas postularet. Epistola Raymundi ad Lampridium hæc est.

Epistola Raymundi ad Lampridium &c.

Raymundus Cardinalis de Capella Dei gratia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, Apostolicæ Sedis legatus. Venerabili Fratri L. Jadrensi Archiepiscopo, & ceteris Episcopis, & suffraganeis, atque Abbatibus, Archidiaconis, Archipresbyteris universis per eorum Episcopatus constitutis salutem, & sinceram in Domino dilectionem. Cum Dominus Papa, & Sacrosancta Romana Ecclesia nos ad Dalmatiæ atque Croatiæ partes propter hoc destinaverit, ut pro vigili sollicitudine apostolica, doctrinam & ecclesiasticam disciplinam, in quantum Dominus ministraret, ibidem dilataremus, quæ corrigenda essent corrigentes, & quæ plantanda plantantes; salubriori habito consilio perspeximus, de omnibus ecclesiarum Prælatis, qui in nostra sunt legatione, unum celebrare Concilium, ut de communi tantorum Patrum auctoritate, quæ fuerint statuenda in Domino statuantur. Volentes itaque vestris laboribus & expensis, salva honestate, in quantum possumus parcere; & Prælatos superioris Dalmatiæ non videamur nimium fatigare; in Spalaten. civitate, in loco sat magni confinii, & tam propinquo vobis, quam eis, prædictum Concilium auctore Domino duximus celebrandum. Ideoque universitati vestræ mandamus præsenti scripto, & auctoritate Domini Papæ, cujus vices licet indigni gerimus, firmiter præcipimus, quatenus ad prædictum Concilium, quod in prædicta civitate Spalaten. proximis Kalendis Septembris, Christo permittente, sumus celebraturi; ad eandem diem, contradictione & occasione cessante, accedatis, ut quæ ad honorem Dei, & utilitatem vestræ ecclesiæ, ad salutem animarum, ibi statuta fuerint & ordinata, tanquam obedientiæ & disciplinæ filii scire studeatis, & observare, subditosque vestros ad eorundem observationem diligenter exhortari, & commonere; ut sic in diversis talentis fœnerantes, una cum grege vobis credito ad vitam mereamini pervenire sempiternam. Si quis autem vestrum in hac parte, quod non credimus, inobediens extiterit, qui ad prælibatum Concilium non venerit, sciat se proculdubio canonicæ sententiæ subjacere. De cetero præfatum Lucarem familiarem nostrum, quem persæpe dicto Concilio vocando ad vos dirigimus, fraternitati vestræ commendamus, rogantes affectuose, & mandantes, quatenus eum benigne tractetis, & nostri amoris, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ intuitu, sic liberaliter benefaciatis; scientes, quod si eum, uti decet, honoraveritis, nos valde gratum habebimus, & acceptum, & pro temporis opportunitate libenti animo vobis inde curabimus respondere.

Ne Lampridius litteris ac mandatis Raymundi obsequeretur, Veneti pariter ac Jadrenses obstiterunt; hi quidem, propterea quod si Lampridius in Concilio primatum subsellii Metropolitæ Spalatensi cedere cogeretur, ei subjectus esse, ac dignitate inferior videri posset; illi vero, quod Episcopos Venetæ ditionis cum Episcopis Imperii Græci commisceri nolebant, ac ne sacrarum quidem rerum commercio jungi patiebantur; siquidem Spalatum, & præter Jaderam reliqua omnis Dalmatia Hungaris adempta, suberat Emanueli Græcorum Imperatori, qui cum omne Latinorum nomen pessime oderat, tum Venetos præsertim, quibus plurima & gravissima damna intulit. Extat epistola quædam ad Primicerium, Capitulum, magistratus, & cives Spalatenses, quæ videtur attribuenda esse Lampridio Archiepiscopo Jadrensi. Caussas affert, cur Spalatum venire, & Synodo adesse non possit; absentiam suam apud legatum pontificium excusent, ab eoque impetrent, ut diem Synodo jam indictæ prorogare velit. Sed pleraque sunt, quæ ob mendosam scriptionem, & rerum ac negotiorum ejus temporis ignorationem, satis intelligi nequeunt.

Epistola Lampridii ad Primicerium Spalatensem, in qua affert excusationem absentiæ suæ a Concilio generali.

.... Spalatensi Primicerio, & ejusdem sedis toti venerabili Capitulo, Majoribus & Magistris, & Dominis .... uti fratribus; nobilissimo E. Comiti, suo carnali consanguineo, & ordine filio spirituali, & omnibus ejusdem civitatis hominibus ... propinquis ... salutem, orationem & ... est. Qualiter nobis Dalmatinis Spalatensis Ecclesia, mater, magistra, & domina extiterit, qualiterque ditioni ejus tota Dalmatia, obedientia & subjectione subdita fuerit, Dominus scit, & homines, vobisque & integre & melius scientibus non est intimandum. Inde est, quod decessorum nostrorum exempla volens multotiens prosequi, a fratribus nostris Jadrensibus multa adversa

versa patiens; aliquando navi & rebus in ea necessariis ablatis, aliquando navi perforata & in fundum versa, ut vestrorum multi, qui præsentes fuerunt, viderunt; & aliis multis machinationibus ac minis, huc usque venire nequivi. Nunc autem desiderio desidero venire, sed prohibeor, quoniam angustiæ mihi sunt undique; si venirem, inciperent . . . Veneticorum dicentium, non pro Synodo, sed nostro pro impedimento, & dolo vadit; illuc amicorum civium rogantium me, Venetiam ire pro Communitate, & libertate, & statu terræ Jadrensium; Sclavorum, Ungarorum, aliorum aliquorum manibus non evadam. Quapropter vobis & majoribus supplico, ut cum Domino legato terminum præfixum Synodi elongare dignemini, congruo nobis ac pacis tempore venturis Episcopis, vel importabilia nobis præcepta ac gravamina impossibilia remittat. Alioquin Summum appellamus Pontificem. Ut cupitis, valete.

Lampridius controversiam de insula Pago, inter Arbenses, Jadertinos, & Rogerium Maurocenum diremit.

Habitum quidem fuit Concilium generale Spalatense, cujus acta interierunt; sed cum abesset Lampridius, qui ecclesiæ suæ caussam ageret, Raymundus controversiam Phariensem injudicatam reliquit. His temporibus Lampridius Archiepiscopus controversia de insula Chessa, sive Pago, quæ erat inter Arbenses, Rogerium Maurocenum dominum ejusdem insulæ, & Jadrenses, diremit & composuit. Extat ejus sententia, sed aliis atque aliis identidem lacunis intercisa.

Anno Domini . . . . Jesu Christi 1177. men. Feb. Indictione XI. temporibus equidem Sebastiani Ziani Ducis, & Lampridii Ven. Jadren. Archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni Comitis. Nos namque Lampridius Jadren. sedis Archiepiscopus una cum nostris Consulibus Bar. . . nice, Martino Sloradi, Petro Ro . . . itaze, & aliis nostræ civitatis nobilibus, Grisogono Judice, Damiano Sloradi, Vota . . . arra Madio Joannis Græci, Scioppe Michebotolage, Valentino Kessi, Præstantio . . . ichael Pance, Lampredio Vitaze, Micha petrizi, Bolisio de Bonoguali, Martinolip. . . . a, & multis aliis hunc contractum . . . imus, volentes resecare controversiam, quæ inter Arbenses, & Rogerium Dominici Mauroceni Jadertini Comitis filium, de Comitatu insulæ Kessæ vertebatur, nam prædictus Rog. . . . insulam Kessæ, incipiendo a Columpnis Canuli, & Bar. . . . um, ab introitu ve . . . Pagum sui comitatus, scilicet Kessæ fore asserebat. E contra And. . . . . nas Archidiaconus, Stephanus Maldenarius Michæ Arbenses Judices, Petrus Dominna Basilii, qui ad hujus negotii causam tractandam ad nos venerant, respondentes dicebant; Manifestum quidem & certum habetur prædecessores nostros per ducentos annos & eo amplius præfatam insulam possedisse, & coluisse semper; super hæc igitur vos Domine Archiepiscope, & Jadrensium Consulum, ceterorumque nobilium provideat sagacitas, si nos jam dictæ insulæ cau... respondere teneminib. Nos itaque Lampridius una cum supradictis C. . . . & . . . obilibus, utramque partem sua justitia & ratione . . . iter destitui de his omnibus per duos ... m habentes per legem & judicium statuen. . . . . crevimus, ut Arbenses sæpe dicto Rogerio, ejusque successoribus in perpetuum respondere non de ... stabilivimus quatenus prædicta insula Kesse communiter a Jadrensibus, Arbensibus, hominibusque . . . coli, pasci, & omnibus modis uti perpetuis temporibus debeatur; & ut præsens contractus . . . mus, & stab. . . . etim conservetur, Archiepiscopalis sigilli munimine firmavimus simul, & ipsum communivimus . . . go Lampridius D. G. Jad. Archiepiscopus m. m. miss. †. Ego Andreas D. G. Arben. Episcopus m. m. miss. † . . . Cosmas Arben. Archid. m. m. miss. †. Ego Andreas Presbyter Saldini filius m. m. miss. †. Ego Joannes S. Anastasiæ Diaconus m. m. miss. †. Ego P. dictæ Sanctæ Anastasiæ Subdiaconus m. m. miss. †. Signum David Consulis, qui hoc fieri jussit †. Signum Martini Sloradi Consulis, qui hoc fieri jussit . . . trizi Vitaze, qui hoc fieri jussit †. Signum Grisogoni Judicis, qui hoc scrib. ... Signum Damiani Sloradi, qui hoc fieri voluit †. Madii Johannis Græci, qui hoc fieri voluit †. Signum Sciop. . . . boluge, qui hoc scribi voluit †. Signum Valentini Kessi ... nee, qui hoc fieri voluit †. Signum Nicolai Mozzaci, qui hoc fieri voluit †. Signum Dobre Resinne, qui hoc fieri voluit †. Sig. . . . taze, qui hoc fieri voluit †. Sig. ... gualdi, qui hoc fieri voluit †. Signum Martini Lippe, qui hoc fieri voluit †. Ego Matthæus S. Anastasiæ Subdiaconus, & Jadrensis curiæ notarius . . . voluntate præscripti Domini mei Archiepiscopi Lampredii, Consulum, & reliquorum nobilium scripsi, & roboravi, & solito signo signavi.

Et ego Maratha Arben. Archipresbyter ac notarius hoc exemplum exemplavi sic . . . repperii sigillo D. Lampredii Archiepiscopi munita, nec auxi, nec minui, complevi & . . . consueto signavi.

Lampridius e vita migravit ante annum octogesimum hujus sæculi, quippe hoc anno ad gubernacula Metropolis Jadertinæ jam sedebat proximus Lampridii successor

THEBALDUS ARCH. JADRENSIS II.

Thebaldus ex Eugubino Episcopo Archiepiscopus Jadrensis, cum Jadrensibus renuit subesse Patriarchæ Gradensi.

Post obitum Lampridii rursus Jadertinos cupido incessit suæ Metropolis subtrahendæ imperio Patriarchæ Gradensis. Ne igitur opus esset novo Archiepiscopo ad Patriarcham Gradensem, consecrationis suscipiendæ caussa, accedere, ab eoque confirmari; Jadertinum Pontificatum Thebaldo Episcopo Eugubino detulerunt; petieruntque ab Alexandro III. ut collatum illi Sacerdotium traditione pallii ratum haberet. Annuit Pontifex; & Episcopum illum metropolitica dignitate auctum, & pallio donatum admonuit, atque pro potestate imperavit, ut debita observantiæ, atque obedientiæ officia Patriarchæ Gradensi præstaret, seque illi subjectum & obsequentem præberet. Jaderam venit, ingenti omnium lætitia & gratulatione exceptus est. Sed ne Jadrensium animos ab se alienaret, horum voluntati obsequi, quam pontificiis mandatis, obtemperare maluit. Ad urbem redire jussus est cum aliquibus e primaria nobilitate; & omni studio, omnique adhibita obsecratione apud Pontificem eniti, ut Metropolim Jadrensem a potestate Patriarchæ Jadrensis eximeret. Gravi morbo interceptus iter persequi non potuit. Per litteras, & legatos, quos secum ducebat, postulata & preces Jadrensium Pontifici exposuit. Nihil impetravit, eumque gravissimis litteris Alexander increpuit; & nisi Primatem sibi suæque ecclesiæ ab Sede Apostolica præpositum, quibus decebat, officiis atque obsequiis agnosceret & coleret, eidem usum pallii, & præcipuas quasdam episcopales functiones interdixit. Sed neque apud eum, neque apud Jadertinos valuit auctoritas pontificia; & obstinatione quadam sententiæ in proposito susceptoque consilio perseverarunt. Hæc Andreas Dandulus in

Digitized by Google

Aureo Mastropetro Duce Venetiarum: *Jadertini suæ sedis dedignantes subjectionem, ne in Lampridii defuncti locum eligendus successor a Gradensi Patriarcha confirmationem susciperet; ab Alexandro Papa Eugubinum Episcopum ab eis electum Archiepiscopum obtinuerunt, cui in traditione pallii commisit Papa, ut Gradensi Patriarchæ obedientiam Primati debitam exhiberet, non intendens, ut scripsit, juri Gradensis Ecclesiæ ex hoc aliqualiter derogare. Archiepiscopus Jadræ receptus, reverentiam Patriarchæ exhibere a civibus non solum prohibitus, sed etiam ut ecclesiam suam eximeret, cum aliquibus civibus Romam accedere coactus fuit; qui iens apud Fossam malam infirmatur; litteris & nunciis Jadrensium propositum Pontifici enarrat. Papa igitur eum redarguens inter cetera per epistolam ait: Venetia in unitate catholica laudabilis stetit, & fuit civitas refugii Episcopis, & aliis ecclesiarum Prælatis, qui de Lombardia, Tuscia, & Marchia a sedibus propriis, instante schismate, illuc divertere voluerunt. In reformatione quoque Ecclesiæ qualiter Sedem Apostolicam audierint, & honoraverint, ad tuam credimus notitiam pervenisse. Quia igitur tibi imminet subjectos a præsumptione sua compescere, cum non debeamus sequi populum, sed docere, mandamus quatenus infra tres menses, postquam Jadram iveris, pergens Venetias eidem Patriarchæ obedientiam, & reverentiam Primati debitam promittas, & impendas; & clerum & populum tuum ad idem, sicut te decet, inducas; ita quod ipse Patriarcha contra te materiam conquerendi non habeat, nec inter Venetos & Jadrenses gravis ex hoc & periculosa discordia oriatur. Alioquin usum tibi pallii interdicimus, & te consecrandi Suffraganeos tuos, & ecclesias dedicandi auctoritate privamus. Quæ Archiepiscopus rediens per Jadrenses elatos adimplere pertinaciter prohibitus fuit*. Epistolam Alexandri ad Thebaldum post Concilium Lateranense III. scriptam fuisse videtur intelligi posse ex his verbis: *in reformatione ecclesiæ*, quæ in eo Concilio decreta fuit.

Epistola Alexandri ad Thebaldum.

Nomen Episcopi Eugubini ad Metropolim Jadrensem translati non aliunde nobis certius innotuit, quam ex tabulis Sanctuarii Arbensis. *1180. 14. Martii, tempore Aurei Mastropetri Ducis, & Thebaldi Vener. Jadren. Archiep., Dominici Mauroceni Comitis;* item ex tabulis cœnobii S. Joannis Apostoli & Evang. *In nomine Domini anno Incar. Dominicæ 1181. mense Martio, Indict. 14. Jadræ temporibus D. Thebaldi Vener. Jadren. Archiep. hoc actum est &c.* Episcopatum Eugubinum Thebaldi Ferdinandus Ughellus Tom. I. Ital. Sac. inter annos 1163. & 1171. constituit, Daniel Papebrochius Tomo III. Maji in vita S. Ubaldi Episcopi Eugubini octo mensium spatio definivit, eumque anno 1161. simul electum ac S. Ubaldo subrogatum, simul vita functum fuisse affirmat. Uterque fallitur; nam ex tabulis modo laudatis anno 1181. adhuc vivebat Thebaldus, neque ante annum 1177. Lampridio adhuc superstite, transferri potuit ad Ecclesiam Jadrensem. Hujus translationem conferendam censeo in annum 1177. vel 1178. nam sub initium anni 1179. jam in sedem Eugubinam eidem successerat Offredus, cum is, teste Ughello, interfuerit Concilio Lateranensi III., quod 3. Nonas Martii anno 1179. celebrari cœptum est. Vitam S. Ubaldi Episcopi Eugubini composuit, & inscripsit Friderico I. Imperatori. Inscriptio hæc est: *Federico Romanorum Imperatori Thebaldus contra votum & meritum Eugubinæ Ecclesiæ electus, cælestis regni diadema perpetuum. Vita scripturus & miracula viri Dei Ubaldi &c.* Papebrochius proxime post S. Ubaldum Eugubinæ Ecclesiæ Episcopum electum fuisse affirmat ex tabulis ejusdem ecclesiæ; sed Ughellus inter utrumque Bonatum interjecit, quem Thebaldo subjiciendum Papebrochius censet. Si Thebaldum Bonato præponendum putes, hujus brevem admodum pontificatum fuisse oportet: cum enim creatus fuisset Episcopus post translationem Thebaldi anno 1177. vel proximo sequenti, anno 1179. & mense Martio jam sedem illam vacuam successori Offredo reliquerat, qui hoc anno ad Concilium Lateranense profectus, hujus decreta subscripsit, ut docet Ughellus. Thebaldus haud levem nomini suo notam inussit, cum vitam S. Ubaldi Friderico Imperatori dedicavit, qui suscepto patrocinio Octaviani Antipapæ, adversus Alexandrum schismaticam coitionem conflaverat; sed hanc vel ante, vel certe post Fridericum Alexandro reconciliatum, & pacem Ecclesiæ redditam, salubri pœnitentia expiavit; nisi forte suos de vita & miraculis S. Ubaldi commentarios sub nomine Friderici antea emiserit, quam is aperte bellum Alexandro indiceret. Certe apud Sedem Apostolicam graviter offendit, quod Pontifici imperanti, ut Patriarcham Gradensem loco Primatis haberet coleretque, obtemperare noluit; & hanc caussam fuisse arbitror cur a Concilio Lateranensi abfuerit, cum ceteroquin tres provinciæ Jadrensis Episcopi, Andreas Arbensis, Lampredius Absarensis, & Dabro Veglensis interfuerint.

Thebaldus Archiep. nominatus in tabulis an. 1180.

Vitam S. Ubaldi composuit.

Alexander post Concilium Lateranense dimissum rursus alterum legatum de reformandis cleri ac populi moribus, & quibusdam controversiis componendis, misit in Dalmatiam anno 1180. dum sedes metropolitana Spalatensis post martyrium S. Raynerii Archiepiscopi vacabit. Hic fuit Theobaldus Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, apud quem Canonici & clerici Spalatenses questi sunt de Metropolitis Jadertinis, quod contra jus fasque Ecclesiam Phariensem a Spalatensi provincia divellere, & sibi subjicere conarentur. Theobaldus ne quid temere decerneret, inaudita altera parte, clerum Jadertinum ad caussam pro sua ecclesia dicendam Spalatum per litteras citavit. Thebaldum Archiepiscopum, ad quem potissimum ea caussa pertinebat, idcirco fortasse non vocavit, quod is e gratia Sedis Apostolicæ exciderat, ob eamque caussam & pallii usum & potestatem *consecrandi Suffraganeos & dedicandi ecclesias* amiserat; cum scilicet ne in Jadrensium offensionem incurreret, Patriarchæ Gradensi honorem & obedientiam præstare noluisset; vel tunc forte aberat Jadera, Romam missus, ut ecclesiam suam ejusdem Patriarchæ jurisdictioni eximendam curaret, id quod supra ex Dandulo expositum est. Clerus Jadrensis neque ad diem illi præfinitam Spalatum advenit, neque suos internuncios misit, qui Jadertinæ Metropolis caussam defenderent. Itaque legatus inspectis tabulis antiquis, & rationum momentis, quibus utriusque metropolis caussa nitebatur, in utramque partem pensitatis, adhibitisque in consilium Episcopis virisque doctissimis, secundum Ecclesiam Spalatensem judicavit. Sententia Theobaldi, cui cum Archiepiscopus, tum clerus Jadrensis repugnarunt, descripta est §. 1. Interregni Archiepiscopalis Spalaten-

Theobaldus subdiaconus S.R.E. legatus in Dalmatia, Eccl. Phariensem Metropoli Spalatensi adjudicavit.

Digitized by Google

latensis post martyrium S. Raynerii in quintum usque annum producti.

Jadrenses ne Patriarchæ Gradensi se submittere cogantur, a Venetis ad Belam Hungariæ regem deficiunt.

Cum Jadrenses iniquo animo ferrent Romanorum Pontificum decretis & Venetorum imperiis urgeri se, ac propemodum cogi, ut Metropolim suam Patriarchæ Gradensi submitterent, demum exsequi decreverunt, quod jampridem occulte moliri cœperant; & expulso Veneto magistratu, apertaque defectione, in fidem se contulerunt ac ditionem Belæ III. Hungariæ regis, qui urbem illam firmissimo præsidio & propugnaculis munivit. Bela siquidem post Emanuelem Græcorum Imperatorem extinctum an. 1180., exercitu ex Hungaria traducto, Spalatum ceterasque Dalmatiæ & Chrobatiæ urbes recuperavit. Hinc opportunitas Jadrensibus oblata transeundi ad finitimos Hungaros, & Veneti dominatus depellendi. *Hoc tempore* (ait Dandulus in Aureo Mastropetro) *Jadrenses a Duce requisiti, ut Præsulem suum Gradensi Patriarchæ obedientiam exhibere permitterent, exequi renuerunt, rebellesque tunc quarto effecti, se, & urbem Jadræ protectioni Belæ regis tertii Ungariæ subdiderunt. Rex autem tunc hominibus & victualibus civitatem muniit, & muro circumclusit*. Jadrensis defectio vel in annum 1180. exeuntem, vel in annum proximum ineuntem conferenda est; nam anno 1181. Jadrensibus Bela imperabat, qui & civitati & provinciæ Maurum Comitem Rectoremque præfecit; ut docent tabulæ cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni, quarum hoc est initium: 1181. *mense Februarii Jaderæ regnante D. Bela D. G. rege Hung. Dalm. Cr. sententia D. Mauri, Dei & regis gratia Comitis, & totius maritimæ provinciæ studiosi exercitatoris, cum castra metatus esset &c.*

De Jadrensium rebellione cum Venetias allatum esset, confestim omnia civitatis studia in id unum conversa sunt, ut classe comparata, & contractis copiis, Jadrenses armis ad imperium vel inviti revocarentur. Ærarii inopiam, quæ celeritati decretæ expeditionis obstabat, procerum & nobilium virorum liberalitas supplevit. Adornata igitur & instructa classe, transmissum est in Dalmatiam; Jadrenses obsideri statim cœpti, vehementerque oppugnari. Sed civitas validissimo Hungarorum præsidio defensa, neque expugnari, neque ad deditionem compelli potuit. Interea Pagus, aliæque insulæ Sinus Flanatici, & Jadrensium litoribus objacentes, vel in fide retentæ sunt, vel intra paucos dies imperium recepere: *Dux autem*, inquit Dandulus, *illatum scelus reformare anhelans, congregatam concionem sibi conformem invenit; & fisco ex continuatis angustiis nimis exinanito, dum de eis recuperandis collatio haberetur, Prælati, & multi nobiles fidei pleni, se liberaliter obtulerunt. Tunc pro congrua satisfactione decernitur, ut proventus Rivoaltini fori, & datia quarantesimi sint eis totaliter deputata. Ceterum Dux paratam classem mittens, per mare Jadram obsedit, & viriliter impugnat, & Pagum ceterasque insulas sibi subjicit*. Ita Dalmatia & Chrobatia universa præter insulas Dalmatiæ inferioris fere omnes, in jure mansit ac potestate Hungarorum. Hoc bellum a Venetis cum Hungaris susceptum est anno 1181. tenuitque usque ad annum 1188. multis cladibus ultro citroque illatis & acceptis. Interea e vita migravit Thebaldus, eique subrogatus fuit

DAMIANUS ARCH. JADR. III. electus.

Damianus Archiep. electus.

Hunc Valerius a Ponte catalogo Antistitum Jadrensium expungendum censuit, sed retinendum esse demonstrant tabulæ cœnobii S. Chrysogoni confectæ anno 1183. in quibus nominatur *Damianus Archielectus*. Tum hic, tum alii, qui ab eo propius electi fuerunt, in monumentis Jadertinis vocantur *Archielecti*; quod caruerint approbatione tum Patriarchæ Gradensis, cujus imperium abnuebant, tum Pontificis Romani, cui præcipienti, ut eidem Patriarchæ subjectos se præberent, obtemperare nolebant. Damianus unum aut alterum annum *Archielecti* titulum gessit. Eo vita functo, Ecclesia Jadrensis aliquot annos Episcopo caruit; nam anno 1185. cum legati Spalatenses Veronam ad Lucium III. Ecclesiæ Phariensis repetendæ caussa se contulissent, Sedes Jadertina vacabat; ut colligitur ex epistola Urbani III. Veronæ data eodem anno, 2. Id. Decembris, cum paucis ante diebus in eadem civitate & Lucius mortuus esset, & Urbanus eidem substitutus. Inscripta est *Dilectis filiis clero, nobili viro M. Comiti, & populo Spalatensi. Cum venissent*, inquit, *ad præsentiam felicis memoriæ Lucii Papæ prædecessoris nostri dilecti filii B. Canonicus ecclesiæ vestræ, & Judex . . . significarunt ei injuriam, quam super Episcopatu Pharensi videmini sustinere. Verum licet vestræ vellet indemnitati ecclesiæ providere, . . . quia tamen Ecclesia Jadrensis vacat . . . nec antequam ipsa Ecclesia ordinetur, de negotio finiendo tractare volens, ipsum in eo, in quo nunc est, statu sine contentione manere jussit &c.* Ob eamdem caussam nec ipse Urbanus controversiam Phariensem dirimere voluit. Habes integram epistolam in Nicolao Episcopo Phariensi III. Ceterum valuit demum sententia Theobaldi legati apostolici, quam Andreas rex Hungariæ & Innocentius III. confirmarunt; & Metropolita Spalatensis, sublata omni controversia, Ecclesiam Phariensem in sua potestate retinuit, atque etiamnum retinet.

Interregnum Archiepiscopale.

PETRUS ARCH. JADRENSIS IV. electus.

Petrus electus Archiep. Jadren.

Hujus mentio reperitur, cum apposito titulo *Archielecti*, in Jadrensibus & Dalmaticis monumentis illorum temporum. *In nom. Sanctæ & individuæ Trinitatis. An. ab Incarn. Dom.* 1190. *mense Maji* 19. *Indict.* 8. *Jadræ regnante Dom. nostro Bela rege Ung. Dal. & Croat. & Jadertinæ Ecclesiæ Petro Ven. Archielecto præsidente &c. Anno Dom. Incarn.* 1190. *men. Junii die Sanctorum Joannis & Pauli, Indict.* 8. *Jadræ. Temporibus Domini nostri Belæ &c. & Petri Jadertinæ Sedis Ven. Archielecti &c. Jadræ an. Domini* 1193. *Petri Archielecti tempore &c.* Valerius a Ponte Archidiaconus electum fuisse tradit an. 1187. Erat natione Hungarus; & cum Primatem Gradensem agnoscere, eique se submittere vel ipse nollet, vel ab Jadertinis prohiberetur; Pontificatus sibi collati approbationem, & pallium a Sede Apostolica impetrare non potuit. Itaque fere semper commoratus in Hungaria, nunquam ad suam ecclesiam accessit. Nicolao Manzavino Episcopo Phariensi ad functiones episcopales peragendas utebatur. Hic Martino patruo subrogatus in sedem Phariensem, a Petro Archiepiscopo Spalatensi consecratione petita, sed non expectata, ut est apud Ar-

cujus absentis vice fungitur Nicolaus Ep. Phariensis.

Digitized by Google

Archidiaconum, Veronam ad Lucium Papam se contulit, ab eoque consecratus, & Phariam reversus Spalatensi Jadertinum Metropolitam prætulit, eique suam Ecclesiam subjecit. Hæc paullo distinctius & accuratius in Episcopis Phariensibus. Ergo perinde ac si suffraganeus esset metropolis Jadertinæ, omnem ei suam obedientiam, itemque vicariam operam ad omnia, quæ sunt Episcopi, munera & officia exequenda detulerat.

Cum ædes S. Martini, & quæ ad eam pertinebant, ab illis, ad quos jure patronatus spectabat, donata fuissent Abbati & Monachis S. Chrysogoni, hanc donationem Clemens III. apostolica auctoritate confirmavit.

Diploma Pontificium.

Clemens Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis G. Abbati, & fratribus salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facile præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam Sancti Martini cum omnibus pertinentiis suis a patronis ipsius Ecclesiæ, de consensu Jadertini Capituli, monasterio vestro pia largitione concessam, sic ut ipsam juste ac sine controversia possideatis, vobis, & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Laterani IV. *Kal. Julii, Pontificatus nostri anno secundo*, id est Christi 1189.

Veneti Jadrensibus maxime infesti.

Per ea tempora Veneti atque Hungari gravissimo bello inter se dimicabant, hi pro retinenda, illi pro recuperanda Dalmatia. Sed Veneti Jadertinos præsertim haud armis, quam animis infensioribus, persequebantur; quippe quos rebellium loco ducebant. Prælio apud quoddam promontorium, cui *Trani* nomen erat, commisso, prope fuit, ut Jadrenses ingentem cladem acciperent; sed resumptis animis ac viribus, tanto impetu in Venetos incubuerunt, ut cæsis & fugatis hostibus egregiam victoriam reportaverint. Itaque post pactas ad biennium inter Venetos & Hungaros inducias, Jadertini memores periculi depulsi, ac relatæ victoriæ, quam secundum Deum patrocinio S. Chrysogoni acceptam ferebant, solemni gratiarum actione, pii gratique animi officia Deo ac Beato Chrysogono persolvere decreverunt. Nicolaus Episcopus Pharensis, qui Petri electi Archiepiscopi vice fungebatur, pontificali ritu litavit, & gravi oratione hortatus est, ut beneficii divinitus accepti magnitudinem secum ipsi reputarent, & memoria colerent sempiterna: id quod notatum invenio in quodam codice archivi S. Chrysogoni: *1190. 19. Madii, post bellam cum Venetis habitum, & post victoriam de castello, & promontorio Trani . . . . Sancto Grisogono gratias effundentes de evasione periculi, & collatione victoriæ, ac omnimodi percepti beneficii devote retulimus, electo nostro in Hungaria persistente, & Nicolao Faren. Episcopo Ecclesiæ nostræ suffraganeo Missarum solemnia celebrante, & sermonem ad populum more solito faciente.* Septem fere annis Petrus titulum archiepiscopalem retinuit; quem anno 1195, vel superiori, aut morte sublatus, aut voluntaria cessione deposuit. Eo quippe anno Sedes Archiepiscopalis vacabat, ut docent tabulæ Jadertinæ:

Interregnum Archiepiscopale.

Anno 1195. Indict. 12. Jadræ. Regnante D. N. Bela Ung., Dalm., Ramæ rege, & Enrico ejus filio bis coronato Dalm. & Croat. feliciter gubernante, Ecclesia Jadertina proprio pastore vacante, & Damiano inclito Comite ejusdem civitatis principante &c. Exinde interregnum episcopale quatuor ipsos annos tenuit.

Interea Cælestinus III. Cœnobiarchæ S. Chrysogoni facultatem a decessoribus obtentam utendi pontificalibus insignibus concessit, & confirmavit.

Diploma Pontificium secundum Abbates S. Chrysogoni.

Cælestinus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Vincentio Abbati Sancti Grisogoni Jadertini salutem & apostolicam benedictionem. Cum te devotum & fidelem Ecclesiæ filium esse credamus, honori tuo libenter intendimus, & personam tuam aliquo speciali privilegio duximus honorandam, & ut ferventius in nostra, & Romanæ Ecclesiæ devotione persistas, quo te noveris per nos honore, ac dignitate ecclesiastica decoratum. Ea propter dilecte in Domino fili devotionem tuam & prudentiam attendentes, usum mitræ, annuli, baculi, ac sandalium, sicut prædecessores tui hactenus habuisse noscuntur, de benignitate Sedis Apostolicæ tibi duximus concedendum, ut ipsis ecclesiasticis insignibus solemnibus processionibus & præcipuis festivitatibus Ecclesiæ tuæ de auctoritate Sedis Apostolicæ, tam infra monasterium tuum, quam Ecclesias pertinentes ad ipsum libere potiaris. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani XV. Kal. Junii, Pontificatus anno V. id est 1196.

Intrusum in sedem archiepiscopalem Innocentius III. expelli jubet.

Si epistola Innocentii III. inscripta Capitulo Sanctæ Anastasiæ, referenda sit ad Collegium Canonicorum Jadrensium, cui cognomen esse potuit, & videtur fuisse, ab titulo ædis cathedralis Anastasianæ, ex ea colligitur per id temporis hominem quemdam alienigenam & extraneum, quem Innocentius *barbarum* vocat, per vim & factionem laicalem electum, & in Sedem Archiepiscopalem intrusum fuisse; qua de re cum Canonici conquesti essent, Pontifex electionem illam irritam fecit, & Canonicis mandavit, ut ipsi e præscripto Canonum eligerent quem maxime idoneum ad Ecclesiam illam regendam esse judicarent. Ex eadem epistola apparet in æde cathedrali usum ac ritum liturgiæ ac linguæ Græcæ ab Græcis, una cum dominatu Imperatorum Orientis, jampridem receptum fuisse, & adhuc eo tempore viguisse. Hæc epistola data est VIII. Idus Februarii, anno 1198. uno fere mense postquam Cælestino III. in Sedem Romanam successit Innocentius.

Capitulo Sanctæ Anastasiæ, ut electus per potentiam laicalem intrusus cassetur, & alius de licentia apostolica eligatur.

Epistola Innocentii P. III. ad Capitulum S. Anastasiæ.

Ex illo singulari excellentiæ privilegio, quod Unigenitus Dei Filius Jesus Christus principi Petro concessit, Sanctorum Patrum postmodum instituta manarunt, ut majores causæ ad Sedem Apostolicam perferrentur, quatenus quod super eis deberet statui, circumspecta ipsius responsio declararet. Cum igitur in Ecclesia vestra, quæ sub obedientia Sedis Apostolicæ perseverans, Græcorum

rum hactenus & ritum servaverit & linguam, per laicalem potentiam, præter vestram auctoritatem & electionem vestram, non tam Latinus, quam Barbarus sit intrusus; Nos de fratrum nostrorum consilio intrusionem ipsam irritam decernentes, ne diutius Pastoris solatio vestra careat Ecclesia, vobis humiliter postulantibus secundum statuta Canonum, & antiquam ejusdem Ecclesiæ consuetudinem, liberam concedimus licentiam eligendi, per apostolica scripta mandantes qualiter talem vobis in pastorem electione canonica præficiatis, qui non minus prodesse desideret & noverit, quam præesse. Dat. Later. 8. Id. Februarii 1198.

NICOLAUS ARCH. JADREN. V. electus.

Nicolaus Manzavinus ex Episc. Pharien. Archiep. Jadren. electus.

Erat Episcopus duarum insularum Phariæ & Bractiæ, qui cum Petri Archiepiscopi electi absentis munere & officio fungeretur, ut supra dictum est, animos Jadrensium ita sibi conciliaverat, ut Canonici Jadertini ex facultate sibi ab Innocentio tradita, ejusque mandato, cunctis suffragiis hunc sibi in Archiepiscopum elegerint an. 1198. ante mensem Majum; sed ob eas caussas, quas infra exponam, neque approbationem, neque pallium ab Sede Apostolica impetravit. Itaque nomen Archielecti annos fere quinque retinuit. Bela III. rex Hungariæ e vita migravit an. 1197., vel proximo incunte. Duos filios reliquit, Emericum sive Henricum natu maximum, qui parenti in regnum successit, & Andream, quem Dalmatiæ & Chrobatiæ principatu Emericus frater donavit. Hic Zachlumiam, sive Chulmiam Serblis, Ramam Rascianis ademptam, ad suam ditionem adjunxit, suisque titulis adjecit, appellarique voluit *Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Chulmæque* dux. Anno igitur 1198. post Zachlumos & Rascianos insigni victoria profligatos, triumphali pompa & apparatu ingressus est Jaderam; qua in urbe sententiam tulit secundum Vincentium Abbatem S. Chrysogoni; in hac autem nominatur *Nicolaus Archielectus: Anno 1198, die 6. Maii, temporibus Emerici regis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. ac Nicolai Jadrensium Archielecti. Post felicem, & gloriosum victoriosæ dominationis ingressum Illustrissimi Andreæ, tertii regis Belæ filii, & triumphum, quem sibi omnipotens ducatus sui protector & auctor, de Dalmatia & Croatia magnifice conferre dignatus est, atque post habitam tam Chulmiæ, quam Rasciæ laudabilem victoriam, cum ad Jadertinam civitatem victor rediret, ducatus sui jura disponens*, &c. Anno itidem sequenti in tabulis S. Mariæ *Nicolaus Archielectus* vocatur: *1199. mense Madii die decima, adstante Indict. secunda Jadræ. Temporibus ejusdem .... Emerici regis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, atque Ramæ, & Andreæ inclyti fratris ejus, & Nicolai Jadrensium Archielecti &c.* Extant itidem duo monumenta ex tabulario S. Chrysogoni anno 1202. conscripta, alterum pridie Nonas Martii, alterum pridie Idus Maji, in quibus nominatus est *Nicolaus*, cum apposito vocabulo *Archielecti*.

Conatus Nicolai inutiles.

Nicolaus multa quidem temere aggressus est, sed nihil illi e sententia successit; & cum plura concupisceret ac moliretur, quam jus & æquitas ferret, omnia ejus molimina & conatus eo denique reciderunt, ut & Phariensem, quem dimiserat, & Jadertinum, quem jure electionis acquisierat, pontificatum amiserit. Primum igitur omnem operam adhibuit, ut in Sedem Phariensem, ab se relictam, Diaconum quemdam Jadertinum intruderet, quem neque Clerus, neque populus utriusque insulæ Phariæ & Bractiæ admittere voluit. Andreas vero Dux Dalmatiæ & Chrobatiæ, dum regiones illas lustraret, Micham Canonicum Ecclesiæ Spalatensis Episcopum utriusque insulæ nominavit; quam nominationem Clerus populusque cunctis suffragiis approbarunt; idem vero Andreas Ecclesiam Phariensem Spalatensi adjudicavit: *Hinc est*, inquit, *quod nos in Dalmatiam perambulantes invenimus Episcopatum Pharensem suo pastore vacantem; ne igitur juri ecclesiastico in aliquo derogaretur, diligenti inquisitione inquisivimus, cui Archiepiscopatui suffraganatus subjaceret, relatione vero Dalmatiæ Episcoporum, & universorum Croatarum principum percepimus, quod ex antiqua constitutione sub Spalatensi Archiepiscopatu fuisset. Nos vero relationi eorum attendentes, prætaxatum Episcopatum cuidam Spalatensi Canonico Michæ contulimus, & eumdem Episcopatum Spalatensi Ecclesiæ confirmavimus &c.* Integrum Andreæ diploma descriptum habes in Micha Episcopo Phariensi.

Illud præterea molitus est Nicolaus, ut jurisdictionis metropoliticæ fines amplificaret, & provinciam Jadertinam duabus Ecclesiis episcopalibus Nonensi & Scardonensi augeret. Auctor igitur Capitulo & civibus fuit communi totius civitatis & Ecclesiæ nomine petendi ab Emerico rege, ut juberet duos illos Episcopos redire in fidem ac ditionem Metropolis Jadertinæ, ad quam antea pertinuisse, cuique tunc attributos fuisse ajebant, cum Ecclesia Jadrensis ex Apostolicæ Sedis auctoritate jus nomenque metropoliticum adepta est. Emericus ne quid temere postulatis Jadrensium indulgeret, Michaeli Episcopo Scardonensi per litteras imperavit, ut Jaderam se conferret, tabulas illius Ecclesiæ diligenter scrutaretur, & evolveret; in iisque si comperisset Ecclesiam suam inter illas annumerari, quæ simul cum dignitate metropolitica contributa fuerit metropoli Jadertinæ; hujus Archiepiscopo subjectum se profiteri, atque obedientem præbere meminerit. Epistola Emerici inserta est actis Michaelis Episcopi Scardonensis. In eamdem sententiam scripsit Episcopo Nonensi. Cum per eos dies Spalatina Sedes vacaret, Capitulum Spalatense caussam ac defensionem suæ metropolis suscepit, & Jadrensium conatus infregit; quorum postulata nullis tabulis, nullo jure, nulla consuetudine inniti per suos nuntios & litteras regem edocuit. Emericus igitur regium mandatum revocavit; & epistolam plenam officii ac benevolentiæ at Canonicos Spalatenses scripsit, quam exhibuimus post acta Petri VIII. Archiepiscopi Spalatensis.

Emericus rex Hung. jubet Episcopos Nonen. & Scardonen. redire ad obsequium Metrop. Jadrensis,

sed postea mandatum revocavit.

Sed nihil Nicolao calamitosius & perniciosius fuit, quam quod injussu Sedis Apostolicæ a Phariensi ad Jadertinam Ecclesiam transierit, quod ante pontificiam approbationem Archiepiscopi jura & officia usurpaverit, quod denique Innocentio Papæ Romam ad se purgandum venire jubenti parere noluerit. Hæc breviter Archidiaconus cap. XXIII. *Vacante autem Sede Jadrensi, Nicolaus iste in Archiepiscopum est electus, qui electionem temere suscipiens, absque licentia Sedis Apostolicæ administratione Jadrensis Ecclesiæ se imprudenter immersit. Quamobrem Innocentius Papa eum utraque dignitate privavit.* Postquam Nicolaus electus fuisset in Archie-

Tria objecta Nicolao, ob quę illius transitus a Phariensi ad Jadertinam Ecclesiam non erat legitimus.

chiepiscopum, oratores Cleri & civitatis Jadertinæ Romam venerunt postulatum ab Innocentio, ut electionem illam ratam haberet, traditumque Nicolao Sacerdotium auctoritate apostolica confirmaret. Pontifex cum suis litteris hoc responsum ad Jadrenses referri jussit: e collegio Canonicorum viros aliquot probatæ fidei atque integritatis Romam mitterent, ut *de studiis postulationum, & de meritis postulati certior effectus, securius in ipso negotio procedere valeret*. Si ex eorum testimoniis electionem rite factam, & electum eo gradu atque honore dignum esse comperisset, nihil moræ in se futurum quin transitum Nicolai ab una ad alteram Ecclesiam, & electionem approbaret, palliumque illi concederet; modo tamen jurejurando polliceretur se fore subjectum Patriarchæ Gradensi. Hæc conditio mirum quantum displicuit Jadertinis internunciis. Itaque neque Pontifice salutato, neque pontificiis litteris acceptis, Jaderam redierunt. Nicolaus vero per summam temeritatem atque arrogantiam se in administrationem Metropolis Jadertinæ ingessit, & partes agere Archiepiscopi præoccupavit. Hæc ex epistola Innocentii ad eumdem Nicolaum paullo post describenda.

Nicolaus ab Innocentio P. impetravit, ut suam & Michæ caussam tribus Episcopis cognoscendam delegaret.

Cum de hac præpropera ac temeraria archiepiscopalis officii usurpatione ad Sedem Apostolicam se delatum fuisse Nicolaus cognovit, & simul iniquo animo ferret Episcopatum Phariensem, Diacono Jadertino, quem ipse eligi volebat, repulso, collatum fuisse Michæ Canonico Spalatensi, hunc criminatus est, quod Sedem Phariensem temere & imprudenter invaserit, & litteras ab Innocentio ad Episcopos Polensem, Absarensem, & Arbensem impetravit, ut hi tum de sua, tum de caussa Michæ cognoscerent, ac sententiam ferrent. At Micha, cum postulati a Nicolao judices sibi suspecti essent, illorum judicium subterfugiens, Romam profectus est. Illi autem in eum, iter Romanum jam ingressum, sententiam anathematis tulerunt: qua quidem pœna, si forte in eam incurrisset, Micham Pontifex liberari jussit, & re injudicata dimisit. Hæc e litteris Innocentii ad Episcopos Tinniniensem & Scardonensem infra describendis. Micha igitur post consecrationem episcopalem Spalati susceptam a tribus Episcopis provinciæ Spalatensis, ex mandato & delegatione Capituli, quod, Sede Archiepiscopali vacante, secundum canonicas sanctiones in potestatem atque administrationem archiepiscopalem successerat, Romam se contulit, ut ab Innocentio collati sibi Episcopatus Phariensis approbationem impetraret. Verum cum Nicolai translatio a Phariensi ad Jadrensem Ecclesiam suffulta non esset auctoritate Sedis Apostolicæ, sicut hæc non erat legitima, ita legitime & vere vacua esse non poterat haberique Sedes Phariensis: quo posito, Michæ electio irrita esset necesse erat. Nicolaus autem, ut suæ temeritatis & audaciæ culpam ab se amoveret, Micham vero ab Ecclesia Phariensi repelleret, per suos nuntios, & in suis ad Pontificem litteris asserebat, se quidem electum fuisse ab Jadrensibus, atque Jaderam, unde oriundus erat, ad paternam domum adiisse; verum in Ecclesia illa, non Archiepiscopi, sed Archidiaconi Jadrensis officio functum esse: quippe titulum munusque Archidiaconi, quod ante susceptum Phariensem Episcopatum obtinebat, postea etiam, vel Sedis Apostolicæ, vel Capituli Jadrensis permissu retinuerat. Micham vero de ambitu accusavit, quod corrogatis insularium suffragiis Ecclesiam Phariensem nondum a proprio Episcopo relictam occupaverit. Contra ea respondebat Micha, Nicolaum aperte & palam professum esse a Sede Apostolica potestatem sibi factam fuisse transeundi ad Ecclesiam Jadrensem, dimissa Phariensi, in eaque jus & officium archiepiscopale usurpasse, ac proinde Pharienses, cum ex assertione Nicolai Ecclesiam suam legitime ab eo dimissam esse putarent, jus habuisse novi Episcopi eligendi, seu potius approbandi, recipiendique illum, quem Andreas Dux Dalmatiæ nominaverat. Cum igitur inter se contraria essent quæ Micha, quæque Nicolaus asserebat, Pontifex ab utriusque assertione assensum sustinuit; neutri credendum censuit, ne alterutri injuriam faceret. Itaque de hujusmodi rebus certior fieri, docerique voluit ab Episcopis Tinniniensi & Scardonensi, itemque a Cœnobiarcha Traguriensi S. Joannis Baptistæ, ad quos litteras dedit: caput autem litterarum, sibi quidem constare transitionem Nicolai ad sedem Jadertinam auctoritate Sedis Apostolicæ approbatam non fuisse; sed quæ Nicolaus absens per litteras, & Micha coram exposuerant, non esse inter se consentanea; se incertum esse utri fidem adhibeat: illi, vel saltem duo ex illis, rem diligentius inquirant; quid veri aut falsi compererint, ad se rescribant. Hæc epistola data est Laterani IV. Id. Julii, anno II. pontificatus Innocentiani, id est Christi 1199.

De iis controversiis Innocentius se edoceri ab Episcopis Tininien. & Scardonen. per litteras jubet.

Epistola Innocentii Papæ III.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Tiniensi & Scardonensi Episcopis, & dilecto filio Abbati Traguriensi salutem & Apostolicam benedictionem. Constitutus in præsentia nostra venerabilis frater noster M. dictus Farensis Episcopus sua nobis assertione monstravit, quod cum venerabilis frater noster N. Farensis Episcopus electus fuisset in Archiepiscopum Jadertinum, asserens electionem suam fuisse per Sedem Apostolicam confirmatam, ad Jadertinam transivit Ecclesiam, & in ea tamquam Archiepiscopus ministravit; postmodum autem ad Farensem accedens Ecclesiam, cœpit de substituendo sibi in eadem Ecclesia pastore tractare, volens in eam intrudere M. Diaconum Ecclesiæ Jadertinæ; principe terræ alium ibidem intrudere moliente per potentiam laicalem; propter quod clerus & populus Farensis convenientes in unum, credentes dictum Episcopum ad Jadertinam Ecclesiam auctoritate Sedis Apostolicæ transivisse, dictum M. in pastorem sibi concorditer elegerunt, & electionem factam dilectis filiis Spalatensi Capitulo præsentantes, eam confirmari obtinuerunt, & electum suum per Suffraganeos Spalatensis Ecclesiæ consecrari. Postmodum autem præfatus N. Farensis Episcopus a nobis ad venerabiles fratres nostros . . . . Polensem, Absarensem, & Arbensem Episcopos litteras impetravit, a quibus licet propter causam suspicionis idem Episcopus appellasset, ipsi nihilominus, sicut ei fuit in via suggestum, excommunicationis sententiam protulerunt; propter quod ipsum ad Sedem Apostolicam venientem fecimus ad majorem cautelam absolvi. Constitit autem nobis quod licet dictus N. postulatus fuerit in Ecclesia Jadertina, postulatio tamen ejus nondum fuit per Sedem Apostolicam approbata. Suggestum etiam nobis fuit per litteras & nuntios ejus, quod cum Jaderam, unde oriundus fuerat, ad domum propriam accessisset, & in Jadertina Ecclesia, non tamquam Archiepiscopus,

pus, sed tamquam Archidiaconus ministraret, dictus M. in locum viventis irrepsit, & in Farensem Ecclesiam temere se permisit intrudi; propter quod de mandato nostro per memoratos Episcopos excommunicationis fuit vinculo innodatus; quia vero sive memoratus Episcopus temere transiverit ad Ecclesiam Jadertinam, sive ipsam tamquam ipsius Archidiaconus visitarit, antequam Farensis Ecclesia fuisset ab eo auctoritate Sedis Apostolicæ absoluta, per electionem canonicam alium sibi Episcopum non poterat copulare; eidem Episcopo dedimus in mandatis, ut a Farensi Ecclesia omnino recedat, nec se nominet Farensem Episcopum; sed ad Spalatensem Canonicam, unde assumptus fuerat, si voluerit, revertatur. Quia vero Farensis Ecclesia justo forsan errore decepta, credens videlicet Episcopum ad Jadertinam Ecclesiam de mandato Ecclesiæ Romanæ transisse, in hunc contulit sua vota, & ipse occasione simili circumventus consensit in eam; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, sublato appellationis obstaculo, inquiratis diligentius veritatem, si præfatus N. Farensis Episcopus postulationem suam asseruit per Sedem Apostolicam approbatam, si ad Jadertinam Ecclesiam omnino transivit, si in ea se habuerit ut electus, si de substituendo sibi pastore in Ecclesia Farensi tractavit; ut de his & aliis per litteras vestras certiores effecti, melius in ipso negotio procedamus. Quod si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani 4. Idus Julii, Pontificatus nostri anno secundo, id est 1199.

Litteris eodem loco dieque datis Innocentius administrationem Ecclesiæ Pharienfis commendavit Capitulo Spalatensi, ut ejusdem curam gereret, dum caussa Michæ Pharienfis electi canonicæ disquisitioni subesset.

Innocentius Nicolaum Romam venire jubet. Quinto fere mense post superiores litteras, Innocentius ad Nicolaum scripsit, eique imperavit, ut cum delectis e Capitulo Canonicis Romam veniret, præoccupatæ administrationis archiepiscopalis rationem redditurus; ut si justa & sincera excusatione adhibita, de auso illo temerario se purgaverit, & ipse idoneus ad munus sibi impositum gerendum esse, ejusque electio canonica fuisse reperiatur, illius ab una ad alteram ecclesiam transitionis approbationem, & pallium pontificale recipiat; postquam scilicet pollicitus fuerit se submissum Patriarchæ Gradensi, atque obedientem futurum. Nisi porro se intra duos menses Romæ sistat, omne episcopale munus atque officium sibi perpetuo interdictum esse intelligat.

Epistola Innocentii. *Mirari cogimur & moveri, quod (sicut a multis accepimus) tu regimen Ecclesiæ Jadertinæ, sine mandato Sedis Apostolicæ, irreverenter assumere præsumpsisti; licet enim clerici Ecclesiæ Jadertinæ cum suæ civitatis nunciis ad nostram præsentiam accessissent, & nobis tam ex relatione ipsorum, quam litterarum inspectione, quas tulerunt, patuisset, quod in Jadertinum Archiepiscopum electus fueras, imo verius postulatus; quia tamen etsi de modo postulationis possemus reddi per easdem litteras certiores, de persona tua nobis non poterat fieri certa fides, nec examinare debebamus absentem; eis de consilio Fratrum nostrorum decrevimus respondere, ut aliqui de Canonicis ejusdem ecclesiæ nostro se conspectui præsentarent, ut de studiis postulationum, & de meritis postulati certiores effecti, securius in ipso negotio procedere valeremus: adjicientes quod licet Episcoporum translatio ad solum pertinet Rom. Pont., quia tamen ad Ven. fratrem nostrum Patriarcham Gradensem consecratio Jadertini electi noscitur pertinere, cum de beneplacito nostro procederet, ut tibi pallium conferremus, & tu nobis juramentum fidelitatis præstares, te procul dubio faceremus dicto Patriarchæ Gradensi professionem canonicam, & debitam obedientiam exhibere; sed ipsi nuncii tales noluerunt litteras reportare; quibus reversis sine mandato nostro, Ecclesiæ Jadertinæ diceris regimen assumpsisse, & in ea tam temporalia, quam spiritualia administrare; quia vero grave nimis est, quod de tua præsumptione proponitur, nec subito volumus damnationis sententiam jaculari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium, cum competenti numero Canonicorum Ecclesiæ Jadertinæ, iter arripias ad Sedem Apostolicam veniendi, redditurus nobis super excessu, quem prædiximus, rationem; ita quod si culpabilis inventus non fueris, cum nobis de postulatione canonica, & personæ tuæ idoneitate constiterit, translationis gratiam, & pallium recipere merearis: postmodum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ Gradensi professionem canonicam impensurus; alioquin ex nunc te noveris ab officio pontificali suspensum; & nos Canonicis Jadertinæ Ecclesiæ dedisse firmiter in mandatis, ut aliam personam idoneam canonice sibi eligant in Pastorem. Dat. Laterani 3. Nonas Decembris*, id est eodem anno 1199.

In eamdem sententiam scripsit ad Canonicos Jadertinos. In eamdem sententiam & iisdem fere verbis scripsit ad Canonicos Jadrenses, quibus imperavit, ut si Nicolaus mandatis pontificiis non obtemperaverit, alium sibi Archiepiscopum eligant; siquidem epistolæ Innocentianæ modo descriptæ hanc notam subjectam invenio: *Scriptum est Jadertinis Canonicis in eum fere modum, usque ad verbum suspensum.* Deinde hoc additum est: *Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quod si prædictus Episcopus præceptum nostrum contempserit, vos aliam personam idoneam vobis eligatis canonice in Pastorem. Dat. ut supra.* Utraque epistola scripta est anno 2. Pontificatus Innocentii, Christi 1199.

Nicolaus cum mandatis pontificiis parere nollet, in ordinem cogitur. Nicolaus litteris pontificiis neque paruit, neque rescripsit; ac dignum se præbuit, quem Innocentius utroque Sacerdotio & Pharienfi & Jadertino privaret, quemadmodum docet Archidiaconus, & licet intelligi ex epistola Innocentii ad Emericum regem Hungariæ, cujus particulam extremam hic subjicio: *Nicolaum quoque quondam Farensem Episcopum, qui non solum præter auctoritatem nostram, sed etiam contra prohibitionem expressam, Jadertinam Metropolim, quam præsumpsit invadere, detinere præsumit, unde suspensus a nobis anathematizari mandatur, ut a suo resipiscat errore, tradita tibi potestate compellas; ne juxta canonicas sanctiones, non careas scrupulo societatis occultæ, si manifesto facinori desinas obviare. Dat. Laterani Idib. Octob. an.* 1200. Nihilo obsequentiores Pontifici se præbuerunt Canonici Jadrenses. Itaque Nicolaus vel invito Innocentio titulum *Archielecti* retinuit usque ad annum 1202. ut docent tabulæ cœnobii Benedictini Jadrensis supra laudatæ; neque antea illum deposuit, quam Veneti eodem anno Jaderam expugnarunt. Post annum 1202. nulla deinde Nicolai mentio reperitur in tabulis Jadertinis; & interregnum Archiepiscopale tenuit usque ad annum 1208.

Sedem

Digitized by Google

Micha Episcopatum Phariensem legitime obtinuit, quem Innocentius Metropoli Spalatensi in perpetuum subesse jussit.

Sedem vero Phariensem (Nicolao legitime per Pontificem dejecto, atque exauctorato) Micha obtinuit, eodem Innocentio approbante, qui præterea decrevit, ut, sublatâ omni controversia, ecclesia illa Metropoli Spalatensi subesset. *Hic (Micha) in Ecclesia Spalatina consecrationem suscepit, & pergens ad Apostolicæ Sedis Præsulem, confirmationis rescriptum obtinuit, ut deinceps Episcopus Pharensis antiquæ Metropoli Spalatensi, tamquam matri suæ, perpetuo adhæreret.* Thomas Archidiaconus cap. 23.

Cum Veneti Jadera amissa, ut supra dictum est, insulas omnes Jadertinæ ditionis in sua potestate retinuissent, Jadrensium opes, questus, vectigalia, territorium in summas angustias adduxerant. Hi autem emolumentorum quod antea ex insulis percipiebant, piraticis prædis compensare decreverunt. Itaque armatis lembis mari discurrere, undecumque & quæcumque possent rapere ac prædari, & navigationem Adriaticam tum omnibus, tum præsertim Venetis infestam reddere cœperunt. Magno etiam odio in Venetos flagrabant, quod Jadrenses insulas retinerent, & Ecclesiam Jadertinam Patriarchæ Gradensi subjectam esse vellent. *Erant autem eo tempore*, ut scripsit Archidiaconus cap. 25. *Jadrenses Venetis multum infesti; quacumque enim ex parte poterant, Venetos invadebant*, bona eorum *diripientes, injuriantes, trucidantes, & quidquid mali exercere valebant, in ipsos totis viribus conabantur.* Anno 1202. Syriaca expeditio indicta est, quæ Venetis maleficia & damna ab Jadrensibus accepta vindicandi, & urbis oppugnandæ capiendæque occasionem præbuit. Innocentio III. hortatore & impulsore, ingens nationum occidentalium fere omnium motus extitit & concursus ad Palæstinam recuperandam. Bonifacius Marchio Monferratensis supremus imperator, aliique duces, Episcopi, ac proceres, ex Gallia & Belgio, qui sacræ militiæ nomen dederant, cum ingentibus copiis Venetias convenerunt. Pro tantarum copiarum vectura octoginta millibus marcharum argenti ajunt pactos fuisse cum Venetis, qui & commeatus nauticos, & naves onerarias ad pedites equitesque transvehendos contribuere debebant. Sed cum Principes fœderati non haberent, unde integram præsentemque pecuniam solverent, ita convenit, ut pro dimidio illius summæ, quod illis deerat, operam suam Venetis ad Jaderam expugnandam conferrent. Veneti autem & ipsi sacro fœderi adscripti, sexaginta triremes adornarunt, quas post captam Jaderam in Palæstinam contra Saracenos traducerent. Henricus Dandulus Dux, etsi ætate longe provectus, Senatu populoque approbante & plaudente, crucem sumpsit, ac Venetæ classis imperium suscepit. Primus itaque omnium Idibus Octobris anno 1202. profectus est; eum reliqui postridie secuti sunt. Jadertinæ civitatis obsidionem, oppugnationem, eversionem Archidiaconus cap. 25. descripsit his verbis: *Itaque universa classium multitudo sustulere se a Venetiis A. D. MCCIII. (II.) mense Octobri, & venientes circa oras Istriæ intraverunt in Dalmatiam, applicueruntque prope Jadrensium civitatem. Erant autem insigniores duces ipsius exercitus, ex parte Francorum quidam Simon * Comes de Monte forti, ex parte vero Venetorum Dux Henricus Dandulus, vir valde strenuus & circumspectus, qui licet corporalibus oculis cæcutiret, mente tamen satis noverat perspicaciter intueri. Igitur ubi se Jadrenses vident ab exercitu circumvallari, timuerunt valde, quid consultius agerent nescientes. E vestigio autem subsecuta est clades nimiæ mortalitatis, ita ut non tot viri & sani in civitate restarent, qui sufficerent mortuos sepelire; jacebant miserorum cadavera in domibus, & ecclesiis inbumata; nesciebant miseri cives quid potius, funera an publica officia procurarent; sicque factum est, ut infelix civitas suorum præsidiis indefensa, in brevi, & de facili ab hostibus caperetur. Die autem S. Chrysogoni, qui apud illos celeberrimus habebatur, divina ultio patuit super illos; nam Veneti de ratibus egressi catervatim in civitatem irruerunt, quam in momento captam, & aliquando hospitatam, in recessu totam in solitudinem redegere. Diruerunt enim omnes muros ejus, & turres per circuitum, & universas domos intrinsecus, nihil nisi solas ecclesias relinquentes.*

Expeditio sacra ad Palæstinam recuperandam.

* apud alios Bonifacius Marchio Monferratensis.

Classis Veneta Jaderam expugnat & mœnia diruit.

Civitas itaque mœnibus nudata est, privata & publica ædificia, præter ædes sacras, magna ex parte semiruta, incolæ fuga dispersi alii alio se receperunt; & cum exercitus Principum fœderatorum circa urbem hybernaverit, nemo Jadrensium illuc accedere ac patriam revisere ausus est. Vere appetente anni proximi 1203. classis Veneta cum sociis discessit; cujus discessu Jadrensibus profugis metus exemptus, ac patriæ ulciscendæ dira cupido injecta est; & si umquam antea, tunc maxime odio iraque extimulante, infestissimam Venetis insulis ac navigiis piraticam exercere cœperunt, ut docet Archidiaconus loco supra laudato; & quæ secuta sunt usque ad urbem restitutam, & Jadrenses in gratiam ac ditionem Venetorum receptos, accurate persequitur: *Tunc Jadrenses patria exules cœperunt per mare discurrere, magnas Venetorum cædes, ubicumque eos invadere poterant, facientes. At Veneti missis galeis & navibus ædificaverunt quoddam præsidium in insula ante Jadram, ubi plurima confidens acies armatorum prohibebant Jadrenses civitatem ingredi, eos per mare undique insequentes. His diebus advenerunt decem galeæ Cajetanorum ad Dalmatiæ partes.... Coadunaverunt se Jadrenses cum Cajetanis, & abeuntes cœperunt pugnare cum Venetis, qui erant in castro; & tandem Veneti impares viribus, defecti jam, & languentibus dextris resistere nequibant. Tunc Jadrenses cum Cajetanis potiti victoria, quotquot Venetos in castro illo invenerunt, omnes gladio peremerunt; destructo totius munitionis illius ædificio, Jadram intraverunt; & tunc ruinas domorum suorum, ut poterant, instaurantes, habitaverunt in eis. Miserunt autem Venetias, & fecerunt pacem cum ipsis, jurantes eis subjectionem perpetuam, & fidelitatis constantiam observare.*

Ædibus collapsis utcumque restitutis, civitas rursum inhabitari cœpit. Sed cum novam contra se & validiorem classem Venetiis apparari audivissent, legatos mittunt anno 1203. vel proximo ineunte, pacem orant, his legibus impetrant, ut obsides darent, Comiti seu magistratui parerent, quem ipsi e Veneta nobilitate elegissent; & quod caput fuit, ecclesiam suam Patriarchæ Gradensi subjicerent: *Timentes stolum*, ait Dandulus, *quem Veneti præparaverant, per suos nuncios gratiam implorant, & offerunt perpetuam fidelitatem, obsides, & cantationem laudum exhibere, Comitemque Venetum eligere, & Archiepiscopum, qui reverentiam & obedientiam Primati debitam Patriarchæ Gradensi exhibeat,*

Jadrenses legatis Venetias missis pacem orant, impetrantque, & ecclesiam suam Patriarchæ Gradensi subjiciunt.

beat, & erga hostes Venetorum insurgere, & annuatim 3000. pellium cuniculorum tribuere. Qua oblatione benigne accepta, ad gratiam restituti sunt.

Interregnum Archiepiscopale.

Quamvis autem urbe reædificata, & Jadrensibus in gratiam Venetorum receptis, res quietæ tranquillæque viderentur; tamen metropolis Jadertina usque ad annum 1208. Archiepiscopo caruit. Erat Jaderæ cœnobium S. Demetrii, quod Virginibus Benedictinis, post eversionem Belgradi ex hac urbe profugis, Jadrenses attribuerant. Cum civitatis obsidio & oppugnatio immineret, hæ virgines partim cum Viola in Arbam insulam transvectæ receperunt se in collegium Virginum Arbensium S. Andreæ; partim vero ad Ecclesiam S. Petri in Bubiano domumque illam campestrem commigrarunt, quæ ad monasterium S. Demetrii pertinebat. Hoc igitur Demetrianum cœnobium vacuum ac desertum, Plebani, ac Præpositi parœciarum urbis, ex quibus Capitulum ædis cathedralis constabat, & Domaldus Comes, & Commune Jadertinorum donavit Dominico Cœnobiarchæ, & monachis SS. Cosmæ ac Damiani, insulæ Pasmaniæ; ad quos post urbem captam & eversam confugerant; propterea quod ab illis benigne accepti, ac liberaliter habiti & tractati fuissent.

Virginum Benedictinarum S. Demetrii cœnobium traditum monachis SS. Cosmæ ac Damiani.

Capitulum Jadren. Domaldus Comes, & universitas ipsius civitatis, Reverendissimo Patri Dominico Sanctorum Cosmæ & Damiani de Monte Abbati, ejusque catholicis successoribus monasticam vitam professis in perpetuum. Quoniam nostræ desolationis & exilii tempore, vos & monasterium vestrum agnovimus nobis profligatis fore asilum pariter, & auxilium. Idcirco ad memoriam beneficia vestra nobis benigne exhibita reducentes, vobis, & per vos vestro monasterio Ecclesiam S. Demetrii Martyris, in nostra civitate sitam, tradimus atque concedimus, ita dumtaxat, ut liceat vobis & prædicto monasterio memoratam ecclesiam cum adjacente curia sua libere obtinere, & rationabili jure perpetuis temporibus possidere. Obsecramus igitur, & contestamur omnes Dei fideles per Deum Patrem omnipotentem & Jesum Christum filium ejus, nec non & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem, ut hæc omnia inviolata custodiant, quatenus in Sanctorum consortio æternæ retributionis bravium habere mereantur.

Ego Marinus Plebanus S. Mariæ huic donationi interfui & subscribo.

Ego Petrus Plebanus S. Stephani huic donationi interfui & subscribo.

Ego Joannes Plebanus S. Michaelis subscribo.

Ego Stephanus Plebanus S. Petri subscribo.

Ego Presbyter Michael subscribo.

Ego Presbyter Grisogonus subscribo.

Scriptum Jadræ a Camasio Diacono S. Anastasiæ, & Communis notario. Anno Dominicæ Incarnationis 1203. mense Februarii, Indict. sexta feliciter.

Indictio sexta congruit quidem cum anno 1203. sed neque hic annus, neque indictio retineri potest. Utraque nota chronologica amanuensis vitio depravata est; mense siquidem Februario, & anno 1203. nondum classis Veneta & sociorum Jadera, & ab hybernis discesserat. Itaque ex Joannis Lucii correctione substituendus est annus 1204. cum indictione septima.

Hanc donationem suo diplomate communivit Benedictus Phaledrus Patriarcha Gradensis pro suo jure Primatis, quod non solum ex decreto Sedis Apostolicæ, sed etiam ex conditione a Venetis imposita Jadrensibus, & ab his accepta, libere jam usurpare poterat. Hoc diploma scriptum fuerit oportet ante annum 1208. ut docent tabulæ Jadrenses paullo post describendæ. *Benedictus Dei gratia S. Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, & Dalmatiæ Primas, dilectis in Christo filiis Dominico S. Damiani de Monte Abbati, & ejus conventui salutem & patriarchalem benedictionem. Justis petentium votis facilem nos decet præbere assensum, & ea, quæ a veritatis tramite non discordant, præeunte justitia confirmare. Eapropter dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus annuentes, ecclesiam S. Dimitrii Martyris in Jadertina civitate positam monasterio vestro ab universo clero & populo ejusdem civitatis, intuitu pietatis & retributionis collatam, sicut eam cum suis adjacentiis juste & canonice possidetis, vobis præsentis scripti patrocinio confirmamus. Si quis autem huic nostræ confirmationis paginæ aliquo umquam tempore ausu temerario voluerit contraire, maledictionem Dei omnipotentis, & nostram se noverit incursurum.*

Ædes & domicilium S. Petri eidem Dominico Abbati & Monachis donatum.

Virgines S. Demetrii, quæ ad S. Petri de Bubiano confugerant, cum summa rerum omnium inopia & multis ac magnis incommodis conflictarentur; illis benigne ac liberaliter subventum est ab eodem Dominico Cœnobiarcha SS. Cosmæ & Damiani. Hæ igitur grati animi ergo ædem & domicilium S. Petri cum possessionibus eidem annexis, donaverunt Dominico Abbati & cœnobio SS. Cosmæ & Damiani, de consensu & voluntate conditorum ejusdem ecclesiæ S. Petri. Extant tabulæ donationis, in quibus nominatur *Andreas rex Hungariæ, Dalmatiæ, & Chroatiæ &c.* ex quo apparet has tabulas confectas fuisse extra urbem ac territorium Jadrense intra fines ditionis Hungaricæ; siquidem post Jaderam a Venetis receptam, reliqua Dalmatia in fide mansit ac potestate regum Hungariæ. Cum stationem S. Petri, quæ tum fervebant inter Principes Slavoniæ, dissidia infestam profugis virginibus redderent, Dominicus Abbas domicilium satis tutum & commodum non longe a cœnobio illis attribuerat, pollicitus insuper nihil eisdem, quoad viverent, ab se & suo monasterio defuturum sive ad victum, sive ad cultum, & vestitum. En tabulas donationis.

Tabulæ donationis.

Instante tempore maximæ perturbationis, & supervenientibus diebus malorum, & dolorum, in quibus civitas Jadertina solotenus prostrata est, necessitate cogente ad quamdam capellam in honorem S. Petri Apostoli fundatam in loco, qui dicitur Bubiani, quæ quondam fuit sub ditione monasterii S. Dimitrii, in quo parvus grex noster Deo omnipotenti famulabatur, confugimus nos quidem Dragosa, Cirda, Tremilla, & Dabrosa moniales, & quædam aliæ, quæ Dei judicio universæ carnis viam ingressæ sunt: volentes igitur, & modis omnibus affectantes in prædicto loco Domino Jesu Christo debitum servitium exhibere, propter instans schisma, quod ortum est inter potentes Sclavoniæ, multa & gravia incommoda ab omnibus, tempore serventis schismatis, quotidie perpessæ fuimus; tumque sine Rectore eramus, tumque usque ad unum non erat, qui nobis faceret bonum. Ceterum cruciatus diurnos & nocturnos evadere optantes, cogitavimus ut quoquo modo tot angustiis, quibus premebamur, finem Deus omnipotens sua benignitate imponeret; & reversis in nobismetipsis, ad honorem & gloriam Domini nostri Andreæ almifici

regis

regis Hungariæ, accessimus mente & corde ad Venerabilem Patrem Dominum Dominicum Abbatem S. Damiani de Monte, & ad universos fratres ejusdem monasterii, scientes pro certo, quod nullo modo in memorata capella stare poteramus, rogantes plurimum posteritatem ejus, quod sui gratia & nobis consuleret pariter & subveniret; qui habito fratrum consilio, nostræ mediocritatis & calamitatum nimium compatiens, suscepit nos in consortio fraternitatis suæ, firmiter nobis pollicens in vita nostra, tam in victualibus, quam & indumentis, seu omnibus necessariis, prout sororibus suis, veluti meliori e Fratribus monasterii, providere; ideoque de communi voluntate & assensu fundatorum sæpe dictæ Ecclesiæ S. Petri, scilicet Sloviniæ & Grubessæ filiorum Boricii, Radoslavi & Dragoslavi filiorum Stephani, Trace Binboli filii Tolissi, Jiurgii filii Radosti, Niculæ & Trodanizi filiorum Dominici . . . optulimus & tradidimus ipsam Ecclesiam S. Petri, cum omnibus pertinentiis suis, tam in vineis, quam in terris, sive in nutrimentis animalium quorumcumque, & subposuimus eam, & nos ipsas sub ditione & jure prædicti monasterii S. Damiani in perpetuum: præsente Domino Bartholomæo Scardonense Episcopo, Mirso, Dessidrugo, Stoyanno, Negoso, Dragovanno Presbyteris; Duymo Megorovikio Tartaro Chleunianino, Chodimiro, Cacicle Sutroso, & Slaomiro Lisnici Kig, Privoso, & Trebeso Vireviksg, Stroyco, Daimozaymo, & Uste Cuddomivikio. Scriptum est hoc, & roboratum a Vitale S. Petri veteris Plebano, & Jadrensi notario, festo S. Benedicti Abbatis, quod est XII. Kalendas Aprilis; anno vero Incarnationis Jesu Christi Domini nostri 1207. Ind. X. tempore Innocentii Papæ tercii; Regnante vero Andrea tercii Belæ regis filio, Hungariæ, Dalmatiæ, Chroatiæ, Ramæ, Serviæque rege feliciter.

Viola Antistita S. Demetrii donationem cœnobii Demetriani traditi monachis SS. Cosmæ ac Damiani confirmavit.

Viola Antistita cœnobii Demetriani cum reliquis sororibus, quæ Arbam confugerant & sex annos diversatæ fuerant apud Virgines Arbenses S. Andreæ, Jaderam reversa, cum vetus domicilium ac templum ex donatione Capituli & Communis Jadertini, in jus ac potestatem monachorum insulæ Pasmaniæ migrasse cognovisset; ad Virgines Benedictinas S. Mariæ se contulit, a quibus perbenigne cum sociis accepta, reliquam vitam ibidem transigere decrevit; facile se adduci passa est, ut jus omne antiqui cœnobii recuperandi sponte dimitteret; & ipsa quoque donationem illam confirmavit.

Ego Viola monialis Sanctæ Mariæ, quondam Abbatissa Sancti Dimitrii, post desolationem civitatis Jadertinæ, cum non esset aliquis, qui de voluntate Ducis Venetiarum in ea quiesceret habitare, relicto parvo ovili meo diverti ad civitatem Arbensem, ubi quandiu Deus voluit, in monasterio Sancti Andreæ permansi; sorores namque meæ bonis omnibus expoliatæ confugerunt ad Ecclesiam S. Petri in Bubiano capellam nostri monasterii, & ibi miseram & infelicem vitam ducentes, per aliquod tempus manserunt. Cumque Deus omnipotens sua gratuita pietate Jadertinis facultatem reddendi ad loca propria tribueret, & sorores prædictæ propter fervens schisma, quod inter nobiles Sclavoniæ ortum fuerat, diurnis & nocturnis afficerentur incommodis, & nullam redeundi facultatem ad Ecclesiam S. Dimitrii haberent, quæ a quibusdam Jadertinis habitabatur; Illustrissimus vir Domaldus Comes, Capituli, & populi consilio habito, optulerunt eam monasterio Sancti Damiani de Monte habendam in perpetuum atque regendam; cui etiam, & sorores meæ cum prædicta capella sua sponte se subdiderunt. Ceterum cum civitas prædicta volente Domino de die in diem in melius cresceret, & ego multis indigerem, reversa in memetipsam redii & ego, ubi cum quærerem ecclesiam meam, pro voluntate Capituli, & Vitalis Danduli Comitis, & totius Communitatis illam habere nequivi; præsertim cum Dominus Benedictus Faletro Gradensis Patriarcha ipsam jam dicto monasterio Sancti Damiani privilegii sui munimine roborasset. Ego vero benigne & misericorditer a Talia Sanctæ Mariæ Abbatissa Domina mea, cum sororibus suscepta, cum ibidem manerem, ad exhortationem Capituli, & Communitatis, Dominicus Abbas Sancti Damiani ad sustentandam imbecillitatem meam tribuit mihi XX. perperos, & pro illis, quas ego mecum eduxeram e monasterio Sancti Dimitrii. Ideoque ipsum monasterium a modo perpetuis temporibus per me reddo securum, nullam aliquando loquelam, vel rixam contra eum, vel fratres ipsius aliqua fraude, vel imperio excitaturam. Prataxata sunt hæc, & firmata in aspectu, & testimonio Matthæi Presbyteri Sanctæ Mariæ Majoris, Prædicii Sancti Stephani, Manfredi Sancti Michaelis Plebanorum, Grisogoni Presbyteri Sanctæ Anastasiæ, & Camosii Diaconi, Cossæ Grisogoni, Michæ Pecenegi, Dese de Pezze, Vitaza Petricii, Nicolai de Lampredio, Leonardi de Ossinico, & aliorum multorum. Quod ego Vitalis Sancti Petri veteris Plebanus, & Jadren. notarius, ut audivi, scripsi, roboravi, & solito signo signavi procurrente anno Domini 1208. mense Septembri Indictione XI, Jadræ.

LEONARDUS ARCH. JADRENSIS VI.

Leonardus e cœnobio Veneto Benedictino S. Felicis electus Archiep. Jadren.

Erat cœnobiarcha S. Felicis Venetiarum, quem ab Jadrensibus ad regimen ecclesiæ suæ propterea electum fuisse arbitror, ut sibi Venetorum gratiam & benevolentiam magis magisque conciliarent. Hujus electionem Simon Gliubavacius patricius Jadertinus, doctus in primis atque eruditus, in eo, quem contexuit, catalogo Antistitum Jadrensium, itemque Ferdinandus Ughellus & Valerius a Ponte in annum 1208. conjiciunt. Nec vero assentiri possum Julio Ambrosio Lucentio, qui apud Ughellum in editione Veneta Leonardum anno 1203. (nisi sit mendum typographi) e cœnobio Veneto S. Felicis ad Metropolim Jadertinam regendam evocatum fuisse tradit; hoc quippe anno Veneti & Jadrenses vi & armis inter se decertabant; nec vero ante finem hujus anni vel initium proximi Jadrenses, venia impetrata, in gratiam ac potestatem Venetorum redierunt. Præterea anno 1204. Pastore adhuc carebat Metropolis Jadertina, ut est in tabulis Jaderæ conscriptis: *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quarto, astante Indictione septima. Temporibus equidem Domini nostri Henrici Danduli Ducis Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ, Ecclesia Jadertina proprio carente Pastore, & Vitalis Danduli Comitis Jadræ &c.* In tabulis S. Chrysogoni *Leonardus* sub nomine *Archielecti* reperitur anno 1209. 12. Junii, & anno 1213. die 6. Maji tandem *Archiepiscopus* nominatur.

Approbationem Pontificia & pallio caruit ob duas caussas.

Duas caussas reperio, quæ obstiterunt ne Leonardus ab Innocentio III. vel approbationem Archiepiscopatus sibi delati, vel pallium pontificale obtineret. Prima hæc est. Clades & eversio urbis Jaderæ gravem indignationem commoverat Innocentii Pontificis, qui ducibus sacrarum

Digitized by Google

rum expeditionum, & militibus cruce signatis, anathematum & execrationum pœnis gravissimis propositis, interdixerat, ne Christianorum terras invaderent, aut bona diriperent; nominatim vero Jadrensibus, qui a Veneta classe, illac præteritura, sibi suæque civitati metuentes, Pontificis opem ac tutelam imploraverant, ne ullam molestiam exhiberent cautum esse voluerat. Henricus Dandulus Dux Venetorum placare conatus fuerat iratum Pontificem, & suis ad eum litteris demississime, atque subjectissime scriptis, ejus facti rationem reddidit, caussam culpamque omnem in ipsos Jadertinos convertit, qui cum a fide non semel defecissent, tum omni maleficiorum genere Venetos lacessierant, justamque eorum ultionem in se concitaverant. Jadrensibus pro damnis illatis satisfactum esse, cum insulas omnes, quas ante rebellionem possidebant, illis Veneti restituissent; ac propterea impetratum esse a Petro Cardinali & legato Ecclesiæ Romanæ, ut Venetos omni culpa pœnaque liberaret. Hæc ex epistola Henrici ad Innocentium, cujus extremam particulam hic subjicio: *Paternitati vestræ contra me & Venetos sententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter & humiliter sustinuimus, usque quo per Dominum Petrum Tit. S. Marcelli Presbyterum Card. & S. R. E. legatum, præstita condigna satisfactione, meruimus absolutionem, ut secundum ordinationem vestrorum nunciorum & scriptorum paginam vestræ sanctitati poterit innotescere.* Sed neque his litteris, quamvis sinceri, demissi, humilisque animi testibus, ira Pontificis leniri potuit; neque Innocentius antea Venetos in pristinam gratiam recipere voluit, quam clariora pœnitentiæ documenta dedissent, & plura Jadrensibus præstarent, quibus damna illis illata æquiori compensatione resarcirent. Altera caussa hæc fuit, quod Leonardus cum Jaderam venisset, obsequi maluit voluntati Jadrensium, qui contra quam polliciti fuerant, Patriarchæ Gradensis imperium detrectare perseverarunt, quam pontificiis decretis obtemperare, ut Lucentius supra laudatus apud Ughellum docet: *Et hic, ut Jadertinis morem gereret, detrectavit obsequium exhibere Primati suo Gradensi.* Nomen Archielecti gessit usque ad annum 1213. Hoc eodem anno Innocentius rescribens ad Petrum Zianum Ducem Venetorum ait se paratum esse pallium transmittere Leonardo electo Archiepiscopo, modo Jadrensibus pro clade, quam Veneti tectis ac mœnibus illius civitatis intulerant, ea, quam ipse præscripserat, plenaque compensatione antea satisfactum fuerit: *Super excessibus contra Jadertinorum civitatem commissis, si mandatis nostris curabitur obedire, nos ipsi electo pallium transmittemus, quod propter dictos excessus hactenus tibi distulimus destinare &c.* Cumulate statim satisfactum fuisse, & debitam Patriarchæ Gradensi obedientiam a Leonardo præstitam esse, argumento sunt tabulæ cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni, confectæ anno eodem 1213. 6. Maji, quas citat Valerius a Ponte. In his siquidem cum Leonardus appelletur *Archiepiscopus*, nullus relinquitur locus dubitandi, quin Leonardus ab Innocentio & Sacerdotii sibi collati approbationem, & pallium archiepiscopale acceperit. E vita excessit, aut Pontificatum ultro deposuit anno 1216. vel sub initium anni proximi: hoc quippe anno, mense Aprili ineunte, Ecclesia Jadertina pastore proprio destituta erat, ut tabulæ cœnobii SS. Cosmæ & Damiani declarant. *Anno Dom. Incarn. 1217. mense April. IV. die astante, Indict. quinta, Jadræ, temporibus equidem Domini nostri Petri Ziani incliti Ducis Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ, Ecclesia Jadertina proprio Pastore vacante, & Petro Michaeli egregio Comite existente &c.*

(Margin notes, left: Leonardus & Jadrenses imperium Patriarchæ Gradensis detrectant. — Tandem Primatum Gradensem agnovit & pallio accepto Archiepiscopus appellatur.)

Per eos annos S. Franciscus, ut ex indiciis non levibus opinatur Franciscus Gonzaga Tomo primo de origine Seraphicæ Religionis, cum martyrii palmam adipiscendi caussa Syriam peteret, adversa tempestate ad insulas & litora Dalmatiæ impulsus, Jaderam venit, & parvum in ea civitate hospitium nactus, ibi suis fratribus vel ipsemet fundavit, vel paucis post annis Jadertini cœnobium ædificarunt. *Aliquot epitaphia & sepulchra*, inquit Gonzaga, *hoc in conventu* (Jadrensi) *ante 300. annos eruta facillime indicant S. Franciscum Hierosolymam petentem, hunc locum visitasse; præsensque monasterium, quod sibi temporis successu sacratum evasit, pro primævæ illius paupertatis exigentia, ex Jadrensium facultatibus fundasse.*

(Margin note: S. Francisci adventus in urbem Jaderæ.)

JOANNES ARCH. JADRENSIS VII.

(Margin note: Joannes Venerius Archiepiscopus depravatos populi & cleri mores curavit & correxit.)

Patria Venetus, e nobilissima patricia gente Veneria, cui Gardiazæ alter cognomen fuit; utroque enim avito familiæ suæ vocabulo in quodam diplomate paullo post describendo se ipse appellat. Anno 1218. delatum ei fuit Sacerdotium Jadrense; & cum hic annus jam ad exitum vergeret, nondum aut consecrationem, aut pallium susceperat; quippe qui mense postremo ejusdem anni in tabulis Jadrensibus nominatur *Archielectus*: *Anno Dominicæ Incarn. 1218. mense Decembri, duodecimo die astante, Indict. 6. Temporibus quidem Domini nostri Petri Ziani Ducis Venetiarum, Dalmatiæ, & Croatiæ, & Joannis Ven. Jad. Archielecti, ac Petri Michaelis egregii Comitis &c.* In reliquis deinde monumentis Jadrensibus annorum 1220. 1222. 1223. 1230. nominatur Archiepiscopus: quod argumento est eum debita Primati suo Gradensi obedientiæ & submissionis officia præstitisse, ac proinde ab Sede Apostolica pallium impetrasse. Hujus ecclesiæ regimine suscepto ad depravatos cleri & populi mores corrigendos, ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, & præsertim ad nefarias & hæreticas opiniones extirpandas omni cogitatione curaque incubuit. Nam temporibus illis turbulentissimis, cum ob bellum cum Venetis gestum, atque etiam propter intestinas discordias, civitas in armis esset, omnesque illecti cupiditate rapiendi atque prædandi, maritimis excursionibus & latrociniis operam darent; multæ labes, ut in ea militari licentia, & morum corruptelæ irrepserant; quæ majora in dies incrementa cœperant ex incuria, vel absentia Præsulum, quibus fere perpetuum & cum Romano Pontifice, & cum Patriarcha Gradensi dissidium erat. Ad hæc pestis Manichæorum e Bosina finitima in Dalmatiam invecta, Jaderam quoque invaserat, & nobilium præsertim animos infecerat. Hæc de Jadrensibus ex Archidiacono cap. XXV. *Et cum pluribus essent vitiis depravati, hoc etiam ad nequitiæ suæ cumulum addiderunt, ut catholicæ fidei normam spernerent, & hæretica se permitterent tabe respergi. Nam pene omnes, qui nobiliores & majores Jadræ censebantur, libenter recipiebant hæreticos & fovebant.* Idem Archidiaconus eversionem

Digitized by Google

sionem civitatis, clademque a Venetis illatam Deo justissime facinora Jadrensium ulciscenti attribuit. Diu sane multumque Joanni laborandum fuit, ut tot tantisque malis mederetur, & pravas consuetudines aboleret, execrandasque opiniones elideret. Ad hæreticos ex urbe expellendos, & ex animis Jadrensium fibras omnes letalium dogmatum evellendas, magnum Joanni adjumentum, atque auctoritatem attulit Aconcius Sedis Apostolicæ legatus, ab Honorio III. missus in Dalmatiam ad piratas exterminandos, proficiscentibus in Palæstinam sacri belli caussa maxime infestos, & in Bosinam ad profligandos Manichæos sive Patarenos, revocandosque ad catholicam fidem in eam hæresim prolapsos; qui anno 1222. opportune Jaderam accessit, ut dictum est in Guncello Archiepiscopo Spalatensi.

Duæ Honorii epistolæ, altera ad Capit. & clerum, altera ad Archiep.& Ep. provinciæ Jadrensis.

Franciscus Gonzaga Tom. I. de origine Religionis Seraphicæ duas Honorii III. epistolas citat; unam ad Capitulum & clerum Jadertinum, ut de proventibus ecclesiasticis, quos quisque perciperet, partem vicesimam ad præsidium & subsidium sacrorum in Palæstina locorum contribuant; alteram ad Archiepiscopum & Episcopos provinciæ Jadertinæ, ut scholas Sacræ Theologiæ instituendas, & clericis aperiendas curent. Posterioris inscriptio hæc est: *Honorius Episcopus Servus servorum Dei Ven. Fratribus Jadren. Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus, & dilectis filiis ceteris Ecclesiarum Prælatis, & Capitulis in Jadren. provincia constitutis sal. & apostol. benedict.* Cum hæc epistola bene longa sit, atque communis, ad omnes Christiani orbis Antistites missa, uti etiam superior; neutram hic describere operæ pretium esse censui.

Joannes donationem templi & cœnobii Demetriani monachis SS Cosmæ & Damiani attributi confirmavit.

Anno 1222. Joannes Archiepiscopus donationem templi ac domicilii Demetriani, jampridem monachis *SS. Cosmæ & Damiani de Monte* traditi, amplissimo diplomate confirmavit. *In Christi nomine, Anno Incarnationis ejus 1222. mense Madii, die septima astante, Indict. decima Jadræ. Temporibus Domini Petri Ziani incliti Ducis Venetiarum, & Joannis Venerii Jadren. Archiepiscopi, ac Petri Michaelis egregii Comitis. Quoniam lapsu temporum oblivione labuntur quæ fiunt in tempore, necessarium est, ut gestorum memoriam, litterarum series propagata in posteros revocet fugientem. Cognoscant ergo præsentes, & sciant posteri, quod nos quidem præscriptus Joannes Gardiaza, Dei miseratione promoti ad sollicitudinem Ecclesiæ Jadertinæ, cum ex commissi nobis officii speculatione debita, multa in eadem ecclesia, ob diutissimam Pastoris absentiam invenissemus alla evellenda, plantanda plurima; comperimus inter cetera, Ecclesiam S. Dimitrii Jadertinæ civitatis a clero & populo Jadertino S. Damiani monasterio de Monte collatam, ad ecclesiæ utriusque communem utilitatem. Nos quoque, quorum interest profectibus ecclesiarum, & usibus intendere, pensata dicti monasterii & conventus religione, plena fructibus honestatis & eleemosynarum, dictam S. Dimitrii Ecclesiam cum omnibus suis circumstantiis & possessionibus ubicumque positis, ad preces Roberti Abbatis, & conventus memorati, monasterio supradicto tradimus, traditam confirmamus, confirmatam præsentis scripti patrocinio communimus; & ut hæc nostra confirmatio indubitati sumat roboris fulcimentum, præsentem paginam nostri duximus sigilli karactere muniendam; testes autem hujus nostræ collationis, confirmationis, & communitionis, ad hoc rogati, sunt Aconcius Domini Papæ subdiaconus & capellanus, Apostolicæ Sedis legatus, Treguanus Traguriensis Episcopus, Chranus S. Joannis ejusdem diœcesis Abbas, Damianus Abbas S. Grisogoni Jadren. diœcesis, Manfredus Archidiaconus, Camasius Archipresbyter, S. Petri veteris Plebanus, Dobre S. Stephani, Marinus S. Petri novi, Zancius S. Michaelis Plebani Jadertini; ac nobiles viri Laurentius de Joseph, Coscia Gregorii, & Desa Pisiza advocatus prædicti monasterii. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ donationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire, quam nos ad majorem evidentiam per manum publicam, coram præscriptis testibus, in scriptis redigi præcepimus. Et ego Vitalis S. Mariæ Majoris Plebanus, & Jadrensis notarius, huic donationi & confirmationi interfui; & ex præscripto prædicti Domini Archiepiscopi scripsi, roboravi, & signo consueto signavi.*

Patres Dominicani Jaderam recepti.

His temporibus ingens præsidium, decus, & adjumentum civitati & Ecclesiæ Jadrensi accessit e duabus illis sanctissimis familiis Dominicana, & Franciscana, haud multo ante institutis, & auctoritate Sedis Apostolicæ approbatis. Cum Dominicani Ordinis fama, bonusque odor sanctimoniæ & doctrinæ, indidem se diffundens, manaret quotidie latius; aliquot præclaræ illius disciplinæ alumnos Jadertini accerserunt, ut civibus ad recte pieque vivendum, non minus suarum virtutum exemplis, quam concionibus habendis, & confessionibus audiendis prodessent; hospitium illis cum æde S. Silvestri prope basilicam S. Chrysogoni attributum est, quod incolerent interea, dum locus commodior & opportunior ad cœnobium condendum eisdem assignaretur; id quod ex tabulis cœnobii Dominicani Jadrensis scriptum reliquit Thomas Malvenda in *Annalibus Sacri Ordinis Prædicatorum*: *Anno Domini 1228. Fratres venerunt Jaderam, & datus est eis locus S. Silvestri penes Abbatiam S. Chrysogoni, in quo mansere per aliquod tempus.* Sub idem tempus Patres Minores Franciscani ab Jadrensibus invitati, suum in urbe domicilium collocarunt, ut docet Franciscus Gonzaga par. 2. *De origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ*. Utrorumque adventus peropportunus fuit, maximeque salutaris civitati & Ecclesiæ Jadrensi, quæ plurimis vitiorum & hæreseum corruptelis infecta erat. Sed neutros benigne excepit Joannes Archiepiscopus, quin immo utrosque multis molestiis & contumeliis affecit, vetuitque conciones habere, confessiones excipere, ac cetera apostolica ministeria ad salutem animarum obire. Quapropter dignum se præbuit, quem Gregorius IX. Pontifex Maximus severe acriterque reprehenderet, datis ad eum litteris in hæc verba.

itemque Patres Franciscani.

Epistola Gregorii IX. ad Joannem Archiep.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei ven. fratri Archiepiscopo Jadrensi sal. & apost. benedict. Sperabamus quod, cum de qualitate status tui, pro eo quod sis in remoto positus, haberi de facili certitudo non possit, illa mente vigili studeres efficere, per quam nobis quandoque constaret te virtutum fragrantia pro Redemptoris gloria, & salute tibi commissi populi redolere. Sed ecce contrarium ex eo didicimus admirantes, quod, cum quidam ex dilectis filiis Fratribus Ord. Minorum, qui fere nihil aliud quærunt, vel cogitant, nisi quod singulæ hominum nationes divini cultu nominis refulgescant, ad civitatem Jadrensem hæreticæ pravitatis infectam maculis accessissent, propagare ibi Fidei Catholicæ sanctitatem; eos lai-

*eorum multitudine benigne & ilariter admittente, quorum multi per ipsos, illius faciente virtute, qui neminem vult perire, ad pœnitentiam sunt conversi; tu qui promotor eorum esse debebas, & præcipuus in procurandis animarum profectibus, non remissus, contumeliarum aculeis ipsorum pectora pupugisti; & non contentus injuriis partem afficere, quin niteteris totum illarum jaculis conturbare, ipsorum Ordini graviter detrabere præsumpsisti, januas claudi faciens, ne ad prædicationem Ministri provincialis ejusdem Ordinis populus conveniret; quasi sit tuo voto contrarium, quod quis ad vitam proficiat, doctrinis paupertatis extremæ & caritatis immensæ cultui deditorum. Præterea cum in partibus illis paucæ, vel nullæ religiosorum congregationes existant, in quibus disciplina vigeat regularis, in quasdam mulieres ibidem constitutas, pro eo quod capillorum abscissa cæsarie, ac relicto sæculari babitu, eligerunt sua crimina in domibus propriis deplorare, in eorumdem Fratrum obprobrium, quorum exhortationibus, operante Domino, anbelant ad præmia beatorum, excommunicationis sententiam promulgasti; divina auctoritate districte præcipiens, ut cum Apostolus tonsuram probibeat mulierum, quod aliqua sive in domo propria commoretur, vel religionis sit habitum susceptura, tonsuram sibi non faciat, vel ab alio fieri non permittat; & si forte contingeret præsumi contrarium, tam tonsæ, quam tondentes excommunicationis sententiæ subjacerent. Quare contigit, quod cum quidam Fratres Ordinis Prædicatorum, qui ad eas partes nunciare venerant cælestis regni gloriam & thesauros, tibi devote dicerent, quod inconsulte talem sententiam protulisses, præsertim cum Apostolus in verbo, quod de tonsura proposuit, ad mulieres, quæ mundum & concupiscentiam reliquerunt, non videatur babuisse respectum; tu non contentus contra te in Fratribus supradicti Ordinis supernæ provocasse potentiam majestatis, adjecisti furorem ejus & in jam dictis acuere, præsumendo, ne ipsi prædicarent ibidem, vel confessiones audirent, aut in Ecclesiis civitatis præfatæ prædicationi eorum audientia tribueretur, firmiter inhibere. Quid multa? quasi tibi sit in tædium quod aliqui convertantur ad Dominum de multitudine populorum, eos qui infra tempus * probationis Fratrum Minorum Ordinem derelinquunt, licet evidenter appareat, quod absolute vitam mutare voluerint, renunciando penitus sæculi vanitati, viva vel funesta potius voce pronuncias posse libere ad statum redire pristinum, nec propter hoc, in contrabendo matrimonio ipsorum, redire aliquod impedimentum; quasi voluntas in bac parte tibi pro jure sufficiat, & timor tuæ conscientiæ de processu contra sanctiones canonicas non incumbat; quarum ignorantiam vel contemptum ex boc manifeste prætendis, quod quemdam, qui præmisso modo habitum reliquerat, reclamantibus dictis Fratribus, concessis sibi sacris ordinibus, in Canonicum & tandem in Primicerium promovisti; alteri, qui ad ejusdem Ordinis babitum processerat assumendum, suadendo litteris & promissionibus, quod rediret ad sæculum, cujus per processus hujusmodi te amatorem innuis non remissum. Verum cum ex præmissis, si veritate nituntur, tibi & multitudo ruboris incumbere, & grandis debeat materia pœnitudinis imminere; maxime cum nos ipsi pro verecundia reportemus, tantum membrum Ecclesiæ excessuum perpetratione tam varia, Deo & bominibus displicere; fraternitati tuæ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus quæ supra præmissis improvide attemptasse dinosceris, promptitudine diligenti emendare sollicitus, a dictarum mulierum, & Fratrum Ordinum prædictorum, & aliorum omnium, qui se in partibus supradictis sacræ religionis observantiæ dedicarunt, molestatione desistens, aut aliquos a semita mandatorum Dei non avertens, talem te amodo super iis, quæ pontificale deposcit officium, verbo exbibeas & exemplo, quod Fratres eosdem, & religiosos alios tui nominis constitues laudatores; & Patris æterni Filium, quem in præfatis excessibus graviter offendisse dinosceris, tibi propitium reddere merearis: alioquin damus ven. fratri nostro . . . . Archiepiscopo, & dilecto filio Archidiacono Spalatensi nostris litteris in mandatis, ut te ab bujusmodi præsumptionibus, auctoritate nostra, appellatione remota, compescant. Dat. Viterbii, X. Calen. Decem. Pontificatus nostri anno nono,* id est Christi 1235.

* *professionis.*

Admonitio & objurgatio pontificia profuit Archiepiscopo, ut opinari licet; ac deinde Fratres utriusque Ordinis, tamquam operarios evangelicos sibi divinitus datos esse censuit, quibus ad vineam dominicam sibi commissam excolendam uteretur. Annos præterea duos præfuit metropoli Jadertinæ, usque ad annum 1238. quo quidem anno, die 15. Martii, sedem archiepiscopalem vacasse tabulæ cœnobii S. Chrysogoni declarant. Huic subrogatus est

THOMAS ARCH. JADREN. VIII. electus.

In tabulis ejusdem cœnobii S. Chrysogoni *anno* 1238. *die* 8. *Madii Archielectus* vocatur. Ne annum quidem gessit pontificatum; quem antea fortassis, quam consecrationem episcopalem susciperet, ut Valerius a Ponte existimat, moriens deposuit.

DOMINICUS ARCH. JADREN. IX.

Venetiis oriundus, qui Franco cognomen fuit. Anno 1238. ad hanc Ecclesiam regendam accessit, & *anno* 1239. *die octava Januarii* in tabulis S. Chrysogoni nominatur *Archiepiscopus*, itemque anno proximo in aliis tabulis Jadrensibus: *In Christi nomine, anno Incarnationis ejus* 1240, *mense Junii die tertio decimo exeunte, Indict. decima tertia Jadræ. Temporibus equidem D. Jacobi Theupoli Ducis Venetiarum, & D. Dominici Franci vener. Jadren. Archiep., ac Joannis Michaelis egregii Comitis.*

Dum Dominicus huic Ecclesiæ præerat, Jadera rursus ab imperio Veneto ad Hungaros descivit anno 1242., Joanne Michaele urbis Rectore expulso. Cum de Jadrensi defectione Venetias allatum esset, Jacobus Theupolus Dux & Senatus validissimam classem adornari jubent, eique imperatorem præficiunt Raynerium Zenum, qui anno sequenti, navalibus copiis in Dalmatiam traductis, civitatem obsidione cinxit, omnique telorum genere oppugnare cœpit. Bela IV. rex Hungariæ, ad cujus fidem opemque Jadrenses confugerant, Dionysium Banum Slavoniæ & Dalmatiæ, cum exercitu Slavorum & Hungarorum obsessis auxilio misit. Civitas terra marique vehementissime oppugnata, & nihilo segnius per aliquot dies defensa. Sed cum Dionysius ictu sagittæ, quamvis non ita graviter, vulneratus esset; æque militibus ac civibus ad repugnandum animus defecit. Itaque ingen-

Jadertini rursus a Venetis deficiunt.

Civitas oppugnata, & capta,

ingenti omnes pavore perculsi in fugam consternantur, urbem præsidiis ac defensoribus vacuam Venetorum potestati relinquunt. Jadrenses patria profugi, alii alio, plerique cum Capitulo & clero Nonam in urbem ditionis Hungaricæ se recipiunt. Veneti civitatem ab incolis desertam cum reperissent, conflatam e Veneta nobilitate & plebe coloniam illuc deducunt, novisque habitatoribus domos & bona Jadrensium distribuunt. Jadrenses patria extorres, qui Nonam confugerunt, Hungarorum auxiliis destituti, legatos Venetias mittunt anno 1244. qui veniam & pacem implorarent. Clementer ac perbenigne accepti sunt; & Venetis colonis revocatis, civitas restituta est Jadrensibus, & sua cuique bona ac domicilia; postquam videlicet leges & conditiones a Venetis impositas accepissent, quarum secunda, tertia, & quarta, quæ rem ecclesiasticam pertinent, hæ sunt: 2. *Jadrenses habeant electionem Archiepiscopi, qui præsentari debeat Patriarchæ Gradensi, & ab eo confirmari, & consecrari. 3. Dicto Archiepiscopo præserventur omnes jurisdictiones, & privilegia consueta, quæ habuerunt Archiepiscopi decessores. 4. Clerici singulis annis diebus festis Nativitatis & Resurrectionis Domini nostri canere debeant laudes Duci Venet., Patriarchæ, Comiti, & Archiepiscopo; propter quod accipiant consuetam oblationem in Missa solemni Ecclesiæ Cathedralis, rogando Deum pro conservatione Communis Venetiarum, promittendo primo ipsi, & postea cives omnes nomine totius populi perpetuam fidem & obedientiam.* Hæc Archidiaconus cap. 43., & Dandulus, aliique Scriptores Veneti; quorum plerique defectionem Jadrensem anno 1242. recuperationem anno sequenti adscribunt, nec multo post Jadrensium in patriam reversionem subjiciunt; sed restitutionem Jadrensium Dandulus in annos posteriores rejecit.

Jadrenses venia donati atque in patriam restituti.

Post Jaderam receptam, cum Legati Venetorum de pace constituenda in Hungariam venissent, Bela IV. rex Hungarorum pacem cum Venetis in has leges confirmavit.

Pax inter Regem Hungariæ & Venetos.

Nos Bella Dei gratia rex Ungariæ. Tenore præsentium scire volumus universis, quod viris nobilibus & discretis S. Justiniano, & P. Dandulo nunciis, & Procuratoribus, dilecti, & amici nostri Jacobi Teupoli illustris Ducis Venetiarum promisimus nomine dicti Ducis & Communitatis Venetiarum juramento corporaliter præstito tactis sacris, quod universa & singula capitula infrascripta observabimus, & attendemus bona fide sine fraude, absque ullo malo ingenio, & observari a nostris inviolabiliter faciemus, ut quod dicto Duci, & suis successoribus veram, firmam, & perpetuam pacem, & amicitiam observabimus. Item quod dominum Ducem, & Venetos permittemus tenere civitatem Jadrensem cum pertinentiis suis, sicut cives Jadrenses olim tenuerunt, absque ulla inquietatione, vel contrarietate. Nec intromittemus nos per nos, & per nostros successores, aut per nostros homines de civitate Jadrensi cum suis pertinentiis in perpetuum. Item non permittemus, vel conveniemus, imo fidelibus nostris districtius dabimus in mandatis, & specialiter Cachetis & Jadertinis omnibus, qui exierunt civitatem Jadrensem, & sunt sub potestate nostra, ut Duces Jadræ commorantes, & alios Venetos non præsumant de cætero molestare, vel aliquam injuriam, seu offensam inferre. Item memoratos Jadertinos, qui exierunt civitatem, & sunt, vel esse volunt sub potestate nostra, & in terra nostra, removebimus a districtu Jadrensi, & Nonensi, & collocabimus eos 4. milliariis remotis a mari. Item nullam conventionem, nullum pactum, nullam confœderationem, nullam societatem cum aliqua persona, & quibus personis contra jam dictum Ducem, & suos successores ac etiam contra Commune Venetiarum. Nec aliquod consilium, vel auxilium inimicis ipsius Ducis, vel suorum successorum, seu Communitatis Venetiarum impendemus, aut impendi faciemus contra dictum Ducem & Communitatem Venetiarum. Nec ipsos inimicos, nec ipsorum nuncios, aut homines per terram nostram transire permittemus contra prædictum Ducem, & Communitatem Venetiarum. Item cum requisiti fuerimus a prædicto Duce, vel ipsius successore, prout decet ab amico, consilium, & auxilium impendemus contra suos inimicos & infideles maxime circa maritima, sicut consuevit amicus amicum juvare, sicque facere poterimus cum bono, & honore, & salute regni nostri. Ad majorem autem firmitatem prædictorum litteras præsentes nostro sigillo fecimus communiri. Datum in Castro juxta castrum Gallas anno Domini 1244. Kal. II. Julii.

Rebus Jadrensibus tranquillatis, Dominicus Archiepiscopus de loco tradendo Patribus Dominicanis opportuno ad cœnobium ædificandum, temploque ad sacras illorum functiones accommodato, cogitare cœpit; nam ad eam diem hospitio peranguste usi fuerant, & ædicula S. Silvestri, ad res divinas peragendas, & populi frequentiam excipiendam parum idonea. Erat in urbe pervetus Ecclesia S. Thomæ Apostoli, eademque una erat de parœciis urbanis. Hanc illis assignare decreverat; sed morte præreptus anno 1244. præclara cogitata perficere non potuit. Jadrense Capitulum, quod juxta canonicas sanctiones in curam potestatemque archiepiscopalem successerat, quod optimus Antistes facere constituerat, sibi exsequendum censuit; & Patres Dominicanos per quemdam Canonicum in illius templi possessionem rite ac legitime induxit; cum parochus ea præfectura & ecclesia volens libensque cessisset. Iisdem Patribus ut assignandum curaret spatii quod satis esset ad cœnobium ædificandum, Jacobus Theupolus Dux Venetiarum mandavit Laurentio Quirino urbis prætori; qui de sententia & voluntate Consilii & Communis Jadrensis, quasdam domos proximas S. Thomæ, quas hæredibus vacuas & caducas esse censebant, in hujusmodi ædificium an. 1244. destinavit, ut docent tabulæ Jadrenses.

Ædem S. Thomæ Patribus Dominicanis a Dominico Archiepiscopo decretam, Capitulum tradi jubet.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis. Leonardus Quirinus Comes Jadræ cum suis Consiliariis Marco Bragadino, & Philippo Donato salutem in omnium Salvatore. Universitati vestræ præsentibus innotescat, quod cum nos ex parte Domini Ducis Venetorum recepissemus in mandatis, ut Fratribus Prædicatoribus in Jadria commorantibus, nondum tamen locum sibi deputatum habentibus, infra muros in loco competenti providere debemus; cum consilio, & assensu totius Communitatis Jadren. domum Marini de Grube cum curte sua, & domum Petri Calchinæ similiter cum curia sua, & loculum Malfredii prædictis Fratribus contulimus perpetuo possidenda, salva tamen Domini Ducis voluntate reservata. Quæ domus cum prædicto Malfredii locello, & curiis, in toto & summa comprehensæ, ducentorum, & quinquaginta passuum numerum in circuitu

Diploma Leonardi Quirini Prætoris Jadræ.

Digitized by Google

cuitu non excedunt ; & terminantur hoc modo . Ex duabus quidem partibus via publica , a tertia autem parte Ecclesia Sancti Thomæ , a quarta vero parte tenuta Grisogoni filii Dimine Senzaderi ambiuntur . Testimonium præterea perhibemus , quod Capitulum Ecclesiæ Jadren. bonam voluntatem venerabilis Patris bonæ memoriæ Domini Franci quondam Archiepiscopi , quam asserebat se habere , jam dictis Fratribus de Ecclesia conferenda , eo de medio sublato , nec valente complere quod voluit in collatione Ecclesiæ S. Thomæ Apostoli , omnimoda bona voluntate perducere curavit ad effectum , per Nicolaum Presbyterum Canonicum suum eosdem investiendo , & in possessionem corporalem ejusdem Ecclesiæ inducendo ; Plebano ejusdem Ecclesiæ . . . . voluntarie eidem Ecclesiæ resignanti commutatione exhibita competenti . In cujus nostræ donationis testimonium , & robur firmitatis , præsentem paginam prædictis Fratribus contulimus , sigilli nostri munimine roboratam . Anno Domini MCCXLIV.

Patres Dominicani domos sibi assignatas adire prohibiti.

Hanc donationem Jacobus Theupolus Dux Venetiarum confirmavit, ut ipsemet in suis litteris ad Angelum Maurocenum Comitem Jaderæ, ejusque Consiliarios testatur. Sed ne Patres Dominicani ædes sibi assignatas obtinerent, cives quidam Jadertini, ad quos, sive ad majores eorum ædes illæ olim pertinebant, obstiterunt; & an. 1244. cum Venetiis de Jadrensibus in gratiam recipiendis, atque in patriam restituendis ageretur, Magister quidam ex Ordine Fratrum Minorum, qui cum oratoribus Jadertinis, de venia ac pace petenda missis, venerat, illorum caussam egit, ac vehementer institit, ne suæ civibus illis ædes adimerentur, vel si jam ademptæ fuerant, ut restituerentur. Itaque anno 1247. adhuc Patres Dominicani angusto & precario domicilio utebantur. Quapropter apud Ducem conquesti sunt, quod ædes sibi ex mandato ejusdem Ducis a Leonardo Quirino Comite, seu Prætore civitatis ante quadriennium destinatas, adire ac possidere prohiberentur. Dux igitur, per litteras Angelo Mauroceno Comiti Jaderæ, ejusque Consiliariis inscriptas, Raynerio Zeno mandavit, ut duos illos oratores Jadrenses, qui Venetias ad veniam & pacem petendam venerant, & cum ipso Raynerio pactis conventisque inter Venetos & Jadertinos stabiliendis interfuerant, interrogaret de quibus expostulasset Magister ille Ordinis Franciscani, & num ejus expostulatio jure ac veritate niteretur; quæ vero ex illis audierit, & compererit, vel quæ ipse meminisset, ad se perscriberet.

Litteræ Ducales ad Comitem Jaderæ ejusque Consiliarios.

Jacobus Theupulus Dei grat. Venet. Dalmat., atque Croat. Dux, Dominus 4. partis & dimidiæ totius imperii Romaniæ, nobilibus, & sapientibus viris Angelo Mauroceno, & ejus Consiliariis Marino Mauroceno, Stephano Justiniano, Raynerio Geno, & Joanni de Canali, ambasciatoribus suis dilectis fidelibus sal. & dilectionis affectum. Ex parte conventus Fratrum Prædicatorum de Jadra fuit coram nobis expositum conquerendo, quod concessiones quarumdam possessionum de Jadra, quas nobilis vir Leonardus Quirinus tunc Comes Jadræ, de nostro mandato fecit conventui supra dicto, & nos postmodum simili modo eidem concessimus, per nostras patentes litteras confirmantes; quidam Jadertini, quibus dictæ possessiones olim spectabant, impediunt toto posse, petentes tunc sibi restitui memoratas; verum quia nobilis vir Joannes Badovarius fidelis noster dilectus, qui nobiscum, Raynerí Geno, interfuit in tractatu concordiæ Jadertinorum, & Gabriel cancellarius curiæ nostræ, qui præsens fuit, interrogati a nobis dicunt & asserunt, quod in tractatu concordiæ antedictæ mentio facta fuit de possessionibus nominatis, ut ipsas habere & tenere debuissent Fratres Prædicatores, secundum concessiones factas a nobis, & a Comite memorato, & quod super hoc responsum fuit a Magistro Fratrum Minorum, qui erat tractator pro nunciis Jadertinorum, quod pro ipsis possessionibus restitutio fieret personis, quibus spectabant ab universitate Jadertinorum; prudentiam vestram Rayneri Geno requirimus attentius, & rogamus quatenus si prædicta sunt in memoria vestra, nobis vestris litteris hoc, quam cito poteritis, significetis; etiam si vobis videbitur, viros nobiles Papum de Petrogna, & Grisogonum de Mauro nuncios Jadertinorum interrogare, & inquirere debeatis, scientes dictum Magistrum Fratrum Minorum abesse; unde ipsum super his interrogare minime potuimus. Datum in nostro ducali palatio die 7. intrante Novembris, Indictione 6. id est anno Christi 1247. quocum congruit Indictio 6. si hujus initium more antiquo ab Septembri mense ducendum sit.

Quid responsi hisce litteris redditum fuerit, non invenio. Sed cum æquitas vetaret ædes avitas legitimis dominis eripere, illi autem nullo quantolibet pretio vendere, atque alienare nollent; anno tandem 1248. vel sequenti aliunde Patribus Dominicanis stabile & satis commodum domicilium quæsitum fuit, ut mox dicemus.

Innocentius IV. Archiep. & clerum, ut Patribus S. Dominici locum condendo cœnobio, Abbatem SS. Cosmæ & Damiani ut templum S. Demetrii eisdem attribuant, hortatur.

Ante annos duos Innocentius IV. suis ad Archiepiscopum & clerum Jadertinum litteris an. 1245. mense Decembri Lugduni datis, illos hortatus est ac monuit, ut quando ipsi evangelicos illos præcones ad urbem & Ecclesiam erudiendam evocarunt, iisdem etiam & locum extruendi cœnobii, & templum ad ministeria christianæ religionis obeunda attribuendum curarent. Idem Pontifex per suas litteras Abbatem SS. Cosmæ ac Damiani rogavit, ut Ecclesiam S. Demetrii cum ædibus eidem annexis, sibi ante aliquot annos a clero & civitate donatam dimitteret, & Patribus Dominicanis possidendam traderet. Hæc ex tabulis archivi Dominicani Jadrensis. Sed antequam Pontificis voluntati obsequerentur, visum est expectari, dum novus Archiepiscopus crearetur; nondum enim videtur electus fuisse, qui Dominico Franco in sedem metropolitanam succederet. Innocentii autem epistola inscripta est, non solum Capitulo, sed etiam Archiepiscopo, propterea fortassis, quod vel nondum de morte Dominici, anno 1244. sublati, nuncios acceperat, vel novum Archiepiscopum jam electum, approbatumque a Patriarcha Gradensi existimabat.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri . . . . Archiepiscopo & dilectis filiis Clero Jadrensi salutem & apostolicam benedictionem. Credentes firmiter & sperantes, ut preces nostras specialiter, cum pro religiosis personis illas vobis dirigimus, adimplere curetis, libenter ad ea quæ religionis favorem respicere dinoscuntur nostris litteris vos hortamur. Hinc est quod cum dilecti filii Fratres Ordinis Prædicatorum de Jadria illuc ad petitionem vestram & civium civitatis ejusdem, sicut intimantibus ipsis accepimus, fuerint destinati & nondum ibi locum ubi morentur congruum potuerint obtinere; Universitatem vestram monemus & rogamus attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus considerato

Digitized by Google

rato provide quam sit utilis vobis in illis partibus Fratrum præsentia eorumdem, ipsis de aliquo loco in quo morari commode valeant & devote Domino famulari, ad collationem vestram spectante, in civitate prædicta providere libenter & liberaliter studeatis. Mandatum nostrum taliter impleturi, quod devotionem vestram exinde dignis in Domino commendare laudibus valeamus. Dat. Lugdun. XII. Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno secundo, id est 1245.

LAURENTIUS ARCH. JADREN. X.

Laurentius Periander Archiep. Jadren. a Patriarcha Gradensi approbatus & consecratus.

Huic Periandro cognomen fuit; Jadertinusne, an Spalatensis ortu fuerit, incertum est. Exquisita humanarum ac divinarum rerum doctrina, publico certamini exposita, & probata, Magistri nomen illi peperit. Hujus nulla mentio in tabulis Jadrensibus ante annum 1247. reperitur; quod argumento est eum vel hoc anno, vel superiori electum & renunciatum fuisse Archiepiscopum; sed in his tabulis confectis anno 1247. itemque in tabulis anni proximi nominatur *Archielectus*; postquam vero a Patriarcha Gradensi Primate & approbationem obtinuit, & consecrationem episcopalem suscepit, habitus est dictusque Archiepiscopus. Nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Innocentii IV. Pontificis voluntati morem gereret, ac Patribus Dominicanis de opportuna habitatione accommodaret; præsertim cum etiam Jacobi Theupoli Ducis Venetiarum auctoritas urgeret, idemque, quod Pontifex, Archiepiscopo imperasset. Cœnobiarcha SS. Cosmæ & Damiani, ut litteris pontificiis obsequeretur, ædem S. Demetrii iisdem Patribus gratuito & libenter obtulerat. Verum alius locus visus est illis opportunior, atque commodior. Erat Jaderæ cœnobium ac templum S. Platonis monachi, qui apud Constantinopolitanos eximia sanctitate, & miraculorum fama floruit; cujusque cultum Græci, dum Dalmatia Orientis imperio suberat, Jaderam invexerant. Hic statio erat & sedes Virginum Deo sacrarum, quæ simul cum antistita de communi consilio hanc relinquere statuerant, & Archiepiscopo tradere, qui in eamdem Patres S. Dominici induceret; modo sibi liceret Benedictinum cum Dominicano instituto, & Platonianam cum æde ac domo Demetriana, quam monachi SS. Cosmæ & Damiani Patribus Dominicanis gratuito tradiderant, commutare; atque insuper sub regimine ac disciplina Patrum illius sanctissimi ordinis, ad normam & præscriptum S. Dominici vitam agere. Illarum votis ac postulatis assensum est. Itaque ad S. Demetrii migrarunt; seque in iis, quæ ad Deum caste colendum, & pie sancteque vivendum pertinent, illis gubernandas, eorumque præceptis erudiendas tradiderunt. Id munus Patres illi religiosissimi summa cum fide, prudentia, & sedulitate obierunt, atque usque ad annum 1574. retinuerunt.

Templum & monasterium S. Platonis, Patribus Dominicanis traditit.

Sed antequam Virginibus S. Platonis traditum fuisset monasterium S. Demetrii, eas translatas fuisse comperio ad monasterium suburbanum *de Alta Ripa*, sive *de Melta*, quod paucis ante annis conditum fuerat. Quinque Virgines Vesprimienses ex Ordine S. Dominici anno 1241, cum Tartari in Hungariam effusi omnia ferro & igni vastarent, in Dalmatiam profugerant, & Nonam se contulerunt. Ab his collegium Virginum Nonensium S. Mariæ institutum ferunt. Una vero de illis, cui nomen Helenæ, postea Jaderam venit, & locum in suburbio *de Alta Ripa* sive *de Melta* cognominatum ab Jadertinis novo cœnobio condendo impetravit; ad cujus ædificationem Albertinus Maurocenus patricius Venetus insigni munificentia plurimum pecuniæ contulit; qui propterea in quodam diplomate Benedicti XII. parens conditorque ejusdem cœnobii appellatur. Nec vero pio huic operi defuit liberalitas Jadrensium, quos Laurentius Archiepiscopus, propositis indulgentiarum præmiis, ad subsidia contribuenda excitavit. Utrumque diploma pontificium & archiepiscopale extat in archivo cœnobii Demetriani, ad quod post annos circiter septuaginta Virgines illæ transierunt. Nulla sedes visa est opportunior ad Virgines illas Platonianas excipiendas; præsertim cum novum illud cœnobium Meltense habitatoribus, & proventibus indigeret; hæc illis statio assignata fuit anno circiter 1250. huic proventus omnes cœnobii S. Platonis attributi; & cum, deposita Benedictina, vestem Dominicanam induissent, eas Laurentius Periander Patribus Dominicanis, in eas, quas ipsæ reliquerant, sedes subrogatis, regendas, & e præscriptis S. Dominici excolendas tradidit: quæ omnia Joannes de Anagnia proximus post Laurentium Archiepiscopus confirmavit: *In nomine Domini, amen. Universis has litteras inspecturis F. Joannes de Anagnia Dei & Apostolicæ Sedis gratia Jadren. Archiep. una cum cæteris Canonicorum Capituli ejusdem Eccl. salutem in Domino sempiternam. Sane quamvis piæ memoriæ Magister Laurentius Archiep. prædecessor noster una cum Capitulo universo &c. attendentes donationem, seu præsentationem factam de monasterio S. Mariæ de Alta Ripa Jadren. diœcesis, monialibus, seu sororibus, Ordinis S. Augustini, a veris patronis seu fundatoribus cum omnibus rebus suis mobilibus, & immobilibus, & etiam de possessionibus, quæ olim fuerant S. Platonis, cum omnibus pertinentiis &c.* Virgines Dominicanæ ab S. Augustino cognominari solebant, quod sanctissimus Pater Dominicus ad normam instituti Augustiniani eis rationem vivendi præscripserat. Ex his perspicue intelligitur Virgines primævas incolas cœnobii de Alta Ripa coloniam quamdam fuisse ex monasterio S. Platonis illuc deductam. In hoc monasterio suburbano annos circiter sexaginta sub regimine ac disciplina Patrum S. Dominici vitam religiosam caste pieque coluerant; cum anno 1311. defectio Jadrensium ad Carolum regem Hungariæ, & motus Venetæ classis ad Jaderam obsidendam adventantis stationem illam relinquere coegit, quæ diruta fuit, ne hostibus ad oppugnationem urbis adjumento esset. Itaque in civitatem receptæ sunt, ac tum demum a cœnobiarcha & monachis SS. Cosmæ & Damiani traditum illis fuit monasterium S. Demetrii, quod etiam retinent, servato Dominicano instituto; sed regimine Fratrum exemptæ, & episcopali jurisdictioni jam inde ab anno 1573. subjectæ, ex libera cujusque juris cessione Magistri Generalis Ordinis S. Dominici.

Virgines S. Platonis ad cœnobum Meltense S. Mariæ translatæ,

deinde ad monast. S. Demetrii.

De adventu Virginum Vesprimiensium, conditoque ab illis utroque cœnobio Mariano, tum Nonensi, tum Meltensi apud Jaderam, ipsæ Virgines Nonenses illustre testimonium dederunt, quod extat apud Patres Dominicanos Jadrenses, anno 1347. IV. Id. Octobris tabulis consignatum in hæc verba: *Item dixerunt, & asseruerunt, prout ab antiquioribus sororibus dicti monasterii intellexerunt, dictum monasterium fuisse fundatum hoc*

Digitized by Google

hoc modo : quia scilicet venientes de partibus Hungariæ , & fugientes quinque sorores cujusdam monasterii in partibus Hungariæ , vocati Vesprimium , Ordinis S. Augustini , secundum instituta , & sub cura Fratrum dicti Prædicatorum Ordinis constituti , a persecutione Tartarorum , in quarum quinque sororum comitiva erant Fratres Prædicatores ; nomina quarum quinque sororum dixerunt hæc esse : Soror Egizia filia Simeonis Bani , soror Christina , soror Helena , soror Margarita , & soror Marisllella ; quarum quatuor remanentes in civitate Nonæ ordinaverunt monasterium in dicta Ecclesia S. Mariæ : quinta vero soror nomine Helena , ivit Jaderam , & ibidem ordinavit monasterium vocatum S. Maria de Alta Ripa , sive de Melta &c. Idem eodem anno v. Kalendas Decembris confirmavit Gratia antistita, sive Priorissa cœnobii Demetriani , quæ bello ingruente , relicta statione Meltensi , cum suis sororibus Jaderam se receperat ; & post aliquot annos monasterium S. Demetrii , ex donatione monachorum Sancti Cosmæ & S. Damiani , obtinuit. Quæ vero ipsa narrat , & testificatur , suismet auribus se accepisse ait a Miroslava , quæ cum sorore sua Elisabetha ab cœnobio Nonensi digressa , Helenæ sociam atque adjutricem ad fundandum Jadrense monasterium de *Alta Ripa* se præbuerat. Hujus itidem testificatio extat in archivo cœnobii Jadertini Dominicani eo , quem diximus , anno dieque conscripta : *Tunc dicta soror Gratia Priorissa sic respondit : Pater reverende , ego dico vobis in verbo veritatis , quod in nostro monasterio de Melta fuit quædam soror nomine Miroslava , quæ sic multoties & seriose nobis sororibus , quæ tunc eramus in dicto monasterio de Melta .... quod ipsa cum quadam sorore sua carnali Elisabeth nomine , quæ scilicet tam Miroslava , quam Elisabeth fuerunt sorores S. Mariæ de Nona , quæ Miroslava sic narrabat , quod quinque sorores de monasterio Vesprimiensi de Hungaria etc.* (ut supra ex testificatione Virginum Nonensium) *& dicebat , quod dicta Miroslava & Elisabeth sorores carnales ipsius monasterii S. Mariæ de Nona venerunt Jaderam , cum una illarum quinque sororum , quæ vocabatur Elena , & inchoaverunt monasterium de Melta ;* & post pauca interjecta : *Et dixit soror Gratia Priorissa , quod cum dicta Miroslava fuit in monasterio de Melta , & in domibus Joannis de Cernuco tempore guerræ aliquibus annis &c.*

Templum Dominicanum S. Platonis reædificatur.

Jam vero illuc regrediamur , unde digressi sumus. Laurentius ergo cœnobium ac templum S. Platonis monacharum discessu vacuum , Capitulo , Consilio , populoque consentiente , Patribus Dominicanis attribuit , eosque in possessionem utriusque induxit , pensione hac levissima imposita , ut videlicet singulis annis , die festo S. Anastasiæ , duos cereos , duas amphoras vini , & paullulum thuris ædi metropolitanæ contribuerent. Sed cum ædes S. Platonis angustior esset , quam pro frequentia civium , illuc divini verbi audiendi & sacra mysteria percipiendi caussa confertim adeuntium ; veterem disturbari , & novam laxioremque excitari oportuit , ad cujus constructionem ornatumque Laurentius plurimum pecuniæ contulit. Clemens vero IV.

Clemens IV P. Indulgentias concedit subsidium ad ejusdem ædificationem conferentibus.

omnibus & singulis , qui ad ejusdem templi ædificationem aliquid subsidii conferrent , tantumdem de pœnis canonicis remisit , quantum piis & laboriosis centum dierum operibus expiari oporteret.

Clemens Episcopus servus servorum Dei . Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & apostolicam benedictionem . Quoniam , ut ait Apostolus , omnes stabimus ante tribunal Christi , recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum ; oportet nos diem messionis extremæ nunc operibus prævenire , ac extremorum intuitu seminare in terris , quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis . Firmam spem fiduciamque tenentes , quoniam qui parce seminat parce & metet , & qui seminat in benedictionibus & metet vitam æternam . Sane dilecti filii ... Prior & Fratres Ordinis Prædicatorum Jadrenses ibidem sicut accepimus Ecclesiam cœperunt extruere , in qua divinis possint laudibus deservire . Cum itaque ipsis propter Christum extremæ ferentibus sarcinam paupertatis , ad hoc fidelium subsidium sit plurimum opportunum ; universitatem vestram rogamus & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum injungentes , quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias eleemosynas & grata eis charitatis subsidia erogetis , ut per subventionem vestram memorata Ecclesia valeat consumari & vos per hæc & alia bona quæ Domino inspirante feceritis ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire . Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis , qui dictis Fratribus pro ecclesia consumanda manum porrexerint adjutricem , centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus præsentibus post quinquennium minime valituris . Datum Perusii Idibus Martii Pontificatus nostri anno secundo . Nos autem Laurentius Dei gratia Jadrensis Archiepiscopus memoratum originale non cancellatum non abolitum nec abrasum , sed in omni parte sua integrum & perfectum lectum & asscultatum cum exemplo præsenti anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo sexagesimo septimo Indictione nona die mercurii intrante Octubrio , Jadriæ in palatio archiepiscopali , ut in eodem vidimus originali & de verbo ad verbum legimus , præcepimus fideliter exemplari ad perpetuam rei memoriam faciendam , & ne de præsenti exemplo autenticato imposterum ab aliquibus dubitetur , sigillum cum filo pendenti eidem facientes apponi .

Hanc ædem deinde anno 1280. IV. Id. Januarii Guido Patriarcha Gradensis ritu sollemni consecravit , una cum Laurentio Archiepiscopo , ac tribus aliis Episcopis Arbensi , Nonensi , Seniensi. Novo templo novus ab S. Marco titulus impositus fuit ; nec vero propterea vetus statim exsolevit ; nam in tabulis etiam posteriorum ætatum a S. Platone cognominatum reperio . In sacrario ejusdem templi extat tabella parieti affixa , hisque litteris inscripta : *Dedicatio hujus templi celebratur XIV. Januarii . S. Platonis Titularis hujus templi festum fit XX. Novembris ;* cum cæteroquin anniversaria commemoratio S. Platonis in Martyrologio Romano ad diem quartam Aprilis adscribatur. Sed utroque titulo paullatim exsolescente , nunc a S. Dominico vulgo cognominari solet. Hæc ex tabulis cœnobii Dominicani Jadrensis.

Huc addere libet tabulas ipsas consecrationis.

Guido Patriarcha Gradensis consecrat templum S. Platonis.

Universis præsentes litteras inspecturis frater Guido miseratione divina sanctæ sedis Graden. Ecclesiæ Patriarcha Dalmatiæque Primas salutem in Domino sempiternam . Fidelium devotioni præsentium serie innotescat , quod nos auctore Domino qui omnium extitit principium atque finis quarto deci-

decimo die mensis Januarii intrantis ecclesiæ Fratrum Prædicatorum de Jadra & majori altari ejusdem ad Dei honorem & pretiosissimi Marci Apostoli & Evangelistæ & omnium Sanctorum consecrationis munus duximus impendendum. Cui consecrationi venerabiles Patres Dominus magister Laurentius Jadrensis Archiepiscopus, Dominus Stephanus Nonensis Episcopus, & Dominus Martinus Senien. Episcopus astiterunt. In qua quidem consecratione nostrorum quilibet ad ipsam populo confluenti ac die quolibet nominati mensis cum devotione eamdem ecclesiam visitanti, necnon omni prima Dominica uniuscujusque mensis usque ad unum annum, ob reverentiam prælibati Beati Marci indulxit unum annum & quadraginta dies de peccatis, de quibus vere essent contriti pariter & confessi; & de conscientia & voluntate venerabilis fratris nostri Domini Gregorii Arbensis Episcopi totidem annuimus indulgere. Sane quia tantum munus non est obliviscendum a fidelibus Jesu Christi, sed debet semper ardoris devotio in eorum mentibus germinare: eamdem ecclesiam Beati Marci in adniversario cunctis temporibus tanto indulgentiarum privilegio gaudere volumus una cum prædictis Archiepiscopo & Episcopis ad ipsam devotionem populi excitandam. Ad hæc nos Patriarcha una cum supradicto Episcopo Seniensi nostro in hac parte sibi accedente consensu ob reverentiam tanti principis beatissimi Marci Apostoli & Evangelistæ omnibus, qui prænominatam Ecclesiam visitabunt in diebus in quibus annuatim ejus festa sollemniter celebrantur, similiter unum annum & quadraginta dies pro quolibet præsentibus indulgemus. Ut pax Dei quæ exsuperat omnem sensum taliter illuminet corda vestra, quod tantum munus indulgentiarum possitis digne capere & habito retinere. Sperantes quod per hæc & alia bona quæ feceritis Dei adjutorio mediante, valeatis ad gloriam supernæ felicitatis merito adipisci. In cujus rei testimonium & perpetuæ firmitatis præsentes litteras fieri mandavimus & nostri ac prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum pendentium sigillorum munimine roborari. Dat. Jadræ in archiepiscopali palatio die exeunte mense suprascripto Januar. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo. Indictone octava.

Duæ epist. pontificiæ ad Laurentium.

Extant epistolæ duæ pontificiæ ad Laurentium Archiepiscopum; altera Innocentii IV. inscripta *Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Jadrensi, Episcopo Scardonensi, dilecto filio Archidiacono Nonensi.* Ei mandavit, ut cum duobus hisce ab se delegatis judicibus, de quibus inter Tragurienses & Sibenicenses erant controversiæ, rite cognoscerent, ac sententiam ferrent. Sibenicenses siquidem ajebant olim se proprium Episcopum habuisse, quod negabant Tragurienses; ac proinde urbem & Ecclesiam suam potestati Episcopi Traguriensis eximendam, eique sedem episcopalem restituendam esse. *Data est Anagniæ v. Id. Julii, Pontific. anno XII.* id est 1254. Altera est epistola Alexandri IV. inscripta *Ven. fratri Archiepiscopo Jadren. & dilectis filiis Abbati S. Grisogoni Jadræ, & Archidiacono Nonensi.* Ut Sibenicenses compellerent ad imperium Magistri fratrum militiæ Templi accipiendum, atque illi, quæ deberent, obsequia & officia præstanda. *Data est Anagniæ v. mensis Julii, Pontificatus anno primo*, id est 1255. Utramque epistolam descriptam habes in historia Ecclesiæ Sibenicensis.

Virgines Benedictinæ S. Nico.

Erat Jaderæ collegium Virginum Ordinis S. Benedicti sub titulo ac tutela S. Nicolai. Anno 1260. cum antistita mortua esset; omnes illæ Virgines de communi consensu adscribi voluerunt Ordini Franciscano S. Claræ, amplectique institutum & colere disciplinam cœnobii S. Damiani, quod Assisii in omni religiosarum virtutum genere florebat. Laurentius Archiepiscopus ea de re consulendos putavit Canonicos, & plures alios eximiæ doctrinæ ac prudentiæ viros; de quorum sententia consilium illarum Virginum approbavit; & cœnobium illud e Benedictino Franciscanum, omni jurisdictione archiepiscopali exemptum, in fidem & clientelam Sedis Apostolicæ transtulit. Extat ejus decretum in hæc verba: *Quia juxta Canonum sanctiones bonæ rei dare consilium, & vitæ præsentis habetur subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium; idcirco nos Laurentius D. G. Jadren. Archiepiscopus, cum nostro Capitulo universo, deliberatione diu inter nos habita, & communicato cum pluribus sapientibus & religiosis viris consilio, diligenter considerantes, & utiliter attendentes, quod donatione seu oblatione monasterii S. Nicolai de Jadra Ordinis S. Benedicti, quod Abbatissa caret, cum omnibus rebus suis mobilibus & immobilibus, quam universæ moniales ejusdem monasterii pura & pia intentione, de consensu patronorum ipsius, fecerunt liberaliter & devote Deo, & Ordini S. Damiani pauperum dominarum, sua simul eidem Ordini corpora offerentes; non solum in Jadrensi provincia, sed in tota Dalmatia procuratur & acquiritur tam salus corporum, quam etiam animarum; prædictam donationem, seu oblationem totius cordis visceribus ratam & gratam habentes, prædictum monasterium cum omnibus juribus suis, & moniales omnes, quæ nunc sunt, & quæ de cetero per tempora fuerint, ab omni jurisdictione, seu subjectione duximus perpetuo eximendas, nihil omnino juris nobis in eodem monasterio reservantes. In cujus donationis, ratificationis & exemptionis perpetuam firmitatem præsens scriptum nostris sigillis pendentibus fecimus communiri. Actum est hoc in monasterio antedicto, præsentibus Damiano Plebano S. Petri novi de Jadra, Geminiano Jadrensi Primicerio, & nobilibus viris Cocne de Merga, Obsogono de Mauro, Paulo de Lampredio, Joanne de Zivalelli, & Lampridio Nicole, & aliis pluribus, currente anno 1260. mense Martii die 7. exeunte Indict. 3.*

Iai se conferunt sub disciplinam S. Claræ.

Alexander IV. Virgines S. Nicolai in clientelam Sedis Apostolicæ recepit.

Laurentii decretum confirmavit Alexander IV. ac Virgines illas & omnia illorum bona in potestatem ac tutelam Sedis Apostolicæ recepit.

Alexander &c. Abbatissæ S. Nicolai Jadrensis, ejusque sororibus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis, & perpetuam religiosam vitam eligentibus &c. Eapropter dilectæ in Christi filiæ vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium S. Nicolai Jadren. in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub D. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti regulam atque imitationem monialium inclusarum S. Damiani Assisinaten. & formulam vitæ suæ a fel. rec. Gregorio PP. prædecessore nostro Ordini vestro traditam, cum adhuc esset in min. officio constitutus, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste

Digitized by Google

juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione fidelium &c. usque illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, Ecclesiam S. Joannis de Mezam cum vinea & terris ibidem positis, vineas de Gillun cum omnibus terris, quæ sunt ad Slacam, & cum omnibus terris, quæ sunt ad Bravo, & cum omnibus domibus, & casalinis, quæ sunt in civit. Jadrensi, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & cum omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Liceat quoque vobis &c. retinere &c. Præterea omnes libertates, & immunitates, quas monasterio vestro Ven. Fr. noster A. Jadren. de Capituli sententia indulsisse dignoscitur, sicut in eorum litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum præsenti privilegio inseri fecimus, qui talis est: Quia juxta Canonum sanctiones, &c. ut supra.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apostolica libertatis, unam libram ceræ nobis, nostrisque successoribus singulis annis persolvatis &c. Datum Anagniæ per manum Magistri Jordani S. R. E. Notarii & Vicecancellarii 3. Id. Junii, Indict. 3. anno Incar. Domini 1260. Pontificatus vero Domini Alexandri PP. IV. 6.

Idem Alexander litteris datis ad *Ministrum & Vicarium Sclavoniæ ac Guardianum Ord. Min. Jadræ*, eodem anno, XII. Julii, eidem imperavit, ut e cœtu fratrum suorum quatuor Sacerdotes spectatæ fidei, doctrinæ, ac probitatis eligeret, qui Virginibus illis ad regulam S. Claræ, atque ad omnes Franciscani Ordinis leges instituendis, eorumque confessionibus audiendis præessent.

Mandatum Joan. XXI. ad Laurentium Archiep.

Extat epistola Joannis Papæ XXI. anno 1276. data Viterbii ad Laurentium Archiep. Jadrentem: ut publice & sollemni denunciatione declaret communione Christianorum & sacris omnibus interdictum esse præpotentibus quibusdam viris, qui domicilium Dominicanum Nonense diripuerant, & manus sacrilegas in Fratres injecerant; jubeatque restitui quæ abstulerant.

Joannes Episcopus servus servorum Dei ven. frat. Archiepiscopo Jadren. salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Prior & conventus Ord. Prædic. Jadren. conquestione monstrarunt, quod licet per litteras Sedis Apostolicæ sit inhibitum, ut nullus Ecclesias aut loca Fratrum prædicti Ordinis ausu temerario præsumat infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere; ac statutum, ut illi, qui postposito timore divini Numinis secus facere præsumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi, nisi per eamdem Sedem, vel Conservatorem ab ipsa dictis Fratribus aut eidem Ordini deputatum; Marcus tamen, & Michael dicti Comites, Miroslaus Trazon, & Buchze cives Nonenses, adjunctis sibi nonnullis iniquitatis filiis, ad locum, quem dicti & Prior habebant in prædicta civitate Nonensi, hostiliter accedentes, & in quosdam ex dictis Fratribus manus injicientes, Dei timore postposito, temere violentas, partem loci ejusdem diruere, & bona dictorum Fratrum ibidem inventa rapere & asportare nequiter præsumpserunt, in dictorum Prioris & Fratrum grave præjudicium, & scandalum plurimorum. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si de hujusmodi manuum injectione, & loci prædicti dirutione legitime tibi constiterit, prædictos sacrilegos tamdiu appellatione remota, excommunicatos & publice nuncies, & facias ab omnibus arctius evitari, donec super iis satisfecerint competenter, & absolutionis suæ beneficium assequantur; eosdem quoque, quod bona ipsa dictis Priori & Fratribus restituant integre, ut tenentur, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, prævia ratione compellas. Testes autem, qui fuerint nominati, si se odio, gratia, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Viterbii Id. Octobr. anno Pontific. nost. primo; id est 1276.

Laurentii liberalitas erga Franciscanos.

Nec Laurentius erga Dominicanos, quibus cœnobium S. Platonis tradidit, quam erga Franciscanos cœnobitas, magis beneficus fuit; his quoque multa large effuseque donavit, unde sumptus ad cœnobium ac templum S. Francisci ædificandum necessarii suppeterent. Conditum templum absolutumque ipsemet consecravit anno 1282. ut est in tabulis cœnobii Franciscani.

Novam ædem metropolitanam exstruxit & consecravit.

Sed jam inde a suscepto pontificatu cogitationes suas curasque præcipuas ad molitionem novæ basilicæ metropolitanæ converterat, vetus quippe, præterquam quod erat male materiata, & ruinosa, neque magnitudine, neque structura, neque elegantia, dignitati sedis archiepiscopalis respondebat. Itaque de communi sententia tum Capituli, tum publici urbis Consilii, veterem disturbari jussit, & aream fundamentis jaciendis circumcirca laxari. In eam ædificationem tum Laurentius e domestico & ecclesiastico patrimonio, tum civitas ex communi ærario, tum cives omnes pro suis quisque facultatibus, ingentem vim pecuniarum contulerunt. Opus multorum annorum fuit; neque ante annum 1285. basilica ex omnibus suis partibus absoluta atque perfecta est; ampla sane & magnifica, quæ nomen ac dignitatem ædis metropolitanæ egregie sustinebat. Ad solemnem basilicæ dedicationem non solum Episcopos sibi subjectos, sed etiam Joannem metropolitam cum Episcopis provinciæ Spalatensis invitavit; cum enim, ut præclare Lucius animadvertit, pax Venetis esset cum Hungaris, nihil obstabat, quominus utriusque ditionis Episcopi in eumdem locum sub dominatu Venetorum convenirent. Adfuere igitur fere omnes utriusque provinciæ Episcopi cum Joanne metropolita Spalatensi; & anno 1285. v. Kalendas Maji peracta est consecratio quanta maxima excogitari potest pompa, religione, & magnificentia, nec solum civium sed etiam advenarum frequentia & gratulatione. Sub ipsam basilicæ dedicationem Laurentius duas insulas *Surium*, & *Srimaz*, id est *Mortarium* interprete Lucio, territorio Sibenicensi, ac diœcesi Traguriensi adjudicavit, quas Petrus Archidiaconus Sibenicensis ab Jadrensibus per injuriam ablatas fuisse questus fuerat, suamque sententiam litteris mandari jussit, & suo chirographo subscripsit, annuloque obsignavit. Verum postea tabulis ac monumentis Jadrensium diligentius inspectis, & auditis seniorum quorumdam testimoniis ad fidem faciendam maxime idoneis, cum ex his manifeste comperisset insulas illas ad jus civitatis ac diœcesis Jadertinæ pertinere, priorem sententiam revo-

Digitized by Google

revocavit, atque irritam fecit: qua de re per litteras admonuit Gregorium Episcopum Traguriensem, ne quid jurisdictionis, ac potestatis episcopalis in eas insulas usurpare auderet. Extat epistola Laurentii ad Gregorium in hæc verba.

Epistola Laurentii ad Gregorium Episc. Traguriensem.

Ven. in Christo Fratri D. Fratri D. G. Episc. Traguriensi amico in Christo dilecto Laurentius Pereander Jadrens. Archiep. sal. & fraternam in Domino caritatem. Cum pridie, seu noviter, quando placuit vobis consecrationi ecclesiæ nostræ personaliter interesse, præsentibus Ven. P. D. Fratre J. Archiepiscopo Spalaten. & vobis cum aliis suffraganeis ejus, atque nostris, quamdam litteram sigillo nostro signatam Petro Archidiacono Sibenicen. & Sibenicensibus concessimus super duabus insulis, Srimaz scilicet & Zuri, dicentes in eadem, quod istæ duæ insulæ, sicut audieramus, erant, & pertinebant ad Sibenicenses; postea dum per antiquos homines, & fide dignos audientes & intelligentes plenius veritatem, visis quibusdam etiam instrumentis, & privilegiis, in quibus manifeste probatur, quod prædictæ insulæ pertinebant, & erant de jure & proprietate civitatis Jadren. a tempore, cujus non extat memoria, prædictam confessionem nostram per errorem factam, quam propter ignorantiam, aut negligentiam, seu occupationem nimiam, occasione dictæ consecrationis ecclesiæ nostræ, fecimus, de consilio sapientum, & religiosorum nostrorum, auctoritate præsentium totaliter revocamus, irritamus, irritantes & cassantes eamdem; in hoc jura canonica exequentes, juxta verbum summi Pontificis dicentis: Sententiam Romanæ Sedis non negamus posse in melius commutari, cum aliquando dictum fuerit, seu factum, aut scriptum contrarium veritati; & ne occasione dictæ testificationis nostræ, sicut nullæ, & quamquam nullæ, processu temporis inter civitatem Jadrensem, & castrum Sibenicense quæstio aliqua valeat suscitari; præsentem litteram revocatoriam, nostri sigilli pendentis munimine, ac etiam signo & nomine infrascripti notarii roboratam, vobis duximus transmittendam. Datum Jadræ A. D. 1285. Indict. 13. die 2. men. Junii, præsentibus Ven. P. D. Fratre Augustino D. G. Episcopo Civitatis Novæ, & religioso viro Joanne Abbate S. Grisogoni, Nobb. viris Marino Girardo, & Ricobono de Venetiis, nunc mercatoribus Jadren. & aliis. Ego Laurentius D. G. Jadren. Archiepiscopus manu propria. Ego Vincentius ecclesiæ S. Stefani Presbyter, & Jadren. Notarius his interfui, & de mandato prædicti Archiepiscopi hanc cartam scripsi, roboravi, & signo consueto signavi.

Corpus S. Simeonis Prophetæ ex Palæstina Jaderam translatum.

Temporibus Laurentii Archiepiscopi magnam felicitatem ac lætitiam, ingens decus ac præsidium civitati & Ecclesiæ Jadrensi attulit corpus S. Simeonis Prophetæ, ejus, qui Christum Dominum suis manibus excepit, suisque brachiis complexus est, e Palæstina Jaderam translatum. Historia hujus translationis nullis quidem temporum illorum monumentis continetur; sed a majoribus per omnes deinceps ætates filiis ac nepotibus tradita est, eorumque animis altius impressa, quam ut vel hominum interitu, vel posteritatis oblivione aboleri potuerit; deinde vero, anno fere centesimo ab ea translatione, scriptis etiam celebrari, ac tabulis æneis vel marmoreis insculpi cœpit. Ceterum si quæ forte de sanctissimis illis exuviis Jaderam devectis in antiquis Jadrensium commentariis, & in aliis publicis privatisque erant codicibus, in multiplici conversione rerum ac perturbatione, direptionibus, incendiis, aliisve infortuniis, quæ postea secuta sunt, omnino interiere. Cum ab exitu sæculi undecimi usque ad finem sæculi decimi tertii plures ad Hierosolymam & Palæstinam vel recuperandam, vel tuendam expeditiones sacræ susceptæ fuerint; qui pio illo bello perfuncti in Europam redibant, si quæ Divorum corpora nancisci potuerant, quæ summa aviditate ubique conquirebant, ea secum afferebant, ut patriam pretiosis hujusmodi lipsanis ditarent; & cum Christiani reges ac populi per annos fere ducentos tot classes armaverint, tot sumptus ac labores impenderint, tam multa & gravissima pericula adierint, tantum denique sanguinis profuderint vel ad Hierosolymam excipiendam, vel ad Palæstinæ possessionem retinendam; omnis quidem eorum conatus ad irritum cecidit, hoc tamen emolumenti perceptum est, quod multæ & nobilissimæ civitates Italiæ, atque Europæ pretiosissimis Martyrum ac Divorum spoliis ex Oriente advectis locupletatæ fuerunt. Erat præterea temporibus illis frequentissima cujusque nationis hominum ex Europa in Asiam & Palæstinam navigatio; alii religionis & voti caussa ritu peregrinantium sacra loca petebant; alii cum mercibus & oneribus commeabant; ac præsertim Veneti, qui plures insulas & urbes in illis partibus, quæ post captam Constantinopolim eis obtigerant, satis diu in potestate retinuerunt. Mira vero omnibus, qui quacumque de caussa illuc trajiciebant, cupiditas inerat, vel integra Divorum corpora, quorum referta erant vetustissima illarum regionum templa, vel saltem aliquid ex eorum mortalibus exuviis, undecumque oblata fuisset occasio, auferendi ac domum asportandi. Certe Veneti hujusmodi sacris opibus, quas multo pluris faciebant, quam urbium captarum spolia, ex Oriente delatis, tum patriæ suæ, tum insularum circumjacentium templa locupletarunt. Neque enim religioni habendum esse putabant reliquias Sanctorum aut furtim surripere, aut per vim auferre; ac tantum aberat, ut hujus generis furta & rapinæ crimini cuiquam darentur, ut potius id laudi ac pietati tribui soleret; præsertim cum prope jam esse videretur, quando res Christiana in illis partibus quotidie deterior fiebat, ut omnia loca illa sanctissima sub potestatem hostium Christiani nominis reciderent. Ex occasione igitur hujusmodi sacrarum vel expeditionum, vel peregrinationum, aut etiam itinerum commercii caussa susceptorum, Jadera pretiosissimum illum, de quo loquimur, thesaurum adepta fuit.

Translationem S. Simeonis alii Francisco Cedulino,

De corpore S. Simeonis Jaderam transvecto triplex fama vulgata est. Anno 1274. cum Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi novam ad Hierosolymam recuperandam expeditionem Christianis regibus ac principibus indixit; ajunt Franciscum Cedulinum civem Jadrensem cum decem navigiis armatis ab Jadertinis in Palæstinam rei Christianæ periclitanti subsidio missum fuisse; & cum aliquandiu rem strenue gessisset, reversum in patriam, sacrum illud corpus attulisse. Sed Gregoriana illa expeditio successu caruit; & ex omnibus regibus ac dynastis Christianis nemo unus fuit, qui se tam gloriosi operis ducem profiteri voluerit. Quare nulla tunc classis Europa in Palæstinam trajecit, ad quam Jadertini suas naves adjunxerint; nisi forte

& anno circiter 1276.

te

te ultro ipsi & soli hoc subsidium Christianis in magnum discrimen adductis submiserint.

In quodam codice vetusti characteris scriptum est corpus S. Simeonis Jaderam allatum fuisse anno 1213. cum Marinus Cedulinus tredecim triremes Jadrenses cum Januensium navibus conjunctas, & sacra expeditione perfunctas, in patriam reveheret. Sed præterquam quod post Constantinopolim captam anno 1204. usque ad annum 1215. nulla decreta fuit in Palæstinam expeditio, & quæ ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi indicta fuerat anno 1215. biennio post suscepta est ductore Andrea rege Hungarorum; non est sane verisimile Jadrensium triremes Jaderam appulisse simul cum navibus Januensium, quibus graves tum erant ac diuturnæ inimicitiæ cum Venetis, quorum imperio Jadera suberat. In anno quoque advecti sanctissimi illius corporis erratum est; nam e quodam scripto reperto in arca ejusdem, ut postea dicemus, colligitur illud in urbem allatum & conditum fuisse post annum octogesimum sæculi decimi tertii.

alii Marino Ceduli-no & anno 1213.

alii anno 1283.

Ab hac & superiori narratione diffidet & variat fama communior & magis recepta. Ajunt inde usque ab antiquis temporibus memoriæ traditum esse onerariam quamdam Venetam, quæ revertebatur e Syria, in Adriaticum sinum invectam, coorta repente atroci ac læva tempestate, ventis ac fluctibus, non sine evidenti periculo naufragii, diu multumque agitatam fuisse; ac demum facta mercium jactura, discissis velis, malis antennisque difractis, haud dubio cælitum impulsu portum Jadertinum tenuisse. Inter vectores erat quidam civis Venetus, nobilis in primis ac pius, qui sacra Palæstinæ loca, Christi Domini, Deiparæ Virginis, & Apostolorum nobilitata vestigiis summa veneratione obierat. Hic corpus B. Simeonis Prophetæ arca lignea inclusum Venetias afferebat, quam in sentinam navis, loco invio & impervio abdiderat, ne cui occulti thesauri suspicionem injiceret; ex quo evenit, ut in communi rerum omnium jactura, nautarum oculos & manus effugeret. Exscensu in terram facto, dum navis, vela, antennæ, cæteraque instrumenta navalia reficerentur, usus est hospitio apud quosdam religiosos viros, qui domicilium habebant in suburbio; arcam efferri jussit, ac suis hospitibus commendavit; quos tamen quid in ea contineretur ut celaret, simulavit se ibi inclusum habere cadaver fratris sui, in Palæstina demortui, quod Venetias transportabat, ut sepulchro majorum suorum inferret: eos rogavit ut interea, dum tempus profectionis appeteret, illud in communi cœmeterio subter terram conderent. Verum paullo post in letalem morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus est; cum autem in extremo vitæ periculo versaretur, ejusque salus desperata jam esset; religiosos hospites admonuit, ut antequam corpus suum terræ mandarent, schedulam quamdam involutam, quam collo appensam gestabat, explicarent, attenteque legerent; ex ea intellecturos, quale & quam pretiosum depositum in arca illis commendata contineretur. Vix ille spiritum supremum efflaverat, cum boni illi Fratres mira cupiditate flagrantes sciendi quid tandem istuc rei esset, schedulam e demortui collo detrahunt, aperiunt, legunt; & cum comperissent se talem ac tantum, insperatum, nec opinatum thesaurum adeptos esse, incredibile dictu est, quanta illorum animos rei novitate attonitos admiratio simul ac lætitia incesserit. Antequam dies illucesceret, atque urbis januæ aperirentur, ad vitandam frequentiam ac turbam popularem, arcam effodere ac recludere statuunt. Verum illa ipsa nocte tres Judices civitatis, qui una cum Veneto Prætore rebus publicis præsidebant, alius seorsum ab alio, somnum inter ac vigiliam divinitus admoniti sunt de sacris exuviis sanctissimi cujusdam viri, Jaderam inde usque ab Palæstina, singulari Dei beneficio, ad præsidium urbis & salutem insularum transvectis; simulque illis ostensus est locus, ubi latebant, atque unde eruendæ forent, ut publicæ venerationi expositis debitus honor haberetur. Protinus illi mixta pavori lætitia perfusi evigilant, e lecto prosiliunt, & singuli ignari quid aliis quoque secundum quietem cælesti voce patefactum esset, in idem quadrivium haud dubio Numinis ductu conveniunt; quid sibi quisque divino admonitu nuntiatum fuerit, inter se aperiunt & conferunt; januam urbis mane summo reserari jubent, & viris illis religiosis arcam effodientibus superveniunt. Hi autem deprehensi cum essent, neque de sacro illo thesauro ibidem infosso, quem apud se retinere cupiebant, eos jam divinitus edoctos celare possent; rem omnem ordine narrant, schedulam apud suum hospitem vita functum inventam ostendunt, quæ fidem facit corporis S. Simeonis Prophetæ in suum loculum inclusi; cum schedula cohærent quæ tres illi Præsides civitatis Deo monente cognoverant; nullus dubitandi locus relinquitur. Arca extracta reclusaque, corpus venerandi senis prorsus integrum, nullaque ex parte tabefactum reperiunt. Quæ res objecta oculis animisque omnes, qui aderant, stupore & miraculo attonitos defixit: ut se paullisper collegerunt, extemplo positis genibus in terram procumbunt, Deum in Sanctis suis admirabilem collaudant, cui etiam curæ sint cadavera servorum suorum; & manantibus præ gaudio lachrymis divinæ bonitati gratias agunt, quod se ac patriam tali ac tanto munere & honore dignaretur. Ubi primum in urbem fama perlata est, cuncta civitas se plenis portis effudit, sacri corporis tum visendi studio, tum etiam venerandi. Archiepiscopus cum Sacerdotum agmine processit, corpus diligenter inspexit, partes omnes diu multumque pertentavit tractavitque, ac totum plane integrum invenit, nulla tabe aut livore correptum, ac tale prorsus, quale nunc etiam existit; omnibusque ejus visendi cupidis ostendit. Deinde rem omnem pro sua gravitate ac prudentia diligentius cautiusque examinandam censuit; & tum Fratres illos de arca eisdem commendata, tum Judices civitatis de superna illa admonitione, variis percontationibus, quales ad veritatem eliciendam adhiberi solent, rite interrogavit. Cumque illi congruentia respondérent, nec modo sibi unusquisque, sed etiam omnes inter se mire constarent, decrevit illud prudenter pieque credi posse corpus esse S. Simeonis Justi & Prophetæ, qui puerum Jesum Christum in templo suis manibus excepit; & quæ tum huic, tum Virgini Matri eventura essent, divino afflatus spiritu prædixit. Itaque in urbem sollemni & frequentissima supplicatione defertur; & duplici loculo cupressino & marmoreo inclusum in templo S. Mariæ Majoris, ubi erat insigne collegium Presbyterorum, collocatur, ut ibi perpetuo supplicum votis ac ve-

& pio cuidam civi Veneto adscribunt.

Illud S. Simeonis Prophetæ corpus esse agnoscitur.

In Urbem infertur & in templo S. Mariæ deponitur.

venerationi expositum esset. Arca marmorea vetus adhuc extat, visiturque in æde S. Stephani, aræ S. Crucis inserta, cujus pars anterior effigiem S. Simeonis in modum cubantis, opere & scalpro valde antiquo cælatam exhibet.

Nec defuerant crebra & illustria miracula, quæ statim sacris illis exuviis fidem ac venerationem conciliarent; ægrotis salus restituta, dæmones e corporibus obsessis expulsi, cæcis videndi, claudis gradiendi facultas reddita; nonnulli fere ex ipsis mortis faucibus erepti, alii aliis calamitatibus, quibus obnoxia est humana conditio, divinitus exempti; sed defuerunt qui hæc vetustiora miracula, ac a majoribus velut per manus tradita posteris, litteris etiam sigillatim ac districte proderet. Horum fama longe lateque vulgata non Dalmatas solum, sed etiam finitimos populos ad sepulchrum S. Simeonis colendum, ejusque opem implorandam excivit. Exinde S. Simeonis cultus ac veneratio crevit in dies, neque ulla temporum diuturnitate diminui potuit; quin magis magisque aucta est, atque etiam vel maxime viget ac floret. Hæc Jadrenses fama & auditione a majoribus accepta commemorant. Opinionum commenta delet dies, rerum gestarum veritatem confirmat; hæc stabilis permanet ac celerrime propagatur, illa vix orta evanescunt.

Eximia Ludovici, & Elisabethæ regum Hungariæ erga sacrum illud depositum religio.

De corpore S. Simeonis apud Jadrenses condito certa & communis opinio, intra centum annos longe ac late pervagata, usque adeo convaluerat, ut Ludovicus rex & Elisabetha ejus uxor regina Hungariæ, cum Jaderam venissent anno 1371. de tam testata pervulgataque re minime dubitari posse existimarunt, neque alienum regia gravitate putaverunt eximio pietatis exemplo fidem eidem atque auctoritatem adjungere. Itaque ad templum S. Mariæ Majoris, cum dynastis, proceribus, ac toto regio comitatu processerunt; & sacrum illud depositum caste pieque venerati, muneribus etiam regali magnificentia dignis coluerunt. Elisabetham, dum corpus illud ab omni labe intactum intentius contemplatur, ingens cupido incessit aliquid ex eo auferendi, quod in suo regio conclavi asservaret omni honore cultuque. Ergo per speciem pertentandæ illius integritatis plane admirabilis, furtim digitum avulsit, suoque in sinu clam reposuit. Mirum dictu, visuque! vix ab ara paullulum abscesserat, cum sacro quodam horrore correpta, ore toto expallescere, circumfusa oculis caligine cæcutire, omnibus artubus contremiscere; ac parum abfuit, quin præceps in terram caderet, nisi prompti accurrissent ephebi aulici, qui eam a lapsu sustinerent. Ad hæc, ulceribus subito inustis totum pectus, ubi pium furtum condiderat, sibi putrescere, & saniе ac tabe manare animadvertit. Enimvero, ut erat femina prudens ac religiosa, Deum avulsi digiti ultorem agnovit ac sensit, nec vero aliter, nisi eo restituto, cælestem iram placari posse. Quocirca alienis manibus ad arcam S. Simeonis se reduci jussit; & genua submittens, manus pariter oculosque tendens in cælum, manantibus ubertim lachrymis, veniam a Deo, Divoque Simeone enixe petere instituit, ignoscerent pio errori, ignoscerent delictum agnoscenti suum, nihil e sacro illo corpore penes se, Deo & B. Simeone invito, futurum. Digitum ablatum restituit, deditque in manus cuidam Sacerdoti, qui cum eum suo loco reposuisset, ita cohæsit, ut recentis juncturæ ne vestigia quidem apparerent. Tum paullatim pristinus ori color, oculis serenitas, membris vigor redire; & ulceribus evanescentibus, perfectam corporis sanitatem, animique tranquillitatem recepit. Gratiis Deo ac Beato Simeoni actis, annulos ingentis pretii sibi detraxit, quibus digitum quem absciderat, indui voluit; deinde vero, ut suum errorem sive culpam expiaret, simulque valetudinis recuperatæ, ac beneficii accepti insigne monumentum ac perpetuum statueret; arcam argenteam vovit, in quam S. Simeonis corpus conderetur; & mille marchas argenti in eam impendendas numeravit. Quæ quidem arca anno demum 1380. cælatis operibus, summoque artificio perfecta est. Quæ divinitus reginæ acciderant coram aulicis, & confertissima multitudine, ac pæne in conspectu totius civitatis, ut apud posteros fidem haberent, una cum effigie sua in ipsamet arca cælari jussit; ubi etiam visuntur quædam antiqua miracula per Sanctum Simeonem edita, ac præsertim historia ejus corporis Jaderam navigio advecti, & effossi e suburbano cœmeterio, ut supra a nobis descripta est; quæ ab avis & parentibus voce vel scripto tradita, sæculo proximo post sacras illas exuvias Jaderam delatas, adhuc filiorum ac nepotum memoria vigebat. Arcæ descriptionem, & epigraphem eidem incisam in annum octogesimum sæculi decimi quarti, atque in pontificatum Petri de Matafaris Archiepiscopi Jadrensis rejiciendam censeo.

Schedula reperta in arca veteri.

Sæculo superiori cum detecta esset arca vetus marmorea, repertus est ibidem catalogus vetusti characteris, in quo descripta sunt cognomina illustrium familiarum Jadrensium, quæ sæculo decimo tertio florebant; & cujusque familiæ princeps nominatim exprimitur, sub hoc titulo:

Nomina Dominorum Nobilium Jadertinorum de anno 1283.

Andreas Cotopagna.

Mastinus de Sabbe.

Bogde de Laurcha &c.

Sunt omnino ad centum; ex his autem nonnulli in actis tabulisque publicis illius ætatis nominati reperiuntur. Hinc intelligi licet, quo anno corpus B. Simeonis, ante biennium, vel triennium e Palæstina Jaderam, atque in urbem delatum, in arca illa marmorea depositum fuerit, quo cum cives illi ac patricii Jadrenses, religionis caussa, nomina sua & cognomina includi voluerunt; ut scilicet meritis & precibus B. Simeonis apud Deum interpositis eadem libro immortalis beatæque vitæ inscriberentur. Itaque annus sacrosancti corporis Jaderam advecti fuit annus Christi circiter 1280. & anno 1281. in arcam illam inclusum est.

Possessionem corporis S. Simeonis, quam Andreas Dandulus Venetis attribuit.

Hanc inveteratam Jadrensium de corpore S. Simeonis apud se condito, firmamque opinionem obtundere videtur atque elevare auctoritas Andreæ Danduli, qui corpus idem B. Simeonis sub initium ejusdem sæculi decimi tertii Venetias Constantinopoli allatum fuisse tradit, cum Henricus Dandulus principatum apud Venetos obtinebat: *Plebei etiam Veneti Andreas Balduino, & Angelus Drusiaco de Oratorio S. Mariæ adhærente Ecclesiæ S. Sophiæ* (Constantinopolitanæ) *corpus S. Simeonis Prophetæ cum labore auferunt, quod Venetias delatum in Ecclesia antiquitus sub Sancti vocabulo fabricata reponunt*. Verum celebritas & magnificentia cultus vetustissimi, quem apud Jadertinos obtinet Simeon is, de quo S. Lucas cap. 2.; concursus populo-

lorum ex tota Dalmatia & finitimis regionibus, non modo Christianorum, sed etiam Turcarum ad beatas ejusdem exuvias colendas confluentium, crebra per eum miracula edita, multa & maxima beneficia supplicum votis per eumdem collata, ut alia omnia argumenta deessent, possessionem ejus sanctissimi corporis Jadrensibus adjudicant, vix ut locus dubitationi ullus relinqui videatur. Contra ea Venetiis corpus illud, quod in æde S. Simeonis asservatur; cujuscumque Divorum cum Christo regnantium sit, non ea veneratione, non ea civium frequentia, non ea denique donorum opulentia & copia colitur, quæ talem ac tantum Prophetam deceret, quem Deus tali ac tanto honore dignatus est, ut vindicem ac Servatorem totius generis humani, ab antiquis Prophetis prænunciatum, suismet oculis videret, suis manibus contrectaret, suis etiam ulnis amplecteretur; quin immo corpus illuc hactenus jacuit inclusum arca nullius pretii, & fere in vulgus ignotum, neglectumque. Nec vero tanti est auctoritas Andreæ Danduli, ut piam illam communemque, & multorum ætatum consensu firmatam Jadrensium credulitatem infirmet, eisque corporis S. Simeonis jam inde a sæculo decimo tertio possessi gloriam eripiat. Neque enim ab illa ætate, qua cum Venetam S. Simeonis Prophetæ translationem conjunxit, proximus fuit Dandulus, sed centum, & fere quadraginta annorum intervallo disjunctus, ut necesse non sit tantam illi auctoritatem & fidem tribuere, quanta tribui solet scriptoribus, qui rebus gestis vel æquales, vel suppares fuerunt. In partibus Orientis plures alios fuisse & sanctitatis excellentia, & miraculorum fama celebres viros, quibus Simeonis nomen fuit, quibusque Christiana religio titulum cultumque Divorum decrevit, tum Romanum, tum alia Martyrologia vetustissima testantur. Ex his illum fuisse arbitror, cujus corpus sæculo decimo tertio ineunte Græcis ademptum, & Venetias translatum fuit; & opinionis errore factum existimo, ut putaretur esse corpus S. Simeonis Prophetæ; cum cæteroquin nulla, quibus id probaretur, argumenta vel indicia proferri possent. Est quidem apposita inscriptio tabellæ marmoreæ antiquis litteris incisa, quæ declarat illud esse corpus S. Simeonis Prophetæ Constantinopoli translatum; sed nihilo recentior est, & fortasse vetustior, ut ex forma litterarum perspici potest, inscriptio, quam regina Elisabetha in fronte media arcæ argenteæ insculpi jussit. Annus corporis Venetias delati, Venetæ inscriptioni subjectus, qui est Christi 1203. mihi non satis probatur. Nondum enim Galli & Veneti Constantinopolim in potestatem redegerant; quæ capta est anno 1204. tunc enim & alia nobilissimæ illius & opulentissimæ urbis spolia, & multa etiam Divorum corpora Venetias allata sunt; & sane Dandulus corpus S. Simeonis post Constantinopolim Græcis ademptam Venetias devectum fuisse tradit. Ceterum in hac controversia, ab Jadrensium caussa contra ipsos Venetos multa sunt & gravissima judicia Ducis ac Senatus Veneti, itemque supremi magistratus Dalmatiæ, qui plura decreta fecerunt, suis deinceps locis ac temporibus inserenda, pro tuendo ornandoque templo & sepulchro Jadertino S. Simeonis Prophetæ; quæ quidem facturos fuisse non arbitror, si ejus corpus inde abesse, & Venetiis asservari existimassent. Si ergo Veneti judiciis ac decretis summæ apud omnes auctoritatis stare velint, hanc gloriam Jadertinis intactam relinquant necesse est; Jadertini vero de hujus sacratissimi corporis possessione, sibi æque honorifica, ut salutari & benefica, in Domino glorientur.

Jadrenses jure potiori sibi vindicant.

Ut redeamus ad Laurentium Archiepiscopum, hic sollemni pompæ, qua venerandum illud corpus in urbem delatum est, conditumque in æde Mariana, non solum interfuit, sed etiam præfuit: & incredibili gaudio exultans, quod suis temporibus Civitati & Ecclesiæ suæ tam insigne decus ac præsidium singulari Dei beneficio collatum fuerit, jure ac merito canere potuit cum beatissimo illo sene: *Nunc dimittis servum tuum Domine in pace &c.* Nec sane multos annos superstes fuit, & meritorum, quam dierum plenior e vita migravit anno 1287.

ANDREAS ARCH. JADREN. XI. electus.

Andreas Gussonius Archiep. electus, ob controversiam exortam jure suo cessit.

Oriundus e familia Veneta Gussonia, quam & Gausoniam, & Campsoniam nominatam invenio; idemque erat Canonicus Ecclesiæ cathedralis Patavinæ. Cum pro more illorum temporum Canonici Jadrenses ad comitia archiepiscopalia convenissent, plerique suam in eum suffragia contulerunt. Reliqui Canonicorum, qui ab illis diffidebant, ad Guidonem Patriarcham Gradensem provocarunt. Res diu multumque coram Primate variis contentionibus agitata, ad exitum perduci non potuit. Itaque ad Sedem Apostolicam appellatum est. Nicolaus IV. hujusmodi controversiam dirimendam dedit Joanni Presbytero Cardinali S. Caciliæ. Sed dum adhuc lis sub judice pendebat, Andreas Gussonius studio pacis & quietis Romam se contulit; & coram Pontifice jus omne Archiepiscopatus Jadertini obtinendi, quod per electionem acquisierat, sponte ac rite dimisit. Nomen Archiepiscopi electi duos, tresve annos sustinuit, & in tabulis Jadrensibus *an.* 1288. *die* 12. *Januarii*, itemque *anni* 1289. XII. *Februarii*, & II. *Aprilis Andreas Gausonius* appellatur *Archielectus*. Pontifex nominationem Antistitis Jadrensis ad se revocavit; ab eoque nominatus est

JOANNES II. ARCH. JADREN. XII.

Hic primus ex omnibus fuisse dicitur, quem Pontifex Romanus Antistitem Jadrensibus dedit, cum antea penes Capitulum Jadertini Archiepiscopi eligendi, approbandi vero consecrandique potestas fuisset penes Patriarcham Gradensem Primatem provinciæ Jadrensis. Natus est Anagniæ, quæ olim veteris Latii, nunc Campaniæ civitas est sane frequens ac nobilis. Aggregatus ad sodalitatem Franciscanam Fratrum Minorum rigidioris disciplinæ, avito posthabito, cognomen e patria sumpsit, dictusque est *F. Joannes de Anagnia*. Octavius Spaderus cœnobii Franciscani Jadrensis alumnum fuisse tradit. Ejus singularem doctrinam & virtutem perspectam habuerat Nicolaus Papa IV. ex eadem Franciscana familia ad Pontificatum evectus, dum in Dalmatia versabatur. *Assumptus hoc anno* 1291. (ut scripsit Vadingus) *ad Archiepiscopatum Jadræ (quæ insula est, & urbs primaria Liburnorum ditionis Venetæ, corpore S. Simeonis Prophetæ, qui Christum ulnis excepit, commendatissima) per obitum Laurentii pastore vacantem, F. Joannes Minorita de Anania.*

Ex-

Extat diploma Nicolai IV. qui Joannem Jadertinæ Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit.

Diploma Nicolai IV. Pont. quo Joannem Ecclesiæ Jadertinæ præficit.

Nicolaus &c. Dilecto filio F. Joanni &c. Ad universalis Ecclesiæ regimen divina dispositione vocati, circa statum cujuslibet aciem sollicitæ considerationis extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut Ecclesiæ singulæ a pastoribus gubernentur idoneis, & rectoribus utilibus dispenantur. Dudum siquidem Jadrensis Ecclesia per obitum bonæ memoriæ L. Jadrensis Archiepiscopi pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius Ecclesiæ pro futuri substitutione pastoris convenerunt in unum, & cum tandem nonnulli ex dictis Capitulo Magistrum Andream Capsoni Canonicum Ecclesiæ Paduan, in Jadrensem Archiepiscopum elegissent, reliqui ad venerabilem Fratrem nostrum Gradensem Patriarcham, loci superiorem, ab electione hujusmodi appellarunt. Coram quo aliquandiu negotio hujusmodi ventilato, nos in eo postmodum per appellationem ad Sedem Apostolicam, legitime devoluto dilectum filium nostrum Joannem tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem concessimus partibus Auditorem. Verum postea idem magister Andreas cupiens suæ providere quieti, juri, si quod sibi in electione hujusmodi extiterat acquisitum, in nostris manibus renunciavit expresse. Nos itaque hujusmodi renunciatione recepta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ salutarem debita solertia consurgentes, ut ipsam avertamus a dispendiis, quæ solent Ecclesiis ex vacatione diutina provenire, in te Ordinis Minorum Fratrum, quem ut fide dignorum testimonio laudabili accepimus, virtuosum prædicant fluenta virtutum, ac titulo multæ circumspectionis extollunt, oculos direximus nostræ mentis. Quapropter sperantes in Domino, quod per ministerium tuæ virtutis in multis expertum, & experientia comprobatum, præfata Ecclesia in prosperitate consurget optata, & brachio tuæ consolationis subnixa in spiritualibus & temporalibus, auctore Domino, gratis proficiet incrementis, te ipsi Ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio præficimus in Archiepiscopum & pastorem, tuæ prudentiæ curam & administrationem ipsius temporaliter, & spiritualiter, committendo, postmodum tibi de nostris manibus munere consecrationis impenso. Rogamus itaque fraternitatem tuam & hortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ tuæ fidelitati commissas devoteque susceptas, sic prudenter studeas gerere, ipsarumque onus prudentius supportare, quod in grege tibi tradito fructus multiplices illi bono pastori acceptos referas, qui dat affluenter & non improperat, quique actus sibi placitos dirigit in viam salutis æternæ; id sic efficaciter supernis adjutus auxiliis impleturus, quod proinde una cum tuis subditis merearis cum dilectis in districto examine in dexteram collocari, sempiterna lætitiæ dulcedine fruiturus. Datum apud Urbem veterem 2. Idus Februar. anno 3. idest Christi 1291.

Cum Joannes Jaderam venisset ad regimen Ecclesiæ sibi commissæ suscipiendum, una cum Capitulo & clero, magistratu & populo, Thomasinam Maurocenam matrem Andreæ III. regis Hungariæ, navibus Venetorum advectam, regio apparatu accepit. Hæc siquidem Stephano Andreæ II. ex Beatrice Estensi secunda conjuge filio, Venetiis exsulanti nupserat; ex eoque Andream III. genuerat, qui, post interitum Ladislavi regis a Cumanis interfecti, ab Hungaris evocatus regis titulum & insignia sumpsit anno 1290. & anno insequenti matrem, quam Venetiis reliquerat, perhonorifice invitavit. Thomasinæ adventum in urbem Jadrensem Tabulæ Tragurienses confirmant: *Anno 1291. die 18. Septemb. Cum mater regis Ungariæ transitum facere intendit per Jadram, ad reg. mittatur una galeotta Communis bene & diligenter aptata &c.*

Litteræ encyclicæ Nicolai IV. ad Joannem missæ.

Nicolaus IV. Palæstinæ recuperandæ cupiditate flagrans litteras encyclicas ad Joannem Jadrensem, tum ad ceteros Archiepiscopos, & Episcopos quaquaversum misit, ut Christianos ad sacrum bellum, & crucis insigne suscipiendum hortarentur. Has Joannes se accepisse testatur in suis ad Episcopos provinciales litteris: *Universis præsentes litteras inspecturis F. Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Jadren. Archiepiscopus, sinceram in Domino charitatem. Noveritis universi vos a sanctiss. Patre nostro Nicolao PP. IV. litteras recepisse non vitiatas &c. quarum tenor de verbo ad verbum talis est: Nicolaus SS. D. Venerabilibus Fratribus Archiep. Jadren. & ejus Suffraganeis sal. & apostol. benedict. Guerræ sanctæ miserabilis status &c. Dat. Urb. vet. Cal. Augusti Pontif. nostri anno* IV. id est 1292. His litteris & hortationibus pontificiis, suas quoque Joannes hortationes adjecit, ut impigre seduloque exsequeretur, quæ Pontifex jubebat.

His temporibus Ecclesiam metropolitanam Jadrensem muneribus coluerunt Comites Breberienses, qui ea tempestate maximis opibus copiisque florebant, Paullus Banus Chrobatiæ, ac Dominus Bosnæ, & Mladinus ejus filius, itemque Martinus quidam e Dynastis Chrobatiæ; quorum eximiæ religionis monumenta extant, binæ videlicet argenteæ lipsanothecæ, his notis inscriptæ: *Paulus Banus Croatorum ac totius Bosnæ Dominus hoc fecit fieri ad honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum & S. Danielis Prophetæ. Paulus, Martinus, & Mladenus Croatiæ Præsides S. C. P. fieri jusserunt.*

Altera Bonifacii VIII. epistola ad eumdem.

Bonifacius Papa VIII. anno 1295. Joanni Archiepiscopo Jadrensi epistolam scripsit, ut est apud Vadingum tom. 2. Annal. eique imperavit, ut virum expertæ fidei, doctrinæ, probitatis ex Ordine Franciscano, Ecclesiæ Absorensi, vel Arbensi pastore suo viduatæ Episcopum præficeret. Anno 1296. Concilio Gradensi sub Ægidio Patriarcha per procuratorem interfuit; Capitulum quoque Jadrense alterum procuratorem misit: *Ægidius Dei & Apostolicæ Sedis gratia S. Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, Dalmatiæque Primas, una cum venerabilibus Fratribus, & Suffraganeis nostris .... Petro Nicolao Clerico de Vicentia procuratore Ven. Patris Domini F. J. Jadrensis Archiepiscopi .... & Marino Piloso Plebano S. Stephani de Jadra procuratore Capitulorum Jadrensis & Abserensis &c.*

Concilio Gradensi per procuratorem interfuit.

Translatus ad Ecclesiam Tranensem.

Idem Bonifacius anno 1297. Joannem Ecclesiæ Jadertinæ ademptum, Tranensibus in Apulia Archiepiscopum dedit. Sed morte sublatus anno proximo, hanc sedem vacuam reliquit.

HENRICUS ARCHIEP. JADREN. XIII.

Patria Tudertinus ex Ordine Patrum Minorum S. Francisci, de quo Vadingus Tom. II. *Creavit hoc anno 1297. Bonifacius Archiepiscopos duos ex Minoritis .... F. Henricum de Tuderto in Ecclesia Jadrensi in insula Liburnorum ditionis Venetæ, per translationem Joannis Archiepiscopi etiam Minoritæ, ut supra diximus, ad* Ec-

Digitized by Google

Ecclesiam Tranensem, vacante XIV. Kal. Julii. Extat diploma pontificium collati eidem Archiepiscopatus.

Diploma Bonifacii VIII. P.

Bonifacius &c. Dilecto filio F. Henrico de Tuderto Fratrum Minorum professori &c. Romani Pontificis, quem Pastor ille cælestis, & Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, Ecclesiis prætulit universis, plena curis & onusta angustiis sollicitudo requirit, ut circa cujuslibet statum Ecclesiæ sic ipse solerter invigilet, prudenterque excogitet, ac prospiciat diligenter, ut per ejus circumspectionem providam, & providentiam circumspectam, Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus, & rector providus deputetur; quatenus ipsæ, superni favoris opitulante clementia, lætis foveantur eventibus, & votivæ prosperitatis successibus gratulentur. Sane Jadrensi Ecclesia per translationem venerabilis Fratris nostri Joannis Tranensis, tunc Jadrensis Archiepiscopi, ad Tranensem Ecclesiam per nos factam, nuper solatio destituta pastoris, nos ad ejusdem Jadrensis Ecclesiæ quietum statum, & prosperum, paternæ sollicitudinis studio intendentes, ordinationem ejus, & dispositionem Sedi Apostolicæ duximus reservandam. Decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter per quemcumque, seu quoscumque contingeret attentari. Volentes igitur prout ad nostrum spectat officium, obviare dispendiis, quæ possent ex prolixæ vacationis instantia eidem Jadrensi Ecclesiæ imminere. Considerantes etiam probitatis merita grandia, & virtutum dotes multiplices, quibus dono superni Numinis nosceris insignitus, & propterea spem gerentes indubiam fiduciamque plenam in Domino obtinentes, quod per tuæ laudabilis circumspectionis industriam, cum te celebris famæ præconium referat, quod multorum relatio fide digna confirmat, in spiritualibus & temporalibus circumspectum, præfata Jadrensis Ecclesia, Deo favente, proficiet in utrisque, deliberatione cum Fratribus nostris super hoc habita diligenti, te jam dictæ Jadrensi Ecclesiæ, Ordinis Fratrum Minorum professorem, de Fratrum prædictorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, præficimus in Archiepiscopum, & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus, & temporalibus committentes. Firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino, per actus tuos, eidem Jadrensi Ecclesiæ, per tuam curiosam solertiam, tuum ministerium studiosum honoris & prosperitatis multiplicis, Deo propitio, desiderata provenient incrementa. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus nostris, & Apostolicæ Sedis beneplacitis sub promptæ humilitatis officio te coaptans, & reverenter suscipiens impositum a Domino tibi onus, ejusdem Jadrensis Ecclesiæ curam sollicitam gerere studeas, ejusque vacare profectibus non omittas, gregem Dominicum in illa tuæ discretioni commissum doctrina verbi & operis informando; ita quod Ecclesia ipsa per tuæ diligentiæ studium laudabilibus in spiritualibus, & temporalibus, ad divini nominis gloriam proficiat incrementis. Datum apud Urbem veterem 14. Kal. Julii anno 3. id est 1297.

Henricus Martinum primum Episcop. Sibenicensibus dedit & consecravit.

Hic ex mandato Bonifacii Pontificis una cum Petro IX. Archiepiscopo Spalatensi electo primum Episcopum Sibenicensibus dedit F. Martinum e sua Franciscana sodalitate anno 1298. eumdemque cum Nonensi & Scardonensi Episcopis sollemni ritu consecravit. Hoc eodem anno jussu Veneti Senatus, & ære publico, firmiori murorum ambitu Jadera circumcludi, novaque mœnia ædificari cœperunt; quorum fundamenta & initia nomine & auspiciis S. Chrysogoni urbis patroni locari, velutique dedicari voluere, ut docet inscriptio postibus ejusdem basilicæ affixa.

Novorum mœniorum Jadrensium constructio.

AD HONOREM DNI XPI SALVATORIS
SANCTIQVE GRISOGONI JADRÆ PROTECTORIS
MURUS VRBIS JADRÆ FUIT INCHOATUS
DIE XII. ASTANTE NOVEMBRIS
INDICTIONIS BIS SENÆ ORDINE LABENTIS
SUB ANNIS XPI MILLE DUCENTIS
NONAGINTA OCTO PLUS COMPUTI LEGENTIS
EXISTENTE COMITE LEONARDO GRISOGONO

Porro Henricus vix triennium huic Ecclesiæ præfuit, & intra finem hujus sæculi, vel sub initium sequentis e vita decessit.

JACOBUS ARCH. JADREN. XIV.

Hunc quoque Jadrensibus Archiepiscopum dedit Franciscana familia, æque virtutibus, ac viris omnium laudum genere illustribus florens, a patria *de Fulginio* cognominatum. Ad hanc Ecclesiam regendam accessit anno 1300., quo quidem anno ejus nomen in tabulis S. Chrysogoni inscriptum invenio. Vix pontificatum inierat, cum in eum ejusque decessores, itemque in clerum atque administratores decimarum ecclesiasticarum, gravissima querela, & atrocissima criminatio jacta est, quæ prope abfuit a tumultu ac seditione populari. E præscripto Canonum, & antiqua consuetudine, decimas Ecclesiæ quadripartito sic distribui oportebat, ut pars una Archiepiscopo, altera clero obtingeret, reliquæ duæ partim erogarentur in pauperes, partim ad fabricam basilicæ cathedralis Anastasianæ, ejusque ornatum, & sarta tecta tuenda pertinerent. Vulgo autem querebantur non sine indignatione ac fremitu proventus e decimis collectos perperam administrari, nihil ex illis vel pauperes, vel ædem metropolitanam percipere; omnia sibi Archiepiscopum & clerum vindicare, atque inter se partiri. Ut caussam omnem occasionemque hujusmodi querelis & criminationibus prærriperent, inter Jacobum Archiepiscopum, & Joannem Superantium urbis Prætorem, virosque primarios e Consilio nobilium ad id delectos, ita demum convenit, ut Archiepiscopus duos viros expertæ fidei ac probitatis, & juris utriusque ac legum peritos nominaret, alterum ex clero, alterum ex ordine laicorum, qui singulis annis decimas & fructus omnes spectantes ad fabricam basilicæ Anastasianæ colligerent, administrarent, impenderent de consilio & voluntate ipsius Archiepiscopi, prout necessitas vel utilitas ejusdem ecclesiæ postularet. Hanc illis traditam procurationem unius anni spatio definiendam esse censuerunt; prorogari tamen posse voluerunt, modo sub exitum cujusque anni rationem accepti & expensi coram Archiepiscopo, si quidem adesse vellet, Prætori civitatis redderent. Hanc autem compositionem triennio post Capitulum Jadrense, præsente Archiepiscopo, & Nicephoro Archidiacono referente, approbavit & confirmavit. Quæ omnia tribus tabulis, sive instrumentis comprehensa, e codice Statutorum Jadrensium desumpta, hic describi visum est.

Querela gravissima de mala administratione decimarum.

De

Digitized by Google

De quarta parte decimæ in fabricam Ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ distribuenda.

Præfatio compositionis querelæ. Detestanda quorumdam iniquorum perversitas abstinere nesciens a prohibitis, nec debito modo gaudere concessis, digne plerumque potentiam invocat Laicorum, ad nequitiam fraudis tam audacis multifarie reprimendam. Sane licet olim fuerit canonica constitutione decretum qualiter decima debeat dividi, distribui, seu partiri; consuetudo tamen retroactis temporibus diutius observata circa decimæ divisionem est hodie salubrius & utilius instituenda, de permissione ipsorum canonum speciali. Et non attendentes quidam ecclesiastici viri, quod omnes fructus decimales de universali decima collecti in civitate Jadræ, & ejus districtu, deberent dividi in quatuor partes, quorum fructuum quarta pars dari debeat Clero, secunda quarta pars attribuebatur Archiepiscopo Jadræ, tertia quarta pars relinquebatur distribuenda inter pauperes, ultima vero quarta pars in fabricam Ecclesiæ S. Anastasiæ distribuebatur ex consuetudine hactenus observata ibidem; Decimam ipsam ad sui commodum contra consuetudinem ipsam, & jus scriptum, in duas tantummodo partes dividere præsumpserunt, unam quarum, puta medietatem, in suos usus Jadrensis Archiepiscopus convertebat, alteram vero partem, puta aliam medietatem universus Clerus Jadrensis in seipsum Clerum universaliter dividebat. Verum quia discordiam sæpe pariunt novitates, sicut magistra rerum experientia lucidius manifestat, ex hoc rumor, & scandalum in Jadrensi populo terribiliter insurrexit contra ipsum Archiepiscopum civitatis ejusdem; quo circa sub anno Domini millesimo trecentesimo secundo, indictione prima, temporibus primi regiminis honorabilis & magnifici viri D. Joannis Superancii egregii Comitis Jadrensis; idem Dominus Comes, tam prudenter & utiliter, quam salubriter & celeriter se interposuit ad sedationem ipsius scandali & rumoris, & inducendam inter Dominum Archiepiscopum, & nobiles civitatis Jadræ benivolam unitatem; & post multos tractatus & verba, ad infrascriptam concordiam finaliter sunt deducti, videlicet quod religiosus, & venerabilis Pater Dominus F. Jacobus de Fuligno Archiepiscopus Jadrensis se spontanee obligaret per infrascriptum modum, ut fecit, & plenarie continetur in carta scripta manu Benedicti de Rifaldis Notarii, cujus tenor inferius de verbo ad verbum seriosius continetur; postquam currente millesimo trecentesimo quinto, indictione tertia, temporibus secundi regiminis ejusdem egregii viri Domini Joannis Superancii, Capitulum cathedralis Ecclesiæ civitatis Jadræ una cum toto Clero approbaverunt prædictam concordiam, & contractum factum cum Domino Archiepiscopo antedicto per modum & ordinem infrascriptum, sicut continetur in instrumento, in partibus inferioribus interclusa, scripto manu ejusdem Benedicti Notarii, ad quorum contractuum plenariam executionem, idem Dominus Archiepiscopus existens in majori palacio Communis Jadræ, una cum Domino Comite antedicto, discretos viros Dominos Michaelem filium Domini Joannis Cusi, primicerium majoris Ecclesiæ Jadrensis, & Lamprem de Civalellis, elegit in officiales, collectores, & dispensatores decimæ antedictæ, seu partis pertinentis ad fabricam Ecclesiæ S. Anastasiæ, ut in contractu scripto manu Guidonis de Machagnis Imperialis aulæ Notarii, inferius intercluso plenius continetur. Et ne perpetuo de prædicta concordia, seu pacto in posterum dubitatio oriatur, voluit & mandavit Commune Jadræ ad perpetuam rei memoriam, quod de prædictis contractibus fieret hoc statutum, ita quod ipsa instrumenta, & eorum tenores de verbo ad verbum debeant observari deinceps pro statuto præciso, cui non possit, nec debeat modo aliquo, vel ingenio per aliquem obviari; tenor autem primi instrumenti talis est.

Tabulæ compositionis. In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo, trecentesimo secundo, Indict. prima, die quarto exeunte mense Octobri Jadræ; temporibus quidem domini Petri Gradonici incliti Ducis Venetiarum, & Domini F. Jacobi de Foligno venerab. Jadren. Archiepiscopi, ac Domini Joannis Superancii egregii Comitis. Cum inter venerabilem Patrem Dominum F. Jacobum de Ordine Minorum Fratrum, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Jadren. Archiepiscopum ex una parte, & nobilem virum Dominum Joannem Superancium Comitem civitatis Jadren. memoratum, nec non & Dominos Stanum de Varicassis, Ulcinam de Matafaro, Jacobum Zadolin, Lampre de Civalellis, Bogde de Loarethena, Jacobum de Petrez, Simeonem de Slorato, Micham de Martinusso, Fredericum Grisogoni, & Dobrem de Begna nobiles viros, & cives Jadren. electos ad infrascripta de voluntate unanimi, & consensu majoris Consilii ejusdem civitatis, nomine & vice Communis Jadren., & pro utilitate publica & universali, & pro instruenda fabrica universal. & Cathedral. Ecclesiæ civitatis Jadren. ex altera parte. Super eo quod prædicti Domini Comes & nobiles nomine prædicto dicebant, petebant, & firmiter asserebant, quod prædictus Dominus Archiepiscopus una cum prædicto Domino Comite, & ambo simul deberent eligere duos bonos & honestos viros, & legales, qui reciperent, & recipere deberent omnes reditus decimales, & quoscumque alios pertinentes ad refectionem fabricæ Beatæ Anastasiæ, & ipsos redditus receptos debeant facere distribui, & expendi in refectionem & fabricam Ecclesiæ antedictæ, ad voluntatem Domini Archiepiscopi antedicti, & quod Dominus Archiepiscopus debeat addere duos Clericos prædictis duobus Laicis, qui omnes simul debeant omnia supradicta integraliter, & fideliter adimplere pro utilitate fabricæ ecclesiæ antedictæ, cum hoc fuerit sic a retroactis temporibus diutius observatum, ab eo tempore, cujus initium non est in memoria hominum viventium in Jadren. & alibi per totam provinciam Dalmatinam; & e contra quod Dominus Archiepiscopus antedictus dicebat, & asserebat se non teneri, nec obligatam esse ecclesiam suam ad observantiam prædictorum. Volentes prædictæ partes supradictæ subortum litigium, & ejus occasionem ad præsens tollere, & in posterum radicitus amputare; & considerans Dominus Archiepiscopus antedictus, quod sic fuerat hactenus observatum, ut dictum est, ad hanc concordiam de plano pro bono pacis finaliter, sponte & unanimiter devenerunt; videlicet quod prædictus Dominus Archiepiscopus solus debeat eligere, & instituere duos viros legales, & bonos, unum Clericum, & alium Laicum, qui singulis annis sine contradictione aliqua ipsius Domini Archiepiscopi recuperent, & recipiant omnes fructus, & redditus decimales spectantes ad fabricam ecclesiæ antedictæ, & ipsos expendant in utilitate ipsius fabricæ, & in ipsam fabricam, prout visum fuerit esse utile Domino Ar-

chiepiscopo antedicto, & evidenti utilitati ipsius ecclesiæ; & ipsorum officium duret per annum, vel etiam plus, donec fuerint revocati, & remoti, seu ab ipso officio absoluti; dum tamen ipsi duo viri sic electi omni anno teneantur, & compellantur per Dominum Comitem computare, calculare, & rationem facere sibi, bene, & distincte de omni eo quod ad eos pervenerit, & de omni quod receperunt, & expenderunt in fabricam ecclesiæ antedictæ, præsente Domino Archiepiscopo antedicto, si voluerit interesse: quæ omnia & singula, & quælibet prædictorum Venerab. Pater Dominus Archiepiscopus antedictus, nomine suo & ecclesiæ antedictæ, promisit per stipulationem solemniter interpositam Domino Comiti, & de sumptibus antedictis firma & rata habere, & tenere perpetuo, & non contrafacere, vel venire de jure vel de facto, sub infrascripta pœna; & e contra prædictus Dominus Comes cum sapientibus antedictis, promiserunt Domino Archiepiscopo antedicto omnia & singula suprascripta, & infrascripta firma & rata habere, & tenere sub pœna librarum mille denariorum Venet. parvorum; quam quidem pœnam una pars alteri ad invicem, & vicissim solemniter promisit, stipulationibus hinc inde intervenientibus; & voluerunt prædictæ partes pro unoquoque capitulo & articulo hujus contractus non servato, toties committi contra partem non observantem, & peti & exigi possit cum effectu per partem illam quæ observaverit, quoties ventum fuerit contra prædicta & infrascripta omnia & singula, vel aliquod ipsorum; & pœna petita, vel non exacta, vel non soluta, vel non, ex virtute hujus contractus omnia & singula suprascripta & infrascripta debeant per ipsas partes plenarie attendi, & integraliter observari, cum obligatione omnium bonorum & redituum Archiepiscopatus, & Communis Jadræ præsentium & futurorum, quæ bona ad invicem unaquæque pars pro altera se precario constituit possidere usque ad satisfactionem pœnæ integraliter faciendam pro singulis capitibus, in quibus commissa fuerit ex eo; quod aliqua partium non attenderit, vel non observaverit prædicta, vel aliquod prædictorum, & cum refartione seu satisfactione totius damni, & interesse factorum prædicta de caussa, credendo de prædictis, & quolibet prædictorum soli verbo partis attendentis absque sacramento, & alia probatione. Insuper pars non observans prædicta, vel aliquod prædictorum dedit parabolam, & plenam licentiam parti observanti prædicta, quod possit ac debeat auctoritate sua sine alicujus judicis licentia vel decreto intrare, & recipere tenutam, & corporalem possessionem bonorum partis non observantis prædicta, vel aliquod prædictorum, usque ad satisfactionem plenam omnium damnorum, & interesse pactorum non observatorum, & pœnæ exactionem; & acceptam ipsorum bonorum possessionem pars, quæ sic acceperit, possit retinere insolutum si voluerit, & alteri vendere, sicut sua de parabola, & plena licentia ex nunc sibi concessa, ac voluntate partis non observantis prædicta, vel aliquod prædictorum. Renunciaverunt insuper partes prædictæ sibi adinvicem, & vicissim per pactum speciale omnibus feriis, & diebus feriatis statutis, & reformationibus Communis Jadræ factis vel faciendis, exceptioni, & probationi doli mali in factum, deceptioni, simulationi, fictioni, fraudi, beneficio in integrum restitutionis, conditioni, sine caussa supplicationi, & appellationi; ipsam appellationem remittendo per pactum expressum; exceptioni, quod metus caussa officio judicis, porrectioni libelli, litis contestationi, privilegio fori, caussæ non intervenientis justæ vel injustæ, litteris & privilegiis impetratis, & omnibus aliis suis juribus specialibus & communibus, ecclesiasticis & civilibus, expressis & non expressis, quo vel quibus alterutra partium posset venire contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Actum est hoc, & firmatum coram hiis vocatis, & rogatis testibus in loco Fratrum Minorum conventus Jadræ, scilicet religiosis juris providis, & honestis Fratre Pace Ministro Ordinis Minorum in Sclavonia, Fratre Antonio de Pola, & Fratre Nicola de Jadra dicti Ordinis Minorum; & nobilibus viris Domino Rizardo Quirino, & Domino Petro Belegno Consiliariis Jadræ, & discreto viro Domino Nicephoro Archidiacono Jadren., Paullo de Basaco, & Creste de Grubogna civibus Jadræ, & aliis. Ego Benedictus de Raffaldis Imperiali auctoritate Notarius publicus, & prædicti ac memorati Domini Joannis Superancii Scriba prædictis omnibus præsens fui, & rogatus cum instantia a prædictis partibus scripsi, complevi, & roboravi.

Tenor autem secundi instrumenti talis est.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo, trecentesimo quinto, Indictione tertia, die quartodecimo intrante, mense Aprilis, Jadræ. Temporibus equidem Domini Petri Gradonico incliti Ducis Venetiarum, & Domini Fratris Jacobi de Foligno vener. Jadren. Archiepiscopi, ac Domini Joannis Superancii egregii Comitis. Cum inter venerab. Patrem Dominum Fratrem Jacobum de Ordine Minorum Jadrensem Archiepiscopum memoratum, nomine suo, & suæ ecclesiæ beatæ Anastasiæ ex una parte, & nobilem virum Dominum Joannem Superancium tunc temporis Comitem Jadrensem supradictum, nec non discretos viros Dominos Stanum de Varicassis, Vulcinam de Matafaro, Jacobum Zadolin, Lampre de Civalellis, Bogde de Loarcena, Jacobum de Petreze, Simeonem de Zlorado, Micham de Martinusso, Fredericum Grisogoni, & Dobre de Begna nobiles cives civitatis Jadrensis, nominibus suis, & Communitatis Jadræ ex altera parte, pro evidenti utilitate ipsius ecclesiæ, & fabricæ, ac etiam civitatis ejusdem, inita & facta fuisset infrascripta concordia, seu compositio super colligenda, & gubernanda, expendenda ac dispensanda quarta parte decimæ Jadrensis civitatis, & districtus ejus ad opus fabricæ, & in fabricam ecclesiæ Beatæ Anastasiæ per duos bonos & legales viros, prout in instrumento compositionis & concordiæ facto, & scripto manu Notarii infrascripti plenius continetur; providi & discreti viri Domini Nibiforus Archidiaconus, Stephanus Plebanus Sancti Petri novi, Simeon Plebanus Sancti Petri veteris, qui erant, & sunt Hiconomi, & speciales procuratores & sindici Capituli antedicti, sive ecclesiæ antedictæ, considerantes quod talis compositio, & concordia redundabat ad evidentem utilitatem fabricæ ipsius ecclesiæ, procuraverant, & unanimi consilio decreverant confirmationem, & approbationem infrascripti contractus evidenter pertinere, & spectare ad bonum statum & reparationem, ac conservationem perpetuam ipsius ecclesiæ antedictæ; & ideo fecerunt omnes de Capitulo ipsius Ecclesiæ, & ipsum Capitulum evocari, conveniri, congregari, secundum consuetudinem ipsius ecclesiæ in loco, in quo

Compositionem approbavit Capitulum Jadrense constans e Plebanis, Presbyteris, & Clericis ecclesiarum civitatis.

Digitized by Google

quo solitum est ipsum Capitulum congregari; in quo quidem Capitulo congregato more solito, ut dictum est, intervenerunt venerabilis Pater Dominus Archiepiscopus antedictus, & discreti viri Domini procuratores, & hyconimi supradicti, nec non Dominus Martinus Plebanus Sancti Miche, Marinus Plebanus Sancti Stephani, Michael Primicerius Jadrensis, Grisogonus Plebanus Sanctæ Mariæ Majoris, Joannes Archidiaconus Fare, Franciscus Clericus Sanctæ Anastasiæ, Presbyter Stephanus, & Presbyter Damianus Sanctæ Anastasiæ, Ciprianus Acholitus, Presbyter Michael Sancti Miche, Presbyter Dragus ecclesiæ Sancti Petri novi, Presbyter Matthæus Sancti Stephani, Andreas Diaconus Sanctæ Mariæ Majoris, Thomas Diaconus Sancti Petri novi, Presbyter Georgius Sanctæ Anastasiæ, Damianus Diaconus Sancti Petri novi, Martinus Diaconus Sanctæ Anastasiæ, Damianus Diaconus Sancti Petri veteris, Simeon Diaconus Sancti Stephani, Nicolaus Diaconus Sancti Miche, Presbyter Vitus Sanctæ Anastasiæ, Nicolaus Subdiaconus Sanctæ Anastasiæ, Mire Diaconus Sancti Petri novi, Georgius Acholitus, Grisogonus Acholitus, Presbyter Vitus Sclavus Sanctæ Anastasiæ, Presbyter Andreas Sanctæ Mariæ Majoris, Presbyter Cosma Capellanus Sancti Laurentii, Presbyter Vulcina ecclesiæ Sancti Petri novi, Joannes Diaconus Sanctæ Mariæ Majoris, Simeon Diaconus Sanctæ Mariæ Majoris, Presbyter Basilius Sancti Stephani, Presbyter Sivigna Sanctæ Mariæ Majoris, Presbyter Andreas de Quarti Sanctæ Mariæ Majoris, Simeon Diaconus Sanctæ Anastasiæ, Joannes Subdiaconus Sanctæ Anastasiæ, Helia Diaconus Sanctæ Anastasiæ, Grisogonus Clericus Sanctæ Anastasiæ; coram quibus propositum fuit p. Dominum Archidiaconum supradictum in pleno Capitulo nomine, & vice sua, & prædictorum hyconomorum seu procur. de modo & forma, de confirmatione & approbatione, vel de revocatione, seu improbatione infrascripti contractus. Demum post longum sermonem, & multorum arrengatorum eloquentiam, seu dicta, omnes supradicti, qui faciunt plenum & totum Capitulum, nullo penitus discrepante, & totum Capitulum, præsente Domino Archiepiscopo supradicto, tamquam Capitulum & Collegium ipsius Ecclesiæ, considerantes dictam concordiam, compositionem, & contractum perutilem esse dictæ ecclesiæ, & consuetudini optentæ hactenus ab antiquissimis temporibus, convenire certiorari clare & distincte supra infrascripto contractu ex certa scientia, pro meliori statu, reparatione, ac perpetua conservatione ipsius Ecclesiæ, & ut servetur, & imitetur consuetudo diutius observata, approbaverunt, laudaverunt, ratificaverunt, acceptaverunt, & emologaverunt infrascriptum contractum, concordiam, & compositionem in omnibus & per omnia, prout in ipso contractu plenius & seriosius continetur; & eidem contractui suum præbuerunt assensum benivolum & attentum. Postque omnes supradicti tamquam Capitulum promiserunt prædicto Domino Joanni Superancio Comiti supradicto, nomine & vice civitatis prædictæ recipienti, & mihi Notario infrascripto stipulanti, nomine omnium, quorum interest, vel interesse poterit, ipsum contractum, & omnia & singula, quæ in ipso contractu plenius & seriosius continentur, rata & firma habere & tenere perpetuo, & non contra facere, vel venire de jure, seu de facto per se, vel per alium aliqua ratione, vel caussa, sub pœna mille librarum denariorum Venetorum parvorum, quam quidem pœnam una pars alteri sibi adinvicem & vicissim solemniter promisit, stipulationibus hinc inde intervenientibus; & voluerunt prædictæ partes ipsam pœnam pro unoquoque capitulo hujus contractus non servato totiens committi contra partem non observantem, & peti, & exigi cum effectu per partem, quæ observaverit, quotiens ventum fuerit contra ipsam ratificationem, & approbationem, vel in aliquam partem ipsius; & pœna exacta, petita, vel non soluta, vel non, ipsius contractus ratificatio & approbatio rata maneat, & perduret, sub obligatione omnium bonorum, redituum ipsius Capituli, & Communitatis Jadræ præsentium, & futurorum; quæ bona adinvicem, una pars pro altera se precario constituit possidere usque ad satisfactionem pœnæ integraliter faciendam pro singulis capitulis hujus ratificationis, & approbationis, cum satisfactione totius damni, & interesse factorum prædicta de caussa, credendo de prædictis, & quolibet prædictorum soli verbo partis observantis prædictam ratificationem & approbationem sine sacramento, & alia probatione; insuper pars non observans infrascriptum contractum concordiæ, & præsentem ratificationem dedit parabolam, & plenam licentiam parti observanti, quod possit & debeat sua auctoritate, sine alicujus judicis licentia vel decreto, intrare tenutam, & corporalem possessionem bonorum partis non observantis infrascriptum contractum concordiæ, usque ad satisfactionem plenariam damnorum & interesse; & ipsam tenutam possit sibi retinere, si voluerit, & alteri vendere sicut suam, de voluntate & plena licentia sibi concessa; hinc inde renunciaverunt insuper partes prædictæ sibi adinvicem & vicissim per pactum speciale omnibus feriis, & feriatis diebus; exceptioni & probationi doli mali, deceptioni, simulationi, fictioni fraudi, beneficio in integrum restitutionis, conditioni, sine caussa supplicationi, & appellationi; ipsam appellationem remittentes per pactum expressum, privilegio fori, caussæ non intervenientis justæ, vel injustæ, litteris & privilegiis impetratis, & impetrandis, & omnibus aliis suis juribus, specialibus & communibus, ecclesiasticis & civilibus, expressis, & non expressis, quo vel quibus alterutra pars posset venire contra prædicta vel aliquod prædictorum. Tenor autem instrumenti compositionis & concordiæ, de quo superius est habita mentio, talis in omnibus, & per omnia.

Hic subjectæ sunt tabulæ compositionis supra descriptæ.

His temporibus Jadrenses, ut cultum S. Chrysogoni, ejusque anniversarii ac festi diei celebritatem augerent; exsulibus omnibus, qui capitalium & graviorum facinorum rei non essent, fidem publicam dari, ac potestatem permitti voluerunt in urbem impune veniendi, tum ipso die festo S. Chrysogoni, tum tribus proximis ante & post diem festum diebus, ad sanctissimum illum Martyrem, & Patronum primarium civitatis venerandum. Libro v. Statutorum Jadrensium insertum est hoc capitulum: Pro cultu S. Chrysogoni augendo

De Interdictis sive aliquibus Bannitis ad certa tempora ob reverentiam S. Grisogoni restituendis in civitate.

Ad honorem Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, ac Sancti Grisogoni Patroni nostræ civitatis Jadrensis; statuimus, & irrevocabiliter ordinamus, quod omnes banniti Jadræ, sive de civitate Jadræ, præterquam pro Decretum Jadrense. homi-

Digitized by Google

homicidio, pro furto, pro proditione, possint venire Jadram ante festum S. Grisogoni per tres dies, & in die ipsius festi, & in ipsis prædictis diebus, & in die festi ibidem stare securi; & post ipsum festum per alios tres dies proxime subsequentes possint venire Jadram, & stare ac redire salvi, & securi, sine læsione aliqua in rebus & personis; ita tamen, quod ultra tertium diem immediate post festum, si reperiantur in Jadra, vel ejus districtu, sint difidati in rebus & persona, prout prius erant ante festum Sancti Grisogoni, nulla eorum defensione audita.

Alia præterea decreta præclara fecerunt, in quibus diligentissime, graviorum pœnarum comminatione interposita, bonis ecclesiarum & monasteriorum cavetur.

Gentilem Card. Legatum Sed. Apostolicæ in Hungariam & Dalmatiam, Clerus Jadrensis recipere noluit, neque illius mandatis parere.

Dum Jacobus huic Ecclesiæ præsidebat, F. Gentilis Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus, a Clemente V. Legatus in Hungariam missus, ut gentes illas partium studio distractas in concordiam reduceret, atque submitteret imperio Caroli Roberti e stirpe Ducum Andegavensium, & regum Hungariæ oriundi; ex mandato ejusdem Pontificis provinciam Spalatensem & Jadertinam lustravit anno 1308. Jaderam cum venisset, Clerus Jadrensis illum, non eo, quo Spalatum, cæteræque urbes Dalmatiæ, honore, & submissione excepit; quin immo ejus monitis ac mandatis parere contumaciter recusavit: ajebant quippe legationem Apostolicam eidem injunctam, iisdem terminis circumscriptam esse, quibus provinciæ ditionis Hungaricæ definiebantur, ad quam Jadera non pertinebat, cum sub imperio Venetorum esset; ac proinde se Gentilis Legati potestate ac jurisdictione exemptos esse. Itaque ut ejus auctoritatem defugerent, appellationem Sedis Apostolicæ interposuerunt. Contra vero Gentilis in suis litteris mox describendis, asserebat legationem sibi a Pontifice Maximo impositam, non solam Hungariam, & Dalmatiam juris Hungarici, sed nominatim ipsam Jaderam comprehendi; & amplissimam potestatem sibi traditam esse ad disciplinam restituendam, atque ad corrigendum & reformandum utrumque Ordinem clericalem & monasticum, quem præsertim Jaderæ multis corruptelis depravatum esse fama & auditione acceperat. Illi autem omnes ejus legationi & auctoritati usque eo repugnarunt, ut quædam ejus mandata & sententias valvis ædis metropolitanæ affixas discerpserint, ac dilaceraverint; domesticos & familiares Legati in fugam conjectos clamoribus & minis infectati fuerint; nec solum Clericos & laicos armatos in ædem S. Demetrii convocare, sed etiam, pulsatione tintinnabuli ejusdem ædis metropolitanæ, universum populum in eum, ejusque familiam concitare & instigare ausi fuerunt. Hujus temerarii facti, & iniquæ conspirationis fama cum ad aures Legati pervenisset, in auctores & conscios clam et dissimulanter inquiri jussit. Tum forte aberat Jacobus Archiepiscopus, cum in tota illa judicialium actorum serie nusquam nominetur. Quare Gentili omnis contentio fuit cum Paullo Fulginati Vicario generali, cum Præpositis Ecclesiarum Jadrensium, cum cœnobiarchis & monachis. Interea dum in eos, quos dixi, quæstio haberetur; primum quidem Vicarium generalem per suum cursorem ac suas litteras citari jussit; deinde per eundem cursorem, & alias litteras separatim Primicerium, Archipresbyterum, itemque quatuor Plebanos, sex Rectores ecclesiarum urbanarum. Quæ omnia relata sunt in codicem Vaticanum MSS. num. 3955., huic titulo subjectum: *In Dei nomine amen. Anno Domini 1308. Ind. 6. Pontif. D. Clemens PP. 5. an. 3., diebus & mensibus infrascriptis. Hic est liber sive quaternus litterarum, commissionum, citationum, relationum, instrumentorum, & aliarum scripturarum diversarum factarum coram R. in Christo Patre, et DD. Fratre Gentile D. G. tit. S. Martini in Montibus Presbytero Card. Apostol. Sedis Legato in officio suæ legationis, & p. eum, et ejus auditores, videlicet &c. &c.*

Ad præsentiam Legati jubentur citari.

Itaque ad præsentiam Legati jubentur citari quos supra nominavi, ad eosque litteras ipsius Legati perferri, propositis gravissimis pœnis, nisi die præfinito compareant.

Die 29. mens. Julii supr. D. Legatus Fr. Gentilis Card. & Legatus apud Jadram in Camera sua commisit, & mandavit Gratiolo de Luca cursori & nuntio suo jurato, ibidem præsenti, quod iret eodem sero, & præsentaret ex parte ipsius D. Legati litteras infr. sigillatas sigillo ipsius, Paulo de Fulgineo Vicario Archiepiscopi Jadren., & ipsum citaret secundum dictas litteras, quorum tenor talis.

Frat. Gentilis miser. Dei &c. Paulo de Fulgineo ven. Pat. D. Archiep. Jadr. in temporalibus Vicario spiritum consilii sanioris.

Cum nos circa reformationem ecclesiarum, & monasteriorum, & aliorum ecclesiasticorum locorum nostræ legationis, & præsertim Jadrensis provinciæ, in qua nunc personaliter residemus, totis desideriis intendamus, & ad nos fide digna relatione ac fama referente pervenerit, quod Ecclesia Jadren. quæ in spiritualibus, & temporalibus dicitur esse collapsa, ipsiusque civitatis ac diœcesis clerus correctione & reformatione indigeat; idcirco volentes de ipsa Ecclesia, & Cleri prædicti statu informari, te, qui præfati Archiep. vices olim gessisti, & in temporalibus geris ad præsens, & per hoc de prædictis habere debes notitiam pleniorem, tenore præsentium te &c. pro prima, secunda, & tertia monitione monemus, tibi sub excommunicationis pœna injungentes, quatenus sequenti die post præsentationem præsentium, quem tibi, quia correctio & reformatio prælibatæ celeritatem desiderant, peremptorie assignamus, coram nobis personaliter te præsentes nostris pariturus mandatis, quæ tibi super reformatione status ipsius Ecclesiæ, & cleri ejusdem, & aliis, prout ad nostrum spectat officium, duxerimus injungenda; quod si forsan in dicto termino coram nobis, ut prædicitur, comparere contempseris, ex nunc te in hiis scriptis excommunicationis sententia innodamus, quam si ad duos dies animo toleraveris pertinaci, ex nunc dicti vicariatus officio te privamus, aliter contra processuri, ut justitia suadebit.

Eodem die 29. Julii præd. Gratiolus nuncius & cursor sup. D. Legati retulit sup. D. Legato, & mihi Philippo de Cingulo ejus notario, se eodem die præsentasse supradictas litteras suprascripto Paulo præsentialiter invento, & ipsum citasse secundum ipsarum litterarum formam, ac ipsas litteras ad majorem cautelam sibi dimisisse.

Eo-

Digitized by Google

Eodem die 29. Julii sup. D. Leg. com. & man. sup. Gratiolo nuntio & cursori suo ut iret, & eodem die citaret infrascriptos Plebanos & clericos secundum formam infrascriptarum litterarum, cuilibet eorum directarum, & eis ipsas litteras ex parte ipsius D.Legati præsentare deberet; quorum Plebanorum & clericorum nomina sunt hæc: pr. Symon Plebanus Sancti Petri veteris, Stephanus Plebanus Sancti Petri de platea, Grisogonus Plebanus Sanctæ Mariæ Majoris, Micha Primicerius, Marchus Archipresbyter Jadren. ac Martinus Plebanus S. Michaelis de Jadra.

Frat. Gentilis &c. Symoni Plebano Sancti Petri veteris Jadren. spiritum consilii sanioris. Cum nos circa reformationem eccl. & mon., & aliorum ecclesiar. locorum nostræ legationis, & præsertim Jadren. provinciæ, in qua nunc personaliter residemus, totis desideriis intendamus, & ad nos fide digna relatione ac fama referente, pervenerit, quod ecclesia tua correctionis, ac reformationis noscitur plurimum indigere, nos volentes de statu ipsius ecclesiæ plenius informari, tenore præsentium te requirimus & citamus, pro prima, secunda, & tertia monitione monemus, tibi sub pœna excommunicationis nihilominus injungentes, quatenus sequenti die post præsentationem præsentium, quem terminum, quia correctio & reformatio celeritatem desiderat, & tu apud Jaderam personaliter inveniris, tibi peremptorie assignamus, coram nobis personaliter te præsentes nostris pariturus mandatis, quæ tibi super reformatione status tuæ ecclesiæ, & aliis, prout ad nostrum spectat officium, duxerimus injungenda; quod si forsan intra præfixum terminum coram nobis personaliter comparere contempseris, ex nunc te in hiis scriptis excommunicationis vinculo innodamus, beneficiorum tuorum, quamdiu in dicta excommunicatione persliteris, fructuum perceptione privantes, contra te processuri secundum quod tua contumacia exegerit, sive culpa.

Extant in eamdem sententiam eademque verba ejus litteræ ad *Plebanum Sancti Petri in platea, ad Plebanum Sanctæ Mariæ Majoris, ad Plebanum Sancti Michaelis de Jadra, ad Primicerium, ad Archipresbyterum majoris ecclesiæ.*

Die 30. men. Julii ante tertiam, sup. Gratiolus nuncius & cursor retulit supradicto D. Legato, & mihi Philippo de Cingulo notario se heri citasse supradictos Pleban. Sanct. Mich., Archipresbyt. Jad., & Pleban. Sancti Petri veteris personaliter inventos, & eis copiam litterarum dimisisse; ac Plebanum Sancti Petri de plateis, & Primicerium citasse ad domos eorum habitationis, & præsentibus eorum familiaribus, & ipsis litterarum copiam dimisisse, & quemlibet eorum citasse secundum dictarum litterarum formam.

Contumacia eorum qui citati fuerunt. His litteris ac mandatis nemo paruit; ac proinde omnes excommunicationis, quam singulis rina eodem tempore admonitione præmissa, Legatus intentaverat, vinculo se ipsi ob suam pertinaciam illaquearunt; nec vero quamvis hujusmodi ecclesiasticæ animadversionis nota inusti essent, a rebus divinis abstinuerunt.

Post biduum Gentilis per suum cursorem & suas litteras citari jussit illos omnes, qui IX. Kal. Augusti vel duces, vel socios se præbuerant ad legati sententias dilacerandas, & populi seditionem concitandam, ac nominatim tres cœnobiarchas, Vicarium generalem Archiepiscopi, ceterosque parochos & clericos.

Citari jubentur qui litteras Legati dilaceraverant, & populum ad seditionem incitarunt. *Die prima mens. Augusti sup. D. Legatus commisit & mandavit Gratiolo de Luca cursori & nuntio suo jurato ibidem præsenti, quod iret & citaret infrascriptos Abbates, Plebanos, & Clericos de Jadra, & diceret ipsis secundum formam infrascriptarum litterarum, & eis, & cuilibet eorum litteras infrascriptas præsentare deberet. Qui Gratiolus eadem die retulit prædicto D. Legato, & mihi Philippo de Cingulo notario suo se ipsa die citasse Fratres Vitum Sancti Grisogoni, Joannem SS. Cosmæ & Damiani monasteriorum Abbates, Paulum de Fulgineo Vicarium Archiepiscopi, Micham, & Marchum Primicerium, & Archipresbyterum Jad., Stephanum S. Petri de Platea, Grisogonum Sanctæ Mariæ Majoris, & Martinum Sancti Michaelis de Jadra Plebanos, Franciscum filium Damiani de Slurado, Grisogonum de Cystallis Clericos personaliter inventos, & Fratrem Matthæum Abbat. monasterii in monte, ac Nichiforum Archidiac. Jad., & Symonem Plebanum S. Petri veteris in domibus eorum habitationis, & ad ecclesias eorum de Jad. præsentibus eorum familiaribus secundum formam infrascriptarum litterarum, & eis dimisisse copiam earumdem litterarum, quarum tenor talis est.*

Litteræ Legati. *Frat. Gentilis &c. Fratri Vito Sancti Grisogoni, Fratri Johanni SS. Cosmæ, & Damiani, Fratri Matthæo Sancti Michaelis in monte civit., & districtus Jadren. monasteriorum Abbatibus, Paulo de Fulgineo Vicario seu procuratori ven. in Christo P. D. Archiepiscopi Jadren., Nichiforo Archidiac., Michæ Primicerio, Matthæo Archipresbytero Jadren., Symoni Plebano Ecclesiæ Sancti Petri veteris, Stephano Plebano Sancti Petri de platea, Grisogono Plebano Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris, Martino Plebano Ecclesiæ Sancti Michaelis, ac Francisco filio Damiani de Slurado SS. Cosmæ & Damiani, Grisogono filio Damiani de Cystallis Sanctæ Anastasiæ Jad. civit., dictarum ecclesiarum custodibus, seu Capellanis spiritum consilii sanioris. Cum ad nos publica fama referente pervenerit notorium esse in civit. Jadrensi, quod vos, & vestrum quilibet cum multis aliis clericis tam prælatis, quam aliis sæcularibus, & religiosis, cum die 24. Julii essetis simul in majori ecclesia congregati, cum furore ac rumore currentes ad portas dictæ ecclesiæ, in quibus affixæ erant de nostro mandato quædam nostræ litteræ continentes quasdam nostras sententias, & processus, ipsas nostras litteras, non sine magno apostolicæ Sedis, & nostra contemptu obprobriove, de dictis portis defixistis, & dilacerantibus vel dilaceranti . . . . . . dantes ei vel eis in prædictis consilium, auxilium, & favorem; & quod tunc in nostram familiam irruistis insequendo eam usque ad portas habitationis nostræ; & quod eo die vos cum eisdem posuistis civitatem Jadrensem in rumore, concitando ipsum populum contra nos, quatenus in vobis fuit, & quod die 28. mens. Julii, vos cum multitudine clericorum, & laicorum armatorum in Ecclesia Sancti Dimitrii Jadren. convenistis, & contra nos & nostram familiam Rectorem civit. præd., populum ipsius civit. concitare conati fuistis pulsando campanam dict. majoris ecclesiæ Jadren. ad rumorem & . . . .*

&

& alia faciendo, per quæ consuevit populus incitari; & quod postquam fuistis excommunicati, ingressistis publice vos divinis. Nos volentes de dicto notorio facinore inquirere veritatem, tenore præsentium vos & vestrum quemlibet requirimus & citamus, quatenus sequenti die post harum præsentationem, hora tertia coram nobis personaliter & peremptorie comparere curetis, dicturi, & oppposituri contra dictam requisitionem quidquid credideritis vobis de jure competere, & vestram si poteritis in prædictis, & aliis in dicta inquisitione contentis in contrarium ostensuri. Alioquin in dicta inquisitione contra vos, ut de jure fuerit, procedemus, vestra absentia non obstante &c.

Tres cœnobiarchæ violatores anathematis cui suberant.

His secundis litteris nihilo obsequentiores, quam prioribus se præbuerunt: quin immo tres illi cœnobiarchæ, quamvis eisdem omni sacra functione & ingressu ecclesiæ interdictum esset, ausi sunt habitu rituque pontificali exequias cujusdam mulieris defunctæ in æde Franciscana Patrum Minorum peragere ac celebrare.

Item die 3. men. Augusti in ecclesia Fratrum Minorum de Jadra, dum corpus Marizæ, filiæ quondam Symonis Candi de Jadra, ibi jaceret caussa tradendi ecclesiasticæ sepulturæ, constitutus ibidem Beraldusius de Firmo domicellus & familiaris ejusdem D. Legati, qui in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum vice & nomine ipsius D. Legati dixit, & protestatus fuit, quod cum Fr. Vitus S. Grisogoni, Fr. Johannes SS. Cosmæ & Damiani, ac F. Mathæus S. Michaelis in Monte, civit. & districtus Jadrensis monasteriorum Abbates, excommunicati essent, & suspensi ab executione pontificalium, & ab ingressu ecclesiæ per ipsum Dominum legatum quibusdam exigentibus meritis, & ipsi Abbates cum nonnullis clericis de Jadra in dicta ecclesia ad dictum corpus cum pluvialibus, & mitris, & baculis pastoralibus parati existerent, & exequias, & mortuorum officium celebrarunt in publico, & coram masculis & feminabus ibidem existentibus; & quod excommunicationem, & suspensionem prædictam, tamquam contemptores clavium, non timebant &c. de quibus omnibus petiit, & rogavit me inde fieri publicum instrumentum actorum in dicta ecclesia Frat. Minorum, præsentibus Fr. Prodole de Veglia, & F. Jacobo de Jadra Ord. Min., præterea Philippacio de Cingulo, & Tarantino domicellis D. Legati testibus & aliis pluribus. Ego Philippus de Cingulo notarius juratus &c. . . . . .

Videntur omnes resipuisse, ante discessum Gentilis Legati, & ejus mandatis paruisse.

In codice Vaticano supra laudato hic desinit series Actorum Jadrensium, neque ibi scriptum est quem exitum habuerint. Legatus VI. Id. Augusti adhuc Jaderæ manebat, ut ejus litteræ datæ ibidem eodem die declarant, quibus ædem cathedralem Traguriensem S. Laurentii, diebus a se præscriptis, pie visentibus certam delictorum indulgentiam largitus est; nec vero ante mensem Septembrem hujus anni 1308. e Dalmatia discessit, atque in Hungariam profectus est: quo temporis spatio licet opinari, illos omnes, qui in eum contumaces fuerant, resipuisse, legati pontificii mandatis obtemperasse, & quibus illigati erant, anathematum vinculis exsolutos fuisse. His omnibus celeris ac laudandæ pœnitentiæ exemplum præbuerat Joannes de Butuane patricius Jadrensis, & clericus S. Mariæ Majoris, qui ab illis secessionem fecit, quibuscum de non recipiendo Legato antea consenserat; & facti pœnitens ad eum supplex adiit; atque ut est in iisdem Actis Jadrensibus, si quam ipse fecisset, vel ejus nomine facta esset contra illum appellatio, revocavit, veniam petiit, ac debita eidem reverentiæ, atque obedientiæ officia præstitit. Hic post annos fere duodecim creatus fuit Archiepiscopus Jadertinus.

Die Martis 23. men. Julii. D. Johannes de Butuane Clericus ecclesiæ S. Mariæ Majoris de Jadra venit coram D. Leg. ad palatium Archiepiscopatus Jadren., & ipsum Dominum suum & Leg. provinciæ Jadrensis & Dalmatiæ recognovit & recepit, & sibi reverentiam fecit; renunciavit ex tam omnibus appellationibus factis per eum, vel alium ejus nomine contra ipsum D. Legatum, & ejus legationem, præsentibus discretis viris Domino Philippo de Sardinia, Vanne de Aretio, & Gasparo Auditoribus, ac præsenti Fratre Petro de Bononia, ac Fratre Elia de Parisiis Ordin. Minorum, & aliis pluribus testibus.

Concilium Viennense indictum.

Clemens V. anno 1308. ut ceteros christiani orbis Archiepiscopos & Episcopos, sic etiam Archiepiscopum Jadertinum ad Concilium generale Viennense in Galliam, per litteras encyclicas invitavit. In collectione Conciliorum extat epistola pontificia uno eodemque exemplo ad omnes & singulos Archiepiscopos missa: *In eodem modo Archiepiscopo Jadrensi, & Episcopis &c. mandamus quatenus vos Frater Archiepiscope &c.* Diem ad conveniendum Viennam in Galliam Narbonensem edixit, affixum Kalendis Octobris, post biennium ab hisce litteris exactum, id est anno 1310. Sed cum ob gravissimas caussas Concilium in annum proximum 1311. differri oportuerit; id per alteram epistolam Avenione datam pridie Non. Aprilis 1310. significavit, quæ inscripta est singulis Archiepiscopis; & *in eodem modo Archiepiscopo Jadrensi, & ejus suffraganeis &c.* An vero Jacobus cum suis provincialibus Episcopis Viennensi Concilio interfuerit, quod anno 1311. XVII. Kal. Novembris celebrari cœpit, incompertum est; cum nomina Episcoporum Actis & decretis hujus Synodi subscripta non inveniantur.

Jadrenses a Venetis ad Carolum regem Hungariæ deficiunt.

Anno 1311. Jadrenses, impulsu Comitum Breberiensium, ab imperio Venetorum ad Carolum regem Hungariæ defecerunt. Hic filius erat Caroli Martelli ex Maria sorore Ladislavi regis Hungariæ, & Carolo II. rege Neapolitano geniti; cui ex jure materno regnum Hungariæ Romanus Pontifex adjudicaverat. Parenti autem morte prærepto in jus ejusdem regni obtinendi Carolus filius successerat; qui post mortem Andreæ III. anno 1301. extincti, cum in Hungariam venisset, superatis demum competitoribus, & Cardinali Gentili Sedis Apostolicæ Legato adnitente, communi Hungarorum consensu tandem aliquando rex appellatus, anno 1310. Albæ more majorum regale diadema suscepit. Jadrenses igitur Michaele Mauroceno prætore urbis ejecto, depulsoque Venetorum præsidio, Mladinum ex Comitibus Breberiensibus, Paulli Bani filium natu maximum, civitati suæ rectorem præposuerunt, missisque in Hungariam legatis, se atque urbem Carolo regi dediderunt; ab eoque postularunt, ut quidquid immunitatum, ac privilegiorum Jadrensibus antiqui reges Hungariæ concessserant, id omne firmum ac ratum esse juberet. Rex annuit, ut declarat illius diploma apud Joannem Lucium lib. IV. cap. XII. de Reg. Dal. & Croat., *datum IV. Idus Octobr. anno Domini* 1311. De Jadrensium rebellione cum nunciatum esset Venetiis, confestim ad urbem reci-

Digitized by Google

recipiendam classis adornata est, quam B. lletus Justinianus eidem præpositus in Dalmatiam traduxit, & Jaderam obsedit. Hæc obsidio duos fere annos tenuit. Inter hæc mortuus est Jacobus Archiepiscopus, eique sublectus

ALEXANDER ARCH. JADREN. XV.

Hujus neque patriam, neque institutum religiosæ vitæ compertum habeo. Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus hæc breviter scripsit: *Frater Alexander, de quo in scripturis S. Chrysogoni an.* 1312. 7. & 11. *Martii; ubi confirmatus, & consecratus exprimitur; sed de eo nihil in regestis Consistorialibus; unde colligi potest, quod forsan electus a Capitulo, vel a rege Hungariæ fuerit, quod insinuant verba dictarum scripturarum S. Chrysogoni, in quibus dicitur fuisse confirmatus, quod adoptari nequit, si Papa illum elegisset.* Ad hunc missa fuerit oportet epistola Clementis V. una cum decreto Concilii Viennensis, in quo de communi sententia Ordo Templariorum abolitus est, & illorum opes, ac possessiones hospitalariis S. Joannis attributæ, qui divitiis illorum aucti in insula Rhodo Saracenis erepta sedem posuere. Inde Rhodii Equites appellati, qui nunc Melitenses. Hujus igitur decreti exemplum, & Clementis epistola encyclica dat. an. 1312. v. Non. Maji, perferri jussa est ad Episcopos & præpositos ecclesiarum, in quorum diœcesi vel ditione domos, ecclesias, & prædia Templarii possidebant; atque illis imperatum fuit, ut in hujusmodi bonorum possessionem mitterent Equites Rhodios, expulsis Templariis, qui eo nomine atque ordine prorsus indignos se præbuisse dicebantur. Templares in Dalmatia apud Auranam, qui locus est inter Jaderam, & Sibenicum, insigne in primis & opulentum cœnobium obtinebant; quod ex decreto Concilii Viennensis hospitalariis S. Joannis tradi debuerat. Quod igitur ceteris Episcopis, idem quoque mandatum est, & *scriptum eodem modo Jadrensi, & Spalatensi Archiepiscopis.*

Aurana a Templariis ad Rhodios Equites translata.

Anno 1313. Jadrenses ad pristinos dominos, a quibus desciverant, redierunt. Idem Mladinus Jaderæ Comes, qui desciscendi, eisdem redeundi auctor fuisse dicitur, ut Venetos sibi amicos faceret, quorum magni intererat urbem illam recuperare ad navigationem Adriaticam tutam præstandam, tuendumque maris imperium. Nec suum Mladino præmium defuit; eum siquidem anno 1314. cum fratribus Breberiensibus Joannes Superantius Dux Venetorum, ut ex ejus diplomate constat, civitate donatum, inter patricias familias aggregavit. Alexander vix biennium Ecclesiæ Jadrensi præfuit.

Jadrenses sub imperium Venetorum redeunt.

NICOLAUS II. ARCH. JADREN. XVI.

Ex Ordine Patrum Prædicatorum, de quo Vincentius Maria Fontana in sacro Theatro Dominicano: *P. F. Nicolaus de Setia ex Romana provincia, cunctis virtutibus, quæ in optimo pastore requiruntur, præclare excultus, a Clemente V. P. M. anno redempti orbis* 1312. *promotus ad Ecclesiam Jadrensem Archiepiscopalem in Sclavonia; quam cum pluribus annis, prout optimum decebat Antistitem, sanctissime rexisset, humanæ fragilitatis debitum persolvit.* Sed rectius Valerius a Ponte ejus initia pontificalia rejecit in annum 1314., *ut habetur*, inquit, *in libris Consistorialibus*. Sex ipsos annos hanc ecclesiam pie tranquilleque sub placido Venetorum imperio gubernavit. Inter omnes, quibus præditus erat, virtutes eminebat ejus erga egentes ac miseros singularis, & paterna caritas; ad quorum inopiam & calamitates sublevandas, patrimonium ecclesiasticum non erogare solum, sed profundere videbatur; dignus profecto, quem *Patrem fratrum Jesu Christi*, id est pauperum, vulgo appellarent. Anno 1320. ad superos migravit; illatus est in ædem Patrum sui Ordinis, sepultusque in Odeo. Lapidi sepulcrali ejus effigies opere anaglyptico insculpta est; sed caret inscriptione. Excellens de illius sanctitate opinio, & rerum ab eo pie gestarum memoria quamdiu viguit, ejus sepulcrum non indigenis solum, sed etiam advenis venerationi fuit.

JOANNES III. ARCH. JADREN. XVII.

Huic Jadera patria fuit, parentes nobiles, cognomen *de Butuane*. Aggregatus cum esset ad collegium Presbyterorum S. Mariæ Majoris, hinc illum Joannes XXII. ad sedem episcopalem Jadertinam evexit anno 1320., ut docet Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis. Eum Dominicus Patriarcha Gradensis consecravit; eidemque anno sequenti idem Pontifex pallium tradidit, ut est in tabulis Consistorialibus Avenionensibus: *Assignatio pallei pro Joanne Archiep. Jadren., per Patriarcham Gradensem, in cujus Patriarchatu Ecclesia Jadrensis consistit, & cui est immediate subjecta, consecrato. Dat. Aven.* 16. *Kalen. April. an. Pontific. VI.* id est 1321. Quod Gentili Legato Sedis apostolicæ, quem alii recipere nolebant, submissum se atque obedientem præbuerit, ut diximus, propterea eum meruisse arbitror, ut a Pontifice in excelso illo dignitatis gradu collocaretur. Anno 1324. duas insulas Mortarium & Surium ab sua diœcesi avulsas amisit. Has Veneti Sibenicensibus ademptas Jadertinis attribuerant; sed cum abhinc duobus annis Sibenicenses cum Traguriensibus sub imperium Venetorum rediissent, eas Sibenicensibus restitui jusserant. Annos circiter duodecim summa cum vigilantia & sedulitate hanc Ecclesiam administravit; suique nominis ac Pontificatus memoriam duplici inscriptione consignatam reliquit. Altera inscriptio superliminari januæ maximæ Basilicæ metropolitanæ, quæ inchoata olim a Laurentio Periandro, & magna ex parte perfecta, demum absoluta fuit sub pontificatu Joannis; incisa est his litteris: *Anno Domini MCCCXXIV. tempore Domini Joannis de Butuane Dei gratia Archiepiscopi Jadertini.* Altera vero insculpta est in fronte tabernaculi marmorei, quod quatuor columnis itidem marmoreis innixum, altari summo & primario impositum est: *In nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis MCCCXXII. factum fuit hoc opus, tempore Joannis de Butuane Archiepiscopi Jadrensis.*

Duæ insulæ diœcesi Jadrensi detractæ, & Sibenicensibus restitutæ.

Anno 1331. versabatur in Dalmatia Bertrandus Rotundus Canonicus Vivariensis, Nuntius pontificius, idemque præpositus colligendis decimis, quas Sedes apostolica æque monachis, ac clericis imponere solebat. Has cum non solvissent Virgines Jadertinæ S. Demetrii, eas Bertrandus censuris pœnisque ecclesiasticis affecit. At illæ apud Joannem Pontificem supplici libello suam paupertatem caussatæ, ob quam solvendo non erant, mandatum apostolicum impe-

Bertrandus Rotundus Nuntius pontificius, & decimarum apostolicarum exactor.

tra-

Digitized by Google

ftarunt, quo jubebantur, quibus confixæ fuerant, sententiis ac pœnis liberari: *Mandatum Magistro Bertrando Rotundo Canonico Vivariensi, apostolicæ Sedis Nuntio, quatenus Priorissam & conventum pauperum sororum monasterii S. Demetrii Jadren. Ordinis S. Augustini absolvat a sententiis in eas per ipsum promulgatis, ex eo quod decimas sexennales, & triennales per Sedem apostolicam dudum impositas solvere non poterant. Dat. Avenione Idibus Januarii, An. Pontific. xv.*, id est 1331. Joannes Archiepiscopus e vivis excessit sub initium anni 1333. nam hoc anno VIII. Idus Aprilis jam sedes archiepiscopalis vacabat, ut docet Valerius a Ponte.

NICOLAUS III. ARCH. JADREN. XVIII.

Civis & patricius Jadertinus ex illustri familia de Matafaris, ex qua insignes viri prodierunt bellicis laudibus ac civilibus clarissimi; ejusque antiquitatem ac nobilitatem testantur inscriptiones sepulcrales cum stemmate gentilitio, quæ Jaderæ in variis templis visuntur. Hunc Scriptores Dominicani suum esse dicunt, suæque disciplinæ alumnum; sed eum confundunt cum *Nicolao de Setia* Archiepiscopo, de quo supra; quippe hunc ipsum Nicolaum III. alii de *Setia*, alii Sezzensem vocant. Illorum auctoritatem secutus Ughellus eumdem Prædicatorum Ordini adscripserat; verum postea in appendice, ratione nescio qua adductus e Dominicana in Franciscanam familiam transtulit; sed Valerius a Ponte Dominicanis pariter & Franciscanis ademit, nullique religiosæ sodalitati aggregatum fuisse ex eo conjecit, quod in omnibus, & sane multis monumentis illius ætatis *Dominus*, & *Decretorum Doctor* vocatur; nusquam vero ejus nomini titulus *Fratris* præfigitur, qui communis est omnibus ex quocumque Fratrum religiosorum Ordine ad Episcopatum evectis, ac fere nunquam prætermitti solet.

Joannes XXII. anno 1333., ut docent Ferdinandus Ughellus, & Valerius a Ponte, Nicolaum Jadrensibus Archiepiscopum dedit, virum doctrina, & juris pontificii scientia longe clarissimum. Vix ad regimen accesserat, cum ei dirimenda fuit controversia intra finem anni superioris inter Canonicos Arbenses, & Jadertinos exorta. Veteri consuetudine, & more majorum comparatum erat, ut si qua necessitas ingrueret, vel utilitas requireret ecclesiæ & provinciæ Jadrensis, extraordinaria quædam tributa, quas vocabant collectas, tum Episcopis, tum Canonicis, ceterisque clericis sacerdotio aliquo fructuoso præditis totius provinciæ imperarentur. Querebantur autem Canonici Arbenses se nimio plus gravari a Capitulo Jadrensi, & majorem sibi collectam indici, quam jus & æquitas postularent. Horum querimoniæ, ac postulationi ut satisfaceret Nicolaus, & omnem occasionem querelis ac dissensionibus in posterum præriperet; in Concilio provinciali, cui interfuerunt tres Episcopi Jadertinæ metropoli subjecti, Arbensis, & Veclensis per se ipsi, Absorensis vero per suum Vicarium, itemque primores Capitulorum & cleri universæ provinciæ, omnibus consentientibus, atque approbantibus, hoc decretum fecit.

Controversiam de impositione tributi extraordinarii, inter Capitulum Arbense & Jadertinum, in Concilio provinciali diremit.

Nos Nicolaus Dei, & apostolicæ Sedis gratia Archiep. Jadren. de mense Octobris nuper elapsi die Sabbathi, 15. mens. Octob. de quadam controversia super facto impositionis collectarum impositarum, vel imponendarum in provincia Jadrensi, orta inter Prælatos, & Capitulum Arben. ex una parte, & Capitulum Jadren. ex parte alia, sententiam difinitivam protulimus in hæc verba: In nomine Domini amen. An. Incarn. ejusdem 1334. Ind. 2. die Sab. 15. men. Octobris. Cum orta fuisset controversia quædam super facto impositionis collectarum impositarum, vel imponendarum in provincia Jadren., inter Prælatos & Capitulum Arben. ex parte una, & Capitulum Jadren. ex parte alia, & super dicta controversia oblata fuisset querela per procuratores & sindicos Prælatorum & Capituli Arben. contra Capitulum Jadren.; in pleno nostro Concilio, in nostra præsentia, & duorum Episcoporum suffraganeorum, aliorumque præsentium Prælatorum, fuit nobis per utramque partem hinc inde cum instantia supplicatum, quod deberemus prædictam controversiam de medio tollere, & prædictas partes ad concordiam per definitivam sententiam revocare, justitia mediante; nos vero removere volentes omnem materiam scandalorum, cupientesque Clerum nostræ ditioni subjectum pacificare, & quietare, ita ut pie, sobrie, sancte, ac pacifice inter se convivere debeat, jura etiam utriusque partis attente considerantes, pro bono pacis, & tranquillo statu temporali & spirituali, definimus, & sententiamus, proferentes sententiam in scriptis; quod Jadren. Archiepiscopus, si præsens fuerit, vel in absentia, ejus Vicarius cum Capitulo, & Prælatis omnibus Jadren. civitatis ac diœcesis, sæcularibus & regularibus, vocatis Episcopis & Capitulis suffraganearum ecclesiarum, de omnium prædictorum præsentium, vel eorum procuratorum consensu, vel majoris partis eorum, libere possit imponere impositionem pecuniæ solvendæ per Jadrensem civitatem & diœcesim, ac totam provinciam, quotiens, & quando necessarium & expediens fuerit; & hoc idem possit Capitulum Jadren. una cum Prælatis sæcularibus & regularibus Jadren. civitatis & provinciæ, vocatis Suffraganeis & Capitulis eorumdem, de consensu omnium præsentium, vel procuratorum ipsorum, vel majori parte ipsorum, prædicta Ecclesia Jadren. vacante: ita quod clara æqualitas personarum voces habentium in prædictis appareat: & quod summæ pecuniæ impositæ quantitas dividatur in quinque partes, quarum tres persolvent Suffraganei una cum Clero, reliquas duas Jadren. Ecclesia cum Clero, ut est hactenus observatum. Impositio vero nuper facta soluta, & persolvenda per eos, qui non persolverunt, in suo robore permaneat, nullum propter hoc in posterum alicui præjudicium generando. Hanc autem sententiam in præsentia totius nostri Concilii lectam approbaverunt, & ratam & autenticam expressa voce habuerunt omnes Episcopi suffraganei nostri, scilicet Domini Arben., Vicarius Obsoren., & Veglen.; nec non omnes alii Prælati in præsentia totius nostri Concilii præsentialiter constituti. Actum est hoc in sacristia majoris ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ in Jadra, præsentibus toto nostro Concilio, & D. Pagano Vicario monasterii S. Petri de Arbo pro D. Patriarcha Gradensi, & D. Nicolao de Pisis Plebano Ecclesiæ Sanctæ Juliæ diœces. Pisanæ. Ego Gerardus filius Ruffini de Burgo de Placentia Imper. auctoritate Notarius his prædictis interfui, & rogatus hæc scripsi & autenticavi, & signo meo proprio signavi.

Sententia Nicolai.

Sed cum quædam particula hujus decreti videretur ambigua, aut obscurior, quam satis perspi-

spicue intelligi posset; Episcopus & Clerus Arbensis postularunt, ut eam dilucidius explicaret, omnique verborum ambiguitate remota, nullum aliter interpretandi, atque ipse decreverat, locum relinqueret.

Explicatio sententiæ.

Et quia D. Arbensis Episcopus, & suus Clerus de prædictis se tenentes gravatos, nobis humiliter supplicarunt, ut in dicta nostra sententia dignaremur apertius declarare clausulam illam; videlicet quod Jadrensis Archiepiscopus, si præsens fuerit, vel in absentia, ejus Vicarius cum Capitulo, & Prælatis omnibus Jadrensis civitatis, & diœcesis, sæcularibus, & regularibus, vocatis Episcopis, & Capitulis suffraganearum ecclesiarum, de omnium prædictorum præsentium vel procuratorum consensu, vel majoris partis eorum, libere possint imponere impositionem pecuniæ solvendam per Jadrensem civitatem, ac diœcesim, ac totam provinciam, quotiens, & quando necessarium & expediens fuerit; & hoc idem possit Capitulum Jadrense una cum Prælatis sæcularibus & regularibus Jadrensis civitatis ac diœcesis, & provinciæ nostræ Suffraganeis, & Capitulis eorumdem, de consensu omnium præsentium vel procuratoris ipsorum, vel majoris partis eorum, prædicta Ecclesia Jadrensi vacante; ita quod inter ipsos clara æqualitas personarum voces habentium in prædictis appareat. Quare nos dictam clausulam, & dubia scilicet, quæ sunt in ea, declaramus intelligi volentibus, & sic inviolabiliter observari præcipimus definitive, & sententialiter in futurum, quod, quandocumque præmissa impositio occurrerit facienda, Archiepiscopus Jadren., qui pro tempore fuerit, vel ejus Vicarius eo absente, cum Capitulo Jadren. habeant duas voces, & hoc idem habeant Vicarius Capituli Jadren., & ipsum Capitulum vacante ipsa Ecclesia; & quilibet de Suffraganeis, vel in ejus absentia suus Vicarius cum Capitulo suo similiter habeant duas voces; & vacantibus ecclesiis suffraganeis vel aliqua earum, habeat Vicarius in unaquaque cum suo Capitulo similiter duas voces: rata manente dicta nostra sententia in omnibus aliis sicut jacet. Dat. in nostro archiepiscopali palatio, & scripta per Gerardum filium Ruffini de Burgo notario Cancelleriæ nostræ, die Jovis secundo mensis Februarii, sub 1335., Indict. III., & in prædictorum omnium robur, jussimus nostrum sigillum cum cordula pendente apponi.

Benedictus XII. commendat FF. Prædicatoribus Virgines Jadrenses S. Augustini.

Erat prope Jaderam in loco, cui nomen *Altaripa*, collegium sacrarum virginum Ordinis S. Augustini, quæ a Benedicto XII. petierunt, impetraveruntque, ut e cœnobio Patrum Prædicatorum Jadrensium vitæ religiosæ magistros sibi daret, a quibus sacramenta susciperent, atque ad normam & præscriptum instituti Dominicani regerentur; ut constat ex pontificiis litteris datis ad Magistrum gen. Ordinis Prædicatorum, atque ad præpositum provinciæ Dominicanæ Jadrensis.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Mag. Ordinis Prædicatorum, & Priori provinciali, sub cujus regimine Fratres ejusdem Ordinis Prædicatorum Jadrensis conventus consistunt ad præsens, seu consistent in posterum, salutem, & apostolicam benedictionem. Apostolicæ Sedis benignitas prudentes Virgines, quæ se parant accensis lampadibus obviam ire sponso, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissæ, & sororum monasterii Beatæ Mariæ de Altaripa juxta Jadram Ordinis Sancti Augustini, secundum instituta, & sub cura Ordinis Prædicatorum viventium, fuit propositum coram nobis; quod eædem inclusæ corpore in claustris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, vobis, & eidem Ordini vestro affectent committi; Nos pium ipsarum propositum in Domino commendantes, earum devotionis precibus inclinati ipsas & monasterium prædictum vobis, & dicto Ordini, auctoritate apostolica duximus committendas; eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut sub magistro, aut doctrinis vestris, & successorum vestrorum Mag. & Prioris provincialis, qui p. t. fuerint, de cetero debeant permanere, illis gaudentes privilegiis, quæ vestro Ordini sunt concessa, vel in posterum concedantur. Vosque, ac successores prædicti animarum suarum sollicitudinem gerentes, & curam, atque eis de institutionibus ejusdem vestri Ordinis illa, quæ eis competunt, exhibentes, eidem monasterio per vos, vel alios Fratres dicti Ordinis, quos ad hoc idoneos videritis, quoties expedierit, visitationis officium impendatis, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noveritis indigere. Electio tamen Priorissæ libere pertineat ad conventum, ac nihilominus instituatis .... tis, & ordinetis, prout secundum Dominum videritis expedire; confessiones earum audiatis, & ministretis eis ecclesiastica sacram ...... liceat prædictis Priorissæ, & sororibus, redditus, & possessiones recipere, ac eas libere retinere. Non obstante contraria consuetudine, vel statuto ipsius vestri Ordinis, confirmatione Sedis prædictæ, vel quacumque firmitate alia roboratis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnia præmissa ad ministeriam vestrum spectantia, curetis diligenter, & sollicite juxta hujusmodi commissionis, & constitutionis nostræ tenorem, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, adimplere. Dat. Laterani 10. Cal. Januarii, Pontificatus nostri anno primo, Christi 1334.

Tria sacerdotia urbana per Benedictum XII collata.

Per hæc tempora idem Benedictus Papa XII. tria sacerdotia civitatis Jadrensis contulit, quibus cura animarum erat, videlicet præfectorum ecclesiæ collegiatæ Sancti Matthæi, & S. Petri veteris; item parœciam S. Michaelis, ut notatum est in Tabulis Avenionensibus Actorum Consistorialium.

Mandatum pro collatione plebanatus collegiatæ & sæcularis plebis S. Matthæi Jadren. 20. florenorum auri valorem annuum non excedentis, & per obitum quondam Stephani apud Sedem apostolicam prævia generali reservatione vacantis, pro Demetrio Matafaris de Jadra Clerico Jadren., cum cessatione electionis ipsius favore concorditer celebratæ, ac confirmatæ. Dat. apud Pontem ...... diœces. Avenionensis 8. Cal. Septemb.

Mandatum pro collatione plebanatus collegiatæ sæcularis & curatæ Ecclesiæ S. Petri veteris Jadræ 20. florenorum auri valorem non excedentis, & per obitum apud Sedem apostolicam prævia generali reservatione vacantis, pro Damiano filio quondam Joannis de Jadra perpetuo Capellano S. Petri in insula Gi. ...... prope Jadram. Dat. Avenione Cal. Feb. an. 4. Pontif. id est an. Christi 1338.

Collatio plebanatus Ecclesiæ S. Michaelis Jadren.

Digitized by Google

dren. 16. florenorum auri valorem annuum non excedentis, & per assecutionem a Chrysogono de Varicassis factam de Plebanatu ecclesiæ S. Martini de Venetiis Castellanæ diœcesis ipsi per Pontificem collato, vacantis, obtentu Nicolai Archiep. Jadrensis, pro Petro quondam Bellote de Pago, qui duo beneficia sine cura in dicta diœcesi dimittere tenetur. Dat. Avenione VII. Cal. April. anno 8. Pont. id est 42.

Mandata ejusdem Pontificis ad Nicolaum Archiep.

Idem Benedictus anno 1337. Nicolao Archiepiscopo mandatum dedit, ut una cum Episcopis Scardonensi & Nonensi inquireret, & canonicis pœnis animadverteret in quemdam F. Joannem ex cœtu Fratrum hospitalium S. Joannis Hierosolymitani, qui multa de rebus cœnobii furatus cum esset, habitu monachali dimisso secesserat, seque sacrilegiis nuptiis illigaverat.

Mandatum Archiepiscopo Jadrensi, & Nonensi ac Scardonensi Episcopis, quatenus faciant justitiæ complementum super eo, quod Joannes de Camporiano Frater Præfectus Ordinis hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, diabolico spiritu instigatus, habitu dimisso, falsoque se alio nomine Bonjoannes faciens nuncupari, matrimonium, imo verius contubernium, cum quadam muliere contraxit; secumque plura bona mobilia, & immobilia dicti hospitalis nequiter asportavit, & a Communis civitatis Jadrensis suffultus potentia, detinet occupata; instantibus Priore & Fratribus Prioratus S. Joannis Hierosolymitani de Ungaria. Dat. Aven. 3. Id. April., anno tertio Pont. id est Christi 1337.

Idem Pontifex sub idem tempus litteras dedit ad Nicolaum Archiepiscopum, eique mandavit, ut Virgines cœnobii Jadertini S. Claræ, interdicti & anathematis vinculis exsolvat, quibus illigatæ erant ob decimas ærario apostolico non solutas; eisdemque solutionem præteritarum decimarum condonavit.

Venerabili fratri Archiep. Jadren. Exhibita nobis conventus monasterii S. Nicolai Jadren. ad præsens Abbatissa carentis, Ordinis S. Claræ petitio continebat, quod licet ipsæ tanta paupertate graventur, quod de proventibus possessionum suarum, vix pro certa parte anni possint congrue sustentari, quinimo pro magna parte temporis de eleemosynis fidelium, quas petunt, & peti faciunt, sustentantur; tamen dilectus filius Bertrandus Rotundi collector decimarum per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum in partibus ipsis impositarum, specialiter deputatus, in dictum monasterium, pro eo, quod quondam Francisca Abbatissa dicti monasterii, & conventus prædicti, hujusmodi decimas eis impositas, in statutis terminis non solverunt, interdicti, necnon & in Abbatissam eamdem & singulas moniales dicti monasterii, excomunicationis sententias promulgavit, quodque ipsæ Abbatissa & conventus, propter ipsarum maximam paupertatem ad solvendum hujusmodi decimas, tempore aliorum Romanorum Pontificum compulsæ non fuerint, nec etiam si ipsæ conventus compellerentur, eas possent solvere sine magno earum incommodo, propter maximam inopiam earumdem. Quare præfatæ conventus, dicta Francisca interim sublata de medio, nobis humiliter supplicarunt, ut statui earum paterne consulere, ac etiam necessitatibus providere, de consueta Sedis apostolicæ clementia dignaremur. Nos itaque ipsarum conventus supplicationibus annuentes, ac præfatas decimas eis pro tempore præterito impositas, auctoritate præsentium, de speciali gratia remittentes eisdem, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus præfatas moniales & conventum ab omnibus sententiis per dictum Bernardum, aut subcollectores suos in eas occasione hujusmodi decimæ non solutæ, prolatis auctoritate nostra, juxta ecclesiæ formam absolvere, ac interdictum præfatum studeas relaxare, injuncto eis super hoc quod de jure fuerit injungendum, & nihilominus dictam Franciscam, si apparuerunt signa pœnitentiæ in eadem, absolvas a prædicta excomunicationis sententia, in eam propterea promulgata. Datum Avenion. x. Kal. Julii anno III.

Annos fere undecim Nicolaus Ecclesiam Jadrensem, summa civium approbatione, & christianæ rei ac pietatis incremento, placide tranquilleque administraverat; cum repente ingens extitit rerum motus, ac perturbatio, quæ optimum pacatumque civitatis & ecclesiæ statum vehementer concussit, adduxitque in maximum periculum, & in extremum pene discrimen. Jampridem Jadrensium fides Venetis suspecta esse cœperat. Ludovicus rex Hungariæ, Carolo parenti demortuo in regnum suffectus anno 1342., Elisabetham matrem in Italiam mittere decreverat, ut vel a Pontifice absente per litteras, vel ab ejus Legato, qui Romæ præsidebat, regni Neapolitani titulum & diadema Andreæ filio impetraret. Hunc siquidem Joanna in matrimonium duxerat, quæ post mortem Caroli Roberti regis Neapolitani avi sui, sibi uni regiam coronam a Legato pontificio imponendam curaverat, sibique uni totius regni administrationem vindicabat, præterito neglectoque Andrea viro suo, Elisabethæ filio, & fratre Ludovici, contra quam ex pactis nuptialibus convenerat. Porro Jadrenses, injussu Senatus Veneti, duas triremes, quibus Elisabetha in Italiam transveheretur, Ludovico petenti accommodaverant; & quamvis de petitione regis, & commodatis eidem navigiis Ducem ac Senatum per litteras certiorem fecissent, efficere tamen non potuerunt, quin animis Venetorum clandestinæ alicujus cum rege conjunctionis suspicionem injicerent. Ac Senatus quidem suas ultro naves Ludovico detulit, quibus Elisabetha uti maluit, quam triremibus Jadrensium, quæ jam in anchoris stabant ad portum Seniæ, illisque in Apuliam transvecta est anno 1343., ut Veneti pariter, atque Hungarici Scriptores tradunt. Suspicionem auxit legatio Jadrensium ad regem, qui biennio post exercitum ad fines Dalmatiæ traduxit, ut proceres Chrobatorum detrectantes regis imperia ad obsequium reduceret. Multæ etiam aliæ maritimæ civitates ditionis Venetæ, honoris & officii caussa suos ad regem legatos miserunt; verum legatio Jadrensis alio spectare videbatur, ut postea compertum fuit; & ex aliis insuper indiciis satis patuit Jadrensium fidem ac voluntatem nutare, atque ad Ludovicum regem propendere. Antequam in apertam defectionem erumperent, Andreas Dandulus ante triennium Dux Venetorum declaratus, is, qui res Venetas breviter atque ordine descripsit, classem sub præfectura Petri Canalis in Dalmatiam transmisit, ut Jadrensium conatus præoccuparet; ac deinde Marcus Justinianus copias terrestres duxit; uterque anno 1345. urbem terra marique obsedit. Jadrenses timore magno perculsi, Nicolaum Archiepiscopum, ac duos ex ordine nobilium ad Ducem ac Sena-

Jadrensium fides Venetis suspecta.

Jadrenses obsidentur a Venetis.

na-

mtum oratores deprecatoresque miserunt, qui veniam, si quid Jadertini deliquissent, pacemque orarent, ut docet Scriptor anonymus obsidionis Jadrensis: *Tres honoratos elegerunt viros; quorum primus D. Nicolaus D. G. Jadren. Archiepiscopus, alius Martinussius prædictus, & ultimus Thomas de Petrizio; qui Venetias transfretare celeriter studeant &c.* Sed ea legatio frustra fuit. Desperata venia, cum civitas acrius in dies oppugnaretur, quod jamdiu clam moliri dicebantur, id exsequi festinarunt, oratoribus ad Ludovicum missis, qui urbem in ejus fidem ac tutelam traderent, opem & auxilium implorarent. Rex cum exercitu, quam celerrime potuisset, se affuturum promisit. Nicolaus Archiepiscopus ipso die festo S. Chrysogoni, dum in ejus basilica litaret, inter sollemne sacrificium post evangelicam lectionem, vexillum Hungaricum ab rege missum explicavit, faustis piisque precationibus cives ingenti lætitia perfusos ad urbis defensionem, ac spem victoriæ erexit, ut tradit Anonymus supra laudatus his verbis: *Septimo Kal. decimi mensis, in quo præcipue Jadertini solemnissime eorum Pastoris festum mirifici martyris Grisogoni celebrando non desistunt, D. Nicolaus venerab. Pater & Archiep. Jadren., compatriota in Ecclesia beatissimi athletæ Grisogoni, in qua totus erat apparatus Clerus, ac populus universus ejusdem civitatis ad solemnia audienda officia advenerat, devotam celebravit Missam, & post sanctæ evangelicæ lectionis enunciationem, pulpitum ascendit, multosque bortatorios pronunciavit sermones, & benedicens altissima voce omnibus audientibus, qui ad devotionis festum congregati fuerant, vexillum regis extulit, quod idem rex Ludovicus in signum fidelitatis transmiserat. Expletaque benedictione omnes in basilica adunati unanimiter cum jubilatione clamaverunt dicentes Amen. Et dum solemnia explerentur mysteria, universus Clerus Dalmaticis decoratus vestibus, laudibus, hymnisque, & sanctorum psalmorum ductu, in multorum nobilium & plebejorum comitiva, cum eodem Antistite in foro medio ipsius urbis usque devenerunt; & suscepta a dicto Antistite totus vulgus benedictione, in trunco eminenti passuum fere undecim, in dicto medio foro, dictum vexillum inæstimabili lætitia erexerunt &c. &c.*

Nicolaus Archiepisc. ad Senatum de venia petenda missus Orator.

Anno igitur sequenti Ludovicus cum magno exercitu in Dalmatiam veniens, apud Jaderam consedit, ut civitatem sibi traditam obsidione levaret. Sed cum munitionem quamdam, quam Veneti exstruxerant, acerrime oppugnaret, ingenti clade accepta, inglorius in Hungariam remeavit. Post regis discessum, Jadrenses Venetam obsidionem aliquot menses sustinuerunt. Sed demum externa auxilia desperantes, suis viribus diffisi petierunt, ut liceret sibi mittere Venetias de pace legatos, quod haud gravate est eis concessum. Hi venia impetrata, urbem seque in Venetorum potestatem rursus tradiderunt intra finem anni 1346. Hæc fuse copioseque descripta sunt ab Anonymo Scriptore obsidionis Jadrensis, quo cum historici & chronologi Veneti ferme consentiunt.

Rebus publicis tranquillatis, & pacata civitate, Nicolaus Antistes alacer rediit ad sua pastoralia munia obeunda; ac per annos fere decem quies fuit & tranquillitas; sed anno 1356. Ludovicus sociali fœdere cum Francisco Carrario Regulo Patavino, & Nicolao Patriarcha Aquilejensi conjunctus, bellum Venetis intulit, iisdemque universam Dalmatiam partim vi, partim deditione ademit. Jadera hostibus tradita fuit per proditionem Abbatis S. Michaelis, qui clanculum nocte concubia Carrarienses & Hungaros demissis scalis intra mœnia urbis invexit. Arx tamen a Venetis retenta est; quam deinde Ludovico tradere oportuit; cum is sub initium anni 1357. Jaderæ pacem cum Venetis redintegravit: & eodem anno Nicolaus Archiepiscopus cum aliis Dalmatiæ & Hungariæ Præsulibus, præsens ac testis nominatur in privilegio, quod Ludovicus Traguriensibus concessit.

Ludovicus Dalmatiam Venetis eripuit.

Jadera per proditionem potitur.

Annos circiter decem Nicolaus sub imperio Ludovici Ecclesiæ Jadrensi præfuit; anno siquidem 1360. Episcopo Scardonensi potestatem fecit altare maximum, & alias minores aras sollemnibus cærimoniis & precationibus consecrandi in templo Jadrensi Patrum Prædicatorum; cujus consecrationis testes litteræ in Guillelmo Episcopo Scardonensi descriptæ sunt; & anno 1364. eum nominatum invenio in tabulis cœnobii Dominicani Jadrensis: *Anno 1364. regnante Ludovico &c. tempore Nicolai de Matafaris Archiep. Jadren., & magnifici viri Domini Nicolai de Seez regnorum Dal. & Croat. Bani Generalis, Comitis civitatis Jadræ &c. &c.* Post hunc annum neque in tabulis Jadertinis, neque in aliis monumentis Dalmaticis ejus nomen reperitur: quod indicio esse posset vel hoc eodem anno, vel proximo mortuum esse. Ceterum Joannes Lucius Nicolai mortem cum anno 1367. conjunxit, idque confirmari potest diplomate Ludovici regis dat. an. 1367. VIII. Kal. Aprilis, in quo nominatur *Nicolaus Jadrensis*. Extat nobile sepulcrum ejus in æde metropolitana propter fontem baptismatis; & tabula marmorea superposita effigiem Præsulis sedentis in solio episcopali inter duodecim Canonicos insculptam exhibet, cum insigniis familiæ de Matafaris sine ulla inscriptione. Sunt qui existimant in hoc sepulcro conditum esse Petrum de Matafaris itidem Archiepiscopum Jadrensem; idque conjiciunt ex Canonicis eidem assidentibus, cum hic collegium Canonicorum instituerit, vel potius ad normam & exemplum aliorum Capitulorum reformaverit. Verum Petrus Asculi, ubi diem obiit supremum, sepultus est in æde cathedrali, ut postea dicemus. Nicolai vero esse, quod Jaderæ visitur, sepulcrum eo, quo diximus, loco positum, constat e supremis tabulis Equitis Ludovici de Matafaris, anno 1421. V. Non. Octobris confectis; in quibus, ut tradit Valerius a Ponte, *ordinat construi debere altare in Ecclesia S. Anastasiæ sub arca Reverendissimi Domini Nicolai de Matafaris olim Archiepiscopi Jadrensis, in quo quotidie celebrari debeat Missæ sacrificium per Capellanum a suis commissariis eligendum &c. quæ celebratio Missarum modo exequitur in altari Sanctissimi Sacramenti eidem sepulchro proximi, ad quod translata forsan fuit, cum sub eodem sepulchro construi altare indecens visum fuerit.*

Ejus sepulcrum,

quod Petro de Matafaris falso attribuitur.

DOMINICUS II. ARCH. JADREN. XIX.

Oriundus ex Epiro nova, quam nunc *Albaniam* vocant, qui ab ineunte adolescentia Ordini Patrum Prædicatorum adscriptus, multa egregiæ doctrinæ, ac religiosarum virtutum documenta dederat. Hunc antea Caulensem Episcopum fuisse, atque inde ad metropolim Jadertinam translatum auctores sunt Ferdinandus Ughel-

Dominicus Epirota Dominicanus e Caulensi seu potius Corcyrensi Episcopo Archiep. Jadren.

ghellus, & Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano; sed Joannes Lucius, Valerius a Ponte tradunt Episcopatum Corcyræ Nigræ, quæ insula est Dalmatiæ, antea obtinuisse, quam ad sedem metropolitanam Jadrensem ascenderet. Ejus episcopalia initia idem Ughellus & Fontana conferunt in annum 1366., sed anno proximo exeunte Ecclesia hæc adhuc Archiepiscopo carebat, ut docent Tabulæ Jadrenses apud Valerium de Ponte: *1367. Indict. 5. die 9. men. Decembris regnante Serenissimo Principe, & Domino nostro naturali D. Ludovico Dei gratia Rege Ungariæ, vacante dicto Archiepiscopatu Jadrense, propter ejus (Nicolai) mortem; tempore magnifici & potentis Domini &c.* Ludovicus rex Hungariæ, cum Dominicum plurimi faceret, ejusque insignem prudentiam, agendique solertiam in arduis & multis negotiis expertam atque perspectam haberet; Jadrensem pontificatum ei contulit, & collatum illi sacerdotium ab Urbano V. confirmandum curavit. Quin immo ante regiam declarationem, & pontificiam approbationem, ut est apud Lucium lib. 5. cap. 7. Monum. Tragurien., idem Ludovicus per suas litteras ad Gregorium præpositum S. Mariæ Jadrensis, & curatorem bonorum archiepiscopalium sede vacante constitutum, Zagrabiæ datas anno 1367., eidem imperavit, ut bonorum illorum possessionem atque administrationem illi traderet, quem *Stephanus Francisci* civis Jadrensis ex regio mandato nominasset. Hic autem nominavit Fratrem Dominicum Episcopum Corcyrensem; ex quo cognitum est eum fore Archiepiscopum. Nec vero ante annum 1368. diploma Pontificis regiam nominationem approbantis Avenione Jaderam perferri, aut Dominicus ecclesiæ sibi traditæ possessionem adire potuit.

Jus sigilli archiepiscopalis, & capitularis a rege impetravit.

Cum & auctoritate & gratia plurimum apud Ludovicum valeret, sibi & Canonicis suis ab rege impetravit jus sigilli archiepiscopalis & capitularis, regali auctoritate munitum ad fidem actis, tabulisque publicis conciliandam. Extat regium diploma in hæc verba.

Ludovicus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex, Princeps Salernitanus, honoris montis S. Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus tam præsentibus, quam futuris præsentium notitiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri ad hoc reges & principes ad regni gubernacula provexit, ut licet multipliciter circa alia, & diversa negotia hinc inde emergentia distrahantur, tamen curam debitam Sanctæ Matris Ecclesiæ, per quam a vitiis expiantur, & cælestibus socientur, & signanter per quæ communis justitiæ, & uberior status regnicolarum provehuntur, potiorem solicitudinem adhibeant; hoc enim pie, hoc manifeste, hoc deifice a regia agitur majestate, per quod jura viriliter defensantur, subditorum justitia, & æquitas, quæ uti duæ sorores se invicem amplexantur, eclypsim non patiantur aliqualem. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod quia divinæ Majestatis reverentia cordi nostro insidet, & ad ejus nominis cultum, mentis nostræ aures sedule occupantur; tanto nos ante oculos misericordiæ ipsius, credimus miserationis dona percipere, quanto ad laudem sui nominis, propensionis officii nostri munus studuerimus salutiferum elargiri. Ob hoc hujusmodi . . . . . Domini devotorum, & fluentis desiderii nostri affectum quos . . . . . nomine, sanctissimæ ecclesiæ Jadren. metropolis competentis operis structura constructa existit, & fundata, cujusque viri, seu patroni, & tutoris spetialis . . . . . habemus singularem. Speramus enim ipsius almificæ Anastasiæ Virginis precum suffragiis secuturum, nedum in terris, verum etiam in cælestibus pie confoveri. Volentes itaque ecclesiam præponere terrenis, & perpetuo duratura caducis, ut quod tenemus in terris cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cælis; sint itaque iis omnibus pie . . . . se non minus attendentes inviolabilem fidem, & fidei puritatis constantiam Venerabilis in Christo Patris Domini Dominici Archiepiscopi Ecclesiæ dictæ Jadren, fidelis nostri dilecti, quam ad nos, & ad sacrum nostrum diadema eo devotius, quod ferventius indefessæ fidelitatis studio, noscitur habuisse; recordantesque satis grata, & innumera accepta servitia ejusdem, quibus ideo in cunctis nostris & regni nostri negociis, & processionibus, adeo studuit complacere nostræ majestati; & in ejus obsequii virtutibus noster regius animus mitissime conquievit; supplicatione ejusdem Domini Archiepiscopi fidelis nostri, in sua, & Capituli sui personis porrecta, eamdem nostram petens majestatem, nihilominus quo uberiori conservatione jurium regnicolarum nostrorum, & communi justitia observanda dictæ Ecclesiæ suæ Jadrensis, hujusmodi specialis gratiæ prærogativa innata cordis nostri pietate duximus faciendum, ut dicta Ecclesia Jadrensis, nec non idem Dominus Archiepiscopus, & Capitulum ejusdem, sigillo authentico, in quo perfectissime, & figuraliter erit Beata Virgo Filium in brachio bajulans, ex latere dextero Beatissimam Anastasiam, & sinistro Sanctum Grisogonum habente, uti possit, sicut cetera Capitula, conventus, & loca . . . . regnorum nostrorum Dalmatiæ, & Croatiæ perpetuis temporibus utuntur, & potiuntur; sub quo universas litteras . . . . . regnicolis nostris illas petentibus dare possint, & assignare ex nostra commissione, annuentia, & dono nostræ majestatis speciali; ita tamen, quod Dominus Archiepiscopus . . . . . in dicta sua Ecclesia habeat, qui fideles sint, & pro communi justitia observanda idonei reperiantur . . . . . ne falsitas prævaleat veritati, & iniquitas præjudicet æquitati; in cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præsentes concedimus nostras litteras privilegiales, pendentis authentici sigilli nostri duplici munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Radislai Episcopi Vesprimiensis reginalis Cancellarii, & aulæ nostræ vice-Cancellarii fidelis nostri, & dilecti. Anno Domini 1371. 5. Non. mensis Januarii, regni autem nostri anno XXIX. Venerabili in Christo Patre, & Domino Thoma Strigonien. Decretorum Doctore, Stephano Colocen. sacræ paginæ magistro, Vigulino Spalaten., eodem Dominico Jadren. . . . . Ragusien. Archiepiscopis, Demetrio Varadien. Colomano Jaurinen. Michaele Agrien. Vilielno 5. Ecclesiarum, Innocentio Zagrabien. Demetrio Transilvanen. Joanne Vacien. Dominico Varadien. Petro Bosnen. Ladislao Nitrien. Stephano Sirmien. Nicolao Tinien. Demetrio Nonen. Nicolao Maginen. Stephano Pharen. Valentino Traguriense. Matthæo Sibenicen., Michaele Scardonen., & Portina Senien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus . . . . . Magnificis viris

ris dicto Radislao regni nostri Palatino, Emerico Voivoda Transilvano, Nicolao Ecch judice Curiæ nostræ, cum Magistro Tavernicorum nostrorum Simeone regnorum Dalmatiæ, & Croatiæ, Petro Zudar totius Slavoniæ, & Nicolao Denaeon Banis; Paulo Dapiferorum, Joanne Janitorum, & Stephano Agazonum nostrorum magistris, ac eodem Domino Eraldi Duce Apuliæ, Comite Possonien., aliisque quam pluribus, comitatus regni nostri tenentibus, & honores.

Anno 1371. Ludovicus cum Elisabetha juniore conjuge sua, ingentique procerum comitatu in Dalmatiam venit; & cum alias urbes obiisset, Jaderam accessit; qua in urbe aliquot dies commoratus est, ut ejusdem acta ibidem & decreta declarant. Dominicus Archiepiscopus regem omni honore atque officio prosecutus est; nihilque ab eo vel sibi, vel ecclesiæ suæ postulavit, quin facile impetraverit. Per eos dies Elisabetha uxor regis sepulcrum S. Simeonis Prophetæ, ut eam sua pietas admonebat, summa veneratione adiit; & cum quædam eidem divinitus accidissent plane admirabilia, de quibus in Laurentio Periandro Archiepiscopo dictum est, sanctissimo illi Prophetæ arcam argenteam vovit, de qua in Petro Archiepiscopo, & proximo Dominici successore.

Discordiæ inter Jadrenses & Archiepiscopum.

Post discessum Ludovici dissensiones quædam interpositæ animos civium ab Archiepiscopo alienarunt; quæ mutuis offensis quotidie magis exacerbatæ Jadrenses usque eo concitarunt, ut cum legationem supplicem de petendis rebus civitati utilibus ac salutaribus ad Ludovicum mittere decrevissent, inter cetera postulata, hoc legatis maxime commendatum esse voluerunt, regem orarent atque obsecrarent, uti Dominicum Archiepiscopum ab urbe & Ecclesia Jadrensi amotum ad aliam Ecclesiam transferendum curaret. Ludovicus omnia, quæ legati petierunt, prolixe cumulateque concessit; quod vero pertinebat ad postulatum de removendo Archiepiscopo, id quoque indulgendum censuit; & litteris ad eum humanissime scriptis significavit quid a se Jadrenses postulaverint, quid quies & tranquillitas publica requireret; tempori cedendum esse, urbe abscederet, procul a conspectu civitatis tantisper omni munere episcopali abstineret, dum illi aliam Ecclesiam a Pontifice conferendam curaret. Cum Jadrenses omnia quæ optabant, e Ludovico impetrassent, gratiosa apud filium commendatione reginæ senioris Elisabethæ interposita, duos legatos miserunt, ut maximas gratias utrique agerent, quod quæ Jadrenses postulaverant, rex benigne concesserit; ac præsertim quod semoto ab urbe Episcopo, civium quieti ac tranquillitati consuluerit. Extant mandata tradita legatis in tabulis archivi publici, quarum initium hoc est: *Anno* 1374. . . . . . . *Aprilis. Quod vos Ser Damianus de Nassis, & D. Jacobus de Raducis facta reverentia, & recommendatione solita majestati D. regis & Dominæ reginæ senioris primo dicetis qualiter . . . . . . Item nostri parte majestati utrique præclaras, & supplices gratias referatis de tam benigna & gratiosa expeditione ultimorum ambasciatorum nostrorum, referentium nobis omnem obtinuisse gratiam postulatam; ex quibus multum sumus alacres & contenti, maxime de separatione Archiepiscopi ab incolatu civitatis usque ad translationem ipsius, oblatam per regiam majestatem; qua facta, in pace quieta animorum & corporum stabimus, civitasque augebitur de bono in melius ad honorem regiæ majestatis &c. &c.* Post annum 1374. de Dominico Archiepiscopo nullam in Tabulis Jadrensibus mentionem factam invenio: ex quo intelligi potest nunquam Jaderam rediisse, posteaquam jussu Ludovici abscessit; neque facile assenserim Vincentio Fontanæ, qui diuturnum pontificatum illi attribuit; & Jaderæ mortuum, atque in æde cathedrali tumulatum fuisse affirmat, de illoque hoc scriptum reliquit in suo Theatro Dominicano: *P. F. Dominicus (Dalmatinus, inquit Taegius) cum Caulensis Episcopus ante esset, defuncto Nicolao Sozensi (de* Matafaris) *ab Urbano V. hanc Ecclesiam* (Jadrensem) *suscepit administrandam 4. sui Pontificatus anno, nempe 13. Kalen. Januarii evanescentis anni 1366., quam pluribus annis pie rexit; vitamque cum morte commutavit in sua Cathedrali tumulatus.*

Error Vincentii Fontanæ.

PETRUS II. ARCH. JADREN. XX.

Filius fratris Nicolai III. Archiepiscopi de Matafaris; qui cum apud Carolum Dyrrhachiensem, Ducem Dalmatiæ, gratiosus esset in paucis, ejusque familiarium longe primus, hujus auctoritate & commendatione nixus, quamvis admodum juvenis, sedem archiepiscopalem Jadrensem obtinuit. Erat Carolus e regia stirpe Caroli II. regis Neapolitani, filius Ludovici ducis Dyrrhachii. Illum Ludovicus rex Hungariæ ex Italia ante aliquot annos evocaverat, eique regnum Neapolitanum destinaverat, quod jure propinquioris consanguinitatis post obitum Joannæ reginæ ad se pertinere existimabat; atque ut Carolo jus illius regni adipiscendi magis magisque augeret, Margaritam filiam Mariæ sororis Joannæ uxorem ei dederat; ut vero eumdem ad imperium, reique publicæ administrationem assuefaceret, ducem Dalmatiæ & Chrobatiæ præfecit; & anno 1373. cum Margarita conjuge in Dalmatiam misit. Carolus Jaderæ domicilium sibi sedemque delegit; qua in urbe Joannam filiam primogenitam ex Margarita suscepit. Hic ergo, cum Petrum de Matafaris, juvenem egregiæ indolis, excelsique animi magnopere diligeret, eidem a Gregorio XI. Pontifice maximo Archiepiscopatum Jadrensem conferendum curavit, quamvis ab ea ætate longe abesset, quam ad suscipiendum Episcopatum sacri Canones requirunt; ac ne sacerdotio quidem secundi ordinis adhuc maturus erat. Itaque possessionem quidem ecclesiæ sibi traditæ adivit anno circiter 1376. In privilegio, quod Ludovicus rex Hungariæ concessit Abbati & monachis cœnobii *de Peis-Varad* an. 1379. *Petrus Jadrensis* nominatur. Per annos fere septem omnia quidem, quæ ad potestatem jurisdictionis, non item vero quæ ad potestatem ordinis episcopalis pertinent, administravit.

Tres fere annos Carolus Dalmatiæ & Chrobatiæ principatum tenuerat, cum visum est Ludovico illum in Italiam ac patriam remittere, visendi & salutandi caussa Joannam reginam uxoris suæ materteram, cui successurus erat in regnum, ejusque benevolentiæ magis ac magis sibi conciliandæ. Ante profectionem res contigit, ut ferunt, plane admirabilis, quæ ad cultum S. Simeonis augendum maxime valuit. Margarita Caroli uxor, ut erat femina pia, & præcipua quadam religione S. Simeonem venerabatur, ab ejus sepulchri custodibus enixe petiit par-

Carolus & Margarita particulam e corpore S. Simeonis auferunt.

Digitized by Google

particulam ex ejusdem corpore, quam secum perpetuo circumgestaret, sibi ad sanctissimum illum Prophetam impensius colendum incitamento, suæque vitæ præsidio futuram. At illi objecto metu ex recordatione eorum, quæ haud multis ante annis Elisabethæ reginæ acciderant, caveret admonuerunt, ne quæsitum invito Deo præsidium in periculum verteretur. His nihil deterrita, piæque suæ voluntatis conscientia fidens, acrius id petere institit, quod vehementissime cupiebat; & urgenti atque instanti, quod sibi dari omnino volebat, negari non potuit. Hoc dono, quod omni thesauro, regiaque gaza pretiosius esse ducebat, mirifice læta, cum Carolo conjuge triremem conscendit anno 1376. in Apuliam transmissura; verum quoties e portu egressa est, toties ventis adversis reflantibus regredi coacta fuit; nec vero propterea vim divini Numinis repulsantis, vel ipsa, vel Carolus agnovit. Itaque jussi sunt nautæ viribus omnibus contra obniti, & remis ac remulco ventorum obluctantium impetum diffringere ac superare. Longius a terra progressos, jamque in altum invectos atrox & fœda tempestas invasit, quæ vectores nautasque in ultimum discrimen adduxit. Tum vero Margaritæ & Caroli animum subiit memoria divinæ indignationis, quæ Elisabetham reginam ob digitum S. Simeonis avulsum perculerat, itemque cælestium dirarum, quas sibi ob eamdem caussam custodes & præsides arcæ obnuntiaverant. Itaque ambo communi consilio decernunt reddere quod abstulissent; simulque veniam & pacem a Deo precati, B. Simeonis opem implorant. Hac imploratione, velut fræno injecto, procella sedatur; secundus regredientibus ac placidus ventus exoritur, qui navim, prora conversa ad littora Dalmatiæ, in portum Jadrensem impellit. Egressi in terram templum S. Simeonis supplices adeunt, ejusque corpus venerati, quidquid ex eo sustulerant Sacerdotibus restituunt. Hoc autem videtur esse illud fragmentum, quod seorsum a corpore nunc asservatur in argentea lipsanotheca apud Virgines Benedictinas S. Mariæ. Illi vero hac religione, qua obstricti erant, soluti, expiatique triremem conscendunt; & non tam ventis ferentibus, quam cælesti Numine itineri obsecundante, facili & expedita navigatione oram Apuliæ incolumes tenuerunt.

Sed in pristinum locum postea restituunt.

Hujus admirandi eventus fama late vulgata, cum ad aures Elisabethæ reginæ pervenisset, huic magno incitamento fuit, ut quod voverat Sancto Simeoni, exsequi festinaret. Ex nobilitate Jadrensi quinque primarios viros non magis graves ætate, quam rerum gerendarum solertia præditos elegit, qui arcæ argenteæ, quam S. Simeoni promiserat, perficiundæ præessent; iisdemque in hoc opus mille marchas argenteas numerari jussit. Hi vero piæ reginæ mandatis statim obsecuti, arcam faciendam locarunt magistro Francisco Mediolanensi, qui Jaderæ habitabat, aurifici & sculptori eximio; cum eoque tum de pretio, tum de artificio convenerunt. Hæc e Tabulis Jadertinis, quarum exemplum hic subjicio.

Elisabetha regina Hungariæ arcam argenteam, quam S. Simeoni voverat, quamprimum fieri jussit.

1377. *Indict. xv., die Dominico, 5. Julii. Regnante serenissimo principe & Domino nostro naturali Domino Ludovico Dei gratia Rege Hungariæ, Poloniæ, & Dalmatiæ &c. &c. Tempore Reverendissimi Patris D. D. Petri de Matafaris Archiepiscopi Jadren., & egregii & potentis viri D. Raphaelis de Surdis de Placentia civitatis Jadræ Comitis. Cum Illustrissima Principissa & Domina nostra naturalis Domina Elisabeth Regina Hungariæ, Poloniæ, & Dalm. & gloriosi Domini nostri Regis Hungariæ consors, divino spiritu mota visitare voluisset corpus B. Simeonis Justi in sua fideli civitate existens, quo viso humili compassione commota non jacere, ut conveniens est, idcirco Jadræ post discessum suum destinavit mille marcas argenti, caussa ipsi beatissimo corpori S. Simeonis Justi fabricandi arcam unam argenteam, in qua dictum corpus sanctum reponatur, & conservetur, ut dictum est; & pro dicto opere citius conficiendo eadem Domina Regina nostra per suas gratiosas litteras scripsit fidelibus suis Jadrensibus D. D. Francisco de Georgio, Masseo de Matafaris, & Paulo de Georgio, strennis militibus suis regiis, & S. Gregorio de Civalellis, & Francisco de Cedulinis; ut ipsi, prout citius fieri possit, dictam arcam perficere curent. Qui strenui milites D. Franciscus, D. Masseus, D. Paulus, uti fidelissimi regiæ majestatis, tam suis nominibus, quam nom. S. Georgii de Civalellis, & S. Francisci de Cedulinis, qui absentes erant, cupientes regia mandata pro parte adimplere, se regio nomine convenerunt cum magistro Francisco aurifice quondam Antonii de Mediolano nunc habitante Jadræ pro dicto opere conficiendo in hoc modo, videlicet quod dictus magister &c. &c.*

In id opus tres fere annos labore assiduo artifex insumpsit; annoque octogesimo hujus sæculi arca ingentis ponderis e purissimo argento, singulari summoque artificio perfecta est, figuris pulcherrime cælatis distincta, extrinsecus pariter & intrinsecus inaurata, quam undeviginta millibus nummum argenteorum, & sexcentis insuper ac nonaginta æstimatam ferunt. Ejus tergo medio hæc inscriptio litteris Gothicis incisa est:

Inscriptio eidem insculpta.

Simeon hic justus Christum de Virgine natum
Ulnis qui tenuit, hac arca pace quiescit.
Hungariæ regina potens, illustris & alta
Elisabet junior quam voto contulit almo
Anno milleno triceno octuageno.
Hoc opus fecit Franciscus de Mediolano.

Opus omnino visendum, cujus eximiam pulchritudinem & magnificentiam nemo concipere animo potest, qui non oculis ante subjecerit. Pluribus describere pretium operæ non duco, cum in subjectis Tabulis spectare liceat.

Porro Jadrenses Elisabethæ reginæ pietatem ac magnificentiam æmulati, quatuor Angelos justæ magnitudinis ære sumptuque communi ex argento fundendos curarunt, qui arcam sustinerent. Arca igitur argentea cum absoluta perfectaque fuisset, atque in ædem Marianam illata, superposita fuit altari, intra cujus mensam inclusa erat vetus arca marmorea, in qua corpus S. Simeonis continebatur. Quatuor angulis arcæ totidem Angelorum simulacra, quæ dixi, suum cuique, apposita, quorum manibus arca sustentari videbatur. An vero tunc venerabile illud corpus arca inferiori marmorea exemptum fuerit, ac depositum in superiori argentea, sunt qui dubitent; nam sæculo superiori, cum translatum fuit in ædem S. Stephani, non in hac, sed in illa repertum est. Mihi vero similius videtur eodem anno 1380., cum arca argentea confecta, & aræ S. Simeonis imposita fuit, in hac reconditum fuisse, ut docet inscriptio tergo ejusdem arcæ insculpta; idque confirmat custodia clavium hujus arcæ,

Jadrenses quatuor simulacra Angelorum, qui arcam sustinerent, ex argento fieri curarunt.

quæ

Digitized by Google

quæ penes Rectorem & magistratus civitatis summa diligentia & cautione asservari solebant. Nam si vacua fuisset, & instar cujusdam cenotaphii; quid attinebat eam adeo diligenter obserari, & claves magistratibus tradi summa fide, & cura custodiendas. Cum autem ædem Marianam dirui, & corpus S. Simeonis in proximo sacello S. Rocchi ad tempus deponi oportuit, tunc illud ex argentea in veterem arcam marmoream relatum fuisse existimo; id quod suo loco ac tempore accuratius explicandum erit:

Corpus S. Simeonis in arca nova repositum.

Nunc vero ad Petrum revertamur. Anno 1381. comitatus est Carolum Dyrrhachiensem, quem Ludovicus ante triennium ex Apulia evocaverat, ut copiis Hungaricis præficeret in bello sociali, quod contra Venetos gerebat, redeuntem cum exercitu in Italiam, ut regnum Neapolitanum Joannæ eriperet, quæ ab Urbano VI. ad Clementem pseudo-pontificem desciverat; & cum Romæ ab eodem Urbano primum senator urbis est declaratus, deinde titulum & insignia regni Neapolitani accepit, Petrus quoque huic sollemni cærimoniæ interfuit, ut tradit Ferdinandus Ughellus; itemque arbitror secutum esse Carolum, qui pontificiis auxiliaribus copiis aucto exercitu regnum invasit, Neapolim cæpit, Joannam reginam in arce nova obsessam, omnis auxilii spe adempta, deditionem facere coegit; eamque in castellum S. Felicis inclusit; nec multo post eodem, quo illa Andream Ludovici fratrem, & conjugem suum necasse dicebatur, mortis genere sustulit. Petrus Jaderam reversus cum esset, post obitum Ludovici regis Hungariæ anno 1382. extincti, cum ei necessarium esset iter in Hungariam ad quædam ecclesiæ suæ negotia expedienda, socius adjunctus est duobus ex ordine patricio legatis, quos Jadrenses miserunt ad reginas Elisabetham matrem, & Mariam filiam, ut communi civitatis nomine fidem atque obsequium utrique reginæ, sacramenti religione interposita & conceptis verbis obstringerent; ut docet epistola Jadrensium dat. x. Octobris Indict. 6. idest an. 1383. *Mittimus ad vos . . . . . . quibus commisimus, ut una cum Reverendo in Christo Patre D. Petro Archiepiscopo Jadren., in curiam serenitatis vestræ, pro ejus propriis negotiis accedente &c. &c.*

Petrus Archiepiscopus Carolum in Italiam cum exercitu proficiscentem comitatur.

Anno 1383. ix. Kalen. Novembris utraque regina Jaderam venit, faustis acclamationibus & regio apparatu acceptæ; qua in urbe dum manebant, rumor percrebuit eas velle arcam argenteam una cum corpore S. Simeonis in Hungariam asportare; idque summo mœrore Jadrenses affecit; eoque credibilius id visum est, quod Elisabetha claves arcæ Henrico Bano tradi jusserat, ut docet Paullus de Paullo in sua Ephemeride: *D. Regina antedicta præcepit D. Henrico B. prædicto, ut acciperet unam clavem arcæ argenteæ S. Simeonis prædicti.* Ne auferret quoque simulacra argentea Angelorum, quæ Jadrenses sumptu communi facienda curaverant, ab arca dimoveri, condique in abdito loco imperarunt; id ex testificatione cujusdam militis admodum senis consignatum est publicis tabulis *an. 1445. die 12. mens. Aprilis. Ser Novachus de Milcho quondam Miles, civis Jadræ ætatis annorum 88., prout asseruit, monitus, juratus & diligenter examinatus super prædictis cum sacramento dixit, vere recordari qualiter .... Et plus dixit, quod de anno 1380., vel circa, quo tempore serenissima Regina Hungariæ venit Jadram, pro accipiendo corpus S. Simeonis cum arca argentea, dixit recordari, quod nobiles Jadræ acceperunt quatuor Angelos argenteos, qui erant sub arca ipsa, ubi vel penes quam nunc est corpus S. Simeonis, & illos reposuerunt in camera suæ procuratiæ &c. &c.* Verum ipsamet Elisabetha hunc timorem Jadertinis exemit, cum antequam Jadera discederet, claves ejusdem arcæ restitui darique jussit Rectori civitatis, qui tum erat Paullus de Paullo supra laudatus, a quo hæc notata sunt in Ephemeride: *Eodem anno 1383. die 16. Novembris D. Uladislavus Castellanus & Vicarius Jadræ præsentavit nobis pro parte D. D. Reginarum clavem arcæ prædicti S. Simeonis, ut per Regimen servaretur; & data fuit mihi Paulo de Paulo, tunc Rectori prædictæ civitatis; ita quod primus Rector, qui incœpit servare dictam clavem mandato D. D. Reginarum prædict., ego fui.*

Utraque regina Hungariæ corporis S. Simeonis cum arca argentea auferendi suspicionem Jadrensibus injecit.

Petrus nactus ætatem idoneam ad consecrationem episcopalem suscipiendam, profectus est Romam anno 1384. & ibidem Presbyter simul & Episcopus ordinatus est; anno vero sequenti sacrificandi initium fecit, atque in æde metropolitana primam divinæ Majestati hostiam immolavit; ut scriptum reliquit Paullus in sua Ephemeride: *1384. men. Martii D. Archiepisc. Jadrensis recessit a civit. Jadræ & ivit Romam. 1385. die Sabbathi idem D. Archiepiscopus reversus est Jaderam; eodem anno die 9. Aprilis, qui fuit dies Dominicalis, idem D. Archiepiscopus celebravit in Ecclesia S. Anastasiæ in Jadra Missam novellam.*

Petrus Romæ Presbyter & Episcopus consecratur.

Jaderam igitur reversus, urbem, totamque regionem civilium dissidiorum motu agitatam invenit; & ipsemet quoque clandestinam cum perduellibus societatem coivisse dicitur; id quod cum illi post aliquot annos caussa fuerit Ecclesiæ Jadrensis dimittendæ, ac sibimetipsi exilium consciscendi, videtur hoc loco explicandum esse. Quod jamdiu quidam Hungariæ & Dalmatiæ proceres muliebre imperium pertæsi, & nimiam potentiam exosi, quam apud Reginas Nicolaus Gara Palatinus obtinebat, clandestinis consiliis inter se agitabant, demum anno 1384. exsequi festinarunt. Hujus seditionis auctores præcipuos fuisse comperio Paullum Episcopum Zagrabiensem, Joannem de Palixna Priorem Auranæ, Joannem Horvat Banum Slavoniæ, & Stephanum Larzchovichium, quem sibi suspectum Elisabetha Banatu, seu principatu Dalmatiæ & Chrobatiæ paullo ante amoverat, substituto in ejus locum Thoma de Sancto Georgio. Cum de regno Hungariæ ad Carolum regem Neapolitanum transferendo conjurassent, in hujus conjurationis societatem plurimos e nobilitate Dalmatica & Hungarica traxerant. Rei perficiundæ partes Paullus Episcopus sibi desumpsit; & per speciem Romani itineris Neapolim se contulit, Carolum adiit, ac facile perpulit, nequidquam eum dehortante ac deterrente Margarita conjuge, ut spem occasionemque sibi oblatam potiundi regni Hungarici avidius, quam cautius arriperet. Itaque duas triremes instrui armarique jussit, quibus, auctore ac duce Paullo, in Dalmatiam tranvectus, Seniam cum appulisset, ex Hungaria & Dalmatia multorum ad eum optimatum, militum, & cujusque ordinis hominum concursus est factus: qua ille fretus multitudine Budam ire properavit. Ejus repentino adventu Reginæ perterritæ cum essent, simulatis tamen benevolentiæ atque honoris officiis eum prosecutæ, amicum sibi habere,

Conscius fuisse putatur rebellionis Hungaricæ & Dalmaticæ adversus reginas conflatæ.

bere, quam hostem experiri maluerunt. Ille vero paucis post diebus Albam progressus inter faustas omnium acclamationes regale diadema suscepit mense Octobri, anno 1385. Sed anno sequenti VI. Id. Februarias cum regno vitam amisit: nam Nicolao Gara instigante, Blasius Forgachius Carolum ex insidiis adortus interfecit. Regni Neapolitani hæredem reliquit Ladislavum filium adhuc impuberem, sub tutela matris Margaritæ, ex qua etiam Joannam filiam susceperat. Sublato Carolo, seditiosorum hominum audacia compesci, & conspiratio illa contra Reginas conflata facili negotio restingui posse videbatur. Ac rebus quidem Hungariæ pax & tranquillitas brevi restituta est; ut in Dalmatia reliquias omnes illius conjurationis abolerent, illuc Reginæ profectæ sunt cum ingenti procerum comitatu. Ad fines Dalmatiæ cum venissent, Joannes de Hericart Banus, & Joannes de Palixna Prior Auranæ, qui armatis satellitibus viam illam obsidebant, ex insidiis consurgunt, Nicolaum de Gara Comitem Palatinum, & Nicolaum Forgachium Caroli interfectorem obtruncant, reliquos partim cædunt, partim disjiciunt, atque in fugam vertunt; Reginam utramque captam, & Novigradum abductam, in arctam custodiam includunt. Elisabetham alii gladio interiisse, alii in flumen dejectam, & submersam, alii morte naturali extinctam tradunt. Ejus corpus Jaderam translatum in æde S. Chrysogoni honorifice depositum. Obiit anno 1387.; hoc siquidem anno ut scriptum reliquit Paullus in Ephemeride, *16. Januarii applicuit novum, quod D. Regina senior obiit in castro Novigrad in captivitate*. Infra hæc subjicit: *1387. die Sab. 9. Febr. fertur quod corpus prædictæ D. Reginæ fuit portatum Jadram, & repositum in mon. S. Grisogoni*. Mors Elisabethæ, & Mariæ captivitas multorum miserationem atque adeo indignationem commovit, ac præsertim Sigismundi Marchionis Brandeburgensis, filii Caroli IV. Imperatoris, & fratris Venceslavi Regis Romanorum. Ei Ludovicus rex Hungariæ, antequam moreretur, Mariam filiam, ac dotis nomine regnum Hungariæ desponderat. Cum Carolus in Hungariam venit, jam Maria ad nubiles annos pervenerat, & fortasse matrimonium etiam cum Sigismundo per procuratores inierat. Itaque Elisabetha, Caroli adventu conterrita, clandestinis litteris ac nunciis Sigismundum sollicitavit, ut matri, ac filiæ sponsæ, sive uxori suæ auxilio venire maturaret, & regnum dotale sibi armis vindicaret. Sed cum Sigismundus tot ac tantas copias non haberet, quibus æquo marte cum Carolo & perduellibus decertare posset, ausus non est se suosque in id periculum ac discrimen committere. Cum vero de interitu Elisabethæ, & Mariæ captivitate cognovisset; quam maximum potuit exercitum collegit, ut hanc perduellium potestate eriperet, ac regnum amissum ei, sibique recuperaret. Sed neutrum efficere potuisset sine opera & auxilio Venetorum sponte oblato; est enim quædam naturalis pietas Venetorum animis insita, ut afflictæ regum fortunæ illorum opes alliciant ad misericordiam, impellantque ad ferendum auxilium. Itaque obliti injuriarum, quas a Ludovico parente acceperant, hujus filiæ, & ejus sponso opitulari decreverunt. Ac primum quidem Pantaleonem Barbum in Hungariam miserunt, qui optimatum, atque illarum gentium animos Sigismundo conciliaret, eosque aptis & idoneis rationibus hortaretur, ut regnum jure dotali debitum ei traderent. Neque incassum hortatio adhibita. Sigismundus, nemine repugnante, summo omnium consensu rex declaratus, Albæ regium diadema, & cetera regni insignia sumpsit prid. Kal. April. an. 1387. Hic deinde omnibus copiis viribusque elaborandum censuit, in id universo regno omnem operam conferente, ut Mariam e custodia Novigradensi ereptam in thori maritalis societatem sibi adjungeret, atque in regnum paternum restitueret. Sed præclari hujus facti gloriam sibi unis Veneti vindicarunt, quibus Maria vitam, libertatem, & regnum referre debuit acceptum. Illi siquidem Petrum Barbadicum misere cum aliquot armatis triremibus, qui advigilaret ad custodiam illius oræ maritimæ, sinusque obsideret, ne ullum elabi posset navigium, quo Maria Neapolim transvecta in potestatem veniret Margaritæ, quæ illius morte Caroli viri sui necem ulcisci velle dicebatur. Porro Petrus, egressu omni navigiis & excubiis intercluso, egregiam præterea militum manum in terram exposuit; Joannem Priorem Auranæ arctissime obsedit, ac tandem metu, vique adhibita compulit, ut Mariam liberam emitteret; quæ summo cum honore, ingentique gratulatione accepta, in triremes Venetas conscendit, iisque primum Nonam, deinde Seniam devecta est. Senia in Hungariam profecta est Kalendis Julii. Zagrabiam venienti Sigismundus obviam processit, & sponsam peramanter complexus, in ea civitate regali apparatu & magnificentia nuptiarum solemnia celebravit.

Elisabetha & Maria captæ a perduellibus & Novigradi in custodiam traditæ.

Sigismundus Marchio Brand. sponsus Mariæ.

opera Venetorum rex Hungariæ declaratur, regalibus insignibus Albæ susceptis.

Hujus, quam exposui, contra Reginas Hungariæ matrem & filiam conjurationis conscium fuisse Petrum Archiepiscopum, & participem tradit Valerius a Ponte; quippe Carolo in primis studebat, quod plurimis ejus beneficiis cumulatus fuisset, eique, ut diximus, Archiepiscopatum Jadrensem acceptum ferebat. Ceterum de occulta Petri cum perduellibus societate nihil Mariæ, vel Sigismundo suboluit, apud quos pristinam gratiam retinuit; & anno 1388. cum aliis Præsulibus Hungariæ & Dalmatiæ nominatur *Petrus Jadrensis* in privilegio Sigismundi, Archiepiscopo & Ecclesiæ Strigoniensi concesso. Anno autem 1392. adhibitus est testis solemnis sacramenti, quo Jadrenses pacem inter se, & suam erga Sigismundum & Mariam reges Hungariæ fidem confirmarunt; ut est in Ephemeride Paullina: *1392. die 19. Jan. in Consilio generali, præsentibus Patribus D. Petro de Mataf. Archiepiscopo Jadren., D. Grisogono de Soppe Abb. monasterii S. Grisogoni de Jadra, & D. Abbate de Rogova, juravimus super brachium S. Grisogoni martyris ibi reverenter dictam pacem & unitatem inter nos cum fidelitate Ungariæ regis & reginæ*. Itaque cum Petrus de sua cum perduellibus coitione Sigismundum & Mariam celatos esse confideret, securus ab hac parte, & nihil sibi metuens, in civitate permansit, ecclesiæque administrationem retinuit.

Petri Archiepiscopi cum perduellibus occulta societas Sigismundum & Mariam latuit.

Illud præclarum in primis Petri opus fuit, & singulari commemoratione dignum, quod anno 1393. collegium Canonicorum, non illud quidem instituit, ut aliqui falso putant, sed ad normam disciplinæ jurisque canonici, atque ad exemplar aliorum Capitulorum reformavit. Veteri Capitulo, ob eas, quas in proœmio attigimus caussas, dissoluto, ac disperso; erat tamen ante Petrum suus Ecclesiæ metropolitanæ cœtus Presbyterorum, qui

Collegium Canonicorum Jadrensium reformavit.

qui nomen Capituli gerebat; sed hi per varias urbanas ecclesias dispersi, alii aliis, & suæ quisque ecclesiæ inserviebant. Sex erant in urbe ecclesiæ præcipuæ, & suum cuique collegium Presbyterorum & Clericorum, unus itidem singulis Plebanus sive Parochus, qui auctoritate & potestate inter illos præstabat, curamque animarum habebat. Erant autem hæ: *S. Salvatoris*, *S. Antonii*, *S. Petri veteris in foro parvo*, nunc S. Marcellæ, *S. Petri novi in foro maximo*, *S. Michaelis*, *S. Stephani*, nunc S. Simeonis, *& S. Mariæ Majoris*. E collegiis harum minorum ecclesiarum, ac præsertim ex Plebanis, sive illarum Rectoribus constabat *Capitulum* ecclesiæ majoris sive cathedralis; idque perspici potest ex tabulis donationis Templi Demetriani, quod *Capitulum* Jadrense & Domaldus Comes &c. grati animi caussa Abbati & monachis SS. Colmæ & Damiani attribuerunt. Hisce tabulis, quas in Nicolao electo Archiepiscopo descripsimus, subscripti sunt Rectores ecclesiarum urbis; ex quibus scilicet compositum erat Capitulum Jadrense. Ab S. Anastasia, sicut ædes cathedralis, sic etiam Capitulum cognominari solebat, ut declarat epistola Innocentii III. inscripta *Capitulo S. Anastasiæ*. Laurentius Periander Archiepiscopus in quodam suo decreto, quod ejus actis intexuimus, *Capitulum* nominat: *Nos*, inquit, *cum nostro universo Capitulo &c.* Sed in tabulis compositionis, quæ inter Nicolaum Archiepiscopum, & Commune Jadrensium de divisione decimarum facta est sub initium hujus sæculi decimi quarti, clarius apparet Capitulum metropolis Jadrensis, constans e Præpositis, & Clericis aliarum ecclesiarum civitatis: in his siquidem nominantur *Nibiphorus Archidiaconus*, *Stephanus Plebanus S. Petri novi*, *Simeon Plebanus S. Petri veteris*, *qui erant*, *& sunt byconomi*, *& speciales procuratores*, *& sindici Capituli antedicti sive Ecclesiæ antedictæ* . . . . . . *Hi scilicet fecerunt omnes de Capitulo ipsius ecclesiæ*, *& ipsum Capitulum evocari*, *conveniri*, *congregari secundum consuetudinem ipsius ecclesiæ*, *in loco*, *in quo solitum est Capitulum congregari*; *in quo quidem Capitulo congregato more solito*, *ut dictum est*, *intervenerunt Venerab. Pater Dominus Archiepiscopus antedictus*, *& discreti viri Domini procuratores*, *& byconomi supradicti*; *nec non Dominus Martinus Plebanus Sancti Michæ*, *Marinus Plebanus Sancti Stephani &c. &c.* & alii atque alii ibidem nominati, omnes vel Plebani, vel Presbyteri, vel Diaconi & Subdiaconi, vel Clerici tum ædis metropolitanæ, tum aliarum ecclesiarum, e quibus *Capitulum*, *& collegium ipsius ecclesiæ*, scilicet metropolitanæ, conflatum erat. Hi vero omnes compositionem inter Archiepiscopum & Commune Jadrense initam *approbaverunt*, *laudaverunt*, *ratificaverunt &c. &c.* Has tabulas exhibuimus in actis Nicolai Archiepiscopi. Huic Capitulo Jadrensi ad hunc modum composito, uti nunc, sic antiquitus tres dignitate & auctoritate præsidebant, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, quorum nomina in tabulis superiorum ætatum sæpe inveniuntur. Nec sua illi deerant insignia & privilegia. Ludovicus rex Hungariæ, ut supra diximus in Dominico Archiepiscopo, jus sigilli Capitulo Jadrensi concessit, quo ad tabulas privatas & publicas obsignandas uteretur.

Cum ergo hi, quos dixi, Canonici variis ecclesiis, suis quisque, addicti essent, in earumque ministeriis occupati; hinc fiebat, ut cultus divinus in æde metropolitana obsolesceret, nec pro ea, quam postulat, dignitate & frequentia peragi posset; quippe pauci erant, qui chorum frequentarent, debitas Deo laudes nocturna ac diurna psalmodia persolverent, ceteraque publicæ religionis officia exsequerentur. Itaque Petrus effecit, ut qui segregati erant, & per varia urbis templa dispersi, arctiori quodam societatis, & canonicarum legum vinculo inter se jungerentur, atque in unius Capituli justi ac legitimi corpus coalescerent. Quinque urbana Presbyterorum collegia sustulit, sextum S. Mariæ Majoris, ubi asservabatur corpus S. Simeonis, intactum reliquit. Ne vero ecclesiis illis, quibus nobiliorem cleri partem ademerat, deessent qui divini cultus officia peragerent, duos, tresve, aut plures rerum sacrarum administri in singulis constituit, qui quotidianum Missæ sacrificium offerrent, reique liturgicæ operam darent. Sacerdotia iisdem ecclesiis præposita jussit imposterum simplicia esse, & ab omni animarum cura vacare. Postea sacerdotium S. Stephani, itemque S. Salvatoris cum mensa archiepiscopali, duo vero illa S. Michaelis & S. Petri novi mensæ capitulari, cum suis quodque proventibus conjunctum fuit. Ædes autem S. Petri veteris, cum domicilio Parochi, tradita fuit sacris Virginibus Nonensibus, quæ ob metum Turcarum Jaderam confugerunt, & titulum antiquum cum titulo S. Marcellæ commutavit. Hæc autem est descriptio Capituli Jadrensis, quod Petrus auxit, & reformavit. Canonicos omnino duodecim esse voluit, quorum plerosque ex primoribus illarum, quas dixi, ecclesiarum delegit; hisque, ut antea, loco & auctoritate antecedere Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium, Sex Mansionarios, sive chori sacræque liturgiæ adjutores adjecit, duos aut tres Hebdomadarios, qui singulis diebus, ea, quæ cuique obtingeret, hebdomada formulam ritumque psallendi, ac rei divinæ faciendæ præscriberent; decem Diaconos & Subdiaconos, octo Acolythos, duos sacrarii præfectos, duos itidem magistros chori, unum qui musicos modos ac numeros, alterum qui cantum Gregorianum regeret; duos demum Parochos, quos constituendi, amovendique jus esset penes Archiepiscopum. Omnibus certos annuos proventus, suos cuique, pro cujusque gradus & officii ratione assignavit, Communem massam, cujus administrationem ad Canonicos pertinere voluit, ex qua quisque portionem sibi debitam perciperet, confecit tum ex vectigalibus, quæ adhuc retinebat clerus ædis metropolitanæ, tum ex aliis, quæ alio distracta cum fuissent, Petrus recuperavit; hæc deinde crevit, ut diximus, ex reditibus duorum Capitulorum collegialium S. Michaelis, & S. Petri novi, quæ idem Archiepiscopus aboleverat. Utrum vero Petrus *Pœnitentiarii*, itemque *Theologalis* Canonici munus ac stipendium constituerit, an posteriores Archiepiscopi utrumque adjunxerint, mihi non est compertum. Hæc omnia Petrus, ut firma essent, rata, & legitima, non suo arbitratu, & sua voluntate, sed convocatis omnibus Rectoribus ecclesiarum, & viris primariis Cleri Jadertini, de communi omnium sententia fecit, & sancivit; itemque præclaras constitutiones edidit, quæ ad Capituli & Cleri totius disciplinam, ad decus & splen-

Capitulum vagum quodammodo ac dispersum in unum collegit.

Forma & descriptio novi Capituli Jadrensis.

splendorem divini cultus pertinent. Postea vero tum descriptionem Capituli clerique ecclesiæ metropolitanæ, tum leges illas, quas constituerat, Bonifacii IX. Pont. Max. auctoritate confirmandas curavit. Quæ omnia breviter in quodam Catalogo Antistitum Jadrensium his verbis: *Petrus de Matafaris nob. Jadren. hic auxit clerum ecclesiæ metropolitanæ. Anno enim 1393. die 19. Julii convocatis universis Ordinibus Cleri Jadren., communi voto suppressit Plebanias, (una excepta S. Mariæ Majoris, sive Presbyterorum) & instituit XII. Canonicos, reliquos titulatos ad numerum LI. auxit, quos ex Plebanis ad cathedralem adscripsit, juraque totius Capituli, quæ tunc in omnibus cleri ordinibus consistebant, ad tres Dignitates, & XII. Canonicos redegit, de quo extant constitutiones in archivo Capituli Jadrensis.*

Novi Canonici in æde metropolitana officia divina concelebrare incipiunt.

Post approbationem pontificiam, anno sequenti, III. Id. Aprilis die proximo ante diem Dominicum, cui a Palmis cognomen, novi Canonici, ceterique inferiorum ordinum Presbyteri, & clerici in ædem metropolitanam convenerunt ad possessionem subsellii, & gradus cuique traditi adeundam, atque ad psallendum, divinamque liturgiam ritu solemni peragendam, ut notatum reliquit Paullus in sua Ephemeride: *1394. die 11. Aprilis, scilicet die Sabbathi in vigilia Dominicæ Palmarum, inceperunt Canonici in civit. Jadræ, tempore Reverendissimi in Christo Patris D. Petri de Matafaris Archiepiscopi, qui eos primo constituit, & XII. eorum in ecclesia sua cathedrali, die prædicto solemniter pronunciavit.*

De collegio Canonicorum instituendo, seu potius reformando ad normam cœtus & disciplinæ capitularis, extant Tabulæ Jadrenses, quas infra subjiciam. Anno 1393. convocatis in aulam archiepiscopalem Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, Presbyteris, & Diaconis ædis cathedralis, itemque Præpositis, Presbyteris, & Diaconis sex parœciarum urbis, ex quibus vagum quoddam, & per plures ecclesias dispersum, Capitulum Jadrense constabat, tres habiti sunt conventus ternis diebus, 17. 19. 26. mensis Novembris. In his Petrus Archiepiscopus de collegio Canonicorum constituendo affigendoque Basilicæ cathedrali, & Canonicorum numero definiendo, quid sui consilii ac voluntatis esset, semel, iterum, tertio exposuit; eique omnes ad unum assensi sunt. Deinde ex universo Clero Jadrensi duodecim Canonicos delegit; qui cum Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, ceterisque Presbyteris secundi ordinis & clericis anno sequenti 1394., ut est in Ephemeride Paullina, tertio Idus Aprilis, in æde cathedrali, postquam Petrus quos creaverat Canonicos, publice & nominatim renunciasset, psalmodiæ, ceterisque rebus divinis operam dare cœperunt. Anno autem 1395. IV. Kalendas Augusti, rursus convocatis in aulam archiepiscopalem iisdem, quos supra dixi, leges sancivit, quæ potissimum ad divisiones, ac distributiones redituum & decimarum mensæ capitularis pertinent. Quæ omnia ut firma essent, atque in perpetuum valerent, his tabulis consignari jussit.

Leges quædam Capitulares.

Quoniam nihil melius quam in Dei laudibus venerabiliter vigilare, nihil pro Deo acceptius, quam orationes divinæ laudis honorificis ministris psallere, ad quas fidelis quilibet licet devote assurgere debeat & fideliter teneatur, tanto magis hoc Prælatorum incumbit visceribus, quanto majoribus ordinibus & dignitatibus per Dei gratiam fuerint sublimati, ut ipsi per se doceant atque plantent, ... jubilantes, ac simul ostendant qualiter alios in domo Domini oporteat conversari, quæ quanto honorabilibus & perfectioribus ministris fuerit decorata, tanto magis Creatori nostro orationes psallentium sunt acceptæ. Ea propter Reverendus in Christo Pater & Dominus Petrus de Mataphariis Archiepiscopus Jadren. Ecclesiam vocabulo Sanctæ Anastasiæ insignitam, Canonicis & præbendis ac canonicatibus & offitiis destitutam cupiens & desiderans reparare, convocato Capitulo, Archidiacono, Archipresbytero & Primicerio Jadren. Plebanis & Clericis civitatis Jadræ ad sonum campanelæ, ac convenientibus omnibus infrascriptis facientibus & repræsentantibus totum Capitulum civitatis Jadræ, videlicet, Domino Marino de Batadeis Archid. Jadren. Domino Mauro de Fasolis Primicerio Jadren. & Domino Bartholo Archipresbytero Jadren., Presbytero Civitano quondam Georgii de Lavevich, Presbytero Georgio quondam Stanislavi Russinich, Presbytero Luca quondam Bravi de Nona, Presbytero Matthæo vocato Subaz, Presbytero Matthæo Salasich, Presbytero Laurentio Tribudien, Presbytero Nicolao Diacono, Presbytero Zontino Diacono, Presbytero Zoilo Diacono, & Luca Diacono, omnibus Presbyteris & Clericis vocem habentibus in metropolitana Ecclesia Sanctæ Anastasiæ, de dicta civitate Jadræ: & Presbytero Petro quondam Marci Græci, Presbytero Matthæo quondam Bure, Presbytero Simeone Sachcich, Presbytero Georgio quondam Marini, & Presbytero Simeone Stocco Diacono, Presbytero Collano Zcussevich Diacono, & Presbytero Jacobo Zarlanzich Diacono; hiis omnibus Presbyteris & Clericis in Ecclesia Sanctæ Mariæ Presbyterorum de dicta civitate Jadræ: & Presbytero Matthæo de Aurana Plebano Ecclesiæ Sancti Stephani de dicta civitate Jadræ: Presbytero Nicolao de Nona, & Presbytero Georgio de Minasto & Surissa Diacono, hiis omnibus Presbyteris & Clericis in dicta Ecclesia S. Stephani: & Presbytero Petro de Apulia, Presbytero Theodoro de Albania, & Presbytero Nicolao Ungaro, hiis omnibus Presbyteris & Clericis Ecclesiæ Sancti Petri novi de platea magna Jadræ: & Presbytero Michaele Plebano Ecclesiæ S. Michaelis de dicta civitate Jadræ, Presbytero Gregorio dicto Nicodemus, Presbytero Joanne quondam Michaelis lapicidæ, & Presbytero Joanne quondam Senchi marinarii Diacono, omnibus Presbyteris & Clericis dictæ Ecclesiæ S. Michaelis: & Presbytero Andrea de Albania & Presbytero Rattico quondam Stanislavi, ambobus Presbyteris Ecclesiæ S. Salvatoris de dicta civitate Jadræ: & Presbytero Petro Dragonich, Presbytero Bartholo quondam Stipani suppatoris, Presbytero Cressievano quondam Simeonis, Presbyteris dictæ Ecclesiæ S. Petri veteris omnibus de Capitulo Jadræ ac facientibus & repræsentantibus majorem & saniorem partem & ultra quam tres partes dicti Capituli Jadren. & omnibus propter hoc congregatis in sala magna palatii archiepiscopatus prædicti: Idem Dominus Archiepiscopus infrascripta præsens proposuit atque dixit, quod cum non solum metropolitanæ sed etiam suffraganeæ & collegiatæ ecclesiæ habeant Canonicos, quibus ipsæ ecclesiæ honorantur & decorantur, propterea ipse duodecim Canonicorum numerum & totidem præbendarum in dicta Jadrensi Ecclesia vole-

volebat consensu & voluntate communi Deo propitio ordinare, in dicta Ecclesia perpetuo permansurum, ac constitutiones & statuta facere quibus creandi Canonici in perpetuum regerentur, ut divinus cultus possit in Dei laudibus augmentari, requirens & exposcens prædicti sui Capituli voluntatem & assensum, ut in præmissis velint & debeant unanimiter consentire, & ipsorum voluntatem exprimere: Ad quæ præmissa omnes nominati pro se & successoribus eorum in perpetuum & nomine suarum ecclesiarum, deliberato consilio & tractatu expresse, sponte, ac libere unanimiter & concorditer consenserunt nemine discrepante. Acta sunt hæc anno a Nativitate Domini 1393. Indictione secunda die Lunæ 17. mensis Novembris, Pont. Sanctissimi in Christo Patris & D. D. Bonifacii divina providentia Papæ IX. anno v. & eodem anno Indictione ac mense die 19. dicti mensis prædictis omnibus iterum pro præmissis & secundo tractatu ad sonum campanelæ convenientibus, & congregatis in sala prædicta, idem Dominus Archiepiscopus denuo præmissam propositionem & requisitionem fecit, & proposuit, cui omnes prænominati pro se & successoribus eorum ut supra libere & discrepante nemine consenserunt. Insuper eisdem annis currentibus, Indictione, Pontificatu, & mense, die 26. dicti mensis, item prædictis omnibus iterum pro præmissis ac tertio & ultimo tractatu convenientibus ad sonum campanelæ, congregatis in sala prædicta ut est dictum, D. Archiepiscopus similem propositionem & requisitionem fecit & proposuit, ut est supra dictum, cui prædicti supranominati omnes unanimi ac concordi voluntate sponte & discrepante nemine ut prædicitur consenserunt.

Item currentibus annis a Nativitate Domini 1395. Indictione tertia die 19. mensis Julii, præsidente in vicariatus officio egregio Decretorum Doctore D. Francisco de Aristotile de Sulmone præfati D. Jadrensis Vicario Generali, idem D. Vicarius convocatis & requisitis omnibus supranominatis & ad sonum campanelæ in sala prædicta convenientibus legit & publicavit de mandato prædicti D. Archiepiscopi voce alta & intelligibili tum præcedentes ordinationes quam sequentes constitutiones & statuta in præsentia mei notarii ac testium infrascriptorum, videlicet Ser Filippo de Mataphatis nobili cive Jadræ, D. Angelo Bernardi & Ser Vanne Andreucii de Firmo ac Georgio quondam Ser Francisci de Saladinis de Jadera testibus & aliis ad hæc habitis & vocatis, quibus lectis ac publicatis prædicti omnes totum Capitulum facientes & repræsentantes approbaverunt & laudaverunt & expresse ratificaverunt & acceptaverunt per se & successoribus & ecclesiarum suarum nomine in perpetuum sponte & libere eisdem nemine discrepante; quarum constitutionum, ordinationum, & statutorum talis est tenor, videlicet

Primo quidem statuit, decrevit, disposuit, & ordinavit idem Reverendissimus Pater D. Petrus Archiepiscopus de dicti Capituli consensu, consilio, beneplacito & unanimi voluntate de cetero perpetuis futuris temporibus in ecclesia majori Jadren. videlicet in ecclesia Sanctæ Anastasiæ esse duodecim Canonicos sive canonicatus cum duodecim portionibus sive præbendis annexis singulis præbendis videlicet singulis Canonicis, quarum quidem præbendarum & canoniarum sex possint esse & esse debeant sacerdotales, tres diaconales & tres subdiaconales, non tamen detrahendo quin omnes possint esse sacerdotales vel diaconales vel subdiaconales, dummodo qui non fuerint Sacerdotes mansionarios teneantur habere, & ut nullus ad ipsos canonicatus atque portiones eligi valeat vel assumi, nisi fuerit in ordinibus sive in ordine sacro, quem præbenda requirat, antequam assumatur vel eligatur legitime constitutus a Deo; ut si D. Archiepiscopus vel Capitulus ipse, ad quos modo & forma subscriptis electio, provisio, seu quævis dispositio dictorum canonicatuum & portionum modo quolibet pertinebit, aliquem ad ordinem presbyteralem vel subdiaconalem, prout vacans præbenda exiget, non promotum scienter assument, in & contra eum, vel eos locum habeant jura contra eligentes, vel promoventes ad talia beneficia indignos ex certa scientia, promulgata.

Item quod dictæ duodecim canoniæ seu ad eas in posterum promovendi, una cum venerabilibus viris Dominis Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio, qui in præsenti sunt, vel fuerint in futurum, habeant & habere debeant de media parte totius decimæ sive decimarum provenientium ad Jadren. Capitulum, sive ad Jadren. Ecclesiam vel ecclesias, (nam reliqua media pars dictarum pertinet ad Dominum Archiepiscopum & Archiepiscopatum Jadren. & fabricam ejus) dicti Canonici Sacerdotes duplum ejus quod haberent alii Presbyteri per alias ecclesias non Canonici, salvo quod in mortuoriis, prandiis, vel aliis honorificentiis. Plebani ecclesiarum civitatis Jadræ debeant esse pares cum Canonicis: circa vero decimam recipiendam tantum habeat quilibet Plebanus, quantum unus de Sacerdotibus non Canonicis.

Omnes autem redditus & proventus dictos Prælatos & Canonicos & Plebanos & ceteros Sacerdotes & alios constitutos in Jadren. civitate tantum contingentes venire debeant in communi colligendi, conservandi, & fideliter administrandi per duos fideles viros qui massarij debeant appellari, assumendos & eligendos singulis annis de numero ipsorum Domin. Prælatorum aut Canonicorum, vel aliorum Sacerdotum, per ipsos Dominos Canonicos, & Prælatos ordinandos; demum per Dominum Archiepiscopum, prout canonicatus, confirmandos; qui massarij teneantur & debeant ante depositionem offitii in fine anni semel dumtaxat de administratis, datis, atque receptis per eos, dicto D. Archiepiscopo, ac Prælatis Canonicis atque aliis debitam reddere rationem.

Omnes autem dictos duodecim Canonicos, Archipresbyterum quoque & Primicerium in perceptione portionum & fructuum voluit pares esse; Archidiaconus autem, quem ut majoris administrationis decorat offitium, ita majoris portionis, utilitatis & comodi convenit prærogativa gaudere, duas portiones habeat, & duplicatos proventus percipiat, ita quod quandocumque inter ipsos fratres Canonicos videlicet & Prælatos contigerit aliqua dividenda, fiant sexdecim portiones, quarum duas D. Archidiaconus, qui fuerit pro tempore, habeat, singulis partibus singulis Prælatis & Canonicis assignatis; & sit cultus divinus quo nihil melius nihil sanctius cum Dei laude & animarum salute in ipsa majori ecclesia. Idem D. Archiepiscopus de dictorum Capituli consilio & assensu decrevit, ut aliquota dictorum proventuum per dictas personas in quotidianis distributionibus habeantur, modo videlicet & ordine infrascriptis.

Primo videlicet ut in singulis quatuor celebri-

tati-

Digitized by Google

tatibus anni, videlicet Natalis Domini, Resurrectionis Dominicæ, Ascensionis ejus gloriosæ, & Pentecostes, nec non Sanctæ Anastasiæ, Sancti Chrisogoni, Sancti Donati, Sancti Simeonis, Sancti Zoili & dedicationis ejusdem ecclesiæ inter ipsos Canonicos & Prælatos per memoratos massarios dividantur libræ triginta duæ parvorum in singulis festivitatibus, aut in earum vigiliis, Assumptionis SS. Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, nec non omnium Sanctorum; & in die Mortuorum libræ viginti quatuor inter personas ipsas fideliter dispensentur; singulis autem aliis diebus dentur fratribus prædictis in totum solidi sexaginta quatuor parvorum; dividantur autem hæ summæ dictis diebus & vigiliis hoc modo.

Primo in qualibet vigilia dictarum quatuor celebritatum vesperis & completorio cuilibet interessenti dentur solidi octo parvorum, & in matutinis die festivitatis solidi octo, in Missa solemniter celebranda solidi octo, interessenti quoque horæ primæ solidi duo, tertiarum solidi duo, sextæ solidi duo, nonæ solidi duo, vesperarum solidi octo, & completorii solidi duo; in vigiliis autem & diebus aliarum festivitatum prædictarum sic servetur & fiat, in vesperis vigiliæ interessenti videlicet dentur solidi sex, in prima, tertia, sexta, & nona ac completorio divinis interessenti solidi sex; aliis autem singulis diebus detur in matutinis solidus unus, in Missa conventuali seu majori solidus unus, in prima, tertiis, sexta & nonis ac completorio solidus unus debeat exhiberi, ita quod si quis in festivitatibus minoribus & diebus aliis ad unam ex quinque horis videlicet primæ, tertiæ, sextæ, nonæ & completorii defecerit, licet quatuor ex eis interfuerint, habeat quoad perceptionem solidi sex in diebus festivitatum prædictarum, & solidus unus in aliis singulis diebus perinde ac si nulli horarum prædictarum interfuisset, ita ut solutio præstatio sive distributio fienda occasione dictarum quinque horarum sit unica, nec per partes aliquatenus dividatur; ubi autem prædictæ divisiones non fierent & fructus aliter partirentur, qui Missæ non interfuerit, ut prædicitur, solvat solidum unum similiter in matutino & vesperis ut est dictum; ita tamen ut Sacerdotibus quibus major debeat portio, sit qualibet dictarum horarum pœna solidi, proportionaliter ut habet partem.

Voluit insuper idem D. Archiepiscopus de consilio dicti Capituli, ut is intelligatur interfuisse vesperis, qui antequam primus psalmus compleatur, accesserit ad divina usque ad finem offitii perseverans, & die quo hymnus angelicus non diceretur, antequam compleatur epistola se præsentet, & qui ante completionem primi nocturni ad matutinale offitium, quique in Missa venerit antequam hymnus angelicus videlicet Gloria in excelsis Deo fuerit integraliter decantatus, quique similiter in aliis horis, cum fuerit antequam psalmus dicendus expleatur per psallentes in choro; qui vero post terminos designatos ad divinum accesserit offitium, quoad percipiendum distributiones ipsas habeatur pro prorsus absente. In omnibus autem distributionibus fiendis D. Archidiacono, qui est & fuerit pro tempore, duplex portio assignetur, ut superius est præmissum. Distributiones autem nullo casu absentibus fiant, nisi prout disponitur a jure communi. Quicquid autem in fine anni superesse constiterit, inter Prælatos & Canonicos æqualiter dividatur, D. Archidiacono dumtaxat assignata duplici portione.

Voluerunt tamen, ut decus Ecclesiæ Jadrensis, quæ sicut Deo auctore vicinas ecclesias ex sui primæva origine, honore & gloria antecellit, sic peritorum virorum splendore præ ceteris elucescat, suscipiat incrementum, quod D. Archiepiscopus, qui est vel fuerit per tempora, possit unum aut duos tantum dociles & elegantioris ingenij ex dictis Canonicis & Prælatis ad studia generalia destinare, ibidem per quinquennium moraturos, quorum cuilibet de proventibus dicti Capituli videlicet Canonicorum & Prælatorum ducati quindecim auri annis singulis per antedictum quinquennium transmittantur, quæ studia intelligantur solummodo de scientia Juris Canonici vel de scientia sacræ Theologiæ, & non de aliis scientiis.

Item statuit idem D. Archiepiscopus ut si contigerit aliquem esse duplicem in dicta majori ecclesia, puta Prælatum & Canonicum, nihilominus unam portionem habeat, portione reliqua inter ceteros proportionaliter assignata. Similiter si quis plebaniam obtinens ad præsens, vel etiam in futurum, assecutus jam sit, vel assequeretur in posterum canonicatum vel prælaturam aliquam in dicta ecclesia majori, una sit dumtaxat, aut Plebani, aut Prælati, seu Canonici, quam maluerit, portione contentus; reliqua, si canonicalem vel prælaturalem elegerit, inter reliquos Plebanos & Sacerdotes ac Clericos ecclesiarum civitatis Jadræ divisa; si vero plepanalem maluerit, portio canonicalis, vel ex prælatura proveniens, inter prædictas personas Prælatos & Canonicos videlicet dividatur.

Insuper statuit præfatus D. Archiepiscopus & voluit una cum dicto Capitulo quod de cetero penes dictos Prælatos tres Archidiaconum Archipresbyterum & Primicerium aliosque Canonicos ordinandos sit & resideat, ac esse & residere debeat totum verum & integrum & in solidum jus Capituli, & jura, quæ hactenus ad Capitulum Jadrense spectaverunt vel pertinuerunt, quomodolibet de consuetudine, privilegio vel de jure de cetero spectent & pertineant ad dictos Canonicos & Prælatos pleno jure, ita quod de cetero ipsæ quidem personæ dumtaxat nominentur Capitulum Ecclesiæ Jadrensis & pro Capitulo habeantur, & omnia jura ad Capitulum pertinentia exerceant communiter & tractent, eligendo & faciendo prout ad Capitulum spectat, faciendi cum D. Archiepiscopo prædicto unum corpus prout de jure noscitur esse clarum.

Item si fuerit aliquis in dicta ecclesia Canonicus & Prælatus, nihilominus unam vocem dumtaxat habeat in Capitulo, & omnibus tractatibus, ita quod geminatio tituli vocem non geminet vel augumentet.

Item quod vacante aliquo canonicatu in ecclesia antedicta, vel personatu seu dignitate, proventus illius dignitatis vel canoniæ seu illa obventio inter singulos dividantur proportionibus antedictis.

Attendentes quod idem D. R. P. D. Archiepiscopus ut ecclesiam suam & personas ipsius ecclesiæ continuis sublevet incrementis & præ aliis honorentur.

Item prædicti Domini de Capitulo ordinaverunt & voluerunt & solemniter statuerunt, quod collatio, provisio, & dispositio canonicatuum & præbendarum spectet & pertineat ad dictum Reverendissimum in Christo Patrem & D. Petrum Archiepiscopum quoadusque vixerit, & adjuvante Domino Archiepiscopus manserit. Post autem ejus de-

decessum & exinde perpetuis temporibus electio Canonicorum & Prælatorum prædictorum spectet & pertineat ad præfatum Capitulum, confirmatio vero ad Dominum Archiepiscopum, qui per tempora fuerit.

Item statuerunt quod quilibet Prælatus & Canonicus de cetero assumendus in dicta ecclesia, postquam fuerit canonicatus seu prælaturæ possessionem pacificam assecutus, infra annum a die apprehensæ possessionis in antea computandum, teneatur & debeat artem cantus firmi addiscere; alioquin si non fuerit instructus in arte cantus firmi, elapso anno, prælatura, personatu, seu canonicatu & præbenda, quem & quam obtinebit, sit eo ipso jure privatus; tamen hoc remaneat in voluntate & discretione aliorum Prælatorum & Canonicorum, vel majoris partis eorum.

Item quod emolumentum sigilli seu proveniens ex sigillo prædicti Capituli inter Prælatos & Canonicos dumtaxat æqualiter dividatur & per ipsos sub clavi communiter teneatur.

Item, ut proficiendi opportunitas tribuatur, quod assumatur aliquis magister cantus idoneus per dictum Capitulum per Dominum Archiepiscopum postmodum confirmandus, cui de proventibus & communi massa totius cleri duodecim ducati auri ad plus valeant pro salario deputari.

Item statuit idem Reverendissimus Pater de dicti Capituli consilio & assensu ut ordo præsens quoad receptionem fructuum & proventuum & quoad divisionem prædictam dumtaxat in Natali Domini proxime venturo sortiatur effectum & suum incipiat habere vigorem. Acta sunt hæc Jadræ in supradicta sala palatii archiepiscopalis præsentibus Ser Philippo de Matapharriis, Ser Giorgio de Lubavaciis nobilibus civibus Jadræ, D. Angelo Bernardi & Ser Vanne Andreutij de Firmo testibus & aliis ad hæc habitis & vocatis, currentibus annis Domini nostri Jesu Christi a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo quarto Indictione tertia, die decimanona mensis Julii, Pontificatu sanctissimi in Christo Patris & D. D. Bonifacii divina providentia Papæ noni.

In quorum quidem omnium sic solemniter celebratorum & perennem rei memoriam & fide dignum testimonium pontificalis sigilli dicti Domini Archiepiscopi & sigilli prædicti Capituli Jadrensis, præsens instrumentum impendenti voluerunt communiri.

Et ego Vannes quondam Bernardi de Firmo pub. imperiali auctoritate Notarius & civitatis Jadræ juratus ac Notarius & scriba supradicti Domini Archiepiscopi & prædicti Capituli Jadrensis rogatus de prædictis prædicta ordinamenta de mandato prædictorum Dominorum Domini Archiepiscopo & dicti Capituli Jadrensis scripsi & publicavi, signumque meum consuetum apposui.

Eodem anno 1395. haud multo post, vel anno superiori ædes Canonicorum prope Basilicam metropolitanam fortuito incendio conflagrarunt; nec postea restitutæ sunt; sed area, cui incumbebant, ad hortos archiepiscopales amplificandos accessit: quod idem Paullus huic anno adscripsit: *Eodem anno die martis jam hora media noctis, penultimo Septembris combusta fuit Canonica S. Anastasiæ.*

Idem Petrus in æde S. Mariæ sive S. Jacobi, primaria oppidi atque insulæ Pagi, collegium insigne Presbyterorum instituit; duodecim omnino esse jussit, quos Canonicorum vocabulo insignivit, iisque unum dignitate & auctoritate præfecit, quem Archipresbyterum vocavit; eique curam animarum commendatam esse voluit. Sed quo beneficio Pagenses gratos erga se, & sibi magis obsequentes reddere debuisset, eodem contra se, & urbem, Ecclesiamque Jadertinam illos armavit. Id splendoris ac dignitatis collatum Ecclesiæ Pagensi insulares illos adeo extulit, tantos spiritus eisdem attulit, tantamque arrogantiam, ut Episcopi & civitatis Jadrensis, quorum jurisdictioni suberant, imperium dedignati, tam magistratum ab Jadrensibus impositum, quam Vicarium episcopalem expulerint; sibique non solum Rectores oppidi e suo Communi constituerint, sed etiam Episcopum e collegio Canonicorum eligere decreverint. Quod cum Jaderam allatum esset, Jadertini aliquot navigia armarunt; quibus equites & pedites sub duce Damiano de Nassis transvecti, Pagenses de improviso adoriuntur, plerosque in fugam avertunt, obsistentes cædunt, duos Rectores civitatis cum aliis pluribus, itemque cum illo, quem designarunt, umbratili Episcopo, & aliquot clericis, captivos Jaderam abducunt; hos vero cum suo designato Episcopo in custodiam archiepiscopalem tradiderunt. Sed ex mandato Sigismundi Jadrenses & laicos captivos & clericos carceribus archiepiscopalibus exemptos reddiderunt, simul cum sacris thesauris, quos ex ecclesiis illius oppidi ablatos apud Petrum Archiepiscopum deposuerunt. Hæc fusius in Ephemeride Paullina, quæ in Appendicem ad historiam Ecclesiæ Jadrensis rejicimus. Nec vero propterea Pagenses cogitationem cupiditatemque sedis episcopalis obtinendæ abjecerunt, & fortassis etiamnum retinent. Quæ deinceps hujusce rei caussa tentaverint, egerintve tum apud Sedem apostolicam, tum apud Senatum Venetum, singillatim distincteque exponemus in Appendice *De Pagensibus Episcopis electis*; hic autem res Pagenses non ultra attingere volumus, nisi qua cohærent historiæ Antistitum Jadrensium.

Petrus Ecclesiam oppidi Pagensis collegiatam instituit.

Petrus ut cultum augeret S. Simeonis Prophetæ, & S. Anastasiæ; tum ædi Marianæ, tum basilicæ Anastasianæ amplissimas indulgentias impetravit a Bonifacio IX., easdem prorsus, quibus Alexander III. Venetiis Basilicam Marcianam cumulavit, ut Paullus in sua Ephemeride scripsit: *1396. Die 8. men. Octob. incæpit indulgentia de pœna & culpa, prout est in Ecclesia S. Marci Venet. in die Ascensionis, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Presbyterorum Jadræ, ubi requiescit corpus B. Simeonis Justi, pro reverentia ipsius corporis, & in Ecclesia Sanctæ Anastasiæ, ubi jacet ejus sanctum corpus, similiter per octo dies sequentes eo modo, quo continetur in privilegio D. Papæ concesso super hoc anno eodem; quam indulgentiam impetravit R. Pater & D. Petrus de Matafaris Archiepiscopus Jadræ, ut ibi continetur expresse; & hæc indulgentia incæpit existentibus Rectoribus Jadræ Dominis Mizolo de Fanfognis, Simone de Detrico, & me Paulo de Paulo.* En diploma pontificium.

Ædes S. Anastasiæ & S. Simeonis amplissimis indulgentiis locupletatæ.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter serviatur, de abundancia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit, & vota, bene servientibus sibi multo majora retribuat quam valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes Domino populum reddere acceptabilem & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi, quasi quibus-

dam

Digitized by Google

dam allectivis muneribus, indulgenciis scilicet, & remissionibus invitamus, ut ex inde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur etiam intuitu venerabilis fratris nostri Petri de Matapharüs Archiepiscopi Jadrensis, nobis super hoc humiliter supplicantis, ut Ecclesia major Jadrensis, quæ ut asseritur, vocabulo Sanctæ Anastasiæ insignitur, & quæ reparatione non modica indigere dinoscitur, congrue reparetur, ipsaque, ac Sanctæ Mariæ Presbyterorum Jadrensis Ecclesiæ, in qua corpus Sancti Simeonis Justi venerabiliter requiescit, congruis honoribus frequetentur, & etiam conserventur, & ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad easdem, & ad majoris reparationem, ipsiusque, & Sanctæ Mariæ ecclesiarum prædictarum conservationem manus promptiores porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono gratiæ uberius conspexerit se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festivitate ejusdem Sancti Simeonis a primis vesperis usque ad secundas vesperas ipsius festivitatis, & per octo dies ipsam festivitatem immediate sequentes, prædictas ecclesias devote visitaverint annuatim, & ad reparationem ac conservationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, die utriusque festivitatis, & octo diebus prædictis, in quibus ipsas ecclesias devote visitaverint, & ad reparationem ac conservationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, illam indulgentiam, & remissionem peccatorum concedimus, quam Ecclesiam Sancti Marci de Veneciis Castellanæ diœcesis, in die Ascensionis Domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim quomodolibet consequuntur. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictas majorem, & Sanctæ Mariæ Ecclesias, seu ad reparationem ac conservationem hujusmodi, aut earum fabricam manus ponentibus adjutrices, seu alias inibi pias eleemosynas erogantibus, aut alias, aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, ipsa alias facta concessio nullius existat roboris vel momenti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum v. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno septimo.

Sigismundus sibi tradi jubet conscios conjurationis, & necis Elisabethæ Reginæ.

Cum Sigismundus iter in Dalmatiam suscepisset, quatuor primarios viros Jaderam præmisit, qui ab Rectoribus civitatis postularent illos omnes, ac tres nominatim, qui vel participes, vel suspecti erant conjurationis, contra reginas Mariam & Elisabetham ante aliquot annos conflatæ: 1396. 12. *Januarii*, ut est in Ephemeride Paullina, *applicuerunt Jadram mag. viri Domini Paulus Caroli, & Carolus Comites Corbaviæ, & Paulus Michael Vicebanus Chroatorum, Legati serenissimi principis, & D. N. reg. Sigis. Ung. R., qui die crastina in sapienti Consilio nostro porrectis litteris credentialibus, exposuerunt eorum ambaxiatam, videlicet quod D. D. Rectores darent ex se eidem D. R. omnes culpabiles, seu participes mortis q. D. Elizabeth suæ socrus, & eos, qui alium Dominum introducere.... in Dalm., & eos qui participati sunt cum Joanne Joannis de Palizna olim Priore in Urana, & cum Joanne Bano, pro quo inquirendo præcipiebant in præsentia R. Patris D. Leonardi Episcopi Signien., pro hoc a D. rege specialiter destinati, ut statim mitterent Tininum decem nobiles potiores ex se, & quod unus eorum essem ego Paullus; & insuper quod omnino mitterent eidem regi tres nobiles, scilicet s. Andream Nic. s. Maurum Petri, & s. Duymum olim D. Joannis, omnes de Grisogonis, qui inculpati veniebant de prædictis &c. &c.* Cum autem Petrus Archiepiscopus sibi ejusdem conspirationis conscius esset, vel certe de hac se graviter suspectum esse intelligeret, periculum, quod sibi metuebat, fuga prævertendum ratus, voluntarium sibi exsilium conscivit. Sigismundus jussit omnia ejus bona & quorumdam aliorum fisco, sive ærario regio addici; id quod significare Paullum voluisse arbitror his verbis: 1396. *die Jovis 22. Febr. venerunt Jaderam Adam Castellanus Tinin. & Petricia familiaris D. Nic. de Gara Dalm. & Chroat. B. cum litteris credentialibus scriptis in Toplicia die 13. prædicti men., & cum duabus litteris regiis scriptis in Tinino die 3. jam dicti men. Feb., una quarum directa ipsi Bano, & alia Rectoribus Communis nostri, pro intromittendo bona D. Archiep. Jadren., D. Guidonis &c. &c.* Anno vero sequenti Sigismundus vetuit Petrum Archiepiscopum in tabulis publicis nominari, ut Paullus itidem tradit: *Eodem anno* (idest 1397.) 24. *Septemb. ex mandato D. regis captum fuit in consil. generali, quod in instrumentis publicis, quæ conficiuntur in Jadra, non ponatur a modo nomen Archiepiscopi; sed instrumenta valeant de cetero facta, ac si nomen fuisset impositum, quemadmodum prius imponebatur.* Huic & superiori particulæ Ephemeridis Paullinæ hanc interpretationem adhibuit Valerius a Ponte: *Cum Petrus insimulatus fuisset complicitatis cum aliis, qui pro captivitate Reginarum Elisabeth, & Mariæ cooperaverant, Caroloque III. regi Neapolitano adhæserant, quando in Hungariam perrexit, ibique post coronationem occisus fuit; ideo Sigismundus Brandeburgensis, ulturus crimen læsæ majestatis in socrum, & uxorem perpetratum, cum personas perduellium, qui in Apuliam confugerant, habere non posset, ad eorum bona se convertit, quæ fisco addixit, ut notat idem Paulus 1396. 22. Febr. ac deinde an. 1397. 24. Septemb. captum fuit in generali Consilio quod in instrumentis publicis non ponatur amodo nomen Archiepiscopi, ex quibus apparet Petrum jussu regis non fuisse amplius habitum pro Episcopo.*

Petrus Archiepiscopus sibi metuens fuga libertati suæ, ac saluti consulit.

Præfecturam Picænæ provinciæ obtinuit, & Asculi moritur;

Porro Petrus Romam se contulit; quem Andreas Thomacellus consanguineus Bonifacii IX. Marchio Picæni, ob singularem ejus prudentiam, & cogitandi agendique solertiam, Rectorem generalem totius provinciæ Picænæ præfecit. Hanc ille per triennium summa cum laude administravit. Obiit Asculi anno 1400., sepultusque in æde cathedrali ante aram S. Venerandæ, meruit hunc titulum sepulchralem:

ejus sepulcrum, & inscriptio.

Hic jacet in tumba Archiepiscopus ille Jadrensis
Petrus de Matafaris prisco dignus in ævo,
Virtutum clarus, luget quem Marchia tota,
Extinctum deflet lacrymabilis Æscula turba,
Namque reformator fuerat & vice Rector,
Clemens, & justus, æquus servator honesti.
Gloria virtutum, populi favor, & genus altum
Quid profuerunt? nunc parvo clauditur antro.
Sic licuit rapidæ tanto de corpore morti
Virginis a partu anno mille cum quadringentis.

JOAN. IV. ARCH. JADREN. XXI. electus.

Joannes Archiep. electus, sed a Pontifice non approbatus.

De quo neque genus, neque patriam, neque vitæ institutum ex monumentis illorum temporum cognoscere licuit. Hunc post discessum seu fugam Petri Sigismundus elegit; sed pontificia ap-

Digitized by Google

approbatione caruit, tum quia Sedes apostolica jus eligendi Archiepiscopi Jadrensis sibi reservaverat, tum quia sedes illa metropolitana per legitimam Petri abdicationem non vacabat. Ferdinandus Ughellus inter hunc & Petrum de Matafaris Bartholomæum nescio quem interjecit; *cujus memoriam extare ait, in cathedrali anno 1399. in basi majoris altaris, quod exornandum reliquit ex testamento eodem anno scripto*. Sed hic abest ab omnibus catalogis pontificalibus. In schedis Jadrensibus ad me transmissis hoc scriptum reperio: *In ipsis memoriis videre est Bartholomæum, cujus meminit Ughellus anno 1399. fuisse Archipresbyterum, non Archiepiscopum*. In tabulis S. Chrysogoni ad an. 1398. Joannes Archielectus nominatur; de quo Valerius a Ponte: *Hunc nunquam a Sede apostolica confirmatum fuisse arbitror, cum non reperiatur in libris provisionum consistorialium; & cum fuerit a Sigismundo illegitime electus, vivente adhuc Petro de Matafaris a sua ecclesia inique exturbato, nunquam a Pontifice Romano habitus fuit pro Archiepiscopo*. *Archielecti* nomen retinuit usque ad initium sæculi proximi; & quamvis neque a Pontifice approbatus fuisset, neque fortassis episcopali consecratione initiatus, non tamen ejus ecclesiæ administratione, usurpandaque jurisdictione archiepiscopali abstinuit, ut docent lites, quas habuit cum Capitulo, cujus jura & privilegia diminuere studebat, cuique plurimas molestias exhibebat. Canonici questi sunt apud Sigismundum; qui vetuit Joannem suis Canonicis molestum esse, litteris ad eum datis in hæc verba.

Epistola Sigismundi ad Joannem electum: jubetur sua Capitulo privilegia servare.

Sigismundus Dei gratia Rex Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Fideli suo dilecto venerabili viro Domino Joanni Archielecto Jadrensi salutem, & gratiam. Pro parte fidelium nostrorum honorandorum virorum, Dominorum Capituli Jadren., nostræ propositum extitit majestati, quomodo vos ipsos in juribus, jurisdictionibus, privilegiis, immunitatibus, quibus temporibus prædecessorum nostrorum uti, frui, & gaudere fuissent soliti, non conservatis, imo diversis novitatibus adinventis, eos multimode vexetis, & vexari nitemini in futurum; cum tamen ipsi vobis, tamquam ipsorum Prælato, secundum quod aliis Prælatis, Archiepiscopis videlicet dictæ Ecclesiæ Jadren. fecerunt, reverentiam, obedientiam tam debitam, quam devotam exhibuerint, vestrisque jussis, & mandatis obediverint, & obtemperaverint, obedireque, & obtemperare in futurum prompti essent, & parati. Quare fidelitati vestræ firmo regio sub edicto præcipimus, & mandamus, quatenus, si eis, quæ nobis relata sunt, veritas suffragetur, ex tunc eosdem Dominos, & Capitulum dictæ Ecclesiæ Jadren. in illis omnibus libertatibus, in quibus per prædecessores vestros tenti fuerunt, & conservati, postergatis omnibus novitatibus in præjudicium eorum, & libertatum ipsorum, per vos, ut præmittitur, adinventis, tenere, & conservare pacifice & quiete debeatis; dummodo & ipsi in omnibus, ut præmittitur, vestris studeant mandatis, & præceptis obedire, ac plane obtemperare. Secus nullatenus facere præsumentes in præmissis, præsentes post lecturam reddi jubemus præsentanti. Datum Budæ in festo Purificationis B. M. V. Gloriosæ anno Domini 1399.

Sacellum in æde S. Mariæ Majoris beato Simeoni exstrui cœptum.

Per ea tempora in æde S. Mariæ Majoris sacellum augustius & ornatius, in quo arca S. Simeonis collocaretur, ædificari cœpit; atque ad ejus fundamenta substruenda primum lapidem episcopali precatione consecratum dimisit Paullus de Paullo Rector civitatis, ut ipse notatum reliquit in sua Ephemeride: *1397. die Lunæ 28. men. Madii me existente Rectore cum prædictis, de nostro mandato incœperunt portari lapides & calces pro fabricatione capellæ S. Simeonis Justi; & die Veneris 8. men. Junii proxime venturi cœpit laborari fundamentum pro ipsa capella amplianda, cujus fundamenti primum lapidem Ego Paulus cum episcopali benedictione posui*. Anno 1400. Joannes vel e vita decessit, vel titulum archiepiscopalem sponte dimisit.

LUCAS ARCH. JADREN. XXII.

A patria cognomen ei fuit *de Firmo*; *Fumanum* vocat Ughellus fortassis e familia, unde oriundus fuit, sed *patria Firmanum*. Erat ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, omnium disciplinarum genere, ac præsertim divinarum rerum scientia clarissimus, nec minus virtutum omnium laude cumulatus. Apud suos tum aliis honorificis præfecturis, tum procuratoris generalis munere functus est. Hunc Bonifacius IX. Archiepiscopum Jadrensibus dedit anno 1400., IX. Kal. Augusti, ut constat ex epistola ejusdem Pontificis ad Canonicos Jadertinos, itemque ex epistola Marchionis Sulmonensis Rectoris provinciæ Picænæ ad eosdem Canonicos. Utraque novum Episcopum illis magnopere commendat, cum insigni testificatione ejus virtutum ac meritorum. Neutram epistolam nancisci licuit.

Pontifex litteris datis ad Ab. S. Chrysogoni, & Priorem Auranæ jubet Lucam in possessionem sacerdotii Jadrensis admitti.

Jaderam cum venisset, nonnullos reperit, qui cum illi pontificatum Jadrensem inviderent, ne possessionem ecclesiæ sibi traditæ, & bonorum ecclesiasticorum adiret, omni ope atque opera obstabant. Quare Bonifacius Cœnobiarchæ S. Chrysogoni, & Priori Auranæ per litteras mandavit, ut adversarios Lucæ Archiepiscopi, incusso anathematum ac pœnarum metu compescerent, eique Jadrensis Sacerdotii & bonorum suorum possessionem dari, auctoritate apostolica interposita juberent.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati S. Grisogoni, & Priori de Varana, per priorem solita gubernari, Jadren. monast. salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum Ecclesiæ Jadrensi tunc vacanti de persona Ven. Fratris nostri Lucæ Archiepiscopi Jadrensis auctoritate apostolica duximus providendum, præficiendo ipsum eidem ecclesiæ in Archiepiscopum, & Pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut non sine mentis amaritudine percepimus, idem Lucas Archiepiscopus nonnullorum æmulorum suorum procurante malitia, pacificam possessionem administrationis bonorum dictæ ecclesiæ adipisci non possit, in ipsorum æmulorum animarum periculum, Apostolicæ Sedis contemptum, ac ejusdem Lucæ Archiepiscopi non modicum præjudicium, & gravamen; Nos eidem Lucæ Archiepiscopo super his, prout ex debito pastoralis officii tenemur, salubriter providere volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta sub excommunicationis signa, quam vos, & quemlibet vestrum incurrere volumus ipso facto, mandamus: Quatenus vos, vel alter vestrum eumdem Lucam Archiepiscopum ad pacificam possessionem administrationis bonorum hujusmodi, quantum in vobis fuerit admittatis, & admitti faciatis; & nihilominus

Digitized by Google

minus dilectos filios, Communitatem civitatis Jadrensis, ac alios quoscumque, pro parte dicti Archiepiscopi vobis, vel alteri vestrum nominandos; sub excommunicationis, ac aliis formidabilibus sententiis, atque pœnis, quas ipso facto incurrent, & a quibus a nullo præterquam a Romano Pontifice absolvi possint, auctoritate nostra moneatis, & mandetis eisdem, ut eumdem Lucam Archiepiscopum ad pacificam possessionem administrationis bonorum hujusmodi, summoto quolibet contradictionis obstaculo admittant, & quantum in eis fuerint admitti faciant, & procurent. Nos enim vobis, quoscumque eidem Lucæ Archiepiscopo in præmissis rebelles ecclesiasticos, & mundanos, si a rebellione hujusmodi infra tertium terminum, per vos ad hoc præfigendum, a rebellione hujusmodi non destiterint, omnibus beneficiis ecclesiasticis, nec non feudis, quæ ab Ecclesia Jadrensi prædicta obtinent, auctoritatem privandi, ac ad illa & quæcumque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda inhabilitandi; contradictores quoque per censuram ecclesiasticam ac aliam pœnam, prout vobis videbitur, appellatione postposita, compescendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Id. Jan. Pontificatus nostri anno XII. idest 1401.

Jadrenses ab Sigismundo ad Ladislaum regem Neapolitanum deficiunt.

Vix Lucas administrationem Ecclesiæ Jadertinæ susceperat, cum Jaderæ atque in Dalmatia multiplex imperii, & rerum publicarum conversio facta est. Ad Sigismundum ex Hungariæ & Dalmatiæ possessione pellendum, Ladislavus rex Neapolis, filius Caroli ejus, quem superioribus annis in Hungaria per insidias & proditionem interfectum fuisse diximus, fœdus icerat cum Ostoja rege Bosnensium, & *Hervoja supremo Vajvoda regni Bosnæ*, itemque cum plurimis dynastis ac proceribus Hungariæ, & Chrobatiæ. Primi omnium Jadrenses Hervojæ sollicitationibus, & promissis illecti, anno 1401. urbem in fidem ac potestatem Ladislavi tradiderunt. Urbis traditæ præmium fuit insula Pagi, quam Sigismundus Jadrensibus ademerat, Ladislavus restitui, eorumque jurisdictioni subesse jussit. Anno proximo VI. Kal. Septembris Aloysio Aldemarisco præfecto classis Neapolitanæ ad urbem venienti clerus, magistratus, & populus obviam prodierunt, eumque medium inter Archiepiscopum & Abbatem S. Chrysogoni cum ad basilicam ejusdem S. Martyris deduxissent, ubi Archiepiscopus solemni ritu sacrificavit, vexillum Ladislavi ingenti omnium acclamatione, plausuque explicarunt. Deinde pridie Nonas Septembris coram Luca Archiepiscopo sacrum Evangeliorum codicem in manibus tenente, magistratus & primores urbis suam fidem obedientiamque Ladislavo regi interposita sacramenti religione obligarunt. Hæc Paullus in Ephemeride ad an. 1402. Nec multo post universa Dalmatia sub imperium Ladislavi concessit. Anno autem 1403. Ladislavus, classe egregie instructa, transvectus est in Dalmatiam; & mense Majo Jaderam cum appulisset, Archiepiscopus cum clero, magistratus cum populo magna gratulatione, & lætitia excepit: qua in urbe Angelus Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii, Episcopus Ostiensis, Legatus pontificius solemni cærimonia Ladislavo diadema regium imposuit, ceterisque regalibus insignibus ornatum regem Hungariæ & Dalmatiæ appellavit, ut docet Raynaldus ad an. 1403. ex Theodorico Niemo, qui libro 2. cap. 17. hæc scripsit: *Bonifacius eodem anno, 14. Pontificatus sui, dictum D. Ladislavum coronari fecit in regem Hungariæ in civitate Jauriensium;* huic postremo verbo Joannes Lucius lib. V. de Reg. Dal. & Croat. cap. IX. hanc notam apposuit: *Jauriensis civitas Ungariæ ad flumen Arabonis prope Danubium in finibus Austriæ sita est, quam Ladislavus non vidit; ideo mendose scripta est pro Jadrensium:* quippe Ladislavus, postquam Hervojam Dalmatiæ proregem constituit, eodem anno discessit; & intra finem mensis Octobris, vel sub initium Novembris Neapolim jam pervenerat, ut constat ex ejus epistola ad Spalatenses *Dat. in Castro novo Neap. die 9. Novemb., XI. Indict.* quæ cohæret cum anno 1403. In tabulis publicis Jadrensibus anno 1405. regem Ladislavum cum Luca Archiepiscopo nominatum invenio: *Anno 1405. regnante Ladislavo D. G. Ung. Jerusal. Sicil. Dalm. & Croatiæ inclyto rege, temporeque Reverendissimi in Christo Patris & D. D. Fratris Lucæ de Firmo D. G. Archiep. Jadren. &c.*

Litteræ Bonifacii IX. P. ad Angelum Card. Legatum apostolicum.

Cum legatio apostolica tradita Angelo Presbytero Cardinali, qui Jaderæ Ladislavo ex mandato Bonifacii IX., cum titulo regis Hungariæ, diadema regale imposuit, non solum ceteras regni Hungarici partes, sed etiam Dalmatiam complectatur, litteras pontificias ad eum datas, hic describendas censeo.

Dilecto filio Angelo tit. S. Laurentii in Damaso Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato. Inter cetera desiderabilia nostri cordis animarum salutem, incrementum veræ fidei, observantiam ecclesiasticæ libertatis, quietem, & pacem cunctis Christifidelibus adesse desiderabiliter affectantes, sedula solertia vigilamus, & adhibemus, quantum possumus, diligentiæ nostræ studium, ut hæc fidelibus ipsis laudabiliter possint, submotis impedimentis quibuslibet, juxta nostri desiderii plenitudinem, auctore Domino, provenire. Sed quamvis universis & singulis regionibus Deo & apostolicæ Sedi devotis favorem apostolicum, quoties necessitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas nostræ mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigiliis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri quid gregi commisso nobis expediat, & quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti præsidio, cui cogitationes hominum præparantur, quique fortium actus superat, & infirmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem ad ea præsertim, quæ fidelibus populis necessario expedire viderimus, & noverimus profutura, salubriter & utiliter exponamus; in præsentiarum tamen Hungariæ regni nobilis necessitates præcordialiter intuemur, profundis meditationibus laboriosisque vigiliis insudando, ut eidem in hujusmodi necessitatum articulis, & maxime ut assistentia tam spiritualis quam temporalis charissimo in Christo filio nostro Ladislao regi Siciliæ illustri circa recuperationem regni Hungariæ ac partium prædictarum, aliorumque jurium in illis & aliis partibus eidem regi quomodolibet competentium valeat efficatius exhiberi, opportunum adhibeatur, auxiliante Domino, consilium salubreque remedium impendatur. Unde cum hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator ab olim in eodem regno turbationes & scandala suscitarit, ex quibus regale solium & ipsius regni regimen sunt depressa, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum & piorum locorum dejectis juribus, pessundata damnabiliter ecclesiastica liber-

libertate & subsecutis exinde animarum periculis deplorandis, personarum nefandis excidiis, & aliis fere innumeris detrimentis, nos exinde graves & amaras gessimus & portavimus in mente nostra puncturas, dum miserabilis illius regni conditio & commissorum inibi enormitas excessuum infra nostra præcordia revolvuntur, & utinam desuper datum esset, ut cum honore Dei, & ecclesiæ & aliorum salubri statu fidelium posset commode circa tantum negotium exhiberi nostra præsentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi præsentialiter nostrum desiderium panderemus. Sed quia id conditio nostra non patitur, & innumera negotiorum undique concurrentium varietate distrahimur, illos in partem apostolicæ sollicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore percipimus cœlesti dono provisum, ut altis & arduis negotiis sciant & possint consulere proinde & utili consilio.

Attendentes itaque quod personam tuam altissimus gratiarum Dominus scientiarum magnitudine, providentiæ munere, circumspectionis gratia, industriæ claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adjiciens, ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud Sedem apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, nosque inviti quodammodo tanti viri præsentia careamus, tamen propter urgentem & inevitabilem necessitatem dicti regni, cui speramus in prædictis per tuam industriam circumspectam, illo tibi auxiliante, qui potest salubriter consulere, & utiliter subvenire, ad præfatum regnum, commisso tibi plenæ legationis officio, in eodem regno, ac in Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Raziæ, Bosnæ, Valachiæ, & Bulgariæ partibus, ut in eis evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices, plantes, & statuas in nomine Domini, sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consilio, tamquam pacis angelum destinamus, injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipso tam ibidem, quam in provinciis memoratis, inter ecclesiasticos & mundanos viros & universos alios, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, ac status, agas, & tractes quæ ad cultum Dei & prædictæ Sedis honorem, observantiam ecclesiasticæ sanctionis, integritatem ecclesiasticæ libertatis, consecutionem regni & jurium præfatorum pro dicto Ladislao, robur prosperi status regni, & provinciarum prædictarum, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, & animarum salutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt.

Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Hungariæ ac aliis provinciis ac partibus supradictis tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo more solito legatorum, qui missi de latere transeunt adornati insigniis, personam nostram quodammodo præsentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, ut eisdem insigniis infra prædictum Hungariæ regnum dumtaxat uti libere valeas, prædictæ legationis officium prosequendo, ita tamen quod præmissis insigniis in aliis commissis partibus, provinciis, & locis aliquatenus non utaris, ut id quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus & utilitatibus regni prædicti & terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentiam prætextu concessionis hujusmodi in regno & terris eisdem propter hoc in posterum non trahatur: quocirca circumspectioni tuæ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus injunctum tibi onus laboris hujusmodi pro divina & nostra reverentia devote suscipiens, illud sic sollicite & viriliter & laudabiliter juxta datam tibi a Deo potentiam exequaris; quod de tuis studiosis laboribus, cœlesti tibi favente clementia, sperati fructus adveniant; tuque per sollicitudinis tuæ ministerium, illam, quæ pias causas gerentibus pro retributione rependitur, palmam gloriæ feliciter merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Kalendis Junii, Pontificatus nostri anno XIV. idest anno 1403.

Post discessum Ladislavi Lucas Archiepiscopus, & clerus, & magistratus, ac principes viri civitatis anno 1404. supplices litteras miserunt ad Innocentium VII. Pont. Max., quarum caput erat corpus S. Simeonis Justi plurimis a Deo maximisque illustrari miraculis, adeo perspicuis & evidentibus, ut Bosnenses hæretici sane multi eorum vi ac luce perculsi ab avitis, nefariisque erroribus ad catholicam fidem ac veritatem convertantur; quapropter orare atque obsecrare, ut velit ac jubeat ratas esse, atque in perpetuum valere indulgentias omnes, quas Bonifacius IX. Ecclesiæ S. Simeonis, itemque S. Anastasiæ concessit, rogatu Petri de Matafaris Archiepiscopi Jadrensis. In eamdem fere sententiam libellum supplicem obtulerunt Cardinali Ostiensi, qui Legati apostolici munere functus fuerat in Dalmatia, idemque ex mandato Bonifacii Ladislavo titulum & insignia regis Hungariæ tradiderat. Initium utriusque epistolæ est hujusmodi.

Lucæ & Jadrensium epistola supplex ad Innocentium VII.

D. P. P. Sanctissime Pater ac Domine noster. Sanctitatis vestræ antecessor memoriæ felicissimæ Bonifacius P. P. Ecclesiis SS. Anastasiæ & Simeonis Justi, hujus civitatis Jadræ, & maxime S. Simeonis, cujus corpus infinitis miraculis clarum sua ipsa hic Jadræ in ecclesia jacet, Bullis papalibus indulgentiam dudum attribuit, qualem habebat Ecclesia S. Marci diœces. Castellanæ Venetiarum in die Ascensionis Dominicæ, prout Antistes noster & clerus sanctitatem vestram eorum litteris informabunt; & non immerito hoc fecit, nam primo multorum nostrorum religiosorum, & mundanorum relationibus fide dignis innotuit multis miraculis corpus illud Simeonis Justi claruisse; secundo hæc civitas vicina hæreticis montanearum Bosnensium, & aliarum gentium alienigenarum, talibus miraculis ad se traxit quamplures, atque ad fidem orthodoxam, qui relictis hæreticorum perversis doctrinis, quibus Diabolo instigante irretiti erant, conversi sunt, Christianorum fidei maximum augmentum &c. &c.

Epistola Jadrensium ad Innocentium Papam.

1404. *Domino Cardinali Ostiensi. Reverendissime Pater & Domine. Scribimus apostolicæ Sanctitati, quod felicis recordationis Bonifacius P. P. suæ sanctitatis proximus antecessor, hujus civitatis Ecclesiis SS. Anastasiæ & Simeonis Justi, & maxime S. Simeonis, cujus corpus infinitis claret miraculis, illam attribuit indulgentiam similem, quam habet Ecclesia S. Marci diœc. Castellanæ civit. Venetiarum; sed postea intelleximus quod præfatus Apostolicus multas & plures abolevit indulgentias; nescimus si inter abolitas ipsas, indulgentia hæc contenta sit. Quare si esset abolita, humiliter suæ sanctitati supplicamus, ut sua sanctitas dignetur eam reviviscere, & eam reiterate dictis ecclesiis concedere, quod utilissimum erit nostræ fidei orthodoxæ; multi enim longinquis a partibus dictas ecclesias miraculis ipsorum Sanctorum claras annuatim veniunt visitaturi,*

Altera ad Cardinalem Ostiensem.

in detrimentum maximum Bosnensium hæreticorum, quorum sectam . . . . . . hic dum essetis, intellexistis; & erit fidei nostræ augmentum; nam dicti S. Simeonis Justi corporis hic jacentis miraculis huc accedentes convicti, relictis doctrinis hæreticæ pravitatis ad nostram Christianam fidem convertuntur. Quare . . . . . . nostrarum affectibus vos precamur, ut dignemini dicti Sancti ob devotionem &c. &c.

Effigiem B. Virginis in S. Francisci ædem Lucas intulit. Anno 1408. Lucas effigiem Deiparæ Virginis ab Angelo salutatæ pulcherrime pictam cum Capitulo & clero, urbis magistratu, omnique nobilitate, & civitate universa prosequente, solemni supplicatione detulit in ædem Fratrum Minorum S. Francisci; & post Missæ sacrificium pontificali ritu peractum, ibidem loco maxime illustri & conspicuo collocavit: quod his verbis Paullus in Ephemeride annotavit: 1408. *Die Dominico 21. Aprilis quidam devotissimus factus extitit in Jadra per Francolum Aporcocarium filium Angeli de Galgano, cum una imago Gloriosæ, & imago S. Gabrielis Archangeli fuerunt portatæ in Ecclesia Fratrum Minorum cum maxima solemnitate, & comitatu, D. Archiepiscopo, omni Clero, Rectoribus, militibus, nobilibus multis, civibus ac forensibus ac popularibus, dominabus feminis, & puellis, virginibus & maritatis, cum magnis cantionibus ecclesiasticis & musicis, & cum multa effusione lachrymarum pro devotione, ubi consecratæ fuerunt per ipsum D. Archiepiscopum cum solemnitate Missarum; quo die idem Francolus magnum fecit & solemne convivium nuptiarum adinstar, ipsius B. Virginis ob reverentiam.*

In carcerem a Præfecto Arcis conjectus. Verum eodem anno Lucas Archiepiscopus insignem injuriam accepit a præfecto arcis, quam Ladislavus, ut in aliis Dalmaticæ civitatibus, sic Jadræ ad incolas in fide atque officio continendos, vel invitis civibus ædificari voluerat, & suorum militum præsidio muniri. Hic igitur Archiepiscopum, sive quod in suspicionem alicujus clandestinæ cum Sigismundo societatis sibi venisset, sive aliam ob caussam, satellitibus immissis, comprehendi jussit, & arctissima custodia septum in arcem inclusit. Res omnibus perindigna visa est; atque ad declarandum communem luctum ac mœrorem, universale tota urbe justitium indictum est; æra sacra siluerunt, templorum januæ clausæ, publica religionis officia intermissa. Quocirca præfectus veritus ne popularis ille motus ac tumultus in apertam seditionem erumperet, quatriduo post Archiepiscopum custodia exemptum dimisit: 1408 *Die Lunæ 25. Junii* (ut est in Paullo post liber dimittitur. Ephemeride Paullina) *D. Lucas de Firmo Archiepiscopus Jadren. per homines Cyosi Castellani Jadræ captus extitit: quo facto per omnes ecclesias siluerunt campanæ, & ecclesiarum aditus clausis portis nulli patuit. Et die Jovis, ejusdem mensis Junii 28., quibusdam pactis & conditionibus liberatus fuit.*

Dalmatia sub imperium Sigismundi redit. Nec vero diu Jaderam ac Dalmatiam in sua potestate retinere Ladislavo licuit. Nam Hervoja dux Spalati, itemque Vicarius Ladislavi ad Sigismundum defecit, & cum eo intra finem anni 1408. sub imperium ejusdem Sigismundi redivit universa Dalmatia præter Jaderam, quam Joannes de Lusignano dux Baruti, patruus Mariæ uxoris Ladislavi, Comes & Rector urbis, metu Neapolitani præsidii castello impositi ab defectione absterruit. Porro Ladislavus tanti esse non censuit longinquas illas regiones recuperare, ut a rebus Italicis, quæ tum prospere illi procedebant, copias abstraheret, ac spem certam pro incerta dimitteret. Satis vero intelligebat Jaderam, quæ in fide adhuc manebat, ab illis paucis militibus præsidiariis, quos ad custodiam arcis reliquerat, contra exercitum Sigismundi defendi ac retineri non posse. Itaque urbem cum toto agro, & quidquid littorum, insularum, oppidorum ad ejus fines ac ditionem pertinebat, centum millibus nummum argenteorum Venetis vendere constituit. Fuit ea res Senatui populoque longe gratissima, qui suam illam civitatem jure antiquo acquisitam & possessam, toties amissam, toties recuperatam, redimere potius, quam emere videbatur; Jadera Venetis in perpetuum tradita. præsertim cum ad dominatum maritimum & retinendum & exercendum opportunissima esset: ea vero recepta, apparebat fore, ut omnis ora Dalmatica ad imperium rediret; quod ita sane haud multo post contigit. Nec minus læta fuit Jadrensibus, utilis, & salutaris ad suos antiquissimos Dominos reversio, a quorum imperio nunquam postea hæc civitas aut defecit, aut divulsa fuit. Quare ad omnia urbis templa supplicatio habita est, actæque Deo immortali ac superis gratiæ, ingenti omnium lætitia & gratulatione. Atque etiamnum Jadrenses singulis annis faustissimum illum diem proximum ante Calendas Augusti, quo quatuor viri primarii e patricia nobilitate, Venetiis missi, possessionem urbis receperunt, solemni supplicatione, & gratiarum actione concelebrant.

Facultas amovendi canonici impedimenti Lucæ Archiepiscopo delegata. Cum Patres Constantienses Joanni XXIII. Pontificatum abrogassent, eoque Gregorius XII. ultro se abdicasset, & Ecclesia Romana vacaret; Jordanus Cardinalis Ursinus Episcopus Albanus, præses Concilii, idemque auctoritatem & locum tenens Sedis apostolicæ, Lucæ Archiepiscopo Jadrensi per litteras mandavit, ut duobus consanguineis matrimonium ineundi potestatem faceret, amoto, quod obstabat, canonico impedimento.

Epistola Jordanis Cardinalis ad Lucam. *Venerabili in Christo Patri Dei gratia Archiepiscopo Jadrensi, vel ejus Vicario in spiritualibus, Jordanus miseratione divina Episcopus Albanensis salutem, & sinceram in Domino charitatem. Sedis apostolicæ providentia circumspecta nonnumquam rigorem juris mansuetudine temperat, & quod sacrorum Canonum instituta prohibent, de gratia benignitatis indulget, prout personarum, & temporum qualitate pensata, id in Deo salubriter expedire cognoscit. Sane ex parte nobilium Simeonis filii quondam Philippi de Rosa, & Franzæ filiæ Simeonis de Detrico militis, domicellorum Jadrensium, nobis oblata petitio continebat, quod ipsi ex certis, & rationabilibus causis desiderant invicem matrimonialiter copulari; sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti, eorum in hac parte desiderium adimplere non possunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta. Quare supplicari fecerunt humiliter iidem exponentes, super iis per Sedem ipsam de opportunæ dispensationis gratia provideri. Itaque eorum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Sedis apostolicæ, cujus primarie curam gerimus, & de speciali mandato super hoc auctoritate apostolica vobis facto, circumspectioni vestræ committimus, quatenus si est ita, cum ipsis Simeone & Franza, quod impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante, possint inter se matrimonium libere contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit,* lici-

Digitized by Google

licite remanere jure dispensationis, dummodo D. Franza propter hoc ab aliquo rapta non fuerit, prolem inde suscipiendam legitimam decernentes. Dat. Constantiæ 8. Id. Septembris anno Domini 1416., Apostolica Sede Pastore vacante.

Sub mitissimo Venetorum imperio Lucas ecclesiam sibi commissam annos fere undecim placide tranquilleque administravit. Fuit vir singulari erga Deum pietate, erga homines beneficentia, & in victu cultuque quotidiano, religiosa & vere ecclesiastica frugalitate. E proventibus ecclesiæ quod sibi supererat, partim erogavit in pauperes, partim in quosdam fundos frugiferos emendos impendit, quos ecclesiæ suæ testamento reliquit, cui etiam legavit mitram pontificalem laminis argenteis distinctam, & pretiosis gemmis atque unionibus ornatam. Extat in æde cathedrali apud altare S. Anastasiæ lapis sepulchralis, cui simulacrum episcopale insculptum est, eique gryps appositus, quod est insigne gentilitium. Caret inscriptione. Hoc ajunt sepulcrum esse Lucæ Archiepiscopi. Obiit anno 1420., vel superiori exeunte.

BLASIUS ARCH. JADREN. XXIII.

Blasius e Polensi Episcopo Archiep. Jadertinus.

Ex Veneta patricia Molinorum familia, vir plenus consilii, & cogitandi agendique solertiæ, quem Alexander V. an. 1420. Episcopum Ecclesiæ Polensi præfecerat, Martinus vero itidem V. transtulit ad metropolim Jadertinam regendam, ut est in tabulis consistorialibus: *IV. Nonas Martii, 1420. translatus est Blasius ad Ecclesiam Jadrensem vacantem per mortem &c.* Anno sequenti Jaderam venit, & a clero populoque, magna frequentia & gratulatione exceptus est. Septem annos laudabiliter præfuit. Sacrarium ædis metropolitanæ, amplum, & egregie ornatum ædificavit; itemque subsellia pulcherrime cælata tum Canonicis, tum Presbyteris secundi ordinis, chorique adjutoribus ære suo construxit. Utriusque operis auctorem declarant insignia gentis Molinæ, quibus rota molendinaria insculpta est, utrobique variis locis affixa. Per ea tempora obiit Ludovicus de Matafaris patricius Jadertinus, qui ut suam erga Nicolaum propatruum, & Petrum patruum Archiepiscopos Jadrenses, itemque Demetrium Episcopum Nonensem, fratrem suum eximiam pietatem, & memoris animi officium testatum relinqueret, supremis tabulis hæc legavit: *Item voluit & ordinavit, quod fundetur unum altare in Ecclesia S. Anastasiæ de Jadra sub sepulcro sive arca Reverendissimi Patris Domini Nicolai de Metafaris Archiep. Jadren., cui quidem altari dimisit, & legavit omnes introitus suæ possessionis positæ sub monte Ferreo . . . . . . 100, vel circa, cum conditione, quod eligatur unus Sacerdos, qui quotidie teneatur in perpetuum celebrare unam Missam super dictum altare pro anima dicti quondam Domini Nicolai, & Domini Dimitri Episcopi Nonensis ejus fratris, & pro anima ipsius testatoris. Item voluit, & ordinavit, quod affictus cujusdam suæ domus cum statione positæ Jadræ in contrata Sanctorum, detur omni anno collegio cathedralis ecclesiæ de Esculo, in qua jacet corpus Reverendissimi Patris Domini Petri Archiepiscopi Jadren., ut teneantur rogare Dominum Deum pro anima ipsius Domini Petri. Et si suis commissariis quandocumque videretur, quod dicta domus cum statione commode bene posset vendi, quod ipsam vendant, & de pretio ipsius ematur una possessio in civitate seu districtu Esculano; cujus fructus cum tota possessione sint, & esse debeant dicti collegii Ecclesiæ Esculanæ, ut orent Deum pro anima ipsius quondam Domini Petri.*

Pia legata Ludovici de Matafaris.

Anno 1427. idem Martinus Papa Blasium Jadertinis ademptum Patriarcham Gradensem creavit, & Eugenius IV. Præfectum *Cancellariæ apostolicæ* constituit. E vita decessit an. 1439.

Blasius ad Patriarchatum Gradensem translatus.

LAURENTIUS II. ARCH. JADREN. XXIV.

Gens Veneria, apud Venetos patricia, ex qua ortus est Laurentius, opibus, honoribus, rerum gestarum gloria in primis floruit, & semel atque iterum civitatis suæ principatum obtinuit. Erat Laurentius Episcopus Methonensis in Peloponneso, cum eum Martinus V. ad metropoliticam Ecclesiæ Jadertinæ dignitatem evexit, ut docent tabulæ consistoriales: 1428. XIV. *Kalendas Februarii transtulit Laurentium Venerium de Venetiis Episcopum Methonensem ad Ecclesiam Jadrensem vacantem per translationem D. Blasii de Mulino ad Patriarchatum Gradensem.* Tertio post susceptum pontificatum anno, provinciam totam jure rituque metropolitico lustravit. Cum Ecclesiam Arbensem visitaret, orta est inter Episcopum, Clerum, & Ordinem monasticum controversia, quid & quantum cuique solvendum esset, si quæ in rem communem impensæ faciendæ forent. Sententiam Laurentii rejicimus ad historiam Ecclesiæ Arbensis.

Laurentius Venerius primum Methonensis Episcopus, deinde Jadrensis Archiep.

Synodum convocavit, in qua præclaras leges constituit tum ecclesiasticæ disciplinæ, tum christianæ pietati perutiles, quas Maphæus Valaressus Archiepiscopus summis laudibus extulit, easque suis decretis insertas ab omnibus servari jussit. Anno 1433., ut docet Valerius a Ponte, Concilio Basileensi interfuit; sed antequam Synodus in apertum schisma degeneraret, Basilea discessit; anno siquidem 1437. erat Jaderæ, ubi litem quamdam de decimis, quæ sibi & Capitulo erat cum monachis utriusque sexus, de utriusque partis consensu composuit.

In Christi nomine Amen. Anno ab Incarnatione ejusdem 1437. Indict. XV. die peuultimo mensis Februarii. Temporibus &c. Cum inter Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Laurentium Venerio D. G. Archiepiscopum Jadren., & venerab. Capitulum Canonicorum suæ cathedralis Ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ Jadren. ex una parte, & Reverendum Fratrem Petrum de Crissavis eadem divina gratia Abbatem S. Grisogoni de Jadra Ordinis S. Benedicti, nomine & vice dicti sui monasterii, & suorum monachorum, tamquam syndicum & procuratorem monasterii Sancti Nicolai monialium Ordinis S. Claræ, monasterii S. Mariæ monialium S. Benedicti, monasterii S. Platonis Ordinis S. Dominici, monasterii S. Demetrii Ordinis S. Dominici monialium, monasterii S. Catherinæ Ordinis S. Benedicti, monasterii & Abbatiæ S. Michaelis in monte Jadren. diœcesis Ordinis S. Benedicti ex alia parte, mota fuit lis, quæstio, & controversia, & differentia, causa & occasione cujusdam privilegii nuperrime emanati a sanctiss. Sede apostolica in favorem præfati Domini Archiepiscopi, & Capituli, super facto quarumdam decimarum, prout in ipso privilegio continetur, dato Bononiæ, anno Incarnat. Domini 1436. 14. Calendas Novembris, Pontificatus sanctiss. Domini nostri Eugenii anno VI.: idcirco sequitur compositio inter utramque

Litem de decimis composuit.

que partem, promittente Archiepiscopo una cum Capitulo, idest Archidiacono, Archipresbytero, & Plebanis se non exacturos quidquam decimarum titulo ex bonis, quæ in præsenti possideant monasterium S. Grisogoni, & alia prædicta: e contra vero obligante se eodem Petro cum ceteris monachis & monialibus ad solvendas decimas singulas de consueto dictæ civitatis Jadræ debitas, & debendas de possessionibus, per ipsum Dominum Abbatem, monachos suos, & monasterium, & monasteria prædicta, fratres, & moniales eorumdem, & quodlibet, & quemlibet, & quamlibet ipsorum, & ipsarum, deinceps acquirendis, jure legationis, acceptionis, donationis, & quocumque alio juris titulo, & per ipsos, & per ipsas, & per ipsa tenendis, & possidendis quomodocumque, vel qualitercumque. Datum Jadræ super sala magna Archiepiscopatus &c. præsentibus &c. Ego Ludovicus de Metafaris judex examinator me subscripsi.

Dum Laurentius huic præsidebat ecclesiæ, tribus religiosorum virorum domiciliis aucta est civitas & diœcesis Jadertina; unum itemque alterum traditum est Fratribus Minoribus de observantia; tertium ipsemet Laurentius Eremitis tertii Ordinis Franciscani assignavit. Primum fundavit Simon Begnius patricius Jadrensis in oppido atque insula Ulliani; de quo Lucas Vadingus Tomo V. Annalium sub an. 1430: *Apud Oclanum, seu Uglianum insulare oppidum ab urbe Jadrensi Dalmatiæ metropoli quinque mil. pas. dissitum, construxit Simon Begna civis Jadrensis Ecclesiam SS. Hieronymo, & Petro Martyri dicatam, pro usu & habitatione Min. reg. Obser., & donationem hoc anno confirmari curavit a Martino Pontifice: Piis supplicum votis 3. Non. Jul. A quodam Begnano Episcopo ibi tumulato conventum ædificatum scribit Grazaga; sed puto deceptum in cognomine Begnano; neque alium fuisse constructorem, quam prædictum Simonem Begnanum; & huic tamquam fundatori honorificam donatam esse sepulturam.*

Tria cœnobia Franciscana condita.

Extat epistola Martini V. ad cœnobiarcham S. Chrysogoni: ut ejusdem loci, & ecclesiæ recipiendæ facultatem iisdem Fratribus largiatur.

Epistola Martini V. ad Abbatem S. Chrysogoni.

Dilecto filio Abbati monasterii S. Chrysogoni Jadren. Piis supplicum votis &c. Cum itaque &c. pro parte dilecti filii Simonis de Begna civis Jadren. petitio continebat, quod ipse &c. collatis &c. unam ecclesiam in honorem, & sub vocabulo Sanctorum Hieronymi, & Petri Martyris, in loco insulæ, Jadren. diœcesis, a civitate Jadren., in qua quædam Ordinis Fratrum Minorum domus est, per quinque milliaria distante, fundavit, atque construxit, seu fundari, & construi fecit, ad Ordinem prædictum singularem gerens devotionis affectum, dictam ecclesiam cum juribus, & pertinentiis suis, pro aliquorum dicti Ordinis Fratrum de Observantia nuncupatorum, qui vicariatui Bosnæ dicti Ordinis secundum illius morem subjecti sunt, usu & habitatione, deputare & applicare desideret &c. pro parte dicti Simonis, nobis humiliter supplicatum fuit &c. Nos igitur &c. discretioni tuæ &c. mandamus, quatenus si vocatis &c. dictam ecclesiam prædictis Fratribus pro eorum usu &c. applices, ipsisque Fratribus illam pro iisdem usu & habitatione recipiendi &c. licentiam largiaris. Non obstantibus tam fel. recordationis Bonifacii Papæ VIII., quam nostris &c. contrariis quibuscumque. Nos enim &c. Fratribus in dicta ecclesia pro tempore moraturis, ut omnibus & singulis privilegiis &c. concessis uti &c. valeant &c. indulgemus. Jure tamen Parochialis &c. salvo. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos III. *Nonas Julii, anno* XIII., idest æræ vulgaris 1430.

Theodorus de Brandino civis Vicetinus æque opulentus ac pius, domum exiguam quidem, sed suis cellulis distinctam ædificavit, & supellectili, ceterisque rebus necessariis instruxit, eidemque ædiculam sacram adjunxit, quam titulo ac religione S. Crucis consecrari voluit. Utriusque recipiendæ facultatem Pater Nicolaus ex Ordine S. Francisci, Præses cœnobii Hieronymiani, quod situm erat in oppido & insula Ulliani, ab Eugenio impetravit. Extat Eugenii ad eum epistola in hæc verba.

Ædiculam S. Crucis recipiendi potestatem Nicolao Prædi cœnobii Hieronymiani Eugenius IV. concedit.

Eugenius servus servorum Dei. Dilecto filio Nicolao de Tragurio Ord. Fratrum Min. salut. & apost. benedict. Sacræ religionis, sub qua mundanis abjectis illecebris devotum ac sedulum exhibes Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis tuis, illis præsertim, quæ in religionis hujusmodi, ac divini cultus augmentum cedere noscuntur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dilectus filius Theodorus de Brandino de Vincentia, laicus in civitate Jadren. moram trahens, quoddam eremitorium extra, ac prope muros Jadræ consistens, quod ipse olim de bonis suis a Deo collatis cum parva ecclesia ac cellulis nonnullis ædificari fecit, in domum conventualem Ord. Fr. Min. cum dictæ ecclesiæ ampliatione, nec non campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, claustris, hortalitiis, & aliis necessariis officinis ad instar aliarum præfati Ord. domorum, sub Sanctæ Crucis vocabulo, alias canonice construere, & erigere, seu construi & erigi facere proponat pariter & intendat; tuque illud pro usu & habitatione perpetuis quorumdam præfati Ord. Fratrum sub illius regulari observantia degentium recipere desideres; Nos qui cultum & religionem hujusmodi nostris potissimum temporibus ubique locorum augeri intensis desideriis affectamus, propositum Theodori, ac desiderium tuum hujusmodi condignis in Domino laudibus commendantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, Guardianus domus S. Hieronymi de Uglano præfati Ord. Jadren. diœc. existis, seu Guardiano, qui erit pro tempore ipsius domus S. Hieronymi, in qua sub observantia prædicta vivitur, domum S. Crucis hujusmodi, postquam sic erecta, seu in tali statu, quod in ea conventualiter habitari possit, fabricata fuerit, pro perpetuis usu & habitatione prædictis, accipiendi, nec non eisdem Fratribus in illa tunc recepta perpetuo habitandi plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium licentiam elargimur, jure tamen &c. &c. & nihilominus si erectionem, ac receptionem hujusmodi fieri contigerit, Guardiano & Fratribus dictæ domus S. Crucis, qui erunt pro tempore, ac eidem domui, quod ipsi omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, prærogativis, indultis, & gratiis aliis domibus vicariatus Bosinæ, juxta morem dicti Ord., eorumque pro tempore Guardianis, & Fratribus per Sedem apostolicam, vel alias generaliter concessis uti valeant pariter & gaudere, auctoritate prædicta concedimus de gratia speciali. Non obstantibus &c. &c. Nulli ergo &c. &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis MCCCCXLII. v. Non. Julii, Pontific. nostri anno XII.

Idem Eugenius per litteras Laurentio Archiepiscopo imperavit, ut quod Bartholomæus homo pius ac dives de monasterio e suis bonis exstruendo, rebusque omnibus necessariis ornando

Tertium cænobium primo traditum monachis S. Paulli primi Eremitæ;

Digitized by Google

do supremis tabulis decreverat, id ab ejus testamenti curatoribus omnino exsequendum, & perficiendum curaret. Hoc autem traditum fuerat Patribus S. Paulli primi Eremitæ.

quod Eugenius literis ad Laurentium datis absolvi rebusque necessariis ornari jussit;

Eugenius Episc. servus servorum Dei ven. Fratri Archiep. Jadren. sal. & apost. bened. Humilibus supplicum votis libenter annuimus; eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Felicis Prioris, & Canonicorum monasterii S. Pauli primi Eremitæ loci in Scopulo Galevaz Ord. S. August. tuæ diœcesis petitio continebat, quod licet olim quondam Bartholomæus Martini de Milano laicus tunc in humanis agens in quodam per eum condito testamento inter alia voluisset, & ordinasset, quod de suis bonis, quæ ipsum relinquere contigerat, per ipsius testamenti executores, sive commissarios, unum monasterium cum oratorio, domo, ecclesia, cimiterio, campana, campanili, refectorio, dormitorio, & aliis necessariis officinis pro usu, & habitatione certorum Religiosorum, qui inibi perpetuo sub regulari observantia Missas & alia divina officia, per ipsius Bartholomæi, nec non suorum progenitorum, & aliorum fidelium animarum salute perpetuo celebrarent, construi & ædificare facere deberent; ac dilectus filius Andreas Reggeri civis Jadren. unus ex dicti testamenti executoribus, in eodem loco dictum monasterium construi & ædificari facere incœpisset, ac illud dicto Felici pro se, & aliis Religiosis tunc recipienti, & acceptanti, tui ad id accedente assensu, ac te auctoritatem & decretum interponente, assignasset; ipseque Felix, & alii Religiosi in eodem monasterio aliquamdiu permansissent; tamen dictus Andreas, & dilecti filii Gregorius de Allegretis, ac Joannes de Milano, nec non dilecta in Christo filia ipsius Andreæ uxor, & alii ejusdem testamenti executores, apud quos sufficientia ipsius Bartholomæi bona, de quibus ipsius monasterii structuræ, & ædificia decenter consumari, & compleri possent, remanserunt, structuras & ædificia prædicta juxta voluntatem, & ordinationes præfatas, compleri facere, ac dicto monasterio de libris, & ornamentis ecclesiasticis, ac aliis eorum requisitis providere non curarunt hactenus, neque curant, in non modicum Prioris & Canonicorum prædictorum præjudicium, & gravamen. Quare Prior & Canonici prædicti nobis humiliter supplicarunt, ut super his opportune de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos itaque, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dictis executoribus, nec non aliis, qui fuerint vocandi, super præmissis omnibus, ac singulis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes; & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, dictos executores ad faciendum structuras, & ædificia hujusmodi decenter perfici, ac consumari, nec non ad providendum dicto monasterio de libris, ornamentis, & aliis necessariis juxta voluntatem, & ordinationem prædictas, per censuram ecclesiasticam & alia opportuna juris remedia, eadem auctoritate compellas, ac alia facias, ordines, disponas, & exequaris omnia ac singula, quæ in præmissis, & circa ea, necessaria fuerint &c. &c. Contradictores &c. &c. Non obstante &c. &c. Dat. Florentiæ an. Incar. Dominicæ 1442., v. Kal. Junii, Pontifi. nostri anno XII.

Sed cum curatores illius testamenti vel morem obiissent, vel commissum sibi procurationem negligerent, in eorum locum una cum duobus patriciis Jadertinis substitutus est Laurentius Archiepiscopus, qui Patribus Paullinis, vel sponte abeuntibus, vel abire jussis, locum eisdem assignatum attribuit Eremitis tertii Ordinis Franciscani, quibus *de Pœnitentia* cognomen est; cum ædicula S. Joannis Baptistæ sita prope civitatem, quam vetustate collabentem fulciri ac firmari jussit: iisdem quoque decreta fuit Ecclesia & domus S. Paulli primi Eremitæ imposita scopulo *Galevaz* proximo insulæ S. Michaelis, quam tum quidem Patres Paullini relinquere volebant, sed postea utramque retinuerunt, ut constat ex tabulis anni 1460. Hæc ex epistola Nicolai V. ad Maphæum Valaressum Archiepiscopum Jadrensem.

deinde attributum Eremitis tertii Ordinis Franciscani.

Cum ædes S. Petri novi in medio foro maximo sita, civibus & civitati incommoda esset, ejus demoliendæ facultatem a Nicolao V. impetrarunt anno 1447. Sacerdotium vero eidem annexum simul cum onere quotidiani sacrificii translatum est in ædem cathedralem, atque ad altare S. Petri affixum. Anno proximo antequam Laurentius e vita decederet, præclara quædam decreta & statuta Capituli Jadrensis approbavit quæ sunt hujusmodi.

Decreta quædam Capituli Jadrensis Laurentius approbat.

In Christi nomine Amen. Anno ab Incar. divina 1448. Indict. undecima, die 25. mens. Aug. tempore sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Nicolai divin. provid. Papæ V. Anno II. sui Pontif. temporeque Reverendiss. in Christo Patris & D. D. Laurentii Venerio miserat. div. Archiep. Jadren. dignissimi. Existentibus convocatis & in simul congregatis & coadunatis venerabilibus Patrib. videlicet Dominis Prælatis & Canonicis Capituli Jadren. ad sonum campanæ ut moris est ac per nuntium juratum vocatis prius & solemniter requisitis in capella S. Barbaræ, quæ est sacristia ecclesiæ metropolitanæ S. Anastasiæ Jad., ubi ipsorum Dominorum Prælatorum & Canonicorum ..... semper solent congregari ad omnia eorum acta conficienda. Ibique dicti Domini Prælati & Canonici habentes insimul tractatum super nonnullis, quæ necessario erant emendanda, corrigenda, atque de novo statuenda; & considerantes quod Sancti Patres in sacrorum Canonum sanctionibus, ideo in Sancta Dei Ecclesia statuerunt & ordinarunt varias & diversas dignitates & Prælaturas, præficientes unumquemque juxta gradum suum, ut videlicet qui in majori dignitate est constitutus, præsit illi, qui in minori dignitate positus est, & sic de singulis, unamquamque dignitatem secundum gradum suum suis decorantes prærogativis, signisque majoris honorificentiæ ornantes, ut per ea quilibet se in suo dignitatis gradu esse noscatur, & inferiores ut debitum sciant superioribus impendere honorem. Cum igitur Prælati scilicet Archidiaconus, Archipresbyter, Trimicerius, & Canonici Jad. ecclesiæ sint in dignitatibus & honoribus constituti, unusquisque in gradu suo ac signis majoris honorificentiæ & præminentiæ atque honoris exaltati, atque decorati, zanfardis videlicet sive almuciis, quas in signum suæ dignitatis deferre solent, & nonnulli dictorum Dominorum Canonicorum ipsam zanfardam, sive almuciam non solum deferre, verum etiam habere non curant: idcirco præfati Domini Prælati & Canonici cum licentia, consensu, & voluntate prælibati Reverendissimi Domini Archiepiscopi consentientis, & ad omnia & singula infrascripta, suam auctoritatem & judiciale decretum interponentis, omnes unanimiter & concorditer fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt, ut de cetero quilibet Prælatus & Canonicus habeat & habere debeat suam zanfardam, seu almuciam, & qui eam in præsenti non habet, quod usque ad festum Resurrectionis

Dominicæ proxime futurum, ipsam effectualiter habere procuret, sub pœna librarum decem parvorum, a contrafaciente exigenda, & irremissibiliter ipsi venerab. Capitulo persolvenda; quam Zanfardam sive almuciam quilibet Prælatus & Canonicus debeat & teneatur deferre, ut est moris, in omnibus processionibus generalibus, & solemnitatibus, ac etiam in omnibus aliis festivitatibus solemnibus & diebus Dominicis, sub pœna solidorum viginti pro qualibet vice a contrafaciente ipsi venerab. Capitulo persolvenda, ut præmissum est. Item præfati Domini Prælati & Canonici volentes & cupientes, ut Clerus Jadrensis honeste vivat, & moderate unusquisque secundum modum suum incedere debeat, utque omnis temeraria præsumptio tollatur ab illis, qui se extollere vellent, & Prælatis ac Canonicis coæquare, saltem in vestibus, si in dignitatibus æquales esse non possunt; ut igitur superiores & qui in dignitatibus constituti sunt ab inferioribus differant & noscantur; statuerunt, ordinaverunt, & decreverunt dicti Domini de Capitulo, ut nullus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, aut cujuscumque alterius ordinis in civitate Jadrensi constitutus, qui non esset Prælatus vel Canonicus, etiam si esset in Canonicum electus & nondum sui Canonicatus præbendam assecutus, amodo in antea nullo modo audeat neque præsumat portare, seu deferre caputeum suffultum syndone, quod si quis tantæ præsumptionis & temeritatis fuerit, & huic constitutioni contrafecerit, eo ipso cadat in pœnam decem librarum parvorum, & quod perdere debeat ipsum caputeum; quæ pœna toties exigi debeat & præfato Capitulo applicari, quoties per quemquam illorum contrafactum fuerit. Ut etiam dignus honor & debita reverentia ipsis Dominis Prælatis & Canonicis ab inferioribus exhibeatur, statuerunt & ordinaverunt ut Presbyteri mansionarii, cæterique clerici civitatis Jadren., debeant facere ipsis Dominis Prælatis & Canonicis dignum honorem, debitamque exhibere reverentiam, tam in ecclesia, quam extra; cum sit honor honorantis; nec quisquam præsumat facere alicui ex dictis Dominis Prælatis & Canonicis aliquam injuriam, vel dicere aliqua verba injuriosa, seu opprobriosa sub pœna quinque librarum parvorum, & quinque dierum carceris in pane & aqua, & si petierint gratiam, ut commutetur sibi dicta pœna carceris, quod solvat pro dicta commutatione pœnæ libras quinque parvorum, quæ tota pœna applicetur Capitulo. Dignum quoque est, & laudabile, ut qui ab ecclesia emolumenta percipit, debitum famulatum ipsi ecclesiæ reddere debeat: & quoniam sunt nonnulli clerici, qui licet ecclesiam frequentant & ad offitium veniunt, non tamen faciunt suum debitum circa divinum offitium; nam dum in medio chori ante magnum lecturinum cantatur, & cantari debent ea quæ ad offitium pertinent, tam in Matutinis quam in Missis, & aliis horis, ad quæ cantanda omnes convenire debent in medio ante prædictum lecturinum; quidam negligentes, neque curantes aliqui sedent, aliqui stant in choro in cathedris suis neque cantantes, neque vocem aliquam proferentes ad modum statuarum in pariete defixarum, neque erubescunt quod Domini Prælati & alii Canonici se ante dictum lecturinum præsentant & cantant, illi autem se movere nolunt. Ut igitur quisque faciat debitum suum, & ad id quod tenetur se exerceat, statuerunt præfati Domini de Capitulo & ordinantes decreverunt, ut deinceps quilibet Presbyter & clericus tam septemanarius quam in quocumque alio titulo, in quacumque ecclesia Jadrensi intitulatus, exceptis dumtaxat Presbyteris & clericis Sanctæ Mariæ Presbyterorum, dum divinum offitium in ecclesia cantatur, tam diurnum, quam nocturnum, & quando cantari debent quæ sunt cantanda, videlicet in Matutinis invitatoria, antiphonæ, & responsoria, cum suis versiculis & alia necessaria; in Missis vero introitus cum suo versu graduali, cum suo versu Alleluja, cum suo versu Tractus, cum suis versiculis sequentiæ, postcommunio, Kyrieleison, Hymnus Angelicus, Credo, Sanctus, Agnusdei, prout quodque offitium tempore suo exegerit, & similiter in vesperis & aliis horis debeant exire de sua cathedra, sive staret, sive sederet, & se præsentare in medio ante lecturinum & ibi cantare cum aliis clericis quæ erunt cantanda: & si quis hoc facere contempserit, pro qualibet vice solvat & solvere debeat solidos viginti parvorum, quæ pœna toties exigi debeat, & ipsi Capitulo applicari, quoties quisque contrafecerit. Sunt etiam quidam qui non verentur in choro ad superiores cathedras ascendere, & aliquando supra Canonicos stare, & sedere, quod est maximum inconveniens, & aliquando etiam clerici inferioris ordinis a Presbyteris, ipsis Presbyteris se anteponunt, alter alteri nullum honorem ferendo, quod est valde absurdum: unde prælibati Domini de Capitulo voluerunt & statuerunt, ut quilibet in choro debeat manere in loco suo gradatim, secundum uniuscujusque dignitatem, & ordinem, nec unquam præsumat se præponere alteri sibi majori tam in dignitate, quam in ordine, sub pœna viginti solidorum pro qualibet vice contrafaciente. Item cum Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Laurentius Venerio miseratione divina Archiepis. Jadren. sit Dominus & caput metropolitanæ Ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ, Prælati vero & Canonici sint membra ejus; consonum rationi esse videtur, ut quod dignitas ipsius Reverendissimi Domini Archiepiscopi non requirit, quod ad omnia se exerceat quæ in ipsa ecclesia sunt facienda & ordinanda, maxime circa cultum divini offitii & ornatum ipsius ecclesiæ; dicti Domini Prælati & Canonici, cum sint membra ejusdem capitis, debeant caput suum juvare; & quoniam dicti Domini Prælati & Canonici, cum aliquid præcipiunt sacristis, qui curam habent ecclesiæ, non exaudiuntur ab eis, imo quod pejus est, exasperantur contra eos, superbeque respondent: ut autem temeraria eorum comprimatur audacia atque præsumptio, eisdemque Dominis Prælatis & Canonicis debita ab ipsis sacristis reverentia & obedientia exhibeatur, supradicti Domini Prælati Capituli Jadrensis statuerunt & ordinaverunt quod sacristæ dictæ Ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ, qui præsentes sunt, & qui pro tempore erunt, debeant & teneantur esse reverentes ipsis Dominis Prælatis & Canonicis eisque esse obedientes in omnibus licitis & honestis, & maxime si quis ex dictis Dominis Prælatis & Canonicis præciperet alicui eorum, ut facerent id quod esset necessarium, vel circa divinum offitium, vel etiam circa munditiam ecclesiæ & ornatum ejus; & hujusmodi statim & in continenti teneantur eis obedire & facere ea quæ sibi præcipiunt; quod si aliquis ipsorum obedire noluerit, nec facere ea quæ sibi præcipiunt, ipso facto cadat & cadere debeat in pœnam viginti solidorum; quæ pœna toties exigi debeat, quoties per aliquem ipsorum contrafactum fuerit,

præ-

Digitized by Google

præfatoque Capitulo applicari. Quibus omnibus & singulis suprascriptis præfatus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Laurentius Archiepiscopus Jadrensis, suam auctoritatem interposuit & judiciale decretum. Et ad majorem fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum suo pontificali sigillo pendenti una etiam cum pendenti sigillo prædicti venerabilis Capituli Jadrensis communiri & autenticari fecit.

Acta & gesta sunt hæc omnia in supradicta capella Sanctæ Barbaræ anno, die, mense, & Pontificatu quibus supra. De quibus omnibus & singulis suprascriptis præfatus Reverendissimus Dominus Archiepiscopus & dicti Domini Prælati & Canonici mandaverunt & commiserunt mihi Notario infrascripto ut unum publicum deberem conficere instrumentum.

Et ego Presbyter Nicolaus quondam Benedicti Primicerius Jadren. publicus auctoritate Imperiali & Jadræ juratus notarius, ac præfati Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini Laurentii Venerio miseratione divina dignissimi Archiepiscopi Jadrensis ejusque archiepiscopalis curiæ ac etiam prælibati venerabilis Capituli Jadrensis cancellarius & scriba ...... prædictis constitutionibus, ordinationibus, decretis, aliisque omnibus & singulis dum sic ut præmittitur fierent & agerentur, præsens interfui eaque de mandato & commissione supradicti Reverendissimi Domini Archiepiscopi ac dictorum Dominorum Capituli Jadrensis scripsi & in hanc publicam formam redegi signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum appensione sigillorum dictorum Dominorum Archiepiscopi & Capituli signavi rogatus ...... & requisitus in fidem & testimonium omnium singulorum præmissorum.

Laurentius Ecclesiam Jadertinam administravit annos amplius viginti, & cum in omnibus virtutibus excelluit, tum singularis in eo fuit benignitas erga miseros & egentes, quibus nulla umquam re, neque consilio, neque opera, neque pecunia defuit. Exstinctus est anno 1449., & ingenti totius civitatis mœrore luctuque illi parentatum fuit. Sepeliri se jussit in basilica cathedrali ante sacellum S. Anastasiæ; cujus fornicem egregiis picturis ornavit, ut Veneriæ domus insignia ibidem expressa declarant. Lapis sepulcro impositus exhibet insculptam Laurentii effigiem habitu pontificali. Huic superne imminent duo cælestes aligeri manu tenentes quoddam velum expansum, cui hoc tetrastichon inscriptum est:

Mors Venerii, sepulcrum, inscriptio.

Sacrarum legum Doctor Laurentius alto
Sanguine Venerio patritius Venetus,
Et Jaderæ Antistes praeerat qui Antistitibus oris
Dalmatiæ tribus, clauditur hoc tumulo.

POLYDORUS ARCH. JADREN. XXV.

Patritius Venetus ex antiqua & perillustri Foscara gente, quem Eugenius IV. an. 1437. Bergomatibus Episcopum dederat. Sed cum severius & asperius imperaret, quam ferret gravitas & lenitas episcopalis, demum in odium offensionemque civium incurrit. Communi invidiæ iræque ut se subduceret, nocte intempesta, & fuga clandestina ex urbe decessit, ac Venetias se contulit. Illum deinde Nicolaus V. Ecclesiæ Jadertinæ Archiepiscopum præfecit an. 1449. XIII. Kal. Decemb. Sed Polydorum mors præripuit, quam ecclesiæ sibi traditæ regimen susciperet. In patria mortuus est ac sepultus.

Polydorus Foscarus e Bergomen. Episcopo Archiepiscopus Jadrensis.

MAPHÆUS ARCH. JADREN. XXVI.

Ortus Venetiis e gente patritia Valaressa, clarorum toga & sago virorum fecunda. Cum generis nobilitate omnigenam eruditionem, & singularem eloquentiam conjunxit. Patruum habuit Fantinum Archiepiscopum Cretensem virum longe doctissimum, fratrem vero Jacobum Episcopum Justinopolitanum, qui multas & illustres tum a Senatu Veneto, tum a Sede apostolica impositas sibi legationes de maximis gravissimisque negotiis obivit. Erat Maphæus Canonicus Ecclesiæ Tarvisinæ, cum ei Nicolaus V. Metropolim Jadertinam decrevit anno 1450. IV. Kalendas Augusti. Egregiis institutis, exemplis, & operibus nomen suum & Pontificatum illustravit. Synodum fecit, qua nihil utilius, nihil præclarius ad cleri disciplinam stabiliendam, ad populi mores reformandos, ad christianam religionem ac pietatem augendam. Cum ad eum delata esset controversia, quæ Joanni Scaphæ Episcopo Arbensi erat cum Archidiacono & Archipresbytero ejusdem ecclesiæ, secundum hos judicavit; verum Episcopus ab ejus sententia ad Patriarcham, & Primatem Venetum appellavit. Anno 1453. sententiam tulit in clericum, qui ex arca S. Simeonis fragmenta quædam argentea furtim surripuit, & eumdem, qua dignus erat, pœna & ignominia affecit.

Maphæi Valaressi Archiep. Synodus.

Nos Mafæus Valaresso miseratione divina Archiep. Jadrensis. Cum his diebus proxime elapsis esset perpetratum quoddam furtum in Ecclesia S. Simeonis de quibusdam argentis fractis ab arca ejusdem gloriosissimi S. Simeonis, & de hoc esset facta nobis querela, & denunciatio præsumptuosa contra & adversus quemdam Bartholomæum clericum Forijuliensem, vid. organistam S. Francisci de Jadra; missisque illico officialibus Curiæ nostræ Archiepiscopalis dictum Bartholomæum clericum capi, & ad nostram præsentiam adduci fecerimus; eoque coram nobis constituto cum proposuissemus ei minas, & tormenta pœnarum ex eo sumenda, nisi de plano prædicti furti perpetrati scelus fateretur; tandem confessus fuit de plano, & absque ullo tormento, quod die Sabbathi proxime præteriti de sero, diabolico spiritu ductus, pergens ad ecclesiam præfatam, clamque ingressus, fecit se serrari, & claudi in dicta ecclesia, non advertente tamen illo, qui præfatam ecclesiam serrabat, seu claudebat. Demum accedens ad prænominatam arcam, effregit quædam argenta, vid. unam figuram unius Angeli, & quasdam laminas argenteas, & unam coronam cum quibusdam oculis positis ad imaginem Beatiss. Bernardini; quibus argentis abstractis furtim recessit, & ea omnia asportavit domum suam prope Sanctum Franciscum, ad descolandum & liquefaciendum, & sic demum vendendum, prout clare nobis constitit, & per confessionem ejus, & per evidentiam ipsius rei, quia missi a nobis nuncii ad perquirendum ipsum argentum in domo præfata prope S. Franciscum, invenerunt & reportaverunt nobis, prout idem Bartholomæus confessione sua indicaverat. Verum quia officii nostri est morbidas oves aut cauterio pœnitentiæ ac disciplinæ castigare, aut a grege omnino separare & abjicere, quia dictum Bartholomæum invenimus transgressorem legum divinarum, non viventem secundum mores & honestatem clericorum ad tantum sacrilegii ac furti sce-

Sententia & pœna in clericum furem sacrilegum.

Digitized by Google

scelus attigisse, ne malefacta ipsius transeant impunita, & ne videamur dissimulando tanta facinora, peccandi licentiam ceteris præbere, sed potius ut pœna illius transeat in exemplum aliorum; Christi nomine repetito, a quo omnis justitia principium & finem habet, per hanc nostram sententiam, dictum Bartholomæum pro perpetratis sceleribus, & pro tanto sacrilegio, in his scriptis condemnamus, & condemnatum declaramus in hunc modum, videlicet quod coronari debeat corona ex papiro dæmonum figuris depicta, & sic, ut præmissum est, coronatum pedes duci per civitatem incipiendo a portis nostri archiepiscopatus, & eundo per rectam viam versus plateam, circumgirare ante logiam, deinde transeundo per contratam aurificum, tandem pervenire ad ecclesiam ejusdem Beatiss. Simeonis; & quod ad dictam ecclesiam a parte anteriori debeat aptari una scala, ad quam idem Bartholomæus debeat ascendere, & ligari ad illam scalam, & stare ibidem ad medietatem dictæ scalæ sic, ut præfertur, coronatus per duas horas, videlicet usque ad horam prandii, deinde reduci ad palatium nostri archiepiscopatus, & ibi frustrari seu flagellari juxta arbitrium nostrum, & quod de suo satisfacere debeat tam damno arcæ prænominatæ S. Simeonis, quam officialibus, si & in quantum de suo inventum fuerit. Post hæc peracta dictum Bartholomæum bannimus & relegamus perpetuo de civitate Jadræ & diœc. ejus, dantes, & præfigentes eidem terminum recedendi ab hac civitate duorum dierum; & si forte infra dictum terminum non recesserit, justo infirmitatis, aut alio legitimo impedimento non obstante, eidem pœnæ supradictæ subjaceat. Verum si tantæ præsumptionis, & temeritatis extiterit, ut dictum bannum, & relegationem spernens, Jadram forte infortunio suo venerit, eamdem pœnam cum carceris annua intrusione incurrat. Et dicta pœna toties iterari debeat, quoties ipse Bartholomæus contrafacere præsumpserit. Reservantes nobis libertatem prædictas pœnas cumulandi, ac minuendi ad arbitrium nostrum, juxta merita delictorum ejusdem. Et hanc nostram dicimus esse sententiam.

Cœnobii suburbani S. Crucis demoliendi potestas Jadrensibus facta per Nicolaum V.

Extant duæ epistolæ Nicolai V. Pontificis ad Maphæum. Prima data fuit apud S. Petrum an. 1453. in hanc sententiam. Cum Turcæ post Bosinam captam, imminerent toti Dalmatiæ, Jadertini a Pontifice postularunt, ut potestas sibi fieret demoliendi cœnobii suburbani S. Crucis, haud ita pridem ædificati, ne hostes, si forte obsidionem Jaderæ molirentur, eum locum caperent ac munirent; eoque ad civitatem oppugnandam uterentur; itemque Fratres Franciscanos rigidioris disciplinæ ex eo cœnobio in urbem transferendi ad cœnobium S. Francisci, hinc expulsis Fratribus ejusdem Ordinis, quos Conventuales vocant; his enim illos civitati utiliores fore existimabant. Annuit Pontifex, & litteras dedit ad Maphæum in hæc verba:

in suis ad Maphæum litteris.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei ven. Fratri Archiep. Jadren. sal. & apostol. benedict. Inter desiderabilia cordis nostri desideria &c. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis & civium civitatis Jadrensis petitio continebat, ipsi Communitas & cives considerantes &c. vitam Fratrum domus S. Francisci Jadrensis Ordinis Fratrum Min. &c. & nisi Fratres ab eadem domo amoveantur exinde, quamplurima scandala verisimiliter subsequentur; quodque etiam dicti Communitas & cives ob timorem, impugnationem, & insultationem, quæ illis per ipsorum hostes, & præsertim perfidos Turcas Christiani nominis inimicos, ex domo S. Crucis extra muros Jadren. Fratrum dicti Ordinis regularis observantiæ verosimiliter fieri possent; domum S. Crucis hujusmodi demoliri facere intendant; attendentes insuper quamplures animarum fructus, quos ipsi cives ex prædicationibus & religiosa vita dictorum Fratrum de observantia consequuntur, & consequi possint, Conventuales a prædicta domo S. Francisci amoveri, & ad ipsam Fratres de observantia hujusmodi transferri summopere desiderent, Pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum, sub quorum temporali dominio prædicta civitas existit, ad dictum Communitatis & civium desiderium, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum scandalis, & aliis præmissis, ac pro ipsorum civium animarum salute, nec non divini cultus, & religionis augmento in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dissentionibus, & scandalis quibuscumque quantum cum Deo possumus obviamus, & cultum divinum nec non religionis augmentum hujusmodi nostris presertim temporibus vigere, & augeri intentis desideriis affectamus, de præmissis omnibus & singulis, tam per litteras dictorum nobilium virorum dominii Venetorum quam alias plenissime informati, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium prædictam domum S. Francisci ad regularem observantiam dicti Ordinis, sub qua Fratres ejusdem domus S. Crucis degunt, reducimus & reformamus, & pro reductione & reformatione hujusmodi statuimus, decernimus, & in virtute sanctæ obedientiæ eis districte præcipiendo mandamus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus regularis in prædicta domo S. Francisci servetur observantia, ac sub illa Fratres in eo, nunc, & imposterum degentes vivant, ipsaque domus S. Francisci, ac illius Fratres, & personæ Vicariis, & aliis Superioribus Ordinis, & observantiæ prædictorum, sub quibus prædicta domus S. Crucis, & ejus personæ subjectæ existunt, in perpetuum, in omnibus & per omnia subsistant, ac juxta ritus, mores, statuta, & privilegia Fratribus Ordinis & observantiæ prædictorum per Sedem apostolicam concessa regatur, & gubernetur. Et nihilominus, ut reductio, & reformatio hujusmodi suum celerius sortiantur effectum, dilectos filios Guardianum, & Fratres domus S. Crucis ad prædictam domum Sancti Francisci, ut inibi commorentur, & Altissimo deserviant, transferimus. Quodque nunc existens Guardianus S. Crucis ejusdem S. Francisci domorum Guardianus sit, & censeatur, decernimus, modernum Guardianum domus S. Francisci a guardianatu, & illos ex eisdem domus S. Francisci Conventualibus Fratribus, qui sub dicta observantia vivere noluerint, a prædicta domo S. Francisci realiter & omnino amoventes. Præterea volumus & eadem auctoritate statuimus & decernimus quod omnia, possessiones & bona immobilia prædictæ domus S. Francisci quandocumque, quæcumque, & quotcumque, & qualiacumque, & quanticumque valoris sint, per dictos Communitatem, & cives, seu deputatos ab eis perpetuo regantur & gubernentur, seu si id eis magis expedire videbitur, per ipsos Communitatem, & cives, seu deputatos ab eis publica subhastatione prima simul, vel successive vendan-

Digitized by Google

tur, illorumque pretium seu pretia, in emptionem imprestitorum de Venetiis, quorum seu possessionum, & bonorum prædictorum fructus & emolumenta annis singulis in reparationem, & conservationem fabricæ ejusdem domus S. Francisci, quæ sicut accepimus, in ruinam labitur, & magna reparatione noscitur indigere, exponantur penitus, & omnino convertantur. Ipsis insuper Communitati & civibus prædictam domum S. Crucis extra muros prædictos consistentem, illius tamen ecclesia alias illæsa permanente, demoliendi licentiam: ac prædictæ domui S. Francisci & Fratribus de observantia in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & singulis privilegiis & exemptionibus, aliis domibus & Fratribus Ordinis & observantiæ prædictorum, ipsique demoliendæ domui, per Sedem apostolicam concessis & in posterum concedendis, perpetuo uti & gaudere libere & licite possit & valeat, concedimus &c. &c. Datum Romæ 1453. 13. Kalendas Aprilis.

Altera Nicolai ad Maphæum epistola: jubetur confirmare possessionem locorum traditam P. P. Franciscanis tertii Ordinis.

Alteram idem Pontifex anno sequenti epistolam ad Maphæum scripsit: ut possessionem domus & ecclesiæ S. Joannis Baptistæ prope urbem, itemque S. Paulli in Scopulo *Galevaz*, a Laurentio Venerio Archiepiscopo traditam Eremitis tertii Ordinis Franciscani, ratam esse jubeat, & apostolica auctoritate confirmet.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei ven. Fr. Archiep. Jadren. sal. & apost. benedict. Ut ea, quæ pro divini cultus, & religionis augmento, nec non animarum Christi fidelium salute, pie & provide facta sunt, firma, perpetua, & illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, favorem apostolicum impertimur. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Martini, & Viti pauperum Eremitarum Ord. B. Francisci de Pœnitentia nuncupati petitio continebat, quod dudum bonæ mem. Laurentius Archiep. Jadren. prædecessor tuus, ac dilectiss. filii Martinus de Crisava, & Antonius de Grisogonis nobiles cives Jadren., testamenti quondam Bartuli de Milano fideicommissarii, substituti loco verorum fideicommissariorum præfati Bartuli deficientium ac deputati, cupientes cultus & ordinis de pœnitentia hujusmodi augmentum, Archiepiscopi videlicet accedente consensu, & voluntate dilectorum filiorum Capituli, sive Ecclesiæ Jadren., ac intuitu dilecti filii Greg. Merganich civis Jadren. pro dicto Ordine postulantis, Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, prope & extra muros Jadren., tunc certo modo vacantem, & quæ minabatur ruinam, nec non cives & commissarii præfati de expressa voluntate præfati Archiepisc. Ecclesiam S. Pauli primi Eremitæ, sitam super Scopulo Galevaz prope insulam S. Michaelis tuæ diœcesis, cum omnibus, & singulis fructibus, & juribus, & pertinentiis universis, ad præfatas S. Joannis & S. Pauli Ecclesias spectantibus, Martino, & Vito prædictis ibidem præsentibus, & suis propriis, ac Ordinis hujusmodi nominibus acceptantibus dederunt, tradiderunt, concesserunt, ac in perpetuum consignarunt; præfatosque Martinum & Vitum, quibus supra nominibus, de prædictis ecclesiis, quibus nulla imminet animarum cura, ad illas habendum, tenendum possidendum, & usufructuandum investiverunt; ita tamen quod prædicti Eremitæ teneantur &c. &c. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Martinus & Vitus præfatus cupiant dationem, traditionem, concessionem & investituram hujusmodi pro illarum subsistentia firmiori per Sedem apostolicam confirmari, pro parte ipsorum Martini & Viti nobis fuit humiliter supplicatum, ut dationi, traditioni, concessioni, & investituræ hujusmodi & inde secutis quibuscumque, robur apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportune provideri, certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si, & postquam tibi de datione, traditione, concessione, investitura præmissis legitime constiterit, illos & quæcumque inde secuta auctoritate nostra approbes, & confirmes, suppleasque omnes defectus si qui forte intervenerint in iisdem. Dat. ap. S. Petrum, anno Incar. Dominicæ 1454. IV. Id. Januar. Pontific. nostri anno VII.

Domus & Ecclesia S. Paulli restituta Patribus Paullinis.

Huic epistolæ hanc notam subjectam invenio: *Sequitur executio juxta mandata apostolica Maphæi Valaressi, sub data Jadræ ultimo Februarii* 1454. Verum domus & ecclesia S. Paulli primi Eremitæ haud multis post annis restitutæ fuerint oportet Fratribus Paullinis, ut constat ex Tabulis Jadrensibus anno 1460. confectis, ex quibus apparet, ejusdem domus & ecclesiæ possessores tunc fuisse eosdem Patres Paullinos: *Quidam Lombardinus de Soppe prædium, seu possessionem integram in insula Rave Jadren. diœcesis reliquerat testamento, atque* 100. *ducatos auri pro reparatione Ecclesiæ S. Gregorii sitæ in ponte vallis S. Euphemiæ prope Jadram & insulam S. Michaelis, ac reparatione domus prope dictam ecclesiam pro habitatione quatuor Eremitarum, cum certis Missarum celebrandarum oneribus; decurrente tempore observatum est proventus eos esse adeo tenues, & exiles, ut dictorum quatuor Eremitarum sustentationi minime sufficerent. At vero Patres S. Pauli de Scopulo Galevaz, ejusdem diœcesis & Ordinis exposuerunt, quod si sibi prædicti proventus applicarentur, prædicto Missarum oneri satisfacerent. Super his Pius Papa rogatus, Deodatum Abbatem S. Grisogoni ad eadem cognoscenda, & deliberanda delegavit, Dat. Senis anno* 1460. *v. Id. Augusti. Executionem autem adimplevit Deodatus, & unionem fecit optatam. Dat. Jadræ eodem anno die* XX. *men. Decembris.* Pro statione illa Paulliniana, Maphæus alium domicilii ac templi condendi locum iisdem Eremitis tertii Ordinis Franciscani concessit in angulo fere extremo ad orientem illius insulæ, quam ab oppido primario *Salam*, vulgo *Lougam* appellant: loco nomen est *Zaglave*. Hic igitur anno 1470. & domum sibi, & templum S. Michaelis ædificarunt, coemeruntque aliquot terras frugiferas, unde sibi quæ ad vitam sustentandam erant necessaria suppeterent; sumptus & pecuniam contribuente nobili quodam & locuplete viro Bosnensi, qui post Bosinam sub potestatem Turcarum redactam, patria profugus Jaderam se receperat. Fratres Franciscani ex Ordine tertio his temporibus primum in Dalmatiam recepti, alia atque alia deinceps variis in locis domicilia obtinuerunt, & fere ubique Slavonico sermone ad psalmodiam, remque divinam peragendam utuntur. Inter hos Sixtus IV., ut eos communi religiosæ societatis atque obedientiæ vinculo inter se colligaret, unum eligi jussit, qui ministri provincialis nomine & auctoritate præditus, universæ provinciæ Dalmaticæ illius tertii Ordinis præsideret.

Domicilium Franciscanis tertii Ordinis traditum in Sala insula.

Tertius Ordo S. Francisci auctus in Dalmatia, eique Minister Provincialis præpositus a Sixto IV.

Dilectis filiis Ministro & Fratribus tertii Ordinis S. Francisci in provincia Dalmatiæ consistentibus Sixtus PP. IV. Dilecti filii, salutem & apost.

Digitized by Google

apost. benedict. Soliciti de vestra unione & pace, curam & operam, more pii Patris, libenter impendimus; ut sublato discordiarum fomite, sub amœnitate pacis, & spirituali quiete, virtutum Domino famulemini. Animadvertentes igitur multum ad hujusmodi unionem pacemque pertinere, ut omnes unum caput habeatis, & sub unius ministri obedientia continuetis; volumus, & per præsentes litteras in virtute sanctæ obedientiæ, auctoritate apostolica vobis mandamus, ut unus minister capitulariter per vos eligi debeat, & is, in quem major pars Fratrum in Capitulo congregatorum consenserit, minister esse, & omnibus præesse debeat; ac ipse minister sic electus solus, & non alius quisque, visitationis officium in vos exercere debeat ac possit; cuique, ac nemini alteri, visitatori parere, & subesse teneamini. Mandamus universis & singulis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut vos in præmissis nullo modo molestent, aut patiantur ab aliis molestari; contrariis non obstantibus quibuscumque &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscator. die 18. Aprilis MCCCCLXXIII. Pontif. nostri an. 2.

Provincia Dalmatica Franciscana tertii Ordinis eo crevit, ut aliis atque aliis domiciliis accedentibus, decem ipsa cœnobia complecteretur; quæ omnia itemque provinciam Justinopolitanam Clemens VIII. cum provincia Italica ejusdem Ordinis conjunxit, suos tamen utrique ministros provinciales reliquit, qui *Vicario & Visitatoribus generalibus provinciæ Italiæ* subessent.

Sixtus IV. vetat numerum Canonicorum Arbensium augeri litteris ad Maphæum datis.

Extat quoque epistola Sixti IV. ad Maphaum Archiepiscopum data apud S. Petrum anno 1478. ne definitum numerum Canonicorum Ecclesiæ Arbensis augeri sinat; neve illis, quibus per electionem anticipatam a Sede apostolica jus datum est succedendi in locum eorum, qui decesserint, ad subsellia & conventus Canonicorum aditus pateat, aut liceat quotidianas distributiones percipere. Hanc epistolam historiæ Arbensis Ecclesiæ reservamus. Altera ejusdem Pontificis epistola ad eumdem Archiepiscopum post biennium data extat in hæc verba.

Altera ejusdem epistola circa consuetudines Ecclesiæ Jadrenûs.

Sixtus Papa IV. Venerabilis Frater salutem & apostol. benedict. Cum, sicut accepimus, juxta statuta & consuetudines Ecclesiæ tuæ Jadren. procurator seu syndicus dilectorum filiorum dictæ ecclesiæ, quorum capitularis mensa a mensa archiepiscopali separata existit, medietatem omnium locationum, pensionum, & decimarum ad dictam ecclesiam spectantium exigere & levare, illamque inter singulares Capituli & alias ecclesiæ hujusmodi ecclesiasticas personas, propria auctoritate dividere & consignare consueverit; Nos cupientes, ut præmissa & alia ecclesiæ statuta & consuetudines pro ipsius ecclesiæ conservatione & bono statu inviolabiliter observentur, simulque præfatorum Capituli in hac parte supplicationibus inclinati: tenore præsentium præmissa ac omnia quæcumque alia dictæ ecclesiæ statuta & consuetudines, quorum tenores & formas hic pro sufficienter expressis haberi volumus; quatenus non sint dissona juri communi, apostolica auctoritate confirmamus & approbamus ac robur obtinere decernimus. Et nihilominus, tam tibi, quam quibuscumque aliis cujusvis dignitatis, status, gradus, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus nihil contra statuta & consuetudines hujusmodi innovare, nec super illis Capitulares prædictos quoquo pacto molestare, neve vos de eis, quominus divisio & consignatio hujusmodi, sicut alias solitum extitit, fieri possit, intromittere præsumatis. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 21. Januarii MCCCCLXXX., Pontific. nostri anno nono.

Lites Maphæi.

Litem Maphæus sane molestam ac dispendiosam habuit cum cœnobiarcha S. Chrysogoni, qui se omni omnino jurisdictione ac potestate episcopali exemptum esse contendebat; cum diu multumque agitata fuisset in Curia Romana, demum Abbas ille omne, si quod habebat, jus ac privilegium ultro dimisit. Altera illi de jurisdictione controversia fuit cum Jacobo Bragadeno Episcopo Nonæ, qui ob gravitatem cœli Nonensis Jaderæ suam stationem affixerat, in eaque urbe clericis populisque sibi commissis omnia Episcopi officia præstabat: id quod Maphæus in aliena civitate ac diœcesi per leges ecclesiasticas ei non licere ajebat. Sed eum ab hujusmodi contentione ac lite removit privilegium Innocentii VIII., qui Jacobo tum Jaderæ commorandi, tum juris & muneris episcopalis erga clerum & populum sibi subjectum exercendi potestatem concesserat, petita quidem, licet tamen non impetrata ab Archiepiscopo licentia.

Cultus B. Simeonis auctus.

Corpus S. Simeonis, ut dictum est, in æde S. Mariæ Majoris asservabatur, in eo sacello, quod Jadertini opere cultuque magnifico exstruxerant, arca argentea inclusum, quam Elisabetha regina Hungariæ conjux Ludovici regis suo ære sumptuque fieri jusserat. Creverat cum populorum, miraculorumque frequentia, & augebatur quotidie sacrosancti illius depositi cultus & religio; atque ab indigenis pariter advenisque summa veneratione afficiebatur; creverat quoque opulentia tum ex donis votivis, legatisque piorum hominum, tum ex fundis ac prædiis testamento relictis, unde annui sumptus ad ornatum sacelli, ad cereorum & luminum copiam, ad sacram & pretiosam supellectilem augendam suppeditabant. Terni singulis quinquenniis e cœtu nobilium procuratores eligebantur, qui una cum Parocho, sive Præfecto templi Mariani, & primoribus collegii Presbyterorum, tum arcæ, tum sacri thesauri custodiæ præessent, proventusque annuos, & votivam pecuniam administrarent. De hujusmodi administratione multæ inter eos, & variæ controversiæ exortæ sunt, quas hic referre non vacat. Huc pertinet quæ de clavibus arcæ Maphæo Archiepiscopo controversia fuit cum Petro Basadonna urbis Comite ac Prætore. Arca obserata erat clavibus omnino quatuor, quarum unam Archiepiscopus, alteram Comes sive Prætor, tertiam Parochus, quartam procuratores arcæ custodiebant. Cum Maphæus Pontificatum suscepit, claves illas, contra quam consuetudo ferebat, omnes penes Parochum invenit, hujus custodiæ sive incuria illorum, ad quos pertinebant, sive incogitantia quadam relictas: omnes sibi tradi jussit, easque apud se retinere decrevit. Petro Basadonnæ Prætori unam sibi, itemque alteram procuratoribus arcæ poscenti semel atque iterum denegavit. Is auctor fuit, ut duo Venetias oratores mitterentur, qui apud Ducem & Senatum de Archiepiscopo graviter questi, jus antiquum æque Prætoris, ac civitatis defenderent, atque obtinerent. Vetus consuetudo servari ac retineri jussa

Claves arcæ, quas Archiep. apud se retinere volebat,

jussus est a Senatu tradere iis, ad quos ex veteri consuetudine pertinebant.

Digitized by Google

sa est, ut constat ex litteris regiis Francisci Foscari Ducis Venetiarum ad Prætorem, & Præfectum urbis, quarum duas particulas excerpsimus hic describendas.

Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. &c. Nobilibus & sapientibus viris Petro Basadonna de nostro mandato Comiti, & Benedicto de Mula Capitaneo Jadræ, fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Venerunt ad præsentiam nostram sapientes viri Antonius de Grisogonis nob. civis Jadren. orator nobilium, & Ms. Simeon Barberio orator populorum Jadræ, & sub vestris credentialibus litteris graviter conquesti sunt, quod Rev. D. Archiep. Jadræ auctoritate propria acceperit, & in se tenet claves arcæ S. Simeonis, quas soliti erant tenere Comes noster, Plebanus dictæ Ecclesiæ, & Procuratores &c. &c. Præterea volumus, & vobis mandamus, quatenus suæ Rev. Paternitati dicere, & nostri parte declarare debeatis, quod intentionis nostræ est, & volumus, quod quatuor claves arcæ S. Simeonis, cujus corpus illi fidelissimæ Communitati donavimus, teneantur omnino per illos, qui ipsas soliti sunt tenere &c. &c. Datum in nostro Ducali Palatio, die 9. mensis Augusti, Ind. III. 1454.

Prætor cum ne unam quidem clavim apud Archiep. retineri vellet, Archiepiscopus regiis mandatis paruit. Sed cum in litteris ducalibus nominentur quidem *Comes*, *Plebanus*, & *Procuratores*, quibus claves arcæ tradi jubentur, sua cuique, non vero Archiepiscopus; hinc Prætor occasionem sumpsit spoliandi Archiepiscopi potestate ac jure cujusque clavis apud se custodiendæ. Injuriam sibi factam Archiepiscopus ad Ducem & Senatum detulit, impetravitque, ut sibi quod contra jus fasque ademptum fuerat, restitueretur; idque epistola ejusdem Ducis ad Andream Marcellum Prætorem urbis declarat.

unam dare Archiep. jubetur. *Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobil. & sapientibus viris Andreæ Marcello Comiti Jadræ de suo mandato, & successoribus fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Recepimus litteras vestras datas ultimo mensis Augusti prox. præteriti, nostris responsivas, quibus petieramus certiorari per quos a tribus annis ultra solebant teneri claves arcæ S. Simeonis; quibus intellectis deliberavimus, ac volumus, & mandamus, ut quemadmodum scripsistis antas consuevisse, de dicta arca sint tantum quatuor claves, una quarum teneatur per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, una per vos Comitem, & successores vestros, tertia per Plebanum illius parochiæ, & quarta per egregium virum Gregorium Detrico, cujus pater, quoad vixit, Procurator illius ecclesiæ fuit, & post ipsius obitum, supradictus Gregorius dictum jus procuratorium tenet. Quare &c. Datum in nostro Ducali Palatio, die 8. Septembr. Indict. VI. 1457.*

Joannes Detricus ejusque hæredes perpetui Procuratores arcæ S. Simeonis ab Senatu decreti, Joannes Detricus Gregorio parenti demortuo in custodiam ac tutelam arcæ S. Simeonis suffectus, Ducem & Senatum rogavit, ut vellet ac juberet munus illud procuratoris, jusque clavis retinendæ non solum sibi perpetuum esse, quemadmodum Simoni avo, & Gregorio patri fuerat, sed etiam familiæ Detricæ sic affixum, ut quasi quædam hæreditas honoraria, in filios ac nepotes transiret. Quod postulabat, ob insignia in Venetam Rempublicam merita & sua, & majorum suorum, facile impetravit an. 1475. Sed cum id tum cœtus nobilium, tum civitas universa ægerrime ferret; maluit eo privilegio carere, quam suis civibus invidiæ & offensioni esse; præsertim cum horum querimoniæ Venetias essent delatæ. Itaque illud abrogari passus est. Extat decretum abrogationis in hæc verba.

quod ab eodem Senatu abrogatur. *Andreas Vendraminus Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobb. & sapp. viris Danieli Barbadico de suo mandato Comiti, & Hieronymo Ferro de suo mandato Capitanio Jadræ, & successoribus fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Cum indoluisset ad præsentiam nostri Dominii ista fidelissima vestra Communitas per oratores suos de interrupta prærogativa sua, & terminatione nostra, deputandi a se duos Procuratores arcæ S. Simeonis istius, pro forma & continentia dictæ terminationis, & hoc per impetrationem spectabilis inclyti D. Joannis Detrico fidelissimi nostri, ut ipse esset tertius Procurator ipsius arcæ prætextu scilicet permissionis ipsius Communitatis, ut avus & pater suus in vita sua procurationem dictæ arcæ exercerunt, voluimus habere ad nos ipsum D. Joannem Detrico; qui intellectis rationibus, & etiam cum non ignoraret Dominium nostrum non esse defuturum juribus ipsius Communitatis, licet merita & fides familiæ Detricæ nota & perspecta nobis foret; tandem contentus fuit, tamquam bonus civis, & obsequens suæ Communitatis, cedere & renunciare omni juri, quod haberet in dicta procuratione. Quare tenore præsentium abrogantes, & revocantes litteras & concessionem factam per nostrum Dominium eidem D. Joanni, post terminationem prædictam nostram factam die 25. Januarii 1474.; confirmamus & approbamus auctoritate Consilii nostri Rogatorum dictam terminationem nostram factam dictæ Communitati, cum silentio perpetuo ipsius D. Joannis Detrico. Has autem nostras in Cancellaria vestra ad futuram memoriam registrari facite &c. Dat. in nostro Ducali Palatio, die prima Maji, Ind. II. 1478.*

Cur in litteris ducalibus corpus S. Simeonis a Venetis donatum fuisse Jadertinis dicatur. Nullam præterea de arca S. Simeonis, ejusque clavibus controversiam sub Pontificatu Maphæi extitisse comperio. Quod autem in litteris prioribus Francisci Foscari Ducis scriptum est, corpus S. Simeonis Jadrensibus a Venetis donatum fuisse, id aliqua explicatione indiget; ac multa quidem extant superiorum temporum monumenta, in quibus Jadertini hujus pretiosissimi thesauri possessionem Venetis acceptam ferunt. Venetus ille mercator, e Palæstina rediens, cum vi tempestatis impulsus Jaderam appulisset, corpus S. Simeonis arca lignea inclusum apud monachos cœnobii suburbani ad tempus deposuit; ceterum sacratissimas illas exuvias in patriam deferre decreverat; id quod morte præreptus efficere non potuit. His vero temporibus Jadrenses Venetorum imperio suberant. Illud ergo sacrosanctum corpus, cum civitati Venetæ ab ejus legitimo possessore jam desponsum ac destinatum fuisset, sibi suæque patriæ vindicandi jus Venetis erat, & potestas. Sed cum Jadertini Ducem ac Senatum, per suos oratores, cum multis lacrymis orarent, atque obsecrarent, ne tali ac tanto bono & præsidio se suamque civitatem privari paterentur, eorum preces auditæ sunt; & cæleste illud donum divinitus illis allatum ut perpetuo possiderent, Senatusconsulto decretum fuit. Præterea cum Veneti Jaderam jure belli toties acquisitam, ac recuperatam, ab Ladislavo rege Neapolitano ingentis pecuniæ summa redemissent; Jadertinis confirmarunt possessionem sacri illius depositi, quod cum urbe in eorum potesta-

Digitized by Google

testatem transferat; & suo jure si uti voluissent, Jadrensibus ademptum Venetias deferre potuerant. Ita fit, ut corpus S. Simeonis vere, ac merito dici possit donum esse Venetorum Jadertinis collatum.

Maphæi in ædem cathedralem merita.

Nunc ad Maphæum revertamur. Dum huic metropoli præsidebat, Coloniæ Sedis apostolicæ nomine jussuque legationem obivit: qua perfunctus Jaderam retulit sacras reliquias e corporibus Sociarum Beatæ Ursulæ decerptas, easque in sacrario ædis Anastasianæ deposuit. Perennem beneficentiæ ac pietatis suæ memoriam non modo civium animis impressam, sed etiam oculis subjectam reliquit. Palatium archiepiscopale collabascens suffulsit, amplificavit, & præclaris operibus decoravit, ut declarat inscriptio superliminari januæ maximæ insculpta:

Maffeus Valaressus S. Jadertinę Ecclesię Pontifex
Has ædes restaurare, & ornare curavit.

Ædem metropolitanam pretiosis aulæis, sacrarium copiosa supellectili, linea, serica, & argentea locupletavit; itemque organum pneumaticum miro artificio elaboratum de suo fieri jussit. Turrim ingentis molis ad sustinenda ærea tintinnabula ædificare cœperat, jamque ad multum altitudinis provexerat, cum morte sublatus ad fastigium perducere non potuit. Huic operi perficiendo, pecuniæ & materiæ quod paraverat, conferri voluit ad construendas ædes peramœnas in villa atque insula S. Cassiani, quibus successores sui ad rusticandum uterentur. Lituum episcopalem, & calicem cum patella magni ponderis ac pretii, utrumque mira arte factum, & cælatis operibus ornatum basilicæ Anastasianæ legavit: uterque in sanctuario, ubi sacra lipsana conduntur, etiamnum asservatur.

Mors & sepulcrum.

Jaderæ diem obiit supremum anno 1496.; tumulatus fuit in æde cathedrali prope aram Deiparæ Virginis in cælum assumptæ, quam ipsemet e selectis marmoribus suoque ære extruxerat. Sepulchro lapis superimpositus, in quo cælata est crux archiepiscopalis. Superne affixum est parieti honorarium e marmore Cenotaphium, cui supercubat simulacrum episcopale itidem marmoreum; infra titulus inscriptus est:

Maffeo Valaresso Antistiti amantissimo
Lucas & Joannes ex defuncti testamento.

Multa quidem ingenii, eruditionis, & eloquentiæ suæ monumenta posteritati reliquit, sed quæ publica luce caruerunt; ajunt Romæ in Bibliotheca celeberrima Francisci Cardinalis Barbarini extare volumen ejus orationum, & epistolarum; ex his unam, qua gratulatus est Maphæo Contareno dignitatem patriarchalem eidem collatam, hic describendam censui.

Epistola gratulatoria ad Maphæum Contarenum Patriarcham Venetum.

Reverendissimo Patri Maphæo Contareno Patriarchæ Veneto electo Maphæus Archiep. Jadren. Superioribus diebus ut relatum mihi est, cum post obitum & animam cælo redditam beatissimi viri Laurentii Justiniani patritii Veneti, de novo Pastore eligendo Senatus & ordo Patrum conscriptorum ad consultandum convenirct, multique in medium essent adducti, & quidem probatissimi viri, eligendi; consideratis tamen, ac diligentissime discussis vestris magnificis virtutibus, rerumque omnium summa prudentia, & vitæ maxima integritate, ac sanctimonia, in solam Reverendissimam Paternitatem vestram vox omnium, & consensus totius Senatus conversus, unanimiter hæsit; sic in Pastorem & gubernatorem animarum tam excellentissimæ civitatis, ita laudabiliter, & gloriose eadem Reverenda Paternitas vestra electa illico, & jam per Maximum Pontificem rite, & feliciter confirmata est. Quis hic dubitat Christi voluntatem operatam, ut lucerna jamdiu accensa non sit deinceps in occulto, sed palam & super candelabrum, ut qui ingrediuntur domum Dei, & egrediuntur, lumen virtutum vestrarum videant, & exemplar vitæ perfectioris accipiant. Sed quamvis eidem Reverendæ Paternitati vestræ istud onus laboriosissimum, & periculosissimum admodum, si perfunctorie agatur, visum fuerit; tamen P. V. Dei voluntatem in se recognoscens, cervicem suam jugo Domini humiliter inclinavit ac subivit; quod & ego pro parvitate ingenii mei, ac judicii inopia laudo, atque magnopere approbo; id asseverans, quod dicunt sapientes, majoris perfectionis esse pro omnibus gentibus, si fieri possit, salvandis, maximos labores, molestiasque suscipere, quam in solitudine Deum orare, quia juxta Platonis sententiam: Non nobis solum nati sumus, sed partim patriæ, partim amicis, & proximis, quibus nolle prodesse immanissimum est. Virtutis enim locus omnis in actione consistit. Hæc licet Reverenda Paternitas vestra melius intelligat, tamen dicta velim ad meam consolationem; quæ quidem consolatio ex hac dignitate vestra vobis cælitus, ac humanitus collata, mihi exorta, & mirum in modum aucta, probavit caussam has litteras scribendi, quibus gaudium, & lætitiam meam vobis filiorum more significarem, tam virtuti, & honori vestro congratulans quam patriæ meæ, quæ talem ac tantum auspicem sortita est; qualis ætate nostra haberi possit nemo. Valeat Reverendissima Paternitas vestra, cujus orationibus meam imbecillitatem commendo. Ex Jadera, die 5. April. 1456.

JOANNES V. ARCH. JADREN. XXVII.

Ex familia Veneta Robobella, quæ erat inter cives secundi ordinis clara in primis & copiosa. Ab Alexandro VI. Rector Viterbio præpositus, & curator generalis provinciæ Patrimonii S. Petri, utrumque munus difficillimis temporibus sapientissime gessit. Idem Alexander anno 1496. Joanni contulit Archiepiscopatum Jadrensem, quem annos septem summa cum laude tenuit. Ejus nomen inscriptum reperio sub simulacro argenteo S. Martini, quod vetustate deformatum, semesum, infulcatum pii quidam viri reformandum, restaurandum, expoliendum curarunt. Extat in sanctuario sacrarum reliquiarum, hac apposita inscriptione: *Paulus, Martinus, & Mladinus Croatiæ Præsides S. C. P. hoc fieri jusserunt; Joannes vero Briturcius Canonicus, & Grisogonus Marsius procuratores fabricæ vetustate deformatum Joannis Robobelli Archiepiscopi consensu restituerunt an. 1496.* Plurimum pecuniæ insumpsit in ornatum cultumque Basilicæ metropolitanæ. Inter cetera eidem collata vel ad ornamentum vel ad sartatecta tuenda, illum singulari commemoratione dignum, quod supremam ejus ac mediam contabulationem, tegulis lateritiis amotis plumbeis tabulis construxit; & pinnaculum, sive turriculam summo ædis fastigio impositam restituit, & laminis itidem plumbeis contexit, ut epigraphe grandibus litteris ibidem incisa declarat: *Joannes Robobellus Venetus Archiepiscopus Jadrensis fecit fieri MCCCCC.* Virgines Benedictinas Nonenses, quæ ob metum belli Turcici Jaderam pro-

profugerant, benigne ac liberaliter accepit atque tractavit; iisdemque cum templo S. Petri veteris, domum proximam habitandam tradidit. Exinde jurisdictioni Nonensis Episcopi exemptæ, sub potestatem ac regimen Archiepiscopi Jadrensis transierunt. E vita decessit an. 1503. Jaderæne an Venetiis morte obierit, mihi non constat. Si diem supremum obiit Venetiis, non subito quin illatus fuerit in ædem S. Stephani, atque in majorum suorum sepulchro conditus, quod extat his litteris incisum: *Robobellæ familiæ insigne hoc monumentum, quod Odoricus ante ducentos amplius annos erexerat, Paulus Robob. temporis edacitate consumptum, multo elegantius sibi, suisque posteris restituit 1501.*

ALEXANDER II. ARCH. JADREN. XXVIII.

Cujus neque patria, neque familia mihi nota est. Alexandro VI. erat ab epistolis, vir summa integritate & prudentia, multis magnisque rebus spectata, quem Pontifex carum in primis habuit, cuique plurimum tribuebat. Ut Alexandri virtutes ac merita, quo digna erant, præmio atque honore decoraret, illum ad episcopalem dignitatem evexit anno 1503., & Jadertinæ Ecclesiæ nobilissimæ Archiepiscopum præfecit. Sed eum ab se divelli cum ægre ferret, Romæ aliquamdiu retinuit. Mors Pontificis paullo post secuta, novam ejus profectioni moram interposuit. Dum ergo Alexandri ex urbe discessum aliud ex alio quotidie impedit, morte immatura sublatus, sedem Jadertinam antequam conscenderet, vacuam reliquit. Obiit Romæ anno 1504.

JOANNES VI. ARCH. JADREN. XXIX.

Patria Traguriensis, cognomento Cipicus, seu Cepio, nobili genere natus, patrem habuit Coriolanum Cipicum, æque marmorum, ac litterarum gloria clarissimum, qui sub Petro Mocenico classis Venetæ imperatore, cum præfectus esset triremis Traguriensis, contra Turcas in Asia egregie pugnavit; idemque de bello eodem Asiatico elegantissimos commentarios scripsit, quorum auctorem summis laudibus extulit Palladius Fuscus in opusculo *De Situ Oræ Illyricæ*: *Illustratum est ætate nostra Tragurium Coriolano Cepione oratore historicoque eloquentissimo, qui cum sub Petro Mocenico classis Venetæ imperatore trierarchus non sine ingenti gloria ob res egregie gestas militasset, quo tempore Turcæ Chalcidem expugnarunt, confecto bello, de Petri ipsius gestis librum luculentissime scriptum edidit, quem ipse pluries legi captus Cepionis tum copia & elegantia, tum fide & gravitate.* Eidem frater fuit Aloysius Cipicus Famagustæ Episcopus, vir insigni eruditione & doctrina præditus, quem ferunt ab Alexandro VI. Romam evocatum fuisse, ut eum Cardinalis titulo atque insignibus decoraret; sed hanc ei dignitatem mors inopportuna invidit, quæ illum, dum Romam iter faceret, e vivis exemit. Joannes erat Romæ, cum Alexander migravit e vita. Julius II. æquissimus virtutum ac virorum illustrium æstimator neminem Joanne digniorem censuit, cui Pontificatum Ecclesiæ Jadrensis conferret. Itaque renunciatus est, & consecratus Archiepiscopus anno 1504. Idibus Februarii; procuratorem designavit, qui nomine suo sacerdotii sibi collati possessionem adiret; itemque Vicarium generalem, qui dum ipse abesset, sua vice fungeretur, Georgium Diphnicum Episcopum Nonensem constituit: is quippe ex privilegio pontificio domicilium ac sedem Jaderæ habebat: ut constat ex inscriptione cujusdam epistolæ, quam idem Georgius scripsit ad Aloysium Malumbram Antistitem Arbensem: *Georgius Difnicus Referendarius apostolicus Episcopus Nonensis, ac Reverendissimi Domini Joannis Cipici Archiepiscopi Jadren. Locumtenens, Reverendissimo Domino Aloysio Malumbræ Episcopo Arbensi, prædicti Domini suffraganeo &c.* Data est Jaderæ VIII. Idus Martii anno 1505. Hoc eodem anno alterum sui muneris Vicarium Georgio substituit Stephanum de Cortesiis Archidiaconum Ecclesiæ metropolitanæ, ut constat ex codice Sodalitatis SS. Sacramenti, quæ per id temporis Jaderæ instituta fuit. Dum Joannes Jadertinam profectionem ex die in diem differt, ei quoque mors insperata vitam et Pontificatum ademit. Extinctus est Romæ anno 1505., in eaque urbe ad tempus sepulturam obtinuit. Post annos amplius septuaginta Aloysius Cipicus fratris filius, ut ipse supremis tabulis jusserat, patrui cadaver Tragurium t[illegible]lit, atque in æde suburbana *S. Mariæ de Angelis* honorifico sepulchro condidit, & hoc elogio decoravit.

Duo Vicarii Joannis Archiepiscopi.

Joannes Cipicus Coriolani filius, qui ob singularem virtutem, ingeniique præstantiam a Julio II. Pontifice Max. Archiepiscopatu Jadrensi donatus fuit; Romæ defunctus est; & in patriam ex testamento Cadaver ejus translatum, Aloysii Cipici ex fratre nepotis cura, hoc requiescit monumento, nomini suo laudique perenni dicato MDLXXVIII.

FRANCISCUS ARCH. JADREN. XXX.

Franciscus Pisaurus Archiep. Romæ versatur.

Inter patricias apud Venetos familias Pisaura tum generis nobilitate clarissima est, tum opibus, honoribus, ceterisque omnibus ornamentis abundat. Quæ sæculo superiori Joannem civitati suæ Principem, eadem ante annos centum & quinquaginta Franciscum Metropoli Jadrensi Archiepiscopum dedit. Hunc siquidem Julius II. in senatu Cardinalium, gravissimo suo & honorifico judicio decoratum, ad Pontificatum Jadertinum evexit anno 1505. Cum renunciatus est Archiepiscopus, Romæ versabatur; de quo in libro Ceremoniarum Paridis de Grassis civis Bononiensis, Magistri ceremoniarum sacri palatii sub Julio II., qui Ms. extat in Biblioth. Collegii Bononiensis Soc. Jesu, hæc tradita reperio: *An. 1507. mense Majo in vigilia Ascensionis .... Electus in Archiep. Jadrensem, qui fuit per annum quasi integrum excommunicatus ad instantiam Subdiaconorum, quia non solvit jura pallii, & fuit semper ab urbe absens, hodie intravit capellam; sed ego secrete admonui, ut recederet, alioquin esset scandalum; ipse respondit se fuisse absolutum; nihilominus nolui credere, & tamen non recessit; & post vesperas solvit mihi pro Subdiaconis duc. 40. de Camera.* Nec vero ante obitum Julii ad suam ecclesiam regendam accessit, quam absens per suos Vicarios administravit. Anno 1510. cum magno Cardinalium & Curiæ Romanæ comitatu Julium Bononiam profectum secutus est; qua in urbe Assessor, sive Assistens solio pontificio creatus fuit, ut est in eodem codice Ceremoniarum: 1510. *In prima Dominica Adven-*

Digitized by Google

ventus . . . . Cum intellexisset Pontifex (is tum Bononiæ versabatur) Assistentes suos, quibus tunc opus esset, has Missas, scilicet Adventus, celebrare, inter se non concordare; & sic neminem esse, qui celebraret; propterea sacrista suo, & me vocatis, jussit ut Archiep. Jadren. notaremus, quia eum Assistentem suum creabat, ut crastinam Missam de Adventu in prima Dominica celebraret, prout celebravit in ecclesia Sancti Petronii. Erat itidem Romæ anno 1513., & Julio morti proximo aderat, qui cum aliis ibidem præsentibus testem voluntatis suæ de ratione novi Pontificis creandi etiam Archiepiscopum Jadrensem esse voluit, ut constat ex eodem libro Ceremoniarum: *An. 1513. 20. Februarii Dominica secunda Quadragesimæ, cum Pontifex jam moreretur, inter testes ultimæ suæ voluntatis circa electionem novi Pontificis faciendam per solos Cardinales, & circa hoc, quod omnes legitimi Cardinales etiam absentes ad hanc electionem admitterentur, adfuit etiam Archiepiscopus Jadrensis.* Idem vero cum aliis præpositus fuit custodiæ conclavis & comitiorum pontificalium: *Eodem an. 28. Febr. die Lunæ Archiepiscopus Jadrensis cum aliis 20. eligitur ad tertiam custodiam, quæ est apud ostium Conclavis pro electione novi Pontificis.*

Interfuit Concilio Lateranensi.

Septem sessionibus Concilii Lateranensis interfuit, quinque prioribus sub Julio, quibus *inter Patriarchas & Assistentes Papæ* subscriptus legitur *Reverendus Dominus Franciscus Jadrensis;* duabus sub Leone X., octavæ, itemque nonæ, quæ habita fuit anno 1514.; ab reliquis tribus abest ejus nomen, & subscriptio. Itaque, ut mihi videtur, vel anno ipso 1514., vel proximo ineunte, primum Jaderam venit, atque ad gubernacula ecclesiæ suæ sedere cœpit. Omni vi operaque connixus obstitit Pagensibus ne sede episcopali potirentur, quam a Romano Pontifice, precibus Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum interpositis, postulaverant, & Petrum Cassium jam Episcopum designaverant.

Urbem & insulam Pagi lustravit.

Anno 1515. vel sequenti Pagensium rogatu oppidum illud, totamque insulam lustravit. Virgines Benedictinas illius oppidi, quarum integritatem, religionem, honestatemque maximis laudibus ornavit, ad communis monasticæ vitæ formulam redegit, assignatis annuis proventibus, ex quibus quæ ad victum cultumque necessaria essent, abunde suppeterent. Extat ejus decretum in hæc verba.

Ejus decretum.

Nos Franciscus Pisaurus J.V.D. Archiep. Jadren. sæpius invitati non solum a Clero, verum etiam a populo Pagensi nobis in Christo plurimum dilectis, ut vellemus Pagum visitare, & ea quæ pro cultu divino reformanda forent reformare, cum plurimi sint anni elapsi, quibus Clerus, & hæc civitas a Pastore suo non fuerint visitati; eorum desiderio præsentiam nostram denegare non potuimus, eorumque votis satisfecimus. Laboribus itaque, & vigiliis minime parcentes, monasterium S. Mariæ Annunciatæ visitavimus, in quo conspeximus virginale decus florere, & moniales vitæ integerrimæ sacro velamine Deo dicatas divinum & gratum Deo obsequium diu noctuque exhibere; quarum quidem vitam religiosam sanctamque esse audieramus, sed in rei veritate sanctiorem invenimus. Qua de re Salvatori nostro gratias inexhaustas replicavimus, replicamusque, quod sibi tales elegit famulas, quæ divinam majestatem pro hujus populi delictis continue deprecentur. Nihil profecto in earum monasterio desiderari potest, quod earum vitæ integritati addi possit, nisi quod unus error non parvus a nobis inventus est, qui potius necessitas, quam error merito dici posset; ipsæ enim contra voti sui puritatem, sibi ex labore suo proprium acquirunt & possident; & si id illis non est satis, alimenta a parentibus præstantur, & Regula D. Benedicti non servatur. Hæc autem cives Pagenses a nobis clarius intelligentes, magnificis ac clarissimis Dominis Aloysio Lauredano Comiti, & Vincentio Basadonna Camerario Pagi & insulæ dignissimis supplicarunt, ut ad perficiendum tantum bonum, videlicet ut servetur Regula S. Benedicti, & in communi vivere possint, dignarentur in insula Pagi pascua, seu, ut dicitur, herbaticum pro grege mille ovium ipsis monialibus perpetuo concedere ac assignare. Præfati igitur magnifici Comes & Camerarius hujusmodi preces justas & pias admittentes, pro mille ovibus tenendis in hac insula ac nutriendis, monasterio prædicto pascua perpetuo concesserunt, ac assignare promiserunt. Qua concessione, & promissione gavisi, statuimus, & ordinamus, ut ammodo quam primum fructum perceperint ex præmissis animalibus, eisdem permissis, ut supra, dictæ moniales secundum voti obligationem in communi vivere debeant, & teneantur, quamdiu prætaxatus numerus in hac insula superierit; & casu quo dictus grex, aliqua, quod absit, contagione infectus, vel aliquo alio casu fortuito forte periret; tum illi cives Pagenses, qui pro tempore monachas sibi sanguine conjunctas in dicto monasterio habere reperiantur, gradu consanguinitatis proximiores, ceterique alii tenerentur victum, prout nunc præstare, donec dictus grex suppleatur &c. &c. Abest nota chronologica; sed cum Aloysius Lauredanus, ut est in Tabulis Pagensibus, annum 1515. Præturam gereret, in hunc eumdem annum, vel in proximum lustratio episcopalis insulæ & oppidi Pagensis inciderit oportet.

Hanc ecclesiam Franciscus per annos quinque & viginti tranquille sapienterque administravit. Ceterarum rerum ab eo gestarum in pontificatu tam diuturno nullum monumentum sive litteris consignatum, sive marmoribus impressum reperio. Vitæ quietioris studio dignitatem archiepiscopalem cum honorario titulo Patriarchæ Constantinopolitani commutavit anno 1530.

Dimisso Archiepiscopatu titulum Patriarchæ Const. sumpsit.

Romæ moratur.

Ut magna ex parte superiorem, sic post depositum Archiepiscopatum reliquam vitam Romæ transegit, non illam quidem inertem atque ingloriam, sed honorificam atque operosam. Eum siquidem plurimi fecit, & carum in primis habuit Clemens VII. P. M., qui ad gravissima quælibet negotia expedienda ejus consilio operaque utebatur. Tradunt eum a Senatu Veneto designatum fuisse Episcopum Ecclesiæ Brixiensis; sed ea designatio effectu caruit, nam Romanam commorationem sacerdotio Brixiensi prætulit. Thomas Diplovatatius celeberrimus Jurisconsultus in epistola ad Jacobum Pisaurum Paphi Episcopum, Francisci Archiepiscopi Jadertini mentionem perhonorificam fecit: *Est etiam Franciscus Fantini filius Archiepiscopus Jadrensis, qui nunc in urbe tranquille feliciterque vivit, & Clementi summo Pontifici operam præstat insignem.* Sed amplissimo elogio illum ornavit Nicolaus Crassus in lib. de Gente Pisaura pag. 99. sed quem Diplovatatius Fantini filium, hic nepotem, & Andreæ filium vocat.

Fran-

Digitized by Google

Francisci elogium.

Franciscus Pisaurus Andreæ f. Fantini nepos Jadrensis Archiepiscopus.

Franciscum, Jadræ Archiepiscopum, ecclesiastica eximia dignitas, & amplitudo conspicuum inter omnes facit, & elogio nostro maxime dignum; at insignis doctrina, & mores sanctissimi, quibus præfulsit, perquam dignissimum. Hoc ipso decoris, & majestatis pleno vultu, rerum omnium, atque præcipue divinarum scientia præfulgens, Romæ tranquille, & feliciter vitam agebat, dum Clementi VII. Pontifici Maximo operam præstaret insignem, & a Thoma Diplovatatio celeberrimo Jurisconsulto, anno a Christo nato 1529. celebrari promeruit, ut in ejus præfatione prædicta, typis mandata, superius ostensum est. Tantamque de sua probitate, doctrina, & prudentia expectationem concitavit, ut, cum Venetus ipse Senatus vellet, paucis post annis, in maximo, & opulentissimo Brixiensi Episcopatu Præsulem pro jure suo nominare, Nicolaum hunc, & nullis, nisi propriis meritis suffragantibus, nolentem ipsum, immo ne scientem quidem inter ceteros Senatus ille omnium prudentissimus suffragatus est anno a Christo Domino nato 1531. Videant modo cuncti quanti merito suo is faciendus fuerit, qui Archiepiscopatum obtinens, a Pontifice Maximo Romæ, a sapientissimo Senatu Venetiis, & a celebri Jurisconsulto in æternis litterarum monumentis laudatus est. Eumque a nobis quoque exili hoc elogio inter ceteros heroas referri permittat.

ÆGIDIUS ARCH. JADREN. XXXI.

F. Ægidius ex Ordine Eremitarum S. Augustini,

Magnus homo, & ingens cum Ecclesiæ Jadertinæ, tum sæculi sui ornamentum, qui magnam reliquit sui nominis famam, non minus illustrium factorum, & quibus perfunctus est, honorum ac munerum splendore, quam omnium doctrinarum & virtutum gloria partam. Tenui fortuna, sed honesto loco natus est Viterbii, & ex patria Viterbiensis cognominari solet, cum avitum cognomen illi esset *Caninio*. Ab ineunte adolescentia dedit nomen in laudatissimam Eremitarum D. Augustini sodalitatem; & post exactum tyrocinium ad studia litterarum, omniumque optimarum artium se contulit, & philosophici ac theologici magisterii titulum atque insignia promeruit. Nullum est eruditionis ac doctrinæ genus, in quo non excelluerit. Cum singulari eloquentia peregrinarum linguarum scientiam conjunxit. Ambrosius Calepinus suum Lexicon latinum Ægidio dedicavit, quem in epistola eidem inscripta insignem *Poetam*, *Oratorem*, *Theologum*, *Concionatorem* vocat. Per omnes inferiorum magistratuum atque honorum gradus, ad supremam sui Ordinis præfecturam

Rector Generalis sui Ordinis,

ascendit. Hanc dum gerebat, Concilio Lateranensi interfuit, & primam apud Patres Lateranenses orationem habuit, sapientissimis sententiis, gravibusque verbis ornatam ac perpolitam, quam Jacobus Sadoletus in sua ad Petrum Bembum epistola summis laudibus extulit; & Ægidium sui sæculi clarissimum lumen appellavit. Ab Julio II. plurimi fieri solebat, qui

multis pro Sede apostolica negotiis & legationibus gestis clarissimus.

ejus opera & solertia ad maxima & gravissima negotia apud Principes Christianos expedienda usus est. Nihilo inferiorem existimationis & gratiæ locum obtinuit apud Leonem X. cujus nomine plures & honorificas legationes gessit, a quo etiam orator missus est in Hispaniam ad Carolum V. Imperatorem, ut eum ad sacrum bellum contra Selinum regem Turcarum, Christianorum exitio imminentem, suscipiendum hortaretur. Extant aliquæ Leonis epistolæ ad Ægidium, e quibus dignosci potest quanti eum faceret, quantoque opere diligeret gravissimus ille Pontifex litterarum & litteratorum hominum fautor munificentissimus. Ex illis unam describere operæ pretium duxi, in qua summam Ægidii modestiam commendat.

Leonis X. ad Ægidium epistola.

Ægidio Viterbiensi Augustinianorum Eremitarum Magistro. Scripseram ad te proximis litteris cogitare me Senatum vocare Cardinalium creandorum caussa: neque tamen statutum mihi esse quo die; sed cum statuissem, tibi significaturum; eas ad litteras tantummodo mihi rescripsisti probare te consilium meum: scire enim nihil me, nisi quod e republica sit, esse facturum. Ego vero scripseram, ut elicerem abs te, cuperes ne ipse in Cardinalium collegium cooptari. Id quoniam reticuisti vel pudore tuo, atque modestia, qua semper magnopere abundas, vel quod ejus rei nulla te cupiditas teneat; utrumlibet lætor, vel pudentem esse te, vel ambitione carere, præsertim earum rerum, quarum adipiscendarum desiderio plerique ita ducuntur, ut etiam insaniant. Itaque confirmasti etiam tu quidem mihi tuo silentio consilium meum: perdiu enim est cum te legere in Cardinalium ordinem cogito; cum ut tuorum laborum, magna cum reipublicæ utilitate triginta totos annos susceptorum, hanc tibi quasi mercedem persolvam, quam possum maximam atque amplissimam; tum ut te respublica sic utatur, ut ex te fructus uberrimos capere possit. Puto autem reipublicæ majori, & usui, & honori fore dignitatem tuam, quam tibi ipsi. Major enim atque illustrior jam est virtus tua, quam quæ magistratu illo egeat. Ordo vero ipse talibus viris, ut tu es, egere mihi quidem magnopere videtur. Quare plus tu ordini, quam tibi ordo, ornamenti afferes. Efficiam igitur id nunc, quod dudum, ut dixi, meditor, teque cum reliquis, qui a me creandi sunt, Cardinalem nominabo. Id erit Kal. Quinctilibus, quem ad diem mando tibi Romæ ut sis, ut te statim videre atque amplecti possim. Datum octavo Kalendas Quintilis, anno v. Romæ.

Ægidius Cardinalis creatur, & Episcopus Viterbiensis.

Stetit Pontifex promissis; atque ut præclara Ægidii merita in rempublicam christianam, quibus digna erant, honoribus afficeret, eumdem anno 1517. & titulo Patriarchæ Constantinopolitani decoravit, & in collegium Cardinalium cooptavit, quem postea Adrianus VI. Viterbiensibus Episcopum dedit. Alias etiam Ecclesias eidem mandatas ferunt. Anno autem hujus sæculi tricesimo inter eum & Franciscum Pisaurum Archiepiscopum Jadrensem ita convenit, ut huic titulum patriarchalem cederet, hic vero illi Ecclesiam Jadertinam in administrationem traderet. Utriusque cessionem Clemens VII. ratam habuit, & quam inter se fecerunt, permutationem approbavit, ut est in tabulis consistorialibus: *19. Decembris 1530. fuit data in administrationem Ecclesia Jadren. Reverendissimo Ægidio, ac provisum Patriarchatui Constantinopolitano de persona Fr. Archiep. Jadren., vacan. per cessionem utriusque, & caussa permutationis factæ invicem . . . . . non tamen consistorialiter de Jadrensi; sed verbo Sanctis. Patris nostri facto Reverendissimis, inter quos fuerunt Franciscus de Monte &c. &c.* Metropolim Jadrensem absens administravit, usus opera Petri Grilli Doctoris decretorum, quem sui muneris, suæque po-

Metropolita Jadrensis.

Digitized by Google

potestatis Vicarium constituit. Sed ne integrum quidem biennium huic Ecclesiæ præfuit, & anno ætatis sexagesimo, Æræ Christianæ 1532. pridie Idus Novembris Romæ decessit. Ferdinandus Ughellus in Archiepiscopis Jadrensibus anno 1536., in Episcopis Viterbiensibus anno 1532. Ægidii mortem affixit; sed mortuum esse anno 1532. tum Oldoinus, tum Tabulæ Jadrenses infra describendæ confirmant. Sepultus est in templo Augustiniano sui Ordinis ante aram maximam; cui quadriennio post titulum sepulcralem fecit Gabriel Præpositus Generalis Eremitarum Sancti Augustini.

Romæ decessit; ejus sepulcrum & inscriptio sepulcralis.

D. O. M.
ÆGYDIO VITERBIENSI CARDINALI......
GABRIEL VENETUS GENERALIS POSUIT
MDXXXVI.

Ante sacros cineres bona verba viator
Dicito, divinus hic jacet Ægydius:
Qui potuit lingua humanas inflectere mentes
Et trahere hærentes fervidus ad se animos.
Quidquid pandit Arabs divinum, quidquid Erembus
Dives Arameis occulit in tenebris,
Explicuit populis, & si quid spiritus ultra
Sentit, adhuc sanctum, quod meditetur, habet.

De morte Ægidii Jaderam cum esset allatum, Petrus Grillus ejus Vicarius generalis, convocato Capitulo, traditum sibi munus, atque administrationem deposuit; Canonici vero elegerunt Stephanum de Cortesiis Archidiaconum, qui rei christianæ & ecclesiasticæ curam susciperet, ac tamdiu gereret, dum archiepiscopale interregnum teneret; idque relatum est in acta capitularia his verbis.

Electio Vicarii capitularis.

In Dei æterni nomine Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & sit notum, quomodo salutis humanæ 1532. Indict. v., die vero Mercury, 18. mensis Decembris, post vesperas, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papæ VII. anno X. In mei notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia, congregatis personaliter Reverendis Patribus Domino Stephano de Cortesiis Archidiacono, Domino Francisco Cedolino Archipresbytero, Domino Donato Britanico Primicerio, Domino Bartholomæo Bichianich, Domino Joanne Donato Begno, Domino Paulo de Sanctis, Domino Joanne Sichivich, Domino Joanne Tomaseo, Domino Marco Bonzot, Domino Simone Britanico omnibus præbendatis, Domino Simeone Saricovich, & Domino s. Grisogono Cedulino supranumerariis Canonicis Ecclesiæ metropolitanæ Sanctæ Anastasiæ Jadren., vocem habentibus, ipsiusque Capitulo, consedente capitulariter Reverendo Patre Domino Petro Grillo, decretorum Doctore, Scholastico Justinopolitano, & Reverendissimi in Christo Patris D.D. Ægidii titulati Sancti Marcelli, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ, Vicario in spiritualibus, & temporalibus Generali; qui cum ea, qua decuit, humanitate, dixit: Reverendi Patres & Domini Capitulares, hactenus videlicet jure merito fui Vicarius Reverendissimi Domini Cardinalis Ægidii Archiepiscopi vestri, de morte cujus diebus proxime præteritis ..... Verum quia hodie fuit mihi relatum per quendam cantorem Ragusii Presbyterum ex urbe venientem, qui est attestatus, etiam se intromittens nobis, pectore tacto in ipsa urbe in Ecclesia Sancti Augustini vidisse mortuum, ac sepeliri præfatum Cardinalem Ægidium, illiusque exequiis, & funeri personaliter interfuisse; narrans etiam idem cantor quædam particularia pro ipsius B. M. ex testamento disposuisse, ac sui testamenti commissarios instituisse Reverendissimos Cardinales Rodulphum, & Grimanum, ac Reverendum Dominum Episcopum Senien. Ex quibus præmissis habere se dixit pro firmo, & certo, eundem Cardinalem Ægidium, & Archiepiscopum morte extinctum; & sic extinctum fore, & esse mandatum sui vicariatus, & jurisdictionem suam, quam in manus, & arbitrium, ac jurisdictionem ipsius Reverendi Capituli, Dominorum Canonicorum dimittit, & reponit, prout de jure, Sede vacante, cui tam in spiritualibus, quam in temporalibus providere debent; a quo Reverendo Capitulo, & Dominis Canonicis perhumane recessum sub condecentibus verbis postulavit, & de grata benevolentia, & caritate erga eum usa gratias egit. Qui quidem Domini Canonici, & Capitulum, intellectis, & consideratis præmissis per dictum Dominum Petrum olim Vicarium expositorem, illa admiserunt pro certis & legitimis; super quibus etiam ipsi certiorari voluerunt omni diligentia; qua forma, & attestatio mortis præfati Domini Cardinalis Ægidii, & Archiepiscopi sit, & si vera non esset, nec vacaret, ex resignatione dicti Domini Petri nolentis uti officio ordinario, & vicariatus, ad ipsum venerabile Capitulum omnimoda provisio de jure, & consuetudine spectare, & pertinere dignoscitur; idcirco pro debito sui officii capitularis, & Sedis præfatæ indemnitate spirituali, & temporali, decreverunt omnes unanimiter providere, & in primis ad electionem Reverendi Domini Vicarii ex jurisdictione ordinaria procedere voluerunt, & processerunt omni meliori modo, & formis: quæ omnium votis, & jurisdictione ordinaria exercentes, prout de jure, præfatum Dominum Stephanum Archidiaconum Vicarium, ratione officii sui Archidiaconum perpetuum, nominarunt &c. &c.

CORNELIUS ARCH. JADREN. XXXII.

Hunc quoque Ecclesia Jadrensis acceptum refert nobilissimæ Pisauræ genti; ex qua cum ortum & cognomen traxerit, generis claritatem splendore virtutum auxit. Filius erat fratris Francisci proximi ante Ægidium Archiepiscopi Jadrensis. Clemens VII. Cornelium in amplissimo Patrum purpuratorum Senatu Archiepiscopum renunciavit IV. Id. Novembris an. 1533. Hujus initia archiepiscopalia Ferdinandus Ughellus in annum 1536. rejecit. Nec mihi hic prætereunda est nota Lucentii in Archiepiscopos Ughellanos Jadrenses editionis Venetæ: *Nulla de hoc Ægidio (Viterbiensi) in schedis & actis consistorialibus mentio habetur quoad regimen Jadrensis Ecclesiæ. In iis enim 10. Novembris an. 1533. enarratur Franciscum Pisaurum Patriarcham CP. cessisse regimini hujus ecclesiæ in favorem Cornelii nepotis sui. Igitur ante annum 1536. huic jam præpositus fuit, nullo verbo resonante Ægidii Card., qui si huic administrator datus fuit, cum ipse cessit Patriarchatum CP. Francisco Pisauro cedenti sibi Jadrense regimen; id sane fuit cum reservatione juris regressus; & ex cessione (vel morte) Ægidii rediisse ad hanc administrationem; & eam postea resignasse oportuit ad favorem nepotis; si Ægidii locum integrum servare volumus ex norma eorum temporum.*

Digitized by Google

rum. Necesse est Lucentius non viderit locum actorum consistorialium supra laudatum, in quo dicitur *fuisse data in administrationem Ecclesia Jadren. Reverendissimo Ægidio &c.* De regressu autem Francisci Pisauri ad regimen Ecclesiæ Jadrensis post mortem Ægidii Lucentio facile assenserim. Paullus III. Cornelium anno tertio ab ejus archiepiscopali creatione pallio pontificio donavit, ut docent acta consistorialia: 4. *Febr.* 1536. *concessit pallium Archiepiscopo Ecclesiæ Jadrensis*. Anno 1537. cum Solimannus rex Turcarum Venetis bellum intulisset; Senatus demoliri jussit cœnobium suburbanum S. Joannis Baptistæ, quod Patres Franciscani tertii Ordinis incolebant; ne hostibus munimento idem esset, atque adjumento ad urbem oppugnandam. Iisdem vero Patribus intra mœnia receptis Cornelius templum S. Silvestri cum ædibus proximis attribuendum curavit, quod deinde ab S. Joanne cognominatum est, veteri titulo huc translato. Aurana, & alia quædam loca diœcesis Jadertinæ amissa sub potestatem Turcarum ceciderunt. Insignia gentis Pisauræ cum nomine Cornelii, tum palatio episcopali, tum templo S. Anastasiæ variis in locis insculpta, utrumque ab eo vel reparatum, vel ornatum fuisse argumento sunt. Ex hac vita migravit anno 1554.

Bello Turcico ingruente Franciscanis tertii Ordinis in urbem receptis domicilium attribuit.

ALOYSIUS ARCH. JADREN. XXXIII.

Aloysius Cornelius Cardinalis & Archiep. Jadren.

E gente Cornelia inter patricias Venetas longe amplissima, de quo etiam in Episcopis Traguriensibus. Hunc haud genere, quam virtute clariorem Julius III. purpura donavit; & anno 1554. Archiepiscopum metropoli Jadertinæ præfecit, ut docent Tabulæ consistoriales: 25. *Junii* 1554. *providit Ecclesiæ Jadren. vacanti per obitum Cornelii de persona Reverendissimi Domini Aloysii Diaconi Card. Cornelii, ipsumque illi in Archiepiscopum præfecit & Pastorem, cum retentione omnium &c. & clausulis &c. taxa* 400. *Floren. &c.* Administrationem ecclesiæ sibi traditæ commendavit Mutio Calino Brixiensi, viro eximiæ integritatis, doctrinæ, ac prudentiæ. Anno sequenti Archiepiscopatum dimisit; jus tamen retinuit ejusdem recipiendi post mortem vel abdicationem successoris. Duos deinceps Episcopatus obtinuit, primo Bergomatem, deinde Traguriensem. Annos natus undeseptuaginta Romæ obiit VI. Idus Maji anno 1584. Habes titulum sepulchralem in Episcopis Traguriensibus.

Archiepiscopatum anno altero, quam inceperat, dimisit.

MUTIUS ARCH. JADREN. XXXIV.

Eques Hierosolymitanus ex antiquissima & nobilissima gente Calina Brixiensi, quæ tum patriæ, tum ecclesiæ, tum etiam societati nostræ viros egregios & omni laude cumulatos dedit; inter quos Cæsar Calinus e Societate nostra, plurimis operibus in lucem editis, insigni pietate & doctrina refertis, clarissimus idemque notissimus. Annum fere integrum Aloysio Cardinali Cornelio Archiepiscopo absenti operam vicariam præbuerat; cum Paullus IV. Jadrensem Archiepiscopatum ab Aloysio dimissum Mutio contulit, ut docent acta consistorialia: 27. *Junii* 1555. *referente Reverendissimo Pisani, providit Ecclesiæ Jadrensi vacanti per cessionem Reverendissimi Domini Aloysii Card. Cornelii in manibus suæ Sanctitatis sponte factam, & per eamdem admissam, de persona D. Mutii Calini Fr. Hospitalis S. Joannis Hier., ejusdem Reverendissimi Secretarii; ipsumque illi in Archiep. præfecit & Pastorem; reservatis eidem cedenti medietate fructuum mensæ archiepisc., cum facultate transferendi quoad summam ducatorum* 200. *auri de Camera dumtaxat, absque dicti Mutii electi etiam in hoc expresse consentientis, ac successorum suorum ipsius Ecclesiæ Jadren. Archipræsulum, & administratorum pro tempore existentium desuper præstantium, consensu; nec non regressu ad dictam ecclesiam per cessum, vel decessum dicti Mutii; ita tamen quod in eventu regressus hujusmodi, si D. Aloysius Cardinalis aliam, sive alias ecclesias obtinuerit, dicta Ecclesia Jadrensi, seu una ex obtentis, quam maluerit, per eum retenta, reliquas infra sex menses a die &c. dimittere teneatur, & cum retentione omnium aliorum pro dicto Card. Aloysio, & clausulis &c.* Post biennium 9. *Augusti* 1557. *concessit pallium Mutio Calino Archiep. Jadrensi*.

Suscepto ecclesiæ sibi traditæ regimine, nihil studii operæque prætermisit, ut Societatem Jesu, ad cives pietate ac litteris excolendos, Jaderam inveheret, eique in hac urbe collegium fundaret. Itaque aliquot Patres ab Jacobo Lainio Præposito generali postulavit; id quod eodem tempore itidem petierat Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus. Sed propter paucitatem sociorum, utrique plus uno dari non potuit. Is fuit Nicolaus Bobadilla unus e decem sociis S. Patris Ignatii, vir solidæ virtutis, & acris vehementisque animi ad difficilia quæque superanda, ubi Dei gloria & animarum salus ageretur. Postquam unum & alterum mensem Jadræ commoratus, rei christianæ perutilem operam navasset cum ingenti, tum Archiepiscopi, tum omnium civium approbatione, Ragusium discessit, ut tradit Franciscus Sacchinus lib. 3. part. 2. hist. Societat. Jesu: *Jadrensis & Epidaurius Antistites ita apud P. Generalem institere, ut fuerit illis tradendus Nicolaus Bobadilla ..... Jadrensi Ecclesiæ & Archiepiscopo opera utiliter navata Epidaurum excurrit*.

Mutii erga nostram Societatem benevolentia.

Cum Pius IV. ad Concilium Tridentinum, sub Julio III. ob ingruentia bella intermissum, persequendum absolvendumque Episcopos revocasset anno 1560., Mutius Tridentum profecturus Marcum Lauretanum Episcopum Nonensem muneris sui Vicarium reliquit, ne quid detrimenti, se absente, res ecclesiastica & christiana caperet. Id docent Tabulæ Curiæ archiep. Jadrensis: *Reverendissimus in Christo Pater, & D. D. Marcus Lauretanus Dei & apostol. Sedis gratia Episcop. Nonensis, & Reverendissimi in Christo Patris, & D. D. Mutii Calini miseratione divina Archiep. Jadren., dignissimi, in spiritual. & temp. V. gerens general., sedens in sala* 20. *m. Septemb. &c. &c.* In augustissimo illo præsulum ac procerum conventu multa & illustria doctrinæ & eloquentiæ suæ documenta præbuit. Delectus fuit, qui sapientissimæ & gravissimæ Cardinalis Lotharingii orationi responsum redderet; in quo nihil desideres, quod sive ad gravitatem sententiarum, sive ad elegantiam verborum pertineat, insertumque est actis ejusdem Concilii. Defensio atque caussa Episcoporum provincialium potior illi fuit, quam sua & aliorum Metropolitarum, quippe cum ab illa vel jus vel æquitas stare videretur. Itaque Episcoporum caussa perquam eleganter accurateque oravit. Tria potissimum obtinuit, quæ

Interfuit Concilio Tridentino summa cum laude.

Episcoporum Provincialium caussam egit, atque obtinuit.

Digitized by Google

quæ ad utilitatem dignitatemque eorumdem provincialium Antistitum referuntur, quippe sacrosancta Synodus secundum sententiam Mutii Episcopos metropolis adeundæ lege exemit, nisi si quando ad Synodum provincialem vocarentur; caussas minores criminales Episcoporum in Concilio provinciali cognoscendas ac dijudicandas esse; non licere Metropolitis diœceses præsulum sibi subjectorum lustrare, nisi de sententia Synodi provincialis. Rerum actorumque omnium Concilii Tridentini sub Pio IV. Commentarios diligentissime confecit, Aloysio Cardinali Cornelio inscriptos, quos ad historiam ejusdem Concilii componendam magno sibi adjumento fuisse testatur Sforzia Pallavicinus.

Commentarios ejusdem Concilii confecit.

Post absolutum dimissumque Concilium anno 1563. exeunte, Jaderam reversus diœcesim lustravit, synodum fecit, decreta Tridentina promulgavit, atque ut ad eorum normam cleri populique mores conformarentur, ac disciplina ecclesiastica in integrum restitueretur, omnem curam operamque adhibuit. Per eadem tempora Aloysio Cardinali Cornelio Episcopo Traguriensi ad regendam ecclesiam illam, totamque diœcesim ritu episcopali peragrandam, vicariam operam navavit; vocaturque in tabulis Traguriensibus: *Illustrissimi & Reverendissimi Domini Aloysii tit. S. Marci S. R. E. Cardinalis Cornelii, Ecclesiæ Traguriensis perpetui administratoris Locumtenens gen. Commissarius, & Vicarius gen.* Illud præclarum in primis, Ecclesiæque Jadrensi perutile futurum, quod e præscripto Concilii Tridentini de instituendo clericorum seminario excogitaverat, eique Abbatiam S. Michaelis de Monte, quam sibi commendatam habebat, cum omnibus proventibus eidem annexis, attribuere statuerat. Sed perficiendi, quod maxime optabat, facultatem intercepit inopportuna Mutii ab Jadertina Metropoli ad Ecclesiam Interamnensem translatio, quam Pius V. decrevit anno 1566. IV. Idus Julii. Abeuntem ingenti mœrore & luctu tota civitas prosecuta est; suique desiderium animis omnium alte infixum reliquit. Ecclesiæ Interamnensi præfuit annos fere quatuor, e vivis sublatus anno 1570. mense Aprili.

In Synodo diœcesana decreta Tridentina promulgavit.

Translatus ad Ecclesiam Interamnensem.

ALOYSIUS ARCH. JADREN. iterum.

Mutio decedente regressus ad Metropolim Jadertinam patuit Aloysio Cardinali Cornelio, qui sibi jus ad eam regrediendi post mortem vel decessionem Calini reservaverat. Neque audiendus est Lucentius in notis ad Ughellum: *Qua eadem die*, cum scilicet Pontifex Ecclesiam Interamnensem Mutio decrevit, *in Consistorio Aloysius Card. Cornelius libere cessit juri regressus sibi reservato super hanc Ecclesiam* (Jadrensem), *ut ex actis desumitur.* Nam post annum 1566. Joannes Donatus Begnius Canonicus ex delegata sibi ab Aloysio vicaria potestate, Ecclesiæ Jadrensis administrationem suscepit, ut docent tabulæ Curiæ archiepiscopalis: *Joannes Donatus Begnius Canonicus, & Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Aloysii tit. S. Marci Presbyteri Cardinalis Cornelii Ecclesiæ metropolitanæ Jadren. perpetui administratoris dignissimi in spir. & tempor. Vicar. gen. Universis has nostras litteras inspecturis &c. &c. Dat. Jad. die 28. men. Decemb. an. 1568.* (cor. 1566.) Ex actis ejusdem Curiæ archiepiscopalis constare ait Valerius a Ponte, fuisse itidem Vicarium generalem Aloysii Card. Cornelii Andream Minutium; in quem idem Aloysius Archiepiscopatum transtulit.

Aloysii Card. Cornelii ad Ecclesiam metropolitanam regressus.

ANDREAS II. ARCH. JADREN. XXXV.

In oppido Seravallis, quod in regione subalpina Marchiæ Tarvisinæ frequens est ac nobile, familia Comitum Minutiorum clara in primis, & perantiqua, tum honoribus atque opibus, tum majorum suorum civilibus, bellicis, ac litterariis laudibus præstantium immortali gloria floret. Hinc ortus est Andreas, qui cum nobilitate generis eximiam doctrinam, prudentiam, vitæque integritatem ac religionem conjunxit. Ex Vicario generali Archiepiscopus Ecclesiæ Jadertinæ a Pio V. designatus cum esset *anno 1567., die 28. Novemb.*, ut docent acta consistorialia; anno proximo, ut est in iisdem actis, pallium ab eodem Pontifice petiit, & VI. Kalend. Aprilis sibi a Cardinali Vitellio impositum Romæ suscepit: *27. Martii 1568. Reverendo Domino Andrea Minutio Archiepiscopo Jadrensi coram per Dominum Antonium Vellium Advocatum consistorialem instantissime petente tradi sibi pallium, Sanctitas sua id ei concessit; mandavitque Reverendissimo Card. Vitellio S. R. E. Camerario, tamquam Archidiacono, ut illud ei cum solitis ceremoniis traderet, atque assignaret.* Erravit itaque Ughellus, & Valerius a Ponte, qui archiepiscopalia initia Andreæ in annum 1569. rejiciunt; itemque error arithmeticus irrepsit in tabulas Jadertinas supra laudatas, in quibus Joannes Donatus Begnius fuisse traditur Vicarius Aloysii Cardinalis Cornelii *die 28. mensis Decembris 1568.*, cum Andreas intra finem anni superioris Archiepiscopatum, hoc vero anno, Martio mense exeunte, pallium obtinuerit.

Error Ughelli, & Valerii a Ponte.

Anno altero, quam Metropolis Jadertinæ possessionem adierat, bellum Cyprium exarsit, cujus primos impetus Dalmatia excepit. Turcæ in agrum Jadertinum hoc & superioribus annis illati cum omnia igni ferroque devastassent, Capitulum & Clerus Jadrensis fere omnes, quos ex decimis percipiebant, proventus amisit. Andreas utriusque inopiæ atque egestati ut consuleret, sacerdotium sive Abbatiam S. Michaelis de Monte apud insulam Ulliani, ob mortem Mutii Calini Episcopi Interamnensis exstincti anno 1570., quasi caducam & vacuam, cum omnibus ejus reditibus, eidem Capitulo & Clero perpetuo possidendam, & fruendam attribuit: id tamen oneris utrique imposuit, ut ex hujus sacerdotii proventibus quinos & vicenos argenteos singulis annis Magistro clericorum contribuerent.

Andreas Minutius miserat. divina Archiep. Jadren. Dilectis nobis in Christo Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, & Canonicis Cap. Jadren., nec non omnibus Mansionariis, Septimanariis, Diaconis, Subdiaconis, & Acolytis de massa Capit. Jadren., præsentibus & futuris salutem, & spiritualium bonorum incrementum. Cum nuper beneficium rurale non autem claustrale, Abbatiæ S. Michaelis de Monte nuncupatum, in insula diœcesis Jadrensis constitutum, per mortem B. M. Reverendissimi Patris Domini Mutii Archiepiscopi, nec non Dei & apostolicæ Sedis gratia olim Episcopi Interamnensis, ejusdem beneficii Abbatiæ nuncupati ultimi & immediati possessoris, & rectoris, nuper extra Romanam Curiam vita functi, vacavit, & vacet; nobisque

Decretum Andreæ Minutii Abbatiam S. Michaelis Capitulo & Clero conferentis.

per

Digitized by Google

per vos humiliter supplicatum fuerit, ut, cum omnes licet tenues & miseros proventus decimarum agri Jadrensis ad præsens ob Turcarum sævissimum bellum in totum igni & gladio devastati ac occupati, amiseritis, quorum tamen, dum extabant, dimidium dumtaxat inter vos, qui sexaginta duorum, sub diversis titulis, corpus perpetuæ Ecclesiæ Jadren. servituti obligatum efficitis, dividebatur, & eo unico proventu vivebatis, ac propterea ad extremam paupertatis & miseriæ calamitatem delapsi estis; ipsum beneficium, ut præmittitur, vacans vobis in perpetuas quotidianas distributiones inter præsentes in Ecclesia Jadrensi prædicta, horis canonicis quotidie actu deservientes, convertendum, & applicandum conferamus; ut sic aliquatenus sublevati, Dei omnipotentis, & ejusdem Ecclesiæ Jadren. servitiis, & cultui incumbere valeatis. Nos igitur scientes expositionis, & supplicationis vestræ veritatem; considerantes ob beneficiorum ecclesiasticorum tenuitatem in diœcesi nostra ad fines Turcarum existentium, quæ nunc præter unicas steriles insulas a Turcis, ut præfertur, occupata sunt, in pacis tempore Seminarium in Ecclesia Jadrensi juxta præscriptum sacrosancti Concilii, licet id faciendi tum nos, tum prædecessores nostri cuperemus, nullo studio erigi seu institui potuisse; ex vacatione hujus beneficii in nostra diœcesi consistentis bonum aliquod perpetuum opus ad laudem omnipotentis Dei, & Ecclesiæ Jadrensis decorem, & Cleri ipsius profectum, vobisque supplicantibus, nullatenus non impertiendum instituendumque arbitrati sumus. Ergo præsentium tenore, auctoritate nostra ordinaria, qua ex munere Archiepiscopatus nostri fungimur, & omni, quo possumus, & valemus, meliori ac magis subsistenti modo beneficium ipsum rurale Abbatiæ S. Michaelis de Monte nuncupatum, sicuti præmittitur, vacans, vobis dilectis filiis Capitulo & Clero Massæ capitularis Jadren., humiliter petentibus, supplicantibus & recipientibus, in perpetuum ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ejusque gloriosæ Virginis matris, Spiritus Sancti gratia invocata, conferimus, & contulimus; vobisque de eodem providemus, & providendum duximus, cum omnibus & singulis fructibus, reditibus, & proventibus, juribus, jurisdictionibus, & emolumentis quibuscumque ad dictum beneficium rurale Abbatiæ nuncupatum quomodocumque, & qualitercumque spectantibus, & pertinentibus, inter vos & successores vestros in perpetuas quotidianas distributiones pro portionibus consuetis, salva tamen annua perpetua obligatione infrascripta, & inter præsentes dumtaxat in Ecclesia Jadren. personaliter horis canonicis deservientes distribuendis. Quos quidem fructus & proventus beneficii jam dicti vobis collati, tenore & auctoritate prædictis obligamus, & subponimus in perpetuum ad solvendum ducatos 25. in singulis annis Doctori seu Magistro scholæ erigendæ, qui litteris Latinis bonisque moribus clericos Ecclesiæ Jadrensis instructurus est; ita quod, si nullos alios fructus per tempora idem beneficium, præter hos ducatos 25., reddiderit; eos tamen, omnibus aliis semotis & cessantibus, huic institutioni clericorum obnoxios, & obligatos esse volumus atque decernimus. Mandantes tenore & auctoritate prædictis cuicumque Notario publico diœcesis Jadren., quem duxeritis eligendum, ut Reverendum Archidiaconum Jadren. nomine omnium vestrum virtute harum nostrarum collationis litterarum, præstito prius ab eo corporali juramento in animam omnium vestrum de fidelitate & obedientia servanda erga Sanctissimum D. N., & p. Sedem apostolicam, & nos, & successores nostros legitimos, & de tuendis juribus dicti beneficii, in realem & actualem possessionem ejusdem beneficii Abbatiæ nuncupati, cum conditionibus & obligationibus prædictis inducat, & inductum conservet; ac vobis de fructibus, reditibus, proventibus omnibus, & quibuscumque dicti beneficii Abbatiæ nuncupati, ubique existentibus, integre responderi faciat, amoto inde quolibet illicito detentore, per censuram ecclesiasticam, si opus erit, compescendo. In quorum fidem, & testimonium has nostras litteras per Cancellarium nostrum infrascriptum fieri, & subscribi, ac nostri majoris sigilli appensione, & manus nostræ subscriptione firmatas, roborari mandavimus. Dat. Jadræ in Camera cubiculari nostra an. Nativ. D. N. Jesu Christi 1570, Indict. 13., die vero 24. mens. Aprilis, Pontific. sanctissimi D. N. Pii D. G. PP. quinti an. v. præsentibus D. Laurentio Ventura, & D. Marcantonio Bassano civibus Jadren. testibus rogatis, specialiterque &c. &c.

Andreas idcirco fortasse jus illius sacerdotii conferendi ad se pertinere existimabat, quod Mutius extra Curiam Romanam, & illis mensibus mortuus esset, quos episcopales vocant, ignarus decreti pontificii, quod qualibet hujusmodi sacerdotia, usque ad certum & præfinitum tempus vacatura, arbitrio & potestati Sedis apostolicæ reservabat. Itaque Pius V. Patribus Dominicanis Jadertinis, quorum annui proventus propter vastationes Turcarum detrimenti plurimum ceperant, Abbatiam S. Michaelis concessit, & cum eorum cœnobio in perpetuum conjunxit.

Pius V. abrogata Minutii donatione, Sacerdotium S. Michaelis Patribus Dominicanis confert.

Pius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officii, cui disponente Domino præsidemus, ut circa statum monasteriorum, aliorumque regularium locorum quorumlibet prospere dirigendum, intendentes in iis, per quæ commoditatibus illorum, ac divini cultus augmento consulitur, partes apostolicæ providentiæ, prout opportunum fore conspicimus, favorabiliter impertiamur. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica ex tunc, usque ad certum tempus tunc expressum 18. Aprilis, & certis aliis etiam tunc expressis mensibus, aliasque per resignationem extra Romanam Curiam vacatura, collationi & dispensationi nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque postmodum ecclesia, sive Cura, Abbatia nuncupata S. Michaelis, in loco ultra Barcbaneum diœc. Jadren., sive prope & extra muros Jadrenses, quam b. m. Mutius Episcopus inter alia ex concessione dispensationeque apostolica in titulum sive commendam, dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Mutii, qui tempore prædicto nondum elapso extra dictam Curiam de mense Aprilis proxime præteriti diem clausit extremum, vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illa, quatenus per obitum hujusmodi vacet, ut præfertur, præter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione, & decreto obstantibus supradictis; cumque sicut accepimus, in civitate Jadrensi extet una domus sive conventus Ordinis S. Dominici FF. Prædicatorum, in qua, seu quo studium universale FF. Religiosorum dicti Ordinis totius

illius

Digitized by Google

illius provinciæ Dalmatiæ consistat, quæ quidem domus, licet sit principalis illius provinciæ, & valde insignis, summa tamen paupertate est oppressa; idcirco nos, qui dudum inter alia voluimus . . . . . . quique tam ad sustentationem dilectorum filiorum Prioris & Fratrum, seu Religiosorum dictæ domus, quam ad studii universalis, & studentium conservationem & manutentionem, fraternæ considerationis intuitu, curam dirigentes, ac in præmissis pro nostri pastoralis officii debito opportune providentes, ipsosque Priorem & Fratres, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non altarum unionum eidem domui seu conventui quomodolibet factarum tenorem verumque & ultimum dictæ ecclesiæ vacationis modum, & si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expresso habentes; motu proprio, non ad ipsorum Priorum & Fratrum, & alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantia; sed de mera liberalitate, ac ex certa scientia ecclesiam prædictam, & illius fructus, redditus, & proventus, centum ducatorum auri de Camera, secundum communem existimationem valorem annuum, non excedentes . . . . . . cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, ac pertinentiis eidem domui, sive conventui; ita quod liceat Priori & FF. præfatis per se, vel alium, sive alios, ejusdem domus, seu conventus nomine corporalem possessionem ecclesiæ prædictæ, & annexorum jurium, & pertinentiarum propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus percipere, exigere, ac in domus & conventus ac studii prædictorum usus, & utilitatem convertere, nec non ejusdem domus, seu conventus . . . . . . unimus, annectimus & incorporamus; nec non unionem, annexionem, & incorporationem prædictam sub prætextu, quod illa vocatis vocandis, & ex necessaria caussa facta non sit, nullo umquam tempore retractari, neque Priorem & Fratres prædictos ad illius caussam verificandam teneri, aut præsentes litteras quovis quæsito colore vel ingenio, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, vel impugnari posse decernimus &c. &c. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno ab Incar. Domini 1570. Cal. Junii, Pontificatus nostri an. V.

Senatus pontificiam donationem approbavit. De hujusmodi sacerdotio lis aliqua fuit Patribus Dominicanis cum Capitulo & Clero Jadrensi, quæ Venetias delata cum fuisset, Aloysius Dux & Senatus possessionem antea traditam Canonicis, & clericis Jadertinis revocavit, & pontificia Piana concessione approbata, cœnobio S. Dominici adjudicavit. Extant litteræ ducales in tabulario ejusdem cœnobii.

Jamdudum Veneti novis operibus, & propugnaculis Jaderam communire cœperant. Bello Cyprio exorto, his munitionibus quod deerat, Senatus jussit perficere. Quæ pars mœniorum in portum imminet, erat structuræ perantiquæ, multisque locis labefactata, & sane debilior, quam ut vim hostilem sustinere posset. Hanc igitur resarciri ac refici, & quod caput erat, aggeribus firmari oportebat. Obstabat templum S. Mariæ Majoris mœnibus contiguum, in quo corpus S. Simeonis jam inde a sæculo decimotertio asservabatur, & summa veneratione colebatur. Quare templum illud demoliendum esse censuerunt, locus ut esset aggeribus exstruendis, intacto tamen sacello S. Rocchi, in quod translatum fuit sanctissimum illud corpus, arca argentea exemptum, & arca cupressina inclusum, reconditumque in veteri loculo marmoreo, subter mensam altaris ad tempus depositum fuit. Arca vero argentea Virginibus Benedictinis S. Mariæ in custodiam tradita est. Sed cum locus ille perangustus atque inornatus videretur indecens esse, ac plane indignus, qui talis ac tanti Prophetæ sanctissimas exuvias apud se conditas servaret; Jadrenses pro sua erga S. Simeonem eximia religione, non procul a veteri novum templum opere cultuque magnifico construere decreverunt; jamque jacta erant fundamenta, & parietes e solo eminere jam cœperant; cum ob defectum pecuniæ inchoatum opus intermitti oportuit; ac centum fere anni effluxerunt, antequam sacrum illud corpus in locum digniorem transferri potuerit. Corpus S. Simeonis in sacellum S. Rocchi translatum.

Dum bello Cyprio Dalmatia quoque ardebat, Andreas Jadera secedens, Marco Lauretano Episcopo Nonensi ecclesiæ suæ administrationem commisit. Annos natus sexaginta, extra diœcesim, ut docet Valerius a Ponte, & quidem Venetiis diem obiit supremum; eique Minutius fratris filius in æde metropolitana monumentum posuit, atque elogium fecit: Andreas extra diœcesim moritur. Ejus elogium, & inscriptio sepulcralis.

Christo Redemptori.
Andreæ Minutio Serravallensi Doctori
Verum usu, religione, charitate, lenitate
Præstantissimo, per Pium Quintum Pon. Max.
Jadrensi Archiepiscopo creato, qui moriens
Incredibile sui desiderium, boniq. cognomentum reliquit.
. . . .
Vixit Andreas annos sexaginta, in Archiepiscopatu
Annos quinque; obiit MDLXXII.

Integram inscriptionem habes in Minutio Archiepiscopo, qui post quatuor Archiepiscopos interjectos patruo successit. Ejus corpus Venetiis in patriam translatum Nicolaus & Hieronymus fratres Andreæ apud Serravallem, in templo suburbano S. Andreæ tunc primario illius oppidi, medio in Odeo perhonorifica sepultura donarunt; atque ab latere summi altaris, quod cornu epistolæ vocant, monumentum marmoreum parieti affixum, egregieque ornatum eidem posuerunt, his litteris inscriptum:

Jesu Xpo. Redem.
Andreas Minutius Jo. Filius,
Artium, Scientiarumq. peritiss.
Jaderæ Archiepiscopus,
Ibi, Romæ, & ubiq. clare vixit;
Annum agens LX. Venetiis obiit.
Nicolaus, & Hieronymus I. C.
Fratres Fratrem mœrentes
Huc deferri, & hic deponi curarunt.
MDLXXII.

Post obitum Andreæ, cum ob clades a Turcis illatas, & vastationem agri Jadertini, vectigalia ecclesiæ & mensæ archiepiscopalis valde diminuta essent, nemo fuit, qui Archiepiscopatum peteret, ac tantum onus, necessariis ad illud pro dignitate sustinendum subsidiis destitu-

tutum; subire vellet. Itaque Gregorius XIII. Pont. Max. Marcum Lauretanum Episcopum Nonensem Ecclesiæ Jadrensis administratorem esse jussit, litteris ad eum datis anno 1573. XIII. Kal. Aprilis. Ecclesiasticorum redituum quod supererat bifariam distribui voluit, & partem unam Aloysio Cardinali Cornelio, alteram ipsi Lauretano assignavit. Hic vero traditam sibi administrationem e pontificio decreto suscepit anno sequenti, tertio Non. Februarii, & quoad vixit, perpetuo retinuit: *Plura*, inquit Valerius a Ponte, *tam pro disciplina ecclesiastica, quam pro cultu ecclesiæ opportune constituit; scripsit de vera felicitate; vir non vulgaris eruditionis & pietatis*. Hunc Ferdinandus Ughellus Archiepiscoporum Jadrensium catalogo adscripsit inter Andream Minutium, & Natalem Venerium, qui ceteroquin administratoris munere contentus, titulo Archiepiscopi semper abstinuit. Migravit ad superos anno 1577. VII. Kal. Julii, de quo plura in Episcopis Nonensibus. Ejus mors finem attulit interregno archiepiscopali, quod annos quinque tenuit. Post Cyprum amissam aliquot familias Græcas patria profugas Jadera excepit; quibus concessu Senatus Veneti & ecclesia S. Eliæ condita fuit, & sedes in urbe attributa est, ea tamen lege & conditione, ut ritum Græcum cum Religione Catholica, debitaque erga Romanum Pontificem obedientia conjungerent; itemque ut Sacerdos eidem ecclesiæ præpositus, & Curator animarum ritus græcanici, Archiepiscopo Jadertino subesset.

Ecclesiæ Jadrensis administratio tradita Marco Lauretano Episcopo Nonensi.

NATALIS ARCH. JADREN. XXXVI.

Hic alter est e Veneria gente apud Venetos patricia, qui haud minus virtutum, quam generis, splendore metropolim Jadertinam illustravit. Cum præter cetera, quibus præditus erat, ornamenta, linguam Slavonicam calleret, apprime utilem ac necessariam ad rusticanos homines Italici sermonis ignaros erudiendos, illum Gregorius XIII. huic diœcesi ac metropoli maxime aptum esse censuit. Itaque *anno 1577. 13. Novemb. providit Ecclesiæ metropol. Jadren. per obitum b. m. Marci Lauredani Episc. Nonen. illius administratoris perpetui vacanti de persona R. D. Natalis Venerii nob. Ven. sac. Theol. Doct., & in Presbyteratus Ordine a proximo mense Augusti constituti, in idiomate illius regionis instructi, cum dispensatione quoad tempus susceptionis sacri Ordinis, & salva remanente antiqua medietate fructuum dictæ Ecclesiæ pro R. D. Cardinali Cornelio*. Ex tab. consistor. Anno sequenti XVII. Kal. Julii Jaderam appulit, & ecclesiæ sibi traditæ possessionem adivit, ut constat ex responsione Petri Veglensis Episcopi ad litteras encyclicas, quibus Natalis de adventu suo Episcopos provinciales admonuit.

Epistola gratulatoria Episc. Veglensis ad Natalem.

Reverendiss. in Christo Pater. Quod Ecclesiam Jadren. Pastore destitutam persona vestra summa religione, probitateque, ac prudentia erudita, Sanctiss. D. N. D. Gregorius divina providentia PP. XIII. Sancto Spiritu affluens honestarit, atque illa ad ecclesiam suam XVII. *Kal. Julii se contulerit, ut ex litteris suis humanissimis sub* XIII. *Cal. dat. & sub prid. Nonas ejusdem allatis accepi; plurimum (ut debui) sum lætatus; nam ut membra sine capite vitam ducere nequeunt, ita hæ ecclesiæ sine capite vestro languidæ, & pene mortuæ videbantur. Ecclesiæ igitur vestræ, atque Reverendissimæ Domin. vestræ etiam atque etiam gratulor, pro cujus salute, & conservatione sine intermissione preces effundam ad Dominum, & pro quarumcumque adversitatum destructione & extirpatione. Interim dum huc me ad invisendam Dominationem vestram Reverendissimam, & ejus manus deosculandas, possim transferre; me in gratiam suam recipiat & conservet, cui me totum trado atque commendo. Moneo quod Ecclesia mea multis agitatur adversis, de qua cum ad Dom. vestram Reverendissimam accedam, secum pluribus agam, & bene valeat. Veglæ ex Episcopatu nostro die* X. *Julii* 1578.

Dom. V. Reverendissimæ uti filius

Petrus Episcopus Veglen.

Anno 1579. Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, vir omni laudum genere cumulatissimus, jussu missuque Gregorii XIII., nomine ac potestate *Visitatoris apostolici* præditus, Ecclesias Dalmatiæ lustravit. Mense Majo Jaderam pervenit; eamque in urbem ad Concilium generale omnes tum provinciæ utriusque Spalatensis & Jadrensis, tum reliquos Dalmatiæ Venetæ Episcopos convocavit. Interfuerunt Natalis Venerius Jadertinus Archiepiscopus, Dominicus Malcottus Aloysii Michaelis Archiep. Spalatensis adjutor & successor designatus, Episcopi sex omnino Petrus Bembus Veglensis, Coriolanus Garzadorus Auxerensis, Lucas Spingarolus Sibenicensis, Martinus de Martinis Phariensis, Petrus Cedulinus Nonensis, Franciscus Zapanius Catharensis. Tres desiderati sunt, Blasius Sidineus Arbensis gravi morbo impeditus, Antonius Guidus Traguriensis, qui tum Venetiis erat, Augustinus Quinctius Antistes Corcyræ Melænæ legitima excusatione usus. Quatuor præterea defuerunt e provincia Spalatensi Daniel Vocatius Dumnensis, idemque administrator Ecclesiæ Macariensis, sive Macharschensis, incertum quibus de caussis, Seniensis qui suberat imperio regum Hungariæ, Tininiensis vero, & Bosnensis, qui sedem episcopalem jamdudum amiserant. In hoc augustissimo conventu Augustinus leges quasdam seu constitutiones universales summa cura & prudentia elaboratas, & compositas edidit, quæ ad provinciam utramque, ac Dalmatiam Venetam pertinebant, quibusque totius rei christianæ & ecclesiasticæ descriptio moderatioque continetur. Has communi omnium approbatione receptas, in quibus singularis Augustini religio, doctrina, prudentia, & vehemens illud, quo flagrabat, studium ecclesiasticæ disciplinæ reformandæ, divinæ gloriæ augendæ, & animarum saluti modis omnibus consulendi, undique spirare videntur, dignas esse censeo, quæ hic iterum in lucem publicam prodeant, cum rara sint, vel nulla supersint earumdem exempla, quæ idem Augustinus typis Veronensibus edenda curaverat.

Visitatio apostolica Ecclesiarum Dalmatiæ Augustino Valerio Episcopo Veronensi commissa.

Synodus generalis Jadertina.

Constitutiones & decreta in conventu RR. DD. Spalatensis & Jadrensis provinciarum Archiepiscoporum & Episcoporum, ac eorum assensu a Reverendissimo D. Augustino Valerio Veronen. Episcopo Visitatore Dalmatiæ & Reformatore apostolico promulgata, & a Sede Apostolica confirmata.

In

Digitized by Google

In Nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis P. & F. & Spiritus Sancti. Amen.

De iis, quæ ad Episcopos pertinent.

Constitutiones Valerianæ in Synodo promulgatæ ac receptæ.

Cum Episcoporum præsentia gregi, eorum fidei a Deo tradito, plurimum conferat, quod multis rationibus in Concilio Tridentino sess. 23. explicatum est; Episcopi hujus provinciæ in sua ecclesia resideant, non absint ab ea sine licentia Sanctiss. D. N., vel nisi caussa suæ absentiæ a Metropolitano cognita, & in scriptis approbata, eo vero absente, ab antiquiore Suffraganeo. Gregem suum pascant verbo, & exemplo, eradicent, vellant, & plantent; munere, ad quod vocati sunt, fungantur, non tamquam dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo, (ut monet Apostolorum Princeps) doctrina, prudentia, & charitate præsertim in omnes, se veros Pastores & populorum Patres ostendant. Quod si abfuerint tribus præteritis mensibus, ad Sanctiss. nostrum scribat Archiepiscopus, aut antiquior Suffraganeus.

Cum præcipuum sit munus Episcopi docere, in tanta penuria magistrorum, qua laborat Dalmatia, pro eorum pietate munus ipsi docendi suscipiant, Catechismum Romanum interpretentur, inter Missarum solemnia sermonem ad populum habeant, linguam Illyricam, nisi eam norint, studeant ediscere pro salute animarum pretioso Christi sanguine redemptarum.

In mensa lectione sacra non careant, & modestiæ ac sobrietatis exemplum præbeant; hospitio, quatenus tenues eorum reditus patiuntur, pauperes Christi excipiant, illos præsertim, qui timore aut variis cruciatibus a christiana fide defecissent, & in gremium S. Matris Ecclesiæ eorum auctoritate redire cuperent.

Et quoniam multi e populo christiano in hac provincia, sævissima Turcarum oppressi sunt tyrannide, & tamen fidem christianam semel in sacro baptismo susceptam constanter retineant, omnibus rationibus alenda est eorum constantia, parvique libelli, veluti summa Catechismi in Illyricam linguam sunt transferendi; mittendi saltem Sanctissimæ Resurrectionis, & Natalis Domini nostri tempore Sacerdotes, qui ad perseverantiam illos hortetur, & charitatem, & ubi resident Episcopus illos invitent. Quod si Episcopi zelo Dei, & studio lucrandarum Deo animarum incensi ad illos se contulerint, & magis Deo servient, & majorem Domini mercedem consequentur. Singulis saltem tribus annis in ea loca, ubi fideles vitam sollicitudinis plenam ducunt, pro ministrando illis sanctissimæ Confirmationis sacramento se conferant, aut saltem diœceseos locum, quo commodius ipsi se transferre possunt, adeant; ibidem sacramentum ministretur, deque illius virtute & fructu plurima pro audientium captu in medium afferant.

Quolibet triennio Concilium provinciale fiat, ut Concilii Trident. decreto sancitum est, quod non incommode fieri poterit, cum magna sit locorum propinquitas, & admodum commoda navigatio, fiatque eo tempore, quod Archiepiscopus commodius judicaverit, in quo Concilio novæ, si necesse fuerit, constitutiones proponantur, & de observatione harum agatur, atque illic sese invicem Episcopi consolentur, & in arte pascendarum animarum, quæ omnium difficillima est, se invicem instruant. Quod si Archiepiscopi hac in parte officio suo defuerint, antiquior Suffraganeus residens possit Concilium convocare.

Convocet unusquisque Episcopus propriæ ecclesiæ synodum singulis annis post Sanctissimæ Resurrectionis D. N. J. C. dies, quam unius diei spatio poterit absolvere; ibique examinatores & judices juxta formam Concilii Triden. constituat.

Adhibeant Episcopi magnam diligentiam in examinatione Ordinandorum, cum hoc munus sit tantum Episcopi; nec prorsus sine dimissoriis quemquam ad ordinationes admittant contra decretum Concilii Tridentini; quod si aliter fecerint, pœnis a sac. Concil. statutis subjiciantur.

Vicarium doctrina, & vitæ integritate præstantem habeant; sed neminem de Capitulo, ad vitandas dissidiorum occasiones, generalem constituant Vicarium.

Cum in hac provincia magna sit Sacerdotum penuria; caveat Episcopus ne Sacerdotum inscitia adhuc magis, quam paucitas ejus ecclesiam dedecoret: ideo litteras dimissoriales non concedat, nisi maxima necessitate, & nisi diligenter eos, quibus litteras concesserit, examinaverit.

Et cum Sacerdotum paucitati, & inscitiæ in hac provincia succurrendum sit, nullaque sit facilior ratio, quam si Seminaria juxta formam Concilii Tridentini erigantur, orant Visitator, & Patres per viscera D. N. J. C., & per zelum honoris Dei, cujus S. P. D. noster Gregorius XIII. plurima dedit documenta, & quotidie dat, ut ad erigendum saltem unum Seminarium in Spalaten., alterum in Jadren. provincia animum suum propagandæ christianæ religionis studio maxime incensum intendat, unionibus beneficiorum simplicium, pro alendis saltem 40. clericis, pro quorum educatione sexcenti nummi aurei fortasse sufficient; & pro sua benignitate concedat, ut dum hujus provinciæ beneficia vacent, huic necessitati aliqua ratione succurratur. Quod si difficile Sanctissimus D. N. judicaverit erigi posse Seminaria in hac provincia, quæ omnibus hujus provinciæ ecclesiis serviant; admitti saltem jubeat e singulis ecclesiis 4. pueros ab Episcopo cum consilio Capituli eligendos in Germanico collegio Romæ erecto, aut in Dalmatico ejusdem Sanctiss. D. nostri benignitate erigendo.

Interea Episcopi maxime curent ut clerici, qui ecclesiæ inserviunt, in Grammaticis instruantur; & præcipue in illis ecclesiis, in quibus præceptores non sunt delecti; qui tamen omnino studeant, ut quantocitius probati & eruditi eligantur.

Cum nulla sit in hac provincia juris canonici peritia, tantaque sit civium & omnium inopia, ut nequeant ad discendam nobilem & necessariam scientiam ad publica se conferre gymnasia; suppliciter rogant Patres ejusdem provinciæ Sanctiss. D. N. velle, ut e singulis Dalmatiæ civitatibus duo, aut saltem unus in collegiis, quæ Romæ, Bononiæ, Perusiæ instituta sunt, recipiantur, & saltem per quinquennium alantur, iique ab Episcopo eligantur.

Magistrum morum, & ceremoniarum Episcopi etiam deligant, cui aliquod simplex beneficium applicent.

Studeant maxime Episcopi, ut Sacerdotes, qui confessiones audiunt, & doctrina & moribus sint probati.

Suppliciter hic Conventus B. P. D. N. Gregorium XIII. rogat, ut Præpositis Ordinis S. Dominici & S. Francisci jubeat, ut Religiosi omnes viri, qui in hac provincia monasteria sunt ingressi, & hoc tempore in Italia degunt, in eamdem provinciam redeant.

Unum

Digitized by Google

Unum saltem collegium PP. Jesuitarum pro sua benignitate in hac provincia erigat.

Cum in hac provincia, Turcis immanissimis christianæ religionis hostibus nimis propinqua, periculum sit ne hæretica labes subrepat, Presbyteros Servianos ad se evocabunt Episcopi, illisque sæpe inculcabunt non habere Deum Patrem, qui Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam non sequitur Matrem; instruantque illos præsertim in articulis fidei, de præmiis sanctorum, de pœnis damnatorum etiam ante diem Judicii, de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio.

Indicem librorum prohibitorum in synodo diœcesana promulgabunt; cavebunt maxime ne homines hæretica peste contaminati in hac provincia lateant.

Ludimagistros, a quorum probitate & doctrina populorum & civitatum disciplina ortum habet, qui corruptis moribus totam corrumpere possunt provinciam, diligenter ipsos Episcopus examinet, & juxta sac. Concil. Trident. decretum inquirat, ac præscriptum Sanctiss. Domini Pii IV., & nisi sincera fide fuerint, illos docere non permittat. Si vero eos viros bonos, & satis eruditos cognoverit, hortetur ut ad pueros in doctrina Christiana instituendos diebus festivis una cum discipulis ad ecclesiam accedant.

Quia prava quadam irrepsit consuetudo in Dalmatia eligendi magistros Regulares viros, qui relictis monasteriis suis, quæ officinas virtutum omnium nominat S. Bernardus, quadam mercedula illecti, aut potius licentia vivendi, ad onus docendi Grammaticam se deligi conantur, Episcopi maxime studeant, ut in suis monasteriis manentes ab hujusmodi docendi munere excludantur, diligenterque indagent qua auctoritate extra monasteria vivant, illosque cogant, ut ad monasteria redeant sua.

Quia sæpe Dominorum Venetorum triremes in hujus provinciæ portus se consueverunt recipere, studeant Episcopi, ut miserandos homines ad triremes damnatos per se, aut per alios interdum consolentur, & pœnitentiæ sanctissimæque Eucharistiæ sacramentis reficiantur; singulique triremium Capellani, quibus illorum animæ a Deo sunt commissæ, ab illis Episcopis examinentur, ac visitentur, ad quorum diœcesim applicuerint.

Cum indulgentia noverca sit disciplinæ, curent Episcopi ut clericos concubinarios, adulteros, aut quocumque gravi scelere contaminatos ad exemplum & terrorem ceterorum puniant.

Belli tempore, quod interdum solet accidere ob potentissimi & immanissimi hostis vicinitatem, Episcopi gregem non deserant suum, pro quo Christum Pastorum omnium exemplar imitantes animam ponere debent suam; nam pastoralis auctoritas nullo tempore magis prodesse potest, quam dum pro religione Christiana dimicatur.

Orationem esse veluti telum, quo Sathanæ resistitur, & veluti clavis, qua cælum aperitur, Sancti Doctores memoriæ prodiderunt. In hac igitur provincia, quæ Turcarum faucibus est exposita, maxime necessariam esse orationem ad mitigandam iram Dei, & ad peccata vitanda nemo negabit. Idcirco Episcopi curent, ut ad campanæ sonum eodem tempore fiant preces ad Dominum Deum, ut populum suum a Turcarum tyrannide tueatur, & hanc provinciam, totamque christianam rempublicam pro sua misericordia defendat.

Cum nulla sit major miseria, quam ignorare rudimenta christianæ religionis, sine quibus nemo ad patriam cælestem pervenit; maximam Episcopi adhibeant diligentiam, ut singulis diebus festis ad sonum campanæ pueri in ecclesiam conveniant, & in doctrina christiana erudiantur. Clericos vero deligent, qui vicissim id muneris suscipiant. Addant etiam aliquos probos viros, qui in illa nobilissima docendi ratione versentur, atque in illa eleemosyna, qua nulla esse potest Deo acceptior, se exerceant; illosque sæpe hortentur, ut singulos pueros filios existiment suos; & illos in doctrina christiana instituant, mercedem laborum suorum a benignissimo Patre Deo bonorum omnium largitore accepturi.

Quia in hac provincia ferocissimus hostis omnes fere agros depopulatus est, & in suam redegit potestatem, ita ut sit maximus egenorum numerus, Pietatem charitatis proximis mensibus erectam conservare, atque etiam propagare sermonibus suis & privatis hortationibus nitantur Episcopi; serventurque regulæ, quæ singulis civitatibus sunt propositæ.

Quoniam ut scribit S. Augustinus, qui sanctissimæ feminæ Monicæ filius fuerat, ubi ad Episcopatum fuit promotus, nec cum matre habitare voluit, his verbis utens: Matris meæ & sororis meæ ancilla, nec mater, nec soror est. Idcirco ad evitandum omne scandalum Episcopus in suo episcopatu nullam mulierem, quamvis arctissima affinitate conjunctam, habitare permittat: cui constitutioni si non paruerit, Archiepiscopus illum arguat; & si magnum inde oriri scandalum animadverterit, ad Sanctiss. D. N. scribat.

Cum in hac provincia sive Hebræorum astutia, sive Christianorum, in quorum animos ipsi illabuntur, perverso judicio, Hebræi medicam artem exerceant, sive a civitatibus honorificis stipendiis vocentur cum aliquo christiani nominis dedecore, & non minimo periculo damnationis æternæ eorum, quibus ipsi medentur; curent omnino Episcopi, ne Hebræi medici eligantur, cum decretum Sanctissimi D. N. Pii V. de monendis ægrotis ad sanctum pœnitentiæ sacramentum suscipiendum ipsi observare prorsus negligant; hortanturque Visitator, & Patres hujus provinciæ Communitates, ut ab inimicis Crucis Christi, & a perfidis hominibus caveant.

Afflicta provincia Dalmatiæ tot bellis, & Turcarum incursionibus, discordia miseranda & intestino morbo laborare consuevit. In hoc igitur maxime studium, & diligentiam adhibeant Episcopi, ut diffidentes animos concilient, & piis operibus, confraternitatibus, societate in primis charitatis illos conjungant.

Cum autem ad Episcopos maxime pertineat orare pro populis, & sacrificium offerre pro salute animarum eorum fidei traditarum, singulis diebus festis saltem Missam celebrent; nam suo exemplo reliquos Canonicos, & Sacerdotes ad idem sacrificium offerendum excitabunt.

Quia non solum præsentibus, sed etiam futuris debet consulere Episcopus, & curare diligenter, ut Christi patrimonium, hæreditatem pauperum & Ecclesiæ sponsæ sarta tecta tueantur; curabit ut archivium fiat, in quo omnia publica instrumenta ad ecclesiam spectantia reponantur; ad hocque in suis ædibus locum tutum & abditum perquirat; cogatque notarios etiam ecclesiasticis censuris, ut eadem publica instrumenta, & acta publica, vel litteras, aut quævis similia, quæ ad ecclesiam spectant, hunc in locum conferant, invocato, si opus fuerit, pro illis conferendis auxilio brachii sæcularis.

Digitized by Google

Quia in hac provincia summa Dei benignitate, & horum populorum catholicæ fidei zelo, multæ atque eædem nobiles Sanctorum, Sanctarumque reliquiæ asservantur; curent Episcopi ut magna in veneratione habeantur; non omnium oculis, & omni tempore pateant, statis tantum diebus populis ostendantur; quo vero die reliquias ostendent, Episcopus, aut ejus nomine quispiam Concionator, magnos illos esse thesauros commemorabit, populosque excitabit ad veram pietatem, & ad illas debita veneratione prosequendas.

Curent Episcopi ut rite sanctissima Sacramenta ministrentur. In consecratione sanguinis D. N. J. C. albo potius vino, quam nigro utantur; & in communione laicorum ad tollendum omnem errorem, in quem aliqui possent incidere, in ablutione vitreæ vel alterius materiæ vasculo utantur, eoque forma decenti conflato.

Caveant omnino Episcopi ne oratoria in privatis domibus construantur, neve sanctissimum Eucharistiæ sacramentum extra parochias, nisi maxima in necessitate sumatur; idque ad conservandam sacramenti unitatem; & ut Parochis nota sit parochianorum suorum pietas & devotio.

Studeant Episcopi ut legata ad pias caussas pro officiis, & Missis pro mortuis celebrandis, aut pro excipiendis, & alendis pauperibus, a fidelibus, & aliis omnibus instituta omnia serventur; magistratuumque auxilium illis non defuturum confidimus; & ne desint caussæ Christi eosdem magistratus ad id Patres vehementer hortantur, quia parebunt sacro Concilio Tridentino, & serenissimæ Reipublicæ Venetique Senatus consulto, quæ illud observari jussit.

Cum in religiosorum hominum claustra, atque etiam in hortos mulieres variis prætextis ingrediantur, præsertim ut hauriant aquam, contra Bullam Sanctissimi Pii V. & Gregorii XIII.; hac constitutione decernitur, ut illorum monasteriorum Præpositi, qui mulieres pro haurienda aqua, aut pro quavis alia caussa in eorum monasteriorum claustra aut hortos ingredi non prohibuerint, subjaceant pœnis contentis in ipsis Bullis.

Quoniam perversa illapsa consuetudo de fratribus juratis, in qua adhibito jurejurando, & verbis quibusdam a Sacerdotibus prolatis, quasi sanctum Sacramentum ministretur, superstitiosa ac nimis periculosa conjunctio iniri consuevit inter mares & feminas, inter Turcas & Christianos, inter eosdem & Græcos schismaticos, quæ familiaritas multorum peccatorum occasionem præbuit; hujusmodi pravam consuetudinem avertere studeant, Sacerdotibusque prohibeant pœnis etiam propositis, ac hujusmodi juramentis intersint, neve illas conventiones verbis suis roborent.

In eligendis patrinis aliquis delectus habeatur, nimirum ne sint hæretici, schismatici, aut homines facinorosi, & qui statuto tempore Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint; quod ut fiat magnam diligentiam adhibeant Episcopi.

Ad tollendam pravam consuetudinem, & morem Ethnicorum, qui a Christiana religione omnino alienus esse videtur; jubeant Episcopi ne quis in hac provincia in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, super sepulcris mortuorum comessationes faciat; quin potius hortentur, ut cibi illi pauperibus distribuantur, mercedem a Deo accepturi; quod si quis secus facere ausus fuerit, arbitrio Episcopi puniatur.

Et quoniam contra decorem, & dignitatem religionis quandoque accidit, ut Religiosi mendicantes dum eleemosynam quærunt, in proprio habitu non incedant, & ob id populum in illos obloqui observatum sit; Episcopi perversum hunc morem omnino tollere curent. Si quis vero sine monachali habitu incedere deprehensus fuerit, arbitrio Episcopi puniatur.

Quia Sanctam Romanam Ecclesiam tamquam omnium Ecclesiarum Magistram in ipsis etiam, quæ ad externum Dei cultum pertinent, omnino sequi & imitari aliæ omnes Ecclesiæ debent; hac constitutione decernimus, ut in ceremoniis, in canonicis horis persolvendis, in Epistola & Evangelio recitandis, & in sacris indumentis conficiendis, mos & consuetudo Romana servetur.

Cum Sathanæ astutia, qui nihil aliud molitur, nisi ut omnibus rationibus suam augeat tyrannidem, & bona etiam opera corrumpat, accidat ut, cum repræsentationes Passionis & Sanctorum fiunt, plerumque oriantur inimicitiæ, & res sacræ profanæ tractentur, risusque interdum inde excitetur; repræsentationes hujusmodi Episcopi fieri minime permittant. Si quis autem repræsentare ausus fuerit, ab iisdem puniatur.

Cum ecclesia sit domus orationis, in qua divinæ laudes Deo persolvuntur, ab eaque omnes vendentes & ementes Dominum nostrum ejecisse in Evangelio sit scriptum; hoc maxime curent Episcopi, ut a foribus, & porticu ipsius ecclesiæ omnia profana, & præsertim choreæ, saltationes & ludi arceantur.

Ut misericordiæ opera omnia exercere non omittant Episcopi; ad calamitosos homines, qui in carceribus detinentur, accedant; atque paterno studio eos consolentur, diligenter inquirant an illis sancta sacramenta ministrentur.

In his, quæ spectant ad hospitalia, in quibus pauperibus Christi, quæ ad victum, & ad valetudinem recuperandam sunt necessaria suppeditantur; maximam diligentiam adhibeant Episcopi, ut fideliter & paterne se habeant hi, ad quos hujusmodi administratio pertinet. Omnino autem tenentur id servare, quod sacri Tridentini Concilii decreto hac de re sancitum est.

De his quæ a Reipublicæ magistratibus præstari debent.

Clarissimis Venetæ Reipub. magistratibus, ut serenissimæ Reipublicæ, quæ erga Sanctam Sedem Apostolicam Romanam plurima semper dedit obedientiæ & observantiæ documenta, post Episcopos potior sit locus in supplicationibus, atque etiam in ecclesia.

Studeant Episcopi si fieri potest, quemadmodum in proxima visitatione statutum est, ut chorus sit divisus ita, ut clerici dum canonicas persolvunt horas, a laicis non impediantur.

Rectores hujus provinciæ pro eorum pietate Episcopis faveant, caussam Dei defendant, dignitatem Sedis apostolicæ, & immunitatem ecclesiasticam juxta præscriptum sac. Trident. Concilii tueantur; Episcopos decimas, quæ ipsis de jure debentur, petentes, & exigentes non impediant, auctoritate potius sua juvent.

Et quoniam æquum est, isque priscorum Venetorum, qui catholicam Rempublicam plurimos annos pie & innocenter administrarunt, fuit perpetuus mos, ut decimæ Deo dicatæ a quopiam minime defraudentur, exigantur potius juxta justam portionem ab Episcopis ministris Dei, a Canonicis, & Parochis; hac constitutione iidem clarissimi omnium civitatum Dalmatini Quæstores ve-

vehementer rogantur, ne a priscorum Venetorum majorum suorum pietate degenerent, eorum potius studium in ecclesiasticorum bonis juvandis imitentur. Amplissimo Senatui in hac re obtemperent, qui plurima Senatusconsulta in eamdem sententiam fecit, modumque illum exigendi decimas servari jubeant, qui servatur in exigendis decimis Serenifs. Dominio debitis; (præsertim in insula Vegliæ) cum æquissimum sit, ut major diligentia adhibeatur in exigendis his, quæ Deo ejusque cultui debentur, quam adhibeatur in exigendis, quæ Principum sunt.

In clericos sæculares aut regulares non ausint ulla de causa manus injicere, nec ulla prorsus processus formatione de eorum criminibus inquirere, ne in excommunicationem a Sanctis Ecclesiæ Romanæ Pontificibus in Cœna Domini promulgatam incidant; Episcopum potius civitatis aut Vicarium amice si quid contra clericos aut religiosos ad aures eorum pervenerit, moneant.

Sciant iidem clarissimi Rectores nihil fore Deo bonarum rerum omnium auctori acceptius, nihil Venetæ Reipublicæ, a qua ea dignitate ornati sunt, gratius, nihil populis, quibus præsunt, utilius, nihil illis demum honorificentius, quam cum ministris Dei, qui pro Christo legatione funguntur, quorumque officium est lucrari animas Christi sanguine redemptas, perpetuo consentiri, illisque obsequium & reverentiam præstare.

Rogant Patres hujus conventus eosdem clarissimos magistratus, ut cum pro tempore illis necesse est pro publicis negotiis gerendis Turcas in civitates, quas administrant, recipere, ne in domibus muliercularum, quæ a maritis & parentibus non custodiuntur, excipiant, ne infidelis hominis semen cum christiano feminę [?]mine commisceatur.

Agnoscant clarissimi Rectores, & honore prosequantur Episcopos, ut Patres & Pastores animarum suarum per id temporis spatium, quo in Dalmatia magistratu funguntur; illos tamquam Patres consulant de iis, quæ ad animæ suæ salutem pertinent; maledicos, & detractores, qui Episcopum in odium populi adducere conantur, pietate & zelo Dei coerceant. Visitator, & Episcopi hujus provinciæ rogant etiam clarissimos magistratus, ut dies omnes festos, quos S. Mater Ecclesia servandos statuit, sanctissimosque in primis dominicos dies servari jubeant, & emptiones, nisi in magna necessitate, fieri prohibeant. In solemnitatibus Corporis Domini nostri Jesu Christi, quibus sacratissimum illud Corpus per civitatem defertur, atque etiam feria sexta sanctæ hebdomadæ, dum ad sepulcrum universo populo deducente idem sanctissimum Corpus Episcopus defert, Turcas atque omnes infideles, qui irridere hujusmodi sacrum ritum consueverunt, quo ad ejus fieri poterit, a civitate arceant.

Cum periculosa admodum & perniciosa sit Christianis Turcarum familiaritas, feminis in primis, quibus ab illorum libidine interdum etiam contempta strui solent insidiæ; clarissimos civitatum Rectores iidem Patres rogant, ne permittant adolescentibus ad Turcarum molendina accedere: quas autem compererint ad ea accessisse, puniant; easdemque soli Episcopi possint absolvere.

Cum non sine piorum hominum admiratione & dolore interdum locorum quorumdam Dalmatiæ Rectores in collationibus parochiarum, atque in eligendis Capellanis ad simplicia beneficia publica auctoritate nixi, contra canonicas sanctiones, jus eligendi sibi usurpaverint, & non bonis Sacerdotibus interdum faveant; Episcopus si id aliquando acciderit, constitutionem hanc iisdem Rectoribus legendam curent, qua intelligant se etiam excommunicatos, tamquam juris perturbatores, ecclesiasticæ disciplinæ corruptores, & episcopalis auctoritatis usurpatores, justamque Dei iram in se provocare, & in excommunicationem latæ sententiæ incidere; præterquam quod Rempublicam, quæ Sanctæ Apostolicæ Romanæ Sedi semper paruit, & sacrum Concilium Tridentinum, quod S. C. servandum jussit, maxime lædunt.

Monent etiam Patres magnificos triremium Præfectos, ut Deum timeant, dies festos præsertim Dominicos, quatenus maritima, in qua se exercent, disciplina patitur, servent, servilia opera in eosdem dies festos non differant; si quid vero hujusmodi facere coacti fuerint, benedictionem prius ab Ordinario petant, hujus reverentiæ erga Deum ab eodem omnium rerum moderatore, cum suis navigationibus, omnibusque negotiis remunerationem accepturi.

De iis, quæ ad Canonicos & Clericos in universum spectant.

Quoniam in ministro Dei decorum maxime laudatur, omnes Canonici & clerici veste utantur longa, & nigro colore, ne a populo contemnantur. In tunica nulla sit lactuca, non liceat uti serico, nec annulo, nisi iis, qui aliqua dignitate fuerint insigniti; quod si quis huic constitutioni non paruerit, juxta sacros Canones, & sacri Concilii Tridentini decreta puniatur.

Cum insigne ecclesiasticæ dignitatis sit corona in capite, omnes Canonici & clerici coronam gestent in capite; quod si facere neglexerint, ab Episcopo puniantur.

Curent, si fieri potest, Episcopi, ut clerici deferant biretum in modum crucis; quod si efficere minime potuerint, permittant ut bireto rotunda forma utantur; pileos vero forma oblonga omnino non admittant, & eos, qui illos gestarent, puniant.

In ecclesia sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento maximus honor ab illis exhibeatur, genua flectant submisse, suaque devotione populos ad devotionem excitent.

Episcopo tamquam hierarcho & magistro illis a Domino tradito obtemperent, gravissimumque sciant esse peccatum illum tristitia afficere, & illa verba D. N. J. C. Apostolis dicta, Episcopis dicta arbitrentur; Qui vos spernit, me spernit. Caveant itaque ne spernentes Episcopum suum, spernant Regem Regum D. N. J. C., quo nihil potest esse iniquius, & scelestius.

Et quia ut scribit S. Jacobus, lingua est ignis, silva malorum, universitas iniquitatis, plurimæque ex maledicentiis & calumniis oriri solent inimicitiæ inter Sacerdotes, multæ etiam concitari seditiones in Episcopos; decernitur hac constitutione, præter pœnas, quibus de jure plectendi sunt maledicentes, & illi qui Episcopum infamant suum, ut quicumque Canonicus, aut Sacerdos, clericusque Episcopum suum, aut alterius ecclesiæ, injuriosis verbis publice læserit, aut in illum Rectores civitatis, aut nobiles, aut plebem irritaverit, arbitrio Episcopi acriter puniatur.

In chorum sine superpelliceo non accedant; & sanctum altaris Sacramentum antequam offerant Deo, prius se præparent, peccata confiteantur sua,

sua, manus lavent, in altarique biretum non ausint ponere; in ecclesia pileo non utantur, nec sine superpelliceo divino cuique officio intersint, nec puerorum etiam funeralibus, cum indecorum sit sine sacerdotali habitu sacerdotali munere fungi; iidem gravitatem cum modestia conjunctam retineant, quæ decet Sacerdotes & ministros Altissimi: cui constitutioni qui contrafecerint, Episcopi arbitrio puniantur.

Prava quædam in hanc provinciam irrepsit consuetudo, ut dum Sacerdotes primam Missam celebrant, pecuniam quærant, & convivia lauta & ampla pro qualitate provinciæ fiant: hujusmodi igitur consuetudinem tollere Episcopi magna diligentia studeant.

Nemo mulierem in domo sua habitare permittat, cujus forma ad incontinentiam allici, ex qua scandala oriri possint; sed quæ sit probatis moribus, quæve Episcopi aut ejus Vicarii judicio nullam incontinentiæ suspicionem possit injicere.

Negotiatorem clericum cum Sancti Patres damnaverint, virumque de sorte Domini vocatum non deceat sæcularibus negotiis implicari, nullius generis mercaturam exerceat clericus, quod si secus fecerint moniti, juxta sacros Canones arbitrio Episcopi, aut ejus Vicarii puniantur.

Cum non deceat ministros Christi, Sacerdotes & clericos tempus terere, quin potius ad eos pertinet precibus, & sacrorum librorum explicatione, vitæque exemplo populos instruere, ludus alearum & taxillorum illis prorsus sit prohibitus: non intersint spectaculis aut choreis, non dent operam venationibus, non incedant personati, aut arma deferant, in quibus omnibus si deliquerint, ab Episcopo puniantur.

De iis, quæ ad Canonicos separatim pertinent.

Cum Episcopus in ecclesia principem locum teneat, & sit a Romano Pontifice Christi Vicario in partem sollicitudinis vocatus, Canonici illius capitis sunt membra; & ideo cum nihil tam deceat, quam membrum a capite dissentire, quam Canonicos cum Episcopo suo altercari; si quis igitur ex Canonicis Episcopum irritaverit, Dei judicium non effugiet, & tamquam seditiosus a generali Vicario punietur.

Quoniam domum Dei decet sanctitudo, in ecclesia cathedrali Canonici silentium servent, a jurgiis & maledicentiis, a verbis etiam otiosis abstineant, in choro litteras non legant, & præsentem esse Christum Dominum existiment.

Quo tenuiores sunt Canonicorum præbendæ, atque etiam distributiones, quæ ipsis dantur, eo magis eorum laudanda est devotio, qui pro honore Dei, a quo tot beneficia accepimus, & accipimus quotidie, chorum frequentant, hymnosque eidem Deo canunt.

Vicariis Episcoporum sit in choro primus locus, cum unum & idem sit tribunal Episcopi & Vicarii, inter Canonicos vero Archidiacono & Archipresbytero sit locus juxta consuetudinem cujusque ecclesiæ.

In beneficiis ecclesiasticis, quæ Capitulis hujus provinciæ annexa sunt, Ordinarii sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, ab ipsis deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur juxta decretum Concilii Tridentini.

Provideant Episcopi ut Canonici in iis, quæ ad eorum manus, & præsertim animarum curam pertinent, instruantur.

Quicumque interpretationibus Catechismi, aut Summæ B. Antonini, aut alterius probati Doctoris, quem explicandum omnino Episcopus curabit, interesse neglexerit, arbitrio Episcopi puniatur, ut qui respuerit disciplinam, & scientiam repulerit.

Curent Episcopi ut saltem diebus Dominicis, & festis solemnioribus, si autem curam animarum habuerint, frequenter suo muneri satisfaciant, & Missas celebrent.

In hac militanti Ecclesia chorus, ubi hymni cantantur Domino, repræsentat angelicum chorum cælestis hierarchiæ; studeant igitur Canonici dum in choro psallunt, Domino psallere ore & corde, non voce canere, & mente esse distractos, non laudare Deum verbis, factis vero atque odio in proximum, eumdem Deum ad iracundiam provocare.

Episcopum ut Pastorem animarum, & præcipuum ministrum Christi, in ecclesia præsertim, omnibus honoribus prosequantur; illum ex episcopalibus ædibus deducant, atque ad easdem reducant superpelliceo induti, si tamen domus fuerit proxima ecclesiæ; existimentque honorem, qui Episcopo tribuitur, ad Deum, & ad se pertinere.

Cum interdum quo tempore horæ canonicæ in ecclesia persolvuntur, atque etiam offertur Domino sacratissimum sacrificium Missæ, reperiantur Canonici, qui tempus conterentes, nobilissimi sui muneris obliti cum laicis in foro nugentur; cum id constiterit, Episcopi illos moneant, atque etiam puniant. Liceat tamen Canonicis, ut decretum est, per tres menses, ut rebus suis consulant, ab Ecclesia abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.

Capitulum in propriis litibus & controversiis quacumque de causa ex distributionibus, quæ ad reliquos etiam clericos, qui ecclesiæ inserviunt, spectant, nihil expendet, nisi communis omnium causa agatur.

De iis, quæ ad Parochos pertinent.

Parochi sua parochia sine Episcopi licentia si absint, puniantur pœnis, quæ a sacro Tridentino Concilio sunt constitutæ; & parochiam non possint dimittere etiam cum consensu parochianorum, nisi de expressa licentia Episcopi in scriptis; quod si secus fecerint, juxta ejusdem Concilii decretum puniantur.

Christianam doctrinam doceant, verbum Dei populo explicent, & non desinant sermonibus suis detestari peccata, & ad præcepta Dei servanda populum adhortari, gloriam & pœnam proponentes, & de quatuor Novissimis ea commemorantes, quæ facile omnibus cognita & explorata sunt.

Post solemnitatem Dominicæ Resurrectionis, eos qui sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum minime sumpserint, deferant; qua in re si officio suo desint, ab Ordinario puniantur.

Ad Parochorum usum, qui non satis latinis litteris instructi videbuntur, Sancti Antonini Summa Italice pro imperitis Sacerdotibus edita, aut aliqua alia Summa in Illyricam linguam vertatur; ut inde cognitionem aliquam pascendarum animarum omnes Parochi possint consequi. In sacri Baptismi sacramento administrando ritum servent a S. Romana Ecclesia institutum, quem ut omnes facilius ediscant, hujus conventus decreto Rituali Romano utantur.

Nemo intra domesticos parietes baptizet, neque alia sacramenta, & præcipue sacramentum ma-

Digitized by Google

matrimonii ministrare audeat, nisi necessitatis caussa; & unus tantum compater, & una comater juxta Sac. Triden. Concilii decretum e sacro fonte pueros suscipiant, eorumque nomina in libro describantur; nec patrinorum multitudinem permittat, ne veniente ætate ea ratione matrimonia impediantur.

Hortentur Parochi, & Episcoporum auctoritate nixi cogant omnes patresfamilias, cum primum filios susceperint, ut infra octo aut decem dies ad sac. Baptism. sacramentum suscipiendum mittant; cum non minimum periculum sit, ne si tempus protrahatur, ut inveteratus quidam mos in hac provincia obtinuisse videtur, infantes imbecilla illa ætate sine tanto ac tam necessario sacramento pereant, & iidem patresfamilias hujus negligentiæ coram Deo sint reddituri rationem. Quod si observare neglexerint, ab ingressu ecclesiæ, & perceptione sacramentorum sint suspensi.

Cum sæpe usuveniat, ut Turcæ superstitioso quodam commento a Sacerdotibus flagitent, ut filios baptizent suos, nimirum quod sibi persuadeant baptizatos non fœtere; caveant Sacerdotes ne sanctissimum sacramentum ea ratione dedecorent, omniaque patiantur potius, quam illud eam ob caussam conferant.

Cum a Parochis matrimonia sæpe celebrentur, decretum de publicationibus faciendis servent, trinas denunciationes non omittant, gradus affinitatum considerent, sanctum matrimonium sancte ministrent, & gravitatem retineant suam.

Sponsum & sponsam benedicere non omittant, & de virtutibus sancti matrimonii semper aliquid dicant.

Quoniam decimæ de jure divino ecclesiæ sunt solvendæ, Parochi inter Missarum solemnia publico sermone omnes hortentur, ut eas alacri animo, & sine fraude persolvant. Eos etiam, qui bona ecclesiastica quocumque prætextu occuparent, moneant ut ea quam primum reddant; ne cum aliquid ecclesiæ subtrahere student, in excommunicationis pœnas incidant, & eorum patrimonia, omnesque facultates illis a Domino concessæ corrumpantur.

De iis, quæ ad Operarios pertinent.

Cum in quibusdam Dalmatiæ provinciæ ecclesiis soli Episcopi operarios, seu administratores, qui reditus quosdam ecclesiasticos ad ecclesiam reparandam, atque etiam ad ejus ornatum retinendum exigunt, eligant; hac constitutione decernitur, ut illarum ecclesiarum consuetudo, & jus servetur tam in electione operariorum, quam in administratione pecuniæ. In quibus vero ecclesiis a spect. Communitatibus eligi consueverunt operarii, aut S. Sedis apostolicæ concessione, aut longa plurimorum annorum consuetudine; ex his unus aut duo ab Episcopo & Capitulo eligantur, aut a solo Episcopo, uti mos obtinuit; quod fiat pro conservanda pace, & ad tollenda omnia dissidia, quæ inde oriri possunt. Ad munus tamen operarii sive administratoris præstandum, in quo Ecclesiæ Dei, immo ipsi Deo servitur, nominari non possunt quicumque adulterii, concubinatus, aut aliquo alio scelere publico commaculati fuerint, quique sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum eo anno non sumpserunt. Quod si hujusmodi homines eligantur operarii, electio illa sit nulla.

Eligatur ab Episcopo unus e Capitulo, qui redituum hujusmodi, qui reparationi, & ornamento ecclesiæ sunt dedicati, notitiam habeat, & in librum referat; ut quo die operarii rationem sunt reddituri administrationis suæ, ipse possit interesse, & jura ecclesiæ tueri.

Reddantur hujusmodi rationes, ut multorum annorum consuetudine receptum est, ab operariis coram Episcopo, & ubi jus obtinuit, etiam coram Rectore civitatis; & tota summa pecuniæ ponatur in arca, cujus tres sint claves, una penes Episcopum, altera penes Rectorem, tertia penes operarium; idque ad removendas omnes suspiciones.

Cum vero sponsus ecclesiæ sit Episcopus, de ejus voluntate ornari debet ecclesia; quamobrem operarii aut thesaurarii nihil inconsulto Episcopo audeant facere, nullamque pecuniæ summam impendant; quod si contumaciter officium illud exercere voluerint, ingressus sibi interdicatur ecclesiæ per totum id tempus, quo moniti ab Episcopo operarii aut thesaurarii munere fungentur, & cum huic constitutioni contrafecerint, officio priventur.

Cum intolerandæ vanitatis sit insignia familiæ addere rebus, quæ ecclesiasticis sumptibus effectæ sunt, nullus audeat operarius nec planetis, nec pluvialibus, nec tabernaculo, nec cruci, nec altari, nec ulli rei, ab illo publico nomine & sumptu exstruendæ, insignia suæ familiæ apponere; quod si aliter fecerit, ejus insignia adimantur, & pœna ducatorum decem, in sumptibus ecclesiæ collocandorum, puniatur.

De iis, quæ ad Moniales pertinent.

Sunt in hac provincia pauca quædam monasteria monialium, quorum reditus tenues admodum sunt, & angusta illa quidem, cum hortis careant, & rebus ad vitam tuendam necessariis prorsus indigeant, nimirum puteis, & aliis quibusdam rebus, sine quibus vita traduci non potest, quæ tamen sunt vetusta, cum ante quingentos annos fundata fuerint, cumque omnes civitates Dalmatiæ, quæ ad magnam inopiam sunt redactæ, extinctionem monasteriorum ægerrime se laturas ostendissent, translationesque fieri nulla ratione queant propter pecuniæ inopiam, tum maxime quia loca non reperiuntur idonea; curent Episcopi, ut clausuram, ad quam eadem monasteria sunt redacta, conservent.

Moniales sæpe visitent Episcopi, suaque præsentia, sermonibus etiam, si modo Illyricam linguam sciant, consolentur; ipsis autem monialibus edictum sit, ut sub pœna excommunicationis posthac nulla caussa, nisi aut belli, aut pestis tempore, idque cum Episcopi licentia, e monasterio audeant egredi; nullam Virginum intra clausuram excipiant monasterii, nisi eo animo ingrediuntur profitendi religionem, aut educationis caussa, idque fiat conditionibus præscriptis a sacra Congregatione Concilii Trident.

Nec parentibus nec consanguineis suis bona monasterii sub excommunicationis pœna largiantur; & singulis annis a monasteriorum procuratoribus, justis de caussis a Communitatibus eligendis, reddantur rationes coram Episcopo.

In choro sacras horas canonicas persolvant, silentium servent, libros Sanctorum Patrum, & Sancti Bernardi ad Sororem, aut S. Ambrosii de Virginitate in Illyricam linguam conversos legant.

Singulis festis diebus, quibus moniales sacram Eucharistiam generaliter sumunt, neminem ad sui colloquium admittant.

Semel saltem in mense peccata confiteantur sua, & SS. Eucharistiæ Sacramentum sumant.

Ultra præscriptum numerum monialium nullam aliam admittant, nisi tantam pecuniæ summam contribuat, ut inde victum habeat.

Abbatissa, seu Præfecta quocumque nomine appelletur, quadraginta saltem annos sit nata; quod si nul-

Digitized by Google

si nulla illius ætatis in monasterio reperiatur, ex alio monasterio eligatur. Si autem id expedire Episcopus non judicaverit; monacham, quæ triginta saltem annos excesserit, ad id muneris eligi permittat.

Sæpe commemorent Episcopi illam esse eligendam Abbatissam, quæ magis ab illa præfectura abhorret; ambitiosas vero feminas ad illud honorem non esse evehendas.

Abbatissarum hoc præcipuum sit munus, ut nulla umquam monialium sine auscultatrice quemquam alloquatur, aut ejus excipiat sermonem.

Ne cuiquam liceat sub excommunicationis pœna, nisi iis, qui secundo affinitatis gradu sunt conjuncti, monasterium monialium accedere, sine licentia Ordinarii, aut ejus Vicarii; & si Præfecta monasterii aliquem admiserit, in eamdem excommunicationis pœnam incidat, & Ordinarii arbitrio etiam alia pœna puniatur.

Religiosis viris cujuscumque religionis fuerint ad moniales Episcoporum auctoritati subjectas non pateat aditus, nisi cum expressa Ordinarii licentia sub eadem pœna.

Curent Episcopi ut Illyrica lingua verbum Dei etiam moniales audiant, jubeantque concionatoribus, qui Quadragesimæ & Adventus tempore suas in civitate conciones habent, ut semel in hebdomada ad moniales sermonem habeant. Ipse etiam Episcopus eas consoletur atque instruat suis sermonibus.

Curent etiam Episcopi ut Regula S. Benedicti, & S. Francisci, quam professæ sunt, in Illyricam linguam vertatur.

Quia in hac provincia sunt quædam feminarum receptacula, sive congregationes potius, illas sæpius Episcopus visitet, atque a crebris colloquiis sæculares avertat; & si periculum incontinentiæ imminere videat, congregationes illas potius dissolvat.

Quæ feminæ in unum locum collectæ eremiticam vitam degentes sua, & populorum peccata deflere dicuntur, diligenter ab Episcopo observentur, interrogenturque sæpe, si mutato proposito libentius monasterium ingrederentur, ne forte inconstantiæ caussa, & solitariæ vitæ tædio in desperationem incidant. In harum numero in Dalmatia quasdam admirabilis sanctimoniæ fuisse constat, quarumque exemplum illis sepe debet proponi.

De iis, quæ ad confraternitates pertinent.

Cum plurimæ in hac provincia confraternitates reperiantur diversis nominibus nuncupatæ, quorum hominum studia Episcopi alant, & in hujus vitæ peregrinatione, periculosoque itinere socios habere non minimæ esse prudentiæ dicant; piasque & sanctas esse confraternitatum occupationes; sed plerumque Sathanam discordias serere solitum.

Ad vitanda igitur dissidia, & fugiendas omnes dissensiones, regulas, quibus instituti sunt, servantes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum saltem semel in mense ab hominibus confratribus sumendum persuadere nitantur.

Diligenter caveant Episcopi, ne in confraternitatibus alatur ambitio, & contentio; & ne priores locos ambientes, illa occasione pejores efficiantur; hujusmodi autem homines expelli Episcopi studeant.

Quia etiam magno jam piorum hominum dolore orta est vehemens suspicio in quibusdam civitatibus, non solum ibi discordias, sed plerumque lites & dissensiones excitari, & pecuniis in usum pauperum coactis, & piorum hominum testamentis relictas pauperibus Christi, in litigiis sæpe, variisque dissensionibus consumi; hac constitutione decernitur, ut quicumque in aliqua confraternitate constitutus suaserit pecunias confraternitatis in alios, quam in pios usus, hoc est in litibus promovendis, in nunciis & muneribus mittendis, aut quavis alia in re expendi, arbitrio Episcopi puniatur, si illam pecuniam, quam extrahi suaserat, statim non restituat.

Plurimum autem in Domino hortamur clarissimos magistratus, ut hanc constitutionem servari sua auctoritate studeant.

Ad tollenda multa scandala, quæ oriri consueverunt ex administratione pecuniæ confraternitatum, ne quæ piis operibus debentur, in pravos usus convertantur; decernitur, ut singulis annis ab iis, qui confraternitatibus præpositi erunt, coram Episcopo, & ubi mos obtinuit, coram clarissimis Rectoribus rationes reddantur, juxta Concilii Trid. decretum, dati & accepti; quod si facere neglexerint, consortio fratrum intelligantur esse privati.

Episcopus tamquam pater pauperum, totius populi, & confraternitatum, contra illos agat, etiam ecclesiastica censura, qui pecuniam confraternitatum in suum usum transtulissent; & eos, qui aliquam pecuniæ summam debere solvere esset cognitum, ad solvendum cogat; quæ tamen pecunia in potestate confratrum remaneat.

Adulteri, concubinarii, maledici, seditiosi, usurarii, & si qui sunt hujusmodi homines infames, ex confratribus excludantur.

De iis, quæ ad Laicos pertinent.

Quoniam arma Episcoporum, quibus ecclesiasticam tuentur dignitatem, & perversorum hominum insolentiam comprimunt, sunt excommunicationes, hujusmodi arma omnes cujuscumque sexus, & conditionis valde extimescant. De vi autem excommunicationis interdum concionatores sermonem habeant.

Bullam in Cœna Domini Sanctissimi Domini nostri ipsis interdum explicandam curabunt Episcopi, præsertim in his, quæ ad arma, & ferrum in partes infidelium deportanda pertinent.

Adulteros, concubinarios, & sanctissima Sacramenta respuentes sæpe deterrebunt; excommunicatione etiam, si opus fuerit, ad aliorum terrorem ferient.

Hortantur Patres hujus conventus omnes patres, & matresfamilias, ne in privatis domibus filias suas inclusas teneant ita, ut sanctissimo Missæ sacrificio nunquam intersint; ut ad ecclesiam Dominicis saltem diebus illas ad Missam accedere permittant sub matrum, & consanguineorum custodia.

Harum constitutionum exemplar singularium Ecclesiarum hujus provinciæ Episcopi, Canonici, Sacerdotes, & clerici habeant, legant, & ad usum revocent; Laicis etiam in illis, quæ ad illos spectant, explicent.

In Christi nomine. Anno Nativitatis ejusdem 1579. Indict. 8., die Mercurii, 20. mensis Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 8. Jadræ in monasterio Sancti Benedicti, ubi nunc residet infrascriptus Reverendissimus Dominus Visitator, præsentibus RR. DD. Raphaello de Raphaellis J. U. D. Canonico Veronensi, Ascanio Randolo J. U. D., Laurentio Albertino, & Antonio Guillielmo Archipresbyteris Calderii Pozzolenghi, & Poviliani respective, Veronensis diœcesis, atque Aloysio Locatello etiam Presbytero

tero Veronensi, omnibus familiaribus dicti Reverendissimi Domini Visitatoris testibus vocatis, & rogatis.

Reverendissimus D. Augustinus Valerius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Veronensis, & Comes, atque a præfato Sanctiss. D. N. constitutus, & deputatus Visitator, Reformator, & delegatus generalis, & specialis totius provinciæ Dalmatiæ ex apostolicis litteris in forma Brevis datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Octobris 1578., Pontificatus sui anno VII., post absolutam fere totam visitationem ejusdem provinciæ, præsentes constitutiones pro salubri ipsius provinciæ statu, ecclesiastica disciplina in ea stabilienda, religionis cultu adaugendo & propagando condidit, & ordinavit, alias etiam additurus, si quas alias superaddendas Dominus suggesserit. Quas quidem constitutiones lectas coram Reverendissimis Patribus DD. Natali Venerio Jadren., & Dominico Malquato electo Coadjutore Spalaten. Archiepiscopi, Petro Bembo Veglien., & Luca Spingarolo Sibenicen., Martino de Martinis Pharen. Coriolano Garzadorio Auxeren., Petro Cedulino Nonen., atque Francisco Zapanio Cataren. Episcopis in hanc urbem Jadren. intuitu dicti Reverendissimi DD. Visitatoris conventis; absentibus Reverendissimis D. D. Blasio Sidineo Arben. gravi morbo correpto, Antonio Guido Tragurien. Venetiis occupato, atque Augustino Quintio Curzolen. Episcopis; & super ipsis pluribus sermonibus habitis, & ab ipsis omnibus mirum in modum collaudatas & commendatas, communi ipsorum assensu in Dei nomine publicari fecit, mandans apostolica auctoritate, qua fruebatur, eas ab universis, & singulis ejusdem provinciæ, quorum interest, aut intererit, deinceps inviolabiliter observari.

RR. D. Visitatoris apostolici Cancellarius Thomas Forestus Veronensis.

Augustinus Valerius Visitator apostolicus jubet inchoatum S. Simeonis templum absolvi,

Augustinus, dum Jaderæ versabatur, sacellum S. Rocchi adiit, & corpus S. Simeonis, ut eum sua erga Sanctissimum Prophetam religio admonebat, pie ac suppliciter invisit. Sed locum illum tam angustum atque ignobilem tam illustri ac pretioso deposito plane indignum esse censuit. Jussit ergo, nisi aliunde ad ædificationem basilicæ, quam Jadrenses designaverant, & moliri jam cœperant, sumptus suppeterent, arcam argenteam, & quidquid esset facti infectique argenti ex piis donis votisque collectum conflari; ut inde necessaria ad opus illud persequendum absolvendumque pecunia conficeretur. Si vero quod de arca conflanda decreverat, Jadrenses ægre ferrent, atque intra octo menses hujus ædificii perficiendi alia nulla ratio inveniri posset, imperavit Archiepiscopo, ut sacrosanctas illas exuvias tam humili loco atque indecoro ne diutius jacere sineret; illasque in aliquod ex nobilioribus urbanis templis transferendas curaret, ubi pro dignitate collocarentur; & loci magnificentia ornatuque ad eas venerandas civium atque adventum frequentiam alliceret. Itaque decretum fecit in hæc verba.

vel ejus corpus in locum honorificentiorem transferri.

Die Veneris 8. Maji 1579. Reverendissimus D. Augustinus Valerius Dei & Apostol. Sedis gratia Episcopus Veronensis, & Comes, & in provincia Dalmatiæ apostolicus Visitator, Reformator, & delegatus, cum muneri hujusmodi apostolicæ visitationis intendens in civitate Jadrensi animadvertisset, quod venerab. reliquia beatissimi corporis S. Simeonis, quæ alias in celebri templo bellorum injuria, & pro civitate munienda postmodum diruto, honorifice asservabatur, nunc in arcto, ac tantæ reliquiæ minime decenti, atque indecoro loco continetur; quodque licet pro novo templo in ejusdem Sancti honorem, & ad illud beatissimum corpus continendum reædificando jacta fuerint fundamenta, nihilominus fere omnium nobilium, & civium inopia, ad quam propter ingentes a vicinis Turcis susceptas clades redacti sunt, res sæpius tractata, numquam tamen absoluta fuit, & adhuc venerabilis ipsa reliquia quam minime decore custoditur: existimans itaque suas esse partes ex apostolico munere sibi commisso, ad Dei gloriam, & ejusdem beatissimi corporis honorem, desuper aliquo convenienti modo consulere, & hinc adhibitis in colloquio spectabil. Consiliariis hujus civitatis, qui etiam in scriptura sua eidem Reverendissimo Domino Visitatori præsentata, hanc eamdem ipsi reliquiæ debitam stationem constitui maxime efflagitarunt; & cognito, quod ea, quæ nunc per eos ad hoc templum construendum proposita sunt, non firmo aliquo fundamento sustentantur, unde re de die in diem producta periculum est, ne debitum finem umquam sortiatur; ideo pro hujus negotii ratione, & Jadrensis civitatis conditione, in hanc denique sententiam Reverendissimus Dominus Visitator devenit Apostolica auctoritate, qua fungitur, omnino executioni demandandam; quod videlicet si spect. Consiliarii hujus magnificæ Communitatis, vel illi, ad quos spectat, quorum piæ voluntati cupit obsequi maxime, infra octo menses proxime futuros aliquem modum invenerint, quo postmodum convenienti temporis spatio realiter, & cum effectu illud templum ad ipsius S. Simeonis honorem super jactis fundamentis possit ædificari, & penitus absolvi, id in Dei nomine, & cum ejus benedictione perficiatur; quod si hoc minime effici potuerit, super quo Reverendiss. D. Archiepiscopus Jadrensis pro sua conscientia judicabit: tunc & eo casu Reverendiss. Visitator eadem auctoritate pro ipsius templi absolutione arcam illam argenteam haud minimi valoris, nempe quæ ad quatuor millium aureorum valorem ascendere dicitur, annis abhinc ducentis & amplius, ut fertur, voto ab Helisabeth Regina Hungariæ in ejusdem Sancti Simeonis honorem oblatam, reliquasque argenteas uncias nulli usui, vel in ministrando sacramenta, vel in decore ecclesiæ servando necessarias, sub eorumdem nobilium custodia detentas, fabricæ ejusdem templi appropriabit, vel vendendas, vel alio aptiori modo disponendas; quo casu pro ipsius regimine, & convenienti administratione gerenda debite provideatur, sicuti alias, dum ejusdem templi constructioni intendebatur, provisum extitit. Hoc autem decrevit idem Reverendiss. D. Visitator, quia D. Ambrosius Ecclesiæ Doctor præstantissimus in reparationem ecclesiæ proprios etiam calices, sacrificio jam deditos, impendi debere dixit; & quia in ecclesia B. Virgini de Laureto dicata, cui plurima aurea, & argentea vota in dies offeruntur, Summorum Pontificum decreto in signatos nummos conflata, constructioni, & reparationi ejusdem ecclesiæ disponuntur; & quod id etiam observatur in ecclesia B. Mariæ de Campanea Veronensi, & in aliis plerisque nobilium civitatum ecclesiis. Templum est locus orationis; & quid Ungarica Regina in oblatione ejusdem arcæ meruisse videtur, si ex arca templum construetur; unde

Digitized by Google

unde in eo divinus cultus asservabitur, & custodietur, procul dubio ipsius animæ saluti propensius consuletur. At si hanc expositionem arcæ & argenti magnifica Communitas non æquo fortasse animo tulerit, quia variæ sunt hominum sententiæ; idem Reverendiss. D. Visitator, qui cogitat eidem Communitati rem gratam facere, & ad Dei gloriam, quod omnia pacifice & quiete procedant, eadem apostolica auctoritate mandat, quod lapsis ipsis octo mensibus, ne beatissimum illud corpus ulterius eo tam indigno loco visitetur, per Reverendissimum D. Archiepiscopum Jadrensem debitis ceremoniis illud in aliam hujus urbis ecclesiam, in qua decenter & honorifice collocabitur, judicio dicti Domini Archiepiscopi, & antedicti Consilii magnificæ Communitatis deligendum, transferatur, ibidem permansurum, donec absoluto dicto templo, in illud reportari, & in eodem decenti modo collocari poterit; & in casu hujusmodi translationis Sacerdotes omnes nunc in loco jam dicto, ubi est reliquia, celebrantes, eamdem sequentes in ecclesia, ubi collocabitur, ad ipsius honorem celebrare teneantur. Et pro præsenti decreto exsequendo Reverendissimus D. Visitator rogat clarissimos Dominos urbis Rectores, quod si opus fuerit, desuper Reverendissimo Archiepiscopo opem ferre dignentur, quod pro eorum pietate, & præcipuo religionis zelo eos facturos confidit.

Ad ædificationem templi S. Simeonis indicta collecta, & legatio ad Gregorium XIII. decreta.

Post discessum Augustini Valerii, Natalis Archiepiscopus nunquam destitit Jadertinos monere, hortari, urgere, ut tandem aliquando inchoatæ basilicæ manus admoverent, eamque ad fastigium perducerent. Sed nulla prorsus ratione adduci potuerunt, ut arcam argenteam conflandam traderent, ac tam insigne regiæ pietatis ac magnificentiæ monumentum aboleri, & corpus S. Simeonis, urbemque tam pretioso ornamento privari vellent. Aliunde igitur, partim e publicis vectigalibus, partim ex voluntaria piorum hominum liberalitate pecuniam conquirendam esse putarunt; sed hujusmodi subsidia multo tenuiora erant, quam quantum ad ædificationem templi opus fuisset. Civitas quippe immensis bellorum sumptibus exhausta erat, & res communes privatæque ex assiduis Turcarum incursionibus plurimum detrimenti ceperant. Itaque ad beneficentiam effusamque in omnia pietatis opera largitatem Gregorii XIII. confugere decreverunt; & cum Petro Cedulino Episcopo Nonensi necessarium iter Romam esset, huic preces Senatus populique Jadrensis ad Summum Pontificem deferendas dederunt, libello supplici composito in hæc verba.

Libellus supplex ad Pontificem.

Cum S. Simeonis Justi illius Prophetæ, qui Salvatorem mundi templo oblatum ulnis propriis excepit, corpus sacratissimum adhuc omni ex parte integrum, nec ulla temporis longissimi edacitate corruptum, vel maculatum, nedum ab hujus civitatis, & universæ provinciæ Dalmatiæ Christicolis, verum etiam a compluribus aliis externarum gentium fidelibus ab occasu ad orientem, & ab ortu ad occasum hac iter facientibus, retroactis temporibus diutius visitaretur, summaque cum pietate atque devotione veneraretur; spectabilis hæc Communitas Jadræ singularem hujus sanctissimæ reliquiæ curam suscipiens, maxima cum diligentia optimum semper præstitit officium, quo templum satis decorum huic sacratissimo corpori erigeretur. Quapropter ecclesiam alias S. Mariæ Presbyterorum nuncupatam, & vetustate consumptam in novum D. Simeonis templum restaurari, & lapide quadrato, & polito, nec non statuis nobilissimi & magni pretii pie atque studiose elaboratis exornari curavit. Quod templum urgente turbulentissimorum temporum necessitate, impioque Turcarum bello debacchante, pro munienda aggeribus civitate, & opportunis ab infidelium immanitate propugnaculis tuenda, solo æquatum fuit, & est. Quamobrem corpus illud miraculosum perinde ac sanctissimum in quodam parvulo earumdem ædium suarum ut supra destructarum superstiti angulo indecenter utique jacet, cum immenso ejusdem spect. Communitatis dolore, & omnimoda civitatis totius, atque provinciæ displicentia, nec sine aliquali murmuratione, sive scandalo cunctorum Christi fidelium per hanc civitatem transeuntium, & præsertim ad sanctum illud corpus visendum accedentium. Quum præ nimia tenuitate facultatum hujus civitatis temporum & bellorum calamitatibus exhaustæ, & ob agrum ab hostili crudelitate frequentatis incursionibus, præliis, & deprædationibus occupatum, omnes nos tandem inhabitantes usque adeo pauperes facti sumus, ut pro tenui victu quotidiano erogando, ac necessitatibus nostris eliminandis vix suppetant vires, nedum supersint ad novas ædes præfato Divo Simeoni instaurandas, licet jam Deo favente nova earumdem sacrarum ædium jacta fundamenta de terra surgentia aliquatenus prospiciantur, quarum nihilominus ædium sic surgentium perficiendarum nullus amplius datur modus, nec spes restat aliqua cœptum opus debito fini demandari, & optata consummatione perficere, nisi quod plures Christi fideles manus porrigant adjutrices, piamque largiantur eleemosynam, & præcipue nisi Apostolicæ Sedis gratia, & Sanctiss. D. N. Gregorii divina providentia PP. XIII. miseratio incomparabilis toto orbi terrarum decantata adjurando adstipuletur & foveat: idcirco egregii & magnifici viri DD. B. Ferra, Hieron. Civalellus, Cam. Detricus, & Julius Rosa, clarissimi Domini Comitis Jadræ, nec non ejusdem sp. Communitatis Consiliarii, & idem D. Hieron. Civalellus & D. Hieron. Grisogonus Procurat. fabricæ capellæ S. Simeonis Justi constituti in præsentia mei notarii & testium infrascriptorum vice & nomine supradictæ Communitatis tuentis & procurantis jura capellæ fabricæ prælibatæ, nec non intervenientes omni alio modo, via & forma quibus de jure vel de facto opportunius & melius possunt &c. constituunt eorum legitimum Procuratorem, nuntium, & negotiorum gestorem generalem & specialem, ita tamen Reverendissimum in Christo Patrem D. D. Petrum Cedulinum nob. Jadrensem Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Nonensem ad se conferendum quam primum ad Illustrissimum Serenissimi Dominii Venet. nostri Domini Oratorem in urbe commorantem, & cum clarissima ejus Dominatione nomine hujus suæ fidelissimæ Communitatis consulendum super hujuscemodi pio suffragio a S. Sanctitate implorando cum assensu seu saltem protectione atque licentia præfati Illustr. D. Oratoris; deinde ad comparendum supradicto nomine ad beatissimos pedes Sanctissimi D. D. N. præfati, & expositis calamitatibus & tribulationibus nostris universis, nec non deplorata ruina templi S. Simeonis solo æquati & indecentia loci ubi ad præsens sanctum illud corpus reperitur, & evidenti impotentia nostra enunciata ad reparationem ejusdem, nomine præfatæ Communitatis devotissimæ S. Sanct. oratricis humiliter supplicandum, quatenus S. S. intuitu pietatis

tatis christianæ sibi admodum peculiaris, & pro visceribus Christi, cujus vices gerit in terris, aliqualem eleemosynam tanti & talis Pontif. amplitudini condecentem, & huic pio operi congruam tribuat, & largiri dignetur pro universali consolatione omnium nostrum, & pro satisfactione cunctorum Christianorum hanc sanctam reliquiam visentium & venerantium, demum ad honorem & gloriam omnipotentis Dei: nec non tali de causa ad comparendum coram quocumque offitio, magistratu, & tribunali, tam in alma urbe, quam alibi in quacumque civitate, castro, vel loco, & ad acceptandum & recipiendum quamlibet pecuniarum summam, seu res quaslibet, vel earum valorem superinde sibi oblatum, sive fructus vel proventus tractuum vel vectigalium quorumcumque pro quovis tempore in eleemosynam concessorum, & sic concessis, habitis & receptis quietandum, unum vel plura instrumenta quietationis stipulandum, & conficiendum, nec non ad omnia, & singula alia in simili negotio necessaria, & opportuna peragendum vice & nomine præfatæ spect. Communitatis & supradict. magnificorum D. D. constituentium, tamquam si ipsimet personaliter &c. & si forent alia quæ mandatum exigerent spetiale, cum potestate etiam substituendi loco suæ Dominationis Reverendissimæ unum vel plures procuratores cum eadem vel limitata potestate, prout &c. promittentes perpetuo rata, firma, & grata omnia & singula &c.

Obitus Natalis Archiepiscopi.

Verum nescio quid impedimenti Romanæ Episcopi Nonensis profectioni objectum preces spesque Jadrensium fefellit. Nec tamen cogitatio & voluntas basilicæ ædificandæ, quamvis in præsens facultas deesset, ex animis Jadrensium decessit, qua fretus & confisus Natalis Archiepiscopus, dum imperatam sacri corporis translationem ex alio in alium annum differt, morte repentina præreptus diem supremum obiit Jadræ intra finem anni 1588. VIII. Kal. Januarii, vel anno proximo ineunte, ut est *in Regestis majoris Consilii Venetiarum* apud Venetum editorem Ughelli. In abside, quæ supra summum altare ædis metropolitanæ eminet, imaginem quamdam extremi judicii docto penicillo repræsentandam curavit, ad salubrem terrorem oculis suspicientium animisque incutiendum. Extat epistola Aloysii Sagredi Patriarchæ Venetiarum ad Natalem Venerium Archiepiscopum Jadrensem; qui jubetur per se, & per suos provinciales Episcopos promulgare plenissimam omnium delictorum veniam, quam Gregorius XXII. Christianis omnibus concessit, qui præscriptis religionis ac pietatis operibus caste riteque perfuncti fuissent.

Epistola Patriarchæ Venetiarum ad Natalem.

Reverendissime in Christo Frater carissime. Mittimus fraternitati vestræ his nostris inclusas litteras apostolicas Jubilei, & plenariæ remissionis omnium peccatorum Christi fidelibus per sanctissimum D. N. Gregorium PP. XIII. concessæ, quas in ejus civitate & diocesi, ac in civitatibus suæ diocesis Suffraganeos suos, & curæ suæ archiepiscopali commissos publicari faciet & mandabit, cum debitis exhortationibus & monitionibus, ut quilibet pie ac devote tantum munus suscipiat. Dat. Venetiis ex Patriarchali Palatio nostro, die 18. *Martii* 1583.

Extat præterea epistola Natalis Archiepiscopi ad Everardum Mercurianum Præpositum Generalem Societ. Jesu Jadræ data v. Id. Maji an. 1579.; quam iisdem verbis, & eodem, quo conscripta est, Italico sermone hic subjiciendam censeo:

& Natalis ad Præpositum generalem Societ. Jesu.

Molto Reverendo Signore come fratello. La vita esemplar & dottrina dei Reverendi Padri della Compagnia di Giesù è tanto grata & cara a tutta questa città, & a me insieme, che da ciò spento, per l'ardor di lor carità, desiderando che quelli della mia giurisditione conforme la mente di essi siano cibati del divin cibo per bocca di questi religiosi e divoti Padri, ho voluto queste mie indrizzar a V. S. R., pregandola con ogni affetto di animo, che si contenti a soddisfatione di questa mia giusta dimanda, & consolatione de populi miei inviarmi un P. Predicatore, con un compagno, che parerà al suo giudicio convenirsi a tal città, per l'Avvento di N. S. prossimo venturo, acciò a quel tempo dia principio ad operare, & seguendo per tutta la Quadragesima spiritualmente consolare li qui habitanti; che se più oltra li parerà di fermarsi, gratia grande ci sarà; perchè questi tutti infiammati di santo amore, sommo desiderio hanno di haver Padri di tal qualità appresso di se; in che in gran parte ha fatto concipir nell' animi loro il bono & santo Padre Hieronimo Ottello apportator di queste, che satisfacendo nell' universale a tutti, è stato da cadauno, & molto amato, & riverito molto, così ricercando i meriti suoi. Ho ferma opinione, che quello, il quale sarà mandato a tal ufficio, si compiacerà assai & della città, e delle genti, di modo che restarà compitamente soddisfatto; con che da N. S. prego a V. S. R. ogni contento nella sua santa grazia.

Di Zara li XI. *Maggio* 1579.

Di V. S. M. R. Come fratello l'Arcivescovo.

M. ANTONIUS ARCH. JADREN. XXXVII.

Ex eadem gente patricia Veneria, unde Natalis ejus frater; quem Sixtus V. in hanc sedem archiepiscopalem fratri demortuo subrogavit. Siquidem, ut est in Tabulis consistorialibus, *anno* 1589. 26. *Aprilis providit Ecclesiæ Metropol. Jadrensi per obitum b. m. Natalis Venerii vacanti, de persona R. D. M. Antonii Venerii ejus fratris nob. Veneti, moribus, pietate, doctrina idonei; dispensavitque cum eo propterea quod per sex menses tantum sit in sacris Ordinibus constitutus; ipsumque dictæ Ecclesiæ in Archiep. & Pastorem præfecit, cum onere solvendi scuta* 140. *pro alimentis duarum puellarum Jacobi Stramboli Cyprii filiarum, quæ in monasterio S. Luciæ in Silice urb., ex decreto felic. record. Gregorii, impensa Cameræ apostolicæ educantur; quam Cameram ab eo onere immunem esse voluit, durare autem super ecclesia prædicta, quoad dictæ puellæ cælesti, aut terreno sponso, sua Sanctitate benigne opem conferente, nubant.* Optimi fratris ac decessoris vestigia persequens, annos ferme tres huic Ecclesiæ laudabiliter præfuit. Mortuus est Jadræ anno 1592. tertio Kalendas Martii, ut Valerius a Ponte; vel ipso mense Martio, ut in Regestis Venetis supra laudatis. Horum duorum fratrum Natalis & M. Antonii corpora illata sunt in sepulcrum Laurentii Venerii Archiepiscopi Jadrensis, situm in æde metropolitana prope aram Sanctæ Ursulæ.

ALO-

Digitized by Google

ALOYSIUS II. ARCH. JADREN. XXXVIII.

Patricius Venetus ex antiquissima Baroccia familia, amplissimis quibusque patriæ honoribus ac muneribus functa. Erat Aloysius Canonicus Ecclesiæ Patavinæ, quam Petrus Baroccius æque doctissimus, & sanctissimus Antistes, ante annos fere centum summa cum laude gubernavit. Clemens VIII. Aloysium haud majorum commendatione, quam suarum virtutum illustriorem anno 1592. tertio Nonas Aprilis Archiepiscopum Jadrensem designavit; sed antequam consecrationem episcopalem susciperet, mors illi hunc honorem præripuit. Extinctus est Patavii eodem anno VI. Nonas Maji; illatusque in ædem S. Prosdocimi, ibidem sepulcrum obtinuit; eique titulum sepulcralem fecit Vincentius Baroccius frater:

Elogium sepulcrale.

Aloysio Baroccio Nob. Ven.
Can. Pat. a Clemente VIII. Pont. Max.
Jaderensi Archiepiscopo designato
an. Domini MDLXXXXII. ter. Non. April.
qui ejusdem anni sex Non. Maii
obiit Patavii an. æt. ejus XXXXII.
Vincent. Baroc. Frat. amantiss. C. C. C.

ALOYSIUS III. ARCH. JADREN. XXXIX.

Aloysius Molinus Archiep. translatus ad Ecclesiam Tarvisinam.

Huic in pontificatu Jadrensi, annis certum circiter & septuaginta, antecesserat Blasius ex eadem gente Molina, qui post urbem a Venetis recuperatam primus fuit e nobilitate patricia Archiepiscopus Jadertinus. Clemens VIII. anno 1592. VIII. Id. Novembris Aloysio hunc Ecclesiam decrevit, *vacantem*, ut est in Tabulis consistorialibus, *per ob. b. m. M. Antonii, salvis pensionibus antiquis sup. dictæ ecclesiæ fructibus*. Anno sequenti universam diœcesim lustravit; eaque perutili ac laboriosa lustratione perfunctus, synodum fecit, sapientissimas leges constituit, gravissimis edictis pœnisque persecutus est infectos labe Simoniana, fœneratores iniquos, scortatores publicos, alienæque pudicitiæ insidiatores. Huic Ecclesiæ summa cum vigilantia, prudentia, sanctitate præfuit annos ipsos quatuor; quam ex decreto Clementis VIII. commutavit cum Ecclesia Tarvisina anno 1596. Idibus Novembris. Decessit Venetiis anno 1604., relatusque Tarvisium, & quam amplissimo funere elatus, in æde cathedrali conditus fuit. Ejus pegmati funebri, seu cenotaphio hoc elogium affixit Bartholomæus Burchelatus Medicus physicus:

Titulus funebris.

D. O. M.
Aloysio Mol. Archiep. Jader. Episc. Tar. doctrina, vita, & moribus spectatiss. in omnibus admirando Barth. Burch. Physicus, donec aliud altius dicetur, Præsuli ac Patri opt. H. Mon. constituit.

MINUTIUS ARCH. JADREN. XL.

Minutii gesta ante Archiepiscopatum ex commentario Friderici Althani.

De vita, virtutibus, rebus præclare gestis Minutii de Minutiis Archiepiscopi Jadrensis Commentarium Italicum grave in primis & accuratum, eleganter copioseque descripsit, & Venetiis anno 1757. e typographia Joannis Baptistæ Pasqualis in publicum emisit Fridericus Althanus e Comitibus Salvaroli Forojuliensis, vir haud generis nobilitate, quam ingenio, doctrina, vitæ integritate, morum suavitate & elegantia clarior; quem apud viros litteratos summopere commendant varia illius opuscula in lucem edita, vetustæ, ac præsertim sacræ eruditionis referta, scilicet *De Calendario in genere, & speciatim de Calendario ecclesiastico dissertatio, cui adnectuntur complura pervetusta Hagiologia, nunc primum edita atque illustrata, & Index Martyrologicus; Iter liturgicum Forojuliense; Baptismale hieroglyphicum epistolica dissertatione explanatum; In quoddam altare portatile epistolaris dissertatio*. Ex eo igitur, quod laudavi, Commentario nonnulla decerpsi, ac summatim exposui, quæ ad Minutium pertinent, præsertim ante susceptum Archiepiscopatum Jadrensem.

Natus est Minutius Serravalli anno post Virginis partum 1551. XVI. Kal. Februarii. Patrem habuit Hieronymum Minutium virum clarissimum, matrem Franciscinam Raccolam pari splendore ac nobilitate feminam. Ab incunabulis in sinu optimorum parentum educatus pueritiam egit ex eorum sanctissima disciplina. Erat in eo rara indoles animi, egregia corporis forma & constitutio, magnum & acre ingenium. Primis litteris, quibus puerilis ætas impertiri solet, operam dedit apud Joannem Baptistam Brancaccium Neapolitanum, qui patria pulsus apud Serravallem se receperat, deinde apud Bernardinum Parthenium, qui ingenuis adolescentulis erudiendis Sacilli scholam aperuerat, celeberrimos ætate illa liberalium artium magistros. At domi habuit, unde Rhetoricam, Philosophiam, Mathesim disceret, nimirum ab Andrea patruo viro doctissimo, qui cum Archiepiscopus Jadertinus factus esset, Minutium Jaderam secum deduxit, ubi duos annos commoratus, omne illud tempus ad ea studia, quibus ad eam diem deditus fuerat, recolenda & absolvenda contulit. In Italiam reversus, Patavii juri civili & pontificio studuit. Primum Bartholomæo ex Comitibus de Purliliis internuncio apostolico in Germania, deinde Ludovico Cardinali Madruccio Episcopo Tridentino ab epistolis fuit: utrique, ac præsertim Madruccio in Comitiis Augustanis ad gravissima negotia expedienda operam perutilem navavit. Ab hoc Romam missus cum esset, ut de iis, quæ in illis Comitiis acta decretaque fuerunt, ad Sedem apostolicam referret; tanta in eo visa est Patribus Romanis intelligendi perspicacia, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut maximis quibusque rebus ac difficillimis par & idoneus habitus fuerit. Illum igitur Gregorius XIII. in Germaniam remisit, ut Eberardum Archiepiscopum Coloniensem, qui a fide catholica turpissime defecerat, ea, qua plurimum valebat, lenitate ac prudentia ad sinum Ecclesiæ reduceret, vel certe rationes suggereret mala illa præcavendi, quæ ab illius defectione religioni impendebant. Sed desperata jam erat hominis salus, nec ullum remedium pati poterat; eoque res venerat, ut non solum pœnis ecclesiasticis, sed etiam ferro ac viribus cum illo agi oporteret. Minutius de auxiliis petendis ad Gregorium, itemque ad Philippum regem Hispaniæ missus est. A Pontifice ingentem pecuniæ summam ad bellum gerendum, a Philippo copias Belgicas impetravit, quibus adjutus Ernestus frater Ducis Bavariæ, electus Archiepiscopus Coloniensis, Eberardum expelleret. Hac legatione perfunctum Guil-

Digitized by Google

Guillelmus Dux Bavariæ, cui singularis Minutii fides, industria, & solertia perspecta erat, apud se retinere voluit, suisque intimis consiliariis præfecit, ut ad gravissima quæque & decernenda & gerenda, illius potissimum consilio atque opera uteretur. Nec multo post duplicem illi legationem injunxit, alteram in Belgium ad sollicitandam profectionem copiarum, quas Ernesto fratri rex Hispaniæ auxilio mitti imperaverat; alteram deinde Romam, ut rursus a Pontifice alia subsidia eidem Ernesto postularet. Annos ipsos quinque in urbe ex mandato ejusdem Ducis commoratus, tum aulæ, tum Ecclesiæ Bavaricæ negotia apud Sedem apostolicam diligentissime curavit. Annos natus triginta quinque, Romæ cum esset, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, anno scilicet 1588., eumque ob egregia in rem christianam & publicam merita Sixtus V. titulo Protonotarii apostolici decoratum Sacerdotio Coloniensi S. Mariæ *ad gradus*, Guillelmus Dux Bavariæ insigni Præfectura Oettingana donarunt. Reversus in Bavariam aliis atque aliis gravissimis muneribus, & legationibus obeundis, magis magisque existimationem, & benevolentiam Ducis Bavariæ sibi conciliavit. Anno 1590. rursus Minutium Romam misit, ut suo nomine susceptum Pontificatum Urbano VII. gratularetur; sed quæ huic Pontifici intra dies non ita multos morte prærepto præstare non potuit, Gregorio XIV. ea gratulationis officia præstitit; quo jubente, ut erat rerum & malorum Germaniæ scientissimus, nec auritus, sed oculatus testis, scripto bene longo diligenter & sapienter exposuit, quis esset in ea regione status Religionis catholicæ, quæve ad eam restituendam, & confirmandam vel prodesse, vel obesse possent: quæ quidem expositio, & prudentissima Minutii monita mirum quantum utilitatis ac præsidii rei catholicæ attulerunt. Sed ea Gregorius approbare quidem potuit, at experiri non potuit; nam vix annuum & bimestrem Pontificatum gessit: peropportuna fuerunt, ac perutilia successoribus ad consulendum rebus Germaniæ in extremum fere discrimen adductis. Innocentius IX. Gregorio suffectus anno 1591. quanti Minutium faceret, satis ostendit, cum eum, concessu Ducis Bavariæ, in urbe retinuit, ut sibi esset a secretis; & negotiis ecclesiasticis totius Germaniæ curandis expediendisque præesse voluit. Eumdem & gratiæ & honoris locum, atque munus retinuit apud Clementem VIII., qui Abbatiam S. Chrysogoni Jadrensis Minutio contulit. Interea cum alii Antistites, & Proceres Germaniæ, tum vero Guillelmus Dux, hujusque frater Ernestus Archiepiscopus Coloniensis, iterum ac sæpius Clementem per litteras rogarunt, ut Minutium galero & purpura ornaret. Extant duæ epistolæ, quas suis de vita Minutii commentariis Fridericus Comes Althanus inseruit; altera Ernesti & Guillelmi VII. Id. Septemb. an. 1594., altera solius Guillelmi triduo post, sed eodem anno data. Facere non possum quin ex priore aliquas particulas hic interseram, e quibus perspici licet, quantum hi duo viri principes virtuti ac meritis Minutii tribuerent: *Nos Sanctitati vestræ cum ea, qua decet, & qua possumus submissione, fide, & diligentia proponimus, & commendamus Reverendiss. Minutium, ut hunc Cardinalem creet, pro certissimo habentes eum insignem fore inter Sanctam Romanam Sedem, & Germaniam mediatorem ad utriusque singularia commoda, mutuamque veram fiduciam; etsi enim Germanus ille non est nativitate, Germanus tamen est animo, amicitia, convictu, praxi, usu rerum: quot enim ille annos in his partibus fuit, fere totam maximam Germaniam peragravit, maxima ubique & minima observavit, fere cum omnibus Catholicis Principibus ecclesiasticis, & sæcularibus, cum multis etiam hæreticis egit, & omnibus, quod scimus, plane satisfecit, pene omnia, quæ a multis annis fuerunt, graviora per Germaniam negotia tractavit . . . . . . Germani omnes, certum hoc est, mallent ipsum habere Cardinalem, & quasi perpetuum Nationis Advocatum in urbe, quam aliquem Germanum; vix enim profecto unus est inter ipsos Germanos, qui tantam haberet nostratium rerum notitiam, quantam ille . . . . . . At deprehendit autem Sanctitas vestra sine dubio tantas hactenus in illo ipso Minutio virtutes, ut sciat se ei in rebus maximis tuto confidere posse, seque virum dignissimum promoturum esse, si ipsum Cardinalitia cohonestet dignitate. Quantum ille meritus sit de Sede Apostolica, deque Dei Ecclesia, cum diu jam, ac antea etiam in urbe fuit, hoc Sanctitas vestra, urbsque ipsa sciet; hoc nos vero profitemur, atque asserimus optimum eum de tota Germania meritum esse. Agnoscunt & prædicant hoc omnes Catholici Archiepiscopi, Episcopique, qui tam honorifice de eo sentiunt, loquuntur, & scribunt, ut censeant ipsius potius moderationem, quam Sedis apostolicæ judicium obstare, cur non jampridem sit Cardinalis. Conjunxissent, certo scimus, officio huic nostro speciatim Trevirensis Archiepiscopus, & Herbipolensis Episcopus, optimi Antistites, humillimas commendationes, & obtestationes suas . . . . . . ac sane vero specialia ejusdem Minutii merita in Coloniensi Ecclesia, de cujus conservatione magna ipsi pars debetur & laus . . . . . . Cum igitur concurrant Dei in primis, & Sedis apostolicæ, Christianæque Reip., totius Germaniæ, & nostra, domusque nostræ peculiaria commoda, nos Sanctitati vestræ, ad sanctissimos pedes prostrati, quanta possumus humilitate, & diligentia supplicamus, ut Minutium hunc nostrum in proxima promotione Cardinalem creet; inseret Sanctitas vestra in istud collegium virum ornatissimum, & beabit (credat nobis) eo beneficio Germaniam universam &c. &c.*

Protonotarius apostolicus creatus, duplex Coloniense, atque Oettinganum sacerdotium adeptus est.

Ex epistola Ducis Bavariæ & Archiep. Coloniensis ad Clementem VIII. fragmenta quædam Minutio perhonorifica.

Sed optimus Pontifex, ut maxime vellet justissimis utriusque postulatis satisfacere, & Minutium quo dignus erat, honore & præmio impertire; id tamen quo minus efficere posset, caussæ quædam graviores, quas hic commemorare non est necesse, interpositæ obstiterunt. Itaque Minutii cooptationem in Patres purpuratos rejecit quidem in aliud tempus, non autem ex animo & cogitatione deposuit. Interea ne nihil tali ac tantæ virtuti, totque gravissimis laboribus, incommodis, atque itineribus rei catholicæ caussa susceptis, contulisse videretur; in amplissimo Cardinalium Senatu Metropolim Jadertinam Minutio decrevit, cum summa testificatione ejusdem in Ecclesiam meritorum; ut proditum est in Tabulis consistorialibus: *1596. 7. Febr. translatio a Jadrensi ad Tarvisanam Aloysii Molini, & creatio Minutii in Archiepiscopum Jadrensem.* Ceterum anno superiori exeunte a Clemente designatum fuisse Archiepiscopum intelligi potest ex epistola gratulatoria Francisci Barbari Patriarchæ Aqui-

Archiep. Jadrensis creatur.

Digitized by Google

Aquilejensis ad Minutium data an. 1595. XVII. Kal. Januarii; cujus fragmentum Fridericus Althanus descripsit. Primum quidem Minutius oblatam sibi dignitatem recipere abnuit, quod ei non videretur se vocari a Deo ad Episcopatum; & quæ hominis erat de se humiliter sentientis opinio, tanto oneri ferendo se non esse existimabat. Verum postea cum se collegisset, & ad preces effusus Deum orasset, ut quid suæ voluntatis esset ostenderet; mentem atque animum sibi paullatim immutari sensit, ac divinitus allici impellique ad sacerdotium ultro sibi oblatum recipiendum. Veritus igitur ne Spiritui Sancto resisteret, omni spe rei bene gerendæ in uno Deo reposita, dedit manus, & fere uno mense post, designationi pontificiæ assensum præbuit. Itaque eo, quo diximus, die Archiepiscopus Jadrensis in Consilio Cardinalium renunciatus est. Eum in æde Hieronymiana Nationis Illyricæ Philippus Cardinalis Sega Episcopum consecravit; & tertio Nonas Aprilis pallium suscepit, ut docent Acta consistorialia: *3. Aprilis datum Minutio pallium*.

Eodem anno 1596. intra finem Septembris Jaderam appulit; exceptusque fuit incredibili civium omnium lætitia, & gratulatione. Qui omnem anteactam ætatem in aula & curia Principum, in legationibus obeundis, in variis cujusve generis negotiis gerendis, ab instituto episcopali fere alienis, consumpserat, ubi ad hanc Ecclesiam regendam accessit, adeo visus est huic muneri aptus, instructusque omnibus illis virtutibus, quas in Episcopo Apostolus requirit, ut ad regimen & officium pontificale natus esse videretur: ita enim natura factus erat, ut quamcumque ad rem se applicuisset, in ea facile excelleret; præsertim cum in id, cui se dederat, omni studio curaque incumbere soleret. Suscepta igitur Ecclesiæ Jadrensis administratione, statim veri perfectique Episcopi personam non solum induit, sed etiam, quamdiu præfuit, pro dignitate sustinuit; & factus forma gregis ex animo nullum optimi Pastoris officium prætermisit, cui non plene cumulateque satisfecerit. Primas curas & cogitationes in ecclesiam urbanam contulit; & clerum ad omnem honestatem componere, & civium mores corrigere ac reformare studuit. Deinde pastoralem sollicitudinem ad universam diœcesim extendit; quam ingenti suo labore & periculo semel atque iterum lustravit. De prima episcopali lustratione, in qua, ob incommodam & male affectam valetudinem sæpe interrupta, biennium insumpsit, hæc ille in quadam sua epistola Italica ad Joannem Franciscum Carettonium Presbyterum Societ. Jesu: *Nunc*, inquit, *lustrationi diœcesos totum me tradidi; per mihi mirum, & mysterii cujusdam instar hoc esse videtur, quod cum ego in rebus & negotiis tam variis, tamque alienis ab episcopali professione ætatem meam contriverim, me Deus Opt. Max. ad hanc palæstram mihi insuetam transtulerit. Regio aspera est, laborum & periculorum plena; sed nemo est ex illis, quos hujus apostolicæ expeditionis socios mihi adjunxi, qui hæc omnia magis, quam ego contemnat, subeatque libentius. Progressus jam usque ad confinia Turcicæ ditionis; magnos atque assiduos imbres habuimus; & præclare nobiscum agi putabamus, si quod tugurium sors nobis obtulisset, in quo noctem transigere, & substratis paleis membra defessa componere liceret. Ignoratio linguæ Slavonicæ mihi permolesta est, & rei bene gerendæ difficultates auget; omnia tamen feram læto etiam animo, non solum libenti, quamdiu Deo visum erit: nisi in hac vita mihi obtigerit statio minus incommoda & laboriosa, quietiorem in cælo & jucundiorem me habiturum confido.* In peragranda diœcesi illud summopere curavit, ut Parochis vel minimo sumptui esset: id quod ipse in actis prioris visitationis scriptum reliquit: *Curavimus vero, ut minimum onerosi pauperibus Sacerdotibus, quales sunt omnes nostræ diœcesis, essemus; ideoque magnopere cavimus, ne quisquam præter unam, aut binas ad summum refectiones nobis exhiberet; in iisque frugalitatem semper præscripsimus, & præscribemus deinceps, majorem sumptum facturi de nostro, si alicubi immorari diutius necesse fuerit.*

Diœcesim bis lustravit.

Post absolutam priorem lustrationem, cum ipsemet suis oculis perspexisset, quinam esset in tota sua diœcesi status rei christianæ, quibus incommodis ac vitiis laboraret, quibusve remediis ac præsidiis indigeret; Canonicis metropolitanæ, & Rectoribus ecclesiarum synodum diœcesanam indixit, quam mense Augusto an. 1598. celebravit. Constitutiones synodicæ, in quibus præstantissimi Antistitis religio, pietas, sapientia, & ea, qua flagrabat, divinæ gloriæ amplificandæ, ecclesiasticæ disciplinæ stabiliendæ, pravas consuetudines extirpandi, & populi Christiani mores reformandi cupiditas potissimum elucet, dignæ sunt quæ in lucem aliquando proferantur.

Synodum diœcesanam convocavit.

„ *Minutius miseratione divina Archiepiscopus* „ *Jadrensis, Abbas Sancti Grisogoni &c.*

Constitutiones synodicæ.

„ Reverendis nobis in Christo dilectissimis „ Abbatibus, Dignitatibus, Canonicis, Religiosorum Superioribus, ac universo Clero „ diœcesis nostræ Jadrensis salutem, gratiam, „ & charitatem ab omnium bonorum largitore Deo.

„ Cum biennio jam integro hujus nostræ „ diœcesis visitationi, morum reformationi, & „ divini cultus instaurationi, quantum imbecillitas nostra, & exigua corporis valetudo „ tulit, cum omnipotentis Dei auxilio incubuerimus, singularique cura, si morbis omnibus mederi maxime non potuimus, eos saltem cognoscere studuerimus; nunc ut quasi „ circumducto circulo hanc operam terminemus, quo eamdem denuo indefesso labore, „ & nunquam quietura solicitudine, Spiritus „ Sancti gratia juvante a suo principio resumamus; Dilectiones vestras ad synodum hanc „ convocavimus, ut & vos quæ ad salutem „ animarum, ad ecclesiæ nostræ incrementum, „ ad fidei christianæ propagationem, & divini nominis gloriam convenire judicavimus, „ audiatis, & vicissim nos sententiam vestram „ fidelem, & prudentem iisdem de rebus audiamus, ut communicatis consiliis, injunctisque conatibus communem causam communibus studiis juvemus. Minuunt autem laborem nostrum illustrissimorum prædecessorum nostrorum, ac imprimis Illustrissimi, & „ Reverendissimi Domini Domini Aloysii Molini, jam Tarvisini Episcopi, opera in hac „ ecclesia pie & laudabiliter hisce proxime „ præteritis annis præstita, tum vero paulo „ antiquior summa vero prudentia plena, ac „ utilissima apostolica visitatio per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Domi-

Digitized by Google

„ minum Cardinalem * Veronensem peracta, cujus decreta, tum vero postremæ synodi diœcesanæ anno 1594. sub eodem Illustrissimo Molino habitæ, si recte hic observarentur, essent propemodum labores nostri supervacanei; hortamur igitur, & rogamus in Domino, ea omnia ut animo repetatis, & tamquam certam regulam optime instituendæ vitæ vobis perpetuo proponatis, quemadmodum & nos in officio nostro recte administrando illa nobis praclarissima exempla ob oculos semper statuimus. Constitutiones vero, quas de novo adjungimus, vel in veterum confirmationem, vel prout recentiora contingentia admonuerunt, ea potestate, quam et archiepiscopalis nostra jurisdictio, & apostolica, quæ, & visitationis, & synodi tempore adjungitur, auctoritas concedit, jam, & perlegendas, & firmiter observandas, & custodiendas tradimus; per eas nim confidimus, & multos abusus tolli posse, & ecclesiasticam disciplinam sic instaurandam, ut luceat lux nostra omnibus, qui in grege nostro sunt. Quod Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Pater totius consolationis nobis concedere dignetur. Amen.

„ *De Canonicis.*

„ Ubi fuerunt initia visitationis nostræ, ibi ad omnipotentis Dei gloriam, animarumque nobis concreditarum salutem, & Jadertinæ Ecclesiæ decus, Synodi etiam principium constituere volentes; unde nempe ceteri exemplum, nos solatium, & religio ornamentum suum præcipuum expectat; Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ, & reliquum clerum eidem ecclesiæ addictum cupimus imprimis singularis pietatis, modestiæ, & veri zeli laudibus splendescere, ut quo majoribus calamitatibus quotidie e cælo plectitur populus, eo majori sollicitudine divinam ultionem placare studeant Sacerdotes, ne qui decimas de paupertate propria pendunt, sua frustrentur expectatione, sed libentius tribuant, quod cernunt eorum deservire alimentis, qui preces, & sacrificia assidua pro communi bono exhibent, assiduosque labores in ecclesia Dei tolerant, quorumque odor est, sicut odor agri pleni.

„ Quod pie prudenterque animadvertentes prædecessores nostri (quorum vestigiis dum inhæremus, errare nos non posse confidimus,) multa circa divini cultus frequentiam, & decorem antea instituerunt, quæ nos firma, & rata omnino esse volumus, ac perpetuo servari debere censemus.

„ Novis vero decretis clerum nostrum gravare nimis, ac confundere plane non intendimus, sed veteres potius constitutiones sapientissime ad sacri Concilii Tridentini præscriptum sancitas renovare, ut antea diximus, & confirmare, magisque si forte opus est explicare, fideliumque Presbyterorum mentibus instillare satagimus.

„ In primis igitur, quod ad chori frequentiam, continuamque, ac debitam visitationem attinet, quandoquidem non sinit beneficiorum tenuitas, ut statum ecclesiæ nostræ ad aliarum ecclesiarum normam, & ad supradicti Concilii Tridentini sanctiones conformare commode nunc possimus, maneat saltem in robore id, quod hactenus observari cœpit, ut nempe tum iis, qui dignitates exercent, Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio, tum vero Canonicis, Mansionariis, Hebdomadariis, ac reliquis omnibus ecclesiæ servitio mancipatis, quoties divina officia negligunt, illud detrahatur, quod hactenus detrahi consuevit, totaque deinde illa summa, quam punctationum appellant, secundum fideles æditoruorum, aut punctatorum notas realiter, ac sine ulla condonationis spe, ex portionibus in decimarum distributione ad Natalitia, & ad Paschalia festa fieri solita sic compensetur, ut negligentiorum portio magis diligentibus (ut par est) accrescat.

„ Trium vero mensium absentia, quæ per sacrum Concilium Tridentinum unicuique Canonico tribuitur, omnino in hac leviore mulcta nemini patrocinari posse, aut debere declaramus; prodesse tamen illam in reliquis emolumentis sic debere censemus, ne in distributione majori, quæ ex officinarum, decimarum, aliisque redditibus fit, præjuditium afferat, sed pro præsentibus reputentur illi, quos sic abesse contigerit, si modo absentiæ causam coram nobis probaverint, veniamque de more petierint, ac obtinuerint, ne quisque vagandi consuetudine, ac residentiæ tædio, aut quovis profano minusque necessario peregrinandi studio sæpius proficisci assuescat.

„ Antiqua vero instituta, quæ ad proprias ecclesiæ nostræ solemnitates singulos sub pœna obligant, suam vim habere volumus, neque cujuslibet excusationem in dictis solemnitatibus admittendam statuimus, nisi si quem, aut ægrotare, aut ecclesiæ causa de nostro mandato non alias abesse contigerit; privata enim quæcumque negotia huic obligationi postponenda censemus, aut mulctandum qui non postposuerit.

„ Excusatus de consensu Capituli, aut nostro ob quamcumque invaletudinem vel a choro, vel a funeralibus, sciat nisi illud impedimentum sit re vera necessarium, non se juste fructum ullum percipere, & teneri ad restitutionem, si cum potest, & cum primum impedimentum cessat, non accesserit; quicumque autem infirmitatis vera excusatione pro præsente censetur, sciat pariter illud sibi utilius esse non debere, quam tempore integræ valetudinis erat; at si quis sub infirmitatis prætextu, de se ipso indulgentius judicare videbitur, rem redigat, vel senior Canonicus, vel magister chori ad officium; si vero monitus non satisfaciat, referatur res ad nostrum, nostrive generalis Vicarii judicium, ne delicatiusculi quidam eleemosynas laborantibus in ecclesia debitas otiosi exedant.

„ Quamvis autem profiteantur Canonici, aliique de clero nostro licere sibi per quamdam consuetudinem, vel abusum inconsulto Archiepiscopo exire de civitate abesseque, vel per multos dies, si modo extra diœcesim non discedant, non tamen convenire judicamus, quempiam nobis insciis id impostrum audere; quemadmodum enim haud facile cuique impedimento erimus, quo minus res suas domesticas foris procuret, aliisque honestis de causis absit, sic certe non decet nos ignorare, & quo quisque proficiscatur, & quamdiu abfuturus sit; propterea man-

* Augustinus Valerius patritius Venetus Ep. Veronensis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis in egregio opere *De cautione adhibenda in edendis libris*, pag. 34 n. 42. de hac sua Dalmatiæ visitatione mentionem habet his verbis: *Anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono ad provinciam Dalmatiæ visitandam missus sum: sequenti anno in Histriam, deinde Venetias, postremo Patavium, & Vincentiam. ...... Editæ etiam sunt constitutiones ad Dalmatiæ provinciæ usum, consentientibus omnibus Episcopis: aliæ ad usum Histriæ accommodatæ. A principio vix audebam egredi Verona, navigationes abhorrebam; sed divino beneficio factum est, ut visitationes Dalmatiæ prospere admodum confecerim, & labores illi mei Gregorio XIII. summo Pontifici admodum accepti extiterint.*

„ mandamus ne imposterum ullus nostrorum, „ aut Sacerdotum, aut clericorum civitatem „ extra pernoctandi animo egredi præsumat, „ quin se prius coram nobis, aut Vicario no„ stro sistat; qui secus fecerit, prima vice me„ dio, altera integro mulctetur ducato, & si „ pergat mandata spernere, gravioribus pœnis „ arbitrio nostro damnetur.

„ Extra diœcesim vero quacumque de cau„ sa abire nemo audeat, nisi a nobis, vel a „ Vicario nostro venia in scriptis obtenta, in „ cujus denegatione si quis forte gravabitur, „ licebit eam vel a summo Pontifice, vel ab „ Apostolico Nuntio Venetiis residente per lit„ teras procurare, nec priusquam illa impetra„ ta sit, ullo modo discedat; quæ mandata „ qui spreverit, sciat se ipso facto fructibus „ suorum beneficiorum unius anni cariturum, „ integroque anno fore suspensum; sin vero „ revocatus trium mensium spatio non redie„ rit, majori pœna mulctabitur, ac deinde se„ mestri elapso iteratæ monitioni non parens „ beneficiis omnibus privabitur, & punietur „ etiam gravius pro arbitrio.

„ In funeralibus eos cujuscumque emolumen„ ti participes esse nolumus, qui ad efferen„ dum funus processionaliter cum reliquo cle„ ro non incesserint, nec eos, qui divinis offi„ ciis proxime celebratis, aut mox celebran„ dis in propria ecclesia non interfuerint, nec „ eos, qui proxime præterito gratuito paupe„ rum funeri, aut proxime eodem die futuro „ pariter gratuito non intervenerint, cum im„ pellere magis pietas debeat, quam lucrum, „ nec avaritiæ, indevotionisque careat nota „ proprii officii rationes ea de causa neglige„ re, quæ quominus ad parvi cujuscumque lu„ celli bolum accurratur, non impediat.

„ Vestium autem decentiam in choro præci„ pue, atque vero etiam in plateis clerum no„ strum commendari cupientes monemus, ut „ saltem diebus festis, cum maxime, & ma„ gistratus, & nobilitas divinis officiis interes„ se solet, tunicis utantur prælongis ad talos „ usque deductis, a quo minores tantum Pres„ byteros, quos durior urget paupertas, excu„ sare per necessariam commiserationem inten„ dimus. Colores vero omnes exceptis iis, qui „ paupertatem, non levitatem sapiunt, idest „ qui ex non fucata lana componuntur, exem„ plo majorum nostrorum prorsus arcemus; vi„ dimus enim cum stomacho neglectas in hoc „ sacrorum Canonum, & prædecessorum no„ strorum constitutiones, quod imposterum non „ relinquemus impunitum. Militares etiam ve„ stes, quas Croaticas appellant, prorsus a „ choro nostro exulare jubemus, tum vero et„ iam ab omni cleri nostri usu, nisi cum pe„ regre proficisci, aut de civitate, sive mari, „ sive terra exire contigerit. Ceterum, si quis „ simili ornatu, vel in choro, vel in ecclesia, „ vel in ipsa civitate, nisi forte ad iter ac„ cinctus imposterum deprehendatur, libra una „ priore vice, secunda duabus, tertia graviori „ pœna ad nostrum libitum mulctari debere „ pronuntiamus.

„ Neque vero etiam tempore luctus decet „ ecclesiasticum virum cognationis, aut con„ sanguinitatis ullius majorem habere ratio„ nem, quam ecclesiæ; si quis igitur propin„ quus quispiam, vel arctissima necessitudine „ conjunctus, etiam si frater, pater, vel ma„ ter obierit, nolumus illum extrinsecum ul„ lum lugubre signum gestare, non pullatas „ vestes, non rotundum pileum, neque vero „ domi delitescere ultra unum, alterumve diem, „ aut tertium ad summum, cum caritas erga „ defunctos potius postulet, ut properent pre„ ces, & sacrificia pro eorum animabus offer„ re, nec tamdiu expectent, donec arescenti„ bus lacrimis, mitigatoque dolore minuatur „ simul devotionis fervor, & fructus.

„ Quod etiam in omnibus non solum Ita„ liæ, sed propemodum totius quoque Dalma„ tiæ ecclesiis laudabili instituto emendatum „ est, diutius in ecclesia nostra, quam nulli „ hujus provinciæ inferiorem esse profitemur, „ cum & metropolitica sit, & aliis præfulgeat „ dignitatibus, tolerari incongruum, & turpe „ ducimus, ut nempe Sacerdotes aliqui, & ii „ etiam, qui præcipuas in ecclesia obtinent di„ gnitates, biretis adhuc utantur rotundis secu„ laribus, & quorum usus solis Venetis nobi„ libus jam videtur relictus, quod omnino ab „ ecclesia nostra, totoque clero nostro cujus„ cumque generis volumus eliminatum, & id„ eo mandamus, ut trium mensium spatio o„ mnes sibi de quadrato ecclesiastico bireto pro„ videant, aut nobis indicent, qui minus com„ mode procurare illud possunt; nos etiam sin„ gula singulis egentibus libenter donabimus.

„ Demum, ut pedes capiti decenter respon„ deant, calceos etiam, & crepidas ullius præ„ terquam nigri coloris sub pœnis supra com„ memoratis omnibus ecclesiasticis, tam in cho„ ro, quam extra chorum prohibemus, nec in „ iis scissuras, aut perforationes ullas, que„ madmodum nec in manicis, aut thoracibus, „ aliaque quacumque vestimentorum parte ad„ hiberi imposterum impune patiemur.

„ Cupientes autem omnem levitatis notam „ ecclesiasticis viris indignam a nostro clero „ depellere, quod ipse Apostolicus Visitator Il„ lustrissimus, & Reverendissimus Cardinalis Ve„ ronensis (quem cum honore, & reverentia „ nominamus) olim observato forte defectu san„ civit, non omittendum duximus, ut nem„ pe annulis nemo utatur, qui non sit in di„ gnitate constitutus, aut Canonicus; is vero „ unicum tantum gestet, cumque juxta San„ ctorum Patrum decreta, quoties celebratu„ rus est deponat; qui contrafecerit, annulum, „ annulosve prima vice amittat, secunda pu„ niatur gravius, & antiquum meminerit pro„ verbium: Annulatus aut stultus, aut Prælatus.

„ Non solum offenditur omnipotens Deus, „ sed etiam minuitur apud populum amor, & „ observantia adversus clerum, si qui vident „ levius, vel in ecclesia, vel in plateis, tunc „ præcipue..... cum conjunctim sacras res pera„ gunt Sacerdotes, iccirco majorem desidera„ mus gravitatem, tum in publicis supplica„ tionibus, tum in funeribus prosequendis, „ ne confundantur ordines, neve turmatim „ quasi milites sine tympano, sine vexillo vi„ deatur clerus incedere. In id igitur incum„ bat magister chori, ordinesque rite disponat, „ desertores objurget, ni paruerint vel nobis „ referat, vel Vicario nostro, ut quisque pro „ suo merito tractetur. In choro pariter oc„ cupet unusquisque sedem suam, ab ea teme„ re ne se ad aliam transferat, non garriat, „ nec privatim canonicas horas recitet, sed „ cum aliis psallat, nec nisi integro officio

pera-

Digitized by Google

peracto recedat; quod si necessitas urgeat, veniam vel a nobis, vel a Vicario nostro causa explicata, petat; qui secus fecerit, libra una prima vice mulctetur, altera in duplum, multiplicata vero sive per contemptum, sive per incogitantiam errata puniantur gravius.

„ Verum, ut etiam divinus cultus majori cum reverentia, ac debita cum devotione peragatur, mandamus clarius, ut Dignitates, Canonici, Sacerdotes, Clerici omnes gravitatem ecclesiasticam in choro servent, nec de sede una ad aliam cursitare assuescant, aut leviter garrire, ridere, aut susurrare audeant, nam extra necessariam brevem caussam, aut præter materiam aliquam sacram loco illo dignam, in quo res divina agitur, inanibus collocutionibus, aut indecentibus cachinnis contemnitur quodammodo omnipotens Deus, cum id audemus coram ipso agere, quod coram terreno quocumque Principe scimus non licere; indecentibus igitur hujusmodi confabulationibus statuimus unius libræ pœnam, obstinatis pro arbitrio nostro augendam.

„ Hæc vero omnia tam ad metropolitanæ ecclesiæ nostræ clerum, quam ad eum qui apud divum Simeonem sacris functionibus deservit, atque adeo ad alios quoscumque totius civitatis, tum vero etiam ad Pagensis collegiatæ ecclesiæ Sacerdotes, aut clericos nostræ jurisdictioni subjectos pertinere declaramus; excipimus autem rusticanos omnes Parochos, aut clericos, quos paupertas, & necessitas ab aliquibus hujusmodi legibus excusat merito.

„ Statuit idem Illustrissimus Visitator, ne Canonici, aliive ecclesiastici Prælato suo maledicere, ejusve famam audeant lacerare, quod & antiquioribus sacris constitutionibus consonat; illo autem vitio laborare etiam nunc aliquos de clero, aut forte de Capitulo nostro animadvertimus, quod ferimus patienter, cum & prædecessores nostri viri integerrimi, eadem linguæ petulantia ab iisdem fuerint, & præsentes, & absentes lacessiti. Nos vero quantum & dignitas nostra, & exempli pernicies postulat, profitemur, & prædicimus, si hactenus dissimulando, & condonando mitiores forte fuimus habiti, facturos imposterum, ut si qui ori suo deinceps custodiam non posuerint, eos procaciæ sero pœniteat, pœnæque participes eos faciemus, qui nefariis hujusmodi maledictionibus interfuerint, & nobis Vicariove nostro non statim renuntiaverint.

„ Mandat sacrosancta Tridentina Synodus, ut Sacerdotes omnes saltem singulis Dominicis, & festis diebus celebrent, quod nos Sacerdotibus nostris omnibus, sive ad id ex beneficiis obligati sint, sive non, etiam atque etiam persuadere cupimus.

„ Caveant autem illi, qui quocumque tempore celebraturi sacris vestibus erunt ornati, ne sermones cum quopiam de quacumque re, quæ etiam necessaria videatur, conferant, multo minus postquam ad altare accesserint, ne sibi ipsis distractionem, & vagationem mentis adsciscant; qui secus fecerit, medio ducato prima vice mulctetur, altera, ac tertia gravius puniatur ex arbitrio.

„ Qui tenetur in certo altari celebrare, sciat se non satisfacere si in altero celebrat, nisi conveniens adsit causa a Prælato probata. Contigisse aliquando audimus, quod aliquis beneficium in hac nostra ecclesia obtinens, sacellani munus super trireme acceperit, maleque deinde utroque officio functus sit. Prohibemus igitur, ne quispiam imposterum, qui beneficium in diœcesi nostra sive magnum sive parvum possideat, audeat in triremibus operam suam locare, neque vero etiam illi, qui beneficium non obtinent, nisi licentiam a nobis impetraverint.

„ Canonicus nullus, aliusve quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, vel etiam minorum ordinum clericus, qui metropolitanæ huic ecclesiæ servitiis sit mancipatus, possit alio ullo in loco, ne quidem in parentum suorum sepulcris, sed in hac tantum ecclesia sepeliri. Idem dicitur de his, qui apud Sanctum Simeonem inserviunt, quibus tamen integrum relinquimus sive in illa, sive in hac ecclesia condi malint.

„ Volentes etiam sacrosancti Tridentini Concilii sanctionem, quæ habetur in sessione 24. cap. 1. 2. de sacris Ordinibus, quibus Canonicos initiatos esse oportet, executioni mandare, de communi consilio eorumdem Canonicorum nostrorum statuimus, nec Dignitatibus, nec Canonicatibus ecclesię nostrę quemque idoneum, aut habilem reputari debere, nisi qui re ipsa Sacerdos sit, aut Sacerdotii ordinem infra anni spatium accipere queat. Hoc enim vetus ecclesiæ nostræ institutum etiam nunc per Dei gratiam in usu esse comperimus, & ad divinum cultum perfectius exercendum utile, & necessarium esse judicamus; si quis igitur in majoribus ordinibus non constitutus, quive infra tempus a jure statutum Presbyteratus ordinem assequi nequeat, aliquam forte hujus ecclesiæ Dignitatem, aut Canonicatum imposterum quocumque modo impetraret, eum nequaquam admittendum, sed tamquam subreptitie, non per ostium, nec expositis ecclesiæ nostræ statutis, & laudabilibus consuetudinibus ingredientem, rejiciendum esse censemus.

„ *De Clericis privatim*.

„ Clericos jubemus omnes ad unam, eamdemque scholam convenire apud eum, qui Magister seminarii appellatur, donec per ecclesiæ hujus angustias, quod magnopere satagimus, fundandi seminarii aliqua ratio iniri queat. Interim nolumus cuique excusationem suppetere, si cum ipsi, aut per nos, aut per alios scholam frequenter lustrabimus, aliquis non adsit, quasi alium habeat magistrum; qui secus fecerit, aut negligentior in schola adeunda esse deprehendetur, frustra nos de ordinibus interpellabit, immo si non emendabitur, ejicietur etiam a choro. Musicæ incumbant omnes præcipue ecclesiasticæ planæque, quam firmum cantum appellant, sciantque neminem imposterum admittendum a nobis ad Subdiaconatum, qui dictum cantum non didicerit, sine illo enim officium suum in ecclesia peragere nemo potest. Noctu non grassentur armati; prædicimus enim si quem eo modo deprehendemus, nos illum ad triremes illico damnaturos; multo magis si Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos existat, curare enim omnino debemus, ut mala fama, qua Jadrenses clerici, „ pau-

Digitized by Google

„ paucorum quorumdam culpa, non in civitate „ solum, sed foris etiam laborant, sive per vo- „ luntariam emendationem, sive per nostram „ severam castigationem abstergatur.

„ Proinde prohibemus etiam districtius o- „ mnem alearum, sive cartarum lusum sub pœ- „ nis alias universo clero a prædecessoribus no- „ stris comminatis, aliisque arbitrio nostro re- „ servatis, hoc etiam prædicentes, eum nos „ neque ad beneficia, neque ad ordines pro- „ moturos unquam, quem sciamus hujusmodi „ lusui deditum. Iccirco ordinationis tempore „ unumquemque etiam cum juramento inter- „ rogabimus, & alios desuper examinabimus, „ an post has nostras editas constitutiones no- „ ctu armatus incesserit, an luserit, & quo- „ ties. Meretricias deinde consuetudines ab o- „ mnibus omni tempore damnatas iisdem pœ- „ nis quibus supra, & nocturnas grassationes, „ & alearum lusum, ac multo etiam gravio- „ ribus prohibemus.

„ Pila vel majori, vel minori non ludant „ clerici præcipue majorum ordinum in publi- „ cis plateis.

„ Choreas vel privatas, vel publicas præcipue „ nocturno tempore non exerceant sub pœna „ carceris.

In choro, & in processionibus, nec chirothe- „ cas gestent, nec flores in manibus habeant.

„ Clerici omnes qui titulum in ecclesia no- „ stra habent, tum vero etiam Sacerdotes, & „ Canonici teneantur juxta vetus & laudabile „ ecclesiæ nostræ institutum defuncti Sacerdo- „ tis funeri interesse, tum vero quotiescum- „ que, aut pater, aut mater cujuslibet Sacer- „ dotis effertur, funus illud sua præsentia co- „ honestare; qui neglexerit, libram unam solvat.

„ Clerici omnes singulis primis Dominicis „ uniuscujusque mensis inter Missarum solemnia „ communicent, & Sacerdotes si qui non ce- „ lebrassent, contrafacientes puniantur.

„ Mulctas omnes supra appositas jam nunc „ altari sacratissimi Sacramenti destinamus. Ic- „ circo vero pœnasque pecuniarias, & non ar- „ bitrarias posuimus, ut executio promptior „ fit, nec quisque dum decernitur, putet se „ vel aliena commendatione, vel propria qua- „ cumque deprecatione evadere posse.

„ *De Baptismo*.

„ Qui baptismatis sacramentum ministrave- „ rint, admoneant patrinos sponsionis suæ, per „ quam puerorum curam gerere tenentur, ut „ scilicet in doctrina Christiana erudiantur; „ quod si parentes in eo, aut negligentes, aut „ minus idonei ad hoc essent, debet patrinus „ sollicitando, hortando, stimulando supplere; „ immo si, quod Deus avertat, parentes defi- „ cere a religione cogitarent, tenetur patri- „ nus, & filium ab illorum manibus eripere, „ & juvare deinde, & instruere quantum potest.

„ Barbara nomina ridicula, aut obscœna im- „ poni non patiantur Parochi; sed doceant eo- „ rum Sanctorum patrocinio commendari in- „ fantes, quorum nomina referunt.

„ Baptizans inquirat, an infans domi prius „ baptizatus fuerit, & an forma, & materia „ debita.

„ Obstetrices nonnullas comprehendimus præ- „ sumere, cum periculum instat, infantem omni- „ no in ventre latentem, ipso ventre abluto „ baptizare, in eoque genere alios etiam apud „ fudes insulanos animadvertimus abusus; in- „ struant propterea Parochi obstetrices sicuti „ mandavimus, quas si sui officii ignaras rur- „ sus inveniemus, ejus culpæ rationem de ma- „ nibus Parochorum exigemus.

„ *De Confessione*.

„ Mulierum confessiones, nec in ecclesia, „ nec extra ecclesiam nisi orto jam sole, & „ antequam occidat, audiri præcipimus, quod „ volumus etiam in Religiosorum templis omni- „ no servari; si quis contrafacere auserit, pri- „ vetur eo munere per annum saltem, vel diu- „ tius ad libitum nostrum.

„ Ad privatas vero domos, ad viros, mu- „ lieresve audiendas, nisi cum ægrotant, con- „ fessarius nullus accedat; mulierem vero et- „ iam ægrotantem dum audit, cubiculi ostium „ maneat apertum, & stet ante januam, si fie- „ ri potest; vel ancilla, vel affinis, personave „ alia, ut omnis tollatur, vel suspicionis, vel „ tentationis materia.

„ Cum in forma absolutionis magnas in diœ- „ cesi nostra præcipue inter Illyricos Sacerdo- „ tes diversitates, & abusus etiam esse intelli- „ gamus, mandamus communem formam, quæ „ inferius habetur, ab omnibus servari, eamque „ in Illyricam linguam converti, omnibusque „ diœcesis nostræ Confessariis mandari, ut ea „ tantummodo sine ulla diminutione, aut addi- „ tione utantur sub pœna suspensionis, & aliis „ arbitrio nostro reservatis.

„ Forma absolutionis.

„ Misereatur tui omnipotens Deus, & di- „ missis omnibus peccatis tuis perducat te ad „ vitam æternam. Amen. Indulgentiam, abso- „ lutionem, & remissionem omnium peccato- „ rum tuorum, tribuat tibi omnipotens, & „ misericors Deus. Amen. Dominus noster Je- „ sus Christus te absolvat, & ego auctoritate „ ipsius absolvo te ab omni vinculo excom- „ municationis, suspensionis, & interdicti, in „ quantum possum, & indiges, & eadem au- „ ctoritate te absolvo ab omnibus peccatis tuis. „ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus San- „ cti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Chri- „ sti, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, „ & omnium Sanctorum, & quicquid boni fe- „ ceris, & mali sustinueris, sit tibi in remis- „ sionem peccatorum tuorum, in augmentum „ gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

„ *De Sanctissima Eucharistia*.

„ Qui Sanctissimam Eucharistiam populo ad- „ ministrant, advertant, ne super vitreum cya- „ thum (qui communis error est) manus ab- „ luant, ne particula aliqua in vas non sa- „ crum decidat, neve vinum illud, in quo Cor- „ pus Christi latere posset, imprudenter for- „ sitan a non jejuno, vel non contrito suma- „ tur, vel effundatur, quæ gravissima essent „ peccata, & contingere facile possent: abluat „ igitur supra calicem & ablutionis illius de- „ bitam habeat rationem.

„ *De communicando in propria parochia*.

„ Cum per sacros Canones tum antiquos, „ tum recentiores statutum sit, ut semel sal- „ tem in anno tempore Paschæ fideles omnes „ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in pro- „ pria parochia suscipiant, multi tamen hic „ nescio quo spiritu ducti id facere recusant „ prætendentes, aut majorem devotionem in „ magis solitario loco, aut alia proprii capi- „ tis & ignorantiæ argumenta, quæ ne impo- „ sterum exaudiantur diserte mandamus, ne,

„ ex-

Digitized by Google

„ exceptis ægrotis, aut alio modo invalidis, „ aut virginibus, aliisve mulieribus, quæ necessaria aliqua de causa nobis probata, templum parochiale accedere honeste non poterint, nemini id imposterum concedatur, nullusque vel secularis, vel regularis Sacerdos cuique alterutrius sexus illud Sacramentum, „ nisi a nobis illam facultatem in scriptis traditam aspexerit, audeat ministrare; qui secus fecerit, graviter nostro arbitrio punietur.

„ *De processione Sanctissimi Corporis* „ *Christi*.

„ In processione Sanctissimi Sacramenti, quæ „ vel solemnis in suo festo quotannis, vel in „ prima cujuscumque mensis Dominica minus „ solemnis agitur, nonnulla observavimus Christo Servatore nostro, qui circumfertur, parum decentia, & quæ frigidam devotionem, „ aut infirmam arguunt religionem, quæ ut imposterum pro debito Dei cultu, & populi ædificatione corrigantur, hæc duximus statuenda. Opportuno tempore moneant Parochi populum, ut viæ omnes, per quas processio incedere solet, quam potest nitidissime purgentur, curante unoquoque eam partem, quæ domui propriæ adhæret, flores etiam, „ aut odoratas herbas, viridesque, laurum, „ myrtum, lentiscum, & alias ejusmodi, quarum regio abundat, devote sternant, ex fenestris tapetia, aut quicquid est pretiosioris supellectilis exponant. In primis vero detur opera, ne quisquam cujuscumque sexus dum omnipotentis Dei Filius salutis nostræ auctor inferius per terram gestatur, superne, & superbe despiciendo inspiciat, vel inspiciendo despiciat; est enim indecentia magna, & fit injuria Divinitati ab iis, qui descendere dedignantur, ut in ipsa via sin minus deducere propter valetudinem, aut alias occupationes queunt, saltem genuflexi ante ostium humiliter adorent, quem sciunt e cælis descendisse, ut nos moriendo salvos faceret. Tollatur igitur damnandus abusus, & si cujus impietas, aut indevotio parere recuset, moneatur in confessionibus de gravitate peccati, & si opus erit, requirantur clarissimi Rectores, ut cogant, & puniant. Virginibus tantum, quæ honestatis causa delitescunt, & ægrotantibus indulgeatur, ut per minutiora foramina clausis fenestris, vel per distenta vela non „ autem exporrecto pectore clarius prospiciant.

„ Ad excitandam, tum ad supradicta, tum „ ad alia majorem hujus Sacramenti devotionem, publicent Parochi certis temporibus indulgentias a Summis Pontificibus in hunc finem concessas, iis nempe, qui vel confessi in vigilia hujus solemnitatis jejunaverint, „ vel in die solemnitatis Communionem sumpserint, vel in festo, & per totam octavam pro pace, & tranquillitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Missas celebraverint, vel processiones, in quibus Salvatoris nostri Sacratissimum Corpus defertur, continue prosequuti fuerint; vel qui primis Vesperis, vel Matutino, vel Missæ, vel secundis Vesperis interfuerint, ducentorum dierum indulgentiam toties quoties, tantumdem illis, qui per totam octavam Vesperis, ceterisque horis canonicis interfuerint; qui vero Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorio in ipso festo Corporis Christi, pro singulis horis octuaginta dies indulgentiæ promerebunt.

„ *De sacris Ordinibus*.

„ In collatione sacrorum ordinum singularis „ adhibeatur diligentia, ne per fictas quasdam „ donationes ad inanem titulum quispiam ordinetur, qui paulo post cogatur mendicare, „ quod haud raro in hac diœcesi contigisse „ observatum est. Instrumenta igitur ejusmodi „ donationum non ab alio fiant, quam a nostro Cancellario, & jurent donatores se id „ bona fide facere, suumque esse illud quod „ donant, non doti, non fideicommisso, non „ hypotecæ ulli obnoxium, jurentque vicissim „ accipientes clerici, se bona illa nunquam retrocessuros, nec alia ratione, nisi de nostra „ scientia alienaturos.

„ Examinatores in Synodo electi jurent in „ hæc verba: Ego N. N. promitto, & juro „ me examinatoris officium mihi in hac Synodo demandatum, sincere, & fideliter administraturum, nec amori, aut odio locum daturum, nec munus ullum vel minimum hoc „ nomine accepturum; sic me Deus adjuvet, „ & hæc sancta Dei Evangelia.

„ Examinator, qui quempiam separatim examinaverit, vel instruxerit, ejus publico examini non intersit, nec pro illo suffragium „ aut testimonium coram reliquis examinatoribus adhibeat.

„ Excipimus magistrum seminarii, si in schola sua publice docuerit.

„ Examinatores sibi invicem neminem commendent, multo minus impediendi studio „ accusent, ne commendatio, & gratia, aut „ odium veritatem obtegat; quicquid habent „ ad nos referant cum caritate, memores etiam infirmitatis propriæ.

„ *De Matrimoniis*.

„ Matrimonii Sacramentum magnum minus „ reverenter in ecclesia nostra celebrari animadvertimus, quam alibi, ubi sacræ constitutiones diligentius observantur; iccirco ut imposterum cuncta rectius administrentur, sic statuimus.

„ Denuntiationes trinas Parochi non omittant sine nostra licentia; exterorum matrimonia non publicent, nisi examine in Cancellaria nostra de conjungendorum libera conditione diligenter habito.

„ Si alter jugalium catholicam fidem, alter „ Græcorum ritum sequitur, non publicent, „ priusquam nos moneant.

„ Suadeant Parochi, ut sponsi ante matrimonii celebrationem prius confiteantur, & „ simul communicent, ne ad tantum sacramentum sola carnis concupiscentia ducti, tamquam bruta animalia concurrant.

„ Non benedicant quos sciant se prius carnaliter cognovisse, aut cohabitasse.

„ Nec ejusmodi benedictionem, & matrimonii solemnizationem ministrent, nisi matutino tempore, prælecto nuptiali sacro: postprandium si absque nostra licentia id auserint, punientur gravius. Magna est superstitio diabolica apud quosdam, qui cum matrimonia in ecclesia contrahunt, cavent ne per „ eamdem portam exeant, per quam sunt ingressi; id prohibeat Parochus gravi objurgatione. Homines rusticos, & crassos examinent Parochi, nec eos ullo modo conjungant, qui fidei rudimenta ignorant, sed videant prius addiscere, & ipsi instruant cum „ caritate.

„ *De Concubinatu tum Ecclesiasticorum tum „ Laicorum.*

„ Fœdum concubinatus crimen tum a clero, „ tum etiam a laicis nostræ diœcesis avertere „ cupientes, prohibemus sacrosancti Tridentini „ Concilii decretis inhærentes, ne clericus aut „ in domo, aut extra mulieres, de quibus pos„ sit haberi suspicio, detinere, aut cum illis „ consuetudinem habere audeat; cum vero mul„ ti omissam turpem peccati conversationem „ allegent, ut domi eas alant, quæ sibi alias „ in libidine morigeræ fuerunt, & cum qui„ bus etiam proles suscepere; nos consideran„ tes dari hoc modo novis peccatis occasio„ nem, & facilitatem, nec ad securam cautio„ nem ætatem etiam grandævam sufficere, si„ mulque populo scandali, suspicionis, & ob„ murmurationis locum relinqui, prohibemus „ sub pœna excommunicationis, aliisque arbi„ trio nostro reservatis, ne Sacerdos, aut cle„ ricus cujuscumque status, aut conditionis mu„ lierem, cum qua alias se carnali copula con„ taminaverit, sive prolem inde susceperit, si„ ve non, quocumque vel œconomiæ, vel com„ munium filiorum, vel propriæ curæ, inva„ letudinis, paupertatis, aut ætatis, vel cari„ tatis etiam prætextu, secum in eadem domo „ alere præsumat, immo ne quidem frequen„ tem alterius ad alterum accessum sub quo„ cumque etiam honesto titulo impunitum re„ linquemus; non satis est enim culpa carere, „ ni suspicio etiam absit.

„ Laicos vero eadem concubinatus fœditate „ sordescentes paulo minori pœna, & castiga„ tione dignos sacri Canones judicavere, nec „ nos aliter sentimus; cum vero nonnulli ejus „ vitii a nobis sæpius moniti quærant excusa„ tionem in peccatis, ne longioris patientiæ, „ ac nimiæ indulgentiæ reos nos nostra culpa „ faciamus, sic demum decernimus nemini pa„ trocinaturam, aut ætatis, & omissæ libidi„ nis excusationem, prolisve educandæ prætex„ tum, multo minus quod concubinam sub „ eodem tecto non alant, nec assidue cohabi„ tent; quin post hanc generalem monitionem „ singulos deinde in scriptis monituri, ac po„ stremo juxta præscriptas leges, & sacros Ca„ nones, sine personarum exceptione ulla ani„ madversuri simus, quod ad omnem etiam „ justæ querimoniæ causam tollendam volumus „ iterum esse prædictum. Contra eos vero qui „ stultissimis, & impiis sermonibus conantur „ insuper, vel sibi ipsis, vel aliis persuadere „ concubinatum, aut fornicationem Christiana „ lege non prohiberi, tamquam contra hære„ ticos procedemus.

„ *De Decimis.*

„ Non solum communes loci, temporisque „ calamitates, sed hominum etiam refrigescens „ caritas, & indevotio clerum nostrum vide„ tur ad paupertatem redegisse: forte nonnul„ lorum corrupti mores dederunt alienationis „ aliquam causam. Dum igitur nos in clero „ nostro emendare, quæ emendari debent, so„ licito animo satagimus, providere etiam cu„ pimus, ut ecclesiæ, ecclesiasticisque viris „ jura, emolumentaque sua integra constent; „ cum itaque nonnulli in decimis solvendis ini„ quiores se præbeant, variasque excitent su„ binde cavillationes sibi ipsis, animæque suæ „ magisque aliis perniciosas; aliqui enim ex „ agris illis, ubi frumentum, hordeumve non „ aratione sed terra ligonibus domita metunt, „ decimam se debere negant, absurdo sane com„ mento; alii cum vina frumentave creditori„ bus alieni æris dissolvendi causa integra assi„ gnant, pro decima postea pretium, & ple„ rumque injustum offerunt; alii eleemosynas „ aliquas, aut privatis Sacerdotibus, aut Reli„ giosorum conventui dantes perperam judi„ cant in eo se decimarum solvendarum oneri „ satisfacere; cum tamen decima iis solis dan„ da sit, quibus est attributa, nec eleemosynas „ de alieno facere liceat; alii alio modo, dum „ ecclesiam defraudant, se ipsos decipiunt, & fa„ cultatem dum augere injuste, ac impie in„ tendunt, misere corrumpunt, & perdunt, „ exemplaque in hac ipsa civitate non pauca „ suppetunt, cum ii præcipue ex divitiis in „ paupertatem, & mendicitatem justo Dei ju„ dicio prolabi aspiciantur, quos fama fert de„ cimarum fraudatores esse: hanc quoque ne„ cessitatem Parochi, & Capellani populo in„ stillent, argumentaque, exempla, & ratio„ nes colligant, omnipotentem Deum agrorum, „ vinearumque esse Dominum, illum irrigare, „ illum incrementum dare, sibique ipsi de o„ mnibus fructibus decimam reservasse, injustis„ sime agere, & per summam ingratitudinem, „ qui denegent aut diminuendo deterioresve spe„ cies dando suam divinam Majestatem deci„ piant, & de hoc semel etiam in mense ser„ monem habeant, & sacrosancti Tridentini „ Concilii decretum in capite XII. sessione „ XXV. super hoc editum nuntient, & expli„ cent, habeantque Illyrica lingua conversum.

„ *De usurpantibus bona ecclesiastica.*

„ Similes istis sunt illi, qui ecclesiarum bo„ na, fructus, census, agros, vineas, jurisdi„ ctiones, aliaque qualiacumque jura, & emo„ lumenta usurpant, nec animadvertunt ex hac „ injustitia, & impietate præter animarum in„ teritum, & excommunicationes, quibus per „ sacrum Tridentinum Concilium feriuntur, „ provenire etiam domesticas miserias, patri„ monii dilapidationem, filiorum discordias, „ & super male parta hereditate lites, & ri„ xas, id omnipotente Deo in vindictam usur„ pati patrimonii sui sic permittente, ut me„ rito injuste detenta bona ecclesiastica fuerint „ aquilæ pennis comparata, quarum unica si „ fuerit in pulvino, aut lecto aliis pennis im„ mixta, reliquas omnes rodit, conterit, & in „ pulverem redigit. Hoc igitur Parochi, & „ Capellani similiter semel in mense intona„ bunt, decretumque Tridentini Concilii in ca„ pite XI. sessione XXI. recitatum, & repe„ titum interpretabuntur, docentes hujus ejus„ dem criminis affines esse etiam eos, qui pia „ legata a majoribus suis relicta exequi recu„ sant, differunt ultra annum, & ultra spa„ tium a testatore præscriptum, aut minus ple„ ne exequuntur: qui cogitantes, & cupientes „ aliqua legata pia instituere dissuadent, & „ quacumque ratione impediunt, isti enim te„ nentur ecclesiam de suis propriis bonis com„ pensare; notarios, qui testamenta conficiunt, „ & ejusmodi pia legata infra unius mensis „ spatium nobis, vel Vicario nostro generali „ non denuntiaverint; hos enim ipso facto in „ excommunicationem incurrere hac nostra sy„ nodali constitutione pronuntiamus.

„ *De Sortilegiis, & magicis artibus.*

„ Cum varia hominum genera ex vicinis „ Tur-

Digitized by Google

„ Turcæ subjectis regionibus quotidie in hanc „ civitatem confluant, & securitatis, aut militiæ, aliave de causa sedem hic figant, observamus magno cum dolore irrepere simul „ superstitiones, incantationes, veneficia, sortilegia, aliasque diabolicas artes, quas eliminare cupientes, quod aperte contra veram „ Christi fidem, & unius Dei cultum esse comperiantur, non solum eos qui pacto se Dæmoni mancipant, aut Dæmones quocumque „ modo invocant, sed quicumque vel per fabarum jactum, vel per alias quascumque superstitiones, vel per verba, vel per imagines, aut amorem, aut odium, aut zelotypiam, aut morbos, aut sanitatem inducere „ se posse profitentur, quive, aut de furto, „ aut de alia quacumque re sortes ducere, aut „ divinare se posse jactant, aut ejusmodi stultissimam, & infernalem scientiam exercent, „ seu illa Geomantia, sive Hydromantia, sive „ Aromantia, sive Pyromantia, sive Chiromantia, aut Necromantia sit, aut appelletur, „ omniaque ejusmodi sortilegia, & superstitiosa, atque tartarica scelera prohibemus, & „ damnamus, una cum illis omnibus, qui ad „ hoc genus hominum, aut muliercularum vel „ consilii, vel auxilii causa in quocumque negotio confugerint. Nec supradictorum quempiam ab ullo, nisi a nobis ipsis absolvi posse decernimus, mandamusque, ut Parochi, „ & Confessarii in hujusmodi peste exterminanda diligenter incumbant; nihil enim magis iram omnipotentis Dei provocat, unde „ postea grandines, nimiæ pluviæ, nimiæque „ siccitates, ac terræ sterilitates, omnisque cæli, aeris, ventorum, & aquarum inclementia, & injuria derivant; armantur siquidem „ creaturæ in vindictam Creatoris, ac plerumque iisdem calamitatibus boni etiam cum „ malis involvuntur. Ideoque hanc maledictionem, & hæc divina flagella, volumus semel „ saltem in mense a Parochis, & Capellanis „ in iis ecclesiis, iisque temporibus, quibus „ major populi numerus confluere solet, denuntiari, monerique omnes, non solum ut „ caveant, sed etiam si quem hominem, quamve mulierem hac impietate, hisque sceleribus infamem, aut suspectum noverint, eam „ nobis statim pro sua conscientia debeant indicare, ut ob unius aut alterius graviora supplicia discant reliqui ejusmodi abominationem abhorrere, & detestari, ne se, & alios „ in Sathanæ insidias tam facile præcipitent; „ formam autem ejusmodi sermonis ad populum faciendi præscribemus nos ex sacrorum „ Patrum doctrina pro gentis captu, quem postea Parochi, & Capellani suo modo dilatent, & amplificent communibus argumentis, insignioribusque exemplis subinde recitatis, quæ permovere magis solent.

„ *De Turcis, eorumque consuetudine.*

„ Infelix hujus civitatis conditio Turcas nobis nimis vicinos constituit, quos propterea „ prohibere non possumus, quin emendi, vendendique causa, aut ob alia quæcumque negotia, quotidie frequentes in urbem confluant; verum nostra saltem cautio esse debet, „ ne per eorum consuetudinem, aut Deus offendatur, aut alii corrumpantur. Prohibemus igitur, ne quisque vel in meritoriis tabernis, vel in privatis domibus, ubi forte „ amicitiæ causa excipiuntur, cibos illis apponat, nisi quos Christiana Ecclesia concedit, „ pisces scilicet in sexta feria, & Sabbato, in „ vigiliis, in Quadragesima, ceteris temporibus quid libuerit. Gravius etiam damnamus, „ & excommunicationis pœna subjicimus eos, „ qui prædictis infidelibus, vel lenocinium, „ vel commoditatem ullam præstabunt, ut se se „ cum Christianis mulieribus, etiam si publicæ „ meretrices essent, commisceant, quod etiam „ apud illos gravissimis suppliciis vetitum est, „ & quidem per Christianorum quoque leges „ cautum, ne fidelis vir infidelem feminam cognoscat; id vicissim severius Turcis non interdicere non modo contra pietatem, sed etiam contra decus, & dignitatem Christiani „ nominis videtur esse.

„ In ecclesias Turcæ ingredi non permittantur, nisi forte insigniores aliqui curiositatis „ causa, ut vel templa, vel picturas, vel alia „ quæpiam intueantur; divina tamen officia iis „ præsentibus non celebrentur, & si tempus instet jubeantur exire; reliquiæ nullæ, nec sacra vasa illis etiam rogantibus demonstrentur, & quamvis devotionem quamdam erga „ Sancti Simeonis corpus præseferant, nec illius quidem aspiciendi copia iis fiat; conciones si audire velint, non excludantur.

„ Cum publicæ supplicationes habentur, præcipue vero cum Sacratissimum Christi Domini nostri Corpus gestatur, præcedat semper „ clericus unus, aut alter corpore, & ætate „ grandior, ac facie gravis; is Turcas, qui „ forte in via tunc starent, aut in portis fenestrisve officinarum sederent, aut procumberent, jubeat abscedere, renitentes cogat, „ ne gens infida sacrosanctæ religionis mysteria, & ipsum Salvatorem nostrum Unigenitum Dei Filium cum irrisione, & blasphemiis spectet. In hoc vero donec exemplum „ statuatur, & discant Turcæ per se in ejusmodi occasionibus de via deflectere, imploretur etiam clarissimorum Rectorum (si opus „ erit) auxilium.

„ *De Monialibus.*

„ Cum non minima solicitudinis nostræ pars „ circa sacrarum Virginum monasteria, quæ in „ civitate, & diœcesi nostra sunt, versari merito habeat, ut quæ Deo dicatæ sunt in puritate, & quiete sponso suo Salvatori nostro „ Jesu Christo eo fidelius serviant, quo se magis a sæculi consortio abstraxerint, & mutuam inter se caritatem coluerint: ideo nonnulla, quæ in visitatione per diligentem præsentis status indagationem licuit observare, ad „ earum tranquillitatem, & salutem sic sanciendа duximus.

„ Prohibet temporum calamitas, magnaque „ Jadrensis civitatis in plerisque paupertas, ne „ quod laudabiliter, & ex sacrarum constitutionum præscripto ubique jam locorum observatur, tum puellis monasteria educationis, „ sive religionis causa ingredientibus de victu „ per parentes singulis anticipatis semestribus „ prospici, & caveri; tum vero sacrum habitum suscipientibus congruam dotem decerni „ mandemus, quæ tamen omissio, videtur brevi monasteria hæc omnia ad summam inopiam, si non ad interitum redactura; quod „ ut quantum fieri potest avertamus, aut saltem in longum protrahamus, habita singulorum monasteriorum, tum quæ ad redditus, tum quæ ad sumptus pertinent diligenti

„ con-

Digitized by Google

„ consideratione, numerum in ipsis pro sustentationis facultate ita præfinimus, ut in monasterio Beatæ Mariæ trigesimum tertium, apud Sanctam Catherinam sextum decimum, apud Sanctum Nicolaum vigesimum, apud Sanctum Demetrium decimum sextum, apud Sanctam Marcellam decimum velatarum monialium non excedat, quem tamen numerum speramus nos brevi augeri posse, si dabit omnipotens Deus communibus hujus provinciæ calamitatibus aliquando finem, unde respirent etiam monasteria magnis incommodis, sterilitatis, grandinis, variarumque direptionum hisce superioribus annis afflictata.

„ Puellis vero, quæ nondum velatæ sunt, omnino prohibemus, ne a monasterio quidquam prorsus tribuatur, sed earum alendarum cura penes parentes sit; quod si contra præsentem prohibitionem de re monasterii eis quid fuerit tributum, id Præfecta monasterii etiam in foro conscientiæ restituere teneatur, & ab officio, si semel monita non desistat, suspendatur, voceque tam activa, quam passiva privetur; quod si puella suscipienda aliquando videbitur, cui parentes omnino inopes nec ipsius sustentationi idonei ullo modo sint, quominus caritativi subsidii non alimentorum titulo aliquid ei a monasterio tribuatur non prohibebimus, si modo noster desuper requiratur consensus, quem nominatim in scriptis dabimus, ubi nobis de vera necessitate constabit.

„ At quæ ratio apud Sanctam Catherinam, & apud Sanctam Marcellam circa conditionem recipiendarum monialium, & earum dotes instituta est, eam volumus in suo vigore remanere.

„ Domesticæ autem œconomiæ rationes sic observentur, quemadmodum ante annos plus minus triginta ab Andrea Archiepiscopo felicis recordationis patruo nostro constituta fuerunt, quorum observatione monasteriorum res meliores fieri posse usu compertum est.

„ Imprimis vero singulariter caveatur, ne horreum, aut cellam vinariam una tantum custodiat, sed tribus clavibus loca prædicta muniantur, quarum una penes Abbatissam, altera penes cellarariam, tertia penes aliquam ex discretis habeatur.

„ Ad easdem œconomicas rationes pertinent, ut advocatorum, scribarum, gestorum, quos Castallos vocant, stipendia non nisi mediocria assignentur, ne ob levem, minutque meritoriam operam integra cujusque familia alatur. Ideo sic supradictorum stipendia limitamus, ne ulli omnibus computatis ultra viginti quinque ducatos dare liceat. Laudantes interim promptam, & gratuitam operam tum nobilium, tum civium, qui procuratorum officium in ipsis monasteriis agunt, quibus nec imposterum stipendium ullum dari volumus.

„ Omnium vero expensarum computa nobis singulo trimestri, vel saltem bis in anno exhiberi mandamus, ut pro recta, & diligenti administratione laudare unamquamque possimus, scribas singulorum monasteriorum hoc facere detrectantes loco statim amoturi.

„ Epulum quod colonis suis parare monasteria solent, sicuti non prohibemus, sic frugale esse cupimus, nullo vero modo intra clausuræ limites institui.

„ Separatim vero omnibus monialibus prohibemus ne convivia quocumque in loco, vel intra, vel extra clausuram, ne quidem cum cognatis quocumque arcto necessitudinis vinculo vinctis, at nec etiam cum parentibus agere præsumant; aliter pœnis fractæ clausuræ tenebuntur, & per annum sine velo manebunt. Prohibemus etiam eis sub eadem pœna veli, ne vestes, patientiam, scapularium, cucullam, cappam, velum, vel aliam quamcumque partem sacri habitus cuicumque personæ, etiam luctus, aliave quavis de causa accommodent, utendamve tradant.

„ Curet autem Abbatissa, ne puellæ, aliæve quæcumque sacratæ Virgines in portis, quæ ad ecclesiam, vel in plateas spectant, sub iisdem pœnis sese aspiciendas exhibeant, neve turres campanarias quocumque prætextu conscendant.

„ Ut puellæ ipsæ una cum monialibus semel saltem in mense confiteantur, & communicent.

„ Ut in choro, & in refectorio frequentes conveniant; quod si negligant, & nisi divinum officium recitare commode norint, sciant sese ad velum nequaquam admittendas.

„ Ne ulla monialis, aut etiam puella discedat a choro, dum divina officia cantantur, etiam si a parentibus, vel quibuscumque aliis quacumque de causa evocentur; sed audita campana, quæ ad chorum, vel ad refectorium invitat, unaquæque monialis debeat festinare, omissis omnibus negociis, & sermonibus, etiam quos, vel cum parentibus, vel cum aliis instituissent, ne videantur hominum consuetudinem pluris facere, quam Dei cultum, aut superiorum obedientiam.

„ Si quæ monialis, sine causa, a Præfecta probata, chorum accedere, aut refectorium prætermittat, neque monita parere velit, careat tamdiu vini & panis portione, donec redeat ad officium; & si Præfecta in eo cuiquam sine justa causa indulgeat, ipsa de eo rationem reddere cogatur, in quo etiam suam conscientiam oneramus.

„ Quicumque ad monasteria nostra cum venia in scriptis obtenta accesserit, sive cum Præfecta, sive cum alia quacumque Virgine collocuturus, non alio in loco admittatur, nisi in ordinario collocutorio, assistantque semper deputatæ ad hoc seniores auscultatrices, quemadmodum alias demandatum fuit.

„ Confessarios infra claustra nequaquam admittant, nisi in casu necessitatis. Confiteantur sacræ Virgines ad crates; ex iisdem sanctam Eucharistiam sumant, ferrea fenestella, quemadmodum apud Sanctum Nicolaum est, ubique quamprimum fieri poterit accommodata.

„ Optaremus etiam certas horas ad operas singulas constitui, signumque per campanam dari, quando surgendum, quando matutinæ preces inchoandæ, quando Missa audienda, quando horæ cantandæ, quando prandendum, quando cœnandum, quando incumbendum sit; ejusmodi enim temporum distributione certa magna percipiunt commoda Religiosi utriusque sexus, qui communem vitam agunt.

„ Dormiant singulæ separatim tam puellæ, quam moniales, & in dormitorio opportuno loco luceat nocte tota lampas una saltem,

„ vel

„ vel binæ, ubi id loci conditio postulaverit; „ quæ vero fuerint in eodem lecto repertæ puellæ condormientes, de monasterio pellantur, „ moniales singulis quarta & sexta feriis unius „ anni pane, vino, & obsonio careant, Præfectæ, quæ id non fuerit executa, excommunicationis nobis reservatæ pœna imminente. „ Ubi vero aut loci angustiis, aut summa nonnullarum paupertas coget, binis sororibus, „ aut nepti cum amita, donec ejusmodi necessitatibus concedat divina clementia alia ratione provideri posse, simul dormire concedemus, si tamen supplicaverint, & de ejusmodi necessitate docuerint, & licentiam a „ nobis in scriptis obtinuerint; alioquin nemini id facere liceat sub pœnis prædictis.

„ Prohibeantur jurgia, & rixæ quantum omnino potest; si quæ vero, sive puella, sive „ monialis alteram quamcumque etiam Pizzocaram verberare ullo modo auserit, careat „ duobus integris mensibus & vino, & obsonio quocumque, ut ei nihil præter panem „ a monasterio tribuatur, & nihilominus aliis „ pœnis arbitrio nostro reservatis afficiatur.

„ Compellat Abbatissa etiam Pizzocaras ad „ officium, moneatque, ut moniales observent, „ iisque serviant, & per vices tum cellas omnes „ verrant, tum aquam ad usus necessarios in „ easdem cellas portent, & ne sine causa tota „ die cum monasteriorum dedecore huc illuc „ circumcursare aspiciantur. Cum vero necessitas postulat, mittantur ad extrinseca negotia „ seniores, illæque de quarum modestia certior est opinio, quas vino minime deditas „ constet; omnes vero ante Angelicæ Salutationis pulsum intra monasterii claustra adesse jubeantur, & circa illam horam curet Abbatissa, ut portæ omnes monasterii, ecclesiæ, curiæ, & collocutorii clausæ sint.

„ Ubi plures Pizzocaræ sunt pro locorum „ commoditate in singulis monasteriis, vel una, „ vel binæ constituantur, quæ infirmarum curam gerant, earum præcipue, quibus non essent in monasterio soror, neptis, aut consanguineæ aliquæ; ubi vero Pizzocaræ vacare, quia pauciores sunt, huic operi nequeunt, provideat Præfecta, ut per monialium caritatem suppleatur, neque id se negligere posse sine gravi peccato credat.

„ Sciantque omnes Pizzocaræ non licere eis „ sine nostra expressa licentia, nisi proprio sui „ monasterii Confessario peccata confiteri.

„ Stricte etiam prohibemus tam dictis Pizzocaris, quam etiam castaldis monialium, & „ universis eorum familiæ, ne sine expressa licentia, & consensu Prælatæ monasterii munera etiam tenuissima, litteras, schedulas, „ verba, seu ambasciatas a quacumque, seu „ quocumque cuivis intra, vel extra monasterium perferant; aliter sententiam excommunicationis latæ sententiæ, quam trina canonica monitione præmissa in his scriptis ferimus, statim in eo ipso incurrant, nec ab „ ea præter nostram, majoremve auctoritatem „ absolvantur, & insuper ad illud idem, & ad „ alia quæcumque monasteria accedenda perpetuo inhabiles reddantur, & aliis etiam nostro reservatis arbitrio pœnis subdantur.

„ In admittendis puellis, sive ad educationem, sive ad religionis spem consensus imprimis monialium requiratur, ac res deinde referatur ad nos, nec sine licentia nostra ullam liceat acceptare.

„ Semel acceptata, absque licentia nostra non „ egrediatur; si faciat, nullam sibi in futurum, vel ad idem monasterium, vel ad alia „ spem superesse sciat, nisi per Sanctissimi Domini nostri Pontificis Maximi mandatum.

„ Cum animadverterimus abusum esse, & scandalum magnum ex puellis, quæ sacrum habitum suscepturæ ad paternas ædes commigrant, unde per plures dies per totam civitatem pompa quadam parum honesta, aut „ laudabili circumducuntur, id omnino imposterum prohibemus, permittentes quidem, ut „ quæcumque voluerint paternas domos accedant, in iisque per mensem unum plus minus maneant, sed raro domo pedem efferant, „ nec plures simul, si plures exire contingeret, „ sed unaquæque separatim cum matre, & aliis „ honestis matronis, a quibus etiam singulæ „ separatim ad monasterium cum tempus erit „ simpliciter deducantur. Contraria vero præsumptio indignas puellas ipsas faciat, quæ „ ad monasterium deinceps admittantur.

„ Puellæ sive educationis, sive religionis causa assumendæ, ex eodem patre, eademve matre sorores, in uno, eodemque monasterio, „ ne ultra binas admittantur, ne major numerus insolentiam aliquam erga reliquas generet; neque enim in ullo monasteriorum nostrorum volumus imposterum plusquam duobus sororibus locum dari, quæ sacrum habitum suscipiant.

„ Nullus vel procurator, vel advocatus, vel „ scriba, vel minister alterius cujuscumque generis officium suum, quamvis a majori monialium numero electus, administrare incipiat, „ ni prius a nobis fuerit approbatus.

„ Inventaria bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium a cujuscumque monasterii scriba trium mensium spatio describantur, & nobis exhibeantur.

„ Interior tabernaculorum pars, in quibus Sacratissima Eucharistia asservatur, serico panno, aut albo, aut rubro, aut cæruleo, decoris, & reverentiæ causa obducatur.

„ Oleum infirmorum in omnibus monialium „ ecclesiis opportuno loco rite asservetur.

„ Sacræ reliquiæ decenti loco, quamprimum „ fieri potest, collocentur, ne in inferiori altaris parte, aut alibi indecenter jaceant.

„ In reliquis serventur, & priores nostræ, „ & aliæ prædecessorum nostrorum constitutiones, præcipue circa colloquia, & litterarum „ scriptiones, imprimis vero sacri Tridentini „ Concilii decreta, summorumque Pontificum „ Bullæ in hac materia emanatæ.

„ *De Casibus reservatis.*

„ Volumus synodalibus constitutionibus nostris casus etiam reservatos inserere, prohibentes, ne quispiam sive sæcularis, sive regularis Sacerdos a nobis ad confessiones pro „ ovium nostrarum salute admissus absolvere „ super his audeat, sub pœna excommunicationis, & perpetua confessionum privatione; „ suntque hi qui sequuntur, in quibus tamen „ nobis ipsis legem non præscribimus, quominus pro temporum conditione, & curæ nostræ opportunitate adjungere, vel minuere „ possimus.

„ 1. Hæreticos.

„ 2. Schismaticos.

„ 3. Usurarios.

„ 4. Sa-

„ 4. Sacrilegos.
„ 5. Incendiarios.
„ 6. Latrones seu grassatores viarum.
„ 7. Homicidas voluntarios.
„ 8. Striges, magos, veneficos, incantatores, „ divinatores, sortilegos, & ab eis consilium „ petentes.
„ 9. Opprimentes propriam prolem, & sterilitatem, aut abortum quomodolibet procurantes.
„ 10. In patrem, aut matrem manus violentas inicientes.
„ 11. In mortem sui conjugis effectualiter machinantes.
„ 12. Verberantes clericos etiam leviter, vel eos contumeliis afficientes.
„ 13. Parentes, & nutrices, qui infantes ante annum completum secum tenent in lecto.
„ 14. Coeuntes cum brutis.
„ 15. Coeuntes cum infidelibus.
„ 16. Peccantes contra naturam.
„ 17. Incestum in quarto, aut propinquiori gradu consanguinitatis, aut affinitatis committentes.
„ 18. Defloratores, oppressores, & raptores virginum.
„ 19. Concubinarios publicos.
„ 20. Sanguinem, aut semen effundentes in ecclesia.
„ 21. Quemlibet conjugatum contrahentem matrimonium cum secunda, vivente uxore.
„ 22. Mulierem quæ antequam reddatur certior de morte mariti, secundo contraxerit.
„ 23. Non solventes decimas, vel fraudem in solutione ipsa adhibentes.
„ 24. Excommunicatum vel suspensum, aut interdictum in ordine suo ministrando, vel eos absolventem, & taliter ligatum aliquem ordinem suscipientem.
„ 25. Utentes indumentis ecclesiasticis in larvis, vel in alia re ludicra.
„ 26. Clericos noctu per plateas cum armis grassantes, cantilenasque, & musicas sic exercentes.
„ 27. Accedentes ad moniales quacumque de causa sine licentia, vel mittentes ad ipsas litteras aut schedulas, vel accipientes pariter sine licentia, vel accipientes ab eis munera, etiam levia, & levissima, nisi adsit consensus Abbatissæ; in ipsarumque monialium ecclesiis sine licentia celebrantes.
„ Advertantque a prohibitione collocutionis non excusari sacellanos, qui Missas in earum ecclesiis celebrare tenentur, cum res necessarias ab ancillis, sive Pizzocaris, ut appellant, petere possint. Ideo æquo jure sunt censendi cum aliis; excipitur unicus Confessarius in singulis monasteriis, procurator unus, & unus scriba; tum vero consanguinei in secundo gradu, ut tamen præter consanguineam cum aliis sermonem non habeant, nec procuratores ipsi, aut scribæ, nisi cum Abbatissa, & cum paucis, quæ monasteriorum administrationi seculari incumbunt; ab aliis abstineant, ut reliqui, alioquin non absolvantur.
„ Si in prædictis omnibus, & quibuscumque constitutionibus difficultas, aut dubium ullum exoriatur, omnem declarationem, & interpretationem nobis ipsis reservamus; quemadmodum vero nihil in iis esse existimamus, quod sacris Conciliis, & ecclesiasticis sanctionibus non consonet, sic universa, & singula sacrosanctæ Apostolicæ Sedi, ac Romanæ Ecclesiæ, omnium ecclesiarum Matri, & Magistræ humiliter, & fideliter submittimus, ejus præcepta ne latum quidem unguem transgressuri.

„ *Acclamationes in fine Synodi.*

„ Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. Amen. Amen.
„ Sanctissimo Domino nostro Clementi Sanctæ Catholicæ Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici salus, vita, & prosperitas, augmentum fidei, & cunctarum gentium obedientia.
„ ℟. Pia sanctissimi Pastoris nostri consilia, & salutaria desideria omnipotens Deus cælesti gratia prosequere, ejusque preces, & lacrymas exaudire digneris, ut hæresibus omnibus sublatis, Christianis Principibus inter se reconciliatis, veræ fidei hostes conterantur, & Ecclesiæ tuæ pax, dignitas, & gloria restituatur.
„ Serenissimo Domino Domino Marino Grimano nostro clementissimo Principi, totique Reipublicæ Venetæ salus, victoria, gloria, & felicitas æterna.
„ ℟. Concede omnipotens Deus Principi nostro perpetua pace lætari, & in ea divini nominis tui gloriam, & rectæ fidei cultum semper augeri, omnesque hostium suorum conatus dexteræ tuæ virtute collidi.
„ Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Domino Archiepiscopo nostro vigilantia super gregem suum, in adversitatibus patientia, in judicio lumen, in ministerio zelus domus Dei, in regimine corporis & animæ salus perpetua.
„ ℟. Conservet illum Dominus, regat, & illuminet, ut infirmitatibus nostris compatiatur, & divinum cultum, ecclesiæque nostræ decus tueatur, & augeat.
„ Universæ Dalmaticæ provinciæ, & Jadertino populo pax, salus, securitas, abundantia, omniaque bona, quæ timentibus Deum promittuntur.
„ ℟. Rogamus te clementissime Pater, ut universam Dalmaticam oram, & imprimis fidelem populum Jadertinum, te unum Deum in vero amore, & timore colere doceas, ut per tuam misericordiam post præsentes calamitates cælestem benedictionem, omniaque animi, & corporis bona consequatur, ac perpetuo te concedente perfruatur.
„ Intercedant pro nobis apud divinam Majestatem tuam Sanctissimi Protectores nostri Anastasia, Grisogonus, Zoilus, & Beatus Simeon, qui Unigenitum Filium tuum gestavit in ulnis. Amen. Amen. Amen. Fiat, fiat, &c.

Nec vero Minutius dum peculiaribus ecclesiæ suæ commodis utilitatique diligentissime serviebat, ab omni publicorum negotiorum curatione illi vacare omnino licuit. Nam tum Pontifex, tum Dux Bavariæ Minutio identidem dabant de gravissimis rebus mandata, quæ summa illa, qua valebat, prudentia, ac dexteritate confecit; veluti illud de Uscochis compescendis, qui sub dominatu ac tutela Principum Austriæ, ea tempestate, insulas orasque Venetorum, & mare omne infestum armatis lembis faciebant; nec Venetis solum, sed etiam pontificiis navigiis

Dum Ecclesiæ suæ curam omnem adhibebat, publica negotia sibi commissa curare non destitit.

giis & mercatoribus plurima damna inferebant; & prope jam aberat, ut grave bellum inter Venetos Austriosque exardesceret; cum hi vel nollent, vel negligerent infames illos piratas, qui Seniam, aliaque oppida ditionis Austriacæ tenebant, sedibus maritimis ejectos ad loca mediterranea transferre, aut certe pœnarum metu ac denunciatione coercitos in officio continere; illi vero injurias acceptas terra marique persequentes, ab ipsis oppidis Austriadum imperio subjectis, quæ prædonum ac prædarum receptacula erant, invadendis non abstinerent. Quocirca Clemens VIII., cui magnopere cordi erat concordia Principum Christianorum, ut socia arma conjungerent contra Turcas, qui tum bellum gerebant cum Rodulpho Cæsare, Minutium per litteras jussit omne studium operamque in eo contendere, ut piratica Uscochorum licentia, quæ semen erat discordiarum, stabili ac firma pace Veneti & Austrii inter se jungerentur.

Clementis ad Minutium epistola.

Clemens PP. VIII. Venerabilis Frater salutem & apostolicam benedictionem. Quam diu, & quo animi ardore a nobis expetitum sit, ut inter Signienses & Venetos compositionis opportunæ ratio aliqua iniretur, nemo Fraternitate tua melius novit, qui a secretis nostris tanto tempore, & tanta cum laude fuisti, & sensus nostros, ac consilia perspecta habes, quæ ad solam Dei gloriam, & communem Christianæ Reipublicæ utilitatem diriguntur. Itaque scis quo animi mærore calamitatem illam deplorare consueverimus, scilicet vexationes, & deprædationes, & detrimenta quotidiana, quæ a Signiæ incolis non Venetorum tantum, sed nostris etiam, & Sedis Apostolicæ subditis inferuntur; ac licet tot incommodis & malis, quam semper optavimus, medicinam adhuc adhibere non licuerit, nunquam tamen pro nostra pastorali sollicitudine hanc cogitationem deposuimus; & nunc certe magna in spe sumus fore, ut, Dei gratia adjutrice, hoc salutare negotium conficiatur, quod te quoque sperare animadvertimus. Nam & carissimus filius noster Rodulphus Imperator electus, & dilectus filius nobilis vir Ferdinandus Archidux Austriæ praeclaram erga concordiam voluntatem præseferunt, & de Venetorum Republica idem nobis persuademus, & præstantes nunc hujus rei administros adesse audimus, & tu ipse gravi testimonio confirmas; itaque litteras nostras de tota hac causa dedimus ad Venerab. Fratrem Signiæ Episcopum, tum ad Capitaneum ejusdem civitatis, item ad Commissarios Cæsareos & Archiducales; scripsimus etiam ad Equitem Justinianum, & Vicepræfectum generalem Sinus Adriatici, quos omnes efficaciter hortati sumus, ut ad Dei gloriam, & Principum suorum laudem, & ob publicam tranquillitatem, & ut mala gravissima evitentur, hanc compositionis curam toto ex animo suscipiant: & quia Fraternitatis tuæ prudentiam, rerum usum, spectatam erga nos & hanc Sanctam Sedem fidem optime novimus, & zelum tuum communis boni non ignoramus; volumus, tibique mandamus, ut in hoc negotio tractando, & Deo auctore conficiendo, operam tuam & diligentiam, quam soles, auctoritate nostra interponas, & cum iis, quos supra nominavimus, aliisve, prout opportunum esse cognoveris, agas, eorumque animos ad concordiam, ut speramus, utraque ex parte propensos, tanto efficacius disponas, impedimenta, & difficultates dimoveas, eisque testeris fore, ut compositione ineunda, & de suis Principibus, & de tota Christiana Republica egregie mereantur, & nobis rem pergratam faciant. Videmus tot præstantes viros operam suam ad hoc pium opus collaturos, ut jure optimo omnia prospere, Deo juvante, eventura sperare nobis liceat, te præsertim omni studio connitente. De totius autem negotii progressu accurate more tuo ad nos perscribes. Dat. Ferrariæ sub annulo Piscatoris die secunda Septemb. MDXCVIII. Pontif. nostri anno septimo.

Ejus opera impensa ad frænandam piraticam Uscochorum licentiam.

Ut Pontificis mandata exsequeretur, nihil curæ diligentiæque Minutius prætermisit; & communicatis cum Episcopo Seniensi, & Antonio Justiniano Præfecto Sinus Adriatici consiliis, deliberatum fuit, ut M. Antonius de Dominis Seniensis Antistes Græciensem, & Pragensem Cæsaream Curiam adiret, doceretque rem indignam & intolerandam videri omnibus, latrones illos in omnium fortunas tamdiu impune grassari; quanta ab illis calamitas rei publicæ, & christianæ impenderet; & quibus remediis ad eam avertendam opus esset. In utraque Curia tum Ferdinandum Archiducem, & Rodulphum Imperatorem, tum consiliarios fere omnes optime animatos reperit ad frænandam piratarum insolentiam; sed ut aliquid certi ad eos abigendos vel cohibendos statueretur, impetrare non potuit; itaque nihil aliud præter verba & inania promissa retulit. Illud tamen consilio atque opera Minutii factum est, ut ex illis inter Venetos Austriosque dissidiis, quibus caussam Uscochi præbebant, bellum apertum non existeret: id quod Pontifex maxime optabat. De Uscochis brevem quidem, sed accuratam historiam Minutius confecit, quam typis consignavit anno 1602.; eamque Paullus Sarpius perduxit usque ad annum 1615.

Cum nulla illi deesset ex illis virtutibus, quæ dignitatem episcopalem maxime ornant, tum in eo potissimum eminebat religio in Deum superosque, & charitas erga proximos. E patrimonio ecclesiastico quidquid necessariis ad frugalem mensam, atque ad familiam alendam sumptibus supererat, id omne vel in pauperes erogabat, vel ad divini cultus splendorem augendum, ornatumque templorum conferebat. In baptisterio ædis metropolitanæ duo ex marmore altaria exstruxit, alterum D. Hieronymo, alterum D. Hyacintho; utrumque enim præcipua quadam veneratione prosequebatur. Annuos proventus eisdem attribuit; e quibus alimenta quotidiana suppeterent uni de Presbyteris basilicæ Anastasianæ, qui quotidie sacrum faceret; ejusque eligendi jus penes Canonicos esse voluit. Andreæ patrui Archiepiscopi, suique memoriam ibidem tabulæ lapideæ impressam reliquit; cui deinde posterior manus annum emortualem Minutii adjecit. Epigraphem integram hic exhibeo, cujus priorem partem in Andrea Archiepiscopo descripsi.

Monumentum in æde metropolitana Andreæ patruo sibique posuit.

Christo Redemptori.

Andreæ Minutio Serravallensi Doctori, rerum usu, religione, charitate, lenitate præstantissimo, per Pium Quintum Pontificem Maximum Jadrensi Archiepiscopo creato, qui moriens incredibile sui desiderium, Bonique cognomentum apud Jadrenses reliquit. Minutius ex Hieronymo fratre nepos longis peregrinationibus, in pacis ac belli studiis versatus, Bavariæ Ducibus a Consiliis, & ab iis honoribus, & opibus auctus, ac tandem Innocentii Noni, & Clementis Octavi Summorum Pontificum a secretis, confecta diuturnis laboribus valetudine, integra tamen ætate

ab

ab eodem Clemente, qui de Episcopis diligentius examinandis legem tulit, trigesimo post Patruum anno eidem præfectus, & Abbatia S. Grisogoni donatus monumentum posuit, altaria ædificavit & consecravit, locum totum exornavit, sepulcrum sibi designavit, atque quotidianum sacrum in Patrui, Parentum, Fratrum, Benefactorum, suique ipsius animæ salutem instituit. Anno MDLXXXXVIII. Vixit Andreas annos sexaginta, in Archiepiscopatu annos quinque, obiit MDLXXII. Vixit Minutius an. LIV. obiit MDCIV., summa apud Ducem Bavariæ pro Rep. Christiana negotia pertractans.

Cum ad ecclesiam sibi traditam regendam accessit, valetudinem attulit sane imbecillem, ac præteritis itineribus, assiduis & laboriosis negotiis attritam, quæ illi tamen impedimento non erat, quo minus omnia Episcopi munera & officia prompto atque alacri animo exsequeretur. Verum intra finem anni 1602. vehementius affliĉtari, & inveteratæ ægritudines magis magisque ingravescere cœperunt. Post multa remedia incassum adhibita, de consilio medicorum & amicorum, ad patrium solum & incunabula se retulit; quod unum ad diuturnos & veteres morbos depellendos certissimum perfugium vulgo arbitrantur. Cum & nativi aeris beneficio, & diligenti curatione paullulum recreari, & convalescere cœpisset; ab Guillelmo Bavariæ Duce per litteras accersitus, valetudine nondum plane confirmata, Monachium se contulit sub veris initium anno 1603. Nec vero commorationem Bavaricam otiosam sibi, & ab omni ecclesiastica curatione vacuam esse voluit. Itaque Oettingam profectus ecclesiam illam, cujus sacerdotium & præfecturam obtinebat, invisit ac lustravit; multaque præclare constituit, quæ ad cleri disciplinam, divini cultus incrementum, christianæ plebis utilitatem pertinebant: id quod Dux ipse in suis ad Clementem VIII. litteris datis anno 1603. declaravit: *Hoc vero in Præpositura sua Ettingensi testatum fecit, cum brevis admodum temporis spatio, & clerum ibi egregie reformavit, & multa præclara ad cultum divinum, populique devotionem augendam maxime utilia constituit, non sine bonorum omnium ædificatione, meoque solatio plane singulari.* Monachium reversus cum ejus valetudo deterior quotidie fieret, Archiepiscopatu Jadrensi sese abdicandi consilium cœpit, auctore etiam atque hortatore Guillelmo Duce Bavariæ, qui ut Minutii erga se merita remuneraretur, rursum suis litteris ac precibus apud Pontificem instabat, atque urgebat, ut eum in collegium Cardinalium tandem aliquando cooptaret. Sed hanc sublimem dignitatem, cui jam proximus esse videbatur, mors Minutio invidit; nam ad ceteros, quibus affligebatur, morbos pleuritis accessit, qua paucos intra dies extinctus est Monachii Nonis Martiis anno 1604. Amplissimum ei funus faciendum curavit Dux Bavariæ; & arca marmorea inclusum deponi jussit apud sacellum S. Andreæ, in templo S. Michaelis Archangeli Patrum Societatis Jesu, quos ille summopere coluit ac dilexit. Titulus sepulcralis incisus marmori est hujusmodi:

Evocatus a Duce Bavariæ, Ecclesiam Oettinganam sibi commendatam invisit.

Monachii dum de Archiepiscopatu abdicando cogitat, e vita decessit.

In æde PP. Societatis honorifice sepultus.

Elogium sepulcrale.

D. O. M.

Minutio de Minutiis Forojuliensi
Archiepiscopo Jadrensi, Præposito Oettingano,
Innocentii IX. & Clementis VIII.
Pont. Max. a Secretis,
Guillelmo Bavariae utriusque Duci
A consiliis, viro nobilitate, doctrina eximio,
Prudentia, ac rerum usu incomparabili
Post multos pro Republica Christiana
Exantlatos labores, vi morbi extincto
Hunc quietum locum dedit idem Dux Bavariae
Benemerito.
Vixit Annos LV. obiit Anno salutis MDCIV.

In hanc & superiorem inscriptionem, ut præclare animadvertit Fridericus Comes Althanus, mendum chronographicum irrepsit; nam neque quintum, neque quartum, supra quinquagesimum ætatis annum, complevit. Cum enim natus fuerit anno 1551., die 17. mensis Januarii, obierit autem anno 1604. die 7. mensis Martii, vixit annos tres & quinquaginta, ac duos præterea, non tamen integros menses. In utraque igitur inscriptione annos ætatis exactos tres & quinquaginta reponi oportet. In hac vero posteriori idem Comes Althanus pro *Forojuliensi* jubet substitui *Serravallensi*; nam oppidum Serravallis Tarvisinæ, non Forojuliensis Marchiæ finibus continetur. Egregio Præsuli, ac de Societate nostra optime merito Hagiologi Antuerpienses hoc grati memorisque animi testimonium dederunt Tomo III. Aprilis in Appendice ad XI. ultimos dies ejusdem mensis: *Tumulatus est* (Archiepiscopus Minutius) VIII. *Idus Martias; qui quod apud nos tumularetur, ut habetur in annuis Collegii Monachiensis litteris, datum est Serenissimis Principibus templi fundatoribus, Minutiique etiam in Societatem meritis, quæ quoad ille vixit, & multa & magna fuerunt: ipse enim solus sua auctoritate, & in nos præclara propensione, & inexpugnabili constantia animi obtinuit, ut monasterium Eberspergense in fundationem Collegii tandem tribueretur, deficientibus fere omnibus, qui causæ nostræ patrocinari videbantur.*

Duplex error chronologicus & topographicus epitaphii corrigitur.

Multa ingenii sui, doctrinæ, ac religionis monumenta reliquit; duo typis edita sunt, alterum Italice scriptum, idest *Historia Uscocchorum*; quæ quidem eo pluris facienda est, quod consiliorum ac rerum, de quibus narrat, ipsemet particeps fuit; alterum latine scriptum, idest Vita S. Augustæ, quam Laurentius Surius Vitis Sanctorum inseruit, hoc titulo præfixo: *Divæ Augustæ Virginis & Martyris Vita, quam ex antiquis monumentis, & pia majorum traditione clarissimus & doctissimus Minutius de Minutiis de Serravalle collectam, & eleganter conscriptam ad nos misit, patriæ suæ Patronam sic veneratus.* Cetera ejus Opera partim Italica, partim Latina luce publica caruerunt; quorum indicem Comes Fridericus Althanus suis de Vita Minutii Commentariis subtexuit. Sunt autem hæc. *De Tartaris. Storia delle guerre tra Tartari e Turchi dall' anno 1595. sino all' anno 1599. De Æthiopia, sive de Abyssinorum imperio. De novo Orbe. Storia del Martirio della Legione Tebea, e delle undici mille Vergini. Trattato sopra la Umiltà. Trattato contro la Detrazione. Dialogo I. sopra la Prudenza. Dialogo II. sopra la Prudenza. Synodus diœcesana. Molte Instruzioni, Prediche, e Scritture. Due grossi volumi di Lettere.*

Ejus varia opera partim edita, partim mss.

VICTOR ARCHIEP. JADREN. XLI.

Natus est Venetiis patre Jacobo Ragazzono Comite S. Uldarici, viro præstantissimo, ac de Republica Veneta præclare merito. Patruus illi fuit

Gesta Victoris ante Archiepiscopatum.

Digitized by Google

fuit Hieronymus Episcopus Nazarenus, idemque adjutor Episcopi Famagustæ, ac demum Episcopus Bergomensis, qui ad Patres Tridentinos, antequam Concilium dimitteretur, orationem habuit sapientissimis sententiis, gravibusque verbis ornatam; & Gregorii XIII. apud regem Galliæ internuncius fuit. Victor patrui vestigia secutus, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, & Romam profectus inter Præsules Curiæ Romanæ locum obtinuit. Ejus ingenio, prudentia, doctrina mirifice delectatus Octavianus Cardinalis Mediceus, illum ad suam familiam aggregavit; & Victoris consilio ac solertia ad omnia, quæ sibi commissa erant, munera obeunda utebatur. Cum Legatus apostolicus de pace inter Henricum IV. regem Galliæ & Philippum II. Hispaniæ regem concilianda missus esset, Victorem hujus legationis Gallicanæ socium sibi adjunxit; atque ad rem bene gerendam ejus opera magni fuit. Anno 1605. idem Cardinalis ad Summum Pontificatum evectus, appellatusque Leo XI., incredibili lætitia simul, & optima spe Victorem implevit; sed utramque intercepit mors Leonis immatura, qui octavo & vicesimo die, quam Pontifex declaratus fuerat, ingenti omnium luctu interiit. Paullus V. eidem suffectus, ut Victoris erga decessorem merita, quo digna erant, præmio & honore afficeret, eidem Archiepiscopatum Jadrensem contulit. Sunt qui Victorem a Clemente VIII. Archiepiscopum renunciatum fuisse tradant anno 1604., XVII. Kal. Julias, id quod vero propius est. Ferdinandus Ughellus ejusdem creationem archiepiscopalem in annum 1606. conjecit. Annos circiter decem Ecclesiæ Jadertinæ summa cum vigilantia ac pietate præfuit. Diœcesim lustravit, & synodum diœcesanam indixit anno 1607., in qua & decreta Minutiana confirmavit, & iis alia quædam adjunxit pro conditione rerum ac temporum opportuna. Anno 1615. Venetiis cum esset, in urbe illa diem obiit supremum, illatusque sollemni funere in ædem S. Catharinæ, ibidem sepulcrum obtinuit.

Archiepiscopus Jadrensis creatur.

Venetiis obiit.

Dum Victor huic ecclesiæ præsidebat, anno 1613. illud accidit mirabile, multorum, qui aderant, & gravissimorum virorum testimonio confirmatum, quod exuviis S. Simeonis Prophetæ & fidem & venerationem adauxit. Erat virgo quædam nomine Dorothea, in cœnobio S. Catharinæ Deo sollemnibus votis obstricta, quam Diabolus obsiderat, miserumque in modum vexabat. Adhibitus Sacerdos, qui eam ab illa vexatione diabolica liberaret, cum exorcismis & variis percunctationibus cacodæmonem fatigaret, ille respondit se habere quædam a Christo Domino, a Sancto Simeone, aliisque Cælitibus sibi mandata, quæ vel invitus civitati denunciare cogebatur. Ejus verba & responsa, ab iis, qui audierunt, excepta, atque in tabulas ex auctoritate publica confectas, riteque obsignatas, referri jussa, sunt hæc omnino: *Vocato Asmodeo ad linguam &c. Interogato quid præceperant sibi Jesus Christus cum Patrona hujus Ecclesiæ, senex Simeon, & Stephanus, ut dicat. Dic ad gloriam Dei, liberationem hujus creaturæ, & salutem nostram. R. Simeon Propheta dixit, ut annuncies illis, ad quos pertinet cura illius ecclesiæ, ut in termino annorum trium exstruant ecclesiam, quam cæperunt illi ædificare cum omnibus pertinentiis cultui divino. Interrogatus dicere modum, R. invenient; & deinde prosecutus est, & si non fecerint ita, (& non sunt hæc verba mea, sed cogor dicere a præfato Simeone) quod veniet pestilentia super hanc civitatem. Ille autem Sanctus faciet corpus suum transferre in Mediolanum; & nuncia hæc Rectoribus, quia ad illos pertinet cura civitatis, quia expectavit multo tempore, & non vult amplius expectare. Cumque vocatus venisset excellens D. Joannes Grisogonus, unus ex procuratoribus ecclesiæ S. Simeonis, coram quo fuit jussum Asmodeo, ut repetat quæ dixit: Simeon Propheta ita mihi dixit, ut dicam huic (loquendo admodum Reverendo D. Vicario) ut annunciet illis, ad quos pertinet cura illius ecclesiæ, ut in termino trium annorum exstruant illi ecclesiam, quam cœperunt illi ædificare cum omnibus pertinentiis cultui divino; & si non fecerint ita, quod veniet pestilentia supra civitatem; ille autem Sanctus faciet corpus suum transferre Mediolanum; & quod nunciet hoc etiam Rectoribus, quia ad illos pertinet cura civitatis; nam expectavit multo tempore, nec amplius vult expectare. Cumque excellens D. Joannes Grisogonus prædictus responderet, quod ecclesia seu fabrica ejus nullos habet introitus; & ideo cum ita sit voluntas Dei, ut admodum Reverendus D. Vicarius interroget ex quibus hæc possint fieri. Resp. antequam admodum Reverendus D. Vicarius quidquam sibi diceret, Erunt, erunt eleemosynæ, & recurratur ad Principem Venet., ut subveniat, si nolunt perdere civitatem, & corpus Sancti; nam Mediolani honorata sunt corpora Sanctorum, & præfata juramento confirmavit. Supervenientibus vero Illustrissimis DD. Aloysio Sagredo Comite, Luca Pisauro Capitaneo, Hieronymo Foscari Prov. generali equitum Dalmatiæ, Laurentio Barbaro arcis Præfecto, & Quæstore, Cæsare Musto extr. gubernatore militiæ, & multis nobilibus Venetis, jussus replicare quod dixit circa exstructionem ecclesiæ Sancti Simeonis, replicavit omnia quæ dixit superius de verbo ad verbum, absque omissione, seu mutatione ullius verbi.*

Virgo quædam energumena pestem civitati denunciat, nisi inchoatum templum S. Simeonis absolvatur.

Verum enimvero, ut incredibilis tunc exstiterit omnium civium ardor & cupiditas templi jam inchoati perficiundi; facultas tamen defuit, cum ad ædificationem institutam persequendam pecunia deesset. Itaque ex decreto jussuque Consilii publici, cogitatio curaque omnis Præsidum arcæ S. Simeonis versa est ad pecuniam necessariam, partim ex annuis ejusdem arcæ proventibus, partim ex subsidiis piorum hominum sive voluntariis, sive precario quæsitis conficiendam.

LUCAS II. ARCH. JADREN. XLII.

Ex illustri civium Venetorum ordine, & familia pervetusta, cui *Stella* cognomen fuit, quæ præstantissimos viros Reipublicæ dedit, & egregie meritos in illis magistratibus gerendis, qui secundi hujus ordinis civibus demandari solent. Inter hos excelluit Joannes Petrus Stella, qui per omnes honorum gradus ad supremam *Cancellarii Magni* dignitatem pervenit, ut declarat ejus elogium sepulcrale in æde S. Geminiani: *Jo. Petrus Stella Eques, charus Senatui Veneto, gratus exteris Principibus, Magni Cancellarii dignitatem ingentibus meritis consecutus, ut posteris quoque memoriæ prodesset exemplum civibus tam magnificum*. Lucas his majoribus natus ab eorum virtute non degeneravit. In gymnasio Patavino Philosophia & Jurisprudentia instru- *Lucas Stella*

ctus,

Digitized by Google

Primum Rethinensis Episcopus, deinde Jadrensis Archiep.

ctus, clericalem habitum induit, & Romam se contulit. Primus illi ad ecclesiasticas dignitates gradus, fuit sub Clemente VIII., qui Lucam ad collegium clericorum Cameræ apostolicæ aggregavit, ac deinde titulo ac munere Referendarii utriusque signaturæ condecoravit. Postea vero Rethinensem Episcopatum obtinuit; hinc translatum Paullus V. Jadertinis Archiepiscopum dedit anno 1615. XII. Kalen. Decembris; ut sub hoc anno dieque notatum est in Tabulis consistorialibus: *Providit Eccles. Jadrensi per ob. Victoris Ragazzoni de persona Lucæ Stellæ Episcopi Rethynen., cum retentione compatibilium, & jurium condonatione, propterea quod fuerit Clericus Cameræ apostolicæ, & cum reservatione pensionis annuæ ducat. 200. monetæ Venetæ ad favorem D. Ermolai Bargalissi Presbyteri Veneti.*

Episcopalis administrationis initium fecit ab lustranda diœcesi; quam cum totam peragrasset labore indefesso, & magna illarum gentium utilitate; Canonicos & Præpositos ecclesiarum ad Synodum convocavit anno 1618.; in qua multa præclare pieque constituit, tum Parochis ad suum munus recte fungendum, tum christianæ plebi ad Deum rite colendum, honesteque vivendum pertinentia. Illud vero singulari commemoratione dignum, Deo Divisque honorificum, atque ad reliquias Sanctorum in antiqui cultus possessione retinendas necessarium. De corporibus Sanctorum Donati, Zoili, & Anastasiæ, quæ in urbe condita esse, asservarique vetus erat opinio a majoribus accepta, & multarum ætatum consensu firmata, jampridem dubitatio auctoribus nescio quibus in vulgus disseminari cœperat, & magis magisque in dies invalescebat. Lucas ergo pro sua prudentia veritus, ne Divorum illorum cultus ac religio jam decrescens omnino exolesceret, nisi mature huic periculo ipsemet occurreret, injectamque dubitationem ex animis Jadrensium funditus eximeret; decrevit rem sedulo investigare, & manifestam omnibus facere, riteque testatam posteris relinquere. Quocirca Rectoribus civitatis, & Primoribus e Capitulo, cœtuque nobilium vocatis, ac testibus adhibitis, templum ædi cathedrali proximum adiit, quod ab ipso S. Donato Episcopo Jadrensi exstructum ferunt, ejusque titulo subest; cum antea cognomen a Sanctissima Trinitate habuisset. Loculum marmoreum, in quo corpus S. Donati inclusum esse dicebatur, e pariete, cui infixum erat, educi jussit; quem cum aperuisset, ossa ejusdem invenit, quæ S. Donati esse inscriptio ibidem apposita declaravit. Arcam veterem retinuit, expolivit, & versicoloribus marmorum lapillis scite dispositis insertisque ornavit; tum ibidem ossa illa reposuit, & arcam signo archiepiscopali obsignatam in summo altari ejusdem templi collocavit.

De corporibus Sanctorum, qui Jaderæ coluntur, dubitationem subortam discussit.

De inventione autem & recognitione corporum S. Zoili, & S. Anastasiæ, hæc tradit ex actis tabulisque publicis Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis. *Hic ne in posterum ambigere contingeret de corporibus S. Donati, S. Zoili, & S. Anastasiæ; commendabile aggressus est opus, velut aperiendi arcas eorum. De inventione S. Donati dixi, dum de eo in serie Episcoporum tractationem feci. Arca vero marmorea S. Zoili, quæ post demolitionem ecclesiæ S. Simeonis, seu Sanctæ Mariæ Presbyterorum anno 1570., translata fuit in ecclesiam S. Rocchi, ac pro mensa altaris reperiebatur, de qua multa apocripha ac inania vulgus jactabat, quæ Lucas Archiepiscopus dilucidare ac tollere decrevit; ac propterea eamdem arcam coram magistratibus, & proceribus civitatis aperuit; invenitque plura ossa in arca cupressina congesta sine capite; eo quod caput S. Zoili jam in theca argentea conditum asservabatur in eadem ecclesia S. Rocchi; quæ ossa solemniter translata fuerunt in sanctuarium cathedralis, ac reposita in arca decentissime ornata, cum inscriptione* Ossa S. Zoili Confessoris.

Arca vero S. Anastasiæ tunc ignota, reperta fuit retro tabulam marmoream, quæ simulacrum S. Anastasiæ præferebat, collocatam subter altare eidem dedicatum in sacello laterali ecclesiæ, dum novum altare marmoreum, amoto veteri, erigebatur; cujus arcæ inscriptio, ac totius facti series publico documento expressa in actis Cancellariæ archiepiscopalis reposita fuit ad futurorum memoriam.

In Christi nomine Amen. Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater DD. Lucas Stella miseratione divina Archiepiscopus civitatis Jadræ. In restauratione altaris S. Anastasiæ Patronæ suæ metropolitanæ ecclesiæ, die Jovis XVII. *mensis Novembris, millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, reperta est arca marmorea cum inscriptione in superficie anteriori exterius his verbis:*

„ ✠ In nomine S. Trinitatis hic requiescit
„ corpus S. Anastasiæ ✠ De donis Dei, & S.
„ Anastasiæ Donatus peccator Episcopus fecit.
„ Deo gratias. „

A parte vero posteriori cum his litteris:

„ ✠ In nomine S. Trinitatis. Hic requiescit
„ corpus S. Anastasiæ. „

A latere vero sinistro cum his verbis:

„ ✠ De donis Dei. Donatus peccator Epis-
„ copus fecit. „

Qua aperta, & invento corpore in cinere, & aliquibus ossibus repositis in sanctuario; die Dominico 27. supradicti mensis ac anni, cum processione, & interventu Illustrissimi DD. Petri Lauretani Prætoris, & Laurentii Bragadeni Præfecti Repræsentantium Serenissimæ Reipub. Venetæ, Religionum, Confraternitatum, ac summo totius civitatis concursu, iterum in hac ipsa arca collocatum fuit, relicta priore parte capitis asservanda in theca argentea, specialiter illi deputanda. In quorum fidem &c.

Lucas Stella Archiepiscopus.

Ego Joannes Maria Benvenuti Notarius, & Cancellariæ archiepiscopalis Cancellarius omnibus interfui, & mandato prælibati Illustrissimi DD. Lucæ Stellæ Archiepiscopi Jadrensis scripsi, & in hanc publicam formam redegi cum subscriptione Dominationis suæ Illustrissimæ & Reverendissimæ.

Post sacras illas exuvias detectas & exploratas omnis dubitatio evanuit, pristina civium, quæ jam refrixerat, religio ad eas venerandas, & frequentia referbuit; neque ullus postea de hac re scrupulus vel suspicio in Jadrensium animis resedit. Corporis S. Anastasiæ ab Luca inventi riteque recogniti fidem etiam facit tabula marmorea sacello Anastasiano infixa, & his verbis inscripta: *Anno 1622., die 27. Novembris Lucas Stella Archiepiscopus Corpus S. Anastasiæ in cinere & ossibus inventum in hoc instaurato altari iterum collocavit.*

Novem annos Metropoli Jadrensi sapientissime præfuit; & anno 1619., cum esset Venetiis, ædem S. Leonis consecravit, ut docet inscriptio ad januam lateralem his verbis apposita:

Venetiis consecravit ædem S. Leonis.

D. O. M.

D. O. M.

Illustrissimus & Reverendissimus DD. Lucas Stella Archiep. Jadr. Templum hoc Divo Leoni dicatum consecravit, Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Francisco Vendramino S. R. E. Card. Patriarcha Venet. Dalmatiaeque Primate concedente; Reverendo Dominico Scroffa Ven. Plebano, Serenissimo D. Antonio Priulo Duce. An. Sal. 1619. 10. Cal. Octob.

Flaminius Cornelius in Monumentis Ecclesiae Venetae Decade I. pag. 269. insignium reliquiarum mentionem facit, quibus ex urbe advectis Lucas Stella Jadrensis Archiepiscopus ditavit Venetam Ecclesiam S. *Christophori de Pace*, ut ex ejus epist. constat ibidem memorata, & scripta die VI. Aug. 1619.

Jadrensi Ecclesia dimissa, fit Archiep. Cretensis, deinde Vicetinus, demum Patavinus Episcopus.

Anno 1624. Jadrensem cum Cretensi, hanc an. 1632. cum Vicetina, Vicetinam denique cum Patavina Ecclesia an. 1639. commutavit. Hanc multiplicem ex alia ad aliam Ecclesiam migrationem haud festivius, quam verius expressit Urbanus VIII., cum Lucam Stellam vocavit *Sydus non fixum, sed errabundum*. Eleganter ad ejus cognomen & stemma gentilitium leonem praeferens allusit Poeta, Patavinum Pontificatum eidem gratulatus.

Stella venit: superae condant lumina flammae:
Non Adriana videt clarius unda jubar.
Utque nil Euganeum radiis sol imbuat orbem,
Stella haec Phoebaeae lampadis instar erit.
Illam Roma dedit, Veneti voluere, tenet nunc
Urbs Patavi, & longum detinuisse velit.
Hac duce cursabunt fidei ad cunabula Reges,
Et pro muneribus corda subacta ferent.
Praesul honorata redimitus tempora mitra,
Quem colit Euganeis gens Patavina focis;
Accipe solemnes populi plaudentis honores,
Et dici patriae te patiare parens.
Phryx tibi commendat, quas olim condidit, arces,
Si qua valent cineres, ossaque muta loqui.
Et quamvis sinuetque jubas, victusque resolvat,
Non tamen ore furit, nec ferit ungue leo.
Hic sibi commissum si quisquam invadit ovile,
Est leo; si nemo laeserit, agnus erit.
Exoriente tuo felice sydere Stella,
Occidet afflatu stella maligna suo.
Sed neque fulgebit minitanti crini cometes,
Qui mundo clades, & fera bella ciet.
Anteque cessores studeas sic reddere, ut olim
Dicat Prosdocimos urbs habuisse duos.
Denique stellarum numerus sic crescet Olympo,
Fac sero crescat sydere Stella tuo.

Patavii obiit anno tertio, quam hunc Pontificatum inierat, Christi 1642.

OCTAVIANUS ARCH. JADREN. XLIII.

Octavianus Garzadorus ex Ep. Boviano Archiep. Jadren.

De quo Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus in Catalogo MSS. Antistitum Jadrensium: *Octavianus Garzadorus nobilis Vicentinus, vir utriusque juris peritus eximius, florenti adhuc aetate munus Referendarii utriusque Signaturae in Curia Romana laudabiliter gessit, a Clemente VIII. Summo Pontifice Cardinali S. Georgii nepoti suo Praelatus commensalis, ac institutor datus fuit; quo defuncto Petri Cardinalis Aldobrandini, ejusdem Pontificis nepotis, & Camerarii apostolici, deinde Hippolyti Cardinalis Aldobrandini, ejusdem Pontificis pronepotis itidem Camerarii apostolici Auditor generalis fuit: verum ut fractam continuis laboribus valetudinem instauraret, a Gregorio XV. Episcopatu Boviano in regno Neapolitano donatus est.* Urbanus VIII. anno 1624. Octavianum Ecclesiae Bovianae ademptum, Metropoli Jadrensi Archiepiscopum praefecit, ut est in Actis consistorialibus: *1624. 11. Martii transtulit Octavianum Garzadorum a Bovianensi ecclesia ad Metropolim Jadertinam vacantem per translationem Lucae Stellae ad Ecclesiam Cretensem, cum reservatione pensionis annuae scutorum 500. pro persona, vel personis nominandis.* Huic idem Pontifex titulum munusque Visitatoris apostolici dedit, ac mandatum Ecclesiae universae Dalmaticae, qua ad Venetam ditionem pertinet, lustrandae, reformandaeque: quapropter hanc inscriptionem suis litteris edictisque praefigere solebat: *Octavianus Garzadorus Archiep. Jadren., & in tota provincia Dalmatia specialis & generalis Reformator, Visitator, & Delegatus Apostolicus.*

Idemque Visitator apostolicus Dalmatiae.

Post initam possessionem Ecclesiae Jadrensis, statim commissum sibi munus visitationis apostolicae exsequi coepit; & Veneti Senatus permissu, ac Veneta triremi devectus, a Budua extrema ditionis Venetae civitate initium fecit provinciae lustrandae. Illuc appulit Junio mense anno 1624.; inde reliquas ex ordine civitates & ecclesias obivit. Ubique ab Episcopis, collegiis Canonicorum, & clericorum, familiisque religiosis magno honore, summaque reverentia exceptus fuit. Nonnulla in Ecclesias Dalmatiae irrepserant, quae inspectione & curatione apostolica indigebant; veluti dissidia quaedam inter Episcopos & Clerum, depravatio disciplinae ecclesiasticae & monachalis, nimia Christianorum & perniciosa cum Turcis familiaritas; nec pauca instituenda erant e praescripto Concilii Tridentini, veluti Seminaria clericorum, loca pietatis ad pecuniam pauperibus egentibus foenerandam, menstrui conventus Parochorum & Sacerdotum ad conferendum inter se, ac disserendum de iis, quae pertinent ad doctrinam moralem Christianam, lex exigendae professionis catholicae a Praepositis ecclesiarum ritus Graecanici; & alia hujusmodi, quae vel prohiberi & corrigi, vel juberi & sanciri oportebat. Omnia quidem alacri magnoque animo aggressus est, sed non omnia perficere potuit. Igitur quae sibi mandata fuerant, quoad rerum ac temporum conditio patiebatur, diligentissime curavit, ubique pravas sustulit, piasque consuetudines invexit, Clericos & Canonicos suis Episcopis reconciliavit, leges ad restituendam utriusque ordinis ecclesiastici & monastici disciplinam necessarias ac perutiles tulit, rationem & methodum Christianae catecheseos pueris & adultis tradendae ubique praescripsit; aliaque id generis permulta, & clero populoque salutaria constituit. Hanc apostolicam peragrationem intra duos menses confecit; & eadem trireme, quae illi ad oram lustrandam assignata fuerat, Venetias revectus eodem anno 1624. IX. Kal. Septembris, quae sapienter pieque decreverat, Senatus auctoritate confirmanda curavit; ac deinde rerum ab se gestarum rationem Pontifici per litteras reddidit, simulque Romam misit tum constitutiones ab se factas auctoritate pontificia approbandas, tum commentarios, quos de statu cujusque ecclesiae ac dioecesis breviter quidem, sed plane ac dilucide conscripserat. Titulum Visitatoris apostolici, quoad huic ecclesiae praefuit, itemque potestatem retinuit.

Jaderam reversus, ad suum Clerum, & populum sanctissimis institutis atque exemplis re-

Digitized by Google

formandum, & sincera erga Deum pietate imbuendum omni diligentia studioque incubuit. Sed illud in primis curandum sibi censuit, quod de corpore S. Simeonis in locum digniorem transferendo Augustinus Valerius sæculo superiori mandaverat, quodque, ut omnes ardentissime optarent, effici tamen in summa difficultate nummaria non potuerat; & multo magis deerat, unde sumptus suppeterent necessarii ad basilicę designatę, inchoatęque ędificationem. Itaque magistratibus, curatoribus arcæ, & primoribus civitatis in consultationem adhibitis, decretum fuit, ut quando ædificatio templi inchoati sumptus immanes requirebat, neque erat, unde suppeditari possent; sacratissimum illud Corpus e sacello S. Rocchi transferretur in ædem Sancti Stephani, quæ secundum basilicam metropolitanam, ambitus magnitudine, partium descriptione, structuræ elegantia, ceteris urbanis templis longe præstabat. Pecuniæ vero quod ad eam diem ex annuis arcæ proventibus, e piis legatis, e collationibus voluntariis confectum erat, illatumque in ærarium S. Simeonis, id jussum est impendi tum in basilicam S. Stephani resarciendam & ornandam, tum vero in sacellum exstruendum opere cultuque magnifico, in quo sacrosanctæ illæ exuviæ pro dignitate collocarentur. Tergo hujus basilicæ hortus adjacens ad mensam archiepiscopalem pertinebat, cujus aream necesse erat cum basilica conjungi ad constructionem novi sacelli; hujus igitur possessione cessit Octavianus, sed ne qua redituum episcopalium diminutio fieret, cum alio fundo æque fructuoso commutavit. Jacta sunt ibidem fundamenta, & sacellum ædificari cœpit. Cum opus lentius, quam commune desiderium poscebat, progredi videretur, ad festinandum stimulos addidit, & ardorem injecit atrox illa pestilentia, quæ anno tricesimo hujus sæculi totam Italiam pervagata, cum magnas ubique mortalium strages edidisset, Dalmatiam quoque, atque Jaderam pervasit. Tum enimvero animos subiit recordatio pestis illius ante aliquot annos, jubente Deo, per energumenam Jadrensibus prænunciatæ, nisi quamprimum S. Simeoni sanctuarium augustius, & sepulcrum statuerent: Ergo tum supplicationes indictæ, & alia ad placandam iram divinam adhibita piacula; tum etiam Cælites urbis patroni ad Numen propitiandum invocati, præsertim S. Simeon, & S. Chrysogonus; huic quidem votum est altare marmoreum in ejus templo exstruendum, illi vero templum ac sacellum jam designatum decretumque. Auditæ sunt preces, depulsa contagio, sanitas urbi restituta, solemnes gratiæ Deo & Superis actæ. Tum omnium curæ & cogitationes versæ ad exsolvendum quod B. Simeoni promiserant. Sacellum & altare ejus sepulcro destinatum intra menses non ita multos absolutum est. Arcam argenteam, quæ in cœnobio Mariano Virginum Ordinis Benedictini reposita fuerat, pulvere obducto, humidīque loci situ infuscatam, Benedicto Libano aurifici detergendam, poliendam, & si qua inde particula decisa esset, reficiendam locarunt. Hic Lydio lapide adhibito reperit arcam illam e purissimo argento constare, cui vix aliquid scoriæ admixtum esset. Pondus argenti ajunt facile excedere undecim millia unciarum supra quingentas, vel septingentas; aurum vero, quo arca intrinsecus, & extrinsecus illita est, valere duobus millibus, & quingentis nummis aureis Hungaricis. His si addatur merces pacta, & pretium solutum artifici, in hoc opus impensos ferunt nummos argenteos Venetos viginti septem mille, & præterea octingentos.

Corporis S. Simeonis in locum nobiliorem transferendi consilium capit.

Arcæ argenteæ valor & pretium.

Condito ornatoque sacello & altari, atque huic arca argentea superposita; dies decima sexta Maii, anni 1632., dicta est solemni translationi, quæ quanta maxima potuit pompa, magnificentissimo apparatu, incredibili hominum ex universa Dalmatia concursu celebrata fuit. Ab ædicula S. Rocchi instituta est supplicatio: præibant piæ sodalitates, & cœtus virorum religiosorum; deinde clerici, & Sacerdotes totius civitatis, itemque Canonici ædis metropolitanæ; tum Octavianus Archiepiscopus pontificali habitu atque vestitu, medius inter duos primarios Canonicos Dalmaticis tunicis indutos. Sequebatur feretrum pretiosa veste constratum, cui corpus S. Simeonis impositum fuerat, & crystallinis laminis, conspicuum ut esset omnibus, undique circumdatum; quod suppositis humeris gestabant quatuor Episcopi, omnes trabeati, & mitrati, Veglensis, Auxerensis, Arbensis, & Sibenicensis. Umbellam ex holoserica & aurea veste, supra feretrum explicatam ferebant quatuor e primaria Jadrensi nobilitate; Antonio Civrano Provisore generali Dalmatiæ, & Joanne Civrano urbis Præfecto, & Proprætore, cum urbano magistratu, prætoria cohorte, utroque nobilium & civium ordine, atque infinita propemodum indigenarum atque advenarum multitudine, prosequentibus; tanta cereorum atque luminum copia, ut urbs ardere videretur; tam insolita omnium ordinum lætitia plausuque, ut magnifici cujusdam triumphi species omnium oculis obversaretur. Totum iter erat frondibus floribusque constratum, tectorum fenestræ parietesque aulæis pretiosis ornati; æra templorum læto concentu, bombardæ displosæ ingenti festoque sonitu aera complebant; tympana reboabant, tubæ clangebant, omnia hymnis & canticis personabant. Ubi ventum est ad Sancti Stephani, Corpus B. Simeonis Sacerdotum manibus sublatum a feretro, depositum est in arca argentea; quam per octo ipsos dies patere, & sacrum Corpus omnium oculis expositum esse placuit, potestas ut esset omnibus per otium contemplandi venerandique. Nulla ex iis diebus præteriit, quin solemne sacrificium, & vespertinæ preces inter symphoniacos & musicos concentus celebrarentur, & ingentes quotidie concursus sacras illas exuvias visendi colendique caussa fierent, ut videndi cupiditas, videndo non expleri, sed excitari magis videretur. Ita iidem revisendi gratia sæpius redibant, & nova in horas multitudo confluebat in templum. Exacto die octavo, etsi nondum expletis oculis animisque civium, & advenarum, arca clausa fuit, & signis publicis obsignata; decretumque est, ut semel singulis annis recluderetur, scilicet VIII. Id. Octobris, quem diem S. Simeonis memoria & nomine consecratum, publico & solemni cultu Jadrenses concelebrant. Decrevit etiam Octavianus Archiepiscopus, ut fastis Ecclesiæ Jadertinæ ad diem decimum sextum Maji translatio S. Simeonis adscriberetur, & quotannis in posterum anniversariæ liturgiæ, & canonicarum precum officio coleretur. Ut vero hujus translationis memoriam nulla temporum vetustas, aut ho-

Supplicatio & translatio solemnis, ad quam universa Dalmatia confluxit.

Octo dierum solemnia.

Diei anniversariæ translationis memoria tabulæ lapideæ impressa.

minum oblivio aboleret, ad latus dexterum ejusdem sacelli hæc epigraphe tabulæ marmoreæ insculpta est:

ANTONIO CIVRANO
Dalmatiæ & Epiri cum summo Imperio Legato
Jadræ Civitatis fero pestilenti cuspide laborantis
Provido sanitatis restitutori, pio liberatori
Deo maximo Trino & Uno, Deiparæque Mariæ Virgini
Vota solventi
Sacelli Araque Divi Simeonis a fundamentis Erectori
Solemni pompa, regia majestate
Octaviano Garzadoro Archiepiscopo Jadrensi Apostolico Visitatori sacra ministrante,
Totius Dalmatiæ Episcopis devote assistentibus
Regularium & sæcularium Clero concurrente
Omnibus ordinibus universæ Provinciæ stipantibus
Antiquitate admiranda, sanctitate veneranda
Ipsius qui Christum Salvatorem propriis ulnis recepit Lipsana translatanti
Opus sane grande & memorabile
Hoc Christianæ munificentiæ monumentum sacratur
Simeone & Petro de Grisogonis Bartolaccis, & Marco Begna, & Petro Calcina
Jadræ Nobilibus Arcæ ex Consilio Procuratoribus
Quod felix faustumque siet
Anno Salutis humanæ
MDCXXXII. Mense Majo die XVI.

Miracula per occasionem hujus translationis divinitus edita.

Nec vero hanc translationem populorum frequentia & religio, quam divina beneficia, & miracula celebriorem fecerunt. Pauca seligam ex his, quæ memoriæ ac litteris prodita sunt. Pridie quam translatio fieret, dum machina apposita elevabatur arca argentea super aram imponenda, trabs quædam magni ponderis, fune diffracto, impetu præcipiti, ruit in caput Benedicti Libani aurificis, quem supra memoravimus: qua ruina illum oppressum & extinctum nemo non credidit. Sed implorato S. Simeonis nomine, ac patrocinio incolumis surrexit, ictusque gravissimi neque ullum dolorem sensit, ac ne vestigium quidem in ejus capite apparuit. Petrum Gaudentium Episcopum Arbensem, qui Jaderam venerat, ut solemnem translationem ipse quoque sua præsentia, suoque ministerio cohonestaret, vehemens febris invasit, & intestinis acerbissimis doloribus affectum lecto affixit. Remediis incassum adhibitis, aderat jam dies ante indictam celebritatem proxima; nec vis morbi remiserat; cum ille manus oculosque in cælum tendens, pari pietate ac fiducia S. Simeonem implorat; nec vana spes aut imploratio fuit; preces sanitas excepit. Continuo Petrus febrim sibi quasi divina manu depulsam, vires etiam redditas sensit. Mox sanus & valens exilit e lecto; ac die sequenti non solum viam, qua circumlata est supplicatio, alacris confecit, sed etiam sacro feretro gestando humeros supposuit. Matthæus filius unicus Joannis Civrani Præfecti fluxu sanguinis laborabat, & desperata a medicis valetudine, ab interitu prope aberat, cum parens submissis genibus, obortisque lacrymis B. Simeoni salutem filii enixe commendavit. Haud sua illum pietas frustrata est; puer citius omnium expectatione convaluit; & beneficii, deprecatione S. Simeonis apud Deum interposita, accepti testis est tabula ad latus sinistrum sacelli affixa cum hac inscriptione:

Joannes Civranus Jadræ Præfectus, quo imperante Divi Simeonis Corpus sacellum in hoc, piis fidelium eleemosynis magnificentissime extructum, XVII. Kal. Junii MDCXXXII., factis tamen pridie ad Venerabile illius Bustum vigiliis, translatum fuit, eodemque obsignatore, argentea in arca repositum, cujus claves penes illum, tamquam Proprætorem asservabantur, VII. Kal. mensis ejusdem, pro impetrata Matthæi filii fluxu sanguinis graviter laborantis, Sancti Simeonis intercessionibus a Deo sanitate, seque filiumque eidem devovit.

Haud multis post annis patrocinium S. Simeonis illustrius ac celebrius fecit sanitas, implorata ejus ope, divinitus reddita Aloysio Priolo Provisori Generali Dalmatiæ Epirique, ut docet inscriptio ibidem apposita:

Deo Optimo Maximo
Humanæ Salutis Auctori
Deiparæ Virgini Salvatorem offerenti
Ac Beatissimo Simeoni inter ulnas excipienti
Aloysius Priolus Gralis Provisor
Dalmatiæ Epirique
Ex voto de gravissima infirmitate convalescens
Nec acceptæ sanitatis immemor existens
Post exornatum aulæis undique sacellum
Salutem auspicatus æternam
Perpetuum hoc devotionis pignus exposuit
MDCXL.

Alia miracula vetera & recentia.

Captivis libertatem, cæcis lumen, surdis auditum, mutis loquendi, claudis gradiendi facultatem restitutam, & aliis alia cujusque generis beneficia collata, testantur tabellæ votivæ, veteres recentesque; quarum pleræque ex argento liquefactæ sunt, adhibitæque ad resarciendam arcam, ex qua non pauca frusta excisa perierant. Vetus consuetudo fuit, ut qui vel fidei obstringendæ, vel alicujus rei testificandæ caussa jurare jubebantur, ii apud celebriora Divorum, ac præsertim Martyrum sepulcra, dextera, aut utraque manu iisdem superposita, verbis de more conceptis jurarent; & juramento nomen illius, ante cujus aram & corpus procumbebant, Martyris interponerent. Quamvis enim unius Dei Maximi, maximeque veracis invocato testimonio vis omnis & auctoritas jurisjurandi continetur; id tamen non obstat, quo minus Cælites etiam honoris caussa nominemus; nam cum per horum nomen jurati aliquid affirmamus, revera non tam ipsos Sanctos cum Christo regnantes, quam Deum auctorem omnis veritatis, totiusque sanctitatis, quæ in Sanctis maxime elucet, ad fidem faciendam, vel obstringendam testem appellamus. Hujus antiquæ consuetudinis meminit S. Gregorius homil. 32. in Evang. Joan. *Ad extincta Martyrum corpora viventes ægri veniunt, & curantur; perjuri veniunt, & a Dæmonio vexantur;* itemque Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 59.: *Qui tertio aut amplius mihi sacramentum super sepulcrum S. Martini dederat.* Hæc eadem consuetudo, a majoribus accepta, etiamnum usu viget apud Jadertinos; ex antiquissimo instituto ac more, id etiam cultus honorisque vulgo haberi solet Sanctissimo Prophetæ Simeoni, ut qui de re aliqua gravi testimonium dicturi sunt, ad ejus altare, & sacratissimas exuvias vel sponte, vel jussi accedant; & ibidem invocato ejus nomine, ea, quæ testificari volunt, jurejurando confirmant. Nec desunt exempla divinæ animadversionis in eos, qui

Ritus jurandi ante corpora & sepulcra Divorum, qui ante arcam S. Simeonis usurpari solet.

Digitized by Google

qui ad altare S. Simeonis datam fidem fefellerunt, vel mentiri ausi sunt, veluti illud, quod recentiore memoria narrant de quodam negotiatore, qui teste adhibito S. Simeone, & coram ejus arca cum pejerasset, paullo post liberos omnes morte sublatos amisit, & ipse naufragio periit.

Arca S. Simeonis describitur, oculisq. subjicitur.

Nunc demum quod in Laurentio Periandro Archiepiscopo promissum fuerat, rejectumque in acta Petri de Matapharis Archiepiscopi, sed ibi prætermissum, præstari oportet. Arcam igitur argenteam jussu sumptuque Elisabethæ reginæ conjugis Ludovici regis Hungariæ summo artificio elaboratam, lectorum oculis subjicio, quinque Tabulis juxta varios ejus prospectus æneis typis impressam. Patet in longitudinem pedes amplius quinque, tres vero in altitudinem assurgit. Multis laminis quadratis argenteis inauratisque extrinsecus & intrinsecus convestita est, in quibus beneficia per S. Simeonem divinitus accepta, & alia, quæ ad eum, ejusque gloriam pertinent, pulcherrime cælata visuntur. Opus omnino magnificum atque præclarum, sive ex materia, sive ex artificio ejus pretium perpendas; cujus eximiam speciem nemo concipere animo potest, qui non oculis antea subjecerit. Signorum ac rerum ibidem incisarum interpretationes mihi Jadera transmissas, suas cuique laminæ adjiciam; an vero cum argumentis, operibusque cælatis omnes & singulæ congruant meam fidem interponere non ausim.

Explicatio ad Tabulam primam.

1. Frons Arcæ.
2. Fastigium arcæ anterius acuminatum.
3. Simulacrum argenteum S. Simeonis, amictu sacerdotali, in anteriore ac declivi parte fastigii decumbens.
4. Pars antica, qua obserata occulitur, revoluta ostenditur Corpus S. Simeonis.
5. Viri religiosi arcam effodiunt.
6. S. Simeon puerum Jesum suis ulnis complexum offert in Templo Hierosolymitano.
7. Ludovicus rex Hungariæ Jadrenses in suam fidem ac ditionem recipit.

Explicatio ad Tabulam secundam.

1. Latus sinistrum Arcæ.
2. Stemma gentilitium bipartito divisum; ab dextera Ludovici regis Hungariæ, ab sinistra regiæ familiæ Andegavensis, ex qua Ludovicus, insignia expressa.
3. Digitus S. Simeonis ab Elisabetha pio furto avulsum, solemni supplicatione reportatur.

Explicatio ad Tabulam tertiam.

1. Latus dexterum Arcæ.
2. Stemma gentilitium, ut supra in secunda Tabula.
3. Navis, vel qua delatum est Jaderam Corpus S. Simeonis, vel qua in Apuliam vehebatur Margarita uxor Caroli Dyrrhachini; sed ob fragmentum e Corpore S. Simeonis decerptum, reflantibus ventis, & tempestate adversa regredi coacta est.

Explicatio ad Tabulam quartam.

1. Tergum Arcæ, seu pars postica.
2. Fastigium posterius acuminatum, tribus laminis distinctum.
3. Elisabetha Regina ob digitum avulsum male multata.
4. Quidam Arcam & Corpus furto sacrilego surripere conatus, morte repentina pœnas luit.
5. Alios itidem mors subita, & miseranda perculit, quod pedem e sacro Corpore abscindere & furari vellent.
6. Elisabetha Regina cum suis filiis, vel ancillis, humi strata, & caste pieque Arca oblata, votum persolvit.
7. Inscriptio litteris Gothicis incisa, quæ est hujusmodi:

Symeon: hic. justus.
Christum. de. Virgine. nat
um: ulnis qui tenuit
hac. archa. pace: quie
scit. Hungarie. Regi
na. potens: illustri
s: ed alta: Elysabet. I
* *unior: quam. voto: con*
tulit. almo. Anno Mi
lleno: triceno: octu
ageno.

Hoc opus fecit Franciscus de Mediolano.

* Junior dicitur, ut distinguatur ab Elisabetha matre Ludovici Regis, filia Ladislavi, & sorore Casimiri Regum Poloniæ, quæ dicta est Senior.

8. Banus senex gravi morbo laborans, Divi Simeonis ope implorata convaluit.
9. Jadertini quidem, ut diximus, pietatem Elisabethæ ac magnificentiam æmulati, quatuor Angelorum simulacra e solido argento, singulari opere, & summo artificio facienda curaverant, qui Arcam ad quatuor angulos dispositi & collocati sustinerent. Sed postea veriti ne illos simul cum Arca & Corpore S. Simeonis Elisabetha in Hungariam asportaret, ex Arca, cui suppositi erant, subductos in abdito loco imperviogue condiderunt. Deinde vero eosdem conflari oportuit, ut pecuniam conficerent, sive ad ædificationem basilicæ, cujus jam fundamenta jecerunt, in quam Corpus S. Simeonis transferrent, sive ad construendum sacellum opere cultuque magnifico, jungendumque a tergo basilicæ S. Stephani; in quo demum Corpus S. Simeonis, & Arcam argenteam, in qua inclusum est, pro dignitate collocarunt. Illorum defectum supplevit Senatus Venetus pro sua eximia erga B. Simeonem religione. Ex æneis tormentis, quæ Leonardus Fosculus bello Cretico, dum in Dalmatia præerat cum summo imperio, Turcis eripuerat, tres Angelos naturalis fere staturæ excudi, & eleganti opere fieri jussit. Anno 1672. Jaderam transvecti sunt, & Arcæ suppositi, quam unus ad caput, alter pedes, tertius mediam sustinet.

Explicatio ad Tabulam quintam.

1. Corpus S. Simeonis integrum ab omnique tabe intactum.
2. Operculum, quo clauditur ac tegitur, revolutum, & quinque laminis argenteis interius distinctum.
3. Cacodæmon ab energumeno expulsus.
4. Puer impositus Arcæ S. Simeonis, sanitatem recuperat.
5. Adolescens a præcipiti lapsu in mare sustinetur & revocatur.
6. Morbus ab altero puero Arcæ superposito divinitus depellitur.
7. Quidam seu clericus seu monachus, cum æger decumberet, ac de corpore & miraculis S. Simeonis dubitare cœpisset, horrenda specie cujusdam mortem stricto gladio minitantis objecta resipuit, ac sanitate recepta, & temeritate in

Digitized by Google





TABULA PRIMA

Io. Baptista Augusti Piteri del:

Digitized by Google

Digitized by Google







TABULA SECUNDA

Io. Baptista Augusti Piteri del.

Digitized by Google

Digitized by Google







TABULA TERTIA

Io. Baptista Augusti Piteri del:

Digitized by Google

Digitized by Google






TABULA QVARTA.

Io: Baptista Augusti Piteri del:

Digitized by Google

Digitized by Google



TABULA QVINTA

Io: Baptista Augusti Piteri del.

Digitized by Google

Digitized by Google

in religionem versa, sacrum depositum, precibus, laudibus, gratiarum actionibus, & muneribus coluit.

Quæ de inventione & multiplici translatione Corporis S. Simeonis, ex Oriente Jaderam advecti, variis locis exposui, hic in unum locum colligere, & paucis complecti libet. Anno 1283. e cœmeterio monasterii suburbani effossum, in urbem translatum est, conditumque in basilica S. Mariæ Majoris. Anno 1380. veteri loculo exemptum, in Arcam argenteam inclusum est. Anno circiter 1570. cum ad urbem novis operibus, & propugnaculis muniendam, dirui oportuisset ædem Marianam, Corpus S. Simeonis ex argentea in veterem arcam relatum, atque in sacello S. Rocchi ad tempus depositum fuit. Demum anno 1632. repositum est in Arca argentea, & in basilica S. Stephani collocatum; ubi nunc summa civium, accolarum, atque advenarum frequentia & veneratione colitur.

Octavianus Archiepiscopatu deposito in villam paternam secessit.

Post translationem S. Simeonis, annos fere septem Octavianus regimen hujus Ecclesiæ retinuit, quam sanctissimis institutis, & clarissimis virtutum episcopalium exemplis mirifice illustravit. Anno 1639. permissu Summi Pontificis Archiepiscopatum deposuit, secessitque in villam paternam agri Vicetini, ubi annos vitæ postremos ferme tredecim tranquille pieque transegit. *Tandem*, ut scriptum reliquit Valerius a Ponte, *quietis promeritæ studio Ecclesiam in manibus Pontificis libere dimisit, ac in patriam se recepit anno 1639.; postmodum in ædibus ac hortis a se magnifice ædificatis, & instructis in villa Polegiæ agri suburbani ultra primum lapidem, integris sensibus ac insigni pietate nonagenarius obiit die 14. Augusti 1652.; sepultusque est Vincentiæ in ecclesia S. Coronæ Fratrum Prædicatorum, ad cujus tumulum hæc legitur inscriptio:*

Humanæ vitæ conditio, sepulturæ tum requies est.

BENEDICTUS ARCH. JADREN. XLIV.

Benedictus Capellus Archiep. Jadren. ad Concordiensem Ecclesiam translatus.

Patritius Venetus e Capella gente admodum vetusta & illustri; quem Urbanus VIII. ad sedem Jadertinam evexit: *1639. 27. Junii providit Ecclesiæ Jadrensi vacanti per Octaviani Garzadori liberam dimissionem de persona Benedicti Capelli, cum dispensatione supra defectibus Doctoratus, & non susceptorum ante sex menses sacrorum Ordinum*. Ex Actis consistorialibus. Ferdinandus Ughellus, & Valerius a Ponte creationem archiepiscopalem Benedicti ad diem 27. mensis Martii revocarunt. Diœcesim lustravit, Synodum fecit; deinde hanc Ecclesiam anno tertio, quam adierat, reliquit, atque ad Concordiensem migravit anno 1641. Nicolaus Coletus vir eruditissimus in additamentis ad Ughellum de Benedicto Episcopo Concordiensi hæc subjecit: *Vir plane insignis, qui nobilitatem generis cum vigilantia pastoralis curæ conjungens, præfuit ad annum 1667., quo mortalitatem explevit die 22. Augusti*. Venetiis in æde puellarum Mendicantium Benedicto statua posita fuit inter Vincentium & Nicolaum ejus fratres simulacro itidem marmoreo ibidem expressos. Apposita inscriptio hæc est:

Monumentum ei positum Venetiis in æde puellarum Mendicantium.

D. O. M.

Sublimem Antistitis dignitatem
Non impari mente suscepit, atque ornavit
Benedictus Capellus,
Non unico gregi bonus Pastor advigilavit,
Ab Jadrensi Insula ad Concordiensem
translatus
vel in canitie
geminum robur animi ac prudentiæ
fortis ostendit,
meritis demum atque ætate gravis
Obiit MDCLXVII. die XXII. Augusti
Anno ætatis suæ LXXIII.

Per hos annos Bartholomæus Cassius Presbyter Soc. Jesu insigni beneficio ecclesiam clerumque Illyricum Dalmatiæ affecit; quippe Rituale Romanum, Evangelia atque Epistolas Missalis Romani in sermonem Illyricum nostratibus litteris convertit, ac typis mandavit, simulque institutionem linguæ Illyricæ ab se confectam edidit.

BERNARDUS ARCH. JADREN. XLV.

Bernardus Florius ex Ordine Cruciferorum primum Cydoniates Ep. deinde Archiep. Jadren.

Civis Venetus, cognomento Florius; qui a primis temporibus ætatis ad sodalitatem Cruciferorum aggregatus, tum excellenti doctrina, tum eximiis virtutibus floruit. Cydoniensem in Creta Episcopatum adeptus, ecclesiam illam per aliquot annos summa vigilantia & sanctitate administravit. Eum Cydoniensibus ademptum, Jadertinis Archiepiscopum dedit Urbanus VIII. an. 1642. VII. Kalendas Junii, sive ut in editione Ughellana Veneta in notis ad marginem, IV. *Kalendas Maji*. Divina & singulari erga eum providentia factum esse dixerim, ut ab urbe illa & ecclesia discedere juberetur, ne utriusque infortunium, & gregis sui charissimi calamitates videret. Siquidem biennio post Turcæ Cretam insulam repente adorti bellum Venetis intulerunt; anno autem proximo 1645. Cydoniates urbe obsessa, vehementerque oppugnata ad deditionem perpulerunt: contra pacta & conventa genus omne crudelitatis & sævitiæ barbarus hostis exercuit. Clericis & cœnobitis urbe exactis, templa duo mole augustiora in Meschitarum usum vertit; deinde gravi servitio premi cœpti non plebeji solum, sed etiam nobiles, quibus injuncta sine discrimine cum onera alia, tum murorum reficiendorum, qua strati ruinis erant, labor; virgines, puerique ingenui Constantinopolim abducti, destinata mancipia regiæ libidini; immissi milites ad prædandum, nec finis ante fuit rapinarum, quam longa felicitate accumulatas divitias omnes egessere; principes viri proditionis falso insimulati, & æque fœdo atque acerbo supplicio affecti, quamplurimi vero ob eamdem caussam pulsi in exilium; ut civitas, secundum caput insulæ Candiam, frequentissima paucos intra dies prope in solitudinem venerit. Tristis & miserabilis casus Ecclesiæ Cydoniensis, prioris sponsæ suæ, incredibili mœrore Bernardum affecit; nec solum Cydoniatum calamitatibus, sed multo magis gravissimo periculo illius florentissimi regni vehementer angebatur; eique ut subsidium qualecumque ferret, e suo patrimonio certam summam annuæ pecuniæ ad sumptus belli Cretici assignavit.

Ejus pastoralis & operosa sollicitudo, vel ipso Turcico bello fervente.

Anno 1646. bellari cœptum est in Dalmatia vario eventu. Turcæ Novigrado potiti sæpius inde turmatim effusi Jadertinum agrum popularunt, ipsomet inspectante Bernardo, qui agrestes ad urbem confugientes, rebusque suis exspoliatos benigne excipiebat, & pecunia, & quibuscumque poterat subsidiis juvabat. Tria

non

non ignobilia oppida diœcesis Jadertinæ Turcis erepta sunt, Tinum, Aurana, & Zemonicum. His Bernardus Parochos præposuit, & sacras ædes a Turcis dirutas refecit. Belgradum itidem, quæ nunc vetus Jadera dicitur, paullo ante amissum, Veneti recuperarunt. Quamvis eo bello Cretico arderet Dalmatia, id tamen gnavum ac sedulum Præsulem non absterruit, quin diœcesim, observata captaque occasione rei bene, ac tuto gerendæ, semel atque iterum lustraret. Duas synodos coegit Ecclesiæ suæ valde utiles, alteram anno 1646., alteram anno 1651. Quod ante annos octoginta Augustinus Valerius Episcopus Veronensis Visitator apostolicus summopere commendaverat, quodque superiores Episcopi frustra conati fuerant, hic demum perfecit, & Seminarium clericorum instituit, cui de suo nummos argenteos annuos omnino ad octingentos legavit, e quibus suum rectori & magistris honorarium, alimenta sex clericis suppeditarentur; totidem enim esse voluit, eosque tum e nobilitate patricia, tum ex inferiori civium ordine deligi. In baptisterio ædis metropolitanæ altare marmoreum exstruxit S. Bernardo, cujus nomen gerebat, & pecuniæ reliquit quod satis esset ad victum quotidianum unius de collegio Canonicorum Presbyteri, qui pro expiatione suorum delictorum quotidie ad hanc aram piacu-

Ejus pietatis opera, & obitus.

lare sacrum faceret. Eximia fuit erga Deum religione, & singulis diebus in basilica Anastasiana ante divinam Eucharistiam procumbens, unam alteramve horam precationi ac meditationi cælestium rerum tribuebat; nec minori charitate egentes ac miseros prosequebatur, quorum inopiam largifica stipe sublevabat. In supremis tabulis argenteam supellectilem sane copiosam tum domesticam, tum pontificalem conflari, ex eaque sacra vasa, & alia ornamenta ad cultum divinum fieri jussit; denique, ut ait Valerius a Ponte, *Deum & pauperes ex reliquo asse opulentissimo hæredes scripsit*. Hanc Ecclesiam annos quatuordecim pie ac sapientissime gubernavit. Anno ætatis suæ septuagesimo, Christi 1656., XVI. Kalendas Martias e vita decessit Jadræ, ingenti omnium, præsertim pauperum, luctu & mœrore. Conditus est ante aram Divi Bernardi, in eo sepulcro, quod vivens sibi paraverat.

Bina signa Angelorum ænea arcæ S. Simeonis utrinque apposita.

Huic Ecclesiæ dum Bernardus præerat, arcæ & altari S. Simeonis novum ornamentum accessit, siquidem impetratum est a Duce & Senatu, ut juberet quædam ænea tormenta, quæ Turcis Dalmatæ eripuerant, Venetiis conflari, ex eisque statuas binas in Angelorum figuram habitumque formatas effingi ac cælari. Sumptu publico elaboratæ sunt, & eximia cælatura artificioque perfectæ. Jaderam allatæ cum essent, utramque basi marmoreæ impositam, alteram a dextero, alteram a sinistro arcæ atque altaris latere locarunt; simulque iisdem fere diebus pavimentum sacelli versicoloribus ac selectis lapillis constratum est.

Ob ædem S. Donati usu profano violatam pestis Sibenicensis Jaderam invaut.

His temporibus S. Donati urbis Patroni, ejusque templi religionem, usu profano violatam, Deus mirabili ostento, suique Numinis irati non dubia significatione sancivit. Dum bellum Creticum fervebat, ingentem vim fœni, variis e locis advectam pro equitatu alendo, in basilicam S. Donati condiderant, cum alius opportunior locus non suppeteret; ac proinde tum corpus S. Donati in ædem metropolitanam, tum effigiem Deiparæ Virginis in sacellum proximum S. Martini transportaverant. Templum vero clausum a sacrificiis, a divinis laudibus, ab omnique religiosa functione vacabat. Iisdem temporibus Sibenici atrox vis morbi contagione vulgata, claras juxta, & obscuras domos populabatur. Nulla magistratuum cura & vigilantia prohiberi potuit, quin Jaderam quoque anno 1649. invaderet; nec cladem Sibenicensi dissimilem urbi minitabatur. Plures & continuatas noctes visus est igneus globus supra basilicam S. Donati consistere; nec breve aut fugax spectaculum erat, sed diuturnum, ac prope ipsis noctibus æquale; admiratione quidem ac stupore quodam intuentium animos defixerat; sed ingruentis pestilentiæ metu præoccupatos nulla cura seu cupiditas incesserat investigandi, & cognoscendi quid cælestis illa flamma significaret, ac portenderet; cum Deus ipse apertam suæ voluntatis significationem dedit. Sacerdos quidam Græcus Præpositus templo S. Eliæ, vir bonus & simplex, visus est sibi secundum quietem videre atque audire Virginem Deiparam, & S. Donatum minaci vultu, gravique sermone denunciantes, non antea urbem morbo illo contagioso liberatum iri, quam fœno e basilica S. Donati egesto, relatoque illuc corpore S. Episcopi, itemque effigie Mariana, pristinus eidem basilicæ cultus, & religio antiqua redderetur. Rem ille detulit ad Leonardum Foscolum Provisorem generalem Dalmatiæ; qui & Græci Presbyteri dictis fidem habuit, & cælestibus mandatis per eum acceptis protinus obtemperavit. Nec vero aut significationem illius ostenti, quæ tum demum intellecta est, aut denunciationem divinam fefellit eventus. Extemplo pestilentia extincta est, & globus ille igneus postea nunquam apparuit.

THEODORUS ARCH. JADREN. XLVI.

Gens Balba inter Venetas patricias perantiqua est. Ex ea natus est Theodorus, qui ex Abbate Præposito ecclesiæ Brixiensi SS. Celsi & Nazarii creatus Archiepiscopus Jadertinus anno 1656., XII. Kalen. Octobris, in æde cathedrali Auxerensi pallium suscepit, tradente Joanne de Rubeis Episcopo illius ecclesiæ, ex mandato Alexandri VII. Anno 1658. ecclesias totius diœcesis invisit, ac præsertim Auranæ, Tini, & Zemonici, quas Veneti Turcis eripuerant; ubique multa & perutilia constituit ad cultum divinum augendum, populi mores corrigendos, cleri disciplinam resarciendam. In oppidum atque insulam Selve Sinus Flanatici, sed diœcesis Jadertinæ, invitati sunt ad vineam Dominicam excolendam Patres Franciscani tertii Ordinis, quibus duo fratres ejusdem oppidi cives Simon, & Matthæus de Paullinis, admodum pii & copiosi, cœnobium ædificarunt, & templum, quod anno 1660. Theodorus Archiepiscopus nomine & auspiciis Deiparæ Virginis de Carmelo consecravit. Cum ob bellum Turcicum omnia in urbe, pleraque etiam publica & privata ædificia armis & armatis, militarique apparatu & commeatu referta essent; atque in ipso palatio archiepiscopali stationem militibus assignari oportuisset; Theodorus inter hos tumultus strepitusque armorum nec quieti, nec dignitati suæ locum esse putavit. Itaque Venetias discessit. Sed quamvis cor-

Cœnobium in oppido Selve Patribus Fr. tertii Ordinis exstructum.

Digitized by Google

corpore abesset, animo tamen & cogitatione ecclesiæ suæ commodis utilitatique assidue invigilabat. Ac primum quidem pastoralis curæ ac sollicitudinis Vicarium reliquit Valerium de Ponte Archipresbyterum Ecclesiæ Jadrensis, qui deinde Archidiaconus fuit; idemque ex mandato pontificio Visitator apostolicus provinciæ Jadertinæ, virum doctum in primis & industrium, summa fide ac prudentia præditum, cujus eruditi de rebus ecclesiasticis Dalmatiæ commentarii ad sacram Illyrici historiam maximo nobis usui, & adjumento fuerunt. Quamvis proventus ecclesiastici propter Turcicas incursiones & vastationes valde imminuti fuissent, nullis tamen sumptibus parcebat, ut pauperibus quæ ad victum ac vestitum necessaria erant, non deessent; ac de suo alebat Præcones evangelicos, qui festis diebus Adventus Dominici, itemque per ferias majoris jejunii de rebus divinis conciones haberent. Magnæ illi curæ fuit, ne propter suam absentiam consuetudo christianæ catecheseos pueris tradendæ singulis Dominicis diebus intermitteretur, aut langueseceret. E collegio Fluminensi Societatis Jesu duos Presbyteros accersiit, qui in urbe atque diœcesi, concionibus habendis, & confessionibus audiendis cives pariter atque agrestes homines tum divinis præceptis instruerent, tum sacris mysteriis impertirent. His præclarum eximiæ virtutis, & charitatis proximis impensæ testimonium dederunt Canonici Jadrenses: *Nos Dignitates & Canonici, Capitulum universum Metropolitanæ Jadrensis repræsentantes. Universis & singulis, ad quos hæ nostræ pervenerint, notum esse volumus, & attestamur AA. RR. PP. Joannes Vitum, & Bernardum Zephyrinum Sacerdotes Societ. Jesu pie missione sua, religiose, ac fructuosissime functos esse, partes omnes veræ pietatis, ac charitatis erga proximum cumulatissime adimplendo; nec minus morum integritate, ac vitæ innocentia, quam verbo, exemplo, ac eruditione cunctos ædificasse; quorum merita eximia, hæc debitæ commendationis officia, ac manifesta veritas testimonii jure a nobis exigunt, maximumque sui desiderium apud nos relinquunt. In quorum fidem &c. &c. Dat. Jadræ die 15. Augusti 1660.* His abeuntibus duos alios ex eodem Collegio Fluminensi operarios evangelicos substituendos curavit. Ceterum optimus Præsul identidem Venetiis Jaderam ventitabat, ut gregem suum interviseret, & functiones pontificales obiret. Post annos fere duodecim archiepiscopalis regiminis admodum solliciti ac laboriosi exactos, Venetiis decessit XIV. Kal. Junias an. 1669., ac sepultus est in templo S. Gregorii.

Valerius a Ponte vir insignis doctrinæ & virtutis Vic. gen.

EVANGELISTA ARCH. JADREN. XLVII.

Patria Cremensis, cognomento Parzagus, ex Franciscana familia, cui ab Observantia cognomen. Multis & illustribus præfecturis sui Ordinis egregie functus, Theologi munus navavit, itemque a confessionibus fuit Petro Ottobono, tum Bergomi, cum Petrus eam ecclesiam regebat, tum Romæ, cum ad Cardinalium collegium aggregatus esset, antequam ad supremum Ecclesiæ universalis Pontificatum eveheretur. Archiepiscopatum Jadrensem non tam Petri Cardinalis, quam exquisitæ doctrinæ, & suarum virtutum commendatione adeptus est tertio mense post obitum Theodori vix elapso: 19. *Augusti 1669. providit* (Clemens IX.) *Ecclesiæ Jadrensi vacanti per obitum Theodori de persona Fr. Evangelistæ Parzaghi Theol. Prof. Ord. S. Francisci de Observantia.* Ex Tab. consistor. Hic annus 1669. finem attulit bello Cretico, ac pristinam Dalmatiæ quoque tranquillitatem restituit. Hinc novo Archiepiscopo rei christianæ bene utiliterque gerendæ magna spes & alacritas injecta. Pacatis tranquillisque rebus, initium pontificalis administrationis ab suo grege, præteriti belli calamitatibus afflicto, invisendo solandoque fecit, quem deinde iterum ac sæpius ingenti utilitate, & magno tum divini cultus, tum christianæ pietatis incremento lustravit. Bis terve conventum Parochorum indixit. Harum episcopalium lustrationum ac synodorum acta, & decreta litteris tradita servantur, temporibus illis accommodata & perutilia; e quibus multa etiam ad rem christianam, & ecclesiasticam horum temporum administrandam, recteque componendam aptari possunt. Aliqua illi dissensio fuit cum Episcopis provincialibus; id siquidem postulabat, ut quoties ad eorum civitates ex quacumque occasione accederet, illi cum clero sibi obviam procederent, quod cum præter consuetudinem esset, obtinere non potuit. Obstare etiam volebat, ne Franciscus de Grassis Episcopus Nonensis, qui more & exemplo suorum decessorum, ob cæli Nonensis gravitatem, Jaderæ habitabat, clericis ac populis suis in hac urbe & jus redderet, & officia episcopalia præstaret. Sed obstare destitit, cum Franciscus eidem objecit pontificium diploma, recenti sacræ Congregationis rescripto confirmatum, quo potestas fiebat Episcopis Nonensibus, ut respectu cleri populique sibi subjectorum, omnia quæ sunt Episcopi, munia in urbe Jadrensi peragerent. Anno 1684. exortum est bellum Peloponnesiacum, quod felix & faustum Reipublicæ Venetæ ac Dalmatiæ fuit. Loca diœcesis Jadertinæ Turcis erepta invisit Evangelista, templa eorumdem locorum vel diruta refecit, vel Turcarum sordibus & cultu Mahometico polluta expiavit; indigenis, itemque advenis, qui e Turcica ad Venetam ditionem confugerant, quibusque agri & sedes assignatæ fuerant in territorio Jadrensi, curatores animarum dedit, per quos christianis præceptis, ac divinis mysteriis imbuerentur. Hanc præterea suscepit curam & cogitationem, sibi suisque successoribus profuturam, ut de rebus ecclesiasticis suæ metropolis & provinciæ commentarios conficeret, quos typis mandare decreverat; jamque ex tabulariis tum suæ, tum aliarum ecclesiarum sibi subjectarum multiplicem rerum ac monumentorum copiam collegerat. Sed præclari operis perficiundi facultatem mors illi præripuit. Hanc Ecclesiam annos undeviginti summa omnium approbatione administravit; quem extinctum IX. Kalendas Septembris an. 1688. summopere doluit civitas universa, ejusque funus ingenti omnium ordinum luctu prosecuta est. Vivens sibi sepulcrum faciendum curaverat in templo Franciscano sui Ordinis, cum simplici & inornata inscriptione, ex qua christiana optimi Præsulis modestia elucet.

Evangelista Archiep. aliquid controversiæ habuit cum Episc. provincialibus & cum Episcopo Nonensi.

Commentarios rerum suæ provinciæ conficiendos suscepit, sed non absolvit.

Ejus obitus, sepulcrum, & epitaphium.

EVANGELISTA PARZAGUS
ORDINIS S. FRANCISCI
CREMENSIS
ARCHIEPISCOPUS IADRENSIS

In

Digitized by Google

In atrio, quod interjacet inter tabularium & palatium archiepiscopale, hoc elogium perhonorificum; & dignum ejus virtute, Jadrenses marmori litteris aureis Archiepiscopo de se optime merito incidi voluerunt.

Elogium & monumentum eidem positum.

Jadrae Parzago Patriae decori
Ordinis Sacri Seraphici Coronae
Praesulum nulli meritis secundo
Marmora sudent.
Anno Domini MDCLXXXIIX.

VICTORIUS ARCH. JADREN. XLVIII.

Victorius Priolus ex Abbate cœnobii Veneti Canonicorum S. Salvatoris Archiep. Jadren.

Venetiis ortus stirpe antiquissima & nobilissima Priolorum; ex qua tres Duces, multi ædis Marcianæ Procuratores, Cardinales; Episcopi; & quamplurimi civilibus honoribus, ac bellicis laudibus clarissimi viri prodierunt. Ab ineunte ætate clericalem habitum sumpsit; traditus in disciplinam Canonicis S. Salvatoris, apud eos religiosissimos & doctissimos Patres optimarum artium studiis, & omni liberali, ac digna homine nobili doctrina excultus fuit. Horum familiari piaque consuetudine illectus, ac divini Spiritus afflatu impulsus, ad eamdem ipse quoque Congregationem adscribi voluit. Cum multa & præclara sapientiæ ac prudentiæ, omniumque virtutum specimina dedisset, cunctis Canonicorum suffragiis creatus est Abbas illius cœnobii; cui decem ipsos annos ita præfuit, ut non minus exemplo, quam auctoritate omnes ad religiosam disciplinam colendam, accurateque servandam alliceret. Cum regimine domestico ardentissimum proximos juvandi studium conjunxit. Confessionibus audiendis assiduam operam dabat, omnesque ad rectam vivendi rationem, ac divina mysteria crebro percipienda hortabatur; ex quo factum est, ut piorum hominum concursus ad eam basilicam S. Salvatoris quotidie magis augeretur. Generalis Visitatoris munere functus est, summa cum integritate, ac magno disciplinæ canonicæ regularis incremento; prope aberat a suprema totius Ordinis Præfectura, cum illum Innocentius XI. ad sedem metropolitanam Jadrensem evexit: 20. *Decembris an.* 1688. *providit Ecclesiæ Jadrensi, vacanti per obitum Evangelistæ Parzaghi, de persona Victorii Prioli Canonici Regularis Congreg. S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, omnia habentis &c. &c.*

Ejus virtutes.

In hoc sublimi ecclesiasticæ hierarchiæ gradu collocatus, nihil de prioris religiosæque vitæ instituto, præter habitum, immutavit: eamdem in victu cultuque parsimoniam retinuit; eadem jejunia erant, eædem preces, eadem rerum omnium humanarum contemptio, idem a publico, quantum follicitudo pastoralis patiebatur, & ab hominum frequentia secessus. Statum ac certum singulis diebus seponebat tempus, præsertim matutinum, quod somno & diurnis occupationibus ereptum tribueret meditationi rerum cælestium; ciliciis ac verberationibus corpusculum affligebat; sacrum quotidie post diligentem animi præparationem faciebat. De proventu ecclesiastico quidquid frugali mensæ, & necessariis vitæ subsidiis supererat, vel in pauperes erogabat, vel in sacra ædificia, ornatumque templorum impendebat. Illis præsertim, quos conditio generis, aut pudor vetabat precario victum quærere, occultis & copiosis largitionibus subveniebat. Secessum in palatio archiepiscopali sibi ædificavit, ubi ab hominum commercio & conspectu sejunctus, orationi, lectioni, ac studio rerum divinarum operam daret. Templum S. Donati proximum ædi metropolitanæ refecit, & ornavit; ac veteri sublato, novum altare eidem e pretiosis marmoribus, & opere eleganti construxit; annuosque proventus assignavit Sacerdoti, qui pro se, suorumque delictorum expiatione, super aram ejusdem S. Donati, Sacrificium quotidie offerret. Nec minori, quam S. Donatum, veneratione prosequebatur S. Simeonem, cujus cultum amplificavit, & ecclesiam solemni ritu consecravit, ut docet inscriptio ibidem apposita:

Die XVIII. *Octobris MDCCV.*
Consecratio E. S. Simeonis I. P.
edita
ab Illustriss. & Reverendiss. D.D. Victorio Priolo
Archiepiscopo Jadren.
Co. Laurentio Fondra & Ludovico Chrysogono
Proc.

Illi maximopere cordi fuit traditio christianæ catecheseos; in eamque rem duas ecclesias destinavit, quarum in altera pueri, in altera puellæ de præceptis ac mysteriis divinis erudirentur. Assiduissime ad gubernacula ecclesiæ sibi concreditæ sedit; ut vel tantisper discedere, religioni habere videretur; & cum annos quatuor ac viginti eidem præfuisset, immemor tamen patriæ, oblitusque consanguineorum, semel tantummodo Venetias adiit. Sanctissime obiit anno 1712. Nonis Novembris; amplissimo funere elatus fuit; & cum ei solemnibus exequiis, ac funebri laudatione parentatum fuisset, conditus est in templo S. Donati ante aram maximam ab eo constructam, & in sepulcro, quod ipse sibi vivens paraverat. Titulum sepulcralem anno proximo fecerunt duo Canonici ædis metropolitanæ:

Mors, sepultura, & titulus sepulcralis.

D. O. M.
Victorii Prioli
Facilitate morum, pietatis zelo
Virtutum omnium specimine
Vere Archipræsulis
ex testamento
Joannes de Chrysogonis, & Jo. Baptista Nicoli
Canonici
Post has renovatas Aras, Anno a Xpo nato
Supra XVII. Sæculum XIII.
Cineres
P.

VINCENTIUS ARCH. JADREN. XLIX.

Vincentius Zmajavichius e Metropolita Antibarensi & Primate Serbliæ, Archiep. Jadren.

Magnus homo, potens opere ac sermone; de cujus patria, familia Zmajavichia, unde ortus est, litteraria institutione, præfecturis ecclesiasticis, Archiepiscopatu Antibarensi, Primatu Serbliano & legatione apostolica, quam gessit in Epiro, Serblia, Macedonia, & Bulgaria, in historia Ecclesiæ Antibarensis dicturi sumus. Hunc gravissimis laboribus, & periculis perfunctum, egregiis in rem christianam meritis illustrem, Clemens XI. Metropoli Jadertinæ Archiepiscopum dedit, anno hujus sæculi decimo tertio, ut docent Acta consistorialia: 1713, 22. *Maji providit Ecclesiæ Jadrensi per obitum Victorii vacanti, de persona Vincentii prius Antibarensis, cum reservatione pensionis scutorum* 100. *monetæ Romanæ pro Francisco Parcich Episcopo*

Ca-

Digitized by Google

Catharensi, & cum decreto, quod omnia beneficia, quæ obtinet, vacent. De sapientia, æquitate, sanctimonia hujus præstantissimi Antistitis magna fuit, tum apud Provisores Generales Dalmatiæ, tum apud magistratus inferiores, & excellens opinio; tanta vero auctoritas, ut nihil ab eis peteret, quin impetraret; & quæ ille decerneret, vel ageret, nemo reprehendere audebat, nemo non laudabat, quod omnibus persuasum esset illum, non tam humana, quam superna quadam prudentia & virtute collustrari, impellique ad videnda, & agenda ea, quæ vera & recta essent; neque alio spectare, nisi ad majorem Dei gloriam, ad salutem animarum, ad rei publicæ & christianæ utilitatem. Tantam vero apud omnes hominum ordines existimationem & benevolentiam sibi conciliavit, ut æque summi atque infimi summopere eum colerent & amarent. Rerum in Archiepiscopatu Jadrensi ab eo per annos amplius triginta gestarum epitomem ad me Jadera transmissam, sed breviorem, quam optassem, ac nimis jejunam, hic subjicio. Plura & majora, quæ gessit, cum mihi non satis nota, nec sigillatim explorata sint, eorum narratione vel invitus supersedeo.

Rerum ab eo gestarum epitome.

Vincentius Zmajavich de Perasto ab Archiepiscopatu Antibarensi seu Dioclensi, & Primatu totius regni Serviæ, post celebrem Apostolicam Visitationem Albaniæ peractam anno MDCCV. & Concilio provinciali, seu nationali a se indicto finem impositum, quod postea mandato sac. Congregationis de Propaganda Fide anno 1705. typis editum est; ad regimen Ecclesiæ Jadertinæ translatus x. Kal. Jun. an. 1713., Clemente XI. Christi vices in terris gerente. Statim in lustranda ecclesia, multis eam spiritualibus auxiliis indigentem offendit, præsertim propter inscitiam cleri, nationale tantum idioma callentis, eoque solo omnia sacra peragentis: propterea quod ex ea tantum natione in omnibus paræciis ejusdem diœcesis animarum Pastores eligi soleant. Ignorantiam autem hanc a deficientia in his regionibus collegiorum, magistrorum, librorumque Illyricorum profectam, minime evelli posse animadvertens, quo ad usque necessariis hisce commodis idem clerus careret; statim adjecit animum quomodo pastorali sua sollicitudine rei tam gravi, & animarum utilitati consulere posset. Quare apprime opportunum fore prospexit locum aliquem, veluti Seminarium juxta sacri Concilii Tridentini statuta in ipsa Jadrensi urbe construere, ut ibi comparatis, quæ ad opus requirebantur, Illyrici pueri edocerentur, & ex eis utiles ecclesiæ operarii, & idonei paræciarum Rectores deligerentur. Idcirco viridarii archiepiscopalis partem in superextruendum præfatum locum suis impensis redegit. Quemadmodum vero Illyricorum tenuis res familiaris ad alendam juventutem minime suppetere poterat, neque ecclesiæ diœcesis huic ferendo oneri pares erant; ita providus Pastor rem totam Apostolicæ Sedi deferens, anno 1729. a Benedicto XIII. Summo Pontifice obtinuit, ut duæ Abbatiæ, nempe S. Chrysogoni Jadrensis, & S. Petri Auxerensis, post decessum commendatariorum, ad prædicti Seminarii commodum perpetuo cederent. Ecclesiam Metropolitanam vario supellectilium genere ornavit; gradus scalæ sanctæ, qui prius ex lignea materia constabant, in elegantiorem formam marmore perfecit, & scalam, qua ad oratorium B. M. V. supra Divum Donatum ascenditur, commodiorem, & nobiliorem reddidit. In suburbio, sive ut vulgo dicitur, Borgo Erizzo, *ecclesiam paræcialem, ut pateret commodo Albani populi ex ditione Turcica sub umbra Principatus Veneti evocati, ad exhibendum Deo cultum, a fundamentis erexit. Matthæum Delivich, & Paulum Draghichivick, primum Bolinensis in Bosnia, alterum vero Ecclesiæ Diumensis in Macedonia, speciali sibi demandato munere ab Apostolica Sede, Episcopos consecravit. Ecclesiam B. M. V. de Castello, in qua imago Dei Genitricis præcipua & frequenti fidelium veneratione colitur, in ipsius Deiparæ honorem sacravit, ut declarat inscriptio ibidem incisa:*

Die XX. Octobris
MDCCXV.
Consecratio hujus Ecclesiae
Facta ab Illustrissimo & Reverendissimo
D. D. Vincentio Zmajavich
Archiepiscopo Jadren.

In utroque latere exteriori sacelli istius ecclesiæ, aram in unoquoque ex nobili marmore, unam ut suam, aliam vero, ut perillustris fratris sui, qui in Imperio Russiæ generalis Præfectus classis occubuerat, pietatem obtestaretur, dicavit. Idem sacellum splendide ornavit; atque ut etiam mortuus devotionem suam erga Deiparam posteris commendaret, sibi tumulum prope altare Virginis condidit. Clarus vir, par maximis negotiis, optime meritus apud Ecclesias, quas rexit, plurimi habitus apud Romanos Pontifices, ac præcipue commendatus a Benedicto XIV. fel. recor. in sua Synodo diœcesana, gregi suo, Principi, ac toti Ecclesiæ valde utilis obiit.

Titulus sepulcralis.

Titulum sepulcralem, suæ modestiæ, & eximiæ erga Deiparam Virginem pietatis indicem, sibi ipse vivens fecit, & inscribi jussit:

D. O. M.

Vincentius Zmaievich
Archiepiscopus Jadrensis
Vt Apud Virginem Viventium Parentem
Mortuus Viueret
Et Extinctus Quoque
Obsequium Æternaret
Ante Aram Matris
Tumulum
Mortalitatis Suæ Custodem
Nouissima Cogitans
In Spem Resurrectionis
Viuens Posuit
MDCCXXXIII. Ætatis LXII.
Obiit Die XI. Septembris
Anno MDCCXLV.

Altare magnificum S. Chrysogono in ejus basilica, voti exsolvendi caussa exstructum.

Anno 1718. tandem absolutum fuit altare S. Chrysogoni in ejus basilica, quod Jadrenses eidem voverant anno 1632. ob pestilentiam ejus ope depellendam; votique rei cum essent, tamen propter calamitates temporum, reique nummariæ difficultatem antea perficere non potuerant. Opus omnino præclarum e selectis pretiosisque marmoribus, eleganti structura, ornatuque magnifico. Altaris latera duæ hinc atque hinc statuæ exornant ingentis magnitudinis, egregiæ cælaturæ, candidissimo ex marmore, videlicet Sanctorum Simeonis, Zoili, Chrysogoni, Anastasiæ; quos jam inde ab antiquissimis temporibus Jadrenses sibi, patriæque Patronos adoptarunt. Addita inscriptio bifariam divisa, cujus pars ab dextero, pars ab sini-

Digitized by Google

finistro latere, utraque nigro lapidi, litteris aureis insculpta est.

Inscriptio.

A cornu Evangelii:

D. O. M.

Grisogoni Martyris Patrocinio
Pestilentiæ abigendæ votiva
Jadrensium Ara ab anno
MDCXXXII. ineunte,
tantum novo sæculo ob temporum difficultatem, Francisci Co:
de Fanfogna studio fundata.

A cornu Epistolæ:

Inde ab Antonio filio
absol. Patriæ religion.
anno MDCCXVIII. conflato a Patriciis ære,
Dedicata.

Curandi Templi Petro Calcina
Et Comite Aloysio Tetrico
II. Viris.

MATTHÆUS ARCH. JADREN. L.

Matthæus Caramanus ex Absorensi ad Ecclesiam Jadertin. translatus.

Patria Spalatensis, cognomento Caramanus, de quo in historia Ecclesiæ Absorensis, quam cum duos annos gubernasset, Benedicto XIV. jubente, ad Metropolim Jadertinam regendam migravit anno 1746. Antequam Episcopatum Absorensem susciperet, multos annos in expeditionibus apostolicis insumpsit; & fei christianæ perutilem, animarum saluti fructuosam operam navavit. Plures extra Dalmatiam regiones Slavonicas peragravit, & in Russiam, sive Moscoviam usque pervasit. Quæ peragratio & lustratio nationum Slavonicarum magnam ei facultatem attulit ad perfectam linguæ Slavonicæ cognitionem assequendam, verborum copiam & elegantiam comparandam, variasque ejusdem linguæ, & multiplices dialectos perdiscendas; vix ut alius in Dalmatia reperiri potuisset, qui purius quam ille, copiosius, & elegantius Slavonice loqueretur. Missale, & Breviarum Slavonicum sæculo superiori, ex mandato Urbani VIII. Raphael Levacovichius e Franciscana familia, qui postea fuit Archiepiscopus Achridanus, quanta maxima poterat fide, ac diligentia emendaverat; & codicem utrumque ab eo recognitum & emendatum sacra Congregatio de Propaganda Fide typis Romanis committendum curavit. Verum emendatio Levacovichiana non adeo felix fuit, ut secundis curis non indigeret; ac præsertim multa in Missali animadversa sunt, quæ alterius correctoris manum operamque desiderabant. Hujusmodi cura demandata fuit Matthæo Caramano, utpote Slavonicæ linguæ scientissimo; ut mendis omnibus sublatis, quæ correctionem Levacovichianam effugerant, Slavonicum illum sacræ liturgiæ codicem, ab omni labe ac depravatione purum atque integrum præstaret; cum huic rei perficiundæ aut ille unus, aut certe nemo magis idoneus videretur. Hic igitur omnigenæ locutionis, & litteraturæ Slavonicæ præsidiis instructus, nec minus doctrinæ theologicæ, & divinarum litterarum peritus, ad liturgicum illum librum emendandum accessit. Omnia sub examen acremque censuram revocavit, vocabula exotica, plebeja, non omnibus usitata expunxit, in eorumque locum

Missale Slavonicum emendat.

quæ omnibus quidem communia essent, sed selecta & optima substituit, cum Latina vulgata sacrorum Bibliorum interpretatione quæ dissidebant, ut concordarent effecit, sententias rebus, verba sententiis aptissime accommodavit; denique quantum ingenio, & industria consequi potuit, ut quam emendatissimum Missale Romanum in linguam illam conversum in lucem prodiret, omni ope operaque curavit. Scio equidem non defuisse, qui secluso illo, qui antiquis Slavorum litteris continetur, vulgarem sermonem in sacros codices invehere cupiens, hanc emendationem acerrime oppugnaret. Sed quæ objecta fuerant, luculentis rationibus refutavit, & pleraque futilia, falsa, inter se pugnantia, & ne refutatione quidem digna esse ostendit. Hoc potissimum argumento nititur, quod sermo vulgaris & plebejus, qui in ore omnium, usuque populari versatur, sæpe variari solet, nullisque certis legibus astringitur; contra vero sermo litterarius, fidæ librorum custodiæ commissus, idem semper est, neque ullas mutationes habet: ex quo fit, ut sacri codices, si ad leges hujus litterarii sermonis, qui nulli variationi obnoxius est, semel accurate corrigantur, ac reformentur, nullam aliam deinde correctionem, sive mutationem verborum, aut dictionis desiderent. Ad confirmandam doctissimi Præsulis sententiam, maximi momenti est exemplum, & auctoritas Ecclesiæ utriusque Latinæ, & Græcæ, quæ libris liturgicis sermone ab lingua usuque vulgari remoto conscriptis utuntur. Ejus super hac re dissertationem perlegi; nihil illa eruditius, nihil accuratius, nihil ad persuadendum validius. Itaque correctionem ab se adhibitam Patribus sapientissimis ita probavit, ut sacra Congregatio Missale Slavonicum ab eo recognitum & reformatum, quod anno 1741. e typis Romanis prodierat, retinendum, & nihil in illo immutandum esse censuerit.

De Serblis in Dalmatiam receptis Commentarios scripsit.

De Serblis seu Maurolachis ritus Græci, quorum referta est Dalmatia, itemque de parœciis & monasteriis Basilianis ejusdem ritus Commentarios accuratissimos confecit. Cœnobia & parœcias omnes ritus Græcanici, per omnes fere diœceses Episcoporum Dalmatiæ dispersas, nominatim percenset. Hos populos e Turcica ditione profugos in Dalmatiam a Venetis receptos, & domiciliis atque agris sub ea conditione donatos fuisse ait, ut ejurato schismate Photiano, religionem orthodoxam colerent, & debitam erga Romanum Pontificem obedientiam cum patriis ritibus & ceremoniis conjungerent; iisdem vero, quibus Dalmatæ indigenæ, Episcopis subjectos se atque obsequentes præstarent. Verum datæ fidei, acceptique beneficii immemores, mirum quantum plerique ab institutis & sacris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ abhorreant; nihil non agunt, nihil non moliuntur, ut se legitimis Episcopis, eorumque jurisdictioni ac potestati subducant; nondum desierunt experiri ac tentare omnia, ut Episcopum suæ nationis, suique ritus nanciscantur; qui eos ab Episcopis Dalmatiæ Venetæ omnino disjungat, & omne cum Latinis commercium rerum sacrarum abrumpat. Harum gentium ab Romanis & Latinis alienationem referendam esse ait ad Parochos & Calogeros, seu monachos nationis Græcæ, vel Serblianæ; neque enim Maurolachi, ut sunt homines agrestes, simplices, ingenio minime malo, mi-

Digitized by Google

minimeque contumaci tantopere a nobis abhorrerent, nisi illorum naturali quodam erga nos odio inflammarentur; & confictis in religionem & sacra Latinorum calumniis, eos non solum a nostris ritibus, sed etiam a recta in Deum fide abducerent! Illos maxime infestos esse Episcopis Dalmatiæ, qui cum Serblianas parœcias intervisunt, lustrantque, quam alieno sint a nobis, nostrisque rebus & dogmatibus, satis superque expertos esse ait! deinde illorum fraudes, errores, machinationes aperit, ac præsertim conatus sæpe adhibitos, semper tamen inutiles, tum Episcopi Montis Nigri, tum Patriarchæ Puchiensis, ut populos illos ab suis Episcopis legitimis evellerent, & sub suam jurisdictionem subjungerent; verum & vigilantia nostrorum Antistitum, & præsertim auctoritate Senatus Veneti, non semel repulsos, & fractos fuisse. Monita sapientissime subjecit, quibus detegi & caveri debeant subdolæ artes & insidiæ Calogerorum, illisque obviam ire, ne labe schismatica, & errorum suorum contagione catholicam plebem inficiant; neve quid audeant, sibique arrogent, quod jurisdictionem episcopalem imminuat; atque ad illos in fide & obsequio continendos, lenitatem quidem adhiberi oportere; sed ubi hæc non sufficeret, negligendam non esse severitatem, invocato præsidio, quod sæpe factum est, & interposita Senatus Veneti & magistratuum auctoritate. Suis ipse monitis, & præceptis usus, ad conciliandos sibi duos Parochos ritus Græci, qui præsunt ædi & parœciæ Jadertinæ S. Eliæ, comitatem ita cum gravitate, benignitatem cum auctoritate conjunxit, ut illos dicto audientes, suis imperiis obsequentes, magna sibi benevolentia conjunctos semper habuerit. Serbliani & Græci illorum curæ commissi, non ita, ut ceteri, nomen, & sacras ceremonias Latinorum aversantur, nec illorum sacrificiis interesse verentur; & si quando Archiepiscopus ad invisendam ædem, & ritu episcopali lustrandam parœciam S. Eliæ accessit, summa illum reverentia excipiebant, ejus conciones libentissime audiebant, ejus præceptis & mandatis non inviti obtemperabant. Ad custodiam non solum diœcesis ac provinciæ suæ, sed etiam totius Dalmatiæ advigilare solitus fuit, ne Parochi Græci & Calogeri fines suis muneribus, ac suæ potestati præscriptos, transilirent; & si qui eorum motus & conatus extitit vel ad fidem catholicam labefactandam, vel ad jurisdictionem episcopalem turbandam, ut eos statim comprimeret, & suam impendit, & publicam auctoritatem excitavit. Admirabili enim quodam studio tum religionem ab omni corruptela intactam servandi, tum jus, & dignitatem episcopalem tuendi exardescebat.


Græcos Jadrenses eorumque Parochos sibi conciliavit.

Ad catholicum gregem sibi concreditum curandum, & cælestibus pabulis alendum omni cogitatione studioque sic incubuit, ut nullum optimi Pastoris officium prætermiserit. Ejus utilitati salutique ut prospiceret, nullis laboribus, nullis incommodis pepercit. Multa fecit, & egregie constituit, quæ ad mores christianæ plebis corrigendos, & pietatem excitandam, ad disciplinam cleri vel restituendam, vel stabiliendam, ad cultum divinum augendum pertinebant. Plura & majora moliebatur, cum eum, robusta ceteroquin corporis constitutione, integra valetudine, firmis adhuc viribus, & prima ac viridi senectute vigentem, apoplexia vehemens & violenta perculit, prostravit, lectulo aut sellæ perpetuæ allixit, actione & motu fere omni privavit. Peropportune accidit, ut Joannes Antonius Castellus, dimisso Episcopatu Catharensi, Jaderam se reciperet, atque in ea civitate domicilium stabile sibi collocaret. Hic igitur ad Metropolim illam regendam, & functiones episcopales obeundas, Præsuli ægroto atque invalido assiduam operam navavit. Quamvis autem ille membris fere omnibus captus & linguæ usu propemodum omni amisso, tamen, cum mente valeret sana & vegeta, Episcopo adjutori suo, quibus potuit nutibus, & vocibus balbutientibus, quæ fuerint jubenda, quæ vetanda, quæ agenda præscripsit. Ut præstantissimus Præsul valetudinem pristinam recuperaret, quam, ut antea fecit, rursus impendere posset ad omnia illa Episcopi munera & officia exsequenda, quæ non animi solum imperio, sed etiam corporis ministerio indigent; Jadrenses omnes etiam atque etiam optabant. Sed aliter visum superis. Deus Opt. Max. recte factorum remunerator magnificus, animam egregii Præsulis, ab omnibus, si quas contraxerat, maculis diuturna ægrotatione purgatam, brevi immortalitate donandam ob ejus eximia merita, in sedes cælestes recepit.

Apoplexia correptus ad ministeria episcopalia utitur opera Joannis Antonii Castelli, olim Episcopi Catharensis.

MICHAEL ARCH. JADREN. LI.

Cui Jadera patriam, ortum & cognomen familia Trialia dedit. Primum Canonicus & Archidiaconus Capituli Jadrensis, deinde Episcopus Corcyrensis, demum Archiepiscopus Jadertinus, quem Clemens XIV. de Corcyrensi Ecclesia præclare meritum, ad hanc sedem metropoliticam evexit anno 1771. IV. Kal. Augusti.



Digitized by Google

APPENDIX

AD ECCLESIAM JADERTINAM.

De instituendo Episcopatu Pagensi, & de quibusdam Episcopis electis.

Pagus insula & civitas olim Cissa, Chissa, & Chessa.

PAgus insula & civitas est frequens ac nobilis Sinus Flanatici contra Japydiam sita, a qua freto interfluo disjungitur, quem hodie *Canalem Morlacchæ* vocant. Gissam olim auctore Plinio nominatam ferunt: eamdem alias Chissam, alias Chessam, ab Andrea Dandulo apud Lucium Kussam appellatam invenio, ab urbe scilicet primaria, quam a Venetis sæculo decimo exeunte ereptam Chrobatis, & eversam fuisse idem Dandulus tradit. Hanc insulam Cresimirus IV. rex Chrobatiæ, cum in suam potestatem redegisset, bifariam divisit anno 1071., & partem superiorem ad septemtrionem cum Chessa urbe principe, ab indigenis reædificata, Arbensi civitati & Ecclesiæ, uti antea erat, subjectam reliquit, partem vero inferiorem ad meridiem cum villis *Pagi*, *Pezzani*, *Murolani*, *Ulassici* Episcopo & civitati Nonensi attribuit. Sæculo duodecimo Ordelaphus Dux Venetorum, qui Dalmatiam, Hungaris expulsis, recuperavit anno 1115., Chessam ad Venetum Imperium adjunxit. Anno 1174. Sebastianus Zianus Dux Venetiarum, *Dalmatiæ*, atque *Chrobatiæ*, castrum Chessæ Rogerio filio Dominici Mauroceni Comitis Jaderæ donavit, ut docet ejusdem diploma. His temporibus eam insulæ partem, quæ Nonensium fuerat, vergebatque ad meridiem, Jadertini obtinebant, sive quod eam Veneti, Hungaris ademptam, Jadertinis concesserant, sive quod a Nonensibus derelictam Jadrenses occupaverant, ut Joannes Lucius opinatur; idque intelligi potest ex sententia Lampridii Archiepiscopi Jadrensis, qui anno 1177. litem composuit, quæ de *Comitatu* Kessæ inter Arbenses erat, & Rogerium Comitem; simulque declaravit, *quatenus prædicta insula Chessæ communiter a Jadrensibus, Arbensibus, hominibusque . . . . . . coli, pasci, & omnibus modis uti perpetuis temporibus debeatur*. Sæculo decimo tertio ineunte Jadertini, cum a Venetis ad Hungaros defecissent, propterea quod Patriarchæ Gradensi Ecclesiam & Metropolim suam subjici nollent, cum Andrea fratre Emerici regis Hungariæ, & Duce Dalmatiæ castrum Chessæ everterunt, ut est in Tabulis Jadertinis apud Lucium: *Jadrenses cum fratre D. regis Ungariæ destruxerunt castrum Kessæ*. Hanc siquidem ceterasque Dalmatiæ insulas, Veneti in sua potestate retinebant. Tunc Veneti, ut auctor est idem Lucius, villam Pagi mœnibus, & propugnaculis munierunt, imposito eidem præsidio ad retinendam, tuendamque ejusdem insulæ possessionem. Aucto deinde ædificiorum numero & incolarum, civitas totius insulæ princeps haberi, & ab ea tota insula denominari cœpit; jamque inde a multis sæculis, Chessæ vocabulo antiquato, Pagus vulgo appellatur.

Jadrenses multis infesti sunt Pagensibus.

Sæculo decimo quarto hujus insulæ partem Arbenses, partem Jadertini adhuc retinebant. Sed Pagenses ægerrime ferebant in ea insula dominari Jadrenses, a quibus capitali odio dissidebant, quod hi plurima sibi & maxima damna non semel intulissent. Cum enim Jadertini a Venetis ad Hungaros sæpe descivissent, Pagenses vero in potestate fideque Venetorum manerent; in hos illi tamquam in hostes sæviebant; id quod Pagenses scriptis mandarunt, ut malorum omnium, quæ ab Jadrensibus perpessi fuerant, memoria sempiterna extaret. Anno circiter 1180. Jadrenses, ne cogerentur a Venetis Patriarchæ Gradensi, ut Pontifex jusserat, suam Metropolim subjicere, se in fidem tutelamque Belæ III. regis Hungariæ contulerant; *anno autem* 1192., ut est in codice Pagensi, *decem mille homines venerunt Pagum ex Jadra, & multa incendia, derobationes, desolationes fecerunt, incipiendo a parte australi SS. Cosmæ & Damiani, & a parte Quirinali S. Ambrosii, & a parte transversali S. Jacobi, & a parte occidentali S. Martini, & a parte septentrionali S. Crucis incendia magna tempore nocturno, & sub die subsequenti 27. Octobris anno prædicto* 1192. Cum rursus anno 1311. a Venetorum imperio defecissent, expulso Michaele Mauroceno Rectore civitatis, *fecerunt Jadertini multa mala inopibus Pagensibus, incendiando noviter terram Paghi, devastando, & defossinando salinas, & alia mala, causa quod non assenserunt Pagenses sceleratis operibus eorum*. Anno 1345. cum Jadrenses haud obscuris suæ voluntatis a Venetis alienatæ, ad Ludovicum Hungariæ regem propensæ indiciis, rursus ad defectionem spectarent; missus est cum classe Petrus Canalis, qui eos in officio contineret, vel ad imperium revocaret: *quo tempore*, ut scriptum est in codice supra laudato, *Pagenses dederunt se & donaverunt Petro de Canali nobili Veneto, qui cum quinque triremibus venerat in portum Pagi, & dederunt Pagenses in potestate Veneti omnes Jadrenses, qui reperti fuerunt in terra Pagi; pro quo casu Jadertini cum illis de Ungaria noviter fecerunt incendia magna, & maxima damna, & subverterunt Pagum, & dederunt Regi Ludovico*.

Ludovicus Rex Hung. Jadertinis Pagum attribuit.

Ludovicus universa Dalmatia potitus, insulam Pagum pleno jure possidendam tradidit Jadrensibus anno 1358., ut docent litteræ regiæ ad Jadrenses; superiorem tamen insulæ partem Arbensibus reliquit. Tum vero Jadertini, ut est in eodem codice Pagensi, *male tractando & dando multas afflictiones, interemptiones, suspensiones, decapitationes, vulnerationes, manuum & pedum obtruncationes, & multa alia mala fecerunt*. De quibus injuriis, ac de tanta sævitia conquesti cum essent Pagenses, Ludovicus insulam illam Jadrensibus ademptam in suam potestatem recepit. Sed anno 1372. eam Jadrensibus reddidit, ut constat ex duabus epistolis Ludovici, altera ad Jadrenses, alte-

Digitized by Google

altera ad Pagenses eodem anno datis. Nec vero Jadrenses illa hujus insulæ parte contenti, quam antea possidebant, varia etiam loca, quæ ad ditionem Arbensium pertinebant, per dolum & fraudem occuparunt. Hinc gravissima illa Arbensium querimonia contra Jadrenses, *quod falsis suggestionibus impetraverant litteras a R. Ludovico, per quas sibi restituta fuerat terra Pagi, & districtus, & alia a Baronibus regias vices gerentibus obtinuerint, sententiam mandati precamine includendo, & informatione non vera confines & metas, quæ sub Arben. ditione & antiquo dominio, tam jure proprietatis, quam jure possessionis constiterunt, & fuisse dignoscerentur: satis enim cibatos, & contentos se possunt reputare, quod illam partem insulæ Pagi, & sui districtus obtinerent sine contradictione, quæ a primordio subjecta fuit, tamquam membrum capiti ejus civitati Kessæ, quæ semper fuit de jurisdictione ac potestate Communis Arben., postquam humanum genus cœpit facere incolatus in illa civitate, tam Arbi, quam Kessæ; quod sub specie obtinendi Pagi, aliquos confines incluserint Novaleæ, Kessæ, & Loni cum pertinentiis suis, quæ tam spiritualiter, quam temporaliter dominio Arben. subsunt, & protestat. de conservatione jurium.* Hæc Hermolaus nomine Judicum, Consilii, Communis Arbensium 1372., die 9. Septem. apud Joannem Lucium lib. III. cap. XII. de Reg. Dal. & Croat.

Pagenses ab imperio Jadrensium deficiunt atque in libertatem sese vindicant.

Pagenses ergo ob eas, quas dixi, caussas Jadertinos pessime oderant, & nihil acerbius ferebant, quam se illis subjectos esse, a quibus tam multa, tam enormia maleficia sibi illata esse meminerant. Cum autem graviori in dies premerentur imperio; demum anno 1393., ut omnem Jadrensium dominatum civilem pariter atque ecclesiasticum depellerent, magistratu Jadrensi, & Vicario episcopali expulsis, non solum Rectores oppidi e suo Consilio sibi constituerunt; sed etiam unum e collegio Canonicorum, Stephanum Bermeæ Episcopum elegerunt, seque in libertatem vindicarunt. Jadertini ad Pagensem defectionem ulciscendam odio iraque inflammati quodcumque militum, equitum, ac peditum poterant celeriter contrahunt, qui navigiis impositi, ac duce Damiano de Nassis transvecti, Pagenses de improviso adoriuntur, plerosque in fugam avertunt, obsistentes cædunt, duos Rectores civitatis cum aliis pluribus, itemque cum illo, quem designaverant, umbratili Episcopo, & aliquot clericis, captivos Jaderam abducunt; hos vero cum suo electo Episcopo in custodiam episcopalem tradiderunt. Sed ex mandato Sigismundi, qui Pagum insulam Jadrensibus ademit, tum laicos captivos, tum clericos carceribus archiepiscopalibus eductos reddiderunt, simul cum sacris thesauris, quos ex ecclesiis illius oppidi ablatos apud Virgines S. Nicolai deposuere. Hæc distinctius & accuratius in sua Ephemeride Paulius de Paulo civis Jadertinus enarravit.

Stephanus Bermeæ Episc. Pagensis electus.

Defectio Pagensium à Paullo de Paullo descripta.

1393. Die Mercurii 11. men. Martii rebellaverunt nobis Pagenses, & eodem die elegerunt inter se tres Rectores pro regimine eorum, vid. Dessicium, Rasxigna dictum Palaz, & Carucum; & præceperunt s. Johanni de Soppe tunc C. nostro ibidem, pœna capitis usque ad diem tertiam recedere ab insula Pagi, & captivaverunt duos nostros nobiles s. Johannem fil. q. Dominici de Nassis, & s. Simonem de Pechiaris, & Cancell. per nos eis datum, tunc ibi existentem.

Die crastina s. die Jovis hora circa vesperarum, hujus nova atragerunt Jadram. Ergo immediate interposuimus curam parandæ ultionis.

Die Dominico proxime sequenti, circa horam meridiei pro nanciscenda ultione expedivimus unam galearum nostrarum minorum s. optime ad hoc opus fulcitam, & multas barchas armatas, & alias quamplures pro transferendis equitibus, & peditibus nostris ad ipsam insulam, quorum Cap. generalis extitit Damianus de Nassis, cum duobus Consiliariis vid. s. Andrea de Grisog. & s. Crescius Raynerii, armator vero prædictæ galeæ s. Greg. de Cedulinis.

Die Lunæ prox. sequenti expedivimus alteram nostram galeram s. majorem, cujus patronus, seu armator extitit s. Blasius de Soppe, quo die etiam nonnullæ aliæ barchæ illius profectæ sunt præmissa occasione.

Die Mercurii immediate sequenti hora quasi meridiei ipsi Pagenses per gentes nostras in quodam rumore prope Pagum ibi præmunierant, & in quo fugerant omnes relicta terra Pagi, conflicti sunt, quorum quidam arripientes fugam, cæteri omnes masculini sexus, exceptis minoribus ætate, aut interfecti, aut captivati sunt, sed pro minori parte interfecti; inter quos captivos fuerunt duo Rectores eorum s. Dessicius, & Caruco; Rasxigna vero tertius Rector confugit Arbum cum uno filio, & multis Pagensibus.

Die Veneris prox. 86. ipsorum inter laicos & clericos ligati manibus eodem funiculo in galea majori fuerunt ducti Jadram, & in logia DD. Rectoribus Jadræ præsentati; ubi unus dictorum Sacerdotum s. Bermeæ mitriatus fuit; & in eadem mitria ductus fuit, una cum prædictis aliis clericis ligatus, ut supra, ad D. Archiepiscop. Jadræ pro eo, quia nitebatur eligi in Episcopum Pagi; laicorum vero tunc e medio fuerunt positi ad torturam.

Die Lunæ sequentis prædictus Capit. cum Consiliariis post tertiam in Pago unum prædictorum Rectorum Pagi s. Dessicium in platea suspenderunt per gulam.

Die Martis sequentis 24. men. Martii D. Rectores Jadræ erectis furcis super jactum portus tres prædictorum Pagensium vid. Johannem Tutnich, fratrem Damiani Striani, & Jacobum Marangonum suspenderunt per gulam; & eodem die duobus ipsorum captivorum s. Ballio filio Damiani Tutnich, & filio Lucæ Leonis de Jadra eruerunt oculos.

1394. Die Dominicali penultimo Madii, accepta fuit nobis per Regem terra Pagi, in quam dicto die mandato ejusdem R. intromisit Joannem Cubretich de genere Cubrianiorum.

Eodem anno die Martis in festo S. Viti Jun. 15. exeuntibus Rectoribus Jadræ s. Gregorio de Cedulinis, s. Thomasio de Petrizo, & me Paulo de Paulo, nos hndm. Rectorum cum 4. adjunctis nobis per Consilium secr. Jadræ, vid. s. Cressio de Nassis, s. Andrea de Grisogonis, s. Coxa de Begna, & s. Marino de Ghinano liberavimus a carceribus D. Archiep. Jadren., & de ejus conspectu Presbyterum Bertucium, & Bartum, quos dedimus D. Paulo Michalivich V. B.

Die crastina 16. Junii nos prædicti Rectores, & antedicti una cum D. Archiepiscopo, prædicto D. V. B. recipienti nomine regio restituimus, dedimus, consignavimus thesauros & res Pagensium Ecclesiarum, quæ erant in manibus nostræ Communitatis, & in manibus D. Archiepiscopi prædicti; & hoc in præsentia C. Johannis Cubretich, tum

Digitized by Google

tum præsidentis in Pago; & hoc fuit in sacristia S. Anastasiæ de Jadra; quos thesauros & res idem V. B. eadem die in duobus capsis clausis affixis, & sigillatis tribus sigillis vid. D. Archiepiscopi prædicti, sui, ac nostræ Communitatis suo nomine, præsentibus nobis Rectoribus, & adjunctis in monasterio S. Nicolai monialium de Jadra depositavit, & præsente Comite Johanne prædicto.

Joannes Ep. Zagrabien. ab Sigismundo missus in Dalmat. Pagenses ab omni potestate Jadrensium liberos esse jussit,

Demum anno 1396., cum Sigismundus rex Hungariæ Joannem Episcopum Zagrabiensem ad inspiciundas & componendas res Dalmaticas misisset; hic auditis querelis Pagensium, eos jurisdictioni Jadrensium omnino exemit, urbem insulamque liberam ac soli regiæ potestati subjectam esse declaravit.

1396. Die Martis Madii 23. applicuit Jadram R. P. D. Johannes Episcopus Zagrab. una cum D. Johanne de Gara fratre D. Bani, & C. Corbaviæ.

Die Martis pen. dicti men. secesserunt a Jadra euntes Nonam causa ibi faciendi synodum; & tras die Mercurii D. Paulus de Georgiis, s. Marinus de Ghinanis, & ego Paulus ambasciatores & syndici Communitatis nostræ ivimus Nonam post d. Episcopum, & C. Johannem de Gara pro defendendis juribus nostræ insulæ Pagi cum multis popularibus nostris sociati.

Et die Sabb. in festo S. Johannis Baptistæ 24. Junii lata fuit p., supradictos D. Episcopum & Johannem, sententia contra nos in favorem Pagensium, videl. quod dominium ipsius insulæ R. M. applicetur.

Extat sententia Joannis Episcopi apud Joannem Lucium in ejus Animadversionibus ad *Memoriale Pauli de Paulo*, quas ad Monumenta historica Tragurii adjunxit: *Nos Johannes Dei gratia Zagrabiensis Episcopus Decretorum Doctor Serenissimi Principis & DD. Sigismundi eadem Dei gratia inclyti Hung. Dal. Croat. &c. Regnorum Regis, Marchionis Brandeburgensis &c. &c. Secret. Cancel. &c. . . . . . . Solum Deum habentes præ oculis, commisimus, & judicavimus, ut præfata insula Pagensis, omnesque habitantes ejusdem a modo deinceps temporibus futuris, una cum singulis possessionibus, salvis ..... de dictorum Jadertinorum manibus, potestate, dominio libera, exempta, absoluta habeatur; & causa & rationibus præallegatis ipsam insulam Pagensem dicta auctoritate prædicti D. N. R. nobis in hac parte attributa, cætui universo & consortio cæterarum liberarum civitatum regalium Dalmatinarum coadunantes, & aggregantes, dictis Jadrensibus, & ipsorum hæredibus, & universis posteritatibus eorumdem dicta auctoritate nobis concessa silentium perpetuum imponentes &c. &c. Dat. Nona die 24. Junii Anno Domini 1396.*

a qua Jadrenses ad Regem appellarunt, sed frustra.

Jadrenses ab hac sententia appellarunt ad regium tribunal, & multa conati sunt, ut Pagenses rursus sub jurisdictionem ac potestatem suam redigerent; quemadmodum scriptum reliquit in sua Ephemeride Paullus de Paullo.

Quo instanti (idest statim sub eam sententiam) *nos ab ipsa sententia appellavimus ad ipsam R. M. præsentibus Ambasc. Dalmatinorum, videl. Spal., Trag., Sib., ac Nonen., & aliorum quamplurimorum ibi in ipsa prolatione sententiæ existentium; & eodem die recessimus a Nona & venimus Jadram.*

Die vero Dominicali prox. seq. idem D. Episcopus, & C. Johan. de Gara, & C. Butco de Corbavia secesserunt de Nona in barchis Pagensium, & iverunt Pagum.

Die Lunæ sequenti 26. prædicti men. Junii 6. nob. vid. D. Paulus de Georgiis, D. Jacobus de Raduncb, s. Damianus de Nassis, s. Andreas de Grisogonis, s. Coxa de Begna, ac ego Paulus de Paulo creati fuimus provisores super facto Pagensium cum plenissima auctoritate, & balia concessa nobis per generale Consilium cuncta s. in omnibus, quam idem Consilium habet.

Sed omnes Pagensium conatus frustra fuerunt. Cum autem Veneti anno 1409. Jaderam & insulas omnes illius tractus maritimi ab Ladislavo rege Neapolitano recuperassent; suam Pagensibus libertatem in perpetuum confirmarunt: *Pagenses*, ut est in codice sæpius laudato, *de anno 1397. in contradictorio obtinuerunt a Rege Sigismundo litteras patentes suæ liberationis, & denuo anno 1399., ita quod, laus Deo, semper liberi remansi fuerunt a tali vinculo; & in perpetua libertate constituti sub Rep. Veneta: ita fiat per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Pagus a Venetis titulo, ac privilegiis aliarum Dalmatiæ civitatum donatur.

Porro Veneti urbem Pagum iisdem, quibus aliæ civitates Dalmatiæ gaudebant, & beneficiis, & privilegiis ornarunt, nobilesque Pagenses eodem numero & loco, quo ceteri Dalmatæ nobili genere nati, esse voluerunt. Item quemadmodum aliis Dalmatiæ civitatibus, sic etiam Pago Rectorem dederunt patricium Venetum, qui jus diceret, rebusque publicis præesset. Ad hæc, Pagensibus potestas data fuit castelli ædificandi ac muniendi, quo se ab injuriis Jadrensium tuerentur. Neque enim Jadrenses, qui hanc insulam ab sua jurisdictione divulsam periniquo animo ferebant, si qua data esset occasio, existimabant temperaturos ab injuria & maleficio. Ut vero imposterum nullum sibi esset cum Jadertinis, nec sacrarum quidem rerum commercium; idem illud, quod ante aliquot annos moliti fuerant, agere & conari rursus cœperunt, ut insulam, urbem, ecclesiam suam a diœcesi ac ditione Archiepiscopi Jadertini eximerent. Cum vero sub clementissimo Venetorum imperio civitas Pagi & civium numero, & commercio, & divitiis quotidie magis augeretur; ab Senatu Veneto postularunt anno 1415., ut sibi liceret Episcopum ab Sede Apostolica petere, qui universæ insulæ præesset. Caussas etiam afferebant, quibus postulati æquitas niti videbatur; nimirum urbis nobilitatem ac frequentiam dignam, quæ jure & sede episcopali donaretur; difficultatem sacramenta illa percipiendi, quæ ab solo Episcopo conferri possunt, videlicet sacros Ordines ab iis, qui divino afflatu impulsi ad hierarchiam ecclesiasticam adscribi cupiunt, & sacram Confirmationem; cum iter maritimum tempestatibus, & naufragiis obnoxium, vel certe periculosum, facilitatem, & aliquando etiam facultatem adeundi Episcopi adimeret; ex quo fiebat ut plerique Christianorum etiam adulti in ea insula sacro Chrismate non inuncti e vita decederent. His addebant incuriam Antistitum Jadrensium, qui ad eam insulam, christiani gregis visendi ac lustrandi caussa, admodum raro accedere solebant; & illis culpæ vertebant, quod pauci essent clerici, qui divinis officiis operam darent, quodque Abbatia S. Petri neglecta esset, & Sacerdotibus ac sacrificiis careret. Erat siquidem apud Pagenses pervetus cœnobium Benedictinum S. Petri, & vectigalibus

Pagenses optant, ac postulant sibi proprium Episcopum.

bus

Digitized by Google

bus haud sane contemnendis instructum, quod sub initium hujus sæculi Cœnobiarchæ Benedictino ademptum fuerat, & commendatum Archiepiscopo Jadrensi. Ac statim quidem Dux & Senatus Venetus pro sua religione & clericorum paucitati, & ecclesiæ S. Petri consulendum censuit; ut responsum redditum querelis Pagensium, & litteræ ad Comitem seu Rectorem Pagi declarant.

Responsum Ducis & Senatus.

Responsum: Mandabimus Comiti nostro Pagi & successoribus, quod de decimis, quas Archiepiscopus Jadræ habet in insula nostra prædicta, debeat intromittere illud, quod erit necessarium pro possendo habere clericos, qui celebrent, & faciant divina officia. Et ultra mandabimus eidem, & successoribus omnibus, quod debeant intromittere, & sequestrare omnes redditus spectantes & pertinentes Abbatiæ S. Petri, quam dictus Archiepiscopus habet in commenda, pro efficiendo, quod in dicta ecclesia sint Abbas & monachi, qui celebrent divina officia, & dictis talibus Abbati & monachis detur illud, quod erit necessarium pro victu eorum de redditibus Abbatiæ prædictæ; & si aliquid superabundabit a victu dictorum monachorum, detur Archiepiscopo.

Thomas Mocenicus Dux Venet. Com. Pagen. & succ. quod de decimis, quas Archiepiscopus & Capitulum Pagi singulo anno habent, reparetur ecclesia & campanile, in casu quo egeat reparatione: si vero dicta ecclesia non eguerit reparatione, provideatur quod dictæ decimæ dividantur inter Dominum Archiepiscopum Jadræ & Capitulum Pagi; sicuti est moris. Super facto autem Abbatiæ est, quod siquidem Archiepiscopus se obtulit facere, quod in dicta Abbatia continuo habitet unus Presbyter, qui celebret divina officia, & attendat ad gubernationem prædictæ Abbatiæ, & salinarum, & aliorum bonorum eidem Abbatiæ pertinentium, ne vadant in ruinam; in casu quo Archiepiscopus hoc faciat & observet, sit bene quidem; quando autem non provideatur, quod ibi stet unus Presbyter continue ad celebrandum &c. &c. Data die 13. mensis Novembris 1415.

Collegium Canonicorum Pagensium episcopali sede dignum.

De postulando ab Sede Apostolica Episcopo neque annuit, neque abnuit Senatus. Sed quod Pagensium caussæ & postulato maxime favere videbatur, erat dignitas præclara excellensque Ecclesiæ & Capituli Pagensis. Petrus de Matafaris Archiepiscopus Jaderæ sæculo superiori Ecclesiam S. Mariæ, principem oppidi, decoraverat perinsigni collegio Canonicorum, quos duodecim esse jussit, eisque unum dignitate & auctoritate præesse, quem Archipresbyterum appellari voluit. Jus Archipresbyteri nominandi creandique penes Capitulum, approbandi penes Archiepiscopum erat; quod ad Romanum Pontificem devolutum fuisse videtur anno 1400., propterea fortassis quod ab obitu Archipresbyteri ante legitimam novi electionem menses ab jure definiti effluxerant; idque intelligi potest ex mandato Bonifacii IX. tradito cœnobiarchæ S. Petri, ut Joannem quemdam, cujus Pontifex id honoris ac muneris contulerat, ex formula juris in possessionem hujus primarii Sacerdotii Pagensis mitteret: *Andreæ Abbati S. Petri de Pago fuit præsentata quædam Bulla p. ven. virum Dominum Joannem Archipresbyterum Pagensem, in qua continebatur inter cætera, quod mandato Papali idem Dominus Abbas deberet ponere & mittere in possessionem corporalem dicti Archipresbyteratus ipsum Dominum Joannem: quod Dominus Abbas ut filius obedientiæ est executus in Ecclesiam S. Mariæ majorem de Pago ipsum introducendo cum suis ceremoniis, multis & pluribus Canonicis & clericis præsentibus, & ipsum in pace acceptantibus. Actum die XXIX. mensis Januarii anno 1400.* Blasius Molinus itidem Archiep. Jadrensis anno vigesimo, vel vigesimo primo hujus sæculi decus & nobilitatem Capituli auxit, *Primicerio* adjuncto, qui secundum Archipresbyterum principem locum & auctoritatem teneret. Collegium Pagense Canonicorum Martinus V. amplissimo diplomate confirmavit, quod est hujusmodi.

Capitulo additus Primicerius.

Martinus V. Capitulum Pagense confirmavit an. 1427.

Martinus Episc. servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex supernæ providentia majestatis in apostolicæ dignitatis specula positi, circa universarum, quarum nobis desuper commissa cura est, ecclesiarum profectus & commoda, sicuti ex debito nostro pastoralis incumbit officii, studiis intendimus assiduis, & earum statum, prout earum pensatis circumstantiis congruere cernimus, in melius dirigere, & uberioribus eas honoris titulis attollere studemus; & quæ profutura, ac pro divini propagatione cultus prodesse comperimus, ut illibate persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis firmitatem adjicimus. Sane pro parte dilectorum filiorum Archipresbyteri, & Capituli Ecclesiæ B. Mariæ in insula Pagi Jadrensis diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat; quod olim bonæ mem. Petrus Archiep. Jadrensis, ipsius Ecclesiæ, quæ inter alias illarum partium ecclesias, notabilis & parochialis est, honestati & venustati solertius intendens, eam etiam tunc plures, quam pro ejus ministris, redditus & proventus in communi habentem, in Collegiatam auctoritate ordinaria erexit, & in illa Archipresbyteratum, qui Curatus & dignitas principalis sit pro Archipresbytero, & duodecim præbendas pro totidem Canonicorum, cum prædicto Archipresbytero Capitulum facientium, numero ibidem instituit: ac venerabilis frater Blasius Archiep. Jadrensis ejusdem Petri Archiepiscopi successor voluit, statuit, ordinavit, quod in ipsa Ecclesia deinceps unus, qui honorabiliorem post dictum Archipresbyterum locum teneat, Primicerius habeatur, qui Primiceriatum obtinens chorum dictæ Ecclesiæ regat, & in ipsius absentia Archipresbyteri primus inibi in Capitulo sit, unum & dimidium canonicalis inibi portionis pro tempore percepturus; per ipsosque Archiepiscopos etiam statutum, & ordinatum successive fuit, quod vacante Archipresbyteratu prædicto infra unius a die, quo Archipresbyteri inibi defuncti corpus ecclesiasticæ traditum fuerit sepulturæ, mensis spatium, alioquin a die inibi scientiæ vacationis Archipresbyteratus ejusdem, Primicerius ipse, vel illo absente, antiquior Ecclesiæ præfatæ Canonicus per sacristam inibi juniorem...... ad sonum campanæ, die, hora & loco tunc expressis, Capitulum inibi convocari faciat, caussam convocationis hujusmodi tempore, quo ad electionem inibi futuri Archipresbyteri procedendum fuerit, expressurus: & si quis excommunicatus, vel alias ad hujusmodi faciendam electionem inhabilis ibi sit, quod habilibus cedat, ipsaque electio propterea non videatur minus canonica, publice protestetur, & notam fieri de protestatione, & commissione prædictis a tabellione procuret. Processus vero electionis ejusdem Archiepiscopo Jadrensi pro tempore existenti, vel ipsius

ipsius ad id potestatem habenti Vicario, sumptibus expensisque dumtaxat Capituli hujusmodi, per eorum Procuratores debite præsentetur. Electus autem in Archipresbyterum Ecclesiæ prædictæ, antequam per eumdem Archiepiscopum pro tempore existentem, sive ipsius Vicarium, sua hujusmodi electione confirmata, ipse in possessionem dicti Archipresbyteratus missus fuerit; illis, quæ ad officium inibi Archipresbyteri pertinent, se nullatenus ingerat, alioquin juris sibi per eamdem electionem acquisiti pœnam privationis incurrat eo ipso, habeatque Capitulum hujusmodi ex tunc alium in Archipresbyterum jus liberum eligendi; nisi aliud per ipsum Archiepiscopum, vel Vicarium tunc fuerit super hoc decretum. Rursus quoque jurisdictio Archipresbyteri, vel propter ipsius absentiam Primicerii, sit hujusmodi, ut Ecclesiam & Capitulum prædictum, nec non clerum & parochianos ipsius insulæ, cujusque gradus, & status sint, prout sibi melius expedire videbitur, regat & gubernet, non exorbitando a jure, vel bonis moribus, vel saltem consuetudine antiquitus inibi approbata; faciatque judicium & justitiam tam rigore, quam æquitate, etiam inter partes, quæ consenserint, summarie, & de plano, nec non sine strepitu, & figura judicii, ac non servato juris ordine processurus. Condemnatorias insuper ferre sententias, & quoscumque ipsius Ecclesiæ delinquentes subditos corrigere, ac eis tam censuræ ecclesiasticæ, quam pecuniariæ, seu etiam cum carceris mancipatione personales pœnas infligere, & absolvere possit; majoribus tamen causis inibi ad tribunal archiepiscopale reservatis; & ipsis pœnis pecuniariis non per aliquem ex Archipresbytero, vel Primicerio præfatis, sed per Procuratorem fabricæ ecclesiæ prædictæ, qui Sacerdos fuerit, exactis. Qui quidem Archipresbyter ipse in decimis, & de oblationibus, funeralibus, exequiis, anniversariis, & similibus ibidem proventuris duplam recipiat portionem; & capellam S. Georgii Martyris, infra eamdem insulam consistentem, dicto Archipresbyteratui habeat connexam. Si vero Ecclesia S. Nicolai de Pouliana dictæ diœcesis, quæ alias eidem Archipresbyteratui applicata fuit, illius esse non possit; Ecclesia S. Michaelis de insula præfata cum vacaverit, ipsius loco succedat, & Archipresbyter præfatus sit verus Rector & defensor earum. Primicerioque prædicto, vel aliquo ex ipsius Ecclesiæ B. Mariæ Canonicis, vita functo, & ejus corpore tumulato; dictus sacrista de Archipresbyteri, vel in ipsius absentia, Primicerii si tunc fuerit, mandato sibi coram publico, qui inde notam faciat, tabellione facto, superstites tunc Canonicos in ea, quæ tunc ibidem imminebit facienda, electione vocem habentes, ad domos citet eorum; qui tunc statutis hora & loco, ad pulsum campanæ convenientes ad prædictam modis, qui de electione Archipresbyteri hujusmodi præmissi sunt, electionem procedant. Et qua postquam concorditer facta, & publicata fuerit inibi, tunc electo quantocitius intimetur; & si ille electus ipse in Capitulo hujusmodi, ac desuper rogandorum Notarii ac testium præsentia consenserit; tunc qui eam ipsi Archiepiscopo, vel ejus Vicario præsentet, per ipsum Capitulum aliquis deputetur; electus quoque in Canonicum de præbenda, ad quam electus fuerit, vel in Primicerium Ecclesiæ prædictæ, de ipso Primiceriatu, donec hujusmodi electione per dictum Archiepiscopum pro tempore existentem, sive ejus Vicarium rite confirmata, ipse installatus sit, ibidem sub simili pœna, quæ de dicto Archipresbytero denotata est, se nullatenus intromittat. Electiones vero, quas inibi in discordia, & a partibus, quæ concordari non possent, paribus vocibus celebrari contigerit, ad Superioris remittentur examen. Nullus insuper ex clericis insulæ prædictæ absque testimonialibus ipsorum Archiep. & Capituli litteris, ad aliquem ex sacris Ordinibus se promoveri faciat; alioquin in decem, quæ usibus hujusmodi Capituli cedant, monetæ partium illarum libris omnino multetur; nec aliquis deinceps in Canonicum dictæ Ecclesiæ S. Mariæ recipiendus de ipsius mensæ capitularis fructibus aliquid percipiat, nisi prius super hujusmodi observandis per eum statutis, & ordinationibus, qui quidem dicto Archipresbytero, tamquam Capiti Capituli hujusmodi, parere, & obedire debeat, corporale præstiterit juramentum, alias ad ipsius Archipresbyteri nutum pœna congrua puniendus; nonnullis etiam adjectis aliis, prout in autenticis desuper confectis litteris, atque scripturis plenius continetur. Quare pro parte dicti Archipresbyteri, & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, institutionibus, statutis, & ordinationibus prædictis, pro eorum subsistentia firmiore, robur apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque dictis supplicationibus inclinati, erectionem, institutiones, statuta, & ordinationes hujusmodi, ac omnia & singula ea in prædictis litteris & scriptis contenta, nec non inde secuta, rata habentes & grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia, præsentium serie confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in iisdem; non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ B. Mariæ prædictæ, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis, communitionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursurum. Dat. Romæ apud SS. Apostolos 2. Id. Maji. Anno Pontific. nostri X. idest Christi 1427.

Huic diplomati, & aliis fortasse privilegiis pontificiis freti Archipresbyteri Pagenses contendebant Ecclesiam Pagensem, seque & Capitulum juri ordinario Antistitis Jadrensis exemptos fuisse, nullius esse diœcesis, & jurisdictionem quasi episcopalem obtinere: id quod apparet ex querimonia Joannis Palcich Archipresbyteri adversus Archiepiscopum Jadrensem, quam postea describemus.

Petrus Discovitius Archiep. Spalaten. sua bona, & supellectil. episcopalem futuro Ep. Pagensi reliquit.

Illas igitur, quas exposui, rationes speciosas suæ postulationi prætexebant Pagenses. Ceteris eorum postulatis Dux & Senatus annuerat; huic vero nullum responsum anno 1415. redditum invenio. Ceterum hanc cogitationem curamque semel susceptam, nunquam Pagenses omnino deposuerunt. Interea dum proprii Episcopi habendi cupiditate insulares illi maxime fervebant, mortuus est Petrus Discovitius ortu Pagensis, Spalatensis Archiepiscopus, anno 1426., qui de patria bene mereri, & civium suorum voluntati obsecundare cupiens, Ecclesiæ S. Ja-

Digitized by Google

S. Jacobi, quæ vel eadem erat, atque Ecclesia primaria S. Mariæ, vel secundum hanc ceteris ejusdem oppidi templis magnitudine, & forma structuraque elegantia præstabat, supremis tabulis reliquit supellectilem pontificalem lineam, sericam, argenteam, bibliothecam, itemque palatium, quod prope S. Jacobi ædificaverat, & omnes salinas suas; ut his omnibus uteretur ac frueretur futurus Episcopus Pagensis, si forte impetrari potuerit: *Item legavit, & dimisit Ecclesiæ S. Jacobi de Pago omnia alia sua paramenta, & totum suum argentum, & omnes & singulos suos libros, exceptis tribus, videlicet Tragediis Senecæ, Commentariis earumdem, & Orosio, excludendis ab hoc legato; quibus paramentis, argento, & libris, si cives Pagenses impetrabunt, & habere poterunt Episcopum, ipse D. Episcopus utatur in Ecclesia S. Jacobi suprascripti: sin autem, Religiosi in dicta Ecclesia deputandi, & ibi residentiam facientes, orent pro anima sua, & in remissionem peccatorum suorum. Item reliquit dictæ Ecclesiæ S. Jacobi de Pago palatium suum, quod fecit ibidem fabricari, & omnes salinas suas &c., quas habet in dicta insula Pago pro anima sua, & in remissionem peccatorum suorum. Et ubi dicti cives Pagenses ibidem Episcopum habere non possint, quod commissarii sui provideant de quatuor, vel quinque clericis, qui assiduis temporibus Pagi resideant, divina officia in dicta Ecclesia celebrando pro anima sua, & remissione peccatorum suorum.*

Pagensium preces ad Ducem & Senatum pro Episcopo obtinendo.

Ex hoc legato mirum quantum creverit Pagensibus desiderium sedis episcopalis apud se constituendæ. Itaque anno 1430. Archipresbyter, Primicerius cum collegio Canonicorum S. Mariæ Pagensis, cives primi & secundi ordinis, atque populus universus Ducem ac Senatum supplicibus litteris orarunt, ut sibi ab Sede Apostolica Episcopum impetraret. Annuit quidem Dux & Senatus, ut constat ex litteris Ducalibus datis eodem anno v. Kal. Maji, & Veneto apud Pontificem oratori postulata Pagensium commendavit; sed quamvis vel nihil tunc impetrari potuit, vel res in aliud tempus dilata fuit, spes tamen obtinendi quod cupiebant, Pagensibus adempta non est.

Consilium civitatis alio transferendæ & potestas facta a Senatu.

Civitas Pagi sita erat procul a freto Japydico, in insula fere media; locus neque tutus, neque idoneus erat propter salinas proximas, sive ad urbem muniendam, sive ad castellum exstruendum, cujus ædificandi potestas a Senatu Pagensibus facta fuerat, ut se suaque tum ab injuriis Jadrensium, tum a qualibet hostili oppugnatione defenderent. Quamobrem consilium ceperunt civitatis alio transferendæ, & propius a mari, ubi nunc est, collocandæ: qui quidem locus tutior videbatur, & urbi operibus munitionibusque firmandæ opportunior. Itaque novæ urbis condendæ potestas illis petentibus permissa est a Duce & Senatu anno 1443. hisce litteris Ducalibus.

Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nob. sapientibus viris Petro Faletro de suo mandato Comiti Paghi, & successoribus fidelibus, dilectis, salutem, & dilectionis affectum. Inclinati supplicationibus nostrorum Paghi, qui considerantes illam civitatem Paghi sitam in loco non forti nec securo, ac etiam quod fortificari non potest, deliberaverunt in alio loco magis forti & securiori novam civitatem ædificare, & in ea habitare, & se reducere, ut sub umbra & obedientia nostra valeant in omni casu se conservare; quem locum depictum, sive designatum nobis ostenderunt; cum nostro Consilio Rogatorum deliberavimus, ac vobis mandamus, ut prædictis nostris fidelibus Paghi pro subventione novæ civitatis prædictæ ædificandæ, & fabricandæ dare debeatis per annos sex proximos venturos ducatos trecentos singulo anno de introitibus cameræ nostræ Paghi, qui convertantur in fabrica antedicta. Data in nostro Palatio Ducali die 2. men. Martii Indict. 5. 1443.

Statim Pagenses manus operi admoverunt; jacta sunt fundamenta tum ecclesiæ, tum civitatis: alteri exstruendæ primum lapidem sacris precationibus initiatum, solemni supplicatione rituque demisit Laurentius Venerius Archiepiscopus Jadertinus; alterius ædificandæ initium factum est a turri, quæ prope januam urbis exstruenda erat; ac primum lapidem locavit Petrus Faledrus Prætor civitatis, secundum Vulcosius Grubonich Archipresbyter, & alios deinceps alii viri principes urbis & cleri: quæ omnia consignata sunt publicis tabulis ad hunc modum.

Decretum de nova urbe, & æde sacra primaria condenda.

In nomine Dei vivi & veri Patris, Filii, & Spiritus Sancti, absque cujus invocatione nullum principium rite fundatum sit. Cum universa opinio Paghi sit, ut civitas hæc transferatur ad portum Cathanæ, ad laudem Dei, Beatæque Virg. Mariæ, ac D. Marci Evangelistæ & D. Georgii M. omniumque Dei Sanctorum; ad honorem & augmentum Serenissimi Principis & Illustrissimi Domini Francisci Foscari D. gr. inclyti Ven. Ducis, totiusque potentissimæ Dominationis nostræ Venet., sub cujus umbra hæc fundatur, & statum pacificum ac securum omnium nobilium, ac totius populi terræ, & insulæ hujus, in qua quidem civitate fundatæ sint Ecclesiæ & monasteria sub divini cultu officii, & principaliter Ecclesia B. gloriosæque V. M., ad cujus ordinem ædificationis dandum electi fuerunt per Capitulum & Consilium Paghi ven. viri D. Vulcosius Grubonich Archipresb., & Blasius Martini Canonicus Paghi, s. Dismanus q. Lucæ Dissevich, & s. Blasius Discovich, qui omnia jura antelatæ fabricæ, videlicet pecunias recuperatas, & recuperandas, ac etiam dispensandas, & expendendas in hoc libri volumine ordinate describent. Quæ quidem ecclesia fuit principiata, & lapis benedictus per Reverendum in Christo Patrem & Dominum D. Laurentium Venerium, Dei & Apost. Sedis gratia Archiepisc. Jadrensem, & Metropolitanum nostrum die Sabbati circa horam tertiam 18. Cal. Maii 1443. cum devotione cleri, & populi processione, & solemnitate; & immediate hora 4. fuit principiata civitas, videlicet fundamenta turris magnæ ad portam transversalem, ponens primum lapidem Magnificus Dominus Comes Petrus Faletro, secundum ven. Dominus Vulcosius Grubonich Archipresbyter, tertium s. Nicolaus Radosii tunc judex, quartum Dominus Ludovicus Sagredo Camerarius, quintum Dominus Marghetus Primicerius, quilibet horum in suo angulo, rogantes humiliter illic Deum Patrem, cujus nomen in principio invocavimus, ut sicut hæc principia sua potentia & misericordia incœpta, & principiata, ita terminari & finiri possint, & tueri per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Januæ urbis ad septemtrionem obversæ superposita fuit hæc epigraphe, tabulæque marmoreæ incisa: *Faustis faventibus fatis Thomas Georgio Prætor hic murorum civitatis fundamenta jecit,*

jecit, & signa sua memores annos superatura posuit MCCCCLXVIII. Jan. die 25.

Cupiditas Episcopi proprii habendi refervescit.

Dum Pagenses ad novam urbem ædificandam, & publica & privata ædificia construenda omni studio operaque incumberent, cogitationem de instituendo Episcopatu Pagensi, curamque ad tempus seposuerunt: quam quidem statim resumpsere post urbem & ecclesiam S. Mariæ conditam, resque domesticas, & familias suas illuc translatas. Antonius Palcich civis Pagensis, & Episcopus Auxerensis e regione templi primarii Mariani, ære suo palatium exstruxit, in quo satis commode, ac pro dignitate Episcopus habitaret. Nobiles vero Pagenses anno circ. 1480. primum Episcopum elegerunt Christophorum quemdam Presbyterum Arbensem; simulque decreverunt, ut greges armentorum & pecudum cujusque generis sane numerosi, qui ad plures dominos pertinebant, quique communibus pascuis alebantur, in ea vastissima planitie, cui nomen Barbato, venderentur, ad fundos emendos, & constituendos, unde annui proventus mensæ episcopali suppeterent. Huic electioni & decreto vehementer ab omnibus tum plebejis, tum civibus secundi ordinis reclamatum est, non solum quod indigne ferrent se a comitiis episcopalibus, ferendisque suffragiis exclusos fuisse, sed præcipue ob eam caussam, quod greges ovium & armentorum, quos quisque possidebat, vendi & alienari nollent, seque omni, quod ex illis percipiebant, emolumento fructuque privari. Hinc orta inter hos & patricios gravis, & periculosa dissensio; & cum neutra pars alteri cedere vellet, eo crevit discordia, ut jam spectare ad seditionem videretur. Res ad Ducem ac Senatum delata cum esset; Patres illi conscripti, ut gravissimis malis ac periculis, quæ ex illo civili dissidio imminebat, obviam irent, sapientissime censuerunt decretum illud Pagense abrogandum esse, quod dissensioni & discordiæ caussam præbuerat. Ita pax & tranquillitas civitati reddita erat; cum aliunde periculum fuit, ne iterum perturbaretur. Benedictus de Missolis civis Pagensis, homo laicus, sed doctus, & Doctoris titulo insignitus, Christophorum electum Episcopum clam sollicitare, & urgere non cessabat, ut sibi cederet, ad seque transferret jus illud Episcopatus Pagensis adipiscendi, quod ipse per legitimam nobilium electionem acquisierat: sibi curæ futurum, ut vim effectumque illius obtineret. Quod moliebatur homo vafer & callidus, ejusque cum Christophoro clandestina consilia, & crebra colloquia, cum suboluissent Pagensibus, veriti ne quid rursus turbarum ac dissidiorum in civitate oriretur; Laurentium Palcich oratorem Venetias miserunt, qui rem omnem a principio exponeret, ac de iis, quæ tunc Benedictus machinabatur publicæ quieti perniciosa, Ducem ac Senatum doceret; simulque oraret, ut opportunis remediis adhibitis, novarum dissensionum & perturbationum caussas præcideret; ac juberet omnem in præsentia de instituendo Episcopatu cogitationem seponi, ac totum hoc negotium ad tempus intermitti. Hæc ex epistola Joannis Mocenici Ducis Venetiarum ad Joannem Baptistam Quirinum Prætorem Pagi, quæ est hujusmodi.

Christophorus Presbyter Arbensis primus electus Episcopus.

Clandestina molimina Benedicti de Missolis Episcopatus Pagensis cupidi...

Litteræ Ducales ad Comitem seu Prætorem Pagi.

Joannes Mocenigo D.G. Dux Venetiarum &c. Nob. & sap. viris Joanni Baptistæ Quirino de suo mandato Comiti Pagi, & successoribus suis fid. dil. salutem, & dilectionis affectum. Prudens civis noster Pagensis Laurentius Parcich Orator istius nostræ fidelissimæ Communitatis nobis narravit, quod superiori tempore, per nobiles istos procuratum fuit habere Episcopum præsidentem in spiritualibus isti loco nostræ dominationis, & subinde per eosdem fuit electus quidam Presbyter Christophorus Arbensis, & ex adverso populares isti repugnaverunt, nolentes pacto aliquo ut fieret, atque eligeretur Episcopus, procurantes ut quidam actus multorum animalium positorum pro cujusque portione in loco nuncupato Barbato, quæ per eos nobiles statuta erant posse vendi, & ex eorum venditione pecuniæ designarentur ad introitus ipsius Episcopi, incideretur & annullaretur; & quod tamen factum fuit, quando cum populares questi fuerint apud tunc syndicos nostros, illi actum illum intromittentes, & ad consilium nostrum ducentes illum inciderunt; ex qua varietate sententiarum res spectabat propemodum ad seditionem, adeo, ut nisi res per nos sopita fuisset, non est dubitandum quod magnum scandalum subsequi potuisset; ex quibus, cum res sic per nos acta fuerit, videtur tamen, ut ipse Laurentius nobis retulit, esse quemdam civem Pagensem, nomine D. Benedictum de Misolis Doctorem volentem clerizare, qui sollicitat & incitat præfatum Presbyterum Christophorum ad sibi renunciandum ipsum Episcopatum, seu jura illius, ratus forte posse, quamvis male statuat, jure ipsius Episcopatus aliquid consequi, & volens facere alium motum in isto nostro loco majorem, & deteriorem priore; ex quo ipse Laurentius supplicabat, ut huic rei ejusmodi remedium apponere velimus, ut materia hujus rei episcopalis extinguatur, quæ non potest esse, nisi fomentum alicujus mali. Nos enim videntes quod prima vice in hac re egerimus, quidve nunc faciendum sit, ut fomentum malorum amoveatur; statuimus has ad vos scribere, volentes, & vobis mandantes, ut efficaciter verbis nostris imperare debeatis tam illi Presbytero Christophoro, quam illi Benedicto, quod non debeant in negotio hujus Episcopatus aliquid omnino tentare, & velint sapienter advertere quid faciunt; quoniam motus & scandala, quæ inducuntur inter fideles nostros, valde, ac merito quidem nobis displicent; proinde se contineant, ut diximus, ab aliquod attentando in re ista episcopali; nam si secus facerent, intelligerent profecto nobis hoc molestissimum accidisse: & quia forte esse posset, quod ipse Presbyter, & Dominus Benedictus, seu alii sibi arrogarent, quod tamen non credimus, venire Venetias circa aliquod moliendum in re prædicta, volumus quod, si hoc sibi arrogant, significetis illico isti Consilio & popularibus, ut & ipsi interesse possint, & uti juribus suis; has autem nostras in actis ipsis Consultariæ vestræ ad futurorum memoriam registrari faciatis, & registratas præsentanti restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die 16. Feb. Ind. 2. 1483.

Maphæus Valaressus Archiep. Jadren. vetat Virgines S. Margaritæ e veteri ad novam civitatem Pagi migrare.

Interea Archiepiscopi Jadrenses intenta cura vigilabant, ne qua, illius insulæ detractione, haud sane exigua de sua diœcesi diminutio fieret. Tunc metropoli Jadertinæ præerat Maphæus Valaressus; qui per ea tempora duos actus jurisdictionis episcopalis exercuit, quibus urbem & insulam Pagensem ad suam diœcesim pertinere ostenderet, ejusque possessionem sibi confirmaret. Erat in urbe veteri collegium Virginum Ordinis Benedictini a S. Margarita cognominatum. Georgius Slovigna Canonicus Pagensis in urbe nova templum exstruxit B. Virgini

gini ab Angelo salutatæ, ac donavit Virginibus S. Margaritæ, quibus itidem Pagenses cœnobium prope templum ædificarunt. Sed cum huc e veteri Pago migrare vellent, Maphæus Archiepiscopus juris episcopalis usurpandi, ac retinendi caussa, quod amissurus erat, si forte Pagenses Episcopum sibi proprium impetrarent, vetuit illas ex antiquo cœnobio discedere, gravissima anathematis pœna interposita. Sed cum Antistita, & Virgines illæ ad supremam Ducis Venetiarum, & Sedis Apostolicæ auctoritatem confugissent; ad novam civitatem, novumque cœnobium, vel invito Archiepiscopo transeundi potestas illis facta est. Extant litteræ Ducales datæ anno 1485. III. Idus Februarii, summatim descriptæ in quodam codice Tabularii Pagensis: 1483. 11. *Febr. Litteræ Ducales sub inclyto Domino Augustino Barbadico Duce Venetiarum directæ Antonio Contareno Comite Paghi & successoribus . . . . . . ad supplicationem fidelissimi & dilectissimi Francisci de Missolis nobilis Pagensis, nomine Abbatissæ ac monialium, quod non obstante interdicto, vel excommunicatione Domini Archiepiscopi Jadrensis, possint habere domicilium in terra nova Paghi, irritum, & nullum contrarium decernentes, & subesse debeant Abbatissæ &c.* Extat itidem particula litterarum in altero codice ejusdem tabularii, quibus Raphael Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, Innocentii VIII. nomine & auctoritate potestatem fecit Antistitæ & Virginibus illis se ad novum cœnobium transferendi: 1485. 13. *Aprilis. Licentia Reverendissimi Raphaelis S. Georgii ad Velum aureum Diac. Cardinalis, ac Summi Pontificis Camerarii concessa Mariæ Radosii Abbatissæ S. Margaritæ de Pago, quod possit cum suis monialibus, non obstantibus aliquibus præceptis Archiepisc. Jadrensis se transferre, & habitare in terra nova Paghi in monasterio noviter erecto.* Anno superiori idem Archiepiscopus Mariam Radosiam Antistitam, ob caussam nescio quam regimine cœnobii amoverat. Innocentius Pontifex cognitionem hujus caussæ delegavit Episcopo Nonensi, & Archidiacono Jadertino: 1485. 15. *Maji Pontificatus SS. D. Innocentii PP. . . . . Delegatio in Episcopum Nonensem, & Archidiaconum Jadrensem ad supplicationem Mariæ Abbatissæ monasterii terræ Paghi super indolentiam ipsius circa prohibitionem factam ab Archiepiscopo Jadrensi de regimine, & administratione per ipsam, uti non canonice assumptam.* Porro Maria & præfecturam monasticam retinuit, & cum Virginibus sororibus suis, relicto veteri ad novum cœnobium in urbem novam demigravit. Præterea Maphæus eidem Antistitæ & iisdem Virginibus privilegium antiquum, jusque ademerat Sacerdotis eligendi, qui confessiones illarum exciperet, illisque & sacrum faceret, & divina mysteria impertiret. Utrumque illis concessit, & confirmavit Nicolaus Francus Episcopus Tarvisinus, qui tum Venetiis Legatione Apostolica fungebatur.

Quibus tamen migrandi potestas facta est a Senatu, & a Sede Apost.

Nicolaus Franco Episcopus Tarvisinus Legatus Apostolicus cum potestate Legati Cardinalis a latere, per universum Venetiarum Dominium, dilectis in Christo nobis Abbatissæ, & monialibus S. Margaritæ de Pago Ordinis S. Benedicti salutem in Domino. Volentes quantum possumus Summi Pontificis voluntati obsequi, cujus legationis fungimur officio, qui Pontifex solet quibusdam personis gratias ab eo petentibus, maxime mulieribus regularem vitam profitentibus, gratum præstare assensum . . . . Igitur pro parte vestra nobis supplicatum fuit, quod cum occasione cujusdam controversiæ inter vos & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Jadrensem versæ, & quæ adhuc vertatur, ipse Dominus Archiepiscopus impediat, quominus Capellanum, qui vobis Missas, & alia divina officia celebrare debeat, & confessiones vestras audire, & Sacra ministrare, habeatis. Ideo de opportuno remedio nobis fuit humiliter supplicatum; vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis dicti Archiepiscopi, & alterius cujusvis Superioris licentia non requisita, sæcularem, & cujusve Ordinis Regularem Sacerdotem, prius tamen dictum Regularem Sacerdotem a suo Superiore licentia obtenta, qui Sacerdos futurus Capellanus vester Missas & reliqua officia celebrare, confessiones vestras audire, nec non sacramenta vobis ministrare libere & licite possit ac valeat, tenore præsentium, auctoritate a Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa VIII. nobis concessa, eligendi liberam licentiam & facultatem concedimus & elargimur; quique, ad abundantiorem cautelam, per vos electus Capellanus hujusmodi in servitio & servitiis hujusmodi, nisi ejus exigentibus demeritis, de quibus non ex abrupto, sed juris ordine servato constet, per quemcumque quavis auctoritate amoveri nequeat auctoritate præmissa. Statuimus pariter & decernimus, irritum & inane fore, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attemptari. Dat. Venetiis apud S. Antonium die 7. men. Maji 1486. Pontificatus præfati SS. Domini Papæ anno secundo.

Nicolaus Francus Legatus Apostol. eisdem Virginibus facultatem ab Archiepisc. ademptam eligendi Confessarii concessit.

Archipresbyteri Pagenses contendebant, ut supra diximus, sibi & ecclesiæ suæ jurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem collatam esse ab Sede Apostolica; idque constare ajebant ex diplomate Martini V. supra descripto, seque propterea & ecclesiam suam juri ordinario, & episcopali Antistitis Jadrensis exemptos esse, quem quidem tamquam Metropolitam suum, non item vero tamquam Episcopum ab se agnosci & coli debere existimabant. Maphæus Valaressus, ut facto declararet, atque ostenderet suæ jurisdictioni episcopali, & ordinariæ Ecclesiam, Archipresbyterum, Clerum & populum insulæ Pagi æque subjectos esse, atque aliæ erant ecclesiæ diœcesis Jadrensis, cum suis Rectoribus, clericis, populis, duos in ea insula Vicarios constituit, alterum superiori, alterum inferiori insulæ parti præpositum, qui nomine suo jus potestatemque episcopalem delegatam exercerent; & unum esse voluit ipsum Archipresbyterum Ecclesiæ primariæ S. Mariæ, Joannem Palcichium. Hic vero ne quid præjudicii sibi suisque successoribus afferret hujusmodi designatio, & usurpatio juris archiepiscopalis, cum absente Archiepiscopo expostulationem fecit, & scripto consignatam eidem coram tabellione, ac testibus per suum procuratorem tradi jussit.

Archipresbyter Pagensis jurisdictionem quasi episcopalem sibi vindicat,

Reverendissime in Christo Pater DD. Jadrensis civitatis Metropolita meritissime, post debitam devotissimamque commendationem salutem. Nos Joannes Palcich Archipresbyter S. Mariæ Pagensis Cathedralis Ecclesiæ legitime electus, & a Sede Apostolica approbatus, & in eadem ecclesia judex ordinarius, ut apparet ex Bulla autentica non vitiata, non abrasa, nec in aliqua parte suspecta, emanata tempore b. m. Martini Papæ V.

Ejus cum Archiep. expostulatio.

anno

anno Pontificatus sui X. quam & V. R. D. vidit, legit, & intellexit tenorem ejusdem, per quam late, & extense apparet talem ordinariam jurisdictionem annexam fore dicto Archipresbyteratus officio, & omni Archipresbytero, qui pro tempore fuerit, impertitam; tamquam vero, ordinario, & primo cognitori in omnibus litibus, & controversiis emergentibus Paghi, & insulæ, ac ad dictam Ecclesiam pertinentibus; reservata tamen appellatione omnium tribunali V. R. D. Quæ nunc primo cœpit mihi dictam jurisdictionem impedire, postposito omni jure, & præposita potentia absoluta facti, in magnum detrimentum hujus Ecclesiæ Pagensis, & cleri, & impedimentum justitiæ, spreta concessione, spretoque privilegio Bullæ super allegatæ, & in non parvum dedecus & opprobrium totius terræ Paghi, & hominum, atque insulæ habitatorum, a qua & a quibus abundantes percipitis introitus . . . . & sine aliqua reflexione charitatis in ædificanda Ecclesia minime manus porrexistis, ut tenemini, de medietate totius vestri introitus istic percepti per tot annos. Omitto hæc, quæ solum ut memoriæ V. R. D. commendarem, tetigi; nam Communitas Paghi accuratissime providebit de hoc, cum ad ipsam provisio spectet . . . . Revertor ad impedimentum meæ jurisdictionis, cui V. R. D. derogare non desistit, præsertim cum in hac Ecclesia non solum unum Vicarium (quem minime constituere potest) sed duos habere temptavit; & me ipsum Archipresbyterum unum e duobus per suprascriptionem vestrarum litterarum nuncupandum curavit; ut quidquid istic in dicta Ecclesia Pagensi agerem, vestro nomine agendum fore dijudicaretis, & non meæ ordinariæ jurisdictionis secundum tenorem Bullæ supra allegatæ. Idcirco cum omni debita reverentia R. V. D. rogo, deprecor, obtestor atque requiro, ut mihi amplius litteras cum suprascriptione Vicarii dirigere nolit; cum nullo modo ipsas acceptabo, minimeque eis parebo, eo quod minime Vicariatus officio fungor, cum Ordinarius existam. Et si qua istic opus fuerit, V. R. D. ut ad Archipresbyterum & Ordinarium scribat; & tamquam legitimo scriptori in cunctis rebus justis & honestis parebo ut obsequentissimus. Nam si R. V. D. a vexatione cœpta non desistat, non potero facere quo minus provideam, quam primum aderit temporis commoditas, & fortasse in parte provisum extitit, ut ex re ipsa percipietis in acceptis . . . . cum hoc ipsa justitia suadeat, & omnis æquitas exposcat. Nec mihi posse imputari a vestra R. D. censeo, cum mei officii & ecclesiæ, omni reverentia V. R. D. præposita, jura consequor. Et ad intimandum hæc omnia V. R. D., ne . . . . . . Et per specialem nuncium & procuratorem meum latorem præsentium, nomine . . . . . . V. R. D. mitto, ut hæc omnia tam oretenus, quam his scriptis pandat coram notario & testibus, ut actus ipse & requisitio pro semper registratus, & annotatus appareat perpetuo, pro suffragio jurium meorum, si opus fuerit.

Huic exemplo, descripto e Tabulis Capituli Pagensis, manu recentiore adscriptus est in margine annus 1485., qui congruit cum Archiepiscopatu Maphæi Valaressi; sed in alia scheda P. Riceputi nominatum invenio Blasium Molinum, quocum Joannes Palcich Archipresbyter hanc expostulationem fecisse dicitur; quæ sane nisi nomen & cognomen Archiepiscopi illuc per errorem irrepsit, ad superiores annos referenda esset; quippe Blasius Molinus ab anno hujus sæculi vicesimo usque ad vicesimum septimum Metropoli Jadrensi præfuit.

Pagenses post turbas illas & tumultus ob electionem Christophori exortos, ab omni postulato conatuque per annos fere viginti destiterant; cum intermissum negotium sæculo decimo sexto ineunte resumere, cupidius agere, & enixius urgere cœperunt. Jam mensæ episcopali proventus addixerant satis idoneos ad personam Episcopi pro dignitate tuendam, videlicet decimas vini, & frugum, salis præsertim & pecorum totius insulæ, quæ sexcentis argenteis æstimabantur, pascua Barbati, cum octingentis varii generis pecoribus, reditus e testamento Petri Discovitii Archiepiscopi Spalatensis Ecclesiæ S. Jacobi in urbe veteri relictis. Ædes etiam pontificales novo Episcopo jam erant paratæ, quas ære proprio sumptuque Antonius Palcich exstruxerat. His ita constitutis anno 1504. de communi sententia omnium ordinum civitatis in Episcopum elegerunt Matthæum Maurum civem & Presbyterum Pagensem, virum insigni virtute, & doctrina præditum. Missi sunt Venetias oratores, qui peterent a Duce & Senatu, vellet ac juberet Venetum apud Sedem Apostolicam Legatum sedulo curare, atque omnino efficere, ut Summus Pontifex tum institutionem Episcopatus Pagensis, tum vero electionem Matthæi Mauri approbaret, & confirmaret. Secundum postulata Pagensium factum est Senatusconsultum anno 1505. XIII. Kalendas Januarias, scriptæque litteræ Ducales, ac Romam missæ ad Venetum oratorem. Sed tunc neutrum impetrari potuit; & Matthæus Maurus vel hujus negotii longius protracti tædio affectus, vel desperans de approbatione Pontificia, cui obstabat Archiepiscopus Jadrensis, suffragiis Pagensium in se collatis ultro renunciavit.

Matthæus Maurus Episcopus designatus.

Anno 1523. Hercules Missolus legatus, de oppido Pagi jure civitatis, & sede episcopali donando Romam venit; qui vota & postulata Pagensium ad Clementem VII. deferenda, Cardinali Sanctorum Quatuor exposuit. Cardinalis re cum Pontifice communicata, Petrum Stellam qui sibi erat ab epistolis, jussit hoc responsum Pagensibus reddere: *Spectabiles & ornatissimi viri, tamquam Patres carissimi salutem. Accedens ad urbem Hercules Missolus exposuit Reverendiss. Domino meo D. Cardinali Sanctorum Quatuor honestum ac pium desiderium vestrum, quod maxime cupere videmini concedi vobis ab hac Sancta Sede Apostolica, ut oppidum istud vestrum, quod benedicente Domino in laudabilem incolarum auctum est multitudinem, in civitatem, & Ecclesia vestra collegiata in cathedralem erigantur; cui Reverendissima Dominatio sua respondit votum hujusmodi vestrum facile vos consequi posse duobus ad hoc concurrentibus necessariis. In primis autem si Illustrissimi Dominii Veneti consensum, deinde dotem, sive bonorum congruam assignationem annuam, & honestam ad minus 2000. ducatorum pro supportandis oneribus tali dignitati incumbentibus, mensæ episcopali applicandam, in promptu haberetis. Modum præterea eidem Domino Herculi insinuavit, quo posset expensas omnes pro dicta erectione facienda necessarias intelligere, ut ad vos rediens possit de toto negotio vos plane facere certiores. Cum autem idem Reverendissimus Dominus meus cognoscat intentionem vestram piam, & omni com-*

Legatio Romam missa.

Responsum redditum ad voluntatem Pagensium.

Digitized by Google

commendatione fore prosequendam, eam ut ad optatum finem perducere valeatis, opem & operam suam vobis semper paratissimam, affectuosamque præstabit. Bene valete.

Romæ ex Palat. Apost. die x. *Decemb.* 1523.

Petrus Stella Doctor Protonotarius Apostolicus, & Reverendissimi D. Cardin. SS. Quatuor Secretarius.

Joannes Cassius nominatus Episc. & Venetias missus,

Hoc responso læti Pagenses, cum proventus jam assignati mensæ episcopali prope abessent a summa nummum argenteorum per Cardinalem præscripta; minimeque dubitarent, quin facilem ab Senatu assensum impetraturi essent, anno 1526. Episcopum nominarunt Joannem Cassium patricium & Canonicum Pagensem, qui apud universos civium ordines magna era in gratia & existimatione. Hunc ipsum Venetias oratorem miserunt, ut Episcopatus sibi collati approbationem ab Duce & Senatu impetraret. Extat epistola Andreæ Gritti Ducis Venetiarum inscripta *Nob. & sap. viris Bartholomæo Pisauro de suo mandato Comiti Pagi, & successoribus suis fidelibus & dilectis &c.* in hanc sententiam: Reverendum Presbyterum Joannem Cassium Communis Pagensis oratorem venisse, qui civium illorum desideria & postulata exponeret; id eos ardenter cupere ac petere, ut sibi Episcopus proprius daretur, isque non alius esset, nisi ipsemet Cassius, vir omnibus illis virtutibus præditus, quæ dignitatem episcopalem maxime ornant, & ipsum ecclesiæ illi ac civitati utilem facere possunt. Postulationem Pagensium honestam & laudabilem videri, ac plane dignam favore & patrocinio Senatus, qui quemadmodum ante aliquot annos Matthæum Maurum, sic etiam Joannem Cassium, per suum apud Sedem Apostolicam Legatum Summo Pontifici commendabit, ut ille Pagensium petitioni satisfaciat. Jubet administrationem redituum episcopalium ipsimet Cassio tradi, ne quid de illis interea diminuatur, aut depereat. *Has autem litteras*, inquit, *præsentanti restituite. Dat. in nostro Ducali Palatio die* 26. *Novemb. MDXXVII.* Extat altera Andreæ Ducis epistola ad Venetum apud Sedem Apostolicam oratorem, cui caussam Pagensium & Joannis Cassii Episcopi electi magnopere commendat; iterumque tertia ejusdem ad eumdem data 5. *Novembris* 1528. omni ope operaque enitatur, ut Pontifex Pagensibus morem gerat, & novum Pagi Episcopatum instituat, eumque Joanni Cassio conferat: id tum Duci ac Senatui gratissimum fore, tum vero ad divini cultus incrementum, & salutem animarum spectare: rem Cardinalibus, ac præsertim Cardinali Sanctorum Quatuor quam diligentissime commendet: hortetur Archiepiscopum Jadrensem, qui tum erat Romæ, postulatis Pagensium ne obstet, quin potius faveat; honori futurum provinciæ & metropoli Jadertinæ novo illo Episcopatu augeri. Hanc epistolam Joanni Cassio perferendam dedit, qui Romam ire decreverat, ut suam ipse suorumque civium caussam ageret. Sed cum Interamnam pervenisset, letalem in morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus est anno 1528. Ita mors Cassii tunc quidem spes & conatus Pagensium frustrata est, præsertim repugnante tum Romæ, tum Venetiis Archiepiscopo Jadrensi. Post quinquennium nihilo segnius huic negotio institerunt. Joannem Begnam, Presbyterum eximiæ doctrinæ & sanctimoniæ, Cassio subrogarunt anno 1534.; eidemque omnes illos fundos ac proventus annuos, quos supra diximus, nominatim assignarunt; sed in eum incumbere voluerunt onus omnium impensarum, quas fieri necesse esset in diploma pontificium, quo collatum illi Sacerdotium confirmari oportebat. Sed hujus etiam electio frustra fuit, quamvis auctoritate & commendatione Senatus Veneti suffulta esset. Nec propterea desponderunt animos, aut spem obtinendi aliquando quod cupiebant, Pagenses abjecerunt.

dum Romam [illegible], Interamnæ moritur.

Joannes Begna [illegible] Episc.

Joanni Tavileo Canonico Sibenicensi Pagenses Episcopatum deferunt.

Nam anno 1544. Joannem Tavileum civem & Canonicum Sibenicensem, qui tum erat Romæ, nominaverunt Episcopum virum perspectæ fidei, integritatis, & prudentiæ; modo ipse sumptus omnes faceret, qui vel ad diploma pontificium impetrandum, vel ad consecrationem suscipiendam, vel denique ad possessionem Sacerdotii sibi traditi adeundam necessarii forent: in idque ex formula juris fidem suam pro ipso obligarunt tres nobiles viri Sibenicenses: 1. *Februarii anno* 1546. *Constituti in officio Cancellariæ D. Petrus Tavileo, & D. Franciscus Simeonich, & D. Jacobus Glicivich ejus gener, nobiles & habitatores Sibenici, & omni, quo potuerunt meliori modo fidejusserunt, & se obligarunt unusquisque eorum de per se, & in solidum piegios, fidejussores, & principales solutores pro Reverendo Domino Joanne Tavileo electo Episcopo Pagi, de ducatis* 200. *mittendis Romam eidem D. Joanni, causa mutui dandis, pro ejus inauguratione episcopali &c. promittentes &c.* Sub idem tempus Joannes Romæ mortuus est; de cujus obitu cum nuncii venissent, statim nobiles novo Episcopo eligendo comitia convocarunt; & seclusis suffragiis popularibus Episcopatum illum detulerunt Augustino Hermolao patricio Arbensi, cui neque ætas erat, & scientia deesse videbatur ad munus episcopale sustinendum & gerendum idonea. Itaque huic electioni populus intercessit, suamque intercessionem per suos procuratores coram Prætore & magistratu Pagensi interponi jussit: 4. *Maji* 1546. *Coram Magnifico D. Comite & judicibus, in officio Cancellariæ comparuerunt N. N. Procuratores popularium, & Universitatis hujus terræ Pagi, & fungentes officio suo, exposuerunt per illum spectabile Consilium nobilium terræ Pagi contra voluntatem totius Universitatis factam fuisse quamdam electionem pro Episcopo novo Pagi, de quodam Augustino Hermolao Arbensi, adolescentulo circa annorum* 25., *& non obstante, quod sit bonæ famæ, tamen persona sæcularis illitterata est, non sufficiens ad tale, & tantum officium, & onus, de quibus ante electionem factam, notificatum fuit spectabilibus Agentibus Communitatis; & de præsenti reperiuntur diversi Prædicatores, Prælati, & Ecclesiastici, personæ aptæ, & sufficientes ad pastoralem, & episcopalem dignitatem prædictam mediante divino auxilio, requirentes electionem ipsam. Ideo contradixerunt ipsi electioni prædictæ non intendentes ullo modo succumbere expensis, neque contributioni introitus dicti Episcopatus, quousque non fuerit facta electio de aliqua persona ecclesiastica, quæ sciat definire inter lepram & lepram, prout sacra disponit Scriptura; & hoc omni meliori modo &c.*

Augustino Hermolao a nobilitate electo populus reclamavit.

Nicolaus Meu[illegible] Subdiaconus V[illegible]tus nominatus Ep.

Per annos fere quatuordecim nihil per Pagenses actum, vel tentatum invenio, ut quem toties frustra elegerant, & summopere expetierant ac postulaverant, Episcopum obtinerent. Anno 1560. rursus habita sunt comitia; & Episco-

piscopus Pagensis nominatus est Nicolaus Meursius Clericus & Subdiaconus Venetus; quam nominationem Dux & Senatus approbavit, & suum apud Sedem Apostolicam oratorem litteris ad eum datis anno 1560. XVII. Kal. Septembris, jussit omne studium operamque adhibere, ut Pontifex tandem aliquando postulatis Pagensium obsequeretur. Insulam illam atque oppidum ob frequentiam incolarum, ecclesiam illam ob insigne Canonicorum collegium sede episcopali, & Nicolaum Meursium ob singulares virtutes, quibus ornatus erat, Episcopatu dignum esse. Neutrum impetratum fuit, obsistente scilicet, & reclamante Mutio Calino Archiepiscopo Jadrensi. Hic quadriennio post nescio quid juris episcopalis usurpare voluisse videtur in Archipresbyterum, Capitulum, & clerum Pagensem, quod privilegiis illius ecclesiae ex diplomate Martini V. repugnare videbatur. Tum Archipresbyteri nomen ac munus gerebat Georgius Caravanichius, qui Romam profectus, Flavio Ursino Auditori generali caussarum Curiae apostolicae ipsum autographum litterarum Martini V. legendum, recognoscendum, examinandum tradidit; simulque oravit, ut secundum eas litteras sibi, Capitulo, & clero Pagensi pro sua aequitate judicium redderet. Ille quos Archipresbyter litteris pontificiis, & ecclesiae suae privilegiis adversari dixerat, ad suum tribunal citari jussit, ut per se ipsi, vel per suos procuratores exponerent si quid argumenti haberent, quo vel diploma illud falsum, aut surreptitium esse ostenderent, vel ejus auctoritatem probabili aliqua interpretatione eludere possent. Hi ad diem dictam non adfuerunt; eosque Flavius Ursinus, rogatu Archipresbyteri, contumaces declaravit.

Flavius Ursinus recognovit & approbavit Privilegium Martini V. concessum Ecclesiae Pagensi.

In Christi nomine, & Sanctae & individuae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Noverint universi, & singuli hoc praesens transumpti publicum instrumentum inspecturi, lecturi, & audituri, quod nos Flavius Ursinus Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Muranus, Sanctissimi Domini nostri Papae Camerarius, nec non Curiae causarum Camerae apostolicae generalis Auditor, Romanaeque Curiae judex ordinarius, sententiarum quoque & censurarum in eadem Romana Curia, & extra, ac quarumcumque litterarum apostolicarum universalis, & novus executor, ad venerandi viri Domini Georgii Caravinich Archipresbyteri B. Mariae principalis instantiam, & requisitionem, omnes & singulos sua communiter, vel divisim interesse putantes, eorumque Procuratores, si qui tunc erunt, in Romana Curia pro iisdem ad dicendum contra assumptum ex registro Bullarum felicis recordationis Martini Papae quinti, privilegiorum concessorum Archipresbytero & Canonicis Ecclesiae B. Mariae, ad videndum illud transumptum & decretum, ... ad dicendum, & causam, si quam habeant rationabilem, quare praemissa fieri non debeant, allegandum, pro audientia litterarum contradictarum Sanctissimi D. N. Papae citari fecimus & mandavimus ad certum peremtorium terminum competentem, videlicet ad diem & horam infrascriptos; quibus advenientibus comparuit in judicio legitime coram nobis idem venerandus vir D. Georgius Caravanich principalis principaliter pro se ipso, citra tamen quorumcumque procuratorum suorum per eum hactenus quomodolibet constitutorum revocationem, & certas litteras citatorias in dicta audientia, nostro de mandato executas reportavit, citatorumque in eisdem contentorum non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari; & in eorum contumaciam, supradictum sumptum ad manus nostras recipimus, vidimus, legimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inspeximus, sanumque, integrum, & illaesum, ac omni prorsus vitio, & suspicione carere repertmus, ipsum ulterius ad praedicti venerandi viri Georgii Caravanich Archipresbyteri Ecclesiae praedictae instantiam ulteriorem, per discretum virum D. Fabricium Galetum dictae Curiae causarum Camerae apostolicae Notarium praedictum infrascriptum transumi, & exemplari, ac in publicam transumpti formam redigi fecimus & mandavimus, nostram & dictae Curiae auctoritatem judiciariam, & ordinariam interposuimus, ac praesentibus interponimus pariter & decretum; tenor vero dicti transumpti, unde supra fit mentio, sequitur, & est talis, videlicet: Martinus Episcopus servus servorum Dei &c. (hic insertae sunt litterae Martini V., quas supra descripsimus.)

Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Pii divina providentia PP. IV. anno IV. (idest 1564.) *transumi & exemplari, ac in publicam formam redigi, nostramque & dictae Curiae auctoritatem judiciariam & ordinariam pariter, & demum interponi, nos instanter postulavit. Nos autem Flavius Ursinus Auditor & judex praefatus dictos citatos non comparentes reputavimus, merito ita exigente, contumaces, & in eorum contumaciam supradictum transumptum approbamus &c. &c.*

Sub initium saeculi superioris Victor Ragazzonus Archiepiscopus Jadrensis veritus ne Pagenses, quod jamdudum optabant, neque umquam moliri & conari desistebant, tandem aliquando assequerentur, totamque illam insulam ab dioecesi, ejusque decimas a mensa episcopali Jadertina distraherent; sive ex animo, sive ficte ac simulate, ne quid ultra molirentur, hoc illis proposuit, ut, quando in suscepta sententia & voluntate perstabant, novum Episcopatum, quem instituti cupiebant, sibi deferendum curarent: ita fieri, ut aeque Pagensis, & Jadertina Ecclesia jure ac dignitate episcopali praedita esset, quamvis haec illi metropolitica potestate praestaret; ipseque duplicem titulum episcopalem gereret, alterum ab Jadrensi, alterum a Pagensi Ecclesia desumptum: duo illis promissa fecit, alterum quidem se Pagi sex ipsos anni menses commoraturum, alterum vero Archipresbyterum S. Mariae ab se constitutum iri adjutorem muneris episcopalis, qui dum ipse abesset, Episcopi vice fungeretur. Haec propositio, eique adjecta promissio Pagensibus mirum in modum placuit; & sibi patriaeque gratulabantur, quod talis ac tantus Archiepiscopus futurus esset primus, qui novam sedem episcopalem suo nomine, sua dignitate, suisque virtutibus decoraret. Itaque de communi consilio Venetias miserunt, qui Ducem & Senatum orarent, ut quae inter Pagenses & Archiepiscopum convenerant, rata esse vellet ac juberet, simulque a Summo Pontifice approbanda curaret. Sed ne rem quidem exitum, quem optabant, spes & consilia Pagensium habuerunt. Verum cupiditas proprii Episcopi nanciscendi, quamvis toties frustrata, tamen animis Pagensium altius haerebat, quam ut inani tot curarum, moliminum, legationum eventu, ac

Conventio inter Archiep. Jadert. & Pagenses.

ac semper in irritum cadentis spei dolore, umquam evelli potuerit.

Alii conatus Pagensium pro Episcopo impetrando, usque ad an. hujus sæculi xv.

Sæculo superiori eumdem lapidem sæpe moverunt; sed nihilo felicius. Oratores Venetias de Pagensi Episcopatu fundando sæpius missos invenio, præsertim his annis 1627., 1641, 1668.; anno autem 72. ejusdem sæculi annuos proventus mensæ episcopalis duodeviginti modiis salis augendos esse decreverunt. Anno autem quarto hujus sæculi vergentis pro Episcopo impetrando alia legatio ad Ducem & Senatum decreta fuit. Demum anno circiter 1715. *Archipresbyter*, *Primicerius*, *Capitulum*, *populus*, *nobiles*, *cives oppidi atque insulæ Pagi* litteras supplices ad Clementem XI. miserunt, quæ brevi ac dilucida expositione continent summam rerum omnium jam inde ab anno 1470, gestarum, ut sedem episcopalem suæ patriæ ecclesiæque impetrarent: quod frustra ad eam diem expetierant, & speraverant, id sibi a clementia & benignitate Clementis XI. Pont. Opt. concessum iri se confidere. Nondum vota Pagensium & desideria deferbuerunt; sed adhuc obscura spe & incerta expectatione pendent.

Sunt autem hi nominati a Pagensibus, electique Episcopi:

An. 1393. Stephanus Bermeæ Presbyter Pagensis. Episcopi Pagenses designati.

1480. Christophorus Presbyter Arbensis.

1504. Matthæus Maurus civis & Presbyter Pagensis.


1526. Joannes Cassius civis & Canonicus Pagensis.

1534. Joannes Begna Presbyter.

1544. Joannes Tavileus Canonicus Sibenicensis.

1546. Augustinus Hermolaus patricius Arbensis.

1560. Nicolaus Meursius Clericus, & Subdiaconus Venetus.



Digitized by Google

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS JADERTINÆ.

EPISCOPI ABSORENSES.

Absorus insula varie appellata.


Nsula est in Sinu Flanatico, circuitus non exigui, quam Scylax *Absyrtim*, Plinius *Absyrtium*, Pomponius Mela, & Ptolemæus *Absoron*, vel *Apsoron*, Porphyrogenitus *Opsaram*, Juniores *Auseram*, sive *Auxerum* vocant. Veteres in eo maris tractu duas, aut plures etiam, insulas constituunt, quas *Absyrtides* dicunt, nomen mutuatas a fratre Medeæ Absyrto, quem, cum sororem ab Jasone raptam persequens assecutus esset, apud hasce insulas interfectum, & sepultum tradunt, ut pluribus dictum est Tomo I. p. 2. cap. VII. §. I. *De Insulis Japydicis*. Itaque Absorus una est ex insulis Absyrtidibus, cui proxime adjacet altera brevissimo Euripo dirempta, quam Mela *Absyrtim*, Plinius *Crexam*, nunc *Chersum* appellant. Utraque ad diœcesim Ecclesiæ Absorensis pertinet. Ptolemæus e duabus unam efficit insulam, quam Absoron vocat; eique duas civitates attribuit *Apsorrum*, & *Crepsam*. Absorus insula objacet Crexæ, nunc Cherso, ad meridiem, quacum jungitur ponte versatili, quem sustollunt, ut naves erectis etiam antennis per angustas interfluentis æstuarii fauces ultro citroque transire possint; plus dimidio minor est, quam Crexa, & vicis, quam oppidis frequentior.

Urbis Absori positio & descriptio.

Civitas episcopalis ac princeps totius insulæ, ejusdemque cognominis, Absorus est, quam Ptolemæus mutatione unius, & alterius additione Ἄψοῤῥον *Apsorrhum* vocat. Exigua est, & propter cælum insalubre ab incolis infrequens; sed mœnibus antiqui operis cincta, & publicis ædificiis ornata, duplici portu instructa, utroque fere in meridiem obverso. Quamvis autem Absorus civitas ultra fretum, quod insulam utramque dirimit, in extrema alterius regione posita sit, ad hanc tamen insulam pertinet, unde nomen accepit. Hic ædes cathedralis cum antiquo, & perinsigni Canonicorum collegio, hic palatium prætorium, hic sedes ac domicilium Episcopi, qui tamen æstivo tempore, ad declinandos noxii aeris afflatus, alias in urbe Chersi, alias Losinii habitat. Urbs quippe obnoxia est cælo admodum gravi & insalubri, sive quod e crebris æstuariis tetra valde palustris est & uliginosa, sive quod mons Absorus, citra fretum e regione assurgens in altitudinem prope immensam, salubrioribus ventis, ac præsertim meridianis aditum intercludat; hinc, ut dixi, incolarum mira paucitas. Olim hæc civitas latius exporrecta erat; sed deinde propter infrequentiam civium breviori murorum ambitu ita contracta est, ut novis mœnibus veterem ædem cathedralem excludi oportuerit. In hac insula duo sunt celebriora oppida cognomina; alterum vocant *Losinium* magnum, quod prope a mari spectat in solem orientem, & frequentissime habitatur; alterum Losinium parvum in adversa occidentali regione apud Sinum maritimum, quem tellus brachiis quodammodo arcuatis complectitur. Is insulæ portus est, opportuno inprimis & egregio situ, qui navibus quantælibet magnitudinis facile ingressum, ac tutam stationem præbet.

Chersi insulæ ac civitatis descriptio.

Altera insula olim Crexa, nunc Chersus, a septemtrione in meridiem multo longius, quam latius protenditur. In eo latere, quod respicit occasum, civitas est, quam Ptolemæus Crepsam nuncupavit, *Chersum* communi totius insulæ vocabulo nunc appellant; tectis atque incolis frequens, eique subest amplissimus portus, quem Vallem indigenæ vocant, onerariis multis, & cujusque magnitudinis, excipiendis tuendisque peridoneus; ceterum tota insula portuosa est, & nautis undique stationes satis tutas & capaces aperit. Pars superior ad septemtrionem vicis pluribus habitatur, non item inferior ad meridiem, quæ montuosior est, atque asperior. Duo sunt castella natura, quam arte, munitiora, alterum in angulo insulæ fere summo ad boream, quod *Capisulum*, sive Caput insulæ nominabatur, nunc corrupto vocabulo *Caisole* dicitur; alterum in latere occidentali infra Chersum, cui nomen est *Labenizze*, & littori ex edito præruptoque monte imminet. Mellis optimi copiam magnam hæc insula suppeditat: olivetis & vineis consita est, unde incolæ uberrimos proventus capiunt. Utraque vero insula pecorosa est, & pascuorum ferax; silvas cæduas quamplurimas habet, e quibus ingens ad comburendum materia suppetit, quam ratibus impositam magna ex parte Venetias convehunt.

Varii pro temporum varietate Domini utriusque insulæ.

Has duas insulas, uti ceteras, cum Dalmatia universa, primum Romani post conditam monarchiam, deinde Græci Imperatores sub potestate habuerunt. Sæculo undecimo ineunte utraque Venetorum imperium subiit; postea modo iterum a Græcis, modo a Venetis, modo ab Hungaris leges accepit; tandem sub initium sæculi decimi quinti perpetua, & constanti fide Venetis adhæsit. Suos utraque magistratus & judices habet, quibus auctoritate & imperio præest Comes sive Rector utriusque insulæ, ab Senatu e patricia nobilitate delectus, & Prætoris pariter, ac Præfecti titulo insignitus.

Utraque a principio Christiani nominis lucem Evangelii accepit.

Ut alii Dalmatiæ populi, sic Absorenses, & Chersenses Christianæ religionis primordia viris ac temporibus Apostolicis accepta referunt. Hos siquidem cum ceteris Dalmatis per Evangelium Christo genuit B. Domnius discipulus S. Petri, vel per se ipse, vel per alumnos suæ disciplinæ illuc evangelizandi caussa missos, quem universa Ecclesia Dalmatica parentem agnoscit ac veneratur. Sed initia Episcopatus Absorensis perantiqua quidem, sed ignota sunt. Sunt qui ea repetenda censent ab anno 532. & a secundo Concilio provinciali Salonitano, quod

Digitized by Google

quod Honorius III. Metropolita convocavit. In eo tres Episcopatus instituti sunt, quibus aucta est provincia Salonitana, *Sarsenterensis*, *Muccurensis*, *Ludroensis*; Sarsenterensem vero eundem esse putant atque Absorensem, sic appellatum vel ex depravatione vocabuli, vel ex eo quod primum sedes episcopalis constituta fuerit in insula *Sansego*; tunc *Sarsentero*; inde postea Absorum translata. Primus autem Episcopus in eodem Concilio renunciatus fuit *Paullinus Presbyter*. Paullino subjiciunt *Aaronem*, qui anno 579. Synodo Gradensi sub Helia Patriarcha interfuisse dicitur, & *Episcopus S. Ecclesiæ Avoricensis* vocatur. Sed quomodo hic e Gradensi ad provinciam Salonitanam, & Ecclesiam Absorensem trahi possit, non intelligo. *Constantium* tertium Episcopum Absorensem, quem cum Episcopis Istriæ ad Synodum Aquilejensem nescio quam convenisse ajunt, unde acceperint nescio. Anno 787. Concilio Nicæno secundo *Ursus Avaritianensis Episcopus* interfuit; hunc quoque catalogo Antistitum Absorensium interserunt; malim *Laurentium Episcopum Absartianensem*, qui pariter inter Episcopos ejusdem septimæ Synodi annumeratur; propius enim ad similitudinem vocabuli Absorensis accedit. His itaque quatuor Episcopis prætermissis, quorum sedes episcopalis ubi & quænam fuerit, incertum est; primus Absorensium Episcopus, de quo nulla potest esse dubitatio, cujusque nomen oblivioni præreptum vetera monumenta conservarunt, est Dominicus, ad quem extat epistola Joannis VIII. Pontificis anno 879. VII. Id. Junii scripta. Verum series episcopalis plurium annorum intervallo sæpe interrupta est; nec vero nisi a sæculo decimo quinto integra prorsus, continuata, nullisque lacunis intercisa ad nostram usque ætatem deduci potest. Ceterum ab undecimo sæculo usque ad decimum quintum, Episcopi non ita multi desiderantur ad eamdem seriem explendam.

Quatuor Episcopi antiquissimi, de quibus dubitari potest an pertineant ad Ecclesiam Absorensem.

Adhuc extat ædes cathedralis primæva extra urbem, vetustæ formæ & structuræ, cui ab S. Maria titulus est; in eaque visitur sedes episcopalis marmorea, opere antiquo & vulgari, parieti adhærens. Hujus prisca dignitas, ac debitus eidem honos ne penitus obsolescat, statis cujusque anni diebus, præsertim Deiparæ Virgini consecratis, Canonici & clerus inferior illuc se conferunt, ibique consueta & publica religionis officia concelebrant. Nunc vero in urbe fere media templum ingens, augustum, & longe pulcherrimum assurgit, multorum annorum labore sumptuque exstructum, vel in hac tanta, quæ nunc ubique visitur, sacrorum ædificiorum magnificentia, & elegantia, conspiciendum. Decem columnæ sublimes e solido marmore, quinæ hinc, & illinc e regione inter se collocatæ, tectum concameratum sustinent, cui subest area intermedia longius, quam latius explicata: huic duo hinc atque hinc adjecta spatia, cum quinis sacellis minoribus, quæ intercolumniis utrinque respondent. Pavimentum lapidibus quadratis & versicoloribus constratum est. In summo capite totius basilicæ elato vertice consurgit Altare maximum ex vario & multiplici marmore, eximio elegantique opere constructum. Inserta est tabula egregie picta, quæ superne effigiem B. Mariæ, infra S. Nicolaum urbis Patronum primarium ad dexteram, S. Gaudentium Episcopum, itidemque Patronum civitatis, ad lævam repræsentat. Mensæ altaris superimposita est introrsum arca pretiosis, & selectis marmoribus, cælatisque operibus, & summo artificio facta, in qua Corpus S. Gaudentii, medium inter alia sacra lipsana includitur; ut monet inscriptio aureis litteris incisa: *Corpus S. Gaudentii Episcopi Auxerensis. Reliquiæ SS. Martyrum*. Facies templi tota constat e quadratis lapidibus. Summo fastigio insidet Servator generis humani Christus Dominus; eique adstant loco inferiori, & æquali utrimque spatio disjuncti, S. Nicolaus, & S. Gaudentius, alter a dextro, alter ab latere sinistro. Pars externa superior strata est tegulis lapideis, ita inter se apte conjunctis, ut ne rimulam quidem stillicidiis relinquant. Hæc nova ædes cathedralis consecrata fuit nomine S. Nicolai, antiqui & primarii Absorensium Patroni, cujus diem festum ab omnibus operibus servilibus feriati, ritu ac religione solemni concelebrant; sed vulgus priscæ cathedralis ædis titulum, ab S. Maria inditum, constantissime retinuit.

Ædes antiqua cathedralis hunc extra urbem;

Nova autem longe augustioris descriptio.

Corpus S. Gaudentii in altari maximo.

Capitulum constat e Canonicis octo, quorum tres reliquis dignitate præstant, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius; jus eligendi Archidiaconum est penes Sedem Apostolicam; ceterorum electionem sibi vindicant Pontifex & Episcopus, mensibus emortualibus Canonicorum ita inter se divisis, ut octo menses pontificiæ, quatuor episcopali nominationi tribuantur. E Canonicis unus Theologi munere fungitur, & pensione gaudet. Nullus est qui Pœnitentiarii locum teneat. Quatuor sunt Sacerdotes chori adjutores, quos Episcopus deligit, itemque quatuor clerici rerum sacrarum administri. Proventus ecclesiastici potissimum constant e decimis, quæ juxta præscriptum sacrorum Canonum quadripartito distribuuntur; pars una ad Episcopum, altera ad Capitulum & clerum inferiorem pertinet; tertia in pauperes erogatur, quarta demum in sartatecta ædis cathedralis tuenda impenditur. Ceterum non desunt alii fundi ecclesiastici, unde episcopali & capitulari mensæ annui proventus suppeditant. Canonici singuli octogenos argenteos, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius aliquanto plus percipiunt. Unus est Parochus, isque Archipresbyter, Christianæ plebi præpositus, qui tum in civitate, tum in suburbio curam animarum gerit.

Capitulum & clerus ædis cathedralis.

Templum primarium Crepsæ, sive Chersi titulo ac patrocinio subest S. Mariæ ad Nives, habetque insigne collegium Canonicorum omnino decem, quibus præsidet Parochus, sive Plebanus totius civitatis, jusque hujus eligendi penes Commune Crepsensium, confirmandi facultas penes Episcopum est. Tota diœcesis Absorensis e duabus potissimum insulis conflata est, Absoro & Crexa, quibus adjicias velim aliquot scopulos, qui circumjacent, sive insulas exiguas, raris admodum focis habitatas. Sunt autem hæ præcipuæ, *Levrera*, *Unie*, utraque *Canidula* magna & parva, quæ fere objacent ab occasu, *Sansegus*, & *S. Petrus de Nimbis*, seu *de Neumis* ad meridiem. Quatuor sunt majores ecclesiæ, quas *Plebes* vocant, duæ in Crexensi insula, videlicet una in castro, quod *Caisele*, seu Caput insulæ dicitur, altera in castello *Lubenizze*; utraque ab S. Maria cognominatur; duæ itidem in Absorensi insula, *Losinium* magnum S. Antonii Abbatis, & *Losi-*

Templum primarium Chersi.

Diœcesis Absorensis.

Digitized by Google

Lesinium parvum S. Martini Episcopi titulo insignitum. Ecclesiæ vero minores, quos vocant Curatas, in universa diœcesi sunt omnino duodecim. Extra utramque civitatem Absori & Crepsæ, ubique ad psalmodiam, & liturgiam, præterquam in Ecclesia *Lubenizze*, sermo Slavonicus adhibetur. Nullæ sunt ecclesiæ, seu parœciæ ritus Græcanici. Olim duo erant in urbe cœnobia Ordinis Benedictini, alterum virorum a S. Petro, alterum feminarum a S. Maria Gratiarum, sive ab Angelis cognominatum. Primum jampridem a monachis desertum in jus titulumque Commendæ migravit; secundum etiamnum extat. Sed Virgines illæ Benedictinum cum Franciscano instituto commutarunt. Hæ vero cum ad summam paucitatem redactæ fuissent; duæ vel tres, quæ supererant, in alterum ejusdem Franciscani Ordinis cœnobium Spalatense, aut Jadrense, permissu Sedis Apostolicæ ac Veneti Senatus haud ita pridem emigrarunt; & domicilium ab illis relictum ad clericorum Seminarium instituendum Episcopus destinaverat. Ab urbe Absoro millia passuum circiter duo in ortum distat pagus Neresine, fere adjacens mari, ubi extat cœnobium Franciscanorum disciplinæ severioris. Huc ajunt S. Franciscum appulisse, cum martyrii cupiditate incensus ex Italia in Syriam ire decrevisset, & hunc primum Dalmatiæ locum sanctissimi illius Patriarchæ vestigiis impressum ac nobilitatum fuisse. Pia posteritas, ut talis ac tanti hospitis adventum ad immortalem religionem, atque memoriam sempiternam consecraret, cœnobium alumnis Instituti Franciscani ibidem fundavit. Est itidem templum S. Mariæ in Viaro & domicilium tertii Ordinis Franciscani prope urbem fere ad meridiem, situm in ora maritima, quod sex Fratres incolunt, atque ut ceteri omnes ejusdem Ordinis sodales in Dalmatia, sic hi quoque ad psalmodiam & rem divinam peragendam Slavonico sermone utuntur.

Templa & cœnobia urbis & insulæ.

Sunt etiam in diœcesi alia conventicula, cœtusque hominum ac feminarum, disciplinæ religiosæ vinculo ac jure sociati. Chersi sive Crepsæ sæculo decimo quinto Patribus Franciscanis, quos Conventuales vocant, exstructum fuit attributumque cœnobium ac templum S. Patris Francisci titulo ac religione consecratum. Nullum est in Dalmatia frequentius, quam Crepsense, seu Chersense collegium sacrarum Virginum, quæ colunt disciplinam S. Benedicti. Earum nullus erat numerus antea definitus. Joannes de Rubeis Episcopus decrevit, ne tricesimum numerum excederent. In hac insula duo sunt cœnobia tertii Ordinis Franciscani, unum S. Nicolai contra Istriam situm, in loco cui nomen est *Farcsine*, quod ab urbe abest passuum millia fere quindecim; alterum S. Martini de Valle assidens ad Sinum maritimum, quem efficit mare introrsum influens inter duas illas urbes Crepsam & Absorum, hinc octo, illinc tredecim milliaribus distans. Duo hinc atque hinc scopuli sive insulæ parvæ Absorensi insulæ adjacent a meridie, *Sansegus* ubi perventustum erat cœnobium Benedictinum S. Michaelis, præalti collis verticem insidens; & *S. Petrus de Nimbis*, ubi hospitium habebant monachi Benedictini ejusdem insulæ Sansegi, quod postea traditum fuit Patribus S. Francisci; nunc unus tantummodo ex Franciscana familia ibi habitat, & Parochi munere fungitur. Uterque scopulus cum aliis minoribus vel adjacentibus, vel interjectis ad diœcesim Episcopi Absorensis pertinet. Nunc describenda est series Antistitum Absorensium, quamvis iterum ac sæpius, ut dixi, plurium, vel paucorum annorum hiatu interrupta.

Duo Chersi cœnobia.

Duo itidem in insula.

Cœnobium Benedictinum vetus in insula Sansego.

I. Dominicus an. circiter 870.
II. Martinus an. cir. 1000.
III. S. Gaudentius an. cir. 1030.
IV. Laurentius an. 1042.
V. Petrus an. 1060.
VI. Basilius an. 1069.
VII. Guillelmus an. cir. 1100.
VIII. Petrus II. an. cir. 1110.
IX. Petrus III. an. cir. 1141.
X. Lanfredius an. 1179.
XI. Cosmus an. 1197.
XII. Albertus an. 1224.
XIII. G. an. 1240.
XIV. Michael an. 1290.
XV. Angelus an. 1300.
XVI. Bonifacius an. 1315.
XVII. Guillelmus II. an. 1325.
XVIII. Cyprianus an. cir. 1335.
XIX. Bonifacius II. an. cir. 1350.
XX. Michael II. an. 1363.
XXI. Thomas an. cir. 1390.
XXII. Pactius an. cir. 1400.
XXIII. Maurus an. cir. 1405.
XXIV. Isidorus an. 1410.
XXV. Vitus an. 1412.
XXVI. Petrus IV. an. cir. 1430.
XXVII. Simon an. 1445.
XXVIII. N. N. an. 1459.
XXIX. Andreas an. 1463.
XXX. Antonius an. cir. 1464.
XXXI. Marcus an. cir. 1474.
XXXII. Joannes an. 1486.
XXXIII. Andreas II. an. cir. 1500.
XXXIV. Joannes Baptista an. 1514.
XXXV. Andreas III. an. 1517.
XXXVI. Antonius II. an. 1533.
XXXVII. Marcus Fidelis an. 1553.
XXXVIII. Coriolanus an. 1575.
XXXIX. Octavianus an. 1614.
XL. M. Antonius an. 1634.
XLI. Joannes II. an. 1653.
XLII. Matthæus an. 1667.
XLIII. Simon II. an. 1673.
XLIV. Nicolaus an. 1720.
XLV. Joannes III. an. 1739.
XLVI. Matthæus II. an. 1743.
XLVII. Nicolaus II. an. 1745.
XLVIII. Bonaventura an. 1757.

DOMINICUS EP. ABSORENSIS I.

Ante hunc habeo neminem, cujus proferre possim, quamvis hujus ætate longe antiquior sit sedes episcopalis Absorensis. Pontificatum gessit temporibus illis tristissimis, & atro lapillo signandis, cum Georgius Metropolita, & Episcopi omnes provinciæ Spalatensis, cum universis Dalmatis, Chrobatis, & Serblis impulsu Basilii Imperatoris, & Photii Patriarchæ acerrimi Latinorum hostis, a Romano ad Patriarchatum Constantinopolitanum anno circiter 879. defecerunt; de qua schismatica defectione satis dictum est in eodem Georgio, & in Marino Archiepiscopis Spalatensibus, itemque in Theodosio Episcopo Nonensi. Et Chrobati quidem, auctore Theodosio Nonensium Episcopo, & Bra-

Dominicus primus Episcopus Absorensium, cujus nomen extet.

Schisma Dalmaticum & Chrobaticum.

Digitized by Google

Branimiro Duce Chrobatorum, brevi redierunt in sinum Ecclesiæ Romanæ, quos Joannes Papa VIII. tamquam filios profugos paterna charitate in suam gratiam, & clientelam S. Petri recepit; eorumque pœnitentiam ac reversionem collaudat, eosque hortatur, ut in fide & obsequio constanter perseverent, trinis litteris ad Theodosium, ad Branimirum, ad Sacerdotes, & populum Chrobatiæ, datis anno 879. VII. Id. Junii, quas in eodem Theodosio descripsimus. Sed Dalmatæ cum suis Episcopis adhuc in sua ab Romano Patriarcha defectione permanebant; & post obitum Georgii Metropolitæ Marinum elegerant, cujus confirmandi & consecrandi potestas ex antiqua consuetudine ad Pontificem Romanum pertinebat. Joannes igitur epistolam scripsit, generatim quidem ad omnes Dalmatas utriusque ordinis ecclesiastici laicique, nominatim vero ad Vitalem Jadertinum, & Dominicum Absorensem Episcopos, itemque ad Joannem Archipresbyterum Ecclesiæ Salonitanæ sive Spalatensis; quos paterna benevolentia adhortatur, ut majorum suorum instituta retineant, exempla imitentur, atque ad Ecclesiam Romanam, a qua Dalmatæ Christianæ religionis lumen ac disciplinam acceperant, Christoque geniti fuerant, tamquam ad optimam matrem redire festinent; neve patiantur Marinum electum Archiepiscopum aliunde, quam a Pontifice Romano consecrationem & pallium petere; nisi suis admonitionibus paruerint, noverint se ab ecclesiastica communione, & Christianorum cœtu segregandos esse. Hanc epistolam tertio die, quam superiores ad Chrobatos dederat, scilicet IV. Idus Junii scripsit. Inscripta autem est *Reverendissimis, & sanctissimis Episcopis Vitali Adrensi* (idest Jadrensi) *Dominico Absarensi, ceterisque Episcopis Dalmaticis, seu Joanni Archipresbytero sanctæ Sedis Salonitanæ, omnibusque Sacerdotibus, & senioribus populi habitatoribus Spalatensis civitatis, atque Zadarensis, ceterarumque civitatum*. Habes hanc epistolam in actis tum Marini Metropolitæ Spalatensis, tum Vitalis Episcopi Jadertini.

Epistola Joannis VIII. ad Dominicum.

Quamvis non statim Dalmatæ resipuerint; anno tamen 880., ut alio loco dictum est, post cognitam scilicet Photii malitiam & perfidiam, retulerunt se ad pristinam erga Patriarcham Romanum obedientiam; nec dubitari potest, quin Dominicus quoque Episcopus Absorensium cum suo clero populoque debita submissionis, atque obedientiæ adversus Sedem Apostolicam officia præstiterit. Post mortem Dominici usque ad initium sæculi undecimi, de Episcopis & Ecclesia Absorensi, ne litteram quidem, nedum nomen, & rerum gestarum seriem, in antiquis monumentis invenio.

MARTINUS EP. ABSORENSIS II.

Martinus Ep. Absoren. Petrum Urseolum Ducem Venetorum excepit.

Hic Petrum II. Urseolum Ducem Venetorum sæculo undecimo ineunte, obviam progressus cum clero, magistratu, & populo, perhonorifice excepit. Petrus siquidem accersitu Dalmatarum, qui adversus Chrobatos & Narentanos piratas sibi suisque insulis ac civitatibus infestos, auxilium implorantes, in Venetorum fidem ac clientelam se contulerant, valida ingentique classe instructa ad eam insulam appulit, & exscensu e navibus in terram facto, Auxeri, sive Absori in urbe totius insulæ primaria aliquot dies commoratus est, ubi finitimos populos, qui tum primum Imperio Veneto se voluntaria deditione subdiderant, solemni jurejurando sibi obstrinxit. De Petri adventu ad insulam Auxerensem hæc breviter Petrus Dandulus in Chronico: *Dux deinde vastum velificando æquor .... Auxerensem ad urbem delati sunt, ubi non modo cives, verum omnes de finitimis tam Romanorum, quam Sclavorum castellis convenientes, hospitis adventum se prævenisse gaudebant; & sacramentis ab omnibus peractis, sub illius Principis potestate manere decreverunt. Hoc peracto, & sacrum diem Pentecostes celebrantes prædicto Principi laudis modulamina decantavere. Tunc omnibus, quibus ætatis plenitudo aderat, secum venire jussit, & acceptis stipendiis dispositum iter continuare decreverunt.* Nullum quidem urbis Episcopum Dandulus tunc nominavit; sed cum Martini Auxerensis Episcopi mentionem fecerit in Ottone, qui parenti in Principatum successit; hunc fuisse arbitror, qui ante aliquot annos hanc Ecclesiam regebat, cum Petrus Urseolus illuc classem applicuit, jussitque incolas, ac ceteros populos, qui eo convenerant, in leges Venetorum jurare. Anno igitur 1018., cum Cresimirus III. rex Chrobatiæ Jadrensem agrum aliasque maritimas oras Venetæ ditionis, excursionibus & latrociniis infestas haberet; Otto Petri Urseoli filius, Dux Venetorum cum armatis navigiis progressus, terrorem fugamque hostibus injecit, & urbes illas atque insulas periculo metuque omni liberavit. Tum civium atque incolarum fidem novo sacramento obstrinxit & confirmavit; ac de annuo tributo solvendo, cum tribus aliis Episcopis, & primoribus populi & cleri, Martinus Auxerensis Antistes sponsionem fecit. *Nono Ducis anno* (idest 1018. æræ vulgaris) *Cresimirus Croatorum Præsidens regionem Jadram, & alias maritimas Dalmatiæ quotidianis incursionibus inquietat. A quibus Dux requisitus cum stolo exiit, & civitates tutavit, hostes in fugam vertit, & cives illarum in sua fidelitate, & obedientia solidavit. Et rediens a Vitale Episcopo Veglensi & Maio Episcopo Arbensi, & Martino Episcopo Auxerensi, & ab universo clero, prioribus, & populo dictarum insularum, de tributo sibi, & successoribus suis annuatim in perpetuum solvendo sponsionem suscepit*. De Martino Absorensi Episcopo nihil scriptum est in Tabulis Dalmaticis; cujus ne nomen quidem cognitum esset, nisi e Chronico Andreæ Danduli nobis innotuisset. Huic autem, nisi si quis alius interjectus fuerit, proxime successit

Idem Ottoni Duci Venetorum suam & incolarum fidem obstrinxit.

S. GAUDENTIUS EP. ABSORENSIS III.

S. Gaudentius Ep. Absorensis floruit sæculo undecimo.

Æqualis S. Petro Damiano, qui testimonium eximiæ sanctitatis illi tribuit; & cum eumdem modo Petrum, modo Gaudentium vocet, id argumento esse potest nomen ei Petro, cognomen Gaudentio fuisse. Cum temporibus illis familia Gaudia, sive Gaudentia generis nobilitate, & divitiarum copia Spalati floreret, opinari licet ex ea Gaudentium nostrum ortum, & patria Spalatensem fuisse. De vita ejus & virtutibus ante susceptum Episcopatum nihil memoriæ, aut litteris proditum est. Vitam ejusdem in Episcopatu, ac postea in solitudine monachali translactam, omnibus sanctimoniæ notis insignem, monachus quidam S. Mariæ Portus

Digitized by Google

Ejus vitam descripsit Monachus synchronus & familiaris.

Novi prope Anconam synchronus & familiaris
ipsius Gaudentii conscripsit. Ratio scribendi,
procemium longiusculum, & nominum quorum-
dam ineptæ interpretationes, quas respuunt de-
licatæ aures hujus sæculi, a more & ingenio
illius ætatis non abhorrent. Huic historiæ fi-
dem & auctoritatem adjungit S. Petrus Damia-
nus, qui de B. Gaudentio quædam narrat, quæ
ibi exposita sunt. Exemplar autographum hu-
jus historiæ perantiquum & in membrana scri-
ptum una cum ejus corpore in eadem urna in-
clusum fuit. Hinc surreptum cum fuisset, ali-
quot annos delituit. Hujus sæculi anno XIV. P.
Philippus Riceputus magna cura & solertia per-
quisitum, tandem Crepsæ in urbe Crexensis
insulæ primaria invenit; ex eoque alterum ex-
emplum descripsit; sed litteris partim vetustate
exesis, partim ob membranam aliquibus locis
ab utroque latere consumptam ac deficientem
mutilatis, necesse habuit in eo describendo mul-
tum studii laborisque insumere; idque tam ac-
curate perfecit, vix ut luculentius, & emen-
datius exemplum indidem elici potuerit. Cum
veteri exemplari novum conjunxit; & utrum-
que serica veste, laminis signisque argenteis
utrinque tectum atque ornatum ad Ecclesiam
Absorensem transmisit, ut in loculo marmoreo
apud Corpus S. Gaudentii repositum majori in
posterum diligentia curaque asservaretur. Ejus-
dem historiæ alia quoque exempla extabant, e
quibus Clerus Absorensis die festo S. Gaudentii
præclara ejusdem acta & miracula inter sole-
mnem psalmodiam tum privatim, tum publice
in æde cathedrali recitare consuevit. Hanc ita-
que historiam de vita, rebus gestis, & mira-
culis S. Gaudentii lectoribus exhibemus, quam
nostris deinde notis & animadversionibus expli-
cari, illustrarique oportebit.

Vita
S. Gaudentii Episcopi Absorensis.

Vita Sancti Gaudentii Ep. Absorensis.

1 *Refulgente (1) gratia individuæ Trinitatis lux
nova terris effulsit; illa scilicet lux, quæ illumi-
nat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Plures vero mortalium, ut suorum oculorum ve-
lamina deponerent, ad hujus claritatis gaudia
agonizando, contra labentis temporis temptatio-
nes venire disposuerunt. Quorum Abel primus
justus recte dividendo, & offerendo, bravium
cæleste arripuit. Deinde Noe perfectus & sim-
plex, lingua tacendo, & justitiam personando,
aquam personuit imminere filiis hominum; ipse
vero in justitia sua fluctus superantis aquæ su-
peravit, in libro quoque vitæ adscriptus est.
Abraham vero, in cujus obedientia neminem
æquipollentem invenit, Scriptura sacra testante
de eo voluisse pro holocausto Deo mactare filium,
ideoque facta sibi promissio, quod in semine suo,
idest in Christo, ut Apostolus explicavit, hære-
ditatæ essent gentes, in numero Prophetarum in-
ventus est primus. Eximiusque Prophetarum Da-
vid, quamvis sanguineus vir, atque adulterinam
cædem sortitus est, tandem pœnitudinis magister
factus, cæteris mortalibus exemplum & modum
præbens pœnitentiæ in Psalmo quinquagesimo, in-
ter Prophetas non modicam in regno cælorum
habitat domum. Vel brevissime, ut ad materiam
redeamus; idem ipse Filius Dei, qui dicitur Chri-
stus, & est lux vera illuminans, sic enim de se
ipso ait:* Ego sum lux mundi, *non per creatu-
ram aliquam sed per semetipsum indutus carne in
Sacratissima Virgine, locutus est nobis Deus di-
cens:* Venite ad me omnes qui laboratis, &
ego vos requiescere faciam. *Ad cujus vocem
multi divino Spiritu opitulante, accurrere stu-
duerunt; ex quibus unus ex innumerabilibus fa-
ctus Absarensis Episcopus, Gaudentius (2) nomine,* 2
*qui tamquam in æthere astra, & inter astra Lu-
cifer rutilo colore suo revolvitur orbe, sic in
domo Dei, ubi congaudent Angelorum agmina,
clara fruitur æterna luce; dumque occasio ipsa
præbet de nomine tanti Pontificis, ac insulæ jam
dictæ, licet faciam de vita & moribus, nec non
& obitus beati viri digressionem, tamen ad ædi-
ficationem legentium aliquid exponere non pigri-
temus. Absarensis (3) insula quadam similitudine* 3
*axis interpretatur; sicut enim axis pondus secum
totum portat, sic etiam quidquid lucri ex labore
deferentium, sive pondere consequitur, hæc in-
sula reportat; & sicut axis firmamenti plaustrum
cæleste indeficienter revolvit, sic etiam insula,
quæ Absarum dicitur, olim florebat virorum pul-
chritudine, & inter alias Dalmatinas insulas in
rerum opulentia locuplete eructare cuncta solebat.
Gaudentius vero Pontifex, qui non solum ex ea
natione (4) Absarensium præclaram originem du-* 4
xit, verum etiam supernæ civitatis gaudentium (5) 5
*(inde gaudendo) præclara origine Angelorum,
evulsa origine primæ matris Evæ, gaudere con-
cupivit, qui postea ex rei eventu in subscriben-
dis legentium, sive audientium cordibus, & au-
ribus mirifice patebit.*

*Nunc vero ad ea, quæ beatus vir S. Gauden-
tius passus est in vita sua per ejus humilitatem,
Scriptoris stylus vertatur. Tempore enim, quo
ad Pontificatum omnipotens Deus ipsum sublima-
ri voluit, die noctuque in Dei laudibus frequen-
tare disposuit; jejuniis (6) & eleemosynis deditus* 6
*erat, & in templo Dei assidue hostias offerre so-
lebat; & nobile principium ad finem perduxit.
Cum autem insidiator generis humani in suis san-
ctissimis actibus circumvenire, aut circumvallare
non potuit, ipsum per interpositam sive subje-
ctam sibi creaturam, ut olim primo Parenti,
suggerere non declinavit. Per membrum suum,
nobilem imo per ignobilem virum prædictæ civi-
tatis, quasi aurum per ignem examinare, ac tem-
ptare, ut illum Job, cui in terris similem non
invenit; sic ipse latitanter in homine jam dicto,
Deo permittente connixus est. Ordo vero tem-
ptationis talis fuisse perhibetur, ut ore suo bea-
tus vir nostris (7) auribus intimavit. Ille vero* 7
*nobilis, quasi ignobilis est reputandus, cum qua-
dam, quæ pulchra ducebatur specie, tamen con-
sanguinea, matrimonium contra interdictum reli-
giosissimi Pontificis contrahere nixus est. In prin-
cipali (8) festo Paschæ jam divinis inceptis my-* 8
*steriis, ecclesiæ limina suis cum complicibus ar-
mata manu violenter intrare non timuit. Quem
Beatus Gaudentius, tamquam bonus Athleta ad
certamen lætus accedens, vinculo excommunica-
tionis percussit; quamvis ex expulsione de eccle-
sia inimicus humani generis videtur (9) convaluis-* 9
*se; nondum divina in terris peracta fuerant my-
steria, dum apud omnipotentem Deum in cælis
suscepta (10) credimus esse. Tactus dolore Pontifex* 10
dictus, quod id de tanta injuria (11) pensari de- 11
*buerat, divina inspirante clementia, quæ cum
iniquis (12) hominibus habitare noluerat, ad totius* 12
*orbis matrem mare adnatavit, ut quondam filii
Israel, Mari Rubro transmisso, ad Terram pro-
missio-*

Digitized by Google

13 missionis, scilicet (13) Romanam Ecclesiam deve-
14 nit (14). Ut mater filium, sic tota Curia Roma-
na ipsum recepit, & consolari per dies pluri-
mos, ac largiri sibi non destitit auxilium, quod
vir Dei sanctus quæsierat; sed denique Absaren-
15 sium populum, qui (15) maledictione Dei & San-
16 cti Pontificis implicati fuerant, (16) sine Pasto-
re, & correctione relinquere non permisit; &
17 apostolicis litteris (17) confirmatum B. Gauden-
tium suam ad civitatem Absarensem Papa remit-
tere curavit. Benedictione itaque suscepta Apo-
stolica, & itinere gradiente suo, ad Anconita-
nam tandem pervenit civitatem. Prudens qui-
18 dam Petrus (18) nomine in suam honorifice sus-
cepit domum, qui fundator tunc fuerat novi
19 Portus (19) cœnobii. Altera vero die, nutu Dei,
qui talem thesaurum nobis donaturus fuerat,
febrilis calor corpori depositi B. Gaudentii acce-
dere jussus est; Episcopo deprecante Deum, ut
a labore anima ipsius ad cælum scandere possit;
sicque factum est; ut a Deo dispositum fuerat.
20 Per fundatorem (20) suprascripti monasterii,
21 22 Episcopo impetrante (21), ad cœnobium cum (22)
populo civitatis deductus est, ubi habitum B. Be-
nedicti solemniter recepit, & in eadem ecclesia
per dies perplurimos divina concessit potentia su-
peresse. In quibus, vel inter quos dies, quando
potus sibi ferebatur aquæ, nimium dolorem cœ-
23 perat, quod (23) vini meri saporem in tantum
suo ore susceperat, ut sibi possit credi, quod
nunquam suæ voluntati parere cœnobita voluis-
set. Iterum atque iterum, imo multipliciter ab
offerentibus aquæ poculum, resumpto calice vi-
num degustare gaudebant, quo ægris porrecto,
incolumes ab infirmitatibus recedebant, impleta
prophetia Domini: O mors ero mors tua, mor-
sus tuus ero inferne; quia per febrem beatissimi
viri Gaudentii febres peccatorum infirmantium
destrui conspiciebantur.

Cum autem placuit ei, qui eum segregavit ex
utero matris suæ, & vocavit per gratiam suam
in mundum, ad magnalia sua vocavit. Divisa
ergo de carnis ergastulo anima ipsius, ascendit
24 ad superos (24); ut obsequium compræberet in
ejus Ascensione; atque tantus odor ab ejus cor-
pore resolutus est, ut omnium aromatum fu-
25 mus (25) excidisse videretur. Nunc ad ea, quæ
26 post tumulationem corporis facta sunt, (26) in
mente animus fidelium erigatur. Ad ejus nam-
que famam e vicinis partibus magna accurrebat
multitudo non solum Anconensium & Firmen-
sium, sed etiam e longinquis partibus, ut ab
omnipotente Deo, & intercessione S. Gaudentii,
sospitatem diversorum membrorum de infirmita-
tibus consequi possent. Et quia Deus lumen,
quod ab ipso procedit, in tenebris latere non
permittit, sed ut suorum opera luceant, ut ipse
dixit: Opera quæ ego facio, & majora horum
facietis; tanta miraculorum beneficia juxta se-
pulcrum beati viri facta conspiciuntur; ut con-
spicientibus nobis, qui adhuc superstumus, qui-
dam, qui Philippus vocabatur, a Dæmonio ar-
reptus, liberatus est; quædam mulier Huma-
27 nis (27) a Dæmonio arrepta liberata est; & a
febribus, a paralysi, & ex aliis infirmitatibus,
& diversis morbis innumerabiles liberati. Supra
tumulum, ubi quotidie lampades accenduntur,
ipsius, multoties post quarumdam extinctionem,
ita accensæ reperiuntur, ac si studiose ab aliquo
28 accensæ custodirentur. Jadrenses (28) vero sub
aliquo tempore in ecclesiam, ubi corpus B. viri
requiescit, animis invalescentibus intrare conten-
dentes, & linteamina extrahere, & alia, quæ
in apparatu basilicæ distensa fuerant, ibi per-
cussi de ecclesia aliquid dilaniare, distrahere, &
rapere, sive extrahere non potuerunt. Teutoni-
ci (29) vero, qui viderunt paratam domum, 29
magno cum exercitu ad eam descendere festina-
runt; & divino Spiritu quidam accessit, & li-
beravit domum, ad quam nullus eorum accedere
potuit; & illæsa sic domus permansit. Angelo-
rum vero chori multoties visi sunt in nocte,
inter quos aspectus Gaudentii visibiliter apparuit,
cantantes canticum Domino.

Jam vero imminente die transitus ipsius, vocavit ad se fratres, & discipulos totius Congregationis; & cruce in manibus suscepta adoravit osculo oris sui; & data cunctis pace, videntibus, & astantibus omnibus assumptus est cum gloria Kalendis Junii apud Portum novum; ubi tumulatus est, & ubi multa præstantur beneficia; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Notæ.

(1) Procemium satis longum, sed usitatum Hagiologis illorum temporum, & altius petitum, quam usus ferat, & consuetudo hujus ætatis.

(2) Imo, ut mihi videtur, cognomine Gaudentius, & nomine Petrus; quippe utroque vocabulo Damianus eum appellavit.

(3) Utraque Absorensis vocabuli interpretatio ridicula & insulsa; sed hujusmodi insulsitatum, atque ineptiarum plenæ sunt historiæ Divorum, quas Legendas vocant, sæculis illis indoctis & barbaris conscriptæ, ut animadverti licet in illis, quas Jacobus de Voragine collegit.

(4) Scilicet ex eadem natione Dalmatica, ex qua Absorenses originem ducebant. Sunt qui Gaudentium Absori natum fuisse putant: nam Gaudentiorum Spalatensium divisio in duas familias facta cum esset, alteram quidem Spalati mansisse ajunt, alteram vero Absorum migrasse, ibique rerum ac fortunarum suarum domicilio constituto, avitum genus ac nomen propagasse: argumento esse, quod adhuc in ea insula viget familia *Godentivich*, sive *Gaudentovich*, oriunda quidem ex antiquis Gaudentiis, sed a prisca majorum suorum nobilitate ac fortuna, (quæ rerum humanarum vicissitudo est) ad humilem & agrestem conditionem redacta.

(5) Hic quoque Scriptor Vitæ Gaudentianæ, dum argutior videri vult, ineptit & nugatur.

(6) Vitam in Pontificatu transactam, & summis virtutibus refertam, paucis complectitur.

(7) Ex his intelligi potest Auctorem hujus historiæ Gaudentio non solum ætate, sed etiam vitæ monachalis societate conjunctum, & in eodem cœnobio contubernalem fuisse.

(8) Eadem de S. Gaudentio summatim narrat Petrus Damianus in sua ad Nicolaum II. litteris, quæ ab ipsomet sanctissimo viro se audivisse testatur. Sed in alia epistola præterea miraculum refert, tum de panibus nuptialibus, quos ne attingere quidem canes voluerunt, tum de nece repentina sponso incesto, contumaci, & censuræ ecclesiasticæ contemptori divinitus illata. Utrumque Monachus ille scriptor hujus vitæ prætermisit; quod enim vir sanctus, christianæ

stianæ

stianæ ac religiosæ humilitatis caussa, monachos fratres suos celatos esse voluit, ne id sibi gloriæ verteretur; uni Petro Damiano viro prudentissimo pro summa, quæ sibi cum illo erat, familiaritate narravit.

(9) Id est, majores vires nactus est ad nocendum; nam & juvenem in sua contumacia, contemptuque auctoritatis ecclesiasticæ magis obfirmavit, & Primores civitatis, ac plerosque omnium ordinum cives flagitii socios ac defensores eidem adjunxit, & quamdam veluti seditionem contra Sanctum Pontificem concitavit. Quare omnes eodem maledicto, & anathemate perculsi fuisse paullo post dicuntur.

(10) Sacrificium pontificale acceptum Deo, & preces sanctissimi viri auditas fuisse declaravit utrumque miraculum, de quo supra diximus.

(11) Scilicet dignitas, & interdictio episcopalis violata, justis meritisque pœnis vindicari debuerat, ad cæteros ab hujusmodi flagitiis deterrendos.

(12) Omnes itaque Absorenses, aut certe plerique se incestarum nuptiarum patronos ac defensores adversus Sanctum Episcopum præbuerant, propterea que eidem maledicto & anathemati suberant.

(13) Ut scilicet Pontificem Summum imploraret, qui Absorenses, auctoritate apostolica interposita, ad officium redire, & ecclesiæ suoque Episcopo pro illatis injuriis satisfacere cogeret.

(14) Ex Sigonio Romam venit anno 1040, cum Benedictus IX. Ecclesiæ universali præsidebat.

(15) Hinc intelligi licet universam civitatem anathemati, & interdicto suppositam fuisse.

(16) Pontifex Absorenses, quamvis gravissime deliquissent, commiseratione potius & indulgentia curandos censuit, quam pœnarum severitate magis magisque exacerbandos. Nec vero illos sine Pastore, & opportunis ad resipiscendum remediis deserendos esse putavit. Itaque hortatus est Gaudentium, ut sui eum gregis misereret, neve illius curationem desperaret. Tandem, cum fere biennium in urbe commoratus esset, pontificiis hortationibus impulsus ad suam Ecclesiam redire constituit.

(17) His litteris Pontifex leniter simul ac severe Absorenses admonebat, ut quæ in Deum peccaverant, quæque contra suum Episcopum irreverenter & contumaciter commiserant, salubri pœnitentia expiarent; & postquam de contemptis violatisque Ecclesiæ præceptis atque interdictis pro eo, ac debebant, cumulate satisfecerint, Episcopum suppliciter adirent peterentque, ut, quibus constricti erant, anathematum vinculis se ac civitatem exsolveret.

(18) Id est, ut mihi videtur, S. Petrus Damianus.

(19) Cœnobium Benedictinum Neoportus, seu Portus novi, Ancona non admodum procul, conditum esse ajunt anno 1034, octo fere annis antequam S. Gaudentius ex urbe rediens Anconam veniret; conditores autem fuisse Gilierum Grimaldum, & Stephanum nobiles viros ex Alemannia oriundos, copiis & opibus affluentes, qui ex avitis possessionibus ad ædificandum ibidem, dotandumque monasterium ac templum S. Mariæ titulo insignitum, pecuniam copiosam, & prædia multa contulerunt. Hæc e Tabulis monasterii Camaldulensis S. Petri, quod situm est in monte Comero prope Anconam: *Gilierus Grimaldus & Stephanus germanus, nobiles Alamanni 33. terræ mensuras elargiuntur pro constructione Abbatiæ atque Ecclesiæ novi Portus &c.* ac deinde: *Anno 1034. Benedictini monachi suum monasterium, & ecclesiam dono acceptam Neoportus erexerunt.* In hac historia S. Gaudentii *prudens quidam Petrus fundator esse* dicitur *novi Portus monasterii*; scilicet Petrus duobus illis fratribus auctor fuit, ut in ædificationem templi ac cœnobii sumptus necessarios conferrent. Suspicio est hunc fuisse Petrum ipsum Damianum, qui postquam in Eremo S. Crucis apud Fontem Avellanum diœcesis Eugubinæ habitum monachalem induisset, miro studio Ordinis Benedictini propagandi reformandique ad normam ab S. Romualdo traditam flagravit. Itaque plura cœnobia, ut est in ejus Vita, ab Joanne monacho ejusdem discipulo scriptam, in agro Cameranensi, Perusino, Faventino, aliisque locis fundavit, quibus monasterium Portus Novi annumerandum esse admodum verisimile est; eaque omnia ad severiorem S. Romualdi disciplinam, regulamque conformavit. Dum ergo Petrus Anconæ morabatur, ut ex propinquo tum ad cœnobium absolvendum, tum ad monachos instituendos erudiendosque advigilaret, Gaudentium domi excepit, & talem ac tantum hospitem, quo dignus erat, honore ac liberalitate tractavit.

(20) Id est per Petrum Damianum.

(21) Vel dum gravissimo illo morbo laboraret, vel dum convalesceret, hanc sibi voluntatem divinitus injectam sensit, ut episcopalem dignitatem, & opulentiam cum humilitate & paupertate monachali commutaret. Itaque quid sui consilii esset Petro aperuit, qui eum in proposita susceptaque sententia confirmavit; & tam insigni viro novum cœnobium nobilitare cupiens, eumdem in collegium monachorum Novi Portus aggregare decrevit.

(22) Nimirum ingens admiratio Anconitanos incesserat, quod homo id ætatis, prudentiæ ac dignitatis, ex episcopali fastigio ad humilem se, pauperem, asperamque monachorum vitam sponte abjiceret. Quocirca, cum post facultatem Ecclesiæ Absorensis dimittendæ a Sede Apostolica impetratam, a Petro deduceretur ad cœnobium Novi Portus, illum de mundanis honoribus ac divitiis quodammodo triumphantem civitas propemodum universa ingenti approbatione plausuque prosecuta est.

(23) Idem prorsus accidisse divinitus S. Petro Damiano scriptum est in ejus Vita: *Quadam igitur die apud præfatum Gamonium cum in cella consisteret, Fratri, qui ei ministrabat, ex fonte sibi potum afferri jussit: qui statim pergens festivus jussum complevit. Quod Magistro gustante, vinum esse deprehenditur. Increpare itaque discipulum cœpit, quod pro aqua sibi vinum tulisset. Illi vero asserenti hausisse se ex fonte quod obtulerat, eumdem sibi potum Magister porrexit, jubens gustando ipsum experiri, quo valeret se teste fallax convinci. Cui gustanti licet vinum sapuisset, quod erat, nihilominus tamen, ut bene sibi conscius, potum illum e fonte se hausisse affirmabat. Cumque illi fides nequaquam daretur, alius ad eumdem fontem Frater dirigitur; cujus gressus, ne fallere similiter posset, observari præcipitur. Qui ergo ex eodem fonte mox pleno vasculo hauriens, concitus rediit: potum quod hauserat, Magistro tradidit. Verum dum hic quoque potatur, optimam esse vini speciem*

aque

æquè fere probatur. Fratres quoque, qui cum eo erant, ex eodem gustantes, vinumque optimum comperientes, Deum præ gaudio collaudaverunt omnes: quibus Petrus illico prostratus supplicat, imo sub obedientia interdicit ac mandat, quatenus, se in carne degente, nulli prorsus mortalium, quod factum noverant, pandant.

(24) Obiit Kalendis Junii, ut postea dicitur, postridie ejus diei, quem solemni Jesu Christi ad cælum ascendentis commemoratione Ecclesia consecravit. Huic igitur anniversariæ Christi victoris, ac de hostibus humani generis triumphantis gratulationi ac lætitiæ Gaudentius in cælo cum Angelis interfuit & applausit. Hinc colligitur Gaudentii ex hac vita discessum referendum esse ad annum 1044., nam hoc anno solemne hoc festum incidit in diem proximum ante Kalendas Junii.

(25) Id est vis ac suavitas odoris, qui afflabatur ex ejus corpore, thura & aromata, ad ejusdem exequias cohonestandas, incensa superabat.

(26) Ipsemet hujus historiæ scriptor fuit testis oculatus miraculorum, quibus sanctissimi viri corpus & sepulcrum Deus illustravit.

(27) Ab Humana civitate, de qua Michael Antonius Baudrandus in suo Lexico: *Urbs fuit Italiæ in Piceno, cujus nunc tantum supersunt rudera in ora maris Adriatici, vix sex milliaribus a Laureto in boream, Anconam versus.* Interdum Episcopus Anconæ, idem & Humanæ dicitur.

(28) Jadrensium vocabulo intelligi oportet Dalmatas, sive Narentanos piratas, qui ea tempestate navigationem maritimam, & oram utramque assiduis latrociniis infestam reddebant.

(29) Fortasse ex illo Teutonum exercitu, quos Henricus III. Imp. an. 1081. in Italiam duxit, ut Guibertum Ravennatem Archiepiscopum, Gregorio VII. legitimo Pontifice ejecto, in Sedem Romanam intruderet.

Additamentum I.

Testimonia virorum illustrium de S. Gaudentio Episcopo Absorensi.

Gaudentii exemplo fuit Petro Damiano ad Episcopatum dimittendum.

S. Petrus Damianus, cui summa familiaritas erat cum B. Gaudentio, ut Episcopatus Ostiensis, una cum insignibus Cardinalitiis, deponendi potestas sibi fieret a Nicolao II. Summo Pontifice, cum alia plura sanctorum virorum, qui Pontificatu se abdicarunt, tum recens & illustre Gaudentii exemplum attulit in Opusculo xix. de Abdicatione Episcopatus ad Nicolaum II. Rom. Pont. *Venerabilis quoque Gaudentius Apsarensis Episcopus, cujus ego familiaritatis dulcedinem merui, per quem Deus jam*
1 *non ignobile (1) miraculum fecerat, Episcopa-*
2 *tum dimisit, & de Sclavonico (2) regno navi-*
3 *gans, littoribus Anconitanæ urbis (3) applicuit, a qua non longe post biennium feliciter obiit.*

Notæ.

(1) Illud videlicet miraculum de panibus nuptialibus, quos canes ante se projectos, veluti si ab nefastis illis nuptiis venenati fuissent, ne attingere quidem voluerunt; itemque de cælesti illo igne, quo sponsus incestus, & diris devotus miserrime periit. Utrumque apertius exposuit in Opusculo xx. apologetico ob dimissum Episcopatum: *Hæc venerabilis ille vir expertus, Petrus videlicet Apsarensis Episcopus, qui Episcopatum dimisit, & de Sclavonico regno Italiam navigans, littoribus Anconitanæ urbis applicuit. Hic mihi, dum totius circa se regni reverentiam conquestus (*) exponeret, ac molestæ inquietudinis tædia numeraret, inter cætera unum intulit, quod vos latere non patior. Quidam, inquit, degener quidem moribus, sed majorum titulis insignitus, sui generis consanguineam nuptiali sibi fœdere copulavit. Quid plura? Prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumque ecclesiasticæ censuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputavit. Cui certe hoc ad divinæ indignationis indicium contigit, ut panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora projecti, minime tangerentur. Insuper, o divinæ animadversionis pavenda severitas, dum rigidus stat, dum præceptis sacerdotalibus se non humiliat, qui vigilare sibi ad salutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cælestibus irruens fulgor extinxit. Sic divini furoris expertus est moriendo sententiam qui vulneri suo, dum viveret, adhibere contempserat medicinam. Hoc autem diximus, ut quam sanctæ auctoritatis vir ille fuerit, qui Episcopatum deseruit, monstravimus.*

(1) Temporibus illis Slavonia & Dalmatia pro synonymis haberi jam cœperant. Urbes maritimæ a Venetorum Imperio ad Græcos Imperatores redierant. Regnum in Chrobatis tunc obtinebat Cresimirus III. ex imperatorio privilegio appellatus *Patricius*, vel certe Stephanus ejusdem Cresimiri filius. Utrum vero insula Absorensis ad regnum Chrobaticum pertineret, an cum ceteris maritimis civitatibus & plerisque insulis Orientis Imperio subesset, ex monumentis illius ætatis intelligi nequit. Joannes Lucius hanc urbem & insulam regibus Chrobatiæ attribuit.

(3) Appulerat quidem Gaudentius e Dalmatia profectus ad littus Anconitanum; sed inde statim terrestri itinere Romam ire festinavit: qua in urbe cum annos fere duos commoratus fuisset, ut postea dicemus, Anconam rediit; & Absorensi Pontificatu deposito, in solitudinem Novi Portus secessit, ubi post biennium vitæ monachalis exactum, sanctissime obiit. At S. Petrus Damianus Romanam profectionem & commorationem mediam inter primum & secundum adventum Anconitanum silentio prætermisit; quippe quæ non pertinebat ad argumentum in quo ipse versabatur.

Nota.

(*) Hinc intelligi licet multas lites & contentiones Gaudentio fuisse cum magistratibus, sive Rectoribus vel ab rege Chrobatorum, vel ab Imperatore Orientis urbi præpositis, qui fortasse etiam nuptiarum incestarum patrocinium susceperant, & ejusdem contumaciæ & flagitii æque participes ac defensores erant.

Andreas Dandulus in Dominico Flabanico Duce Venetiarum: *Verum Petrus Damianus ait, quod hoc tempore Venerabilis vir Gaudentius Absorensem regebat Ecclesiam, per quem Deus non ignobile miraculum fecit, qui postea Episcopatum dimisit, & de Sclavonico regno Italiam navigans littoribus Anconitanæ urbis applicuit, in qua non longe post biennium feliciter obiit.*

Carolus Sigonius lib. iv. hist. de regno Italiæ ad an. 1040.: *S. Gaudentius Episcopus Auxerensis in Dalmatia Ecclesiam ultro dimisit.*

Lu-

Digitized by Google

Lucas Vadingus Tomo VII. ad an. 1490. *In Dalmatia insignis olim florebat civitas Ossaris corpore S. Gaudentii Martyris* (Episcopi & Conf.) *insignis; nunc vero propter aeris intemperiem paucis habitatoribus inculta.*

Joannes Lucius lib. II. de Regn. Dal. & Croat. cap. XI. *B. Petrus Damianus Cresimiri Regis contemporaneus, scriptum reliquit Absarenses Dalmatas, uti Regi Slavo subditos, Slavonici Regni partem æstimatos, Epistol. lib. 1., Epistol. 9. ad Nicolaum II. Pontif.: Ven. quoque Gaudentius Apsarensis Episcopus, cujus ego familiaritatis dulcedinem merui &c. de Sclavonico Regno navigans &c.*

His adde Antonium Pagium in Crisi Baroniana ad an. 1068., Philippum Ferrarium in Catalogo generali, Godefridum Henschenium in Actis SS. Tom. & die primo Junii, Laurentium Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, Petrum Annatum in Apparatu ad Theolog. positivam lib. IV. Jacobum Laderchium in Vita S. Petri Damiani, & alios plures, qui de S. Gaudentio Episcopo Absorensi iisdem fere verbis, quibus Petrus Damianus, perhonorificam mentionem faciunt.

Additamentum II.

De Absorensi Episcopatu S. Gaudentii.

Ferrarius & Henschenius Gaudentium ex Absorensi Arbensem Episcopum per errorem faciunt.

Philippus Ferrarius in Catalogo generali SS. Italiæ Gaudentium ex Absorensi Arbensem Episcopum fecit; eidemque non Episcopi, sed *Confessoris* titulum apposuit: *Arbæ in Liburnia S. Gaudentii Confessoris.* In eumdem errorem induxit Godefridum Henschenium, qui in Epistola S. Petri Damiani ad Nicolaum II. pro Absorensi Arbensem, sive Arbarensem Episcopum legendum putat; & nusquam se reperisse ait Absorum inter urbes episcopales annumerari: *At pro Arbensi sive Arbarensi urbe, nominata est a S. Petro Damiano Absarensis, cujus mentio est apud Lucium lib. 2. cap. 6. ubi urbs Absarus dicitur pene diruta; sed sedem ibi fuisse episcopalem necdum potuimus uspiam legere, nisi in jam citato Petri Damiani tractatu;* & paullo post hanc rationem reddidit, cur a Ferrario non sit appellatus Episcopus: *Ob dimissum Episcopatum forsan a Ferrario solum Confessor cognominatur.*

Verum enimvero Absorum urbem jam inde a sæculo nono titulo ac dignitate episcopali præditam fuisse declarat epistola Joannis Papæ VIII. inscripta *Dominico Absorensi, cæterisque Episcopis Dalmatiæ;* & Gaudentius Episcopus sæculi undecimi cum absit a catalogo Antistitum Arbensium ejusdem sæculi, inter Episcopos Absorenses tum in diptychis hujus Ecclesiæ, tum ab illis, quos supra laudavi, Scriptoribus numeratur. Præterea monachus ille Anconitanus Novi Portus, qui de vita & monachatu S. Gaudentii epitomen scripsit, æqualis temporum illorum, idemque contubernalis S. Gaudentii, nullum de hujus Absorensi Episcopatu dubitandi locum reliquit.

Episcopatus S. Gaudentii ad sæculum undecimum pertinet.

Neque ulla dubitatio esse potest, quin Gaudentii Episcopatus ad sæculum undecimum pertineat; sed quo anno illius Ecclesiæ administrationem inierit, non est compertum. Annus depositi Pontificatus, & instituti monachalis suscepti, ejusque ex hac vita discessus, si non certus, attamen probabilis investigari & constitui potest. Andreas Dandulus in Dominico Flabanico Duce Venetorum mortem Conradi I. Germaniæ regis & Imperatoris, initia regalia Henrici ejus filii, profectionem Romanam S. Gaudentii temporibus iisdem adscripsit: *Hoc tempore,* inquit, *Venerabilis vir Gaudentius...... de Sclavonico regno in Italiam navigans &c.* Conradus autem obiit anno 1039., eique statim in regnum Germaniæ, ac deinde in Imperium Henricus III. successit; ex quo videtur effici posse discessum Gaudentii e Dalmatia vel in eumdem, vel certe in annum proximum, quod est verisimilius, conferendum esse. Carolus Sigonius Ecclesiam Absorensem ab Gaudentio dimissam fuisse scripsit anno 1040.; sed is Romanum iter, quocum annus ille congruit, cum tacitum prætermiserit, a Pontificatus abdicatione non distinxit. In urbe mansit fere duos annos; quod tempus in gravissima illa, quorum caussa venerat, negotia conficienda insumpsit. Anno 1042. Roma profectus Anconam se contulit; & postquam ex illo morbo, in quem inciderat, convaluisset, in cœnobium Novi Portus secessit, seque ipsum vitæ monasticæ addixit, quam Petrus Damianus biennii spatio definivit: *Post biennium feliciter obiit;* ex quo fit, ut anno 1044. ad cælum migraverit. Hic fuisse annus emortualis S. Gaudentii dignosci etiam potest e nota illa, quam eidem scripto ejus vitæ affixit: *Anima ipsius ascendit ad Superos, ut obsequium compraeberet in ejus Ascensione,* id est Christi Domini: Anno siquidem 1044. festa & solemnis comemoratio Christi Domini in cælum ascendentis in Ecclesiæ fastis adscripta erat ad diem alterum & tricesimum mensis Maji; postridie vero hujus diei Gaudentius, ut idem auctor affirmat, qui ab ea celebritate proximus erat, idest Kalendis Junii, ad cælum conscendit, triumphalem illum Christi ingressum cum Superis celebraturus. De monachatu S. Gaudentii siluit quidem S. Petrus Damianus, sed fidem facit nulli dubitationi obnoxiam monachus ejus contubernalis, & vitæ monasticæ socius; ceterum idem Damianus cum scripsit non longe ab urbe Ancona Gaudentium mortuum esse, nullum alium locum videtur significare voluisse, nisi cœnobium Novi Portus, in quo pie sancteque decessit.

Absoro discessit, & Anconæ Episcopatum dimisit, & monasticum habitum sumpsit.

Obiit.

Additamentum III.

De corpore S. Gaudentii Absorum advecto.

Ob sepulcrum S. Gaudentii ædis Marianæ celebritas aucta.

Corpus S. Gaudentii in æde S. Mariæ Portus Novi conditum plurimis Deus illustribusque adornavit miraculis, quorum aliquot Scriptor ejus vitæ narravit. Quocirca ejus sepulcrum ab indigenis juxta advenisque assidua frequentia, & eximia veneratione colebatur. Cultus ac religio S. Gaudentii cum magis in diem magisque effloresceret, non solum Basilicæ Marianæ magnam apud omnes famam & celebritatem conciliavit, sed etiam ad monasterium illud tum agris ac prædiis augendum piorum hominum liberalitatem, tum vero ad illud tuendum, & amplissimis privilegiis ornandum Summorum Pontificum & Imperatorum auctoritatem excitavit. Extant diplomata Alexandri III., Lucii III., Honorii III., itemque Henrici III. Imperatoris, qui Abbatem & Monachos Novi Portus, & omnia eorum bona nominatim expressa in fidem & clientelam Sedis Apostolicæ, Imperiique Romani recipiunt; & gravissimis pœnis tum ecclesiasticis, tum multatitiis interposi-

Digitized by Google

positis, severissime cavent, ne qua illis injuria, vel detrimentum inferatur. Dum corpus S. Gaudentii mansit apud Monachos Benedictinos Portus Novi, nunquam ejus sepulcro defuit vel pia indigenarum & accolarum frequentia ac veneratio, vel copia donorum ac votivarum tabellarum, vel denique vis quædam divina & benefica erga miseros & calamitosos S. Gaudentii opem auxiliumque implorantes. Sed postquam sacrosanctum illud depositum, commune illarum gentium perfugium ac præsidium alio avectum est; Gaudentii nomen & cultus tum apud Anconitanos, tum apud finitimos populos paullatim exsolevit; ac demum sic prorsus evanuit, ut ne tenue quidem antiquæ erga illum religionis vestigium supersit. Anno *1299.*, ut est in Tabulis Anconitanis, ingenti terræmotu cœnobium Novi Portus cum æde Mariana corruit; ab hujusmodi ruina nihil illius ædificii intactum superfuit, nisi locus ille, in quo monachi ad Comitia, atque ad consultandum de re ac disciplina monastica congregari solebant. Hic locus in templi formam redactus, & consecratus est, atque in summo altari deposita fuit effigies Deiparæ Virginis in cælum sublatæ, miraculis inclyta, quæ in veteri basilica summa religione colebatur. Monachi in urbem recepti sunt ab Anconitanis; & apud templum S. Martini, quod a Martino quodam pio cive & opulento conditum, Jacobus Presbyter filius fratris Martini, eisdem ante aliquot annos donaverat, domicilium sibi ad tempus collocarunt. Landus Ferettus in sua historia MS. Anconitana auctor est cœnobium Neoportus, seu Novi Portus reædificatum fuisse; & Cyprianum Episcopum Absorensem anno circiter *1335*, ab ejusdem monasterii Abbate & monachis impetrasse, ut monachos Absorenses S. Petri in suam societatem ac tutelam reciperent; & missis illuc aliquot viris eximiæ virtutis, & instituti monastici peritis, collapsam ibidem monachalem disciplinam restituerent. Eugenius IV. an. *1436.* cœnobium Novi Portus cum omnibus fundis & proventibus commendavit & attribuit Mensæ capitulari Anconitanæ, in cujus Tabulario omnes ejusdem cœnobii codices asservantur; sed in his de S. Gaudentio Absorensi Episcopo, ac deinde monacho Novi Portus, ne littera quidem invenitur. Adeo post translationem Absorensem corporis Gaudentiani vetustas & oblivio omnem ejus memoriam abolevit. Celebre quidem est in illis locis nomen S. Gaudentii, sed non Absorensis, verum Ariminensis Episcopi, qui sæculo quarto sub Constantio Imperatore floruit, & in Conciliabulo Ariminensi unus fuit de illis, qui vocem *Consubstantialis* constantissime defenderunt. Alios quoque ejusdem nominis Divos Christiana religio colit, Gaudentium Novariensem, Gaudentium Veronensem, Gaudentium Brixiensem Episcopos, Gaudentium fratrem S. Adalberti Archiepiscopi Gesnensis, & Gaudentium monachum S. Vincentii. Sed cultus & veneratio, quæ his adhiberi solet, ad nostrum referri nullo modo potest. Hujus quippe notitia ac religio non solum apud Dalmatas viget, quæ quidem abhinc multis sæculis una cum ejus corpore ex Italia in Dalmatiam migravit.

Post Corpus S. Gaudentii alio avectum, ejus nomen & cultus exsolevit.

Monachi Anconam migrarunt.

Cultus S. Gaudentii Absorensis pariter cum ejus Corpore in Dalmatiam migravit.

De translatione Absorensi Corporis S. Gaudentii narratio incerta & popularis.

Quam certa est opinio, multarum ætatum consensu firmata, & omnibus veritatis notis insignita, corpus S. Gaudentii apud Absorenses asservari colique in æde cathedrali, idque omnibus persuasum est; tam incertum est quo tempore, quo auctore, quave ratione illuc e cœnobio Anconitano Portus Novi translatum fuerit. Fama & auditione a majoribus se accepisse ajunt a naviculario quodam divinitus admonito devectum esse, qui, cum ad sinum quemdam illius insulæ appulisset, arcam, in qua inclusum erat, ibidem humi defoderit; post multos vero annos interjectos inventum, certisque ex indiciis cognitum cum fuisset, in urbem delatum esse. Sinum illum maritimum adhuc ostendunt, qui quamvis aperto mari expositus sit, nullisque repagulis munitus ad ventos ac tempestates arcendas, perpetua tamen tranquillitate gaudet, nullaque aura commovetur, licet mare circumcirca intumescat, & turbinibus ac procellis quam vehementissime agitetur: idcirco ei nomen est *Malaciæ*. Ex appulsu autem sacratissimi illius corporis divinitus factum esse putant, ut vis omnis ventorum, motusque procellosus inde arceatur. Verum hæc cum nullo satis certo auctore, ac nulla veterum litterarum fide nitantur, sed solum populari quadam traditione ac fama in vulgus percrebuerit; vereor ut cordatis & eruditis viris probari possint. Cum igitur de translatione corporis S. Gaudentii ad insulam Absorensem nihil ab antiquis traditum, nihil litteris proditum sit, en cujus tandem ego rei, præter opinionem, quæ sua cuique conjectanti esse potest, auctor sim. Simile veri est tunc e cœnobio Novi Portus sublatum, devectumque in Dalmatiam fuisse, cum graves ac perniciosas inimicitias haberent inter se ac gererent Jadertini & Anconitani. Id autem sæculo decimo tertio contigisse Tabulæ Jadrenses docent. Utrique pro more illorum temporum armatis lembis, & piraticis latrociniis infestam alteri alteris tum navigationem, tum oram maritimam reddebant. Multa damna ultro citroque illata & accepta, & varii generis prædæ utrinque abactæ. Cum igitur Jadrenses exscensu e navibus in terram facto oram Anconitanam depopularentur, credibile est monasterium Novi Portus ab illis direptum, & corpus S. Gaudentii ablatum fuisse; magno tunc erant in honore ac pretio sacræ Divorum exuviæ, quas seu rapere, seu furari, pii cujusdam ac religiosi officii loco putabant, & in urbium direptione nullam hac potiorem & sanctiorem prædam esse ducebant. Præterea Jadrenses æquum esse existimabant suæ Gaudentium Ecclesiæ reddi, ejusque demortui Corpus apud illos asservari, quos ipse, dum viveret, divinis mysteriis ac præceptis excoluerat. Adde quod ad jus ac decus suæ & Dalmaticæ nationis pertinere existimabant, Corpus sanctissimi Episcopi sui popularis repetere; & multo æquius esse illud apud Dalmatas, quam apud alienigenas, possideri colique. Rem vero suam agere putabant, si pretiosissimum illud depositum Absorensibus recuperarent; quippe civitas & Ecclesia Absorensis ad metropolim & provinciam Jadertinam pertinebat. His itaque beatissimi viri spoliis læti ovantesque Jadertini, perinde ac si thesaurum ingentis pretii adepti fuissent, quam maxima poterant celeritate, in Dalmatiam trajiciunt, invectique sinum insulæ Absorensis, quem a Malacia cognominari diximus, navigium ad ripam applicant, arcam ligneam, in qua inclusum erat Corpus Gaudentii, in locum remotum a mari, devium abditumque deferunt, & ibidem alte

Translatio S. Gaudentii ex cœnobio Portus Novi ad insulam Absorensem.

alte in terram defodiunt, tumulum arena obruunt, nullis relictis indiciis, unde quid ibi lateret, dignosci aut investigari posset. Verebantur enim ne, si locus ille, in quo absconditum fuerat, vulgo innotuisset, Anconitani quod sibi ablatum fuerat, aut vi aperta repeterent, aut furtim surriperent. Ceterum sacri Corporis furtum ab Jadrensibus factum Anconitanos latere non potuit; ne illud reddere cogerentur, cum paullo post depositis odiis armisque inter se reconciliati sunt, pax ita convenit, ut quae seu jure, sive injuria utrinque ablata fuerant, neutri ab alteris repeterent. Extant Tabulae compositionis in hanc sententiam confectae anno 1256. Ita possessio sacratissimi illius Corporis Anconitanis adempta, apud Absorenses perpetuo mansit; ejusque ex Italia in Dalmatiam translatio referri potest ad annum circiter quinquagesimum quintum saeculi decimi tertii. Neque aliud tempus magis idoneum, neque alia rerum opportunitas aptior videtur excogitari aut reperiri posse, cui haec translatio innecti queat.

Ex loco devio delatum fuit in aedem cathedralem.

Non multo post pacem cum Anconitanis redintegratam, Absorenses ab Jadertinis admoniti cum essent de loco, ubi Corpus S. Gaudentii in eam insulam transvectum infoderant; veterem injuriam quantis maximis studiis & officiis compensaturi, quem virum majores eorum propter suam nequitiam & contumaciam abscedere coegerant, mortuum summo cum honore excipere decreverunt. Itaque Episcopus & clerus, magistratus & populus solemni & frequentissima supplicatione ad locum sibi ab Jadertinis indicatum adeunt, terram effodiunt, arcam ligneam inveniunt, extractam cum Psalmis & Hymnis intra moenia in aedem cathedralem deferunt; ac delatum summa omnium gratulatione ac veneratione subter aram maximam collocarunt. Dies inventi Corporis, simulque in urbem translati fuit ante III. Kalendas Augusti; quem diem fastis hujus Ecclesiae adscriptum, singulis annis clerus Absorensis anniversariae psalmodiae ac liturgiae cultu concelebrat. Saeculo decimo quinto cum urbem contra piratarum incursiones validius muniri oporteret, eam breviori ambitu circumscriptam, iis moenibus ac propugnaculis cinxerunt, quibus a maritimis praedonibus tuta esse posset. Intra muros urbis contractae aedes cathedralis includi non potuit; quocirca Corpus S. Gaudentii, ne piratarum injuriis & latrociniis expositum esset, in urbem delatum ferunt, ac depositum in quadam aedicula, quae nunc etiam titulum S. Gaudentii retinet, ac prope abest ab aede nova cathedrali, quam eodem saeculo Antonius Panzichius Episcopus ingenti substructione sumptuque moliri coepit; & saeculo decimo sexto, cum ad fastigium perducta & ornata esset, Coriolanus Garzadorus itidem Episcopus Corpus S. Gaudentii, veteri arca lignea inclusum, cui inscriptus erat annus 1317. e proximo sacello in aedem cathedralem transtulit anno circiter 1577. v. Kalendas Februarii, & in summo altari collocavit. Hujus translationis diem in fastos Absorensis Ecclesiae referri jussit, & singulis annis ritu cultuque ecclesiastico celebrari. Aediculam S. Gaudentii, ne antiquam religionem e sacris illis exuviis ibidem conditis acceptam amitteret, vetustate collabentem refecit, & picturis ornavit, quae adhuc extat, eximiaque civium veneratione ac frequentia colitur, Simon Gaudentius Episcopus arcam e selectis pretiosisque marmoribus atque eleganti opere faciundam curavit; & anno 1713. Corpus S. Gaudentii arca veteri exemptum in hac reposuit. Tres sunt arcae sepulcrales, duae ligneae, tertia marmorea, quas Ossa sanctissimi hujus Episcopi, ex una in aliam translata consecrarunt. Omnium antiquissima, & prima fortassis, quae sacrum illius cadaver excepit, atque ad insulam Absorensem detulit, servatur in aede cathedrali prope baptisterium. Alteram vero, cui insculptus est annus 1317., ex aedicula S. Gaudentii Coriolanus Episcopus, ut supra diximus, in aedem cathedralem transtulit, & in ara maxima collocavit. Hanc eo loco sublatam in sacrario ejusdem aedis deposuit, ubi nunc extat, Simon Gaudentius, in ejusque locum tertiam marmoream substituit, ubi nunc conditum est Corpus S. Gaudentii. Hujus pars anterior constat e lamina aenea inaurata, quae quibusdam statis ac solemnibus diebus amoveri solet, ut civibus sacri Corporis, non solum venerandi, sed etiam inspiciundi, & per otium contemplandi potestas fiat. Addita inscriptio: *Corpus S. Gaudentii Episcopi Auxerensis*. Tribus clavibus obserata est, quarum unam Episcopus, alteram Archidiaconus, tertiam magistratus urbis apud se retinent. Totum Corpus, carne prorsus exesa, constat e solis ossibus, quae tamen artificiosa coagmentatione, filisque argenteis ita sunt conjuncta & connexa, ut integri Corporis speciem exhibeant. Obtegitur veste aurea, sericis & purpureis floribus intexta; caput insigni ac pretiosa mitra conspicuum eminet, pulvinari ex textili aureo sericoque incumbens; altera tiara, cum sandalibus pontificiis caerulei coloris, ad ejus pedes apposita est. Ibidem extat capsula, in qua inclusi sunt ejusdem dentes candidi nitidique, nulla earie aut rubigine infecti. Abest alterum brachium, quod repositum est in theca argentea, ad similitudinem naturalis atque humani brachii haud vulgari opere facta; & in solemnibus supplicationibus per urbem circumferri solet.

Duae arcae ligneae, in quibus olim conditum fuit, & tertia marmorea, ubi nunc servatur.

Brachium sejunctum a corpore.

Additamentum IV.

Singularis Absorensium erga S. Gaudentium religio, & patrocinium S. Gaudentii Absorensibus aeque promptum ac beneficum.

Absorensium antiqua & perpetua erga S. Gaudentium religio.

Cum Absorum de morte S. Gaudentii & miraculis in vita & post mortem editis allatum esset; incredibile dictu est quantum Absorenses suorum in sanctissimum Episcopum inique factorum poenituerit; & pristina contumacia in venerationem versa, statim eum colere, invocare, & summum honorem mortuo, cui tantam injuriam vivo fecerunt, deferre omnes coeperunt. Exinde nunquam illorum erga S. Gaudentium religio deferbuit; quin immo magis magisque crevit in dies effloruitque; praesertim postquam sacras illius exuvias adepti, Corpus beatissimi viri, veluti quoddam publicae salutis & felicitatis certissimum pignus apud se retinent, & magna cura ac vigilantia custodiunt. Cum jam inde ab antiquissimis temporibus Patronus primarius civitatis esset S. Nicolaus Mirensis Episcopus, alterum sibi suaeque urbi & ecclesiae Patronum adoptarunt S. Gaudentium, quem, ut Joannes de Rubeis Episcopus Absorensis scriptum reliquit, *tota haec dioecesis filium* (quippe eum Absori natum fuisse existimant),

Pa-

Digitized by Google

Patronum, & Episcopum habuisse gloriatur, & nunc Intercessorem. Diem natalem & festum S. Gaudentii Kalendis Junii, quo die ad Superos migravit, sollemni ritu ac religione clerus populusque concelebrant, & ecclesiastico municipali jure, ac præcepto ab operibus servilibus vacare omnes jubentur; hujus diei venerationem ac celebritatem in octavum usque diem perducunt. Inter preces matutinas recitari solebat historia de illius vita, virtutibus ac miraculis in novem lectiones juxta ritum antiquum distributa; sed cum Pius V. varias ac multiplices formulas recitandi preces canonicas, quas in singulas ecclesias consuetudo invexerat, ad normam Breviarii Romani revocari conformarique jussisset; Coriolanus Garzadorus Episcopus per litteras Sedem Apostolicam consuluit, utrum novem illas lectiones retineri, componique cum ea, quam Pius præscripserat, divini officii persolvendi formula liceret. Nullum ex urbe responsum recepit. Itaque decrevit salva in ceteris psalmodiæ partibus Piana methodo, integrum cuique esse vel proprias & antiquas S. Gaudentii, vel communes Confessorum & Pontificum lectiones ad pensum canonicum adhibere. Verum Joannes de Rubeis Episcopus communes ab omnibus recitari jussit, quibus propriæ & antiquæ, si liberet, adjungi possent; sed vel nemo fuit, vel certe pauci fuerunt, qui lectiones duplicandi onus subire vellent. Exinde usus veterum lectionum desuetudine exolevit. Quocirca Officium S. Gaudentii nihil habet proprii, præter orationem, & antiphonam ad duo cantica in laudibus & vesperis adhibendam, quæ sunt hujusmodi: *Confessor invictissime Gaudenti, constantissime urbis Auxeri protector & refugium, nostris acquiesce precibus, & pro salute omnium funde preces ad Dominum*.

℣. *Ora pro nobis Beate Gaudenti*.

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*.

Oremus.

Deus qui Ecclesiam tuam B. Gaudentii Confessoris tui atque Pontificis virtutum copiis illustras, ac protegis, da nobis quæsumus ejus nos semper gaudere patrociniis, cujus meritis gloriamur. Per Dominum nostrum &c. Hac die sollemnis supplicatio quam maxima pompa & frequentia peragi solet, Episcopo pontificiis vestibus atque insigniis ornato Brachium S. Gaudentii gestante, Capitulo, clero, & piorum virorum sodalitiis præeuntibus, Prætore urbis, magistratu, & ingenti multitudine prosequente, qui non solum e finitimis insulis locisque, sed etiam ex Istria frequentissime concurrunt, & sepulcrum S. Gaudentii oblatis cereis, aliisque muneribus colunt. Ad augendam ejus diei celebritatem nundinæ indici solent ab omni vectigali & portorio immunes, ad quas cujusque generis negotiatores confluunt. Duos præterea dies singulis annis ob duplicem Corporis S. Gaudentii translationem memorabiles, scilicet duodetricesimum Januarii, ac tricesimum Julii, ut supra dictum est, clerus Absorensis ecclesiastico ritu et officio concelebrat. Ad honorem S. Gaudentii, ejusque patrocinium civitati ac civibus impensius conciliandum, altera supplicatio instituitur die Dominica quarta solemnis quadragesimalis jejunii. Brachium S. Gaudentii ad utramque urbis januam, quæ mari, quæque terræ obversa est, hymnum *Iste Confessor* decantantes, deferunt; utrobique conceptis verbis pro incolumitate civium, fertilitate agrorum, S. Gaudentii meritis interpositis, vota faciunt; quibus ad extremum hanc precationem subjiciunt: *Domine Jesu Christe, qui in introitu Hierusalem valvas sanctificasti, dum splendore duodecim gemmarum totidem Apostolorum nomina præsignasti, & per organum propheticum prædixisti, Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te: Te quæsumus Domine humiliter deprecamur, ut ponas inter omnes fines civitatis istius pacem bonam, ut in ipsa & inter homines velociter currens sermo tuus adipe frumenti satiet eos, & Spiritus Sanctus defendat omnes habitantes in civitate ista in Christum credentes, ut nunquam prævaleat inimicus in ea; sed omnes interius voce & opere decantent dicentes: Magnus Dominus & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

Supplicatio sollemnis ejus festo ac pridiano die fieri solet.

Altera solemnis supplicatio die Dominica quarta Quadragesimæ.

Venerationem habent apud Absorenses loca illa, quæ olim S. Gaudentii vestigiis impressa, & eximiarum virtutum exemplis, ejusque sacris exuviis consecrata fuisse fama & auditione a majoribus acceperunt; veluti ædes vetus cathedralis, quæ illius Corpus ab Italia, & Portu Malaciæ devectum excepit; ædicula S. Gaudentii proxima novæ basilicæ cathedrali, in qua, post urbem breviori mœniorum ambitu circumscriptam, depositum fuit; itemque templum ac cœnobium Benedictinum perantiquum S. Petri, quod monachorum discessu vacuum, alicui viro ecclesiastico honoris ac remunerationis caussa, cum reditibus eidem annexis commendari solebat. Sunt qui conditorem utriusque esse existiment S. Gaudentium, & Monachum antea fuisse, quam ad regendam Ecclesiam Absorensem eligeretur; ex quo fieret, ut, cum Episcopatum deposuit, non tum primum vitam monachalem inierit, sed per aliquot annos intermissam repetierit. Mons est altissimus, duo circiter passuum millia ab urbe in occasum & meridiem distans. In medio fere monte, & loco declivi visitur Crypta admodum angusta & tenebricosa, in quam statis temporibus se recipere solitum Gaudentium fuisse ajunt, ut ibidem ab omni hominum consortio conspectuque sejunctus, rerum divinarum contemplationi vacaret. Hæc ab indigenis pariter atque advenis singulari veneratione colitur. Huc crebri peregrinorum concursus, qui ante effigiem S. Gaudentii cereos accendunt, ejus opem implorant, votivas tabellas beneficiorum ab eo divinitus acceptorum testes appendunt. In summo hujus montis fastigio eminet sacellum S. Nicolai, & ferme ad ejusdem radices loco prævalto ædicula S. Laurentii incumbit. Inter hanc & illud passim visuntur rudera quædam & vestigia parvarum cellarum, hac illac in dorso montis dispersa, quas ab Eremicolis, sive ab Anachoritis olim habitatas ferunt. Suspicio est non improbabilis hæc loca condita & culta fuisse ab Eremitis Camaldulensibus ex disciplina S. Romualdi, cui fere æqualis fuit S. Gaudentius, & quemadmodum cum S. Petro Damiano, sic etiam cum S. Romualdo familiaritate conjunctus esse potuit. Satis autem constat S. Romualdum venisse in Istriam, & apud Parentium monachis cœnobium, Eremitis sui Ordinis parva domicilia fundasse, ut est in ejus vita apud Bollandum: *Romualdus autem tribus annis in Parentinæ civitatis finibus habitans, in uno monasterium construxit, & Abbatem in eo cum Fratribus ordinavit;*

Loca vestigiis S. Gaudentii consecrata.

Crypta S. Gaudentii.

Digitized by Google

navit; in duobus vero inclusus mansit. Nec vero absimile est eum ex Istria proxima ad insulam & civitatem Absori se contulisse, vel aliquos suæ disciplinæ alumnos misisse, qui monasticum, sive eremiticum institutum ibi propagarent.

Absorensium religio ac fiducia erga S. Gaudentium.

Absorenses cum perpetua & constanti erga B. Gaudentium veneratione summam spem in ejus patrocinio repositam conjungunt; atque in periculis & asperis temporibus, in privatis ac publicis incommodis & difficultatibus ad ejus opem confugiunt. Neque auxilium suum S. Gaudentius frustra implorari patitur. Argumento sunt multa & magna beneficia afflictis & supplicibus divinitus collata, quorum alios e letiferis morbis ad sanitatem revocavit, alios naufragiis exemit, alios aliis infortuniis vel eripuit, vel prohibuit. Sed præsertim ad communes calamitates sive arcendas, sive depellendas præsto est præsidium S. Gaudentii, publicis votis ac precibus imploratum. Semel atque iterum sæculo superiori ingens locustarum multitudo in agrum Absorensem, & Chersensem incubuerat, & satis arboribusque cladem minitabatur. Brachium S. Gaudentii, sive insigne ex ejus Corpore fragmentum, pia & frequentissima supplicatione circumlatum, objectumque noxiis animalibus, protinus pestem illam depulit, ac disjecit. Si quando agri vel nimia siccitate laborant, vel assiduis imbribus obruuntur; ad pluviam, vel serenitatem impetrandam, imploratione S. Gaudentii nihil est præsentius & validius. Haud multis ante annis mare insulæ circumfluum, ceteroquin natura piscosum, uberes & copiosos proventus, quos incolæ e piscatu percipiunt, denegabat. Brachium S. Gaudentii, jussu Prætoris ad oram maritimam delatum, huic mari pristinam piscium ubertatem & copiam restituit. Tutelæ ac patrocinio S. Gaudentii acceptum referunt indigenæ, quod neque Turcis, nec piratis, a quibus sæpe infestum fuit Mare Adriaticum, ad insulam populandam, prohibente S. Gaudentio, accessus patuerit.

Absorenses & Crepsenses serpentes innoxii.

Illud etiam non insulæ solum, sed toti diœcesi Absorensi commune beneficium patrocinio S. Gaudentii vulgo adscribunt; quod in utraque insula Absoro, & Crexa, scopulisque circumjacentibus, viperæ & serpentes prorsus innocui sunt, omnique veneno mortifero exarmati. Hanc præterea terræ Absorensi, & Crexensi, propter merita & preces S. Gaudentii, vim divinitus inditam esse ajunt, ut si qua ex utroque solo particula, quam ut *S. Paulli* Melitenses Africani, sic *S. Gaudentii Gratiam* Absorenses Dalmatæ vocant, quocumque afferatur, hoc ad veneficos hujusmodi bestiarum morsus præsentissimum remedium esse affirmant. Ita scilicet execrationem illam, qua Gaudentius propter flagitia & pervicaciam incolarum, terram gentemque illam vivus perculerat, mortuus adventu atque attactu sui corporis in salutarem ac faustam precationem convertit; & qui præteritæ contumaciæ & nequitiæ virus omne insigni pœnitentia ex animis evomuerant, eos ab omni noxiorum animalium veneno immunes esse voluit; & summos honores sibi suisque exuviis adhibitos singulari beneficio compensavit. Quamvis ergo utraque insula serpentum varii generis sit admodum ferax, nullum tamen noxium, nullum generi humano infestum gignit; & vel ipsi pueri viperas impune manibus tractant, atque in sinu fovent ac ferunt; quin immo si aliunde hujusmodi animalia, suapte natura venefica, in alterutram insulam inferuntur, statim atque in terram deposita sunt, disrupta intereunt, quod multis & certissimis experimentis compertum est. Terra Absorensis & Crexensis, quocumque deferatur, ubique eamdem vim retinet. Anno 1690. apud Flumen, quod est oppidum S. Viti in ora maritima, cum in horto Patrum Societatis Jesu e fovea quadam angues innumerabiles emergerent, ac veluti ebullirent; Absorensi terra conspersi omnes interierunt; eaque in scrobem illam injecta, maleficam progeniem penitus extinxit. Fuerunt qui vim huic terræ, licet alio asportatæ, inditam experiundi caussa, viperam virulentam ac letiferam in circulum concluderent, ex una parte terra Absorensi, ex altera carbonibus obseptam; illa vero cum exitum undique sibi obstructum videret, in hos insilire, quam terram illam attingere, maluit. Scio equidem non defuturos, qui vim hanc terræ Absorensi, & Crexensi naturaliter ingenitam esse existiment; & alias terras ac regiones ab antiquis Scriptoribus commemorari, e quibus angues viperæque vel innoxiæ gignuntur, vel si quæ illuc accesserint, procul arceantur; earumque glebis adversus quælibet venena remedium præsentissimum inesse ajunt, idque naturæ locorum adscribi oportere; quin de terra quoque Melitensi, quam *Gratiam S. Paulli* vocant, idem sentiunt ac dicunt. Sed utcumque de aliis locis ac terris ex veterum scriptis opinari libeat; nemo certe ex Scriptoribus & Geographis antiquioribus, ac ne ipse quidem Plinius diligentissimus investigator rerum naturalium, qui Absyrti, sive Absori, & Crexæ mentionem fecit, vel alterutram, vel utramque insulam veneficorum serpentium immunem esse scripsit. Neque satis certo hoc colligi potest e fabulis Hygini, qui hæc tradit: *Absoritani serpentum multitudini resistere non poterant. Medea ab eis rogata lectas eas, in tumulum fratris conjecit, quæ adhuc ibi permanent; si qua autem extra tumulum exit, debitum naturæ persolvit*; nam Hyginus fortasse non Absoritanos Dalmatas intelligi voluit, sed Absoritanos Asiæ populos, apud quos Absyrtum fratrem Medeæ cæsum ac sepultum tradunt Arrianus, Procopius, & alii non pauci: argumento esse potest tum Absorum oppidum Cappadociæ in confinio Colchorum, tum sepulcrum Absyrti, quod inibi ostenditur. Nec longe abest Armenia, ex qua *Terra Armeniaca, quam Bolum Armenum, sive Orientalem vocant*, cui ad profligandos serpentes, eorumque letales morsus sanandos vim miram inesse ferunt. Hyginus autem scriptor fabulosus more Poetarum e regione non ita longinqua virtutem illam alexipharmacam Absorum in Cappadociam transtulit, ad eamque alludere voluit, cum ob serpentes illos in sepulcrum fratris per Medeam contrusos, Absoritanos Asiaticos ab omni noxiarum bestiarum vexatione & periculo liberatos fuisse scripsit. Ceterum cum singularis illa utriusque insulæ Dalmaticæ immunitas a venenatis & mortiferis animalibus, divinæ virtuti, & patrocinio S. Gaudentii verisimilius, quam naturali efficientiæ attribui possit; non video quid caussæ sit, cur hanc piam credulitatem multarum ætatum consensu firmatam ex Absorensium & Crexensium animis eximi oporteat; ex qua nihil detrimenti, plurimum

mum

mum adjumenti capiunt ad suam erga Deum & B. Gaudentium venerationem fiduciamque augendam.

LAURENTIUS EP. ABSORENSIS IV.

Laurentius Episcopus Absorensis

Oriundus e Dalmatia teste Archidiacono; sed qua ex urbe & familia, incompertum est; illud quoque latet e monasticone, an e clericali Ordine ad hanc ecclesiam regendam assumptus fuerit. Nobili genere natum, & eximiis virtutibus, factisque præclaris illustrem fuisse oportet, cum dignus habitus esset, qui Sancto Gaudentio in sedem illam episcopalem subrogaretur, unusque omnium maxime idoneus, qui divinum illum virum ipsius vestigiis persequi posset, & sanctissimum illud veteris Sacerdotii exemplum excipere, ipseque aliis, qui succederent deinceps, exemplo esse. Cum igitur S. Gaudentius anno 1042., ut diximus, apud cœnobium Novi Portus monasticum institutum amplexus, Ecclesiæ Absorensi nuncium remisit; hujus regimen Laurentius suscepit, & usque ad annum hujus sæculi undesexagesimum retinuit. Quæ per annos fere septemdecim ad cultum divinum amplificandum, & Christianæ plebis religionem ac pietatem augendam, laudabiliter gesserit, vetustas & oblivio intercepit; sed de his conjecturam fieri velim ex illis pulcherrimis factis, & sanctissimis institutis, immortali memoria dignis, quibus illustravit Ecclesiam Spalatensem, eique mirifice profuit; hæc a nobis exposita sunt in historia ejusdem Spalatensis Ecclesiæ. Anno igitur 1059., cum Joannes IV. Pontificatum Spalatensem voluntaria abdicatione deposuit in Concilio provinciali, cui præsidebat Maynardus Legatus Sedis Apostolicæ, cuique ipsemet Laurentius interfuit, cunctis Episcoporum suffragiis ex Absorensi Episcopo creatus est Metropolita Spalatensis, ut docet Thomas Archidiaconus cap. XIII. *Cum omnes Spalatensis Metropolis Episcopi convenissent, antequam dimitteretur Concilium, tractatum est de electione Metropolitani, quia Ecclesia Spalatensis tunc vacabat. Et factum est divina inspirante gratia, ut omnium mentes & vota in personam venerabilis Laurentii Apsorensis Episcopi, qui cum cæteris Suffraganeis ad Synodum venerat, concordarent, ipsum in Patrem & Archiepiscopum unanimiter postulantes. Missa ergo electione ad Romanam Curiam, postulationem de ipso factam Domino Papæ præsentaverunt. Et quia testimonium habebat bonum ab omnibus, facile admissa est petitio eorum. Deditque Summus Pontifex licentiam transeundi, mittens ei pallium dignitatis, cum confirmatione privilegiorum metropoliticæ auctoritatis. Fuit autem Laurentius iste Dalmatinus origine, statura quidem pusillus, sed sapientia magnus.*

ad metropolim Spalatensem translatus.

PETRUS EP. ABSORENSIS V.

Cujus nomen adscriptum invenio diplomati Cresimiri regis Chrobatiæ & Dalmatiæ, qui Sibenici in amplissimo Episcoporum & Procerum conventu anno 1066. cœnobio Mariano Virginum Jadrensium, & Cichæ Antistitæ regiam libertatem donavit. Hanc donationem laudavit approbavitque *Laurentius Archiepiscopus, Stephanus Episcopus Jaderæ* . . . . & loco postremo *Petrus Absoren. an. 1066.* Extat formula solemnis sacramenti, quo suam fidem atque obedientiam Laurentio suo Metropolitæ obstrinxit: *Ego Petrus Ecclesiæ Asarensis futurus Episcopus promitto tibi Domino Laurentio, tuisque successoribus canonice intrantibus me fidelem & obedientem secundum ordinem meum. Sic me Deus adjuvet, & ista quatuor Evangelia.*

BASILIUS EP. ABSORENSIS VI.

Hujus Pontificatum Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis in catalogo Antistitum Absorensium cum anno 1069. & 1076. conjunxit. Sansegus insula est diœcesis Absorensis contra Absorum ad meridiem sita, & non ita lato interjecto mari disjuncta. In ea hisce temporibus ædificatum est templum ac cœnobium Benedictinum S. Michaelis, cui Pagenses sive Chessenses nescio quid maleficii aut injuriæ cum intulissent, contagiosa lues in insulam atque oppidum Pagi invasit; magnas strages edebat, terrore omnes perculerat. Admonitu S. Nicolai, in cujus tutela sunt loca omnia diœcesis Absorensis, intellectum est illam pestilentiam, Deo patrati sceleris ultore immissam esse. Itaque ut divinam iram placarent, Pagenses templo & monachis S. Michaelis donarunt templum S. Petri in Neumis, cum ædibus & prædiis eidem annexis, quod ipsi possidebant in parva quadam insula, quæ angulo insulæ Absorensis ad orientem extremo objacet. Donationis Tabulæ anno 1071. confectæ sunt ejusmodi: 1071. *Indict. 9. Tempore Cresimiri Dalmatinorum, & Croatinorum Regis, & Dragi Arben. Episcopi instrumentum, per quod Kessensis Communitas, quando monasterium S. Michaelis de Sansigo in primordio ædificationis ipsius, occulte & aperte offenderant, & per revelationem S. Nicolai Deus sua misericordia nos visitasset, quod strages, qua deprimebamur, ob id eveniret; pro emendatione malefacti, quod fecerant, donant monasterio Sansicovo monumentum suum S. Petri de insulis Neumis, cum suis utrisque insulis, perpetuo possidendum; salva tamen justitia Arbensis Episcopatus; cui subscripsere Mozolinus Arbensis, & Kessensis Comes, & multi alii Kessenses.* Anno 1075. Gerardus Archiepiscopus Sipontinus, Gregorii Papæ VII. Legatus in Dalmatiam missus, Episcopos provinciæ Spalatensis ad Concilium convocavit, de quo in Laurentio Archiepiscopo Spalatensi. *Interfuerunt autem isti Suffraganei Ecclesiæ Spalatensis*, ut docet Archidiaconus cap. XVI., *Primus Laurentius Archiepiscopus, secundus post eum Stephanus Episcopus Jadrensis, Joannes Traguriensis . . . . . . Basilius Apsarensis, & alii multi*. Cum Svinimirus rex Dalmatiæ & Chrobatiæ, ædem S. Georgii in Putalio cum omnibus prædiis ad eam pertinentibus donasset Laurentio Archiepiscopo, & Ecclesiæ SS. Domnii & Anastasii, hanc donationem sua præsentia & approbatione laudavit Basilius Episc. Absarensis, cum aliis Dalmatiæ Episcopis: *Ego quidem Svinimir Chroatorum ac Dalmatinorum Rex residens in meo Regno, anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. Indict. vero XIV., die IX. mensis Octobris &c. &c. Acta sunt hæc in præsentia horum servorum Dei, videlicet Stephani Episcopi Jadrensis . . . . Basilii Episcopi Absorensis.*

Templum ac cœnobium Benedictinum S. Michaelis in insula Sansego.

Basilius Concilio provinciali Spalatensi interfuit.

GUILLELMUS EP. ABSORENSIS VII.

Quem consecravit Crescentius Archiepiscopus Spalatensis, ineunte sæculo duodecimo in sedem me-

Digitized by Google

metropolitanam Laurentio subrogatus; qui sub consecrationem ab eodem jusjurandum in sua verba, suasque leges more majorum ab eo exegit: *Ego Guilelmus Absarensis Episcopus promitto fidelitatem & obedientiam ab hac hora in antea, secundum ordinem meum Ecclesiæ Spalatinæ, & tibi Crescentio Archiepiscopo nostro, tuisque successoribus canonice intrantibus. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Quatuor Evangelia.*

PETRUS II. EP. ABSORENSIS VIII.

Petrus III. Ep. Absorensis interfuit Concil. provin. Spalaten.

Interfuit Concilio provinciali, quod Crescentius Jaderam convocavit, cujus annus ignotus est, siquidem in quodam fragmento ejusdem Concilii, cujus acta interierunt, cum aliis Episcopis provinciæ Spalatensis nominatur *Petrus Absarensis*. Colomanus rex Hungariæ sub initium sæculi duodecimi, dum aberat classis Veneta in orientem ad sacram expeditionem profecta, per vim ac fraudem Venetis Dalmatiam eripuit. Anno ejusdem sæculi undecimo, cum in hac regione versaretur, amplissimum Ecclesiæ Arbensi privilegium concessit, quod Episcopi omnes, qui erant in regio comitatu, approbarunt, & laudarunt. Inter hos Petrus Absorensis locum postremum obtinet: *Anno Dominicæ Incarn.* IIII., *Indict.* 4., *Epacta nona concurrentibus. Ego Colomanus Rex Hungarorum per misericordiam Dei potitus Regno Dalmatiæ &c. Datum est hoc privilegium dictæ Ecclesiæ Arbensi per manus venerab. Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi . . . . . in præsentia suorum Episcoporum & Comitum, quorum nomina hæc sunt, Marcelli Vaciensis Episcopi . . . . . Crescentii Archiepiscopi Spalatensis, Anastasii Tinninien. . . . . . . Petri Absarensis Episcopi, & Generalis Domini Regis Curiæ; & ut hoc privilegium &c. &c.* Petro Episcopo Absorensi id honoris & officii datum fuerat, ut in Curia regali *Generalis* titulum gereret, ac locum teneret; sed huic vocabulo quid muneris subesset, mihi non est compertum. Cresimirus etiam, cum Episcopatum Tinniniensem instituisset, hunc Episcopum titulis, & muneribus perhonorificis aulæ, & curiæ regalis decoravit, ut dictum est in historia Ecclesiæ Tinniniensis. Hæc autem Episcoporum, & Ecclesiæ Tinniniensium propria & perpetua esse voluit; verum dignitatis & muneris, quod Petro contulit Colomanus, ad ejus successores propagari noluit; nemo enim Antistitum Absorensium post Petrum, *Generalis Regis Curiæ* appellatus esse reperitur. Unum Petrum hoc nomine & honore amplissimo affecit, vel propter ejus eximia merita, vel propter suam in eum benevolentiam. Petrus vitam & Pontificatum perduxit usque ad annum circiter 1142., nisi forte inter hunc & Petrum Camasium unus aut alter interjectus fuerit, cujus nomen ac memoriam vetustas abolevit.

PETRUS III. EP. ABSORENSIS IX.

Patria Jadertinus, filius Camasii, Clericus Ecclesiæ Jadrensis. Anno circiter 1141., cum sedes episcopalis Jadrensis vacaret, hanc dignitatem Petrus cum duobus aliis ejusdem ecclesiæ clericis, Lampridio, & Martino petebat. Lampridius obtinuit nixus favore & patrocinio Petranæ Comitis, sive Rectoris civitatis, qui ut leniret acerbitatem repulsæ, quam alii duo clerici acceperant, Martino quidem Phariensem, Petro Absorensem Ecclesiam conferendam curavit, ut tradit Archidiaconus cap. xx.: *Vacante Ecclesia Jadrensi, tres ejusdem Ecclesiæ clerici ad Pontificatus honorem certatim aspirabant, videlicet Lampridius Marichnæ, Petrus Camasii, Martinus Manzavini. Comes vero civitatis erat eo tempore Petrana. Hic cœpit fovere partes Lampridii . . . . . . Tandem Lampridius iste Jadrensis Episcopus factus est . . . . . . Prædicti autem clerici, qui ad Episcopatum anhelaverant, cœperunt inimicari Comiti ob favorem Lampridii, qui volens eos sibi pacatos efficere, uni* (id est Petro) *consensit Episcopatum Apsorensem &c.*

Petrus III. Episcopatus Jadrensis obtinendi spe depulsus, Absorensem obtinuit.

Huic Ecclesiæ dum Petrus præsidebat, Eugenius III. Ecclesiæ Jadertinæ jus ac titulum metropoliticum contulit, eidemque Episcopatum Absorensem, cum duobus aliis Veglensi, & Arbensi, a Spalatensi Metropoli detractum contribuit.

Ecclesia Jadrensis jure metropolitico aucta; eique Absorensis Episcopatus subjectus.

LANFREDIUS EP. ABSORENSIS X.

Interfuit Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. cum aliis duobus Episcopis provinciæ Jadertinæ Arbensi & Veglensi an. 1179. In Actis quippe ejusdem Concilii Labbeanæ Venetæ editionis nominantur ante Metropolitam & Episcopos provinciæ Spalatensis *Andreas Arbensis*, *Dabro Veglensis*, *Lamfredius Absarensis*. Abest Thebaldus Archiepiscopus Jadertinus ob eam caussam, quam in hujus historia declaravi.

COSMUS EP. ABSORENSIS XI.

Hunc mihi suppeditavit Chronicon manuscriptum Joannis Marini Gondolæ, Patricii Ragusiensis, viri doctissimi, qui suis rebus & scriptis præclaris patriam illustravit. *Anno 1197. Bernardus Archiepiscopus Ragusinus cum Andrea Arbensi, & Cosmo Absarensi Episcopis consecravit Dragostum* (alias Rhadagastum) *Episcopum Bosnensem*; sed Maurus Orbinus tum Pontificatum Bernardi Archiepiscopi Ragusini, tum consecrationem Rhadagasti ad superiores annos revocavit.

ALBERTUS EP. ABSORENSIS XII.

Notus mihi est ex Tabulis Jadrensibus confectis an. 1224., in quibus nominatur *Albertus Episcopus Absarensis*. Hunc illum fuisse censeo, cui mandatum dedit Honorius III., ut ipse cum suo Archidiacono ex juris formula reciperet, & scripto consignandam curaret abdicationem Episcopi Polensis, qui a Pontifice petierat, ut sibi Ecclesiam illam dimittere liceret. Id constat ex epistola ejusdem Pontificis ad Patriarcham Aquilejensem: *Honorius &c. Ven. Fr. Patriarchæ Aquil. sal. &c. Dilecti filii Archidiaconus & Capitulum Polense transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum Ven. Frater noster J. Episc. Polen. propter diversas causas, quas nobis per suas litteras intimavit, petiisset cum instantia cessionem; nos tandem ejus devicti precibus, ven. Fratri nostro Episcopo & Archidiacono Absorensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut vice nostra cessionem recipientes, ipsius Capitulo mandarent, ut sibi de persona idonea per electionem canonicam in Episcopum providerent. Sed nunc prædictus Polen. Episcopus monitus ab eisdem, cedere prætermittit, prout iidem suis nobis litteris insinnarunt. Cum itaque præ-*

Digitized by Google

prædictus Episcopus &c. Dat. Later. 4. Idus Septem. Pontific. nostri anno 6. idest Christi 1222.

Adventus S. Francisci ad insulam Abfori.

Memoriæ proditum est his temporibus B. Franciscum appulisse ad insulam Absori, cum martyrii cupidus in Syriam contenderet, duo fere millia passuum ab urbe, in eo vico maritimo, cui nomen est *Neresine*; ubi posterioribus ætatibus, locum illum sanctissimi viri vestigiis impressum consecrandi caussa, conditum est templum & cœnobium S. Francisci, quod etiamnum extat. De adventu S. Francisci in hanc insulam hæc litteris mandavit P. Franciscus Gonzaga Tomo I. de origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ: *Ad eum Sinum ultra Quarnarium portus occurrit, in quo Seraphicus Pater Franciscus, dum Terræ S. loca peteret, triremi vectus aliquando substitit, unde & S. Francisci nomen sibi obvenit. Ab hoc igitur portu Orsaris antiquissima, ut ejus ruinæ adhuc ostendunt, civitas aliquantulum distat, a paucis habitatoribus ob aeris intemperiem inculta, sed convicinis populis ob S. Gaudentii Martyris* (Episcopi & Confessoris) *Corpus ibidem sepultum celeberrima insuper & commendatissima; cujus nobilissima quædam civis atque matrona, Seraphicæ Religioni addictissima, hoc loco monasterium a x. Fratribus incultum, in honorem B. ejusdem Francisci ad mille passus ab ejus mœnibus, ac juxta maritimum Sinum circa annum 1490. a fundamentis ad verticem usque suis sumptibus erigi, perficique diligentissime curavit.*

G. EP. ABSORENSIS XIII.

Corpus S. Gaudentii in æde cathedrali collocatur.

Quem Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus anno 1240. adscripsit. Post hunc annorum circiter quadraginta lacuna duos vel tres Episcopos interjectos sic prorsus absorbuit, ut perinde ac si nulli fuissent, omnem illorum memoriam aboleverit. Inter eos annos Corpus S. Gaudentii ex Anconitano cœnobio Novi Portus, ut supra diximus, antea transvectum Absorenses ingenti lætitia & gratulatione in æde cathedrali collocarunt. Hoc sæculo insulam ac principatum Absorensem obtinebat Rogerius Maurocenus. Hanc siquidem insulam Veneti jure fiduciario possidendam dederant Leonardo Michaeli filio Vitalis Michaelis Ducis Venetorum, qui e conjuge, filia Ducis Deslæ, genuit Dariam, quæ in monumentis illorum temporum *Comitissa Absarensis* appellatur. Hæc principatum hujus insulæ e Michaelia in familiam Maurocenam jure ac nomine dotali transtulit. Nupsit siquidem Rogerio Mauroceno filio Dominici Mauroceni, qui Præturam Jadrensem sæculo duodecimo annos ferme triginta gessit. E Rogerio & Daria natus est Petrus Comes Absorensis an. 1236., ex Petro alter Rogerius, qui anno 1243. Arbensem adjunxit ad principatum Absorensem. Postremus e gente Maurocena Comes & Dominus Absori fuit Bazeda Maurocenus; quo extincto sub initium sæculi decimi quarti, Absorenses a Senatu petierunt, impetraruntque, ut hereditate ac successione fiduciaria abrogata, Comitem seu Prætorem insulæ altero quoque anno præficerent, cujus imperium biennii spatio definiretur. Primus fuit Andreas Daurus anno 1304. ab Senatu seu Majori Consilio Comes Absori electus. Hæc ex monumentis Venetis & Dalmaticis.

MICHAEL EP. ABSORENSIS XIV.

F. Michael Episcopus Absorensis per Vicarium interfuit Concilio provinciali Gradensi.

Patres Minores Franciscani jamdudum Jaderæ, & fere jam inde ab ipsis sanctissimi hujus Ordinis primordiis, domicilium obtinuerant, quod tum doctrina, tum sanctitate eximia florebat. Ex eo assumptus est ad Ecclesiam Absorensem regendam Fr. Michael patria Jadertinus, de quo Lucas Vadingus Tomo II. Annalium: *Floruit hoc in loco Magister Michael de Jadra Provincialis Dalmatiæ, Inquisitor hæreticæ pravitatis & Episcopus Abserensis.* De illo perhonorifica mentio facta est apud alios Scriptores Franciscanos, Octavium Spaderum in Catalogo insignium virorum Dalmatiæ ex Ordine Seraphico, Franciscum Gonzagam de origine Religionis Franciscanæ, Petrum Antonium de Venetiis Auctorem Viridarii Seraphici. Hujus Pontificatum Vadingus ad an. 1290., Auctor Viridarii ad annum 1293. referunt. Sed neque rerum ab eo gestarum memoria extat, & annus emortualis ignotus est. Si anno 1296. adhuc vivebat, Concilio generali Gradensi, quod Ægidius Patriarcha eodem anno convocavit, Michael per suum Vicarium interfuit, ut docent Acta ejusdem Concilii: *Nos Frater Ægidius Dei gratia S. Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, Dalmatiæque Primas, una cum venerabilibus Fratribus, & Suffraganeis nostris, videlicet Dominis A. Civitatis Novæ . . . . . Petro Nicolao Clerico de Vicentia Procuratore Ven. Patris D. Fratris J. Jadrensis Archiepiscopi, & Vicario Abserensis, & Martino Piloso Plebano S. Stephani de Jadra Procuratore Capitulorum Jadrensis, & Abserensis &c.* Michael obiit Absori, & sepultus fuit in æde antiqua cathedrali, ex qua translatus est ad novam ædem cathedralem, & conditus apud altare S. Rocchi, retento veteri operculo marmoreo, in quo ejus effigies insculpta visitur, Franciscano quidem habitu atque vestitu, sed cum mitra & lituo pastorali. Circa effigiem incisa est hæc inscriptio litteris majusculis: SEPVLCRVM RDI IN XTO PRIS ET DNI DNI FRATRIS MICHAELIS DE IADRA ORDINIS MINORUM QUI FVIT INQVISITOR HÆRETICÆ PRAVITATIS IN ORDINE SVO POSTMODUM MINISTER PROVINCIÆ DALMATIÆ DEMUM EPVS ABSERENS CVIS ECCL. . . . . . . REXIT . . . . NIS . . . . . QUI OBIIT ANNO DOMINI . . . . DIE. . . . Tabula marmorea cum variis locis, tum ubi scripta erant quæ desunt, diffracta est, & hiantibus rimis disjuncta; quam ob caussam annus emortualis dignosci nequit.

Inscriptio sepulcralis.

ANGELUS EP. ABSORENSIS XV.

Hunc habemus ex diplomate Jacobi Metropolitæ Jadrensis, qui concessu Pagani Episcopi Patavini cum duobus Episcopis suæ provinciæ, Fr. Georgio Arbensi & Fr. Angelo Absorensi, ac tertio certæ urbis Antistite, omnibus & singulis, qui Basilicam Antonianam Patavinam supplices adirent, & reliquias Divorum ibidem conditas pie venerarentur, tantum de pœna pro delictis debita remisit, quantum ad eam expiandam satis essent opera pœnalia quadraginta dierum, e præscripto Canonum pœnitentialium injuncta.

Digitized by Google

Diploma Jacobi Archiep. Jadertini secundum Ecclesiam Patavinam S. Antonii.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis. Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus, qui eorum patrocinia per condignæ devotionis obsequia promerentur. Illum quoque venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est, & retributio meritorum. Nos igitur ad consequenda prædicta gaudia causam dare fidelibus cupientes omnibus & singulis utriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui ad ecclesiam Beati Confessoris Antonii de Padua accedentibus . . . . . . reliquias Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum in quibusdam venerabilibus altaribus, ac ipsa altaria, in quibusdam anchonis ipsius ecclesiæ reconditas ex speciali veneratione, ac devotione visitare . . . . . . de omnipotentis Dei misericordia, & Beatæ semperque Virginis Mariæ gloriosæ genitricis . . . . & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & Beati Antonii Confessoris patrocinio confidentes quadraginta dierum veniam peccatorum suorum misericorditer relaxamus de consensu & auctoritate Reverendi in Christo Patris D. Pagani Dei gratia Paduani Episcopi, prout nobis . . . . . . manifestum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum.

Et ego Fr. Jacobus Dei gratia Archiepiscopus Jaderæ sigillum meum apposui. Jaderæ in nostro Palatio . . . . . . Kalen. Madij.

Et ego Fr. Georgius Dei gratia Episcopus Arbensis sigillum meum apposui. Dat. in nostro Palatio XVI. *Kal. Madij.*

Et ego Fr. Angelus Dei gratia Auserensis Episcopus sigillum meum apposui. Dat. in nostro Palatio XII. *Kal. Madij.*

Et ego Fr. Petrus Dei gratia Episcopus . . . . . sigillum meum apposui. Dat. Paduæ in domo Minorum.

Episcopatus Absorensis Angeli referendus est ad initium sæculi decimi quarti. Fuit siquidem, ut ex descripto diplomate colligitur, æqualis tum Jacobo Metropolitæ Jadrensi, qui Pontificatum & vitam ab anno 1300. usque ad undecimum vel duodecimum ejusdem sæculi annum perduxit, tum Pagano Episcopo Patavino, qui in hanc sedem episcopalem conscendit an. 1302. Fortassis hic est ille, quem Joannes Metropolita Jadrensis ex mandato Bonifacii VIII. Absorensibus Episcopum dedit, ut est apud Vadingum Tomo II. Annal. *F. Joanni Minoritæ Archiepiscopo Jadrensi scripsit Bonifacius VIII. an. 1295., ut præficeret Ecclesiæ Abserensi sibi suffraganeæ aliquem ex Minoritis.* Si Angelus hic fuit, quem Archiepiscopus Jadrensis ad hanc ecclesiam regendam elegit, erat ipse quoque ex Ordine Franciscano, ut Michael ejus decessor; hic autem obierit necesse est eodem anno 1395., vel superiori; demum non Michael, sed Angelus Vicarium misit, qui anno 1296. in Synodo provinciali Gradensi suas partes ageret, suumque locum teneret. Neque hanc nostram conjecturam infirmat nota hæc ad eum Vadingi locum, margini apposita: *Fortasse Arbensi*. Siquidem in catalogo Antistitum Arbensium nullus nomine Angelus reperitur, qui per eos annos Ecclesiæ Arbensi præfuerit.

BONIFACIUS EP. ABSORENSIS XVI.

Hujus nomen & Episcopatum Absorensem semel tantum reperio in Tabulis Dalmaticis confectis anno 1315. *Bonifacius Episcopus Absorensis*, ut ibi notatum est, cum ceteris Episcopis Dalmatiæ, Avenionem ad pontificium ærarium transmisit pensionem quamdam Ecclesiis Dalmatiæ a Clemente V. impositam.

GUILLELMUS II. EP. ABSOREN. XVII.

Ex catalogo Antistitum Absorensium, quem mihi communicavit Bonaventura Bernardus Episcopus Absorensis; dicitur *electus fuisse* anno 1325, Joanne XXII. Avenione sedente.

CYPRIANUS EP. ABSOREN. XVIII.

Hunc nobis suppeditavit historia MS. Anconitana Comitis Landi Ferreti ex antiquis codicibus cœnobii Portus Novi Anconam translatis, atque in Tabulario Capituli Anconitani depositis. Anno circiter 1335., ut ibidem scriptum est, Cyprianus Episcopus Absori & Crepsæ a cœnobiarcha & monachis Novi Portus petiit impetravitque, ut monachos Absorenses S. Petri in suam clientelam ac societatem reciperent; & missis illuc viris gnaris ac peritis Instituti Benedictini, collapsam ibi disciplinam monasticam restituerent.

BONIFACIUS II. EP. ABSOREN. XIX.

Ex catalogo Antistitum Absorensium, quem confecit P. Philippus Riceputus; non aliunde illum accepisse videtur, nisi ex Vadingo, apud quem post hunc Bonifacium vita functum anno 1363., creatus esse dicitur

MICHAEL II. EP. ABSOREN. XX.

De quo Vadingus Tomo IV. Annalium: *Fr. Michael de Jadra ad Ausaren., sive Osaren. Ecclesiam assumptus est per obitum Bonifacii 15. Cal. Julii, an. 1363.* Idem confirmat Auctor Viridarii Seraphici; sed hujus Episcopatus initia in annum sequentem rejecit. Cum Michael Ecclesiæ Absorensis regimen suscepit, Absorus, & universa Dalmatia cum insulis omnibus erat sub imperio Ludovici regis Hungariæ, quo cum Veneti sub ea conditione pacem fecerunt anno 1358., ut hi quidem Dalmatiæ possessione cederent, ille vero restitueret quidquid in Istria, in agro Tarvisino, & Cenetensi Venetis ademerat. Michael huic ecclesiæ annos fere quadraginta præfuit. Plerumque Jaderæ versabatur cum Chrysogono cœnobiarcha S. Petri; uterque enim in illa civitate domicilium sibi constituerat, propterea fortassis, quod cælum Absorense insalubrius quotidie fiebat; nec tamen prætermittebant, quin aliquando suum gregem inviserent. Ceterum ex absentia utriusque res ecclesiastica & monastica non parum detrimenti cœperat. Id Absorenses cum ægerrime ferrent, utrumque negligentiæ & incuriæ accusarunt apud Legatum Sedis Apostolicæ, qui tum Jaderæ versabatur. Is erat, ut mihi videtur, Nicolaus Presbyter Cardinalis præpositus titulo ædis urbanæ S. Cyriaci, quem Urbanus VI. anno 1386. in Dalmatiam miserat, ut dissensiones ac turbas componeret, quas seditiosi homines ac perduelles excitaverant; atque ut incolarum animos ac fidem erga Mariam reginam legitimam, obedientiamque confirmaret; quippe Ludovicus rex Hungariæ moriens an. 1382. Mariam filiam natu maximam heredem regnorum Hungariæ

Michael II. Ep. Absoren. cum Abbate S. Petri Jadera sedet.

Uterque accusatur apud Legatum Sedis Apostolicæ.

&

Digitized by Google

& Dalmatiæ instituerat. Accusationum capita hæc erant: *Michaelem Episcopum & Petrum Abbatem Jaderæ otiosos sedere, qua in urbe sibi domicilium exstruxerant, in quo vitam quietam sine ullo labore & contentione traducerent, omni cogitatione curaque tum ecclesiæ, tum monasterii deposita atque aliis relicta*. Propter absentiam utriusque & incuriam, palatium episcopale ac templum S. Petri & S. Paulli collabascere, ac ruinam minitari; ædem parœciæ in Sansego insula jam corruisse, neminem esse, qui ejus reficiendæ curam susciperet; templum in scopulo Uniæ, qui Absaro adjacet ab occasu, recenter exstructum, nondum consecratione initiatum fuisse; ædes vero S. Nicolai, & S. Magdalenæ prope Cryptam S. Gaudentii incultas esse, ac desertas a Sacerdotibus & populo; ipsamque S. Gaudentii ædiculam prope ædem cathedralem, sine lampade, sine sacrificio, sine ullo cultu relinqui, illuvie & situ squalere; cisternam monasterii corruptam esse; ab cœnobiarcha domum juris episcopalis alienatam fuisse, itemque e scopulo Uniæ ab eo decimas exigi, quæ ad mensam episcopalem pertinebant. Nicolaus quæsitorem ac judicem delegavit Damianum Episcopum Nitriensem, Mariæ reginæ Consiliarium, qui Absorum profectus Michaelem Episcopum, & Chrysogonum Abbatem S. Petri citari imperavit; & cum vera esse comperisset, de quibus accusati fuerant, secundum Absorenses sententiam tulit, jussitque ædificia labentia restaurari, sacris ædibus neglectis & obsoletis pristinum splendorem, & cultum restitui; templum Uniæ intra diem octavum a proximis feriis paschalibus consecrari; itemque decrevit, ut Abbas domum alienatam redimeret ac mensæ episcopali redderet, cisternam S. Petri expurgaret ac reficeret; uterque vero omni tempore, alter in cœnobio ad regimen suorum monachorum, alter in palatio pontificali ad gubernacula ecclesiæ traditæ sederet. Cum autem inter utrumque controversia esset de jure colligendi decimas & scopulo Uniæ, hanc reliquit cognitioni & judicio Legati apostolici, ad quem uterque intra quatuor menses Jaderam se conferret cum suis tabulis, litisque instrumentis, e quibus unde jus staret, plane aperteque dignosci posset. Hæc acta sunt anno 1387., XIII. Kalendas Februarii, & inserta codici Statutorum municipalium civitatis Absorensis, ex quibus summam hujus controversiæ ac sententiæ desumpsimus. Michael eodem anno templum S. Nicolai, incumbens vertici montis Absori, itemque S. Mariæ Magdalenæ ad radices ejusdem montis, & S. Paulli prope monasterium S. Petri restauravit; & suos ædi Gaudentianæ Præfectos & Sacerdotes, suumque ornatum & cultum restituit, ut docent monumenta Absorensia.

Sententia Damiani Episcopi Nitriensis.

THOMAS EP. ABSOREN. XXI.

PACTIUS EP. ABSOREN. XXII.

Utrumque habeo ex catalogo pontificali, quem pro singulari sua humanitate ad me transmisit Bonaventura Bernardus, vir eximiæ religionis, & doctrinæ, qui nunc huic Ecclesiæ summa cum laude præsidet. Pactius e Corbaviensi ad hanc Ecclesiam translatus esse dicitur. Abest quidem a catalogo Antistitum Corbaviensium; sed inseri potest inter Nicolaum qui anno circiter 1380., & Geminianum, qui anno 1410. gubernacula Corbaviensis Ecclesiæ susceperunt. Notæ chronologicæ utrique appositæ correctione indigent. Thomas obiisse anno 1416., & Pactius anno sequenti in locum Thomæ suffectus esse dicitur. Verum enimvero ante annum 1416. Maurus, & Isidorus Ecclesiæ Absorensi præfuerunt; nec vero Isidorus ante annum 1410. Episcopus Absorensis renunciatus fuit, ut docent Tabulæ consistoriales. Itaque Episcopatum Thomæ & Pactii ad annos posteriores decimi quarti, & priores sæculi decimi quinti revocari oportet.

MAURUS EP. ABSOREN. XXIII.

Hujus Pontificatus testes sunt Tabulæ consistoriales paullo post citandæ; referri potest ad annos priores sæculi decimi quinti; nec vero ultra annum decimum ejusdem sæculi produci.

ISIDORUS EP. ABSOREN. XXIV.

Erat cœnobiarcha monachorum Absorensium S. Petri, de quo in Tabulis consistorialibus: *Anno 1410. 19. Novembris providit* (Joannes XXIII.) *Eccl. Auxeren. in Dalmatia vacanti per obitum D. Mauri ultimi ejus Episcopi, de persona Fratris Isidori Abbatis monasterii S. Petri Auxeren.* Ne annum quidem Pontificatum gessit. Eo rebus humanis exempto Joannes XXIII. Ecclesiam Absorensem decrevit F. Gigo ex Ordine Franciscano, ut est in Actis consistorialibus: *Anno 1411. VI. Idus Novembris provisum est Ecclesiæ S. Mariæ in insula Chersi & Auxeri vacanti per mortem, de persona F. Gigi Ordinis Min.* Sed cum morte sublatus electi nomen ad breve tempus retinuerit, abest a catalogis Antistitum Absorensium.

VITUS EP. ABSOREN. XXV.

Ex insula & urbe Crexa oriundus, in familiam Seraphicam S. Francisci nomen dederat, ex qua ad gubernacula hujus Ecclesiæ admotus fuit, ut tradit Lucas Vadingus Tomo V. Annalium. *Fit Episcopus Auserensis in Liburnia in ditione Veneta, sub Archiepiscopatu Jadrensi per obitum Isidori F. Vitus de Cherso an. 1412.* Idem tradunt Octavius Spaderus, & Auctor Viridarii Seraphici. Episcopatum Absorensem, sive Auxerensem Vadingus in ditione Veneta constituit, propterea quod jam inde ab anno 1409. Jadera cum Absoro, & plerisque insulis Sinus Flanatici sub Imperium Venetorum redierat; & postea Veneti quidquid civitatum atque insularum Dalmatiæ amiserant, Hungaris ademptum recuperarunt. Huic successit

PETRUS IV. EP. ABSOREN. XXVI.

Cognomento Leonius, primus e Veneta patricia nobilitate, qui huic Ecclesiæ præfuerit. Anno 1439. interfuit Concilio Florentino, ubi nominatur *Petrus Anserensis*. In indice Conciliorum Collectionis Labbeanæ hæc nota apposita est: *Anserensis in Dalmatia, aliter Auserensis, nunc Ossero, sub Archiepiscopatu Jadrensi*. Interdum in monumentis posteriorum ætatum Antistites hujus Ecclesiæ *Anserenses*, sed longe sæpius *Auserenses*, vel *Auxerenses* appellantur. Anno 1440. x. Kal. Maji *coram Reverendo in Christo Patre D. Fratre Jacobo de Drasa Ordinis S.* Bene-

Petrus IV. Episc Absoren. interfuit Concilio Florentino.

Digitized by Google

Benedicti de Auxero, & aliis testibus lectum fuit testamentum piæ cujusdam feminæ Absorensis, quæ vineam & quædam alvearia legavit ad cultum & ornatum *S. Mariæ de Viaro*; ubi conditum est cœnobium tertii Ordinis Franciscani, atque etiamnum extat prope a mœnibus civitatis. Anno 1445. Petrus Ecclesiam Absorensem cum Cenetensi commutavit. Obiit anno 1474.

SIMON EP. ABSOREN. XXVII.

Simon de Valle Ep. civitati & ecclesiæ perutilis.

Civis Venetus, cognominatus de Valle, cujus mentio facta est in codice Statutorum Absorensium. Nec solum ecclesiæ suæ, sed etiam civitati profuit. Perniciosum saluti civium jampridem esse cœperat cælum Absorense; & plerique incolarum aut immatura morte extingui solebant, aut incommoda admodum & imbecilla valetudine utebantur. Ad Principem & Senatum Venetum, cui sanitas populorum suorum præcipuæ curæ est, rem deferendam censuit, ut pro sua providentia civium saluti consuleret; alioquin paullatim, incolis metu valetudinis vitæque amittendæ alio demigrantibus, oppidum in solitudinem redactum iri. Missi sunt duo Provisores extraordinarii Julius Contarenus, & Antonius Venerius, qui architectos, & peritos viros consulerent, quid facto opus esset, ut aer & locus salubrior redderetur. Simon Episcopus ad consultationem adhibitus auctor fuit, ut salinæ quædam urbi proximæ diruerentur, e quibus maligni halitus effluebant; atque illarum demolitio aliquid salubritatis attulit; sed aliæ præterea erant caussæ saluti indigenarum infestæ, quæ haud ita facile dimoveri poterant; ac præsertim mons Absorus a meridie civitati oppositus, qui propitium meridiani solis aspectum avertebat. Cum mœnia urbis partim diruta essent, partim ruinosa, eodem Episcopo auctore, Oratores duo missi sunt Venetias, qui ad muros civitatis reficiendos immunitatem annui tributi in biennium a Senatu postularent; sed nihil tunc obtineri potuit, ut constat ex litteris Francisci Foscari Ducis Venetiarum datis *die xx. mens. Decembris, Indict.* XII. *MCCCCXLVIIII.* Juris ecclesiastici, & sacrorum redituum vindicem egregium se præbuit. Cum administratio decimarum, & piorum legatorum esset penes laicos, qui sartis tectis ædis cathedralis tuendis præerant, & Prosupæ vocabantur, hi rationes accepti & expensi neque Episcopo, neque Presbyteris ab eo constitutis reddere volebant; eosque hujusmodi obligatione solutos declaraverat Bernardus Nanius Comes, seu Prætor Absorensis. Hujus sententiam abrogandam curavit Simon, missis ad Andream Surianum Syndicum, & Provisorem extraordinarium oratoribus Archidiacono, & Archipresbytero, qui tum Crepsæ, seu Chersi morabatur. Hic secundum Episcopum & Presbyteros judicavit.

Decretum Bernardi Nanii juri ecclesiastico repugnans abrogandum curavit.

Nos Andreas Suriano pro Illustrissimo & Excellentissimo Dominio Venetiarum Syndicus & Provisor intra Culphum. Audita lamentatione Georgii Calich . . . . . . Et cum coram nobis & officio nostro comparuerunt venerabiles viri Dominus Presbyter Andreas Archidiaconus, & Vicarius Generalis Reverendissimi Patris & Domini Simonis de Valle Episcopi Aufferensis, nomine ipsius Domini Episcopi, ac Episcopatus, & Dominus Presbyter Johannes Archipresbyter Ecclesiæ Aufferensis, nomine totius Capituli ipsius, sese aggravantes, quod spectabilis vir Dominus Bernardus Nani tunc Comes Aufferi & Chersi terminaverat, quod Presbyteri non possint videre suas rationes Prosupiarum, sive Castaldorum; & visa illa terminatione, & bene examinata, declaramus, quod Presbyteri nomine quo supra, possint videre suas rationes decimarum, & rationes legatorum pauperum Christi, & rationes legatorum Ecclesiæ S. Mariæ Aufferi &c. Omnes & singulas suprascriptas provisiones vigore nostri syndicatus officii præcipimus & mandamus observari facere inviolabiliter. Datum Chersi die XXIX. *Januarii MCCCCXLIX. Indict.* XII.

Decretum Patriarchæ Venetiarum.

Huc pertinet decretum quod fecit Laurentius Justinianus primus Patriarcha Venetiarum anno 1454. in Concilio provinciali, cui Simon Episcopus Absorensis interfuisse dicitur. Ad eum siquidem veluti ad Primatem Dalmatiæ delata fuerat Episcopi & Cleri Absorensis querimonia de laicis, qui potestatem judicium ferendi de decimis, easque distribuendi usurpabant: *Item quoniam causæ decimales spirituales sint, nec honestum sit per judicia laicorum tractari, ea propter decernimus, & decreto inviolabili observari mandamus, quod prædictæ causæ non per laicos, sed ecclesiasticos judices tractari, & terminari debeant; & quod quarta pars ipsarum decimarum spectans, & pertinens, tam ad pauperes, quam etiam ad fabricas ecclesiarum, ad voluntatem & arbitrium dictorum Confratrum nostrorum dari, & distribui debeant; nec aliquis in futurum, nisi prius ab eis Confratribus nostris obtenta licentia, aliter super hoc quomodolibet disponere, seu ordinare præsumat, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus tamen quod quilibet prædictorum Confratrum nostrorum in suis ecclesiis constituat tres Procuratores, unum videlicet Sacerdotem, unum nobilem, & reliquum popularem, qui sine illorum voluntate hujusmodi distributiones facere nequeant.*

Contra laicos qui se decimarum negotiis immiscere audent, decretum Senatus ad Comitem Auxeri, & Chersi transmissum.

Cum laici homines tum Absorenses, tum præsertim Chersenses rursus decimarum negotiis se immiscere vellent, contra quam Patriarcha Venetiarum, itemque Primas Dalmatiæ vetuerat; Dux & Senatus Laurentianam sanctionem confirmavit; & tres eligi jussit Episcopo præsente ac præsidente, unum e clero, alterum e cœtu nobilium, tertium e populo, qui decimas colligerent, administrarent, & pro rata portione ecclesiæ ac pauperibus dividerent. Decretum Senatus Pasqualis Maripetrus Dux Venetiarum suis litteris inclusum transmisit ad Hieronymum Georgium Prætorem Chersi & Aufferi.

Pasqualis Maripetro Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Hieronymo Georgio de suo mandato Comiti Chersi, & Aufferi, & successoribus fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum.

In nostro Collegio auctoritate Consilii Rogatorum die 26. præsentis capta fuit pars infrascripti tenoris, ut inferius videbitis particulariter. Cum pecuniæ decimarum, quæ mere spirituales sunt, non recte administrentur p. aliquos laicos Chersi, captum & provisum fuit in Consilio Chersi præsente Comite nostro anno 1454., die xx. mensis Maji, ut illæ partes decimarum, quæ dispensari debent pauperibus, & in fabricis ecclesiarum, debite administrentur, & dispensentur, quod per Reverendum Patrem Dominum Episcopum

Digitized by Google

pum Aufferensem singulo anno eligantur duo cives Cherfi, unus videlicet nobilis, & alter popularis, qui simul cum ipso Episcopo esse debeant ad canonice & debite dispensandas decimas prædictas, sicque ab antea factum & observatum constitit. Et quoniam a certis mensibus citra, per aliquos cives volentes se immiscere in administrationem pecuniarum dictarum decimarum quæsierunt, quod per ipsum Consilium eligantur annuatim cives deputandi cum D. Episcopo, & non quod per ipsum Episcopum, sicuti disponunt Canones, & juris ordo; & super hoc auditis D. Episcopo prædicto, & civibus Cherfi, & Aufferi, & viso decreto formato per Reverendissimum D. Laurentium olim Patriarcham Venetiarum in Congregatione synodali, sic providendum: Quod in negotiis, & rebus ecclesiasticis servetur ordo juris, & decretorum, ut Dominium & Senatus noster sublevetur a quotidianis stimulis, & molestiis prædictorum, vadit pars, ut pecuniæ prædictæ debite, & pie dispensentur, quod p. D. Episcopum præsentem & successores suos singulo anno eligantur tres, videlicet unus Presbyter, unus nobilis, & unus popularis Cherfi, qui habeant exigere, administrare, & dispensare pecunias omnes decimarum spectantium ad pauperes Christi, & ad fabricas ecclesiarum, secundum formam juris; & illi tres, qui fuerint electi uno anno, non possint eligi ad annos x. proxime immediatos, sicuti dicti Episcopi, & cives remanserunt concordes, ut super hoc, sicuti justum & debitum est, servetur forma & ordo decreti editi p. R. D. Laurentium Justinianum olim Patriarcham Venetiarum, quod penitus observari debeat, & contra dictum decretum nullo modo, forma, vel medio fieri vel provideri sine deliberatione Consilii Rogatorum congregati CXX.; & ab inde sub pœna ducatorum centum exigenda per Advocatos Communis, sine ullo consilio, a quolibet contrafaciente; & si quid factum esset, quolibet anno retractetur, & servetur juris ordo, & mandetur auctoritate attributa a nostro Consilio Rogatorum Comiti Cherfi, quod compellere debeat omnes illos, qui haberent de pecuniis decimarum, juridice ad exborsationem earum, ut dispensari, & distribui possint ad illas pias causas, ad quas deputatæ sunt. Et hoc idem servetur in Auffero. De frataleis autem, & scholis, & aliis servetur consuetudo. Mandamus itaque vobis auctoritate nostra, ut partem præfatam, & contenta in ea observetis, & facietis observari inviolabiliter, facientes has nostras in cancellaria vestra ad successorum memoriam registrari, & registratas ipsi Domino Episcopo restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die XXVII. Maji Indict. VI. MCCCCLVIII.

Dux idem Pasqualis Maripetrus paucis post diebus ad eumdem Georgium Prætorem Cherfi & Auxeri decretum Justinianeum suis litteris subjectum transmisit.

Altera epistola Pasqualis Maripetri ad eumdem. *Pasqualis Maripetro Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Hieronymo Georgio de suo mandato Comiti Cherfi & Aufferi, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum.*

Deliberavimus cum nostro Consilio & auctoritate nostri Consilii Rogatorum, quod in facto decimarum, quæ mere spirituales sunt, servetur forma & ordo decreti, seu constitutionis synodalis editæ per R. D. olim Laurentium Justiniano Patriarcham Venet., sicuti per partem superius captam in nostro Collegio, quam aliis nostris litteris vobis misimus, particularius videbitis; & ut de dicto decreto & constitutione claram & particularem notitiam habeatis, mittimus vobis iis inclusum exemplum dictæ constitutionis, annotatæ manu Antonii Jacobi Cancellarii R. D. Patriarchæ Venet., & sigillatæ sigillo Vicarii sui propter absentiam suæ R. Paternitatis. Volumus ergo, & cum nostro Collegio, & auctoritate nostri Consilii Rogatorum, vobis mandamus, quatenus suprascriptum decretum, seu constitutionem præfati R. D. Patriarchæ, prout jacet, observare, & observari facere inviolabiliter debeatis, facientes dictum decretum, sive constitutionem, & has nostras litteras in Actis Cancellariæ regiminis vestri ad futurorum memoriam registrari, & registratas præfato Domino Episcopo Aufferensi, vel nuncio suo præsentari, & restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die VI. Junii, Indict. VI. MCCCCLVIII.

Reperitur inter constitutiones synodales Patriarchatus Venet. edita p. Reverendissimum Patrem & Dominum Laurentium Justiniano tunc Patriarcham Venet. primum cum suis consulibus R. P. D. Episcopis Suffraganeis in provinciali Concilio ...... die XIII. Maji MCCCCLIV., Indict. tertia, quædam constitutio infrascripti tenoris &c. videlicet

Item quoniam causæ decimales &c. ut supra.

Ego Antonius Jacobi civis Venetus publ. Imper. auct. notarius, &c. &c.

Hæ litteræ receptæ sunt postridie, quam priores.

Igitur litteras Ducales & decretum Senatus Commune Absorensium reverenter excepit; & convocato publico civitatis Consilio, quidquid imperatum fuerat, exsequendum esse decrevit; hoc tamen de suo addendum censuit, ut quæ pars decimarum ad pauperes pertinebat, ex ea subsidium non promiscue omnibus sine ullo delectu atque discrimine, sed illis erogaretur, qui graviori inopia premerentur, nullo habito respectu ad Episcopum, vel quemlibet alium, si forte hic aliter fieri vellet ac peteret.

MCCCCLVIII. die mensis Junii undecimo. Cum per Illustrissimum Ducem Venetiarum, etiam auctoritate Consilii Rogatorum, sub die XXVI. men. Madii 1458. inter cetera in dicta parte terminata & declarata juste & sancte, pro causis & differentiis inter Commune Aufferi & Cherfi, & totius insulæ ex una parte, & D. Episcopum Aufferensem ex altera, occasione dispensationis decimarum pauperum Christi, ac occasione fratalearum, & scholarum terminatum fuerit......, quæ terminatio inter cetera in ea contenta est, quod omni anno eligantur tres, videlicet unus Sacerdos, unus Nobilis, & unus Popularis, qui habeant dispensare ac distribuere tales decimas pauperum, & spectantes ad fabricas ecclesiarum, & quod unus, qui fuerit electus uno anno, non possit eligi usque ad decem annos, sicut latius in dictis litteris ducalibus latissime constat. Verum quia ne pro tempore ipsæ decimæ aliter dispensentur, quam inter pauperes magis egenos, & necessitosos in civitate Aufferi, & ejus districtu, sicut est etiam intentio Illustrissimi D. Venet., ac ut detur principium, via, & modus dispensationis earum, congregato Consilio Aufferi, in quo interfuit spectabilis & generosus D. Hieronymus Georgio p. Illustrissimum D. V. Comes Aufferi, & Cherfi, & totius insulæ, nec non infrascripti Consulares videlicet Stephanus Sbarra judex, s. Matthæus de Pansa loco judicis absen- Decretum Consilii Absorensis.

sentis, s. Colanus de Drasa, s. Martinus de Drasa, s. Matthæus de Budogoi, s. Franciscus de Drasa, s. Bortholus de Bugodoi, Joannes Rotalich, Nicoliza Coranila, Petrinus, Andreas de Neresine, Matthæus Pilananich, Michas Perdulich, Georgius Chiela, Philippus Mochovich, Joannes filius Petrizza, Petrizza de Vegla, Petrus Marongonus, omnes existentes in dicto Consilio congregato in Cancelleria Aufferi, sonata campana juxta solitum, p. nobilem virum s. Matthæum Pansa, ut supra, posita fuit pars infrascripti tenoris, videlicet, quod remanentibus dictis litteris ducalibus firmis & validis, quæ justæ, & sanctæ sunt, & per prædictum Consilium honorifice comprobatæ, omnes & singuli, qui de cetero eligentur per dictum Episcopum Aufferensem, aut successores suos in Auffero ad distributionem talis partis pauperum, non possint modo aliquo sub vinculo sacramenti eis, & cuilibet eorum præstandi, qui ingrediuntur tale officium, tales decimas pauperum dispensare, nisi inter pauperes magis egenos & necessitosos in civitate Aufferi, & ejus jurisdictione, nec aliter ad petitionem D. Episcopi, sive successorum suorum, sive alterius Sacerdotis, aut alterius cujusvis personæ dispensare possint, nisi inter pauperes magis egenos & necessitosos, ut supra dictum est, secundum eorum veram & bonam conscientiam; ita tamen, quod tales electi teneantur dispensare denarios, si denarios habebunt, & exigent; si vero exigant vinum, frumentum, agnos, & hædos, hæc omnia incontinenter dispensare teneantur & debeant, prout exigitur, inter pauperes, ut supra dictum est, & sicuti antiquitus observabatur; ut dicta intentio Illustrissimi Dominii votivam habeat executionem; & quod tales electi teneantur tenere computum ordinatum de omnibus, ut possint ostendi rationes omni anno per dictos sic eligendos in Auffero sub pœna librarum centum parvorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Cujus pœnæ medietas sit Communis Venetiarum, & altera accusantis, qui teneatur sub silentio; & ex tunc sit privatus officio & beneficio Communis Aufferi, & totius insulæ, & quod a cetero non possit eligi ad talem distributionem modo aliquo; & idem intelligatur de illis, qui eligentur ad distributionem & dispensationem partis decimarum spectantium fabricis ecclesiarum; videlicet quod tales electi ad talem distributionem, modo aliquo aut forma distribuant partem decimarum spectantium fabricis (non) ad petitionem D. Episcopi aut suorum successorum, aut Sacerdotis, sive alicujus alterius cujusvis personæ, in reparationibus & fabricis ecclesiarum, & aliis, quæ fuerint utilia & necessaria pro dictis ecclesiis, sicuti antiquitus etiam observabatur; de quibus omnibus teneantur tenere computum ordinatum, ut ostendi possit, quibus ostendi debebit; & denariorum si superabundarent, teneantur successori designare; & sic de successoribus in successoribus; & hæc omnia fieri debeant sub pœna prædicta librarum centum parvarum, & privationis, ut supra dictum est de decimis pauperum Christi, toties exigenda, & cum effectu committenda, quoties contrafactum fuerit modo aliquo, semper ratificando, & probando ea, quæ per Illustrissimum Dominium cum Collegio habente auctoritatem ab Illustrissimo Consilio Rogatorum, circa prædicta declarata fuerunt, & circa alia, ut in dictis litteris ducalibus latissime continentur, referendo singula singulis. Qua parte ballottata ad bussulos & ballottas, fuit obtenta per ballottas XXI. in favorem partis, nulla ballotta in contrarium existente. Quibus quidem omnibus, & singulis pro majori securitate observandis præfatus D. Comes suam, & Communis Aufferi & totius insulæ interposuit auctoritatem, & judiciale decretum subscripsit manu propria.

quod auctoritatem Episcopi diminueret,

Ego Hieronymus Georgio Comes Offeræ & Chersi me subscripsi manu mea.

Cum particula illa: Nec aliter ad petitionem Episcopi, sive successorum ejus, sive alterius Sacerdotis, aut alterius cujusque personæ dispensare possint &c. &c. de reverentia Episcopo debita, ejusque auctoritate haud parum derogare videretur; rogatu ipsius Episcopi Senatus Venetus totum decretum illud Absorense abrogari jussit. Itaque Absorenses jubente Senatu decretum revocarunt, atque irritum fecerunt.

MCCCCLVIII. Indict. sexta, die XI. Augusti. Cancellata de mandato D. Comitis in executionem litterarum Illustrissimi D. Ven. sub die XXVIII. Julii 1458., præsente s. Antonio Landi Cancellario Ill. D. V. ita, quod de cetero dicta pars sit nullius efficaciæ, vel vigoris, ne quis de cetero audeat aliquo modo, vel ingenio, vel aliquo quæsito colore similia temptare vel facere.

ab Senatu abrogari jussum est.

Dum Simon contra laicos sua & ecclesiæ jura tuebatur, Georgius Prætor Absori & Crexæ, cui Vicarius episcopalis ob caussam nescio quam anathematis sententiam inflixerat, Episcopum apud Ducem & Senatum criminatus est, ipsius culpa & incuria templum & monasterium S. Petri Absorensis ei commendatum, non solum incultum esse ac desertum a monachis & presbyteris, qui sacris ibi operarentur, sed etiam collapsis fenestrarum obicibus, quadris marmoreis e pariete divulsis, & ablatis, pedore situque sordescere; ædes & possessiones Episcopatus quotidie deteriores fieri, clericorum mores plane corruptos esse, Vicarium generalem Episcopi multis flagitiis eo loco, quem tenet, & ejus persona, quam sustinet, indignis inquinatum esse, qui eo temeritatis atque audaciæ proruerat, ut publicæ majestatis reverentia posthabita, ipsum Rectorem civitatis ignominiosa censura injustum sacrorum communione privaverit. Ut his malis remedium afferret, & anathematis sententiam a suo Vicario prolatam revocaret, Episcopum hortatus est Pasqualis Maripetrus Dux Venetiarum, gravi simul & officiosa epistola, quam suis ad Prætorem litteris inclusam misit; & hunc admonuit, ut sibi rescriberet, an Episcopus suis monitis atque hortationibus paruerit.

Simon Ep. negligentiæ & incuriæ apud Senatum accusatus.

Pasqualis Maripetro Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Hieronymo Georgio, ac successoribus suis fidelibus, dilectis salutem & dilectionis affectum. Litteras vestras accepimus datas die quarto mensis Junii proxime præteriti, quibus vidimus, quam male teneatur Abbatia, quam habet Dominus Episcopus, ac etiam domus & possessiones Episcopatus, & inhonestates Vicarii sui, & decretorum: quibus intellectis diligentiam vestram commendamus, vosque advisamus, quod ipsi Domino Episcopo scribere deliberavimus, sicuti per inclusam copiam videre poteritis; hortantes suam Paternitatem, eamque requirentes, ut penitus provideat ad reparationem dictæ Abbatiæ, & possessionum Episcopatus, & etiam corrigat Vicarium & Presbyteros. Quare vobis mandamus, ut dictas litteras nostras, quas dirigimus Domino Episcopo,

Epistola Pasqualis Maripetri Ducis ad Hieronymum Georgium Comitem.

iis

Digitized by Google

iis alligatas, suæ Paternitati præsentari facere debeatis, & dare operam intelligendi, si nostræ satisfaciet requisitioni, & nos vestris litteris advisate, ut dare executionem valeamus iis, quæ præfato D. Episcopo scripsimus. Data in nostro Ducali Palatio die x. Junii 1458. Indict. sexta.

Reverendo Domino Episcopo Chersi & Auseri.

Altera ad ipsum Episcopum.

Dolemus maxime nostra pro devotione & reverentia ad Ecclesiam Dei, quia videmus ecclesias locorum nostrorum per fideles subditos nostros, vel eorum progenitores ex eorum propria substantia & facultate fundatas, & doctatas, ut in eis divina celebrentur officia, in ruinam tendere, & pabulum brutorum fieri, & non sine nota Prælatorum ad regimen earum deputatorum; & intendentes omnino providere, cum ad nostram ex relatione fide dignorum pervenerunt audientiam, Abbatiam, quam in insula nostra tenet R. V. P., & ipsius ecclesiam in totalem tendere desolationem; in ea minime celebrari, nec monachos per multa lustra residere, & tenere, & finestras, lapides marmoreos auferri, raptosque, qui ab ea parte corruerunt civitatis, esse direptos; similiterque Episcopatum Chersi, & domos & possessiones tendere in ruinam; Presbyteros infinitas inhonestates committere, & inter cætera Vicarium vestrum Ausseri fecisse excommunicare Rectorem nostrum illius loci, quæ omnia si bene consideraret V. R. P., maxime lædunt etiam honorem suum. Quare intendentes omnino ad hujusmodi inconvenientia providere; hortari & requirere deliberavimus P. V., ut omnino ad Episcopatum suum prædictum Chersi se conferat, & ad regimen ipsius, ut ejus requirit debitum, attendat, provideatque cum effectu, ut Abbatiam Ausseri, & ejus ecclesiam, & muros ... reparare, deputareque Sacerdotes in convenienti numero, qui in ea celebrent, & divinorum officiorum curam habeant; similiter regulare & admonere, & corrigere Sacerdotes, & Vicarium suum, & quod revocet excommunicationem prædictam; & tale edictum factum, quod in rebus per eos gerendis, gravitate, & honestate utantur, quemadmodum requirit sacerdotalis dignitas; ac etiam in reparationem domorum & possessionum Episcopatus antedicti condignam faciat provisionem. Declarantes, quod nisi P. V. hujusmodi nostri requisitionibus satisfaciat cum effectu, cogemur ob Dei reverentiam & honorem sanctæ ejus ecclesiæ opportunam facere provisionem; & inter cætera mandatum, ut de introitibus Abbatis Abbatia recipiat, & in ea teneantur Presbyteri celebrare, & de reditibus Episcopatus, domus, & possessiones episcopales recipiant, & decreta inhonesta de illa insula lacerentur. Die x. Junii 1458.

Cœnobium Virginum Ordinis Benedictini vel conditum vel restauratum.

Sed Simon hoc ipso anno 1458., vel insequenti morte præreptus, quæ sibi imperata fuerant, exsequendi spatium & facultatem non habuit. Dum huic ecclesiæ præsidebat, collegium itemque templum Virginum Absorensium Ordinis Benedictini, cui titulus erat *S. Maria Gratiarum*, postea *de Angelis*, vel conditum, vel reparatum fuit, sumptum & pecuniam suppeditante familia Sbarra, in primis inter Absorenses nobili & copiosa, ut declarat stemma gentilitium ejusdem familiæ infixum super liminari januæ maximæ ipsius monasterii, cui subjectus est annus *MCCCCXLVIII*. Anno, ut dixi, 1458. vel proximo Simon e vivis excessit; sed neque annum mortis, neque locum sepulchri litteris proditum invenio. De utroque interrogati Absorenses, neutrum sibi cognitum esse responderunt.

N. N. EP. ABSOREN. XXVIII.

Sansovinus in eo libro, quem scripsit de sacris ædibus civitatis Venetiarum, tradit duos Antistites sepultos esse in templo S. Antonii Canonicorum Regularium de Castello; & horum alterum Absori Episcopum fuisse, cognominatum *de Fornacibus*, sed ejus nomen silentio prætermisit. Sæculo decimo quinto familia de Fornacibus in primis inter cives secundi ordinis opibus atque honoribus florebat, ex qua Alexander de Fornacibus, qui anno 1470. amplissimum Magni Cancellarii nomen munusque adeptus est. In eo igitur templo penes sacrarium extat sepulcrum ex candido marmore, inscripto aureis Gothicis litteris, sed magna ex parte attritis, & corrosis; ex quibus ne integra quidem sententia elici potest. Hic conditus est Episcopus Absorensis de Fornacibus, cum Ottobellino de Conradis Episcopo Laudensi. Vix quadriennium præfuit.

ANDREAS EP. ABSOREN. XXIX.

Cognomento Calderinus, ex catalogo Antistitum Absorensium nuper mihi ex illa urbe transmisso. Ejus Episcopatus adscriptus est anno 1463. Sed annus emortualis deest, itemque locus sepulcri.

ANTONIUS EP. ABSOREN. XXX.

Cognominari solet *de Pago* ex insula & oppido, unde erat oriundus; sed avitum ejus familiæ cognomen fuit *Panzichia*, sive *Palcichia*. Anno 1465. huic Ecclesiæ jam præsidebat, ut perspici potest ex decreto, quo ædem S. Barnabæ sitam in Pischio, qui locus est insulæ Crexensis, seu Chersensis, vetustate collabentem restaurari jussit; subscriptus reperitur *Antonius de Pago Dei & Sed. Apost. gratia Episcop. Absorensis. Datum Chersii in domibus nostræ residentiæ an. 1465.*, quin ejus initia ad annum superiorem referenda esse declarant litteræ Christophori Mauri Ducis Venetiarum ad Prætorem Absori mox describendæ. Antonius cum sibi suæque valetudini metueret ab inclementia cæli Absorensis, fere semper in patria domi suæ habitabat; minus sæpe, quam oportuerat, Ecclesiam & gregem suum intervisebat, rei Christianæ & ecclesiasticæ procurationem fere totam Vicario suo, suisque administris commiserat. De illius absentia gravissimæ querimoniæ ad Ducem, & Senatum delatæ sunt: cœnobium & templum S. Petri Absorensis, quod cum Abbatis titulo commendatum ei fuerat, itemque palatium episcopale ipsius negligentia & incuria vitium fecisse, collabascere, & nisi quam primum reparentur, prope jam esse ut funditus corruant. Ad hæc: Internuncii Absorensium conquesti sunt de sacra supellectili ædis cathedralis in oppidum Pagi translata, ut esset usui Episcopo ibidem commoranti, cum rebus divinis operam dabat. Christophorus Maurus Dux Venetiarum, suo & Senatus nomine per litteras imperavit Petro Mauroceno Prætori insulæ, ut simul cum Prætore insulæ Arbensis, de quibus arguebatur Episcopus diligenter inquireret; & veri aut falsi quod reperisset, ad se rescriberet. Alteris ad

Variæ in Andream Ep. criminationes de quibus diligenter inquiri jubetur Prætor Absori & Crexæ.

cum

Digitized by Google

cum litteris eodem anno 1464., sed intra finem mensis Martii datis, jussit e proventibus mensæ episcopalis ædificia illa collabentia restaurari, itemque supellectilem sacram, quod in oppido Pagi Episcopus apud se retinebat, Absorum referri, atque in æde cathedrali, unde ablata fuerat, reponi.

Epistola Duc. Ven. ad eumdem Prætorem.

Christophorus Mauro Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus, & sapientibus viris Petro Mauroceno de suo mandato Comiti Chersi & Ausseri, & successoribus suis fidelibus, dilectis, salutem, & dilectionis affectum. Viget inter istam fidelem Communitatem nostram Ausseri, & Reverendum Episcopum loci ipsius magna discordia, quæ nostro Dominio magna querimonia exposita fuit: Episcopatum, & domos Abbatiæ S. Petri ruere, ipsumque Episcopum, qui, uti par est, in suo Episcopatu residere deberet, Pagi inhabitare &c. &c. quam ob rem, ut de hujusmodi rebus vera possit haberi informatio, in nostro Consilio Rogatorum decrevimus, quod Comes noster Arbi istuc venire debeat, & una vobiscum omnia, pro quibus differentia & discordia inter partes orta est, particulariter minutimque oculata fide intelligere, & audire omnes, qui supra ejusmodi rerum declaratione adducentur, omnesque possibiles declarationes sumere, deque omnibus, quæ noveritis, nostro Dominio diligenter significare debeatis; ut habita informatione omnia deliberare possimus, sicuti justitiæ, & æquitati convenire videbitur, facientes has nostras litteras registrare, & registratas restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die xxx. Januarii Indict. XII. MCCCCLXIIII.

Receptæ die prima mensis Martii 1464.

Altera ejusdem ad eumdem epistola.

Christophorus Mauro Dei gratia Dux Venet. &c. Nobilibus, & sapientibus viris Petro Mauroceno de suo mandato Comiti Chersi & Ausseri, & successoribus fidelibus, dilectis, salutem, & dilectionis affectum. Displicenter audivimus tam supplicationem & querelam Nuncii, & Oratoris istius nostræ fidelissimæ Communitatis, quam responsionem, & relationem vestram jussu nostro ad ipsam supplicationem adjunctam, quo in statu & conditione reperitur Episcopatus, & Abbatia ista Ausseri; pessima scilicet & turpissima; nam incuria & negligentia Reverendi Domini Episcopi Ausseren. factum est, ut penitus quodammodo ecclesia cum palatio, & Abbatia prolapsa sit, & in ruinam, & desolationem totalem omnino tendat, usque adeo, ut maximi, & ingentis sumptus reparatione indigeat; cui nisi cito provideatur, actum erit de ecclesia, cum expressa offensa divini Numinis, & majestatis Summi Creatoris nostri læsione. Quid enim dici potest turpius aut magis impium, quam templa & ecclesias in honorem Dei, & Sanctorum suorum extructas, & ædificatas tanto studio majorum nostrorum, per ignaviam, & improbitatem in ruinam, & desolationem prolabi; existimantesque proinde ad officium, & pietatem nostram pertinere occurrere opportune, & non pati, ut penitus ruat ipsa Ecclesia, & Abbatia, imo reparetur, & instauretur pro voto, & desiderio istius fidelissimæ Communitatis nostræ, deliberavimus, & determinavimus, ut accipi & erogari debeat annuatim tertia pars introituum dicti Episcopatus Auxerensis in reparationem ecclesiæ, & Episcopatus prædicti, & Abbatiæ, usque integre reparatum, & instauratum fuerit dictum opus. Et præficiantur duo boni & integri viri ex istis nostris fidelibus, qui una vobiscum teneant computum, & dispensationem expensæ faciendæ in dictum opus, & reparationem, ita ut utiliter, & sine fraude aliqua pecuniæ erogentur. Insuper quod omnes res & apparamenta dictæ ecclesiæ, & Episcopatus, quæ reperiuntur in insula Pagi, reducantur Ausserum ad Episcopatum, & consignentur gastaldis ecclesiæ, sicut justum & honestum est; mandantes vobis, ut hanc nostram deliberationem observare, & exequi omnino faciatis; commonefaciatisque præfatum Episcopum, ut stare contentus debeat hac nostra deliberatione; nam æquum & justum est, ut postquam ...... redditus percepit, & fruitus est, nunc sustineat hoc parum oneris in laudem Dei, & contentamentum istorum fidelium nostrorum, facientes has nostras litteras registrari &c. Dat. in nostro Ducali Palatio die XXVII. Martii MCCCCLXIV. Indict. XII.

Antonius illatas sibi criminationes depellit, atque in accusatores vertit.

Tertias litteras ducales eodem die datas ad eumdem Prætorem Petrum Maurocenum Internuncii Communis Absorensis per falsam suggestionem surripuerant, quibus potestas fiebat laicis hominibus exigendi, ac distribuendi decimas ecclesiasticas, contra quam Laurentius Patriarcha & Senatus decreverant; idque videtur colligi posse ex alia ejusdem Ducis epistola eodem anno, tertio Calendas Junii scripta. De illatis sibi criminationibus cum Antonius cognovisset, statim Venetias advolavit; & cum questus esset contra se absentem inauditumque judicatum fuisse; non solum de quibus accusatus fuerat Duci ac Senatui, se ipse purgavit, & ædificiorum collabentium culpam in suos decessores conjecit, sed etiam in ipsos accusatores actionem instituit, quod jus indebitum colligendi decimas ac distribuendi pro suo arbitratu usurpare volebant, contra quam Laurentius Patriarcha, & Senatus vetuerant; in idque litteras ducales malo dolo & fraude impetraverant. Dux igitur quarta ad eumdem Prætorem epistola tertias superiores litteras revocavit, & quod de exactione, & distributione decimarum Patriarcha & Senatus sanciverant, omnino accurateque servari jubet.

Epistola Duc. Ven. ad Prætorem de exigendis, & distribuendis decimis.

Christophorus Mauro Dei gratia Dux Venet. &c. Nobilibus & sapientibus viris fidel. & dil. &c. &c. salutem, & dilectionis affectum. Comparuit ad præsentiam nostram Reverendus Pater Dominus Episcopus Ausserensis, & conquestus est quod in ejus absentia, inauditisque juribus suis, sed tantum ad suggestionem per istos fideles nostros nobis factam, & pro informatione litterarum vestrarum, vobis scripsimus litteras nostras dici vigesimi septimi Martii præteriti, quibus circa reparationem ecclesiarum episcopalium, & Abbatiæ Ausseri novum ordinem nostrum instituimus contradicentem, & repugnantem superioribus litteris nostris, deliberatis in Collegio nostro auctoritate nostri Consilii Rogatorum sub die XXVII. Maji MCCCCLVIII., quæ disponunt circa hujusmodi, & quod tunc fuerit mens, & sententia nostra in exactione, & dispensatione decimarum, tam pro ecclesiarum sanctitate, fabricis, reparationibus, quam pro erogatione ipsarum inter pauperes Christi, ut decretum per Reverendissimum Dominum Laurentium Justinianum olim Patriarcham Venetiarum in synodali congregatione celebratum approbaretur, & observaretur; quod decretum etiam subsequentibus litteris nostris, videlicet diei sexti Junii ejusdem millesimi datis observari volumus, & ejus exemplum ipsis litteris nostris inscriptum, ad ampliorem infor-

Digitized by Google

informationem, prædecessoribus vestris misimus, ex quibus omnibus litteris per ejus Reverendam Paternitatem productis, similiter ex litteris nostrorum Advocatorum Communis, & copia decreti prædicti, ac nonnullis aliis instrumentis ad hoc propositum celebratis, quæ diligenter videre, & examinare volumus, intelleximus quod præfatæ litteræ mensis diei XXVII. *Martii præteriti ex inadvertentia propter suppressionem veritatis emanatæ, & scriptæ fuerunt. Nam si jura prædicti Episcopi expressa fuissent, & vidissemus priores litteras nostras, ac decretum, & instrumenta antedicta, quæ modo licet ex simplicibus litteris vestris revocari, nunquam ad emissionem dictarum litterarum devenissemus. Quare primo & ante omnia revocatas & irritas facientes præfatas litteras nostras diei præscripti, videlicet* XXVII. *Martii decursi, volumus, & fidelitati vestræ mandamus, quatenus quascumque, & singulas litteras nostras, & Advocatorum nostrorum Communis circa hujusmodi materiam disponentes, ac cetera alia instrumenta observare, & inviolabiliter observari faciatis; non obstantibus litteris nostris, quas, ut prædiximus, tenore præsentium pro revocatis omnino haberi volumus. Itaque pro earum observatione clara præcipimus quæ jam antea instituta fuerant, debitum effectum sortiri, sicut fuit, & præsens est intentio nostra; & quia intelleximus, quod ex ipsa ratione decimarum, & fabricæ multi denarii reperiuntur exacti in manibus istorum fidelium nostrorum, providere pro diligentia poteritis, quod quamprimum in loco convenienti depositentur, ut sicut conveniens est, dispensari ac distribui possint ad fabricas ecclesiarum prædictarum, & substentationem pauperum pro forma ipsius decreti synodalis, cui nos & nostrum Collegium, auctoritate ipsius Consilii Rogatorum, adhærentes executioni mandari jussimus; facientes has nostras litteras ad futurorum memoriam in Actis vestri regiminis registrari, & registratas præsentanti restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die* XXX. *mensis Maji Indict.* XII. MCCCCLXIIII. *A tergo. Nobilibus & sapientibus viris Petro Mauroceno Comiti Chersi & Ausseri, et successoribus suis.*

His temporibus in insulam Absorensem recepti sunt Patres tertii Ordinis Franciscani; iisque attributa est ædes suburbana S. Mariæ, cui *de Viaro* cognomen est, cum domicilio, horto, vinea, oliveto eidem annexis, ex liberalitate & dono Stephani Sbarræ civis nobilissimi & opulentissimi. Antonius Episcopus ædis Marianæ donationem confirmavit; & Jacobo Primicerio imperavit, ut in ejusdem possessionem secundum formulam juris mitteret P. Matthæum ejusdem Ordinis, Præsidem novi cœnobii designatum; idque constat ex litteris ejusdem Episcopi ad eumdem Matthæum. *Domicilium apud urbem Patribus Franciscanis tertii Ordinis traditum.*

Antonius de Pago Dei gratia Episcopus Ausarensis. Dilecto nobis in Christo Presbytero Matthæo de Jadra tertii Ordinis Fratrum S. Francisci salutem in Domino. Merita tuæ probitatis, & maxime devotio dicti Ordinis, quam in ipso habemus, vehementer exposcunt, ut te grata benevolentia prosequentes, tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum igitur ruralis Ecclesia S. Mariæ Ausaren. diœcesis, & sine cura extra muros Ausaren. in loco Viar vulgariter nuncupato, quæ de jure patronatus laicorum dicitur esse, quod licet non constet, nec probetur, ad collationem nostram pertinens, cujus fructus, reditus & proventus decem ducatorum valorem annuum non excedunt, licet quidam laici eam de facto occupatam præteritis temporibus detinuerint; Nos attendentes tuæ probitatis merita, quibus insignitus fore dignosceris, & volentes te propter hoc ex consideratione tui Ordinis, ad quem singularem gerimus devotionem, cujus membrum existis, favore prosequi gratioso, ipsam Ecclesiam nulli alii de jure debitam, cum omnibus juribus, & pertinentiis, prout ad nos attinet, tibi damus, concedimus, & assignamus, nec non contulimus, & providemus de illa, & ipsius Ordinis nomine, cum omni plenitudine juris canonici libere, & in perpetuum, & per nostrum annulum, ut moris est, manualiter investimus; salvis nihilominus, & reservatis juribus episcopalibus; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his a quocumque auctoritatem non habente, contigerit attentari. Quocirca tibi Presbytero Jacobo Primicerio Ausarensi, tenore præsentium, committimus & mandamus, quatenus eumdem Presbyterum Fratrem Matthæum prædictum, vel procuratorem suum ejus nomine, in corporalem, realem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, ac universorum jurium & pertinentium suorum, ut præmittitur, auctoritate nostra inducas, & defendas inductum, amoto quolibet alio illicito detentore, faciens ipsum Presbyterum Matthæum in Rectorem dictæ Ecclesiæ admitti, sibique de ipsius Ecclesiæ fructibus, reditibus, & proventibus integre responderi; contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. In cujus rei fidem has nostras præsentes litteras fieri jussimus, & sigilli nostri pontificalis majoris appensione communiri. Dat. Auseri in nostro episcopali palatio sub anno a Nativitate Domini millesimo..... sexagesimo quinto, die vero quarta mensis Junii. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Domini Pauli divina providentia PP. secundi anno primo.

Joannes Archidiaconus Ecclesiæ Absorensis ædem S. Marco Evangelistæ in urbe a fundamentis suo ære sumptuque exstruxit, & idoneis vectigalibus dotavit, ut declarat inscriptio tabulæ marmoreæ insculpta, & januæ superposita: *Ædes S. Marco in urbe constructa.*

MCCCCLXVI MESER PRE' ZVANE
DA VEGIA ARCHID.no D'OSSARO
FECE FARE OSTA CIESA A NO
ME DE S MARCO a' dì p.o MARÇO

Cum urbis mœnia multis locis ob vetustatem aut corruissent, aut vitium fecissent, jamdudum civitas novis mœnibus circumdari munirique cœperat; sed cum pleræque familiæ, ut aeris locique insalubris perniciem vitarent, alio migrassent, propter numerum civium imminutum, breviore murorum ambitu circumscribi placuit. Quam ob caussam angustiori illo circuitu ædem cathedralem S. Mariæ excludi oportuit. Hæc cum male materiata & ruinosa esset, ac præterea Canonicis clericisque ac civibus perincommoda; novæ cathedralis Basilicæ intra urbem jacta sunt fundamenta; ad eam ædificationem Antonius Episcopus plurimum pecuniæ contulit. Dum viveret, summum ac princeps sacellum absolutum fuisse declarat stemma ejusdem gentilitium ibidem infixum lilii figuram referens. Sub idem tempus Orator Absorensium ad Ducem & Senatum retulit prope fore, ut castellum Absori, & palatium prætorium corrueret, nisi quamprimum resta- *Ædes nova cathedralis exstrui cœpta.*

Digitized by Google

restauretur. Christophorus Maurus Dux Venetiarum utrumque ex ærario publico refici ac restitui jussit, litteris datis ad Victorem Valerium Prætorem.

Castellum urbis & palatium prætorium refici ac restitui jussit Christophoro Maurus Dux Venet.

Christophorus Mauro Dei gratia Dux Venet. &c. Nobilibus & sapientibus viris Victori Valerio de suo mandato Comiti Chersi & Ausseri, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuit ad præsentiam nostram prudens fidelis noster Matthæus Panza civis, & Orator fidelium Communitatum nostrarum Ausseri & Chersi, & aliorum locorum istius insulæ, & sub litteris credentialibus vestris tria nobis exposuit, & humiliter supplicavit; primo quod ab adoptione nostra ipsius insulæ continue solverint censum suum Dominio nostro sine ulla pœna &c. &c. . . . . . . tertio & ultimo quod quia castellum, sive arx Ausseri, ubi est palatium Comitum nostrorum minetur ruinam, nec possit habitari per vos, nec etiam sine interesse, & detrimento terræ Ausseri, ut habitare habeatis in domibus alienis, & longinquis, & sit omnino opus reparatione; dignemur vobis concedere quod expendere possitis usque ad quatercentas libras parvorum in ipsa fabrica. Quamobrem cupientes satisfacere piæ & devotæ petitioni dictarum fidelium Communitatum nostrarum, attenta præsertim honestate rerum petitarum, deliberavimus & decrevimus cum nostro Collegio ex auctoritate Consilii nostri Rogatorum, quantum ad primum de pœna accepta pro censu &c. Demum de expendendis CCCC. libris parvorum pro reparatione arcis Ausseri residentiæ vestræ, quod auctoritate Consilii nostri Rogatorum expendere dictas libras CCCC. parvorum possitis, & liceat vobis de pecuniis nostri Dominii pro hac vice tantum; mandantes vobis auctoritate nostra, ut dictam deliberationem, et decretum nostrum observare et observari facere, et exequi debeatis. Has autem nostras ad futurorum memoriam registrari faciatis, et præsentanti restitui. Dat. in nostro Ducali Palatio die XIII. Martii. Indict. XV. MCCCCLXVII.

Paullus II. possessionem templi ac domicilii traditam Fratribus Franciscanis tertii Ordinis confirmat.

Paullus II. donationem domicilii ac templi S. Mariæ de Viaro, cujus possessionem Antonius Episcopus pro sua potestate ordinaria F. Matthæo & Fratribus tertii Ordinis Franciscani tradiderat, auctoritate apostolica per Jacobum Primicerium Ecclesiæ Absorensis confirmari jussit, litteris ad eum datis, quæ sunt hujusmodi.

Paulus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Primicerio Ecclesiæ Ausarensis salutem & apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis sinceritas, quam dilectus filius Matthæus de Jadra, Frat. tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia nuncupati, ad nos & Apostolicam Sedem gerere comprobatur, nos inducit, ut suis humilibus votis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Matthæi petitio continebat, quod dudum ven. frater noster Antonius Episcopus Ausaren. eremitorium B. Mariæ extra muros Ausaren., quod collapsum, & derelictum, ac desolatum penitus existebat, & per certos laicos de facto occupatum detinebatur, tunc vacans, & quod tanto tempore vacaverit, quod de illius vero & ultimo vacationis modo certa notitia non habebatur; cum illius capella sine cura, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis præfato Matthæo, pro ejus ac aliorum Fratrum dicti tertii Ordinis habitatione, in perpetuum ordinaria auctoritate concessit, prout in quibusdam litteris autenticis, sigillo dicti Episcopi munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte ejusdem Matthæi asserentis, quod fructus, reditus, ac proventus eremitorii & capellæ hujusmodi quinque florenos auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni prædictæ, ac omnibus & singulis in dictis litteris contentis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, directioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si, & postquam tibi de concessione, & aliis præmissis omnibus, & singulis legitime constiterit; concessionem ipsam, & illam concernentia omnia & singula, in prædictis litteris contenta, prout rationabiliter, & sine alicujus juris præjudicio processerunt, auctoritate nostra approbes & confirmes. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, sexto Idus April. Pontific. nostri anno quinto.

Jacobus Picenus Primicerius idemque Vicarius generalis Episcopi Absorensis his litteris receptis, quæ sibi Pontifex impetraverat, rite ac statim exsecutus est; idque publicis actis, & litteris mandari jussit.

Jacobus Picenus mandata pontificia exsequitur.

In Christi nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo Indict. tertia, die vero vigesima prima mens. Januarii. Actum Ausseri in Ecclesia S. Mariæ de Viaro extra muros civitatis Ausseri, præsentibus nobili viro S. Nicolao de Ulachis de Veglia, cive & habitatore Ausseri, Antonio Maretich Diacono Ecclesiæ Ausseren., Magistro Michaele Muratore, Magistro Jacobo Sutore, omnibus habitatoribus Ausseri, & aliis testibus ad infrascripta specialiter adhibitis, vocatis, & rogatis; ibique venerabilis vir Dominus Presbyter Jacobus Piceno Primicerius benemeritus Ecclesiæ Ausseren. nec non Vicarius gen. Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Antonii, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Ausserensis, in executione mandati sibi facti per patentes litteras apostolicas plumbeæ bullæ appensione munitas, redditas, & præsentatas per infrascriptum Dominum Frat. Matthæum die supradicta, quarum litterarum tenor talis incipit: Paulus Episc. &c. pro clariore suprascriptarum intelligentia, & auctoritate apostolica, qua in parte hac fungitur, confirmandi penitus collationem, & tenutam, & corporalem possessionem, concessam jamdudum a prælibato Reverendo Domino Episcopo Ausserensi auctoritate ordinaria, eam approbavit, & ratificavit; & prædictam approbando, & ratificando . . . . . . posuit & confirmavit præfatum Fratrem Matthæum de Jadra acceptantem, & humiliter ac devote per se, & nomine Fratrum præfati Ordinis S. Francisci de Pœnitentia suscipientem, in tenutam & actualem, realem, corporalem possessionem Ecclesiæ præfatæ S. Mariæ de Viaro extra muros civitatis Ausseri, cum omnibus, & singulis suis juribus, & pertinentiis quomodolibet spectantibus, & continentibus, ducendo ipsum Fratrem Matthæum per manum in ecclesiam prædictam, & faciendo generaliter in omnibus, & per omnia, sicuti in prædictis litteris apostolicis plene continetur: ita & taliter,

quod

Digitized by Google

quod dictus F. Matthæus per se, & nomine, quo supra, in posterum dictam ecclesiam cum suis juribus, & pertinentiis omnibus & singulis auctoritate apostolica valeat, & possit uti & frui juxta præfati Ordinis S. Francisci constitutiones, sine ulla contradictione cujuslibet personæ.

Et ego Joannes Petrus Missanich de Aussero publicus Imperiali auctoritate notarius, & judex ordinarius, & ad præsens Cancellarius Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Antonii Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Ausseren., suprascriptis omnibus, cum prædictis testibus præsens fui; & rogatus prædictam tenutam, & corporalem possessionem in hanc publicam formam redegi, & in fidem & testimonium præmissorum apposui nomen, & signum meum tabellionatus officii in similibus consuetum &c. &c.

Eamdem possessionem confirmavit Nicolaus Arimondus Comes Absori & Cressæ.

Hanc eamdem donationem F. Matthæus confirmandam curaverat a Nicolao Arimondo Comite seu Prætore *Chersi*, & *Ausseri*, qui in oppido atque insula Chersensi sedem ac domicilium collocaverat, propterea quod ædes prætoriæ Absorenses collabescentes, nondum firmatæ ac restitutæ fuissent, uti Dux & Senatus imperaverant.

In Christi nomine Amen. Anno ab ipsius Incarnatione 1468. Indict. 1. die Veneris octavo mensis Januarii in platea Communis Chersi, præsentibus nobilibus s. Jacobo Columbis judice Chersi, & s. Martino Draxa, ac s. Nicolao Petris Chersino, testibus ad hoc vocatis, & aliis &c. Cum alias die Sabbathi 19. Decemb. 1467. Venerab. Frat. Matthæo de Ordine tertio S. Francisci Gubernatore Ecclesiæ S. Mariæ de Viaro exponente, qualiter per se & successores suos appropriare intendebat domum unam, cum curia, horto, olivariis, & aliis arboribus fructiferis, & omnes jurisdictiones spectantes dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, sicuti constat in instrumento donationis factæ ipsi Fratri Matthæo, p. s. Stephanum Sbarra &c. cujus domus, horti, &c. hi sunt confines, videlicet a Borea terrenum Communis, a Sirroco via Communis, a Garbino murus antiquus civitatis Ausseri, mediante via communi, a Tramontana mare mediante via communi, vel alii, si qui sunt, veriores confines; item unum petium vineæ contiguæ s. Stephani Sbarra temptum, & possessum per ipsum Fratrem Matthæum, & alios Eremitas, ut constat in prædicto instrumento donationis &c. &c. Cumque super inde ter stridatum fuerit per Matthæum Fingariam in Aussero, omnia præmissa narrando juxta solitum, & servatis servandis, nullaque contradictione existente; ideo magnificus D. Nicolaus Arimondo pro inclyto Venetiarum Dominio &c. Chersi & Ausseri, & insulæ Comes honorificus, visis litteris judicum Ausseri supra suprascripta approbatione & stridis debite factis, sine aliqua contradictione; nec non visis & intellectis instrumento concessionis suprascriptorum bonorum s. Stephani Sbarræ facto dicto Fratri Matthæo pro Ordine suo, suorumque successorum, tempore spectabilis Domini Petri Mauroceno tunc Chersi & Ausseri Comitis &c. & instrumento s. Damiani de Rumeo tempore Georgii Fuscareno Comitis olim Chersi & Ausseri &c. super inde confecto; interloquendo pronunciavit suprascriptam approbationem esse firmam, & validam, & mereri executionem, & in publicam formam relevari cum solemnitatibus opportunis, ad habendum, tenendum, uti & possidendum, & quidquid dicto Fratri Matthæo, suisque successoribus deinceps placuerit, perpetuo faciendum, cum omnibus & singulis suis juribus, jurisdictionibus, servitutibus, & honoribus ipsius domus, vineæ &c. spectantibus & pertinentibus, omni molestia & impedimento remotis; cui pronunciæ idem Dominus Comes suam auctoritatem interposuit, & propria manu se subscripsit in fidem præmissorum &c.

Ego Nicolaus Arimondo Comes Chersi & Ausseri me subscripsi.

Antonius moritur Pagi.

Antonius ut superiores, sic reliquos Episcopatus annos, ut verisimile est, in patria domi suæ transegit; nisi quod identidem ecclesiam & gregem suum revisebat. In oppido Pagensi magnificas & egregias ædes exstruxit, quas consanguineis suis sub ea conditione reliquit, ut si quando Pagenses, quod jamdudum optabant, sedem episcopalem obtinerent; id palatium esset Episcopi. Ibidem moriens an. 1470. non exiguam pecuniæ summam legavit Ecclesiæ Absorensi, quam in ædificationem novæ basilicæ cathedralis jampridem inchoatæ impendi jussit. Mortuus an. 1470. sepultus est in templo primario ejusdem oppidi ante januam sacrarii, sub lapide marmoreo albi coloris, in quo ejus effigies cum insignibus & ornamentis pontificiis insculpta visitur, sine ullo titulo sepulchrali.

MARCUS EP. ABSOREN. XXXI.

Marcus Niger primum Catharensis, deinde Absorensis Episcopus.

Patria Venetus ex inclyta Nigrorum familia, quæ inter cives secundi ordinis numerum & locum sane illustrem obtinebat, & eximios viros rei publicæ ac litterariæ dedit, qui non pauca ingenii & sapientiæ suæ monumenta reliquerunt. Nec Marcus degeneravit a perenni contestataque virtute majorum; & synodicas Constitutiones S. Laurentii Justiniani egregiis commentariis illustravit. Ob insignem doctrinam & pietatem promeruit, ut ad Episcopatum Catharensem eveheretur, quem anno 1459. suscepit. Hanc ecclesiam annos ipsos quatuordecim sapienter administravit. Nec minus suis virtutibus & exemplis profuit Ecclesiæ Absorensi, ad quam translatus fuisse dicitur anno circiter 1474. Priores cogitationes curasque ad ædificationem tum palatii pontificalis, tum basilicæ cathedralis convertit.

Palatium episcopale a fundamentis exædificavit.

Ad id pecunia sane ingens partim ex legato Antonii Episcopi, partim ex piorum hominum liberalitate, partim ex annuis ecclesiæ proventibus, seposita erat. Et basilicam quidem fere usque ad fastigium perduxit. Ædes vero pontificias, veteribus disturbatis, a fundamentis opere ornatuque eleganti exstruxit; atque intra duos treive annos absolvit. Utrumque ædificium summam ingentem pecuniæ absorbuit; sed quamvis sæpe ob difficultatem nummariam paullisper intermitti oportuerit, tamen non defuit, unde identidem sumptus necessarii suppeterent, Deo opportuna, unde minime sperabantur, subsidia largiente; quare variis palatii locis inscribi jussit: NIHIL DEEST TIMENTIBUS DEUM. Epigraphe tabulæ marmoreæ incisa conditorem domus episcopalis declarat:

PONTIFEX HVIVS INSVLÆ DIGNVS
MARCVS NIGRO HOC EPISCOPIVM TOTVM
SOLO ÆQVATVM REÆDIFICAVIT
Opera Joannis Pergameni in utraque Arte periti
MCCCCLXXXI.

Sed quod Præsuli optimo ob palatium episcopale restitutum, & basilicam cathedralem fere absolutam, civitatis benevolentiam conciliare de-

debuisset, id offensioni apud cives & invidiæ fuit. Advocatus Communis Absorensis graves de illo querimonias ad Franciscum Maripetrum urbis Prætorem detulit. Summa totius querimoniæ eo potissimum spectabat, ut exactio & administratio redituum ædis cathedralis S. Mariæ, contra quam Laurentius Patriarcha, & Senatus decreverant, ad veterem, ut ipse ajebat, consuetudinem revocaretur. Qui hujusmodi reditibus exigendis atque administrandis præficiebantur, *Prosuppi*, hæc autem præfectura seu procuratio illis tradita, *Prosuppia* vocabatur. Primum igitur questus est nomen *Fabricæ* recenter esse impositum *Prosuppiæ bonorum S. Mariæ de Auxero*. Hujus nominis prætextu Marcum Episcopum velle in hujusmodi bonis dominari, eaque sibi suisque successoribus subjicere, cum ad jurisdictionem ac potestatem Communis Absorensium pertineant; ac propterea jus eligendi & creandi Prosuppos, sive administratores eorum bonorum usurpare, quod antea, & jam inde ab antiquissimis temporibus, penes Rectorem civitatis fuerat. Deinde Episcopum insimulavit interversæ, atque ad suum usum, sive arbitrium translatæ pecuniæ, quam Antonius Pancichius ejus decessor testamento legaverat, atque in ædificationem ædis novæ cathedralis impendi jusserat: rationes pecuniarum, quas acceperat, quasque expenderat, composuisse, cum Jacobo Draxa Prosuppo, nullis testibus adhibitis, ac ne ipso quidem Prætore civitatis præsente: hæc omnia tum antiquæ consuetudini, tum statutis ac legibus Absorensium, tum etiam decretis Senatus Veneti repugnare. In hanc sententiam citatum invenio nescio quod decretum *dat.* XXVII. *Maji* 1455. *in Collegio*, *& auctoritate Consilii Rogatorum*. Si quod decretum hujusmodi fuit, posterioribus senatusconsultis abrogatum est, præsertim eo, quod supra descripsimus, *anni* MCCCCLVIII. *die* XXVII. *Maji in Collegio ex auctoritate Consilii Rogatorum, quo, in negotiis & rebus ecclesiasticis, & spiritualibus jubetur servari ordo juris, & decretum* (scilicet Laurentii Justiniani Patriarchæ) *ut Senatus sublevetur a quotidianis stimulis, & molestiis prædictorum*. Vereor sane ne hoc decretum, ab Advocato & Prætore citatum, idem sit, atque illud, quod pars Episcopo adversaria laudavit quidem, sed de suo quædam adjecit, quæ sibi favebant, retenta die 27. Maji, sed anno quinquagesimo octavo hujus sæculi tribus annis detractis, & in ejus locum anno quinquagesimo quinto substituto. Ceterum sive idem, sive aliud fuerit, certe ex illa particula Veneti decreti: *De frataleis, & scholis aliis observetur antiqua consuetudo*, quam Prætor citavit, nihil elici potest, quod caussæ Absorensium suffragetur. Franciscus Maripetrus Comes seu Prætor Aufferi & Chersi, expostulatione Advocati admissa & approbata, secundum ejus postulata judicavit. Bona & reditus ædis cathedralis nomine *Fabricæ* appellari vetuit, ne hoc vocabulo Episcopi ad jus sibi indebitum usurpandum abuterentur; & potestatem eligendi Prosuppos, secluso Episcopo, & exigendi ab illis rationem administrationis bonorum ecclesiæ, ad Prætorem urbis revocavit.

Advocatus Communis Absorensis de administratione redituum ædis cathedralis Marco Episcopo litem intulit.

Franciscus Maripetrus Prætor secundum Commune Absorensium sententiam tulit.

In Christi nomine Amen. Nos Franciscus Maripetro pro Serenissimo & Excellentissimo Ducali Venetorum Dominio Comes insulæ Chersi & Ausseri, sedentes sub logia Communis Ausseri, ad nostrum solitum juris tribunal. Audita & sæpe ac sæpius intellecta petitione & instantia egregii viri s. Blasii Tantia uti Advocati Communis Ausseri, dicto nomine comparentis, ac narrantis atque exponentis hoc modo; videlicet quod ipse constitutus est Advocatus Communitatis Ausseri cum sacramento secundum formam legis positæ ad capitula XLIX. *Statuti hujus insulæ, placitare debere omnes & singulas causas proficuas & utiles, & necessarias pro Communitate sua. Et quia ipse videt & intelligit, quomodo nomine fabricæ noviter imposito bonis Prosuppiarum S. Mariæ de Aussero, hoc medio, quæritur per Reverendissimum Dominum Marcum Nigro Episcopum Ausserensem, & cum effectu, & videtur esse cum consensu Prosuppi, qui non vult antividere ea, quæ sunt contraria suæ Prosuppiæ, usurpare & submittere ejus Episcopatui bona dictæ Prosuppiæ, & similiter jura & jurisdictionem dictæ civitatis Ausseri, quæ jura & quas jurisdictiones ipsa Communitas habet in bonis ipsius Prosuppiæ, & in ipsa Prosuppia, ex diuturna & longa, ac antiquissima consuetudine approbata, & confirmata per Serenissimum & Illustrissimum Ducale Dominium nostrum Venetiarum, ut apparet ex litteris suis ducalibus datis in Ducali Palatio sub die* XXVII. *Maji, quæ consuetudo nostra constat per librum veterem dictæ Prosuppiæ, sicut apparet in pluribus locis ipsius libri, & in primis ad cartas 9. 90. & 101., qualiter facultas faciendi, & creandi Prosuppum dictæ Ecclesiæ spectat ad magnificos Dominos Rectores hujus insulæ pro tempore existentes, coram quibus etiam revideri debent, & haberi computa administrationis factæ per ipsos Prosuppos de bonis dictæ Prosuppiæ. Scilicet per experientiam jam patet veritas usurpandi velle dicta bona, & submittendi ipsa sub Episcopatu Ausseri ob denarios, quos quondam Dominus Antonius Panzich olim Episcopus Ausseri, pro salute animæ suæ, dimisit novæ fabricæ Ausseri; Dominus vero Marcus Nigro Episcopus in se illos arripit, neque vult dare dictæ fabricæ, imo dicit esse suos, & tenere pro suis. Videtur etiam ex saldo facto per ipsum Dominum Marcum Nigro Episcopum cum quondam s. Jacobo Draxa quondam s. Simonis, Prosuppo dictæ Ecclesiæ, voluisse subjicere dictam Prosuppiam ejus Episcopatui, in damnum & præjudicium Communitatis; quoniam dictum saldum ipse Dominus Episcopus fecit cum dicto quondam Jacobo, nullis aliis præsentibus ipsi saldo, nisi Dominus Episcopus, & ipse quondam s. Jacobus, quod ipse Dominus Episcopus facere non potuit, neque debuit, quia est contra formam legis positæ ad capitula 143., quæ lex mandat saldum fieri debere coram magnificis Dominis Repræsentantibus, pluribusque bonis personis, prout in ipsa lege continetur. Propterea iis, & pluribus aliis rationibus, cum effectu requirentis & instantis Communis per nos & officium nostrum ad tollendum, & removendum in futurum omne dubium, sententiari & terminari consuetudinem prædictam . . . . Creationem Prosuppi non debere; iterum observari debere litteras ducales prædictas, & mandata prælibati Serenissimi Dominii nostri, & similiter observari debere omnia statuta & capitula Institutorum loquentia, & locutura de Prosuppis, & eorum creatione, & maxime capitula posita ad cap. 143., & cap. 203., & hoc nomen fabricæ amplius non imponatur, neque imponi debere bonis prædictæ Prosuppiæ, prout semper per elapsum observatum extitit; & quod Prosuppus*

dictæ

dictæ Prosuppiæ aliter fieri non debeat, nisi ut vult consuetudo prædicta, & sicut volunt, & mandant ipsæ litteræ ducales, & Statuta hujus insulæ. Visa igitur, & propterea intellecta dicta instantia & requisitione, & habita etiam vera, ac sufficienti informatione de diuturna, & antiquissima consuetudine observata super creatione dicti Prosuppi, & per librum veterem dictæ Prosuppiæ in pluribus locis ipsius libri, & maxime supernominatis capitulis, nobilibus & popularibus fide dignis asserentibus nunquam dictam Prosuppiam vocatam fuisse cum nomine fabricæ, nisi a pauco tempore citra, videlicet a tempore novæ constructionis inceptæ dictæ Ecclesiæ; & asserere etiam creationem dicti Prosuppi semper spectavisse, & pertinuisse magnificis Dominis Rectoribus hujus insulæ pro tempore existentibus; & quod dicta Prosuppia semper fuit Communitatis Aufferi; visisque pluribus statutis contentis in volumine Statutorum hujus insulæ loquentibus de dictis Prosuppis, & maxime statutis positis ad capitula 143., & 203., & aliis pluribus statutis ad alia capitula, videlicet quinto & sexto capitulis contentis in sacramento; & etiam statutis ad capitula 144. 145., ex quibus statutis sane comprehenditur creationem Prosupporum Aufferi pertinere ad magnificos Dominos Rectores hujus insulæ pro tempore existentes; et ipsos Prosuppos teneri, & debere reddere rationem eorum administrationis coram ipsis Dominis Rectoribus. Visis insuper præfatis litteris ducalibus, & mandatis prælibati Serenissimi Dominii nostri datis XXVII. Maji 1455. in Collegio, & auctoritate Consilii Rogatorum, mandantibus prout in fine ipsarum continetur: quid de fratalcis, & scholis & aliis servetur consuetudo. Attento igitur, quod tenemur per formam Commissionis nostræ conservare . . . . ., & diuturnis atque approbatis consuetudinibus; tenemur etiam exequi & reverenter observare mandata prælibati Serenissimi Dominii, nec non leges & statuta hujus insulæ, a quibus nobis non est licitum discedere; & attento ipsam Prosuppiam semper fuisse & esse hujus Communitatis Aufferensis; omnibus sane consideratis, sedentes pro tribunali, ut supra, Christi nomine repetito, ejusque gloriosæ Virginis Mariæ nominibus invocatis, in quorum lumine videmus lumen; in hunc modum dicimus, sententiamus, pronunciamus, & terminamus, & per hanc nostram definitivam sententiam sententiamus consuetudinem prædictam circa creationem ipsius Prosuppi observari debere: iterum observari debere litteras ducales prædictas, & mandata prælibati Serenissimi Dominii nostri; & similiter observari debere statuta, & omnia capitula Statutorum loquentia super Prosuppis, & eorum creatione. Item sententiamus, quod hoc nomen fabricæ amplius non imponatur, neque imponi debeat bonis prædictæ Prosuppiæ; & quod ipsa bona amplius non vocentur cum nomine fabricæ, sed solum vocari debeant cum nomine Prosuppiæ, prout semper per elapsum observatum extitit. Item sententiamus quod Prosuppus dictæ Prosuppiæ aliter fieri non debeat, nisi sicut fuit antiqua consuetudo prædicta, & sicut volunt, & mandant ipsæ litteræ ducales, & statuta hujus insulæ. Et sic dicimus, sententiamus, pronunciamus, & terminamus in omnibus, & per omnia, ut supra continetur, omnibus melioribus modo, via, & forma, quibus melius de jure possumus & debemus.

Lata, data, & in his scriptis sententialiter promulgata suprascripta sententia per antedictum magnificum Dominum Comitem sedentem pro tribunali, ut supra; & de ejusdem mandato lecta, & publicata per me Joannem Delamontiis civem Vicetinum, publicum Imperiali auctoritate Notarium, & judicem ordinarium, & Cancellarium præfati magnifici Domini Comitis, currentibus annis Domini nostri Jesu Christi nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, Indictione prima, die vero nono mensis Decembris; præsentibus spectabili & generoso viro Domino Henrico Baduario, quondam magnifici Domini Martini, & s. Matthæo Spalatino Judice Communitatis Aufferi, & s. Joanne Nasimbeno cive, & habitatore Chersi, & aliis pluribus &c.

Ab hujusmodi decreto & sententia Marcus Venetias profectus ad Ducem & Senatum appellavit, qui delationem Advocati falsam esse declaravit, sententiam Prætoris irritam fecit, sanctioni synodicæ, & Senatusconsulto anni 1458. standum esse decrevit.

Cum prævideret brevi fore, ut Episcopi Absorenses ob malignitatem aeris, qui quotidie gravior fieri videbatur, cogerentur ad loca salubriora migrare, præsertim mensibus æstivis; & nullus in tota diœcesi locus oppido Crepsensi dignior esset, in quo domicilium episcopale collocari posset; Ecclesiam S. Mariæ, quæ totius oppidi primaria erat, collegiatam instituit, ut ibi non deessent rerum sacrarum administri, qui Episcopo vel pontificali ritu sacrificanti, vel alias functiones episcopales obeunti, pro dignitate operam navarent. Denos inibi Canonicos, quibus potestate ac dignitate præesset Plebanus oppidi, sive Curator rei christianæ, & præterea Sacerdotes aliquot, quos Mansionarios vocant, itemque aliquot clericos chori adjutores esse voluit. Suos cuique annuos reditus e proventibus decimarum pro rata portione assignavit, leges præscripsit nocturnæ diurnæque psalmodiæ, aliasque ad hujus novi collegii institutionem ac disciplinam accommodatas. Potestatem eligendi quos in locum demortuorum subrogari oporteret, Canonicis reliquit, jus approbandi quos illi elegissent, sibi reservavit, itemque confirmandi omnia, quæ Canonici statuerent ac decernerent; horumque approbationem ab Episcopo petere Plebanus una cum Canonicis debebat, ut constat ex Actis episcopalibus ejusdem Marci: *Nos Marcus Nigro Dei & Apost. Sed. gratia Episcopus Auxerensis: Cum hodie ad nos venerit venerab. vir Dominus Presbyter Matthæus Ischiorius Plebanus Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Cherso diœcesis nostræ Auxerensis, una cum omnibus de Capitulo, humiliter petierunt, & supplicarunt, ut hæc omnia statuta & constitutiones dignaremur laudare, approbare &c. &c.*

Crepsæ in Templo primario collegium Canonicorum instituit.

Marcus cum annos circiter undecim hanc Ecclesiam administrasset, mortuus est Patavii, conditusque in æde Patrum Ordinis Benedictini, quibus a monte Oliveto cognomen est. Ibi monumentum marmoreum obtinuit prope januam ad latus sinistrum, sublimi loco affixum, cui supercubat simulacrum episcopale; utrinque appositum est stemma gentilitium familiæ Nigræ; infra subjecta hæc inscriptio:

Marcus Patavii obiit.

Marco Nigro Theologo
Pontificii Cæsareique Juris Consulto excellentissimo
Auxeriensi Chersique Episcopo religiosissimo
ac pientissimo Sacrum
Anno salutis MCCCCLXXXV
XIII. *Kal. Augusti.*

Digitized by Google

Templum S. Mariæ ad Bethlehem consecravit.

Extat quoque ejus memoria in æde Virginum Canonicarum ex Ordine S. Augustini, ad Bethlehem cognominata, quam ille, dum Ecclesiam Catharensem regebat, rogatu Christinæ de Nigris Antistitæ consanguineæ suæ, solemni ritu consecravit.

Dedicata est Ecclesia a Marco de Nigris Veneto, Episcopo Catarensi anno 1465.

Postulante Christina de Nigris consanguinea, & secunda Cœnobii Abbatissa.

JOANNES EP. ABSOREN. XXXII.

Ex illustri Justorum familia Veneta patricia. Anno 1486. Episcopi Absorensis titulum & insignia sumpsit. An sedem fixam & stabilem Absori habuerit, non satis constat; nulla quippe ejus acta extant, ex quibus illius in urbe, vel diœcesi commoratio, ac præsentia dignosci possit. Vel ipso tamen absente, tum civitas, tum diœcesis sacris ædificiis & cœnobiis aucta est. His temporibus Crepsenses cum pro numero civium inopia Sacerdotum laborarent, Patres Franciscanos, quos Conventuales vocant, supplementi caussa evocarunt: iisque domicilium ac templum S. Francisci, piorum hominum ære, ac præsertim familiæ Bocchinæ largitione, prope a mœnibus oppidi exstructum attribuerunt. In eo singulari pietate & doctrina floruit F. Franciscus Bocchinus, cujus parens Antonius huic templo ac cœnobio calicem argenteum cum patena, & non exiguam pecuniæ summam, ad bibliothecam instituendam, testamento legavit. Blasius Columbus patricius Crepsensis milliaribus fere quatuordecim ab oppido, ubi stagnantes ex alto aquæ sinum quemdam efficiunt, quem indigenæ *Vallem* vocant, jampridem cœnobium ac templum Patribus tertii Ordinis Franciscani ædificare cœperat, & pene jam ad fastigium perduxerat; cum morte sublatus, præclari operis perfecti gloriam reliquit Joanni Bocchino, qui ex avito patrimonio tum ædificium absolvit, tum sacra & domestica supellectili instruxit, tum prædiis luculentis dotavit an. 1488. Cœnobio ac templo cognomen est ab *S. Martino de Valle*. His quoque temporibus adscribendum censeo alterum domicilium traditum iisdem Patribus ex tertio S. Francisci Ordine, cum templo S. Nicolai *de Farasina*, cognomine mutuato ab excelso colle, in mare contra Istriam prominente; ab oppido Crepsensi millia passuum circiter quindecim in occasum distat. Utrique idem Joannes Bocchinus non magis opibus, quam pietate clarior annuos reditus assignavit, unde sumptus necessarii ad victum religiosæ familiæ, cultumque templi, ac rei divinæ ministerium suppeditarentur. Colanus Draso civis & patricius Absorensis, homo cum divitiis affluens, tum generis nobilitate clarissimus, Patribus Franciscanis rigidioris disciplinæ cœnobium ac templum S. Francisci fundavit in pago, cui nomen est *Neresine*, fere in ora maritima, haud ita longe ab urbe. Hunc locum S. Francisci adventu & vestigiis nobilitatum fuisse ajunt, qui illuc appulisse dicitur, cum martyrii cupidus iter in Syriam suscepisset. Colanus morte præreptus, cum præclarum opus perficere nequivisset, absolvendum reliquit Claræ Bocchinæ conjugi suæ, lectissimæ ac religiosissimæ matronæ, quæ mariti pia mandata celerrime ac diligentissime curavit, constructo quod deerat, & supellectili necessaria instructo cœnaculo ac dormitorio. In summo templi sacello viri sui cineres, uti ipse jusserat, sub lapide marmoreo recondidit, addita inscriptione sepulcrali:

Patribus Franciscanis quatuor cœnobia ac Templa condita & tradita.

LUGE PAUPERTAS. CLARA BOCCHINA
CHARO CONIUGI COLANO DRASÆ MAUSOLEUM
QUI TEMPLUM COENOBIUMQUE EREXIT
PIENTISSIME POSUIT
XII CAL. IUNII MDXIII.

Ædes cathedralis absoluta & consecrata ab Georgio Diphnico Episcopo Nonensi.

Sed nihil illustriorem reddidit, magisque memorabilem Episcopatum Joannis Justi, quam absolutio, & perfectio basilicæ cathedralis; qua quidem nulla est in Dalmatia, secundum Sibenicensem, vel descriptione partium, vel magnitudine ambitus, vel denique elegantia operis nobilior atque augustior. Hujus dedicationem insigni pompa & apparatu, ingentique civium atque advenarum concursu, ab Georgio Diphnico Episcopo Nonensi, cum Joannes abesset, peractam fuisse ajunt; argumento esse, quod ab eodem consecratum fuisse summum & primarium altare S. Nicolai testatur schedula reperta in arca S. Gaudentii: 1498. *die* 13. *mensis Madii. Ego G. Episcopus Nonensis consecravi hoc altare in honorem S. Nicolai, et reliquias Beatorum Innocentium, & S. Gaudentii, & S. Christophori in eo inclusi. Singulis Christi fidelibus in anniversario consecrationis hujusmodi, visitantibus, unum annorum de indulgentia in forma ecclesiæ consueta concessi.* Huic novæ basilicæ cathedrali novus ab Sancto Nicolao titulus impositus fuit, sed vulgo cognominari solet a S. Maria, antiquæ ædis cathedralis titulo retento, atque huc translato. Absorenses Episcopo suo quamvis absenti, tamen id honoris haberi voluerunt, ut ejus stemma gentilitium, marmori impressum, januæ ædis cathedralis superimponerent; idemque visitur infixum ædiculæ S. Salvatoris, quæ ad mensam episcopalem pertinet, & interpositum est inter has notas arithmeticas 14 98, quæ annum conditi sacelli significant.

Capituli Crepsensis arrogantia.

Joanne Episcopo absente, Presbyteri Ecclesiæ Crepsensis, quos Marcus de Nigris in unius Capituli corpus redegerat, hoc titulo atque honore inflati, multa sibi tribuere, ac licere volebant, quæ haud parum episcopali auctoritati derogabant, ac præsertim sua comitia injussu Episcopi & Vicarii episcopalis cogere, & habere, nullam ejus, quem in suum collegium cooptassent, approbationem, sive ab Episcopo, sive ab ejus Vicario petere. Erat tunc Vicarius generalis Petrus Buticinius civis Pagensis, qui jus Episcopi, suumque strenue constanterque defendit; & cum ejus admonitionibus & mandatis diu multumque reluctati fuissent, eos demum anathematum metu perculsos omnia, quæ salvo jure episcopali illis permitti non poterant, animis aut invitis, aut æquis remittere coegit, ac debita tum Episcopo, tum ejus Vicario demissionis atque obedientiæ officia præstare.

Joannes Justus intra finem hujus sæculi, vel sub initium sequentis, Venetiis, ut credibile est, diem obiit supremum, qui nunquam fortassis Ecclesiam suam adiit, ac ne de facie quidem novit. Annus mortis, & locus sepulcri mihi non est compertus.

ANDREAS II. EP. ABSOREN. XXXIII.

Andreas II. Ep. Absoren. interfuit Concil. Lateranen.

Interfuit sub Julio II. senis conventibus, sive sessionibus Concilii Lateranensis, tertiæ & quartæ an. 1512. quintæ, sextæ, septimæ, octavæ anno 1513., ac demum nonæ sub

Digitized by Google

sub Leone X. anno 1514. His adscriptus est *Reverendus Pater Dominus Andreas Anserensis*, semel *Auxerensis* appellatus. Cum in reliquis post nonum conventibus Patrum Lateranensium ejus nomen nusquam appareat, opinari licet Romæ extinctum fuisse sub initium anni 1514. Certe hoc eodem anno successor illi datus fuit. Neque patria, neque tempus suscepti Episcopatus cognitum est. Nullum sui monumentum in Tabulis Absorensibus reliquit, ut merito dubitari possit, an unquam Ecclesiam suam viserit. Sunt qui eum *de Valle*, sunt qui ab gente Cornelia patricia Veneta cognominent. In quibusdam Actis tabularii Absorensis semel inscriptus reperitur *Andreas Cornelius anno* 1514. Duone fuerint ejusdem nominis, sed diversi cognominis Episcopi, mihi non liquet. Catalogus Antistitum Absorensium nuper ad me ex illa urbe transmissus alterum ab altero distinguit: *Andreas II. de Valle Joanni Justo successit, sedem reliquit anno 1514., ut colligitur ex collectione Conciliorum Arduini. Andreas III. Cornelius patricius Venetus. Ex nota quadam reperta in archivo Auxeri ad annum* 1514. Hic igitur, si Episcopus Absorensis fuit, eodem anno & suscepit, & deposuit Episcopatum; nam hoc ipso anno 1514. Joannes Baptista Garzonius hanc sedem obtinuit. Andreas Cornelius erat per id temporis Archiepiscopus Spalatensis Bernardo Zannio suffectus: huic Episcopatus Absorensis ad breve tempus commendatus esse potuit, quem haud multo post reliquit.

JOANNES BAPTISTA EP. ABSOR. XXXIV.

E gente Garzonia inter patricias Venetas nobilissima, qui collegio præsulum Romanæ Curiæ adscriptus Romæ degebat in ædibus Marci Cardinalis Cornelii, ut constat ex ejus epistola ad Clementem Lalium Presbyterum Brixiensem, Curatorem & conductorem bonorum mensæ episcopalis, quem ipse, dum abesset, locum suum tenere jussit, & potestatem ei fecit conferendi quælibet sacerdotia, si forte per id temporis vacarent, quibus vel esset, vel non esset annexa procuratio animarum: *Anno* 1514., ut ex tabulis Curiæ episcopalis docet Valerius a Ponte, *Joannes Baptista de Garzonis Episcopus Auxerensis, residens in Romana curia, elegit Clementem de Lalio Brixiensem in Collatorem omnium beneficiorum cum Cura, & sine Cura Ecclesiæ Auxerensis*. In eadem epistola ad Clementem ait se plurimis & gravissimis Curiæ Romanæ negotiis detineri, quo minus ad ecclesiam sibi traditam regendam statim, ut optabat, accedere queat. Hujus epistolæ subscriptio hæc est: *Dat. & act. in camera nostra, sita in ædibus Reverendissimi in Christo Patris Domini Marci S. Mariæ in Via lata S. R. E. Diaconi Cardinalis, sitis apud S. Petrum, sub anno Domini 1514., Indict. II. die vero 19. Men. April. Leonis X. anno 2.* Itidem, dum esset Romæ, Vicarium generalem constituit Stephanum de Petris civem Crepsensem, Canonicum Vegliensis, & Primicerium Absorensis Ecclesiæ; qui eodem anno cum mors cujusdam Canonici incidisset in menses episcopales, alterum in demortui locum substituit, ut idem Valerius scriptum reliquit: *Anno 1514. Stephanus de Petris Canonicus Vegliensis, Primicerius Auxerensis, Vicarius Joannis Baptistæ de Garzonis Episcopi Auxerensis creavit in Canonicum Bernardum Bellonum.* Idem Clemens de Lalio legatus, sive locum tenens Joannis Baptistæ Episcopi, Francisco Sidronichio possessionem dedit Sacerdotii, quod eidem contulerat Parochus oppidi & præpositus Rector Ecclesiæ Crepsensi, ut idem Valerius ex tabulis hujus ecclesiæ tradit: *Anno 1515. Presbyter Clemens de Lalio Locumtenens Reverendissimi Joannis Baptistæ de Garzonis Presbyterum Franciscum Sidronich electum in Capellanum, & Præbendatum a Plebano & Præbendato Collegiatæ Chersensis, investivit & confirmavit.* Sessionis decimæ Concilii Lateranensis habitæ anno 1516. die 4. Maji interfuit *Reverendus Pater Dominus Joannes Baptista Ansarensis*. Neque undecimæ, neque duodecimæ ac postremæ, quarum altera anno 1516., altera anno sequenti habitæ sunt, ejus nomen adscriptum invenio. Vereor ne mors illum tum his duabus extremis sessionibus, tum Ecclesiæ Absorensi abstulerit. Sepultus est Romæ in æde S. Onuphrii; penes summum altare, ab cornu Evangelii, appositum est illi epitaphium, cui deest nota anni, ac diei emortualis:

Jo: Baptistæ Garzono Veneto Episcopo Absoren. religione eximia, moribus facillimis, probitate incomparabili, liberalitate insigni, qui amicis vivens usui & voluptati, moriens incredibili mœrori, & desiderio fuit. Fratres B. M. P. M. D. vixit annis . . . .

Jo: Baptista interfuit Sess. x. Concilii Lateranensis.

ANDREAS III. EP. ABSOREN. XXXV.

Patria Cremonensis, cognomento Piperarius. In Concilio Lateranensi officio *Secretarii* functus est. Leo X. post dimissum Concilium anno 1517. mense Julio, vel Augusto, Andream, ut ejus opera uteretur ad quælibet munera obeunda, quæ characterem episcopalem requirunt, ad gradum pontificiæ dignitatis evexit, attributo ei titulo Ecclesiæ Absorensis, sed dilata in aliud tempus possessione atque administratione; eumque interea aliis gravissimis negotiis gerendis præfecit, ut intelligi potest ex Tabulis consistorialibus: 1517. *Providit in titulum D. Andreæ de Piperariis de Ecclesia Auxerensi in Dalmatia sub Metropoli Jadrensi. Reditus Floreni* 500. *Taxa flor.* 50. Post obitum Leonis & Adriani VI., Clemens VII. Andream inter suos præsules domesticos aggregavit. Ita Ecclesia Absorensis annos fere novem gubernatione & præsentia sui Pastoris caruit. Stephanus de Petris sive Petritius, quem Canonici, post mortem Joannis Baptistæ Garzonii, in Vicarium Capitularem elegerant, per eos annos rem Christianam administravit. Hic cum ad Candianum Bollanum Prætorem Absori, nescio qua de re, nomen Clementis de Lalio Canonici Absorensis detulisset, nolletque quamvis rogatus delationem revocare, ille appellavit ad Patriarcham Venetiarum, ut est apud Valerium de Ponte in schedis Mss. *Anno 1523. Clemens de Lalio Canonicus Absorensis petiit a Stephano Petritio Canonico Auxerensi, Vicario Capitulari, revocare ad se querelam contra eum factam coram magnifico Comite Candiano Bollano; quod cum neglexisset, appellavit ad Patriarcham Venetiarum.*

Andreas III. Ecclesiam Absorensem gessit ab omni administratione vacuam annos novem.

Stephanus de Petris sive Petritius Vicarius Capitularis.

Anno 1526. Andreas Piperarius, qui hactenus titulum Episcopi Absorensis honorarium & ab omni curatione vacuum gesserat, Absorum advenit, & Ecclesiæ sibi commissæ administrationem suscepit. Nihil prius sibi faciendum puta-

Andreas Absorum venit.

tavit, quam ut incolarum saluti atque incolumitati consuleret. Cum ex aspiratione cæli Absorensis gravi ac perniciosa plurimi morbi, non crebri solum ac diuturni, sed etiam mortiferi gignerentur, nullus erat in civitate, qui ægrotis aut medicinam adhiberet, aut medicamenta conficeret. Hujusmodi calamitatem ex animo commiserans, commotusque miserabili aspectu, & obsecratione civium ab se, tamquam a communi parente, opem implorantium, decretum fecit dignissimum suæ pietatis ac misericordiæ, jussitque ad ægros curandos, eisque remedia paranda Medicum & Pharmacopolam conduci; utrique vero partim ex annuis proventibus & decimis, quæ ad basilicam cathedralem S. Mariæ, & subsidium pauperum pertinebant, partim ex publico civitatis ærario stipendium persolvi.

Medicum & Pharmacopolam ad curandos ægrotos Absori conducendos curavit.

Ejus decretum.

Andreas Piperarius Cremonensis J.U. Doctor, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Aufserensis, dilectis nobis in Christo Judicibus & Advocatis Communitatis, & hominibus, ac particularibus personis civitatis Aufserensis salutem in Domino sempiternam. Cum diebus proxime præteritis huc applicuimus visitandi causa Ecclesiam & Diœcesim nostram Aufserensem, invenimusque civitatem Aufserensem ob aeris intemperiem diversis ægritudinibus, præsertim febribus usque adeo laborare, ut vix quarta pars populi Aufseren. recte valeat, nec ibidem medicum aliquem existere, qui ejusmodi ægrotantibus mederi ac laborantibus opem ferre possit, commiserati sumus tantam Aufserensium calamitatem, quibus convenit opportune consulere, prout bonum pastorem decet, vobis præsertim ad id enixe supplicantibus; supremis desiderantes affectibus duximus operæ pretium, quin immo pium ac adeo acceptissimum fore, si viam & modum conducendi in dictam civitatem unum Physicum atque unum Aromatarium, occasione prædicta inveniremus; humillimis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ac Judicibus & Advocatis, ac Communitati dictæ civitatis, qui pro tempore fuerint, ut unum Physicum, atque unum Aromatarium in dictam civitatem perpetuis futuris temporibus, publico stipendio conducere, ac pro hujusmodi stipendio viginti quinque ducatos auri ex redditibus, & proventibus Prosuppiæ S. Mariæ civitatis Aufseri, nec non alios viginti quinque ducatos similes ex redditibus, & proventibus decimarum pauperum ejusdem civitatis accipere, reliquas vero pecunias usque ad integram solutionem stipendii prædicti assignandi tam Physico, quam Aromatario, ex redditibus, sive bonis dictę Communitatis Aufseren. solvere; cum hac tamen conditione, quod Physicus, quem pro tempore conduxeritis, tam pauperibus, quam divitibus civibus, & incolis Aufseren. gratis mederi, illosque fideliter ac diligenter curare teneatur; libere & licite possitis, & valeatis, harum serię, auctoritate nostra ordinaria, de consensu Prosupporum dictæ Prosuppiæ S. Mariæ Aufseren., concedimus pariter & indulgemus in perpetuum. In quorum fidem præsentes litteras fieri, & per Cancellarium nostrum infrascriptum subscribi, nostrique soliti sigilli jussimus appensione communiri.

Dat. Aufseri, die XXIX. *Septembris MDXXVI. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & DD. Clementis divina providentia Papæ VII. anno tertio.*

Diœcesim lustravit.

Multo studiosius, quam ad corpora, ad animos curandos Andreas incubuit; urbem ac diœcesim ritu episcopali lustravit; & multa præclara ad populi mores corrigendos, cleri disciplinam sanciendam, ac divini cultus splendorem augendum constituit. Vicarium habuit Joannem Pastraneum Rectorem Ecclesiæ Lubenizze, quod oppidum est insulæ Crexensis. Hic Capitulo cleroque Crepsensi sanctissimas leges præscripsit, ut Valerius a Ponte e Tabulis illorum temporum scripsit: *Anno* 1527. *Joannes Pastraneus Plebanus Lubenizze Reverendissimi D. Andreæ Piperarii Episcopi Auxerensis Vicarius generalis fecit quædam decreta, & mandavit observari Clero Chersensi*. Presbyteri Crepsenses Venetias oratores miserunt, qui Altobellum Averoldum Episcopum Polensem, & Internuncium Pontificium apud Venetos, rogarent, ut Capitulum Crepsense, quod Marcus de Nigro Episcopus instituerat, ejusque statuta auctoritate apostolica confirmaret, eidemque & titulum, & insignia, ceteraque privilegia, quæ Canonicorum propria sunt, & singularia, conferret. *Anno* 1528. *Præbendati Collegiatæ Chersensis petierunt Venetiis confirmari statuta ab Episcopo Nigro jam confirmata, nec non confirmari electionem sex Mansionariorum, & quod ipsi ad instar cathedralium Canonicorum sint Canonici, & utantur Almutiis*. Valerius a Ponte. Quod petebant, anno proximo illis concessum est ab eodem Apostolico Internuncio. *Anno* 1529. *Præbendati Collegiatæ Chersensis obtinuerunt esse Canonicos, & uti Almutiis*. Idem Valerius a Ponte. Extat duplex diploma, seu privilegium Altobelli, eodem quidem anno, sed alterum *dat. prid. Id. Febr.* alterum VII. *Kal. Martii*; hoc posteriori jus eligendi sex adjutores chori & sacrarum functionum, quos Mansionarios vocant, eisdem attribuit.

Altobellus Ep. Polen. & Pontificius Venetiis Legatus Capitulum Crepsense confirmavit.

His temporibus duo insignes viri ex diœcesi Absorensi, & familia Franciscana floruerunt, Thomas cognomento Illyricus, patria Absorensis, qui ob eximiam sanctitatem titulum *Beati* apud suos obtinuit, de quo Octavius Spaderus: *B. Thomas Illyricus, dictus ab Auximo, sed verius ab Auxero*, 13. *Maji* 1520.; & Antonius Marcellus humili genere natus in castello insulæ Crexensis, quod *Caisole*, idest Caput insulæ vocatur. Hunc familia Marcella patricia Veneta, ob egregiam quamdam in puero indolem, pro filio adoptavit, suo cognomine impertiit, & politioribus litteris erudiendum solerti magistrorum curæ tradidit. Ineunte adolescentia in sodalitatem Patrum Conventualium S. Francisci nomen dedit; atque in cœnobio Crepsensi, monasticæ disciplinæ tyrocinium posuit; cum excellenti ingenio, ac singulari cujusque generis doctrina virtutes omnes conjunxit, quæ in religiosum ac magnum virum cadere possunt. Cum Franciscani, quos Conventuales vocant, ab iis, quibus ab Observantia cognomen est, Leone X. Pontifice Max. approbante, secessionem fecissent; Antonius creatus fuit primus Magister generalis Patrum Conventualium; deinde Patarensis Archiepiscopi titulum obtinuit; demum anno 1521. Æmoniæ, sive Civitati Novæ in Istria præpositus Episcopus, annos quinque hanc Ecclesiam sanctissime administravit. Decessit anno 1526. Sepultus est in æde Crepsensi Franciscana Patrum sui Ordinis, ante aram sanctissimæ Crucis. Lapidi sepulcrali ejus effigies pontificali habitu atque vestitu insculpta est, & apposita hæc inscriptio:

Duo viri insignes diœcesis Absorensis ex Ordine Franciscano.

Se-

Digitized by Google

Seraphico cœtu meritis qui præfuit olim,
Dogmate qui sacro, qui Latioque potens,
Marcellæ gentis jacet hac Antonius urna,
Qui fuit & Pataræ Præsul & Aemoniæ.
Proh dolor! heu facinus! nostri mors invida terris!
Cur potuit Chersi gloria tanta mori?
MDXXVI.

Ædes cathedralis aris marmoreis aucta.

Dum Andreas hanc Ecclesiam regebat, ædes cathedralis altaribus marmoreis egregii operis, ac magni pretii aucta, & ornata est. Unum B. Virgini ab Angelo salutatæ construxit ac dotavit Franciscus Absorensis & Crepsensis ex antiqua & nobili familia Drasa, quæ olim plurimis opibus florebat; sibique ante ipsam aram sepulcrum paravit; quo post obitum illatus est, & hæc eidem superposita inscriptio:

Marmoris hac gelidi tegitur sub mole sepulchri
Franciscus patriæ fama, decusque suæ.
Hic tricennis obit Rector, sub pectore gestans
Perpetuam in Venetos, in patriamque fidem.
Nobilium splendor, Populi tutela fidelis;
Hinc patria luget, civis uterque Patrem.

Alteram item ex marmore aram civitas Absorensium ære publico excitari jussit S. Roccho; cujus effigiem docto & elegante penicillo expressit Palma pictor ea tempestate celeberrimus; tertiam Donatus de Petris, sive Petrissus, quem pia conjux superstes prope eamdem aram sepeliri, & hoc titulo ornari voluit:

Et pius & præstans jacet hac Donatus in urna
Petrissus: sacras sparge Viator aquas.
Hoc conjux posuit monumentum grata Marito,
Et gemit extinctum nunc quoque mœsta Virum.

Interregnum Episcopale.

Anno 1527. Andreas Piperarius aut morte sublatus, aut voluntaria decessione sedem Absorensem reliquit. Interregnum episcopale tenuit usque ad annum 1533. Tota rei christianæ administratio per eos annos incubuit in Vicarium Capitularem Stephanum Petritium Rectorem Ecclesiæ Crepsensis, & Canonicum Absorensem.

Stephanus Petritius Vic. Capitularis.

Interea dum sedes episcopalis vacabat, matrona quædam Crepsensis vidua Stephani de Petris, æque locuples ac pia prope mœnibus Crepsæ monasterium ac templum S. Petri ædificavit, & suis bonis dotalibus instruxit Virginibus Benedictinis, ad quorum societatem ipsa quoque aggregari voluit, earumque regimen, quamvis invita, suscipere tamen coacta est, & quoad vixit, Antistitæ nomen munusque retinuit. In eam ædificationem plurimum pecuniæ ac subsidii contulit Petrus Coccorinus civis Crepsensis opulentus in primis ac nobilis; cujus filia nomine Angela in eodem cœnobio sub disciplina S. P. Benedicti se ipsam Deo in perpetuum devovit.

ANTONIUS II. EP. ABSOREN. XXXVI.

Antonius de Cappo Episc. Absoren. duos habuit Vicarios, alterum Absori, alterum Crepsæ.

Cui de Cappo cognomen, insula & oppidum Pagi patria fuit. Clemens VII. Antonium, quem in numerum præsulum domesticorum aggregaverat, Episcopum Ecclesiæ Absorensi præfecit anno 1533. Fixum ac stabile domicilium Absori constituit, neglecto & contempto periculo, quod sibi suæque valetudini ab insalubris aeris aspiratione imminebat, ut exemplo & præsentia sua clerum & populum in urbe retineret. Post civitatem ac diœcesim episcopali lustratione peragratam, synodum indixit, ad quam tum Canonici utriusque Capituli Absorensis, & Crepsensis, tum Parochi fere omnes, urbanis & agrestibus ecclesiis præpositi, convenerunt. Nec solum in synodo, sed etiam extra synodum pro eo ac necessitas, & utilitas rei christianæ postulabat, plura & præclara decreta fecit, quæ ad reformandos populi mores, atque ad cleri disciplinam stabiliendam ac firmandam referuntur; ex omnibus pauca quædam Valerius a Ponte in suas schedas conjecit. *Anno 1533. Reverendissimus Antonius de Cappo Episcopus Auxerensis publicavit quædam decreta pro vita & honestate Clericorum. Anno 1534. dictus Episcopus de Cappo prohibuit negotiationem Clericis sub pœna amissionis beneficiorum, & perpetuæ suspensionis a celebratione Missarum pro non habentibus beneficium. Anno eodem mandatum Reverendissimi Domini Episcopi factum omnibus Clericis habentibus residentiam, ut sub pœna amissionis beneficiorum debeant residere.* Quem Canonici Absorenses, dum Ecclesia Episcopo carebat, rei christianæ & ecclesiasticæ administratorem elegerant, eumdem Antonius Vicarium suum generalem creavit, videlicet Stephanum Petritium, Rectorem præpositum Ecclesiæ & Capitulo Crepsensi, eumdemque Canonicum Absorensem. Alterum in oppido Crepsæ constituit, qui locum suum ibidem teneret, cujusque opera vicaria ad regimen illius cleri ac populi uteretur; hic erat Joannes Moscardinus, qui pœna exsilii proposita clericis edixit atque interdixit, ne choreis operam darent, vel interessent, neve larvati in publicum prodirent. *Anno 1535. Mandatum sub pœna exilii factum Clericis Chersensibus a Joanne Moscardino locum tenente Reverendissimi D.D. Episcopi de Cappo, ne choreas ducant, vel personati incedant.*

Cum Prætor Absori & Crepsæ in rebus & personis ecclesiasticis plus sibi arrogaret, quam per Canones liceret; Antonius Episcopus litteras ab Duce & Senatu impetravit anno 1334, quibus idem Prætor ab jurisdictione episcopali & ecclesiastica usurpanda omnino abstinere jubebatur. Anno 1546. post alteram urbis ac diœcesis lustrationem peractam, cum non sine magno ecclesiarum ac pauperum detrimento decimas & reditus ecclesiasticos male administrari comperisset, vel negligentia, vel malitia illorum, quibus eorum bonorum curatio mandari solebat; ita præcautum & provisum esse voluit, ut omnem vel fraudibus locum, vel incuriæ excusationem praeriperet. Itaque hoc decretum fecit.

Ejus decretum.

Dum se Reverendissimus in Christo Pater D. D. Antonius de Cappo, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Aufferensis diœcesis Episcopus, ad visitationem dictæ suæ diœcesis contulerit; & volens Dominatio sua ad laudem omnipotentis Dei, suæque Immaculatæ, semperque Virginis Matris Mariæ omnibus inordinatis ordinem debitum imponere, prout suum est, ad hoc ut omnia recto tramite procedant; viso quod huc usque multa inconvenientia processerunt, tum ob malum regimen eorum, qui rebus ipsis providere neglexerunt, tum etiam ob nimiam atque adeo odiosam ipsorum gubernatorum temeritatem, in detrimentum non modicum universale, ac præsertim ecclesiarum, a quibus bona ipsa processerunt, ut distribuantur ad pias causas; Dominatio sua itaque infrascriptas deliberationes, ordinationes, & statuta publicari jussit & mandavit, quæ a quibuscumque observari voluit, sub pœnis infrascriptis;

ptis; sic etiam annuente magnifico & generoso Domino Petro Maripetro pro Illustrissimo & Excellentissimo Ducali Dominio Venet. dignissimo Chersi, & Ausseri Comite, quem sua Dominatio ob auctoritatem sibi magnifico Domino Comiti a prælibato Illustrissimo Dominio attributam, tamquam ipsum Illustrissimum Dominium repræsentandum imploravit, ut etiam magnificentia sua in hanc opinionem condescendat. Unde consulto negotio, & viso, quod operæ pretium visum est opus esse celeri remedio, mandavit publice publicari, ut infra.

Leges ab eo præscriptæ ad rectam bonorum Ecclesiæ administrationem.

Primum itaque imperavit, ut Prosuppi sive administratores bonorum, quæ ad ecclesiam, ad pauperes, ad pia sodalitia pertinent, singulis mensibus quid & quantum vel exegerint, vel expenderint, & pecuniæ quod superesset, in codicem referant; rationesque omnes in eo descriptas Prætoris inspectioni subjiciant; id nisi fecerint, multam pecuniariam iisdem imposuit, cujus partem unam Prætori, alteram cellæ frumentariæ, sive horreo publico Absorensi, vel Crepsensi dari jubebat.

Deinde ut quicumque annis superioribus Prosupporum munere functi essent, intra finem mensis proximi, rationem administrationis sibi traditæ redderent; & si quid vel incuria periisse, vel malitia interversum esse compertum fuerit, numerata pecunia compensent; pœna eadem, quæ supra, irrogata, si id facere neglexerint.

Postea ut Prosuppi pecunias & res quascumque ex decimis & bonis ecclesiasticis collectas, quæ in pauperes erogandæ forent, deponant apud judices, idest primarios urbis magistratus, & Parochum civitatis, ut eas ipsi pauperibus distribuant; qui apud Prætorem, sacramenti religione interposita, fidem faciant se tantundem egentibus largitos fuisse, quantum a Prosuppis acceperant.

Tandem, ut bona ecclesiæ vel pauperum, si constituta auctione vendere oporteat, in foro publico, hasta posita, voci præconis subjiciantur; secluso omni dolo & collusione dentur plus offerenti; anathematis pœna proposita tum emptori, tum venditori, si quam fraudem aut fallaciam auctioni præponerent, vel interponerent.

Mandans prædictus Dominus Episcopus, ac magnificus Comes prædicta omnia ab omnibus inviolabiliter observari, & observari facere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ parte Reverendissimi D. Episcopi antelati, ac etiam sub pœna librarum centum parvorum parte magnifici D. Comitis, & perpetuæ privationis officii; quæ pœna dividatur, ut ante. Qui mandarunt ipsos ordines in Actis Cancellariæ Chersii ad futurorum memoriam post publicationem ipsorum registrari.

Die primo mensis Januarii 1546. a Nativitate.

Legente ac dictante me Joanne Francisco de Bomartinis V. Cancellario per Zanettum præconem sub Logia Communis voce præconia proclamatæ & stridatæ fuerunt provisiones antescriptæ, ad omnium claram intelligentiam, præsentibus Domino Antonio de Petris, D. Joanne de Soliis de Papia, ac pluribus aliis testibus. Item publicatæ fuerunt Ausseri sub die . . . ut apparet ex litteris spectab. DD. Judicum dicti loci.

Item publicatæ fuerunt Lubenizzæ sub die XI. Junii, ut apparet fide facta p. V. C. dicti loci.

His decretis & constitutis robur & firmitatem adjecit auctoritas Ducis & Senatus Veneti, qui rogatu Antonii Episcopi, & Petri Maripetri Prætoris, omnia confirmavit; & si qui ob malam infidamque administrationem patrimonii ecclesiarum & pauperum, rei peculatus comperti fuissent, iis vetuit in perpetuum ejusmodi præfecturam committi: *Mandans præsentium litterarum ordinem publicari Chersi & Ausseri, & registrari in volumine Statutorum utriusque Cancellariæ, ad futuram memoriam, & omnium claram intelligentiam.*

Lata data promulgata fuit antedicta provisio per Reverendissimum Dominum Episcopum & magnificum Comitem, sedentes in camera Episcopatus Aufferensis anno Domini 1546. Indict. IV. die vero mensis Januarii, præsentibus &c.

Eadem fere quadriennio post ad præcavendas fraudes, ac vigilantiam Prosupporum excitandam sancivit Zacharias Zantanus, Prætor Absori & Crepsæ; ac præterea capsam, in qua asservari solebant pecuniæ ecclesiarum, & pauperum, tribus clavibus obserari jussit, quarum una penes Advocatum Communis, altera penes Prosuppos, tertia penes Vicarium Episcopi esset. Lege cautum erat, ne quis ante annos decem post priorem elapsos, alteram ejusmodi bonorum administrationem reciperet. Forte evenit, ut cum fortasse deessent, quibus hæc procuratio recte committi posse videretur, Episcopus in Prosuppos eligeret, Prætorque approbaret, qui semel hoc munere functi, nondum annos ejusdem muneris vacationi præfinitos expleverat. Quod cum Venetias delatum fuisset ad Senatum, Franciscus Donatus Dux Venetiarum litteris ad Zachariam Zantanum Prætorem datis x. Kal. Septemb. an. 1550., illam electionem & approbationem irritam fecit, eamque ab Episcopo & Prætore abrogari jussit. — Aliæ leges eodem spectantes.

His temporibus cum præsideret monasterio Benedictino Virginum Absorensium S. Mariæ Cæcilia de Cappo soror, vel potius filia fratris Antonii Episcopi, quæ vitam omnibus virtutibus & sanctimoniæ notis insignem ad annum usque nonagesimum perduxit; Virgines illæ de communi sententia, Episcopo & Sede Apostolica approbante, cum Franciscano Benedictinum institutum commutarunt. Antonius Cæciliam ob excellentem ejus sanctimoniam summopere coluit & dilexit; eique moriens annulum episcopalem aureum testamento legavit, quem ipsa quoad vixit, cum Antistita perpetua fuerit, digito infertum gessit; & ceteris quæ in ejus locum ac præfecturam deinceps succederent, gerendum tradidit ac reliquit.

Antonius cum esset summa propemodum senectute, & viribus infirmis, sensit se idoneum non esse ad episcopale onus ferendum. Itaque ab Julio III. postulavit adjutorem, qui episcopali consecratione insignitus, & jure successionis donatus, pontificias functiones obiret; idque facile impetravit, ut docent Tabulæ consistoriales: 2. *Junii 1550. fuit deputatus Coadjutor R. D. Antonio Episcopo Aufferensi senio confecto, in regimine & administratione Ecclesiæ Aufferensis, D. Marcus Fidelis de Gonzaga clericus Mantuanus in 28. suæ ætatis anno constitutus, cum facultate omnium &c. exercendi, & cum futura successione per cessum, vel decessum, & cum retentione omnium. Taxa florenorum 50.* Tres annos præterea vixit, quos Pagi, ut credibile est, in patria transegit. Ibidem mortuus est anno 1553., & honorifice sepultus in templo ejusdem primario. Atrium palatii episcopalis — Marcus Fidelis Gonzaga Adjutor illi datus, & successor decretus.

palis

Digitized by Google

palis amplificavit, & muro circumdedit. In atrio fere medio cisternam effodit capacissimam, quæ ingentem aquæ copiam non incolis solum, sed etiam navigiis illac transeuntibus abunde suppeditat. In æde cathedrali novum baptisterium marmoreo & eleganti opere construxit, ut ejus stemma gentilitium ibi affixum declarat.

MARCUS FIDELIS EP. ABSOR. XXXVII.

Marcus Fidelis Gonzaga Episc. Absorensis rectæ bonorum Ecclesiasticorum administrationi consuluit.

Hanc Ecclesiam tum summa generis claritate, tum vero eximiarum virtutum splendore illustravit Marcus Fidelis, ex nobilissima gente Gonzaga, quæ illis temporibus Mantuæ, atque in aliis Galliæ Cisalpinæ oppidis rerum potiebatur. Anno 1561. cum diœcesim episcopali lustratione peragraret, multa in administratione bonorum ecclesiæ & pauperum peccari, committique animadvertit, contra quam pluribus Episcoporum, Prætorum, & Senatus Veneti decretis, ad id præcavendum compositis, sapientissime præscriptum fuerat. Itaque hoc decretum simul cum Prætore civitatis communiter fecit.

Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Marcus Gonzaga, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ausarensis, cum ad Diœcesim visitandam accessisset, bona & introitus Ecclesiæ & pauperum non recte administrata invenit, hanc præsertim ob caussam, quod licet quotannis juxta sanctiones super hoc disponentes ad regimen bonorum & introituum Ecclesiæ tres eligerentur Procuratores, qui Prosuppi nominantur, & conjunctim, & unanimiter in Domino prædicta bona & introitus canonice, & laudabiliter administrent, totidemque similiter vocati ad partem pauperum administrandam eodem modo deputentur; tamen videtur introductum, ut ex illis unus tantum, reliquis duobus collegis in ulla re umquam accitis, propria auctoritate totam sibi vindicet administrationem, cuncta pro libito faciat, bona etiam stabilia sine ipsius Reverendissimi Domini Episcopi consensu cum evidenti Ecclesiæ damno alienet, introitusque & pecunias solus exigat, easque pro arbitratu suo expendat, & interdum etiam in propinquos, domesticosque usus convertat. Unde fit, ut multoties cum opus esset Ecclesiæ de aliqua re sibi necessaria providere, aut pauperibus aliquid distribuere, non adsit facultas; indeque scandalum maximum populi, & damnum ingens Ecclesiæ & pauperibus sequuntur, cum detrimento animarum eorum, qui talia faciunt, & rerum etiam suarum jactura non modica; transacto siquidem tempore administrationis, sortem sibi appropriatam, una cum mulcta solvere compulsi, cum non habeant aliunde, quo possint satisfacere, paternis bonis se & filios misere spoliare coguntur. Reverendissimus igitur D. Episcopus præfatus de gregis sibi commissi salute sollicitus, videns rem hanc tam perniciosam celeri provisione egere, paterno affectu motus, salubre remedium adhibere statuit; utque facilius hæc sua intentio debitum sortiatur effectum, habita super hoc matura consideratione, Clarissimi Domini Melchioris Coppo pro Illustriss. Dom. Venet. in hac insula Comitis & Capitani, justitiæ zelatoris, & executoris brachium imploravit. Qui quidem Clarissimus Dominus Melchior, intellecto toto negotio, huic rei quam primum providere & pium & sanctum esse duxit. Reverendissimus igitur D. Episcopus & Clarissimus Comes præfati, tot malis occurrere volentes, ambo unanimes & concordes sanxerunt, decreverunt, & terminaverunt, prout infra, mandantes has infrascriptas sanctiones sub pœnis, prout in eis, inviolabiliter observari. Et primo. Quod Prosuppi præsentes Ecclesiæ & pauperum tam Ausseri, quam Chersi, eisque pro tempore successuri, sint obligati cum solemni juramenti vinculo pro eorum posse, & omni conatu bona stabilia tam pauperum, quam Ecclesiæ, alienata in pristinum statum redigere, eaque sic redacta, cum iis, quæ numquam alienata fuerunt, gubernare; quæ nulli eorum sine consensu Reverendissimi Domini Episcopi liceat alienare; & si quid contra attentatum fuerit, irritum & inane, ac nullius roboris vel momenti sit. Insuper Prosuppus, qui hoc facere præsumpserit, in dicto officio Prosupiæ amplius eligi non possit; & propterea intelligatur, & sit bannitus de tota hac insula per annum unum continuum. Insuper quod nullus ex Prosuppis possit solus sine interventu, aut licentia saltem unius ex sociis introitus; aut reditus aliquos exigere, vel exactos vendere, nec sine societate saltem unius ex collegis quomodolibet dispensare, nec aliquo pacto pecuniam ex illis confectam, aut quoquomodo exactam, vel recuperatam, ultra trium dierum spatium penes se retinere sub pœna solidorum duorum pro qualibet libra a quocumque contrafaciente toties, quoties contrafecerit, auferenda; quæ sit Clarissimi Domini Comitis, qui exactionem faciet, & hoc ultra pœnam solidorum duorum solitam Prosuppis; quæ pecunia ut supra, sic ex introitibus confecta, vel quoquo modo exacta aut recuperata, infra terminum supra statutum a Prosuppis utriusque partis, tam Ausseri, quam Chersi, poni debeat in scriniis ad hoc deputatis, quorum unumquodque quatuor claudi debeat clavibus, quarum una apud Reverendissimum D. Episcopum, vel ejus Vicarium, sive substitutum, in unoquoque supradictorum locorum commorantem, ad hoc deputatum esse debeat; reliquæ vero tres singulæ singulis Prosuppis distribuantur sic, ut cum opus fuerit aliquid pro Ecclesia aut pauperibus de scriniis extrahere, omnes simul illius partis adesse necesse sit, pecuniæque hoc modo communi omnium eorum consensu extractæ, recte & canonice dispensentur. Ulterius quod Prosuppi tam Ecclesiæ, quam partis pauperum non possint sine expresso Reverendissimi Domini Episcopi consensu pecunias Ecclesiæ aut pauperum in ullum alium usum, quam propriarum ipsarum partium Ecclesiæ & pauperum, & non aliter, nec alio modo expendere, sub pœna solidorum duorum a quolibet contrafaciente, ut supra, toties quoties contrafecerit, auferenda, & applicanda Clarissimo D. Comiti tunc existenti; & expensæ, quod contra præsentem ordinem factæ fuerint, nullo pacto admitti possint, sed omnino rejiciantur; & hoc ultra pœnam, ut supra, statutam. Hoc etiam declarato, quod si quo tempore opus fuerit auxilium præbere solutionibus & conductis Medici, & Magistri ludi litterarii, recurrentes ad præfatum Reverendissimum D. Episcopum, vel ejus Reverendissimum Vicarium, omne pium & honestum auxilium consequentur.

Latæ, datæ, & in his scriptis promulgatæ fuere sanctiones suprascriptæ per supradictos Reverendissimum D. Episcopum, & Clarissimum D. Comitem, legente me Presbytero Johanne de Saviis,

Digitized by Google

viis, suæ Dominationis Reverendissimæ Cancellario, currente anno Domini 1561., die Mercurii, octavo mensis Octobris in Palatio Episcopatus Ausseri, astante caterva Nobilium & Popularium; & præsertim Nobilibus Dominis Christophoro Schia Judice honorando Ausseri, & Dominis Donato de Petris, & Baldassare Grabia Advocatis Spectabilis Communitatis Ausseri, & Domino Jacobo Drasa quondam Domini Francisci Nobili Chersensi, & quam plurimis aliis testibus.

Concilio Tridentino interfuit.

Sub Pio IV. novem postremis Sessionibus Concilii Tridentini anno 1562. interfuit; atque inter Episcopos ab Julio III. creatos, qui Tridentum ad Synodum convenerunt, secundo loco nominatur *Marcus Gonzaga Mantuanus Episcopus Ausserensis*. Sodalitium Sanctissimi Corporis Christi ædi cathedrali annexum certis delictorum indulgentiis ab eodem Pio Pontifice donandum curavit, quas statis & solemnibus diebus perciperent quicumque in eam sodalitatem nomen dedissent. Canonicis Absorensibus, quod tenues admodum essent eorum reditus, ab solutione cujuscumque tributi immunitatem impetravit. Sub initium belli Cyprii anno 1570. Petrus Lauretanus Dux Venetiarum, in suis ad Vincentium Pisanum Prætorem Absori & Crepsæ litteris, hoc ei mandatum ad Episcopum vel ejus Vicarium dedit, ut publicas & solemnes precationes ad cælestem opem contra Turcas implorandam, tum in urbe, tum in oppidis & villis totius diœcesis peragendas indiceret; itemque ut juberet Parochos adhortari populos, ut conscientiæ labes eluerent, & frequenter divina mysteria caste pieque susciperent.

Ad Ecclesiam Mantuanam regendam migravit.

Annos circiter quatuor & viginti Marcus Ecclesiam Absorensem vel præsens per se, vel absens per suum Vicarium administraverat, cum eum Gregorius XIII. ad Ecclesiam Mantuanam regendam migrare jussit anno 1574, vel sub initium sequentis, ut colligitur ex Tabulis Consistorialibus. Erravit itaque Ughellus, qui ejus Mantuanam translationem in annum 1578. rejecit. Huic Ecclesiæ præfuit usque ad annum 1583., hoc quippe anno VI. Id. Septembris e vita decessit, atque in æde cathedrali honorifice tumulatus hoc Epitaphium meruit.

Ejus Epitaphium.

D. O. M.

Marco Gonzaga, qui primum Auxerensis Episcopus Tridentino Concilio interfuit; post Serenissimi Domini Guillelmi Mantuæ Ducis III. intuitu, ad hanc Cathedralem Ecclesiam translatus est. Annos fere novem præfuit. Hic quiescit, Eudimione ejus fratre, Ferdinandoque, & Aurelio ex eodem fratre nep. & hæred. sic tumulari curantibus. Anno MDLXXXIII.

Laurentius Lauretanus Episcopus brevissimus fuit, si tamen fuit.

In Catalogo Antistitum Absorensium, quem nuper cum litteris humanissimis clarissimi Bonaventuræ Bernardi Episcopi illius civitatis accepi, Marco Gonzagæ subrogatus legitur Laurentius II. Lauretanus Patricius Venetus; qui nominatus esse dicitur in Codice quodam Ecclesiæ S. Mariæ ejus oppidi, quod *Caisole*, seu Caput Insulæ appellatur, itaque in altero Codice tabularii Auxerensis. Sed si annumerandus est inter Episcopos Absorenses, ejus Pontificatus brevissimus fuit; quippe sub initium anni 1575. Romæ in augustissimo Cardinalium consessu huic Ecclesiæ præpositus fuit

CORIOLANUS EPISC. ABSOR. XXXVIII.

Coriolanus Garzadorus diœcesim lustravit.

Vicetiæ nobili genere natus e gente Garzadora, Doctor Sacræ Theologiæ, & Subdiaconus Ecclesiæ Vicetinæ, quem Gregorius XIII. Absorensibus Episcopum dedit, ut est in Tabulis Consistorialibus: *19. Januarii 1575. providit Ecclesiæ Auxerensi in Provincia Jadrensi per translationem R. P. Marci Fidelis ad Ecclesiam Mantuanam vacanti, de persona D. Coriolani Garzadori Subdiaconi Vicetini, Sac. Theol. Doctoris, cæteraque requisita habentis, cum retentione compatibilium, & dispensatione, propterea quod Sacris Ordinibus ante sex menses non est initiatus; & cum reservatione pens. an. 500. Scutorum auri super fructibus mensæ Episcopalis Auxeren. pro D. Episcopo Nicosiensi.* Jacobus Marzarius lib. 2. historiæ Vicetinæ hoc illi elogium tribuit: *Coriolanus Gratianus Garzadorus, jurisconsultus excellentissimus, aliisque doctrinis, & eximiis virtutibus ornatissimus; nunc Episcopus Crepsæ & Absori, magnæ æstimationis in Aula Romana præsertim apud Gregorium XIII., qui eidem Cubicularii sui titulum & honorem impertierat.*

Ædiculam S. Gaudentii refecit, & ornavit.

Post susceptam Episcopalem consecrationem Absorum venit, ingenti omnium civitatis ordinum gratulatione & lætitia exceptus. Mense Octobri ejusdem anni 1575. sacrum Pontificale in æde cathedrali solemni ritu ac ceremonia fecit; ac deinde urbis ac diœcesis lustrationem Episcopalem indixit, quam cum magno labore, & summa incolarum reique Christianæ utilitate intra finem sequentis anni confecit. Arcam S. Gaudentii e proximo sacello ad Basilicam Cathedralem ab eo translatam, & in summo altari depositam ferunt. Ædiculam vero illam, in qua plurimos annos Corpus ejusdem S. Gaudentii jacuerat, vetustate collabentem refecit, & egregiis picturis ornavit; ac ne antiquam religionem amitteret, in locum sacratissimi illius Corporis, statuam S. Gaudentii affabre factam ibidem substituit, quæ summa Absorensium veneratione & frequentia colitur. Hæc cura sumptuque Coriolani Episcopi perfecta fuisse, stemma gentis Garzadoræ appositum testatur.

De bonorum Ecclesiasticorum administratione lites habuit cum Communi.

Ad componendas controversias, quæ de præfectura atque administratione bonorum Ecclesiæ, & pauperum, Communi Absorensium erant cum Episcopo, hæc decreta & præscripta sunt a Sebastiano Venerio Duce Venetiarum in suis ad Joannem Mocenicum Prætorem litteris datis anno 1577. IX. Kal. Augusti. I. Ut ad electionem Prosupporum quod attinet, Senatusconsulta in id sæpius facta accurate serventur; nemini autem hanc procurationem mandari liceat, quin decem annos vacationi hujus muneris præscriptos expleverit. II. Cum non plures, quam octo, sint Presbyteri, qui ad hoc munus eligi possint, nullusque ex illis tempus eidem vacationi præfinitum conficere possit, ille cæteris præferatur, qui ab ejusmodi administratione plures, quam alii, annos vacaverit. III. E proventibus Ecclesiarum & pauperum itemque ex ærario Communis argentei nummi septuaginta Medico Civitatis singulis annis persolvantur; neque vero id stipendium e sacro peculio augeri possit, nisi Episcopus & Prosuppi consenserint. IV. Penes Prosuppos jus esto exigendi decimas, aliosque omnes reditus Ecclesiarum & pauperum; pecunia inde confecta in

Digitized by Google

in arcam ferreis laminis munitam inferatur, & quatuor feris & clavibus diversi operis atque artificii obseratam; una sit penes Episcopum, tres aliæ apud tres Prosuppos; & suam quisque habeat; arcam neque aperiri, neque inde quidquam pecuniæ ad consuetos & necessarios sumptus extrahi debeat, nisi adsit Episcopus pariter cum tribus Prosuppis. V. Quidquid pecuniæ exactum fuerit, statim in arcam conjiciatur; si quis hanc pecuniam apud se tribus diebus amplius retinuerit, statim ab hujus muneris procuratione amoveatur, & qua dignus est pœna afficiatur. VI. Sit penes Prosuppos potestas eligendi pulsatorem organi pneumatici; eique mercedem constitutam e sacro peculio contribuant. VII. Prosuppi rationes accepti & expensi reddant, componantque coram Prætore, Judicibus civitatis, & Episcopo, juxta consuetudinem antiquam. VIII. Si quando Episcopus ex urbe discedat, vel ad insulam Crexam, vel ad alia suæ diœcesis loca profecturus, e sacrario ædis cathedralis nihil, præter indumenta pontificalia, secum afferat, & omnium, si quæ præterea abstulerit, notam scripto consignatam relinquat. IX. Ut Episcopus pecunias e mulctis nummariis collectas, in reparationem templi Virginum Absorensium S. Mariæ de Angelis impendat. X. Ut ex reditibus ædis cathedralis S. Mariæ, item ex illis, qui ad pauperes pertinent, tum Magistro gymnasii publici, tum pharmacopolæ civitatis annuum iisdem decretum stipendium solvatur.

Interfuit Concilio generali Dalmatiæ, præsidente Augustino Valerio Visitatore Apostolico.

Anno 1579. interfuit Concilio generali totius Dalmatiæ Venetæ, quod Jaderam convocavit Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, Visitator apostolicus ecclesiarum ditionis Venetæ, missus a Gregorio Papa XIII., ejusque actis subscripsit *Coriolanus Garzadorus Auxerensis*. Paucis post diebus idem Visitator Jadera discedens, ad Ecclesiam & diœcesim Absorensem invisendam accessit. Absori cum esset, diem festum S. Gaudentii pontificali sacro celebravit; quem diem eo anno insignis pompa & apparatus, insoliti & multiplices musicorum, fidium, tubarum concentus, & ingentes hominum cujusque generis concursus, augustiorem lætioremque fecerunt. Multa præclare & sapienter ad reformandos cleri & populi mores, divinique cultus splendorem augendum Augustinus decrevit; illud præsertim Absori, ut sacris reliquiis, quæ in æde cathedrali erant sane multæ & insignes, debitus honos haberetur, & suis loculis inclusæ diligentissime custodirentur; ac tunc fortassis, Augustino potissimum auctore, corpus S. Gaudentii e proxima ædicula in basilicam cathedralem translatum fuit. Crepsæ vero templum primarium, quod angustius & inornatius erat pro nobilitate oppidi, & frequentia civium, ut amplificarent, ornarentque, gravi & copiosa oratione hortatus est Crepsenses; quod se facturos summa alacritate polliciti sunt; idque postea præstiterunt, certatim omnes pro suis quisque facultatibus pecuniam operamque conferentes.

Coriolanus legationem Coloniensem plures annos gessit.

Gregorius XIII., cui fides Coriolani, prudentia, singularis in quibuslibet vel gravissimis negotiis gerendis solertia experta, atque perspecta erat, legationem apostolicam Coloniensem ei decrevit, & mandavit. Id muneris multos annos Coloniæ summa cum laude gessit. Dum aberat, Ecclesiæ ac diœcesis administrationem tum Vicario suo generali, tum etiam Paschali Padaviro Episcopo Arbensi commendavit. Hac legatione perfunctus anno circiter octavo sæculi proximi se ad suam Ecclesiam retulit; eamque duobus capitibus Sociarum S. Ursulæ Colonia allatis donavit. Anno 1614. Paullus V. ei petenti potestatem fecit Episcopatus Absorensis dimittendi, atque in Octavianum Garzadorum fratris filium transferendi. Stemma gentilitium, suique pontificatus memoriam tabulæ manu Andreæ civis Vicetini pictæ, & summo in altari collocatæ, impressam reliquit.

Episcopatum dimisit, & fratris sui filio tradendum curavit.

MDXIV.

Sub Auspiciis Illustr. & Reverendiss. Dom. Domini Coriolani Episcopi Auserensis Andreas De Micha Civis Vicentinus fecit.

OCTAVIANUS EP. ABSOREN. XXXIX.

Filius fratris Coriolani, ut supra dictum est, cui collatum a patruo Episcopatum confirmavit Paullus V., ut docent Tabulæ consistoriales: *An. 1615. 12. Maji providit Ecclesiæ Aufferensi vacanti per liberam resignationem D. Coriolani Garzadori, de persona Octaviani Garzadori J. V. D. Vicentini, & nuper in sacris Ordinibus constituti, cum reservatione annuæ pensionis scutorum 1500. monetæ Venetæ ad favorem resignantis, dummodo remaneant mille monetæ Romanæ pro proviso.* Huic ecclesiæ præfuit usque ad annum 1633., ex quo apparet nihil temporis ac loci relictum esse Cæsari Nardo ex Ordine S. Francisci, quem Auctor Viridarii Seraphici inter Episcopos Absorenses annumeravit, ejusque Episcopatus initia anno 1621. affixit. Titulum Absorensis Episcopatus inanem gessit, nominatus a Ferdinando II. Imperatore, qui cum rex Hungariæ idem esset, jus designandi Episcopos Dalmatiæ ad se pertinere existimabat; cæterum neque hujus Ecclesiæ possessionem adiit, neque proventus episcopales percepit, ut intelligi licet ex Tabulis consistorialibus: *An. 1621. 20. Junii, Reverendissimo Ludovisio referente pro Reverendissimo Domino Cardinali Dietristain sua Sanctitas providit Ecclesiæ Ansarien. in regno Dalmatiæ vac., ad præsentationem Cæsareæ Majestatis, de persona Fratris Cæsaris Nardi Ord. Conventualium, sac. Theol. Profess., eique ab Imperatore assignari debuit congrua portio, donec & aliter provideatur, cum donatione jurium &c.*

Cæsar Nardus Eccl. Absoren. titulum honorarium obtinuit.

Octavianus Virginibus Crepsensibus Benedictinis S. Petri præclaras leges ad normam disciplinæ monasticæ præscripsit, quas postea Valerius a Ponte Vicarius apostolicus confirmavit. Dum huic Ecclesiæ præsidebat, Augustinus Gradonicus Episcopus Feltrensis, qui cœnobium Benedictinum Absorense, titulo ac jure Abbatis Commendatarii obtinebat, templum S. Petri cœnobio adjunctum, vetustate collapsum fere a fundamentis restituit, ut declarat inscriptio januæ superposita:

Templum S. Petri Absorensis restitutum.

Hanc Divo Petro dicatam Ecclesiam
Vetustate penitus collapsam
Augustinus Gradonicus Episcopus Feltrensis,
Abbas Commendatarius a solo restituit
Anno a Christi ortu MDCXXV.

Octavianus sedem episcopalem anno undevicesimo, quam conscenderat, Venetiis moriens an. 1633. vacuam reliquit. Cave eum confundas cum Octaviano Garzadoro Archiepiscopo Jadertino. Uterque patria Vicetinus fuit ex gen-

Mors Octaviani.

gente Garzadora; ex qua cum duarum vel trium familiarum fuissent facta divortia, non eadem utrumque familia protulit; alter alteri æqualis fuit, idem utrique stemma gentilitium; sed Archiepiscopus Jadrensis suum stemma insertum habebat aquilæ bicipiti coronatæ. Hic deposito Archiepiscopatu vitam privatam duxit usque ad annum 1652. noster vero vivere desiit anno 1633. De Octaviano Episcopo Absorensi honorificam mentionem fecit F. Franciscus Barbaranus ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, quos Capucinos vocant, in Historia Vicetina. Post aliquot annos Coriolanus & Ludovicus fratris filii patruo eximie merito Vicetiæ monumentum posuerunt in templo S. Michaelis Patrum Eremitarum S. Augustini, eique hunc titulum fecere:

Octaviano Garzadoro ob resignationem Coriolani patrui præter ætatem gratia Pauli Quinti Pontificis Episcopo Auxerensi prudentia singulari immatura morte erepto Coriolanus & Ludovicus fratres 1644.

M. ANTONIUS EP. ABSOREN. XL.

Nobili genere natus est Veronæ, ex Comitibus *de Veritate*. Inter Præsules Curiæ Romanæ titulum ac munus *Referendarii utriusque signaturæ* obtinuit, ut tradit Valerius a Ponte. Fortassis idem fuit, qui a Marchesio in historia Foroliviensi nominatur, & anno 1623. Præses atque Gubernator Fori Liviani fuisse dicitur. Urbanus VIII. huic Ecclesiam Absorensem decrevit: 1634. 3. *Aprilis providit Ecclesiæ Auxerensi vacanti per obitum Octaviani Garzadori de persona Antonii Veritatis Presbyteri Veronensis, cum reservatione 600. ducatorum pro personis nominandis.* Pastoralis curæ & sollicitudinis initium a lustratione urbis ac diœcesis faciendum censuit: qua peracta synodum convocavit an. 1636. XIII. Kal. Maji, in qua multa rei christianæ & ecclesiasticæ perutilia constituit; dies festos S. Nicolai VIII. Id. Decembr., S. Gaudentii Kalendis Junii (qui sunt patroni Arbensium) in tota diœcesi; Crepsæ autem S. Isidori martyris Crepsensium patroni IV. Non. Januarii, itemque Beatæ Mariæ ad Nives, cujus titulo & auspiciis subest templum oppidi primarium, in urbe illa atque insula ritu sollemni juxta antiquam consuetudinem celebrari jussit. Si clericus clericum aliqua contumelia injuriave affecerit, ei statim omni sui ordinis aut sacerdotii functione interdictum esse voluit; sed cum ejusmodi pœna canonica, vel ad clericos ab jurgiis, & conviciis deterrendos non satis videretur, vel certe gravissimis ac prope seditiosis querimoniis occasionem præbuisset, eam cum multa pecuniaria commutavit. Anno 1636. VI. Idus Junias cum ex mandato Episcopi in sacrarium ædis cathedralis Canonici omnes convenissent, referente Falconio Archidiacono, de communi sententia decretum fuit, ut si quis e collegio Canonicorum moriens bonorum suorum heredem instituat, is ex annuis illius fructibus, & proventibus tantumdem percipiat, quantum demortuo debeatur pro numero mensium ac dierum ministerii, quod vivens choro & ecclesiæ præstiterat; cum enim dignus sit operarius mercede sua, hanc seu donatione, seu testamento, in quemcumque voluerit, transferre potest.

M. Antonii aliquot decreta.

Decretum Capitulare.

Intra finem anni 1646. Valerius de Ponte Archipresbyter, deinde Archidiaconus ædis metropolitanæ Jadrensis, vir præclara eruditione atque doctrina, summa religione ac prudentia, ex auctoritate jussuque Innocentii Papæ X., dum M. Antonius aberat, visitationem apostolicam urbis ac diœcesis Absorensis, suis ad clerum & populum litteris indixit.

Valerius de Ponte Archipresbyter Jadrensis indixit.

Valerius de Ponte Archipresbyter Jadrensis J. V. D. Vicarius & Commissarius Apostolicus &c. &c. Munus nobis licet indignis a Sede Apostolica demandatum, juxta sacras Concilii Tridentini sanctiones, exequi cupientes, eam ipsius partem in primis aggredi statuimus, per quam bonos mores tueri, personas corrigere, cultum ecclesiarum contingit potissimum augeri. Quæ sane omnia orthodoxæ fidei commoda cum sacra visitatione mirifice præstari soleant, ad eam in ipso accessionis nostræ limine animum mentemque convertimus. Verum cum in hac pastoralis sollicitudinis parte Illustrissimi ac Reverendissimi Præsules ordinarii naviter, & laudabiliter incubuerint, id tantum nobis reliquum fore existimavimus, ut agrum Domini inspiciamus, & perquiramus, num in tam nobili eruditorum virorum pietatis ac doctrinæ segete inimicus homo aliquid superseminaverit zizaniorum, numve in vinea Domini aper de silva, vel singularis ferus quidquam depastus fuerit. Quare opus tam necessarium ac præcipuum sine mora quantum in Domino possumus, perficere satagentes, implorato divini Numinis auxilio, diœcesanam visitationem per has nostras litteras edicimus, ac publicavimus; quam a personis primum exordiri, deinde non parcendo laboribus ad loca ipsa progredi, quantum hyemis inclementia patitur, D.o favente decrevimus. Propterea universos &c. Datum Chersi 30. Decembris 1646.

Anno sequenti, mense Januario visitationis apostolicæ initium ab oppido Crepsensi fecit, ut constat ex ejus Actis: *Die 14. 1647. Accessit ad Ecclesiam S. Isidori* (quæ sita est prope a templo S. Mariæ primario totius oppidi), *visitavit altare S. Gaudentii, quod ex traditione dicitur esse consecratum, nulla tamen apparent signa consecrationis. Est de collatione Ordinarii. Celebratur in eo semel in mense p. Reverendum Presbyterum Andream Cypri, qui possidet quamdam domunculam in contrata Zagrad, ex qua quotannis pro affictu recipit libras sexdecim, & medium cujusdam bortuli, & unam terrulam pasculativam in Graber &c. &c.*

Die 25. Februarii 1647. Visitavit quamdam arcam ligneam, quæ est sub icona altaris majoris, in qua quiescit corpus S. Gaudentii Episcopi, ut referunt, Auxerensis; non est tamen integrum corpus. Interim arca munita est crate ferrea, quæ jugiter clausa manet; exterius vero tribus est munita seris, quarum alteram custodit Illustrissimus Ordinarius, vel ejus Interveniens, secundam Reverendus Dominus Archidiaconus nomine Capituli, tertiam vero Spectabiles Judices Communitatis. Exterius nulla extat inscriptio denotans reliquiam, quæ ibi asservatur. In reliquo cætera sunt competenter disposita circa eamdem reliquiam. Visitavit altare majus, quod est consecratum. Icona repræsentat S. Nicolaum, & S. Gaudentium patronos hujus civitatis. Die dicta visitavit ecclesiam S. Gaudentii, in qua visitavit unicum altare, quod est consecratum ex traditione, non est tamen contectum tela cerata; celebratur in ea singula quaque Dominica, & feria secunda, impensis Confraternitatis ejusdem tituli, quæ habet proventus consistentes in ducatis quin-

quinquaginta, qui administrantur ab eisdem Confratribus. Idem altare in reliquis est competenter provisum &c. Claves ecclesiæ custodiuntur a Prosuppo, seu ab ejus substituto. In Ecclesia cathedrali extat indulgentia plenaria ad septennium omnibus fidelibus confessis & communicatis in die S. Gaudentii Episcopi &c. &c.

Catalogus sacrarum reliquiarum, quæ in æde cathedrali asservantur.

Arcæ S. Gaudentii voluit inscribi *Ossa S. Gaudentii*, cum ibidem corpus omnino integrum non esset; armarium, in quo continentur Reliquiæ Sanctorum, a situ & illuvie purgari jussit; eique adscribi: *Sacræ Reliquiæ. Visitavit sac. Reliquias, quæ asservantur in quodam armario constructo in altari majori ad latus Evangelii, in quo reperit 1. quatuor capita, hoc est singulorum craneum reconditum, & consutum in serico rubro; quæ capita constant esse Sanctorum Martyrum de legione Thebæorum, prout expressum apparet ex duplici lamine plumbeo; altero quadrato, in quo hujusmodi verba reperiuntur, videlicet (In hac arca continentur Reliquiæ de legione Thebæorum), item in alio lamine rotundo sculpta reperiuntur hujusmodi verba, videlicet (Veræ Reliquiæ de legione Thebaorum). Item ex schedula quæ dicit. (Caput Martyrum de legione Thebaorum desumptum ex Sancto Pantaleone Coloniæ). Item reperit ac visitavit aliud craneum, seu caput consutum in reticula serica, quod est S. Sabinæ V., prout constat ex schedula intus reperta. Item aliud caput consutum pariter in serico rubro, in quo reperiebatur schedula exesa, & caduca, quæ relevata fuit per Dominationem suam Reverendissimam, & est hujusmodi (De Societ. undecim mil. V.). Item visitavit duo ossa, quæ referunt esse S. Gaudentii Episcopi. Item visitavit aliud os, quod denotat esse de crure alicujus Sancti Anonymi. Item visitavit in quadam capsula quamplurima fragmenta ossium, quæ sine nomine & schedula ibidem sunt condita. Et ne in posterum dubitari possit de hujusmodi Reliquiis, illico singulis fecit apponi schedulas ad hoc, ut dignosci possint. Item reperit schedulam quamdam in eadem capsula jam exesa & caduca infrascriptarum Reliquiarum cum inscriptione, videlicet (De Ligno S. Crucis) (De Sepulchro Domini Jesu Christi) (De ligno S. Crucis, in quo pependit S. Andreas) (De S. Jacobo Apostolo) (De S. Bartholomæo Apostolo) (De S. Nicolao Episcopo) (De S. Laurentio Martyre) (Undecim millium Virginum duæ magnæ partes) (De S. Anna) (De S. Agnete Virgine) (Josiæ Martyris). Item seorsim in schedulis (De S. Elisabeth vidua) (De virga Aaron) (De veste alicujus Sancti, cujus nomen novit Dominus).*

Decreta Valerii Visitatoris apostolici.

Harum sacrarum Reliquiarum catalogum confici jussit; & apponi tabulam, in qua nominatim omnes sint descriptæ: ex iis quidquam, & vel minimum fragmentum, decerpi vetuit, anathematis pœna interposita. Hæc præterea imperavit: Sacrosanctam Eucharistiam juxta præscriptum Ritus Romani ex altari summo dimoveri jussit, & in eo collocari, perpetuoque asservari, quod in honorem Sanctissimi Corporis Christi exstructum fuerat. Multa decreta edidit, præsertim de tradenda pueris Christiana catechesi, ac de adultis etiam divinorum præceptorum ignaris erudiendis, de honestate ac disciplina clericorum, de cultu festorum dierum, de ratione Sacramentum Pœnitentiæ rite administrandi, de sacrosancto Missæ sacrificio, de quotidianis precibus canonicis, chorique psalmodia, de studio Theologiæ moralis, de deci-

mis solvendis, & exigendis; aliaque ejusdem generis, plena sapientiæ, religionis, & illius, qua incensus erat, cupiditatis divini cultus augendi, juvandique homines ad salutem æternam assequendam. Intra finem hujus anni 1647. munus apostolicum sibi demandatum peregit.

M. Antonii mors & sepulchrum in templo primario oppidi Crepsensis.

M. Antonius, ut cæli Absorensis aspirationem suæ valetudini infestam devitaret, in oppido Crepsæ habitare consuevit; ibique in templo primario S. Mariæ ante summum altare sepulchrum sibi paravit, ac successoribus Episcopis, si quidem illuc inferri vellent. Crepsæ obiit anno 1650. XVIII. Kalendas Novembris, annos natus quinque & sexaginta, & in eo, quem sibi designaverat, loculo sepultus est. Tabula marmorea rubri coloris sepulchrum obtegit, in qua sculptum est ejus stemma gentilitium, additusque titulus his litteris expressus:

MARCUS ANTONIUS ex Comitibus
De VERITATE Veronensis
EPUS Auxerensis
Hoc Monumentum fieri
Mandavit pro se,
Et Successoribus suis
Si voluerint.
Obiit die XV. Octobris
MDCL.
Vixit an. LXV. Menses VI.
Dies XX.

Lychnum argenteum præclaro opere, & grandi pondere, Venetiis ære suo fieri jussit, in eoque insculpi stemma gentis Pamphiliæ pontificiæ, & aureis litteris inscribi INNOCENTIUS PAPA X. MDCXXXX. . . . . . . atque ante altare maximum ædis cathedralis appendi.

F. Blasius de Cherso ex Ord. Franciscano vir insignis.

Marco Antonio Episcopo, Crepsa civem egregium, cœnobium Crepsense Patrum Conventualium eximiæ virtutis & doctrinæ alumnum, sodalitas Franciscana ingens lumen amisit, P. Blasium de Cherso, amplissimis sui Ordinis muneribus egregie functum, virum denique summæ existimationis apud Pontifices, & Cardinales. Crepsæ apud Fratres suos obiit, atque in templo S. Francisci prope altare primarium conditus hoc elogium meruit.

Siste gradum lector, cineri lachrymas & suspiria funde. Extinctus jacet in hac urna Ad. R. P. F. Blasius de Cherso, totius Philosophiæ, & sacræ Theologiæ Doctor. Fuit Dalmatiæ Provincialis, cunctarum provinciarum Visitator generalis, innumerisque præfuit Capitulis generalis Commissarius. Fuit & socius, ac primus assistens Ordinis. Demum totius Ordinis Procurator generalis apud Summum Pontificem & Cardinales per sexennium extitit: quique in capella Sanctissimi orationes habuit, & religionis muneribus laudabiliter est functus. His gloriose peractis, vix ad patriam reversus ultimum clausit invida morte diem, Anno MDCXXXXIII.

JOANNES II. EP. ABSOREN. XLI.

Joannes de Rubeis primum Zacynthiensis, dein de Chironissensis, demum Absorensis Episcopus.

Natione Græcus, illustri stirpe ortus Chii, in urbe insulaque maris Ægæi, quem parentes in ea, quam ipsi colebant, disciplina & ritu Romano diligenter pieque educarunt. His cognomen erat *De Rubeis*. Venetiis in Curia pontificii apud Venetos Internuncii controversiis ecclesiasticis audiendis ac dirimendis præfuit. Primum Zacynthiensis, deinde Chironissensis seu *Spinæ longæ* Episcopus fuit. Anno decimo belli

Digitized by Google

belli Cretici Cardinalis Delcius, cui Joannes, dum ille Venetiis apostolici Legati munere fungebatur, auditoris operam navaverat, cum Innocentio X. commendavit, ut diuturni belli fluctibus ac procellis ereptum in aliam stationem magis tranquillam & quietam transferret. Annuit Pontifex, eique Ecclesiam Absorensem decrevit: *Anno 1653. 10. Novembris transtulit Joannem de Rubeis ab Ecclesia Chironissensi ad Aussarensem vacantem p. obitum M. Antonii, &c.*

Incredibile dictu est quam assidue ac laboriose suas omnes cogitationes curasque in utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, suique gregis salutem Pastor optimus impenderit. Intra decem annos quater civitatem ac diœcesim lustravit; & in omnes rei christianæ & ecclesiasticæ partes intentus, nullam prætermisit, cui non prospiceret, ac provideret, opportunis remediis ac subsidiis adhibitis, ut si quæ labascerent fulciret, si quæ consisterent firmaret. Synodum coegit anno 1660. mense Aprili; duodetriginta capitulis summam complexus est rerum omnium, quæ ad rectam christianæ plebis institutionem, cleri & Virginum Deo sacrarum disciplinam, ac divini cultus incrementum pertinent. Digna visa est, quæ typis traderetur, eamque Cardinali Delcio patrono suo beneficentissimo dedicavit. Decimas, & reditus ecclesiasticos, qui partim ob decessorum absentiam, vel incuriam perierant, partim quorumdam cupiditate & fraude interversi fuerant, recuperavit. Cum pravas consuetudines evellere, vitia extirpare, ecclesiæ bona repetere insisteret, ob eamque caussam in quorumdam invidiam offensionemque incurrisset; non defuerunt, qui eum rerum novandarum nomine accusarent, & calumniis etiam atque injuriis appeterent. Sed Joannes majori animo erat, quam ut malignitate hominum, & obtrectationibus, ab iis constanter persequendis, quæ jus & officium episcopale postulabat, deterreri posset. Ædes pontificales multis in locis labefactatas restauravit; cum enim plures annos vacuæ habitatoribus fuissent, sarta tecta tuendi curam nemo susceperat; ipse autem contempta gravitate cæli Absorensis, nullaque suæ valetudinis ratione habita, in urbe stabili commoratione habitavit. Turrim ædis cathedralis jamdudum exstrui cœptam ad fastigium perduxit, clero & populo, hortante Episcopo, pecuniam ad præclarum opus perficiendum certatim conferentibus. Tertio quoque anno, more majorum, Romam adiit, administrationis suæ rationem redditurus, & sacra limina invisit; nunquam ex urbe rediit, quin plurimas Divorum exuvias referret, quibus tum basilicam cathedralem, tum alias suæ diœcesis ecclesias locupletaret; & cum fere omnes essent insignes, & ex his quædam integra corpora, ad earum anniversariam venerationem, suum cuique diem assignavit. Ut cultum S. Gaudentii amplificaret, ingens ex ejus ossibus fragmentum Ecclesiæ Crepsensi donavit, idque testatum voluit esse hisce litteris.

Diœcesim sæpe lustravit, & synodum utilissimum fecit.

Joannes de Rubeis Episcopus Auxerensis. Ad augendam devotionem in venerabili Ecclesia Chersi erga S. Gaudentium, quem tota hæc diæcesis filium, patronum, & Episcopum habuisse gloriatur & nunc intercessorem in cælis, partem Ossis ejusdem Sancti ex illo, quod in theca aurea deaurata in Ecclesia nostra cathedrali asservatur, eidem Ecclesiæ Chersensi donamus, mandantes ut in solemnioribus diebus cum aliis reliquiis exponatur; & ne sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, in toto, vel in parte diminuatur. In quorum fidem &c. Dat. Auxeri ex nostro Palatio episcopali die 28. Novemb. 1665.

Cultum S. Gaudentii propagavit.

Scholam Theologiæ ex decreto Concilii Tridentini instituit, eique unum de collegio Canonicorum præfecit, qui primo cujusque hebdomadæ die, in sacrario ædis cathedralis aliquam partem Theologiæ, quam de moribus appellare solemus, explicaret. Præterea semel singulis mensibus, tum Absori & Crepsæ, tum in aliis præcipuis diœceseos locis, de Theologia itidem morali disputationes in frequenti clericorum conventu haberi jussit. Ædem cathedralem quatuor clericis auxit, qui sacris ministeriis, & functionibus operam navarent; eisque congruentem pensionem assignavit. Sodalitates sacratissimi Rosarii auxit, & propagavit; pecuniæ summam non exiguam reliquit partim collocatam, partim collocandam, ex cujus annuo fructu perciperent, suam quisque portionem, clerici illi, qui sub vesperas in æde cathedrali, itemque in Ecclesiis Crepsæ, Lubenizzæ, Capitis insulæ, & Losinii utriusque precationes, ex quibus constat Marianum illud psalterium, præcinerent, & populo psallenti orantique voce præirent. Inter cetera ejus præclare facta, illud in primis singulari commemoratione dignum, & posteris perutile, quod acta omnia & decreta superiorum Antistitum ab anno sexagesimo quinto sæculi decimi quinti usque ad suum Episcopatum, ne dispersa & disjuncta interirent, in unum collecta conjunxit, & servatis temporum ordinibus, in quindecim volumina congessit, his titulis inscripta.

Scholam Theologiæ instituit.

Decreta Episcoporum Absorensium collegit, & in quindecim volumina conjunxit.

Inventarium Voluminum, & aliarum Scripturarum, quæ asservantur in Cancellaria episcopali Auxerensi, factum anno 1662.

I. Volumen, in quo continentur aliqua acta Reverendiss. Episcoporum ab anno 1465. usque 1533. vid. Antonii de Pago, Marci Nigri, Jo: Baptistæ de Garzoni & Antonii de Cappo, sunt paginæ 483.

II. Volumen diversorum actorum Reverendiss. Episc. supradict. Antonii de Cappo, Andreæ Peperii, Sedis vacantis, & Marci Gonzaga ab anno 1533. usque ad annum 1573. omnes paginæ sunt 1582.

III. Volumen continet varia acta Reverendissimi Episcopi Coriolani Garzadori ab anno 1608. usque ad annum 1615. sunt paginæ 484.

IV. Volumen actorum criminalium sub Reverendiss. Octaviano Garzadoro ab anno 1615. usque ad annum 1624. sunt paginæ 1174.

V. Volumen habet acta causarum civilium, sacras visitationes, nec non dispensationes aliaque ad matrimonium pertinentia sub eodem Rev. Episc. Octaviano Garzadoro ab anno 1615. usque 1631. paginæ 1160.

VI. Volumen criminalium sub dicto Reverendiss. Episc. Octaviano Garzadoro ab anno 1624. usque ad annum 1634. sunt paginæ 1322.

VII. Volumen, in quo sunt acta criminalia, & civilia sedis vacantis, nec non civilia in visitationes Reverendiss. Episc. Marci Antonii a Veritate ab anno 1634. usque ad annum 1646. sunt paginæ 843.

VIII. Volumen continet acta criminalia sub eodem Marco Antonio a Veritate ab anno 1634. usque ad annum 1639. sunt paginæ 1314.

IX. Volumen criminalia ejusdem Reverendissimi Episc. Marci Antonii ab anno 1639. usque ad annum 1646. sunt paginæ 1344.

X. Vo-

Digitized by Google

X. Volumen, in quo existunt acta criminalia Reverendis. D. Valerii Ponte Vicarii apostolici ab anno 1647. usque ad annum 1649. sunt paginæ 1260.

Liber instrum. ejusdem Vicarii ab anno 1646. usque ad annum 1649. sunt pag. 14.

Visitatio generalis prædicti Reverendis. Vicarii; sunt pag. 334.

Liber extraordinar. ejusdem Vicarii ab anno 1647. usque 1649. pag. 88.

Liber pignorum supradict. Reverendis. D. Vicarii capitularis ab anno 1647. usque 1649. sunt pag. 17.

XI. Volumen continet acta criminalia Vicarii capitularis ab an. 1650. usque ad annum 1654. sunt pag. 1045.

Liber civilium ejusdem; pag. 33.

Liber Collationum, Ordinationum, Patrimoniorum, ac Resignatorum ab anno 1619. usque ad an. 1642. pag. 138.

Liber dispensationum matrimonialium ab anno 1617. usq. ad annum 1652. sunt paginæ 314.

XII. Volumen, in quo continentur diversa acta confusa ab anno 1617. usq. ad annum 1652. sunt pag. 1070.

XIII. Volumen habet acta criminalia Reverendis. Episc. Joannis de Rubeis ab an. 1655. usq. ad annum 1676. sunt pag. 1195.

XIV. Volumen actorum criminalium sub eodem Reverendis. D. Episc. de Rubeis ab anno 1657. usq. ad an. 1660. sunt pag. 1456.

XV. Volumen continet acta civilia, sacras visitationes, & dispensationes matrimoniales prædicti Reverendis. D. Episc. de Rubeis ab an. 1657. usq. ad an. 1660. sunt paginæ 1456.

Tria exempla confici jussit, unum Venetias in patriarchali, alterum Jaderam in archiepiscopali Curia asservandum transmisit; tertium Absori in Tabulario episcopali deposuit. Anno 1667. Venetiis cum esset valetudinis curandæ caussa, letalem in morbum incidit, quo paucos intra dies exstinctus, tranquille pieque obiit. (Venetiis obiit.) Ecclesiis Absorensi, Crepsensi, Veglensi (huic Constantinus frater Joannis præfuerat) sexcentos nummos argenteos legavit, singulis ducenos. Conditus est in æde Laurentiana Ordinis Benedictini ante aram S. Sebastiani, in eodem sepulcro, quo plures ante illum Episcopi advenæ illati fuerant; quod cum esset aliis commune, nulla eidem inscriptio apposita fuit. Extat Venetiis ejus memoria tabulæ lapideæ insculpta in æde SS. Martyrum Gervasii, & Protasii, quam ipse sollemni consecratione initiavit. (Venetiis ædem SS. Gervasii, & Protasii consecravit.)

D. O. M.
SS. MM. Gervasio & Protasio & Grisogono dicatum
Joannes de Rubeis Episcopus Auserensis consecravit
An. Do. MDCLVIII. Cal. Aug.

Sed eadem optimi & sanctissimi Præsulis memoria viget in animis Absorensium alte impressa, vigebitque, donec suus stabit virtuti honos; quippe qui ob insignem vitæ sanctimoniam, effusam in egenos ac miseros beneficentiam, & singularia in hanc Ecclesiam merita, venerationi etiam Absorensibus, non solum desiderio est.

MATTHÆUS EP. ABSOREN. XLII.

Oriundus ex insula Pharia; duplex illi cognomen fuit; alias *Scrivanellus*, alias *Pissarichius* cognominatus est. In Germania multos annos exegerat, variis muneribus ecclesiasticis magna cum laude perfunctus. Romam profectus, in urbe illa omnium principe, præclaram famam, existimationemque doctrina, prudentia, agendique industria partam, sibi conciliavit. Clemens IX. Matthæum Ecclesiæ Absorensi Episcopum præfecit, ut est in Actis consistorialibus: 1667. 3. *Augusti providit Ecclesiæ Auxerensi vacanti per obitum Joannis de Rubeis, de persona Matthæi Scrivanelli &c.* Fuit in eo tum eximia religio, & sollicita christianæ institutionis cura, tum vero insigne studium alienæ inopiæ sublevandæ; quippe in pauperes & calamitosos homines large effuseque patrimonium ecclesiasticum erogabat. Composuit controversiam, quæ de loci primatu erat Patribus Franciscanis cum Presbyteris secundi ordinis Ecclesiæ Crepsensis, cum utrisque ad funera & exequias conveniendum foret; jussitque illos post Canonicos a dextera considere, Presbyteros vero ad sinistram. Mortuus est Crepsæ, quo in oppido stabile domicilium habuit, anno quinto post initum Episcopatum, id est anno Christi 1672. VII. Idus Decembris. In ædem primariam S. Mariæ illatus cum fuisset, in eo sepulcro tumulatus est, quod M. Antonius sibi suisque successoribus paraverat.

SIMON II. EP. ABSOREN. XLIII.

Ex nobili Spalatensi familia Gaudentia, ex qua duo Præsules eodem sæculo prodierunt, Petrus & Dominicus patrui Simonis, uterque Arbensis Episcopus, alter alteri suffectus. Simon Romæ in æde Hieronymiana Illyricæ nationis locum tenebat, & munus gerebat Archipresbyteri, ut tradit Valerius a Ponte; cum eum Clemens X. Episcopum Absorensibus dedit, ut Tabulis consistorialibus traditum est: 1673. 30. *Januarii providit Ecclesiæ Auxerensi vacanti per obitum Matthæi Scrivanelli, de persona Simonis Gaudentii Presbyteri Spalatensis, Mag. in Theologia.* In Episcopatu sane diuturno, annorum ferme quinquaginta, quoad per ætatem ac valetudinem licuit, nihil curæ ac laboris prætermisit, ut omnia vigilis, strenuique Episcopi officia, & munera exsequeretur. Diœcesim sæpius lustravit; synodum utilissimam & frequentissimam habuit, in qua & superiorum Antistitum decreta confirmavit, & alia his adjecit, quæ pro temporum ac morum ratione necessitas atque utilitas postulabat. (Simonis Synodus præclara & perutilis.) Corpus S. Gaudentii ex veteri loculo ligneo exemptum in arcam e selectis marmoribus, eleganti sculptura, & summo artificio factam inclusit; de qua quidem area dictum est in Actis S. Gaudentii. Tabernaculum sacrosanctæ Eucharistiæ asservandæ itidem marmoreum non exigui pretii, & præclari operis fieri curavit. In æde cathedrali duo piorum virorum sodalitia instituit; alterum christianæ doctrinæ singulis diebus Dominicis tradendæ ac pueris erudiendis præfecit; alteri mortuorum curam demandavit, ut horum animas, ad labes in hac vita contractas eluendas, flammis addictas piacularibus sacrificiis ac precibus sublevarent. Utrique certas leges præscripsit, utrumque privilegiis, atque indulgentiis locupletavit.

Dum Simon huic Ecclesiæ præsidebat, mortuus est Crepsæ Dominicus Ferriciolus, vir singularis doctrinæ ac religionis, qui mille argenteos pauperibus testamento legavit, itemque summam pecuniæ satis magnam fœnori dandam; cujus (Dominici Ferricioli Crepsensis multa & munifica pia legata.)

Digitized by Google

cujus annuo proventu virginibus ingenuis ac piis, quæ propter paupertatem collocari non possent, dos conficeretur. In æde Crepsensi S. Catharinæ, quam copiosa supellectili serica & argentea donavit, sacerdotium instituit, & vectigalibus idoneis instruxit, eique hoc oneris imposuit, ut pro expiatione delictorum suorum quotidie sacrum fieret. Ad hæc e reliquis suis facultatibus tantum pecuniæ confici, ac fœnori perpetuo dari jussit, quantum satis esset ad suppeditanda singulis annis alimenta duobus clericis, qui apud Patres Societatis Jesu in seminario Fluminensi bonis artibus ac moribus imbuerentur; alterum e clero Absorensi, alterum e Crepsensi clero deligi voluit, & utriusque nominationem spectare ad Presbyterum, qui sacerdotium S. Catharinæ ab se institutum obtineret. Si vero præstaret ac liberet sacerdotium illud, ejusque proventus, cum onere quotidiani Sacrificii, ad mensam Capituli Crepsensis adjungi, alterius clerici nominandi Canonicis Crepsensibus, alterius designandi Canonicis Absorensibus potestatem permisit.

Vincentius Lessius Ep. Arbensis adjutor Simonis senio confecti.

Cum Simon longius jam ætate provectus, & viribus infirmis, & valetudine male affecta esset, anno 1715. diœcesis lustrandæ munus curamque delegavit Vincentio Lessio Episcopo Arbensi, qui semel atque iterum insulam utramque episcopali peragratione obivit; tantaque sedulitate, prudentia, lenitate, omnes diligentissimi & amantissimi Præsulis partes explevit, ut omnium benevolentiam sibi conciliaverit, suique cupiditatem omnium animis injecerit. Quocirca Canonici Absorenses, communi supplicique epistola, Vincentium Zmajavichium Metropolitam suum rogarunt, ut pro sua benignitate ac providentia Ecclesiæ Absorensi consultum vellet; & quando jam mors imminere videbatur Simonis Gaudentii ad extremam senectutem provecti, a Clemente XI. Pontifice Maximo ei substituendum curaret Episcopum linguæ Slavonicæ gnarum, robustum ac valentem, suavi erga omnes charitate præditum, qui functiones omnes episcopales peragere queat, & præsertim velit Absori ad gubernaculum Ecclesiæ sibi traditæ perpetuo sedere: ex absentia enim suorum Præsulum detrimenti plurimum Ecclesiam Absorensem cepisse: nullum vero huic muneri nec aptiorem, nec magis gratum omnibus & acceptum futurum Vincentio Lessio Episcopo Arbensi, cujus eximiam doctrinam, solertiam, religionem, benignitatem expertam, atque perspectam habebant; hunc igitur ex Arbensi ad Ecclesiam Absorensem ut Pontifex transferat omni ope operaque enitatur. Hæc summa est totius epistolæ Canonicorum Absorensium, data VII. Kalend. Julii an. 1717.; eique suum quisque nomen subscripsit. Verum Vincentius Lessius post biennium ex auctoritate, jussuque Pontificis Arbensem cum Vegliensi Ecclesia commutavit. Anno autem 1719. Simon Gaudentius Crepsæ mortuus est, & in æde primaria hujus oppidi sepultus.

NICOLAUS EP. ABSOREN. XLIV.

[illegible]

Patria Spalatensis, cognomento Drasichius. Annos fere quatuor Ecclesiæ Nonensi præfuerat, cum ad Ecclesiam Absorensem regendam jubente Clemente XI. migravit anno 1720. Summam vigilantiam & providentiam gregi sibi commisso per annos septemdecim æque utiliter ac laboriose impendit. Judicem foro ecclesiastico præfecit Josephum Milanesium Archidiaconum ædis cathedralis, virum eximiæ doctrinæ, ac probitatis, & juris utriusque peritissimum, quem honoris & grati animi caussa nomino; quippe & multa monumenta sua manu descripta, & copiosam rerum Absorensium segetem ad hanc historiam conficiendam P. Philippo Riceputo suppeditavit. Egregio viro præclarum sapientiæ ac virtutis testimonium tribuit, cum ei munus auditoris demandavit, & decretum in hanc formulam fecit.

Nicolaus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Auxerensis. Dilecto nobis in Christo Adm. Reverendo Domino Joseph Milanese, sac. Theolog. Doctori, & nostræ cathedralis Ecclesiæ Archidiacono salutem in Domino sempiternam. Optantes in nostra diœcesi de idonea persona providere, quæ Auditoris ecclesiastici officium in omnibus ad hujusmodi munus spectantibus benigne pro totius cleri & populi quiete & salute exercere possit, non valentes propter ardua variaque oneris episcopalis negotia ubique interesse, propterea de tua consisi prudentia, probitate, & integritate, auctoritate, qua fungimur in nostra diœcesi te in Auditorem generalem ad beneplacitum nostrum facimus, constituimus, & deputamus &c. Omissis &c. mandantes omnibus, & singulis Dignitatibus, Canonicis, Presbyteris, Clericis, cæterisque ad quos spectat, ut te in Auditorem generalem, ut supra, recipiant, admittent, recognoscant, & obediant sub pœnis arbitrio nostro infligendis. In quorum fidem &c. Dat. Auxeri ex nostro episcopali palatio die 8. Junii 1721.

Nicolaus Episcopus Auxerensis.

Anno 1737. optimus Præsul e vivis sublatus est, conditusque in eo sepulcro, quod sibi, novem annis antequam moreretur, in odeo ædis cathedralis faciendum curaverat cum hac inscriptione.

D. O. M.
NICOLAUS DRASICH EPUS AUXEREN.
MORTALITATIS SUÆ SPOLIA CONDIDIT
SUB HOC LAPIDE EXPECTANS
SURGITE POSTREMÆ VERBA TREMENDA TUBÆ.
ANNO MDCCXXVI.

JOANNES III. EP. ABSOREN. XLV.

Natus in vico agri Veronensis, quem vocant *Villam novam*, ex honesta familia, cui *Ferro* cognomen est. Archipresbyter cum esset oppidi Lendinariæ, Clemens XII. ei Ecclesiam Absorensem gubernandam tradidit. Sollemni pompa exceptus est Absori a clero populoque anno 1739. XVIII. Kalendas Septembris; ac deductus in ædem cathedralem, ipso Deiparæ Virgini ad cælum assumptæ sacro die, administrationem Ecclesiæ sibi commissæ suscepit. Nondum episcopalis regiminis triennium absolverat, cum e vivis excessit an. 1742. VI. Kalendas Junias, & penes decessorem sibi proximum tumulatus est.

MATTHÆUS II. EP. ABSOREN. XLVI.

Ex honestissima familia Caramana Spalatensi, vir præclara eruditione atque doctrina, missione apostolica per aliquot annos in Moscovia functus, & linguæ Slavonicæ scientissimus, ac propterea ad sacros codices Slavonicos emendandos adhibitus. Benedictus XIV. viro eximie meri-

Matthæus Caramanus Ep. Absoren. translatus ad Metrop. Jadren.

Digitized by Google

merito Ecclesiam Absorensem demandavit, ejusque possessionem adivit Kalendis Maji an. 1743.; de quo plura in historia Ecclesiæ Metropolitanæ Jadrensis, ad quam regendam ab eodem Pontifice migrare jussus est anno 1745. x. Kalend. Decembris.

NICOLAUS II. EP. ABSOREN. XLVII.

Nicolaus Dinaricius Episcopus Absoren. Archiep. Spalatensis creatur.

Ex insula Pharia, & familia Dinaricia, humanis divinisque litteris egregie instructus, in Curia pontificii apud Venetos Legati, plures annos Advocati ecclesiastici partes summa cum fide atque integritate peregit. Benedictus XIV. Absorensibus eodem die & Matthæum ademit, & Nicolaum Episcopum dedit, ea, quæ cuique obtigerat, Ecclesia utrumque dignum. Ac Nicolaus quidem absens delegavit, qui ad possessionem Ecclesiæ sibi traditæ ineundam an. 1746. v. Idus Februarii vice sua fungeretur. Eodem anno pridie Kalendas Junias Absorum venit ingenti omnium civitatis ordinum lætitia & expectatione, quam postea non explevit modo, sed etiam superavit. Ita enim annos fere undecim præfuit, tam illustria sapientiæ suæ, vigilantiæ & paternæ erga omnes charitatis documenta præbuit, ut anno 1757. tertio Nonas Januarii ad Metropolim Spalatensem translatus, ingens sui desiderium Absorensibus reliquerit.

BONAVENTURA EP. ABSOREN. XLVIII.

Bonaventura Bernardus Episc. cui plurimum debet æque, atque ejus patruo hæc historia.

Civis & Canonicus Spalatensis, filius fratris Hieronymi Bernardi itidem Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, quem, ut æquum est, non honoris solum, sed etiam memoriæ, gratissimique animi caussa nominatum volo: quippe cum præclara antiquitatis monumenta & diplomata ad historiam sacram Salonitanam & Spalatensem conficiendam, resque cognitu dignas nobis suppeditare numquam destiterit. Bonaventuræ item, ut Hieronymo patruo, maximas gratias agere & habere debemus, quod ad ea, quæ a nobis quæsita sunt de rebus Absorensibus, humanissime responderit, & postulatis nostris plene cumulateque satisfecerit; ac præterea ex monumentis illius Ecclesiæ catalogum Antistitum nobis diligentissime confecit, observatis notatisque temporibus atque annis, quibus cujusque Episcopatum innecti oportet. Vir omni doctrina & virtute ornatissimus, & juris utriusque scientissimus, pontificio apud Venetos Legato assiduam ac diuturnam operam navavit, Advocati ecclesiastici officio egregie functus. Omnino is unus efficere poterat, ut optimi decessoris jactura moderate ferri, ac desiderium leniri posset. Consecratione episcopali inauguratus fuit VIII. Id. Januarii an. 1757., & factus forma gregis ex animo, oves sibi concreditas haud minus integerrimæ vitæ exemplis, quam saluberrimis præceptis atque institutis ad rectum salutis iter, ac felicitatis sempiternæ pascua deducit. Vivat diu optimus Præsul, pergatque, ut fecit, Ecclesiæ suæ, & præesse, & prodesse.

EPISCOPI ARBENSES.

Arbæ insulæ positio.

INsula est in Sinu Flanatico, quam Plinius Arbam, Constantinus Porphyrogenitus Arbem, alii Arbum vocant. A septemtrione Vegiæ, seu Vegliæ, a meridie Gissæ seu Pago insulis interjacet; qua in solem orientem spectat, ab littore Japydiæ angusto euripo, qua vero orientem respicit, a Crexa sive Cherso, mari latius interjecto, dirimitur. A Borea in Austrum ejus longitudo millia passuum ferme viginti complectitur; ejus latitudo varia, ubi minima est tribus, ubi maxima octo mille passibus patet. Hanc Ptolemæus Σκαρδώνην, Scardunam vocat, eique duas civitates attribuit, Arbam & Colentum. Sed Colentum urbem Ptolemaicam distinguas oportet a Colento insula Pliniana, quam ab Jadera triginta millibus passuum idem Plinius disjunxit; estque illa ipsa, quam nunc Mortarium appellant, ut positio ac distantia loci declarat. An vero hinc fuerint Colentini illi, quos Plinius ad conventum Salonitanum adscripsit, merito dubitari potest, quippe Colentum Plinianum, sive Mortarium multo longius abest a Salona, quam a Scardona, quæ caput erat primi conventus Illyrici. Nec vero aliam esse posse Scardunam, nisi Arbam, eadem utriusque positio confirmat. Siquidem Ptolemæus Scardunam constituit proximam Carictæ seu Vegliæ, unde Arba milliaris vix quatuor distat. Itaque quam insulam alii ab urbe primaria Arbam, Ptolemæus Scardunam vocat. Colenti vero, alterius urbis, quam idem Ptolemæus huic insulæ attribuit, adhuc extare ajunt vestigia circa templum SS. Cosmæ ac Damiani, quod totius oppidi primarium erat, & illustri Canonicorum collegio nobilitatum; urbe diruta Colentinos Canonicos conjunctos fuisse asserunt cum Capitulo Arbensi: argumento esse, quod clerus Arbensis in supplicationibus publicis duas praeferat cruces, utriusque videlicet Capituli Arbensis & Colentini in unum coaliti insignia.

Scardunam vocat Ptolemæus, eique duas urbes attribuit, Colentum & Arbam.

Regionis ac soli natura.

Hæc insula qua ex parte in septemtrionem obversa est, cum aspera sit & montosa, non triticum, non vinum, non oleum, non poma fert, sed uberrima ad greges caprarum, oviumque alendos pascua suppeditat. Ingentem præterea pabuli copiam sufficiunt duo scopuli, quibus interjacet; alterum Dolinum lateri occidentali, alterum Golinum lateri orientali adjacens, appellant. Altera insulæ regio vergens ad meridiem, partim in valles & planitiem extenditur, partim in colles assurgit, & nemoribus silvisque obtegitur; amnibus frequens, naturaque fertilis, & diligentia culturaque fertilior, ex qua vini, olei, tritici, aliarum segetum affatim suppetit. Ad hæc: ingentem volucrum & quadrupedum copiam ad aucupium, & venatum paludes, nemora, & saltus præbent. Sed incolæ majores e piscatu, quam ex venatione proventus percipiunt.

Arbæ civitatis positio & descriptio.

In eo latere hujus insulæ, quod ad occasum & meridiem vergit, loco eminenti Arba civitas insidet, ad quem neque arduus, neque difficilis est ascensus. Triplici ex parte mari circumluitur. Cælum salubre ac temperatum; quippe frigidos e montibus Japydiæ aquilones suaves

ves ab mari etesiæ emolliunt. Civium frequentia par urbis magnitudini, quæ ambitu non amplius septingentos passus complectitur. In civitate & suburbiis mille hominum ac viginti habitari ajunt. Ædificia publica & privata, sacra & profana, satis eleganter & concinne descripta sunt; portus navium capax cujuslibet formæ, præclare munitus & clausus, uno perangusto aditu relicto. Hanc insulam atque urbem a Romanis cultam & habitatam fuisse inscriptiones antiquæ ibidem inventæ, & variis locis atque ædificiis insertæ, quarum aliquot exempla hic subjicio, testantur.

Inscriptiones Romanæ Arbenses.

In turri S. Stephani, quæ pertinet ad Dominos de Galzigna.

IMP. CAESARI
DIVI ANTONINI FIL
DIVI HADRIANI NEP
DIVI TRAIANI PARTHI
CI PRO ∀ NEPOTI
DIVI NERVAE ∀ AB
NE ∀ POTI ∀
M. AVRELIO ANTO
NINO AVG. ARME
NIACO TRIB. POT
XVIII COS III ∀
IMP ∯ III
D ∯ D

Supra fenestram ejusdem turris.

XII TR. POT. XIII
MVRVM ET TVRRES
DEDIT.

Infra turrim.

IMP. CAESARI
M. AVRELIO
SEVERO
AVG . . . . . . DIVI
SEVERI
NEPOTI
DIVI . . . . . . ANTO
NINI . . . . . . MAG
FILIO
D D

In angulo ædis S. Joannis prope Cathedralem.

JOVI
OPTIMO MAXIMO
SEX. QUINTILLUS
O. F. SENECA VETER
COH TITI . . . . . .
VS L . . . M . . . .

In ædibus D. Matthæi Galzignæ.

JULIAE DOMINAE
AVGVSTAE MATRI
CASTRORUM
D D

Infra sacrarium ædis S. Christophori.

IMP. CAES
G. . VIRIO
TRIBONI
ANO CAII
PO . . . . . .
. . . .
D D

Varii hujus insulæ domini.

Hæc insula atque civitas post Imperium Romanum in Dalmatiam prolatum, primum Romanis, deinde Græcis Imperatoribus paruit. Sæculo undecimo ineunte Petrus II. Urseolus Dux Venetorum Arbam cum universa Dalmatia in fidem ac potestatem recepit. A Venetis ad Græcos dominos rediit; aliquando etiam regibus Chrobatiæ subjecta fuit. Post reges Chrobatorum extinctos, alias ad Venetorum, alias ad Hungarorum ditionem pertinuit. Tandem sub initium sæculi decimi quinti, Venetorum imperio, sub quo placidissime conquiescit, in perpetuum adhæsit.

Primordia Christianæ religionis apud Arbenses temporibus apostolicis æqualia.

Arbenses inde usque a temporibus apostolicis doctrinam ac fidem Christianam a B. Domnio discipulo S. Petri, conditore ac parente Ecclesiæ Dalmaticæ acceperunt; & ab omni labe intactam incorruptamque usque in hodiernam diem servarunt. Insignem religionem ac pietatem Arbensium declarat multitudo ædium sacrarum, piorum locorum, & sodalitatum, major sane numerus, quam pro civitatis magnitudine, ac civium frequentia. Intra urbis mœnia partim templa, partim sacella variis Divis consecrata omnino ad viginti numerantur. Tria sunt collegia Virginum Deo sacrarum. Primum est, & antiquissimum Ordinis Benedictini sub titulo & tutela S. Andreæ Apostoli, alterum tertii Ordinis Franciscani cum templo eidem annexo S. Antonii Abbatis. Neutrum alias Virgines sive indigenas, sive advenas, nisi nobili genere natas, admittit. Tertium itidem Benedictinum S. Justinæ cessit sæculo decimo sexto, ne puellis ac feminis inferioris ordinis, Deo serviendi facultas & locus deesset. Tria itidem sunt monasteria, & cœtus virorum, jure ac vinculo disciplinæ Franciscanæ sociati; unum in urbe S. Joannis Evangelistæ, quod Patres Fratresque, quos vocant Conventuales, incolunt; alterum est suburbanum in Campo Martio, in quo Patres tertii Ordinis S. Francisci degunt; ad psalmodiam remque divinam Slavonicum sermonem adhibent, ad ruricolas christianis præceptis ac mysteriis imbuendos diligenter incumbunt. Tertium ab urbe mille circiter passus in septemtrionem distat, quod una cum templo S. Bernardini Patribus Franciscanis rigidioris disciplinæ annuente S. Joanne Capistrano ministro generali totius Ordinis, traditum fuit. Duo erant in insula monasteria eaque vetustissima, alterum Benedictinum S. Petri in Valle, quod desertum a monachis, Basilicæ Venetæ S. Marci simul cum ejus proventibus, ex auctoritate Sedis Apostolicæ, attributum fuit; alterum S. Stephani in Barbato, Canonicorum Regularium, seu potius, ut alii tradunt, hospitium Patrum Ordinis Benedictini, quod in jus potestatemque Abbatis Commendatarii transivit. Duo sunt, quos vocant Prioratus; unus in civitate Corporis Christi, cui præses e collegio Canonicorum dari solet; ex hujusque proventibus portionem Augustinus Valerius Visitator apostolicus cœnobio Virginum S. Antonii addixit; alter in extremo Campo Martio, olim ab S. Francisco, nunc ab S. Catharina cognominatus; ex hujus reditibus potissimum pauperes aluntur. Extat etiam in civitate domus hospitalis S. Nicolai, curandis ægrotis, & peregrinis recipiendis, ejusque administrationem suscipit, quem e cœtu nobilium Episcopus, & Prætor civitatis elegerint.

Monasteria Arbensia.

Descriptio diœcesis Arbensis.

Diœcesis Arbensis, præter Arbam insulam, com-

Digitized by Google

complectitur partem proximam insulæ Gissæ, seu Pagi, passuum millia circiter duodevicena meridiem versus productam; nam pars reliqua nunc pertinet ad diœcesim Jadertinam. Duas habet extra urbem ecclesias parochiales, alteram Lopari intra insulam, alteram Novaliæ in extremo ad septemtrionem angulo insulæ Pagi. Septem præterea vicis habitatur; hi autem sunt, S. Petrus in Valle, olim cœnobium ac templum Benedictinum, S. Stephanus in Pastran quondam collegium Canonicorum Regularium, sive hospitium monachorum S. Petri, S. Maria Magdalena in Bargulo, S. Anastasius in Cuplaco, S. Euphemia in Campora, S. Matthæus in Mandaneo, S. Angelus in angulo superiori insulæ, quem Lon appellant. In his christianam procurationem gerunt totidem Presbyteri, quos Curatores animarum, sive Capellanos vocant. Singulos eligendi jus habent incolæ cujusque vici, suum videlicet quique, sed eos approbandi potestas est penes Episcopum. Verum incolis S. Petri in Valle administratorem rei christianæ præficiunt Procuratores Basilicæ Marcianæ, quacum cœnobiarchia illa Benedictina conjuncta est. In vico autem S. Euphemiæ, plebi erudiendæ, & sacris mysteriis impertiendæ præsunt Patres Franciscani severioris disciplinæ, qui ab eo propius absunt.

Ædis cathedralis descriptio. Ædes cathedralis Deiparæ Virginis in cælum Assumptæ titulo consecrata est antiquæ structuræ, satis ampla, & ornata. Longitudo ejus sex & nonaginta, latitudo duodequinquaginta passus complectitur. Tectum sublime & concameratum senis hinc atque hinc columnis incumbit. Intercolumniis tria sacella & altaria, videlicet S. Margaritæ, Sanctorum Paulli & Joannis, SS. Hieronymi atque Anastasiæ a parte boreali, duo vero ab australi sacrosancti Crucifixi, ac divinæ Eucharistiæ respondent. Facies templi obversa est in solem occidentem. Sex gradus marmorei præbent ascensum ad partem superiorem, ubi subsellia cælato opere & egregie facta, duplici ordine ita dispofita sunt utrinque & alia aliis subjecta, ut supra quidem Canonici, infra vero reliqui Presbyteri considеant. Summum altare senis gradibus innixum in sublime assurgit; eique majestatem & venustatem conciliat apsis superimposita, quam sex e græco marmore columnæ sustentant. Subter

Reliquiæ Divorum multæ & insignes. mensam altaris multæ & insignes Divorum reliquiæ reconditæ sunt, quas Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, & Visitator apostolicus, statis sollemnibus diebus efferri, populique venerationi exponi jussit. Has omnes nominatim percenset Vincentius Lessius in suis ad sacram Congregationem litteris, quas suo loco describemus. Illarum custodiæ quatuor Præsides

Collegium Canonicorum, & clerus inferior. e cœtu nobilium præficiuntur. Capitulum ex duodecim Canonicis constat, inter quos primum locum qui tenent, Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii titulo ac dignitate præcellunt. In delectu Canonicorum Episcopus quatuor menses octo sibi vindicabat Sedes Apostolica, penes quam jus est nominandi Archidiaconi; nunc vero ex indulgentia Benedicti XIV. & Clementis XIII., retenta apud eamdem Apostolicam Sedem electione Archidiaconi, reliquos Canonicos eligendi jus Papa & Episcopus mensibus alternis usurpant. Clerum inferiorem constituunt sex Presbyteri, quos Mansionarios vocant, electi a Capitulo, approbatique ab Episcopo; tres Diaconi, tres itidem Subdiaconi, & sex Acolythi, certa pensione, sua quisque præditi; horum delectus ad Episcopum pertinet. Communem massam proventus ex decimis, & prædiis quibusdam conficiunt, ex qua portionem fere æqualem Canonici percipiunt, duplo majorem, quam Mansionarii. Ter singulis diebus in ædem cathedralem ad persolvenda publicæ religionis officia conveniunt, primo diluculo matutinis, hora tertia diurnis, solemnique Sacrificio, post meridiem, sole ad occasum vergente, vespertinis precationibus dant operam; qui absunt sine caussa legitima, ejus diei emolumentis mulctantur. Sanctum Christophorum

S. Christophorus Patronus civitatis. urbis ac diœcesis Patronum primarium antiqua religione Arbenses colunt; ejusque diem festum ab omni opere servili feriatum ritu sollemni, summaque veneratione concelebrant. Procuratio animarum tam in urbe, quam in diœcesi, præterquam in duabus illis, quas dixi parœciis Novaliæ & Lopari, est penes Canonicos & Mansionarios; verum ne hi a quotidiana psalmodia, ceterisque sacris functionibus avocentur; munus parochiale, urbanum quidem, Æditue, sive Præfecto primario sacrarii, qui in civitate & suburbiis Parochi officia exsequitur, vicanum vero septem illis, ut supra dictum est, Presbyteris, sive Capellanis delegari solet. Hi autem omnes, populique illis subjecti, ædem cathedralem tamquam matrem ac dominam colunt, & agnoscunt.

Primordia Episcopatus Arbensis antiqua, sed ignota. Primordia Episcopatus Arbensis perantiqua quidem, sed ignota sunt. Anno tricesimo, & tricesimo secundo sæculi sexti *Ticyanus Episcopus Arbensis* utrique Concilio provinciali Salonitano, sub Honorio III. Metropolita, interfuit, & subscripsit. Ceterorum post Ticyanum Antistitum Arbensium, usque ad sæculum decimum, nomina & acta vetustas nimia nobis præripuit. Quocirca continuata horum Episcoporum series altius repeti & ordiri nequit, quam a Petro, qui intra finem ejusdem sæculi decimi hanc Ecclesiam gubernavit.

I. Petrus an. 986.
II. Madius sive Majus an. 1018.
III. Drago an. 1062.
IV. Petrus II. an. 1072.
V. Gregorius an. 1075.
VI. Domana seu Dabrana an. circ. 1080.
VII. Vitalis an. 1086.
VIII. Petrus III. an. 1094.
IX. Lupus an. cir. 1097.
X. Bonus an. 1111.
XI. Andreas an. 1177.
XII. Prodanus an. 1205.
XIII. Venantius an. 1216.
XIV. Andreas II. an. 1220.
XV. Jordanus an. 1225.
XVI. Paullus an. 1239.
XVII. Stephanus an. 1249.
XVIII. Gregorius II. an. 1260.
XIX. Matthæus an. circ. 1290.
XX. Georgius an. 1292.
XXI. Simeon an. 1313.
XXII. Aimus an. 1315.
XXIII. Georgius II. an. 1320.
XXIV. Franciscus an. 1321.
XXV. Georgius III. an. 1329.
XXVI. Chrysogonus an. 1364.
XXVII. Zudenicus an. 1375.
XXVIII. Zudenicus II. an. 1412.
XXIX. Marinus an. 1414.

XXX.

Digitized by Google

PETRUS EPISCOPUS ARBENSIS I.

Ecclesiam Arbensem regebat, cum Basilius & Constantinus fratres Augusti rerum in Oriente potiebantur. Id docent tabulæ cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni. Cum Majus prior, sive rector civitatis Jaderæ, idemque Proconsul Dalmatiæ, decretum fecit de reædificando templo, atque in pristinum statum restituendo cœnobio ejusdem S. Chrysogoni; huic decreto post Anastasium Episcopum Jadertinum, Petrus Antistes Arbensis testis adhibitus subscripsit. Initium decreti, quod in historia Ecclesiæ Jadrensis descriptum habes, est hujusmodi: *In Christi nomine, & ejusdem Incarnationis anno 986. Indict. 14. sub die fere 19. mensis Decembr. Imperatoribus Dominis piissimis, & perpetuis Augustis Vasilio & Constantino &c. Igitur quidem Majus Prior supradictæ civitatis atque Proconsul Dalmatiarum &c. Signamus Ego Anastasius Episcopus testis suprad. civit. Ego Petrus Episcopus Arben. testis.*

Petrus Ep. cum Arbensibus Venetorum imperium accepit.

Incompertus quidem est annus, quo Petrus susceperit, quove deposuerit pontificatum; nihil tamen obstat, quo minus ejus vita & regimen episcopale perduci possit usque ad initium sæculi undecimi. Hoc autem sæculo ineunte, cum Dalmatæ vexati a Chrobatis & Narentanis, qui insulas, oramque maritimam piraticis latrociniis infestas faciebant, ad fidem opemque Venetorum confugissent; Petrus II. Urseolus Dux Venetiarum, valida ingentique classe adornata, ad piratos compescendos, tuendosque Dalmatas Jaderam appulit. Qua in urbe cum esset, Petrus Episcopus Arbensis, rector, & primores civitatis atque insulæ ad Ducem venerunt; seque in ejus potestatem, sacramenti religione interposita, ditionemque tradiderunt, ut docet Dandulus lib. 9. *Jadram regionis majores confluentes, ejusdem principis* (idest Petri Urseoli) *dominationem subesse præoptabant, inter quos Vegliensis, & ARBENSIS Episcopi cum earum civitatum Prioribus affuerunt; & pari voto super sacra Evangelistarum dicta jurarunt, quod juxta illorum scire & posse deinceps D. Petri Ducis fidem observare debuissent. Deinde Episcopi eisdem sacramentis confirmaverunt, quod feriatis diebus, quibus laudis pompam in ecclesia depromere solebant, istius principis nomen, post Imperatorum laudes, præconiis glorificarent.* Petro e vivis exempto in sedem Arbensem successit

MADIUS sive MAJUS EP. ARBEN. II.

Madius sive Majus Ep. Arben. is fortasse qui antea fuit cœnobiarcha S. Chrysogoni.

Hic est, opinor, idem ille Madius, quem anno 986. Majus Prior seu rector civitatis Jaderæ, e cœnobio Casinensi accersivit, & monasterio ac templo S. Chrysogoni a se restituto Abbatem præposuit, ut est in ejus diplomate supra laudato: *Igitur ego quidem Majus Prior... Ecclesiam B. Chrysogoni martyris, quæ sita est infra muros prædictæ civitatis, ubi & sacratissimum ejus corpus requiescit, quæ est ædificata a prædictis DD. Fusculo & Andrea, ubi dicitur, quod aliquando monasterium fuit, nunc adjuvante Domino reædificamus secundum omnem monasterii ordinem; atque ordinamus D. Madium Dei Sacerdotem & Monachum nostrum, esse Abbatem, qui fuit ex monasterio S. Benedicti, quod situm est in monte Cassino, una cum consensu &c.* Habes integrum diploma in Anastasio Episcopo Jadrensi. Certe tum huic Episcopo Arbensi, tum Abbati cœnobii Jadertini idem Madii, seu Maji nomen fuit; ætas itidem eadem fuit, nam sub initium sæculi undecimi Madius Episcopus Ecclesiæ Arbensi præsidebat; ex quo verisimile fit eum ex cœnobiarcha S. Chrysogoni Episcopum factum esse. Majus etiam vocari solet in tabulis illorum temporum; sed Majus & Madius unum idemque nomen est, neque ulla re inter se differunt hæc vocabula, nisi unius litteræ intermediæ, vel interpositæ, vel exemptæ variatione; & qui Madius, idem etiam Majus apud Scriptores Dalmaticos appellatur; nihilque frequentius in antiquis codicibus occurrit, quam *Madius mensis* pro mense Majo.

Cum Cresimirus III. rex Chrobatiæ regiones insulasque Dalmatarum, quæ se in fidem & clientelam Venetorum contulerant, crebris incursionibus depopulari cœpisset; Otho filius Petri Urseoli, Dux Venetiarum classe instructa copias in Dalmatiam traduxit, & Chrobatos cæsos fusosque in fugam avertit. Deinde oram Dalmatiæ insulasque classe circumiens, ut ceteros Dalmatas, sic etiam Arbenses novo sacramento adegit, quorum Episcopus Majus sive Madius, cum duobus aliis Episcopis insularibus, & cleri populique primoribus, haud promptius, quam libentius in Ducis verba juravit, & annuam vectigalis solutionem spopondit: *Et rediens*, ait Dandulus, *a Vitali Episcopo Veglensi, & Majo Episcopo Arbensi, & Martino Episcopo Auserensi, & ab universo clero & populo dictarum insularum, de tributo sibi, & successoribus annuatim in perpetuum solvendo sponsionem suscepit.* Extat formula sacramenti, quo Majus Episcopus, & rector civitatis atque insulæ, clerus & populus fidem suam atque obedientiam Othoni Duci obstrinxerunt: *In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejusdem 1018. mense Julio, Indict. prima, in civitate Arben. Spondentes spondemus, promittentes promittimus nos quidem Majus Episcopus dictæ civitatis Arben. simul cum Tribuno . . . Bellata Priore nostro, una pariter cum Clero & populo, habitante in civitate supradicta, cum* suc-

Formula sacramenti, qua Majus Episc. cum Arbensib. annuum tributum Venetis promisit.

Digitized by Google

successoribus, seu hæredibus nostris, vobis D. Othoni seniori nostro Duci Venetorum, & Dalmaticorum, & successoribus vestris tributum dare omni anno, libras de seta serica decem, & nostrum Missum in Nativitate D. N. J. C. & si vobis vestrum Missum transmittere placuerit, nequaquam supradictum tributum contradicere debeamus per nullum ingenium. Hac autem, ut supra leguntur, omnia adimplere promittimus, sine omni intermissione, aut aliquo interposito Capitulo. Si autem per quodvis ingenium non adimpleverimus omnia, sicut superius legitur, in constituto tempore, tunc promittimus cum hæredibus nostris, & successoribus nostris, vobis & successoribus vestris auri obrizi libras quinque, & hac promissionis cartula perpetualiter maneat in sua firmitate.

Ego Majus Episcopus manu mea scripsi.
Ego Bellata Prior rogavi fieri.
Ego Jo. Archipresbyter m. m. scripsi.
Ego Petrus Lucani m. m. scripsi.
Ego Marcus Diac. m. m. scripsi.
Ego Nicephorus hæc rogatus feci.
Ego Lampridius h. r. f.
Ego Fuscus h. r. f.
Sic alii deinceps.
Ego Petrus Diac, rogatus a clero & populo conscripsi atque complevi.

Arbenses a Veneto ad Græcum imperium desciscunt.

Quamdiu sedem episcopalem Madius tenuerit, mihi non est compertum. E monumentis illorum temporum, quem nominatim proferre possim, Episcopum Arbensem nullum habeo ante annum 62. hujus sæculi undecimi. Interea ut ceteri Dalmatæ, sic etiam Arbenses, Venetorum dominatu depulso, sub imperium Græcorum redierunt: id declarant tabulæ tum ceterarum Dalmatiæ civitatum, tum etiam insulæ ac civitatis Arbensis, quibus, Veneto nomine, atque imperio prætermisso, Imperatorum Orientis, & magistratuum Græcorum nomina præposita inveniuntur. Madio in sedem Episcopalem, post duos tresve Episcopos interjectos, successit

DRAGO EP. ARBENSIS III.

Drago Ep. Arben. auctor præcipuus & conditor cœnobii Benedictini S. Petri in Valle.

Sub hujus pontificatu religio, & pietas Arbensium vel maxime floruit. Cum nullus esset in urbe atque insula cœtus religiosorum virorum communis vitæ ac disciplinæ monasticæ jure sociatus; ingens omnes cupiditas incessit fundandi instituendique cœnobii, ut paratum esset civibus perfugium, si qui divino afflatu impulsi, hujus mundi procellis ac fluctibus emergere cuperent, atque illuc, tamquam in certissimum salutis portum, se recipere; ubi crebris jejuniis, & assidua corporis afflictatione vitæ anteactæ maculas eluere, & procul negotiis tumultibusque, hymnis & psalmodiæ operam dare, ut abjectis multiplicibus curis, rerum cælestium contemplationi, atque uni Deo vacare possent. Dragus Episcopus piis civium studiis obsecutus, una cum clero, & Majo urbis prætore, cunctis civitatis ordinibus consentientibus & approbantibus, monasterium ad normam, & præscriptum S. Patris Benedicti fundare decrevit. Fulconem monachum virum eximiæ virtutis, & religiosæ disciplinæ scientissimum, fortassis e cœnobio Jadertino S. Chrysogoni accersitum, primum Abbatem constituit; eique duas ecclesias cum omnibus prædiis ac reditibus ad utramque pertinentibus, S. Petri, & S. Cypriani tradidit; & optionem ei dedit, utram mallet eligeret, apud quam monasticas ædes extrueret; utriusque tamen possessionem Abbatis & monachorum propriam, stabilem, ac perpetuam esse voluit. Conditum est cœnobium extra urbem prope S. Petri *in Valle*, unde etiam cognomen accepit; quod deinde egregiis viris & virtutibus floruit. Quod de communi omnium sententia statutum fuerat, id consignari jussum est litteris ac tabulis publicis, quæ sunt hujusmodi.

Tabulæ fundationis.

*Ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi 1062. Indictione 15. Imperii moderante habenas Domino Comneno *, Croatiæ Dalmatinorumque regimen Dom. gubernante * Petro. Divina crescente religione, plurimi Christianorum relinquentes sæculum soli Deo vixerunt, alii variis tormentis sua macerantes corpora, spiritum exhalaverunt; ex quorum numero non sumus, licet tamen de Dei timore compuncti corde, delictorum nostrorum reminiscentes reatum, nos omnes accolæ Arbianæ civitatis, ardenti dilectione, nimio voto unanimiter in insula nostra expectamus * fundare monasterium, portumque salutis animarum nostrarum. Igitur in principio Ego Episcopus Dragus cum omni nostro clero, & Majus Prior cum omni populo prædicto, urbis nobilibus & ignobilibus, majoribus, minoribus, communi consensu, & in honorem Dom. N. J. Christi, & veræ perfectæque Trinitatis, ac D. Mariæ Genitricis Dei, semperque Virginis, ac omnium Sanctorum, in nostrum monasterium construi ... tibi Fulconi Abbati tuisque successoribus concedimus, stabilimus, & perpetuo jure roboramus unam ecclesiam, quæ est ædificata in nomine beati Petri Apostolorum Principis cum suis appenditiis per hujusmodi finem. Primitus a capite maceriæ, a monte usque ad rivum, & discendendo per rivum usque ad mare, & per mare ad molendinum, & ascendendo per montis verticem, & eundo per illum, usque in priora confinia, tibi Fulconi Abbati, & successoribus tuis perpetualiter impendimus. Aliam denique ecclesiam S. Cypriani vocabulo conditam, cum pertinentiis, & appenditiis suis concedimus per hujusmodi finem, a Valle obscura usque in vallem de Traffina, alias tres partes mare invadit, una cum marina, omnibusque scopulis ad istum promontorium subjacentibus, & valles, quæ sunt apud S. Cyprianum, & alias quæ sunt apud S. Petrum hac conditione donamus, ut nullus sine vestra jussionis licentia piscatum intraverit, & quartam partem piscium attribuat monasterio S. Petri. Hunc autem nos Drago præscriptus Episcopus de voluntate totius nostri cleri, & Majus Prior, & cunctus populus tibi Fulconi, tuisque successoribus ita vobis concedimus, ut ubicumque de his duobus venerandis locis complaceat vobis, Domino cooperante, monasterium construatis vobis, vestrisque successoribus, sicut sacra Beatissimi Benedicti docet regula; integre illa veneranda loca, ut superius constituimus, cum supradictis ecclesiis, & omnibus superioribus & inferioribus, & cum viis suis ingrediendi, & egrediendi, habendi, possidendi, & omnem ordinem monasterialem ibi faciendi concedimus, nullam namque reservationem cuilibet parentum, vel hæredum aliquorum nostrorum facimus, inde autem quantamlibet portionem relinquendi; sed eo* modo

* *Constantino Duca.*
* *Cresimiro Petro rege Chrobatiæ & Dalmatiæ.*
* *expetimus.*

Digitized by Google

modo constituimus, & stabiliendo firmamus, ut si aliquo tempore vel nos, vel aliquis nostrorum parentum, vel extraneus vobis aut posteris vestris molestiam intulerint, volens inde aliquid auferre, vel minuere, & non erimus vobis ab omnibus defensores & adjutores, centum libras auri componamus in monasterio; & hoc privilegium, & constitutio firma permaneat. Et si aliqua proterva causa infra hanc nostram constitutionem adversus vos orta fuerit, jubemus ut coram Episcopo & Priore, seu omni populo proclamationem semel faciatis; ut si secunda vice nullam vobis emendationem inde fecerimus, licentiam libere habetote discedendi a nobis, & eundi ad regem, ut sicut lex docuerit, ibi emendet. Hoc privilegium tibi Falconi, & tuis successoribus taliter scribere jubemus. Actum in urbe Arben. Iterum supradicta hæreditas S. Cypriani sit communis cum S. Petro affirmamus, non a solo Episcopo vel meis parentibus, sed primo ab ipsa Ecclesia, & fratribus, & omni clero, omnique populo obtulimus Deo omnipotenti.

Ego Dragus immeritus omnium Episcoporum, cum omnibus clericis confirmamus, & constituimus, ut quiscumque homo, seu de nostra urbe, vel alterius, adversus hanc nostram constitutionem litigare temptaverit, anathematis vinculo perpetuo religetur, & omnipotentis Dei, omniumque Prophetarum, & duodecim Apostolorum, ac 344. *Sanctorum Patrum incurrat maledictionem, & cum Juda proditore mancipatus in inferno, & illam terribilem, & horribilem vocem mereatur audire, qua Christus dicturus est iniquis: Ite maledicti: & qui defensor, & auditor extiterit, suavissimam illam vocem audire mereatur cum justis: Venite benedicti. Ego Dragus Episcopus signum † feci. Ego Joannes Archidiaconus signum † feci. Ego Diaconus Georgius signum † feci. Ego Barba Presbyter signum † feci. Ego Joannes Archipresbyter signum † feci. Ego Majus Prior signum † feci. Ego Martinus signum † feci. Ego Majus signum † feci. Ego Constantinus signum † feci. Ego Majus Gattus signum † feci. Ego Martinus signum † feci.*

Indictio 15. cohæret quidem cum 1062. usque ad mensem Septembrem, unde initium ducit Indictio prima, non item vero cum imperio Comneni. Primus e gente Comnena rerum in Oriente potitus est Isaacius Comnenus. Hic autem, expulso Michaele Stratiotico, Augusti nomen & insignia sumpsit anno 1057. Kalendis Septembris, Indictione undecima ineunte. Biennio & tribus mensibus exactis, gravi ac letali morbo oppressus, Imperatorem designavit Constantinum Ducam; ipse recepit se in cœnobium Studiense, intra finem anni 1059. Indictione decima tertia jam inita; ibique licet recuperata valetudine, propositi tenax reliquam vitam exegit. Si nomen Imperatoris retineri libeat, hoc diploma ad annum 1059. vel superiorem, & Indictionem 12. vel decimam tertiam revocari oportet. Verum utramque illam notam chronologicam retinendam esse arbitror, & Isaacii abdicationem Arbensibus ignoram fuisse dixerim; erant quippe insulares illi disjuncti ab ora maritima continentis, & quod illis erat antea cum civitatibus Dalmatiæ imperio Græcorum subjectis commercium, fere omne interruptum fuerat; siquidem Cresimirus IV. Petrus etiam appellatus, rex Chrobatorum, aliquot Dalmatiæ urbes maritimas, veluti Nonam, itemque insulas, veluti Arbam, Græcis ademptas in suam potestatem redegerat, seque propterea non Chrobatiæ solum, sed etiam Dalmatiæ regem appellari volebat; ut ex hoc diplomate licet intelligi, in quo *Croatiæ, Dalmatinorumque regimen gubernasse* dicitur *Petrus*, idest, *Cresimirus Petrus*. Nomen autem Imperatoris huic diplomati Arbensi præpositum est; nam id moris fuit Dalmatarum, posterioribus etiam ætatibus retentum, ut quamvis aut Chrobatis, aut Venetis, aut Hungaris subessent, nomen tamen Imperatorum Orientis vel honoris ergo, vel notandorum temporum caussa, tabulis publicis inscriberent. Non igitur mirum, si Arbenses ab Græcis, & Græcarum urbium societate segregati, remotique ab continenti, Imperatorum Orientalium mutatio quæ facta esset, ignorabant. Itaque hoc diploma confectum puto Indictione quidem decima quinta, & anno 1062. ante mensem Septembrem, cui affixum est initium Indictionis primæ; sed Isaacio Comneno expuncto, Constantinum Ducam Imperatorem substituendum esse existimo.

His ergo temporibus Cresimirus IV. cui Petro etiam nomen fuit, regnum in Chrobatia obtinebat. Hic fines regni Chrobatici terra marique amplificavit; atque ut modo dictum est, aliquas tum urbes litorales, tum insulas Dalmatiæ Græcis ereptas ad suam ditionem adjunxit; ac propterea non Chrobatiæ solum, sed etiam Dalmatiæ rex appellari voluit. Anno 1066. cum Cresimirus cœnobium Marianum virginum Jadrensium ab Cicha sorore sua extructum regia libertate donavit; Dragus Episcopus Arbensis cum Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, aliisque Dalmatiæ Præsulibus privilegium regale approbavit: *Anno Incarn. D. N. J. Christi* 1066. .... *Ego Cresimir rex Croatiæ & Dalmatiæ &c.* ... *do regiam libertatem monasterio S. Mariæ Jadrensis, quod soror mea Cicha fabricavit &c. L. Archiep. laud. Stephanus Ep. Jad. laud.* ... *Drago Arben. Episcopus laudavit.*

Cresimirus IV. rex Chrobatiæ & Dalmatiæ, cujus privilegio concesso Virginibus Jadrensibus Drago subscripsit.

Idem Cresimirus an. 1071. decretum supra descriptum de fundando cœnobio S. Petri in Arbensi insula, quod Drago Episcopus, & clerus populusque Arbensis fecerant, regali auctoritate confirmavit: *Millesimo septuagesimo primo; quemadmodum hoc testamentum bonum & justum videmus a vestro Episcopo & clericis ceterisque vestris civibus corroboratum & laudatum; Ita ego Cresimirus rex eamdem collaudationem, & confirmationem corroboro; & si aliquis instinctu Diaboli compulsus hanc corroborationem nostram disrumpere temptaverit, convenit sibi fortiorem nobis esse, & amicitiam nostram spernere.*

Decretum de fundando cœnobio S. Petri, regio diplomate confirmavit;

Ad jurisdictionem Episcopatus Arbensis tunc pertinebat non solum Pagus insula, Arbæ objacens a meridie, non ita lato interjecto mari disjuncta; sed etiam aliquot oppida subalpina in ora maritima veteris Japydiæ. Cresimirus quidquid parœciarum, & locorum sive in insulis, sive in continenti Ecclesiæ Arbensi suberat, id omne in ejusdem possessione firmum ac stabile permanere decrevit, regioque diplomate communivit. Verum insulæ Kissæ seu Pagi partem ad meridiem extremam Nonensi Chrobatorum Episcopo attribuit. Aliquid etiam ex illis locis, quæ in continenti possidebat Ecclesia Arbensis, videtur decerpsisse, ut diœcesis Nonensis fines amplificaret.

& quidquid Arbensis Ecclesia possidebat.

✠ *Anno ab Incarnatione D. N. Jhesu Christi MLXXI. Indictione VIII. die octava mensis Julii,* tem-

Digitized by Google

tempore Dom. Alexandri PP. urbis Romæ. Ego C. rex Dalmatinorum ac Chroatorum insimul meis cum principibus, justitiam Arbensis Ecclesiæ retinentes, & eam in protectione nostra suscipientes, volumus & perpetuo jure assentientes firmamus, ut dicta Ecclesia habeat suas parochias, scilicet Juppam quæ fuit sub alpibus a castro latine Murula vocitato, Sclavonice Steniçe usque ad fluvium Coprive, & Ecclesiam S. Georgii in Vawna. Kissam suis cum pertinentiis, tantum retinentes de jure suo paucas villas Pagi Peçani, murowlani Wlasiçi, quas & si pro malo habet, novo dedimus Episcopo Nonensi, Juppam Liccbe, Juppam Buçani & Boçachi. Et hoc statutum volumus perpetuo inviolabile manere, sicut semper a majoribus natu didicimus dictæ jam ecclesiæ inviolabile perstitisse. Quiçumque autem nostris de successoribus hoc privilegium perturbare & ei vim inferre aliquo molimine attemptaverit, nostro judicio pellatur a regno. De inferioribus sancimus componere, centum libras auri regali curiæ medietatem, & sanctæ prædictæ Arbensi Ecclesiæ aliam medietatem, ad roborem & vigorem nostræque cartulæ dationis assentionisque justitiæ. Mitram nominis nostri impressis litteris prælibatæ donamus Ecclesiæ & nostri sigilli impressione firmando roboramus. Indictione VIIII. Datum est hoc privilegium Arbensi Ecclesiæ in castro Belgrado per manum Johannis Diaconi & Dom. regis Notarii coram comuni curia.

Kessenses seu Pagenses cœnobiũ ac templum S. Petri apud insulã de Neumis donarunt monasterio & templo S. Michaelis in Sansigo.

Ex his videtur colligi posse has insulas, eaque loca litoralia sub imperio Cresimiri fuisse. Diœcesis Arbensis per ea tempora complectebatur etiam insulas quasdam exiguas, sive scopulos S. Petri de Neumis, nunc de Nimbis, qui quamvis procul distarent, & Absoro a meridie proximi essent, tamen in potestate Kessensium, nunc Pagensium erant, & jurisdictioni Arbensis Episcopi suberant; idque constat ex tabulis mox describendis. Erat ibi templum S. Petri, & parvum cœnobium, quod Kessenses extruxerant, & agrorum, quod satis esset ad paucos monachos aiendos, eidem attribuerant. His fere temporibus alterum Benedictinum cœnobium ac templum S. Michaelis ædificabatur Sansegi, quod est pagus atque insula diœcesis Absorensis, contra Absorum ab occasu sita, vergensque ad meridiem. Huic ædificationi Kesseuses ob caussas nescio quas obstabant; neque vero ab injuriis & maleficiis abstinebant, ut operi jam inchoato moram & impedimentum inferrent. Nec sua illis temeritas & iniquitas impunita fuit. Pestilentia, vel alia nescio quæ calamitas insulam Chessæ invasit, & majores quotidie incolarum strages edebat; cum admonitu S. Nicolai, in cujus tutela sunt loca omnia diœcesis Absorensis, tantum mali ab irato Deo molestias & injurias ædificatoribus templi & cœnobii S. Michaelis illatas ulciscente, immissum esse intelligunt. Itaque versi ad cælestem iram placandam, suumque crimen expiandum, eidem templo ac cœnobio insulam cum templo S. Petri in Neumis, & ædibus ac prædiis eidem annexis, itemque cum illis scopulis proximis, quos ibi possidebant, donarunt; sic tamen, ut salvam esse vellent jurisdictionem Episcopi Arbensis, ad cujus diœcesim ea loca pertinebant. Tabulæ hujus donationis anno 1071. confectæ sunt ad hunc modum.

Tabulæ donationis.

Anno ab Incarnatione D. N. J. C. MLXXI. Indictione nona. Tempore Cresimiri Dalmatinorum ac Croatorum regis, & Dragi Arbensis Episcopi. Nos denique Kesensis Comunitas, quia Deo, & monasterio S. Michaelis de Sansigo in primordio ædificationis ipsius monasterii, occulte & aperte offendimus, & quia Deus sua misericordia nos per revelationem S. Nicolai visitavit, quod strages, qua deprimimur, ob id super nos devenisset, comuni consilio pro emendatione mali facti, quod fecimus, donamus nostrum monasterium S. Petri de Neumis insulis monasterio Sansicovo, cum suis utrisque insulis Neumis, & eorum pertinentiis, & cum decem libris ecclesiæ, & tribus aratris bovum, & duobus campanis, & CCVI. ovibus, & XVIII. jumentis, & quinquaginta vacbis: pristinum vero rogamus dari Mazolino Arbensi Comiti, qui noster est. Quæ omnia volumus ut dictum monasterium S. Michaelis, excepto nominato pristino, habeat, & jure hæreditario id perpetuum possideat. Salva tamen justitia Arbensis Episcopatus. Ego Mazolinus Arbensis & Kesensis Comes testor, & me subscribi jussi. Ego ... dono, & subvolo & subscribere me rogo. Ego Dobrogost hanc donationem esse volo. Ego Petrus dono, & volo. Ego Duinus Valastelin dono & volo. Ego Stanimir dono, & volo. Ego Bardinus dono & volo. Ego Perlug dono & volo. Ego Subdimir dono & volo. Ego Paulus dono & volo. Ego Culiamir dono & volo. Ego .... dono & volo. Ego Bastian dono & volo. Ego Stoian dono & volo. Ego Gostime dono & volo. Ego .... dono & volo. Ego .... dono & volo, & omnes quotquot sumus, hanc donationem volumus esse in perpetuum valituram. † Et ego Dragus Arbensis Episcopus notatæ intersui donationi, & salvo jure nostræ sedis, assentio, & hoc privilegium fieri jubeo, in cujus diocesi donante donata sunt. Ego Martinus Diaconus examinator manum misi.

Ego Martinusius de Slovigna examinator Domini Comitis Marchi Michaelis & ejus curiæ examinavi.

Post hæc Dragus non diu superstes fuit, & vel hoc eodem anno 1071. vel sequenti morte sublatus sedem episcopalem vacuam successori reliquit.

PETRUS II. EP. ARBENSIS IV.

Petrus II. Ep. Arben. interfuit synodo Jadrensi.

Hic anno 1072. interfuit tum synodo provinciali Jadrensi, quod Laurentius metropolita Spalatensis in eam urbem convocaverat, tum dedicationi templi Mariani virginum Jadrensium, quod idem Metropolita solemni ritu consecravit. De utraque in actis Laurentii, itemque Andreæ Episcopi Jadertini: *Anno Dominicæ Incarnationis 1072. Indictione 8. . . . Actum est hoc in die consecrationis Basilicæ S. Mariæ &c. L. D. G. Spalat. sedis Archiepiscopus, A. Jadertinus Episcopus, Petrus Arbensis Episcopus &c.* Adfuit quoque cum aliis cœnobiarchis *Dabrana* Abbas monasterii Arbensis *S. Petri;* quod non multis ante annis conditum fuerat. In catalogo Antistitum Arbensium ad me nuper transmisso, post Dragum nominatur Stephanus his verbis: *Stephanus sub anno MLXX. in pergamena, pro epocha appositus.* Sed cum Dragus jam inde ab anno 1062. Pontificatum gereret, & perduxerit usque ad annum 1071. ut constat ex tabulis supra laudatis; Stephanus anno 1070. Episcopus esse non potuit. Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis, Petro II. prætermisso, *Vitam* nescio quem, fortasse Vitalem, Episcopum Drago proxime substituit anno 1074.

Duo Episcopi Arbenses incerti, Stephanus, & Vita, seu Vitalis.

Digitized by Google

Verum Vita seu Vitalis aut idem fuit ac Petrus, & Petro Vitæ cognomen fuit, aut si eum a Petro distingui oportet, non post Dragum, sed post Petrum proximus fuit. Si retinendus est Episcopatus Vitæ, itemque annus 1074. cui Valerius illum affixit; hic Petro successit, & annum 1074. ei postremum fuisse oportet. Anno siquidem sequenti jam huic Ecclesiæ præsidebat

GREGORIUS EP. ARBENSIS V.

Gerardus Archiepiscopus Sipontinus ab Gregorio VII. Legatus in Dalmatiam missus, Episcopis provinciæ Spalatensis Concilium provinciale indixit, quod Spalati habitum fuit anno 1075. de quo in actis Laurentii Metropolitæ Spalatensis. Thomas Archidiaconus cap. XVI, Hist. Salonit. Gregorium Arbensem Episcopum nominavit cum aliis Episcopis, qui ad eam synodum convenerunt: *Misit igitur* (Gerardus) *& convocavit Suffraganeos Salonitanæ metropolis universos, qui cum convenissent, provincialem cum eis synodum celebravit. Interfuerunt autem isti Suffraganei. Primus Laurentius Archiepiscopus, secundus Stephanus Episcopus Jadrensis, Joannes Traguriensis, Formiuus Nonensis, Gregorius Arbensis &c.*

Gregorius Ep. Arben. interfuit Concilio Provinc.

Cresimiro rege Chrobatiæ & Dalmatiæ e vivis exempto, post brevissimum Slavici regnum, Svinimirus cognomento Demetrius rerum potitus est. Hic anno 1076. VII. Idus Octobris donationem templi S. Georgii in Putalo cum omnibus fundis ac prædiis eidem annexis, quod Tirpimirus Dux Chrobatorum Ecclesiæ Spalatensi SS. Domnii & Anastasii, ac Mensæ Archiepiscopali attribuerat, regio diplomate confirmavit, cui testis adscriptus est cum aliis Episcopis Gregorius Arbensis: *Acta sunt hæc in præsentia horum servorum Dei, videlicet Stephani Jadertinæ . . . Gregorii Arbensis &c.*

Dum Gregorius Ecclesiam Arbensem regebat, Dominicus Sylvo Dux Venetorum, victis fugatisque Northmannis, qui oram insulasque Dalmatiæ infestabant, Dalmatis salutem & tranquillitatem restituit anno circiter 1076. Quo facto animos illarum gentium ita sibi conciliavit, ut in Venetorum fidem ac potestatem, unde ante annos fere quadraginta desciverant, se rursus contulerint, eo promtius ac libentius, quod cum expositi essent Northmannorum incursionibus ac direptionibus, nihil præsidii ab Imperatoribus Orientis sperare poterant. Ea siquidem tempestate Græcorum opes, magis etiam a Saracenis in Asia, quam a Northmannis in Italia erant debilitatæ fractæque. Gregorius vitam fortassis & Episcopatum perduxit usque ad annum 1080.

DOMANA seu DABRANA EP. ARB. VI.

Abest a catalogis Antistitum Arbensium; sed nobis innotuit ex historia, quam de triplici victoria de hostibus reportata auxilio & ope S. Christophori martyris, ad quem Arbenses in extremum discrimen adducti supplices confugerant, Georgius Episcopus rogatu civium suorum, sæculo decimo quarto ineunte conscripsit, in qua *Domanam* Episcopum nominavit. Vereor ne vocabulum hujus Episcopi mendose scriptum sit; mihique admodum verisimile est, ei nomen fuisse Dabranæ. Hic anno 1072. erat cœnobiarcha S. Petri Arbensis, & synodo provinciali Jadertinæ interfuit; ex illo autem cœnobio S. Petri ad regendam Ecclesiam Arbensem evocatum fuisse existimo. S. Christophorum martyrem, æque apud Latinos & Græcos celeberrimum, jam inde a priscis temporibus Patronum urbis adoptatum, Arbenses antiqua religione, & præcipuo quodam cultu venerabantur; ejusque sanctissimum caput crystallina theca inclusum, auro gemmisque ornatum inter ceteras ædis cathedralis reliquias locum præcipuum tenet. Cum ergo Domana, sive Dabrana Ecclesiæ Arbensi præsidebat, ingens hostium multitudo urbem obsedit, ac vehementissime oppugnabat; sed cujus generis illi hostes fuerint, ex illa, quam dixi, historia satis intelligi nequit; vocatur ibidem *ingens Unragorum* gens. Facile conjici posset id vocabuli amanuensium culpa depravatum fuisse; & vitiosa duplicis litteræ, ac præpostera translatione, nomen Ungarorum cum nomine Unragorum commutatum fuisse: nec sane dubito quin Auctor hujus historiæ ignarus rerum ac temporum illorum, civitatem ab Ungaris obsessam & oppugnatam fuisse crediderit, & scripserit, propterea quod existimabat eosdem esse, de quibus Arbenses primam, & de quibus alteram & tertiam victoriam auspicio, & auxilio S. Christophori reportarunt; illos autem, qui post priorem illam victoriam, semel atque iterum ab urbis obsidione eodem sanctissimo martyre opem ferente depulsi sunt, Hungaros fuisse non est cur dubitemus. Verum prima hæc Arbensis obsidio, & oppugnatio Hungaris attribui nequit; siquidem Hungari ante annum 1091. numquam vel in Chrobatiam, vel in Dalmatiam arma intulerunt. Primus omnium Ladislavus rex Hungariæ in eas regiones anno 1091. vexilla copiasque Hungaricas invexit; is quippe post obitum Svinimiri regis Chrobatiæ & Dalmatiæ, vel ab sorore sua vidua Svinimiri, ut ajunt Scriptores Hungarici, vel a quodam ex proceribus Chrobatorum, ut Archidiaconus tradit, accersitus anno 1091. multa quidem Chrobatiæ mediterranea oppida & castella cepit; sed ne ultra progredi posset, impedimento fuit repentina Chunnorum in Hungariam irruptio, quæ Ladislavum ad regni sui defensionem evocavit. Hungari igitur non erant, qui Arbam obsederunt Domana, vel Dabrana Episcopo, cujus pontificatus initium referri potest ad initium anni 1080. sed definat necesse est in annum sextum & octogesimum hujus sæculi, ante quinquennium, quam gens Hungarorum, rege ac duce Ladislavo, primum in Chrobatiam Cisalpinam pedem inferret. Anno siquidem 1086. Vitalis Episcopus, Domana jam exstincto, sedem Arbensem obtinebat. Northmannos potius fuisse dixerim oppugnatores Arbæ, qui cum Calabriam & Apuliam Græcis eripuissent, per ea tempora maritimis incursionibus insulas orasque Dalmatiæ infestas faciebant, vel fortasse Chrobatos, qui cum sub Cresimiro IV. regni fines terra marique propagassent, civitatem atque insulam Arbensem, quæ sub imperium Venetorum redierat, subigere volebant, rursusque ad regnum Chrobaticum adjungere. Ex Auctore historiæ supra laudatæ colligi potest constituique tempus, cui Episcopatum Domanæ affigi oportet: nam de secunda, & tertia victoria, opitulante S. Christophoro parta cum narrare incipit, utramque ait contigisse illo tempore, cum *D. Paulus civis Arbensis & Episcopus cognomine*

S. Christophorus Patronus Arbensium.

cujus ope victoriam reportarunt de Northmannis vel Chrobatis.

Lupus

Lupus quartus a prædecessore jam dicto (idest Domana) bonore pontificali fungeretur. Duos igitur interjectos esse oportet inter Domanam & Lupum, ut hic quartus ab illo haberi dicique possit. Sunt autem Vitalis, qui anno 1086. & Petrus III. qui anno 1094. Ecclesiam Arbensem regebant. Petro in eam sedem episcopalem successit Lupus, qui anno 1105. hunc pontificatum gerebat. Itaque Domana collocandus est post Gregorium, de quo supra dictum est, & ante Vitalem; ejusque Episcopatus ab anno circiter octogesimo fere usque ad annum octogesimum sextum sæculi undecimi perduci potest.

Arba obsessa & vehementer oppugnata. Cum ergo Barbari, cujuscumque generis fuerint, omni telorum genere, sine ulla intermissione, urbem quaterent; jamque cives suis viribus diffisi, exterritique hostium multitudine ac ferocia hærerent satiusne esset patriam direptionis atque eversionis periculo, deditione voluntaria, eximere; an omni fiducia in Deo reposita, fortiter constanterque defendere; Domana sive Dabrana Episcopus superveniens dubitationem omnem, ac timorem discussit; bono animo esse jubet, S. Christophori patrocinio confiderent, ad eum confugerent, ab eo præsidium implorarent, quem sæpe in gravioribus periculis, rebusque asperioribus propitium sibi fuisse meminerant. His verbis erecti, animatique clerus & populus ad ædem cathedralem S. Mariæ undique accurrunt, & venerandum S. Christophori caput e sanctuario eductum, pia supplicatione deferunt ad turrim S. Stephani, quam hostes crebrioribus saxorum ictibus verberabant, illudque in ipso turris fastigio collocant, ut omnium oculis expositum defensoribus alacritatem, oppugnatoribus terrorem injiceret. Mirum dictum! quidquid missilium in turrim urbemque hostes ejaculabantur, muris & hominibus intactis, vel innoxium cadebat, vel divinitus retortum ipsos ejaculatores feriebat. Imploratо præsidio S. Christophori, ejusque capite hostibus objecto liberata. Ea res barbaros stupore attonitos exterruit; nec dubium illis esse potuit, quin Cælites pro Arbensibus contra se starent & pugnarent. Itaque ubi cognitum est cujus in tutela & præsidio civitas esset, depositis armis, pacem cum Arbensibus fecerunt; & ipsi quoque S. Christophorum pie venerati, ejusque cælestem opem suis clientibus in extremo illo discrimine collatam una voce collaudantes discesserunt. Domana Episcopus post sollemnem gratiarum actionem Deo & S. Christophoro in æde cathedrali cum universo clero populoque rite persolutam; diem illum sempiterna memoria dignum ob maximum periculum ab urbe divinitus depulsum, in sacris fastis inscribi jussit sub hoc titulo *Victoria S. Christophori*, eumque anniversaria gratulatione in perpetuum coli. Hunc eumdem diem, qui est septimus ante Idus Majas, etiamnum clerus populusque Arbensis, memores accepti beneficii, grata piaque recordatione concelebrant; & annuæ hujus religionis caussa speciatim expressa est in oratione eo die præscripta, quæ est hujusmodi: *Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Christophoro Martyri tuo, Arbensiumque Patrono tale victoriæ munus cælitus contulisti, ut hostium cuncos tuo nomine superaret, concede propitius nostrorum vitiorum mortificare catervas, ut tuo conspectui jugiter placere possimus*. Jam vero totius rei, quemadmodum gesta fuit, ordinem seriemque ex ipso Georgio Episcopo cognoscere gratum fore lectoribus existimo.

Incipit Historia S. Christophori Martyris.

Historia primæ victoriæ patrocinio S. Christophori partæ, descripta ab Georgio Ep. Arbensi. *Regnante Domino ac Salvatori nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus est Deus atque Dominus; sub anno ejusdem millesimo tricentesimo octavo; Ego Frater Georgius, licet indignus Arbensis civitatis civis, & Episcopus, a quampluribus ejusdem urbis civibus rogatus extiti; ut de miraculis ac mirabilibus, quæ per gloriosissimum Martyrem suum Christophorum Deus in eadem civitate, sua largiflua pietate diversis temporibus fuerit operatus, prout ex historiis antiquis, ac senioribus civibus legissem & audivissem, ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum, historialiter redigerem in scriptis. Volens igitur prædictis postulationibus satisfacere ad laudem & honorem præfati Martyris Arbensium Patroni Christophori, qui suis sanctissimis meritis suffragantibus Salvatorem mundi speciali privilegio ac prærogativa mirabili, divina gratia largiente, suis sacris humeris singulariter meruit deportare. Incipiens ergo de victoriis ipsius Martyris Christophori in civitate præfata per eumdem factis, prout potui, sub compendio quodam enarrando cunctis patefacio. Tempore igitur venerabilis viri Domini Domanæ natione Absarensis, Arbensisve Episcopi contigit, ut quædam ingens Unragorum* * gens, & in magna multitudine mœnibus ejusdem urbis ex improviso appropinquaret. Quam quidem civitatem obsedit a quartadecima die Aprilis usque ad nonam diem mensis Maji, & cum machinis & sagittis, & diversis armis cum instanti frequentia expugnabat eamdem. Interea die quadam cum de machina super turrim Christi Protomartyris S. Stephani jactaret lapidem in civitatem, & cujusdam nobilis viri percuteret domum; præfatus lapis, tecto fracto ac pavimento fere per medium passum se subterravit. Quod homines civitatis videntes, nimio timore perterriti, perplurimum metuebant. Tractabant tamen inter se quid utilius esset sibi faciendum; an scilicet illius gentis se jugo submitterent, an pugnando Domini potius implorarent auxilium, ut ipse misericorditer de tam gravi periculo, quod timebant, dignaretur eripere, qui elatos humiliat, & humiles in se confidentes mirabiliter exaltat. Qui quidem Deus Sancti Spiritus inspiratione prædicto Episcopo inspiravit salubre consilium. Ipse vero Episcopus divino Spiritu inspiratus, omnibus dixit astantibus, Honorifice, inquiens, & reverenter extracto pretiosissimi Martyris Christophori capite, deferamus illud in turrim, ut ipse in cujus confidimus auxilio pro nobis contra inimicos debeat præliari, ac nobis victoriam de hostibus impetrare. Quo audito consilio clerus civitatis, cum universis civibus, ad Sanctæ Dei Genetricis Mariæ Ecclesiam cum ingenti lætitia concurrerunt; ac veneranter pretiosissimo Martyris Christophori capite ablato, cum hymnis, litaniis, & orationibus cœperunt magnis vocibus ad Dominum proclamare, quatenus eos meritis beati Christophori a potentia illius gentis cælitus eriperet, & salubriter liberaret. Unde ita factum est, quod cum idem pretiosum caput Martyris Christophori super turrim extitit reverenter collocatum; hostes alium lapidem projecerunt, quod fuit mirabile & admiratione dignum. Dictus enim lapis tantam aeris altitudinem petiit, ut fere ab humanis aspectibus se subtraheret, ac revertens mare hostibus circumstantibus in medio vallis horribiliter percussit. De cætero sane ex quo Martyris Christi caput*

* *vetius Northmannorum vel Chrobatorum.*

put in dicta turri repositum fuit, nec machinæ, nec sagittæ, nec aliqua hujusmodi armamenta potuerunt Arbensibus aliquam læsionem infligere. Immo & si sagittarii sagittabant, ad eosdem a quibus jactabantur, sagittæ reversæ illos vulnerabant. Videns autem Dux illius gentis, & audiens, quod scilicet Deus meritis S. Christophori suam potentiam miraculose in se ostenderet, genibus flexis, & humi stratus cum universo suo exercitu Christi Martyrem Christophorum humiliter adoravit. Sicque culpa sua cognita, ac cum Arbensibus pace composita, rediit cum suis ad propria; nec non tanto viso miraculo, Deum glorificaverunt omnipotentem, qui confidentes in se adjuvat, & protegit tempore opportuno. Quapropter prædictus Episcopus suis subditis Arbensibus ordinavit, ut nona die mensis Maji victoriam prædictam devote & reverenter celebrarent. Quod usque in hodiernum diem, ut patet, a cunctis observatur.

VITALIS EP. ARBENSIS VII.

Hujus nomen ad annum 1086. in tabulis Arbensibus adscriptum invenio. In his siquidem *Vitalis Episcopus* nominatim percensuit agros omnes fundosque, & suis quemque terminis circumscripsit, quos partim ex antiquis monumentis, partim ex testificatione seniorum, ad Ecclesiam S. Mariæ & mensam episcopalem pertinere comperit; *Anno Domini 1086. Ego Vitalis Dei gratia Episcopus Arbensis, cathedra residente tempore meo, recordationis cartulam facio de prædiis S. Mariæ Episcopatus &c.*

PETRUS III. EP. ARBENSIS VIII.

De quo nihil præter nomen, quod affixum est anno 1094. in catalogis Episcoporum Arbensium.

LUPUS EP. ARBENSIS IX.

Lupus & Paullus unus idemque Episcopus.

Quartus est a Domana, seu Dabrana Episcopo, patria Arbensis, cognomento quidem Lupus, sed Paullus nomine, ut docet Georgius Episcopus in historia supra laudata de Victoriis S. Christophori. Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis, in suo catalogo Antistitum Arbensium, a Lupo Paullum distinxit; & hunc illi in sedem episcopalem substituit. Sed pluris est mihi auctoritas Georgii Episcopi, qui a Pontificatu Lupi, quamvis ducentorum annorum intervallo disjunctus, multo tamen propius aberat, quam Valerius; præsertim cum is Paullus Lupo proxime subjectus, ab eoque distinctus, a ceteris catalogis absit. In catalogo ex urbe Arbensi nuperrime accepto, cognomine prætermisso, Paullus nominatur; sed iisdem fere temporibus adscribitur, quæ ad Pontificatum Lupi pertinent. Quocirca censeo eumdem esse Episcopum, qui Lupus in primo, Paullus in altero Concilio provinciali Spalatensi, quod sub Crescentio Metropolita habitum fuit, appellatur. Paullo igitur, sive alterum nomen, sive cognomen Lupo fuit. In catalogis plerisque Lupus dicitur, illiusque Episcopatus cum anno 1105. conjungitur; sed ejusdem initium revocari potest ad annum 97. sæculi superioris, locus ut sit ac tempus opportunum duplici victoriæ, quam Arbenses S. Christophori patrocinio & auxilio freti de Hungaris reportarunt.

Colomanus rex Hungariæ Chrobatiam subigit.

Colomanus Ladislavo patruo in regnum Hungariæ suffectus anno 1093. cum ad turbas resque Hungaricas componendas priores regni annos contulisset; nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut in Dalmatiam exercitum traduceret, & partem reliquam Chrobatiæ, quam Ladislavus, Chunnico bello in Hungariam revocatus, suis armis & victoriis intactam reliquerat, sub potestatem redigeret: *Uladislavo rege migrante ad Dominum* (ut scripsit Thomas Archidiaconus cap. 17.) *Colomanus sibi in regno successit. Hic cum esset vir ferocis animi proposuit totam terram usque ad mare Dalmaticum suo dominio subjugare. Venit ergo cum multo armatorum apparatu, & obtinuit ceteram partem Sclavoniæ* (idest Chrobatiæ), *quæ ab Uladislavo fuerat prætermissa.* Idem Scriptores Hungarici confirmant. Quidquid non solum in mediterraneis, sed etiam in maritimis locis, reges Chrobatorum obtinebant, ad regnum Hungariæ adjunxit; & Belgradi, quæ civitas erat maritima Chrobatiæ, nuptias cum filia Rogerii Comitis Siciliæ regio apparatu ac magnificentia celebravit, ut tradit Gaufridus Monachus Benedictinus æqualis temporum illorum lib. 4. cap. 25. adventum autem regiæ sponsæ, itemque solemnia nuptiarum anno 1097. affixit: *Anno itaque Incarnationis millesimo nonagesimo septimo apparatis, quæ necessaria erant, mense Madio cum trecentis militibus usque Thermas conducere fecit* (Rogerius) *Henricum Lescastrensem Episcopum, & quosdam de fidelibus suis, ab inde maritimo cursu usque Pannoniam cum puella procedere faciens cum multis sponsalibus intromittentes, velis vento commissis prospera aurea flante per æquora feruntur, usque dum in portum Albæ, qui juris regis Hungarorum est, impune applicant. Hic Vincurius Comes Belligratæ missus cum quinque millibus armatorum obviam fuit &c.* Alba idem est ac Belgradum, sive Belligrata, & Alba maris dici solet, ut distingui possit ab Alba Græca, quæ itidem Belgradum, sive Tauranum ad confluentes Savi & Danubii situm appellatur. Idem Gaufridus Albam maris *Belligratam* vocat.

Jussit Banum Chrobatiæ Arbam insulam & urbem invadere, & oppugnare.

Anno igitur 1097. cum Colomanus post Chrobatiam subactam, in ea regione filiam Rogerii sibi desponsam præstolaretur, ditionis amplificandæ cupidus, tredecim lembos instrui, armarique jussit, ex iis, quibus Chrobati vel ad piraticas excursiones, vel ad commercium utebantur; Arbam insulam atque urbem, quæ ad jus aliquando pertinuit, imperiumque regum Chrobatiæ, ut invaderet, & sub jurisdictionem regni Hungarici subjungeret, Bano Slavoniæ, cui nomen Ugræ, imperavit. Biremes omnino duas habebant Arbenses, quas tredecim illis navigiis opponerent. Accessit tertia, quæ tum forte aliunde mercimonii caussa advenerat, & rogatu Arbensium se ad duas illas adjunxit. Ergo Arbenses S. Christophori, quem suppliciter invocaverant, patrocinio confisi, etsi numero & viribus longe inferiores, alacres tamen, & spei ac fiduciæ pleni, cum tribus hisce navigiis progressi sunt contra hostes, qui post insulam devastatam ad naves se receperant: extra jactum teli paullisper steterunt, dum Hungari cæca cupiditate præcipites, vim omnem sagittarum & saxorum in hostiles biremes ante tempus effunderent: itaque vano ictu tela omnia in undas innoxia cecidere. Tum vero Arbenses magno animo conatuque in classem hostilem invecti,

Digitized by Google

Hungari cæsi fugatique, S. Christophoro Arbensibus opitulante.

cti, primo impetu navem unam ceperunt; reliquas omni missilium genere oppugnant. Telum nullum in conferta navigia missum cadebat incassum. Itaque plerique remigum ac militum projectis armis pavore cæci in mare desiliunt; natatu effugium petentes, alii gladiis interfecti, alii fluctibus absorpti perierunt; ac ne unus quidem tantæ cladis nuncius imperfuisset, nisi vehemens ventus a septemtrione repente exoriens, turbato mari, & navibus hac illac dispersis prælium diremisset. Arbenses parta victoria tam insigni & incruenta, Deo & B. Christophoro, cujus præsens auxilium in ea pugna experti erant, enixe gratulantes, e suis lucris & proventibus aliquam particulam singulis annis Ecclesiæ cathedrali in honorem S. Christophori se oblaturos voverunt. Ad hunc fere modum explicari intelligique oportet quæ Georgius Episcopus de hac pugna & victoria scripsit; sunt enim aliqua, quæ vel explicatione, vel correctione indigent, ut nostræ in ejus narrationem notæ planum facient.

Secunda hujus victoriæ descriptio.

Alio vero (1) *tempore quo Dominus Paulus civis Arbensis, & Episcopus cognomine Lupus, quartus a prædecessore jam dicto* (idest Domana)
1 *honore pontificatus fungeretur in Arbensi civitate; & Dalmatinorum tota simul provincia nulli*
2 *jugo tunc esset* (2) *subdita; contigit ut Unga-*
3 *rorum rex* (3) *ducem suum nomine Ugram, quem Sclavorum vulgus Banum vocat, cum magna exercitus multitudine in Dalmatiam ad ex-*
4 *pugnandum totius* (4) *provinciæ populum destinaret. Idemque accepta licentia ad hoc, egressusque cum valida manu hominum venit in Chroatiam, & omnes sibi subjectos fecit ad se congregatos venire; & omnes consilium unanimiter firmaverunt, atque dixerunt: Novimus itaque Arbensem civitatem linea copulationis ac consanguinitatis ita cum aliis civitatibus connexam, ut*
5 *nulla civitas similis sibi* (5) *in tota provincia Dalmatiæ inveniatur. Quapropter oportet eam penitus expugnare, & nostro dominio subjugare. Nam si hanc sceptrum regni nostri obtinuerit; eamque nostro sceptro regente, alias civitates per eamdem regere non dubitemus. Sint ergo ad præ-*
6 *dicta perficienda aptæ tredecim* (6) *naves, quatenus transeuntes per mare in insulam intrare, & civitatem capere valeamus. Quod quidem consilium, ut dixerunt, opere compleverunt. Nam subito paratæ sunt ad pugnandum naves, ingressaque omnium illa militum ac peditum multitudo naves, adminiculante sua iniquitate, per ponti cærula ad prædictam civitatem est transvecta in*
7 *insulam. Et* (7) *egressus ille innumerus exercitus, cœpit undique deprædari, ac insulam devastare; cumque hujus rei homines civitatis causam cognovissent, in duobus lignis currentibus, & in una forensium navi, quæ tunc illuc casu advenerat, ingressi illis tredecim obviaverunt. Quin tantam in S. Christophoro fiduciam habebant, ac si ipse visibiliter esset venturus, eosque pro eis pugnando liberaturus. Cumque prædicti in quodam se jungerent loco, tanta miserunt sagittarum ac lapidum copiam, ut splendor solis a conspectu eorum propter earumdem per aera volantium densitatem se subtraheret. Prædicta vero duo ligna currentia cum tertia navi nec unum retro projecerunt lapidem. Expectabant enim, ut omnes lapides ac sagittas jacerent; omnibus vero armis consumatis, insurrexerunt Arbenses in eos, & pugnantes ceperunt unam de navibus illorum, & quasi omnes interfecerunt gladio; quod quidem videntes multi de aliis navibus, quæ remanserant, loricati projecerunt se in mare, & interfecti defecerunt. Misericors autem Dominus nolens animarum, ac corporum internecionem, sed potius satisfactionem, ventum validum, qui dicitur boreas, immisit in mare, & sic divisit eos hinc inde per diversas partes dispersos. Quare cives Arbenses unanimiter in hymnis & laudibus glorificaverunt Deum omnipotentem, & gloriosissimum martyrem Christophorum, voventes ut unoquoque anno aliquantulum de fructu sui laboris, in honorem martyris Christi Christophori, Ecclesiæ cathedrali Dei genetricis Mariæ offerendo condonarent. Quod usque ad magnum tempus idem Arbensis populus observavit in memoriam tantæ victoriæ, quam Dominus per alma merita S. Christophori eis conferre dignatus est; quia minime per suam potentiam sive violentiam potuissent eamdem comparare.*

Notæ.

(1) Anno scilicet 1097. cum Colomanus rex Hungariæ in Dalmatia versabatur, & loca omnia seu mediterranea, seu maritima, quæ reges Chrobatorum possidebant, sub imperium Hungarorum subjunxerat.

(2) Historiæ illorum temporum ignoratione Georgius erravit. Tunc siquidem præcipuæ urbes oræ maritimæ Venetorum imperio suberant, quæ jam inde ab anno circiter 1075. in eorum fidem & clientelam redierant, ut supra dictum est in Gregorio Episcopo Arbensi; quidquid vero in Dalmatia maritima, & mediterranea ad regnum Chrobatiæ pertinebat, partim Ladislavus, partim Colomanus ad regnum Hungariæ adjunxerant.

(3) Hic est Colomanus, qui anno 1097. vel superiori, cum ingenti exercitu in Dalmatiam venit, Archidiacono teste, ut reliquam ditionem Chrobaticam subigeret, quam Ladislavus intactam reliquerat. Itaque Colomanus non ex Hungaria, ut hic auctor existimasse videtur, sed e Dalmatia, ubi tum morabatur, Banum misit ad insulam & civitatem Arbensem subjugandam.

(4) Congruit cum Thoma Archidiacono, qui ait Colomanum *proposuisse totam terram usque ad mare Dalmaticum suo dominio subjugare*. Sed tunc ab terris & civitatibus Venetorum vim belli abstinuit, quorum navalibus copiis indigebat ad Chrobatiam maritimam contra Northmannos tuendam, & quibuscum postea fœdus & amicitiam junxit. Verum latius dominandi cupiditate impellente, imperare sibi non potuit, quin aliquid e ditione Venetorum decerperet, veluti Arbam, quæ licet tunc in potestate Venetorum esset, non ignorabat tamen antea in potestate fuisse regum Chrobatiæ. Universum autem regnum Chrobatiæ ad se Colomanus pertinere existimabat; quippe erat successor legitimus Ladislavi patrui sui, qui regnum illud sibi traditum, ut ajunt, ab sorore sua vidua & hærede Svinimiri regis Chrobatorum, armis etiam, & jure belli magna ex parte acquisierat.

(5) Cum Georgius Episcopus Scriptor hujus historiæ, ortu & Episcopatu Arbensis esset, venia illi danda, quod multa gloriosius, quam verius de patria sua prædicantes Hungaros induxit.

(6) Hungari copiis navalibus carebant. Itaque

que Chrobatis maritimis, quos sibi subjecerant, classem tredecim navium imperarunt, quibus illi vel ad commercium, vel ad piraticam utebantur.

(7) Primum igitur Hungari repentino exscensu e navibus in terram facto, Arbenses nihil tale expectantes in terrorem ac tumultum conjecerunt, totamque insulam devastarunt; deinde onusti præda ad sua navigia redierunt, ut primariam insulæ civitatem, quæ triplici ex parte mari alluitur, a fronte, & ab utroque latere obsiderent. Arbenses vero cum se ex illo pavore collegissent, duobus triremibus raptim instructis armatisque, cum tertia illa, quæ paullo ante illuc appulerat, hostibus obviam procedunt, & insignem illam, S. Christophoro opitulante, victoriam reportarunt.

Colomanus cum Venetis adversus Northmannos fœdus junxit.

Colomanus antequam rediret in Hungariam, cum Northmanni illis temporibus oram maritimam Dalmatiæ & Chrobatiæ piraticis excursionibus, & latrociniis infestam haberent, cum Venetis contra communes hostes fœdus & amicitiam junxit: *Quo in fœdere*, ait Sabellicus, *expressum reperio, ne Colomanus, aut ex successoribus quispiam ob Dalmatiam Venetos aliquo modo infestaret*. Uno, aut altero anno, postquam Colomanus exercitum in Hungariam revexerat, Chrobatia omnis ab ejus imperio defecit. Caussam defectionis conferendam censeo in illud civile dissidium, ac bellum, quod per ea tempora inter Colomanum, & Almum fratres, propter nonnullas interpositas offensiones, exarsit. Nam Chrobatos sive Colomani dominatus asper & immitis, sive præclara fama & late vulgata de singulari bonitate Almi & clementia, Almique desiderium pristini regis, quem Ladislavus huic genti dederat, facile perpellere potuit, ut a Colomano desciscerent, & sub imperium Almi redire optarent. De hac Chrobatorum defectione breviter Samuel Timon, rerum Hungaricarum diligens investigator: *Anno* 1098. *Colomanum inter & Almum dissidiorum origo. Deficiunt a fide Hungarorum Croatæ*. Et Joannes Lucius lib. 3. cap. 3. de Reg. Dal. & Croat. *Integram Croatiam Colomanum habuisse argui debet; ob id autem ex dissensione cum Almo fratre Croatiam defecisse conjectari potest, & Colomanum ipsam recuperasse; quod cum Hungaricis Scriptoribus concordat*. Anno igitur 1102.

Iterum Colomanus in Dalmatiam cum exercitu venit & Chrobatiam recepit.

rebus & dissidiis Hungaricis utcumque compositis, ad Chrobatiam recuperandam ingentem exercitum duxit. Cum ad Dravum pervenisset, ibique nuntiatum esset Chrobatos, contractis & instructis copiis, paratos esse ad pugnandum, satius esse duxit Chrobatorum animos benigna legatione ad voluntariam deditionem pellicere, quam belli fortunam tentare ac periclitari. Legatos igitur præmisit, quorum pacifica blandaque oratione deliniti Chrobati, de communi consilio, e duodecim tribubus, in quas gens omnis divisa erat, totidem primariæ nobilitatis viros, singulos e singulis delegerunt, quos de paciscenda cum Colomano deditione mitterent. Ad regem cum venissent, & perhumaniter ab eo, ac perhonorifice accepti essent; æquissimis & honestissimis conditionibus, se & populos Chrobatiæ in fidem ac potestatem Colomani tradiderunt. Hæc Thomas Archidiaconus in additamento ad Historiam Salonitanam sub hoc titulo: *Memoriale bonæ memoriæ Domini Archidiaconi Eccl. Spalaten.* Hic est secundus Colomani adventus in Dalmatiam, affixus anno 1102. quo quidem anno Belgradi, cum titulo regis Chrobatiæ & Dalmatiæ, diadema regale sumpsit; ut ipsemet testatur in privilegio, quod Virginibus Jadrensibus S. Mariæ, quamquam ejus jurisdictione exemptis, eodem anno 1102. concessit. Hæc eo narravi, ut secundam victoriam Arbensem de Hungaris relatam, si quis velit, rejicere possit in secundum Colomani adventum, & anno 1102. adscribere. Sed tertia victoria, quam Arbenses S. Christophoro acceptam ferunt, videtur dimoveri non posse ab anno 1105. cum Colomanus tertio in hanc regionem profectus, Dalmatiam omnem Venetis eripuit.

Colomanus Venetis Dalmatiam eripuit.

Anno 1104. Ordelaphus Faledrus Dux Venetorum classem numerosam ad sacrum bellum in Palæstinam traduxit; ad quam augendam urbes & insulæ Dalmatiæ, dum illuc præterveheretur, navigia & milites contulerunt. Colomanus ergo ex absentia Venetæ classis occasionem sumpsit Dalmatiæ occupandæ, quam cum regno Chrobatiæ conjungere mirum in modum cupiebat. Anno igitur 1105. violato fœdere sociali, quod cum Venetis adversus Northmannos pepigerat, Dalmatiam maritimam Venetæ ditionis invasit, eo quidem fidentius atque audacius, quod tunc urbes illæ nudatæ essent præsidiis, quæ Ordelaphus ad exercitum augendum deduxerat, itemque militibus indigenis, qui nomen ultro dederant in sacram illam expeditionem. Ac primum Jadertinos, tum Spalatenses, inde ceteras urbes insulasque, vi ac terrore ad deditionem compulsas, in suam potestatem recepit. Soli Arbenses, quibus fides erga Venetos, quam motus Hungarici exercitus, fuit antiquior; deditionem constantissime abnuerant. Quidam e Comitibus Hungariæ, nomine Sergius, jussu Colomani Veglensibus, Absorensibus, & Seniensibus navigia & milites imperavit, quibuscum copias ex Hungarico exercitu selectas conjunxit; insulamque adortus, omnia ferro & incendiis vastando, ad ipsam urbem pervenit. Hic quoque Arbensibus præsto fuit patrocinium S. Christophori suppliciter fidenterque invocatum. Unam omnino navem, quam ipsi habebant, & duas, quas Veneti subsidio miserant, celeriter conscendunt, hostilem classem a militibus, qui per agros palatim prædas agebant, fere vacuam ac desertam invadunt, custodes, & paucos præsidiarios, remigesque armis exutos in vincula conjiciunt, navigia omnia incendunt. Deinde in urbem reversi, cum hostes ingenti pavore perculsos, quod navibus incensis omne maritimum perfugium sibi ademptum viderent, in fugam consternatos disjectosque conspicerent; simul cum oppidanis rursus egressi, palantes ac dispersos ad unum omnes capiunt, ligatos in urbem abducunt, atque in custodiam includunt. Rem omnem, quemadmodum gesta fuerit, Georgius Episcopus stylo fusiori enarravit.

Arbenses fugare jussi, qui ope S. Christophori tertiam de hostibus victoriam referunt.

Historia tertiæ victoriæ.

Alio quoque tempore cum prædictus Pontifex Paulus eodem fungeretur honore episcopali, & Veneticorum tunc temporis prædicta civitas regeretur dominio; contigit ut quidam Ungariæ regis Comes nomine Sergius ad subjiciendam prædictam imperio hujus civitatis Arbensis gentem & insulam ingrederetur. Suo denique imperio ceteræ tunc temporis subditæ fuerant insulæ, ac magna Sclavorum pars hujus Comitis præceptis obediebat; præceperatque omnibus, in quantum earum expe-

Digitized by Google

expeteret facultas insularum, in suo obsequio ligna currentia, & alia ligna præpararent. Statimque parata sunt novem numero ligna currentia; & aliorum propter multitudinem non patet numerus. Ingressus itaque cum exercitu in insulam, & depopulando usque ad dictam civitatem Arbensem venerunt. Interea prædictæ urbis cives tum cognovissent, cœperunt recommendare se S. Martyri Christophoro, humiliter ipsum deprecantes, quatenus sicut multoties ipse protegendo eos ab hostibus eripuerat, sic in tanta tribulatione ac persecutione illorum inimicorum liberaret, ac rectum consilium eis a Domino impetraret. Omnesque in ipsum confidentes quamplurimum, egressi de civitate in galeam unam, cum duabus Veneticorum galeis, quæ venerant pro tutamine eorum, in eas intraverunt; & per mare ad vallem, quæ dicitur S. Petri, ejusdem insulæ pervenerunt. Ibi inventis inimicorum navigiis, captivatis, & comprehensis custodibus eorumdem, ac rebus omnibus extractis, & expoliatis, igne vehementi combusserunt; itaque nec unum ex eis remansit. Quibus expletis venerunt cum magna exultatione ad civitatem. Inimici vero quæ gesta erant videntes & audientes, cœperunt per insulam Arbensem fugere, seque per nemora abscondere & latitare. Homines vero civitatis exierunt per insulam unanimiter, ipsos persequentes. Quibus omnibus captis, & ligatis ab Arbensibus, ducti sunt in civitatem, & carceribus mancipati. Quod audientes homines vicinarum civitatum, tam scilicet Veglenses, quorum maxima pars erat Arbi incarcerata; nam de Vegla exierat exercitus prædictus; quam Absarenses, Chersini, & etiam Senienses, miserunt Ambasciatores ad Arbenses, eosdem obnixe, & cum magnis precibus deprecantes, quatenus captivis, & incarceratis misericorditer parcerent; ac de carceribus ad propria cum libertate remeare permitterent. Quibus precibus Arbenses inclinati acquieverunt, & de carceribus extraxerunt. Prius autem, quam libertate eos donassent, oportebat quemlibet eorum quoddam ligneum artificium ad hoc specialiter præparatum super dorsum suum, circum Ecclesiam S. Mariæ Arbensis, tribus vicibus deportare in signum victoriæ, quam Dominus meritis S. Christophori Arbensibus contulit, hostes sibi subjiciendo. Qui omnes singulatim portaverunt prædictum artificium libenter pro recuperanda libertate, ut ad civitates suas mererentur remeare de tantis injuriis liberati. Quod quidem artificium pependit suspensum in Ecclesia cathedrali Arbensi usque ad tempus Dom. Gregorii ejusdem civitatis Episcopi, ad memoriam prædictorum, & confusionem inimicorum. Nos ergo Fratres carissimi omnes Arbenses pro tantis, & tam magnis beneficiis nobis a Domino, S. Christophori meritis Patroni ac protectoris nostri, collatis referamus gratiarum actiones; ipsum humiliter deprecantes, quatenus nunc, & semper nos protegat, & ab omni malo defendat; concedendo nobis gratiam suam finaliter in hac vita; ut possimus tandem suam consequi gloriam in patria: quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui ut ad ipsam ascenderemus, ad nos dignatus est descendere, & viam salutis ostendere. Qui cum Patre &c.

Ego Presbyter Thomas de Stantiis Canonicus Arbensis Ecclesiæ publicus imperiali auctoritate notarius superscriptas tres victoriarum historias S. Martyris laureati Christophori, Arbensiumque Patroni a nonnullis nobilibus Arbensibus civibus rogatus ex libris antiquis jam dictæ Ecclesiæ recte & fideliter exemplavi, & in præsentem publicam formam redegi ad litteram, prout jacent, nil addendo, nil minuendo, quod variet sensus, vel mutet intellectum; ideoque in præmissorum fidem me proprio nomine subscripsi; ac signum tabellionatus officii apposui MCCCCLXXXII. Indict. XV. die vero xv. Mensis Maji.

Verum enimvero cum Colomanus ceteras insulas, urbesque omnes Dalmatiæ in sua potestate haberet, cumque Arbenses se armis ac præsidiis Hungaricis undique circumseptos, & omne commercium sibi, seu maritimum, seu terrestre interclusum viderent; tempori cedere, ac necessitati parere coacti, se ipsi quoque in fidem ac ditionem Colomano dederunt. Postquam universa Dalmatia imperium Colomani subierat, Crescentius Archiepiscopus Spalatensis Jaderam ad Concilium Episcopos provinciales convocavit. Annus quidem ignotus est; sed cum Theobaldus, qui *Præpositus* erat, idest legatus, seu vicarius *Laurentii Archiepiscopi Strigoniensis*, interfuerit; hinc colligitur hoc Concilium habitum fuisse, cum jam Dalmatia juris erat imperiique Hungarici, idest anno 1106. vel certe proximo. Jaderam ad synodum venit Lupus Episcopus Arbensis cum Gregorio Abbate S. Petri, qui dicitur interpellasse cum Theobaldo Præposito Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, coram Crescentio, & ceteris, qui aderant, Episcopis & Cœnobiarchis; idest vel ad eum appellasse, vel potius eum arbitrum sumpsisse, apud quem bona sui cœnobii ab iniquis possessoribus repeteret, ac lite atque judicio persequeretur. Hæc ex fragmento quodam, quod superest de actis deperditis illius Concilii, in quo Episcopi omnes & Abbates, qui adfuere, nominantur, atque in his *Lupus Arbensis Episcopus: Ego Gregorius Abbas S. Petri recordationem facio, qualiter interpellavi cum Theobaldo Præposito Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi in Synodo Jadrensi, coram Archiepiscopo Crescentio, & Gregorio Jadrensi Episcopo, nec non Lupo Arbensi Episcopo &c.* Idem Lupus in altero Concilio provinciali, quod præsente Colomano habitum est anno undecimo hujus sæculi, Paullus nominatur.

Anno igitur 1111. Colomanus in Dalmatiam venit. Habitus est frequentissimus conventus vel Jaderæ, vel Spalati, vel in urbe regia Belgradi; quem tum rex ipse, tum plerique Dalmatiæ itemque Hungariæ Episcopi ac proceres, cum duobus Metropolitis Crescentio Spalatensi, & Laurentio Strigoniensi, suo consessu ac præsentia cohonestarunt. In hoc augustissimo & celeberrimo conventu Colomanus privilegium amplissimum Ecclesiæ Arbensi concessit. Quidquid terrarum, sive in insula Chissa, sive in ora maritima Cresimirus IV. rex Chrobatorum ad diœcesim Episcopi Arbensis pertinere decreverat, id omne in ejus potestate firmum ac stabile permanere jussit. Jus conferendi sacerdotia, & Abbates instituendi, secluso regis, & regii Consilii arbitrio, liberum eidem Ecclesiæ permisit; clericos Arbenses, atque adeo clericos totius Dalmatiæ, eadem libertate & immunitate donatos esse voluit, qua clerici Hungariæ fruuntur, sic prorsus, ut nulli mortalium, præterquam præsidibus & magistratibus ecclesiasticis subessent. Tandem modum rationemque præscripsit decimas distribuendi inter Administros curiæ episcopalis & regiæ, ad exemplar, normam-

Arbenses Colomano se dedunt.

Lupus Ep. cum Gregorio Abbate S. Petri Arbensis, interfuit Concilio Provinciali Jadrensi;

itemque alteri Concilio Provinciali, præsente rege ipso Colomano.

Digitized by Google

mamque illius distributionis, quæ in Hungaria fieri solebat. Regium diploma est hujusmodi.

Diploma Colomani. *Anno Dominicæ Incarnationis* IIII. *Indictione* 4. *Epacta nona concurrentibus. Ego Colomanus Dei gratia rex Hungarorum, per misericordiam Dei potitus regno Dalmatiæ atque Croatiæ assentianus, & quantum ad nos pertinet, confirmamus Arbensi Ecclesiæ suas parochias, Juppam sub alpibus suis cum terminis, a castro latine Murula usque ad flumen Coprive, Chissam suis cum terminis, Juppam Lichæ, Juppam Bucani, & Boccachi, sicut semper didicimus habuisse per privilegium Cressimiri regis, & idoneos testes, quos Paulus ejusdem Ecclesiæ Præsul induxit, cognovimus; decrevimus quoque ad honorem, & dignitatem illius Ecclesiæ investituras tam ecclesiarum, quam Episcoporum, & Abbatum, absque regis Consilio, quemadmodum fuisse probavimus, fieri debere; postea necessarium duximus tum utriusque regni universo Consilio, ut qua libertate fruuntur clerici Hungariæ, fruantur & clerici Dalmatiæ, scilicet ut qualiscumque potentiæ sigillo non constringantur, sed solo Episcoporum, & Archidiaconorum suorum sigillo, & judicio, lege canonum cogantur & judicentur. Hoc modo decimationem, quemadmodum in Hungaria accipiunt, Præstaldus regis cum Præstaldis Episcoporum; ex decimatione Episcopi ipsi accipiant decimam partem, ex qua Præstaldus regis dimidiam partem illius decimationis accipiat; Præstaldi vero aliam dimidiam partem cum curiali Comite sui Episcopi per medium dividant, & sic curialis Comes dimidiam sibi habeat, Præstaldi vero aliam dimidiam inter se dividant. Datum est hoc privilegium Arbensi Ecclesiæ per manum Venerab. Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi perpetuo, ex concessione Colomani regis Hungariæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ; in præsentia suorum Episcoporum & Comitum, quorum nomina hæc sunt, Marcelli Variensis Episcopi, Simonis Quinqueecclesiensis Episcopi, Matthæi Vesprim. Episcopi, Georgii Georensis Episcopi, Sixti Varad. Episcopi, Tulberti Colocen. Episcopi; Comitum vero Joannis Palatini Comitis, Claodini, Marci, Sancti, Saunici, Ugareni, Theobaldi, Jandini; & quamplurium aliorum Dalmatinorum Episcoporum asserentium, & testificantium, per quorum testimonium probavit præd. Præsul, dicta Arbensis Ecclesia semper ita habuisset; Crescentii Spalaten. Archiepiscopi, Anastasii Tinien. Episcopi, Joannis Traguriensis. Episcopi, Bani Alben. Episcopi, Marci Jadren. Episcopi, Dominici Veglien. Episcopi, Petri Absaren. Episcopi; & Generalis Domini Regis curiæ; & ut hoc privilegium statutum & stabile perpetuo maneat, nostro jubemus sigillo imprimi, atque roborari.*

Lupus & Paullus vel unus, vel etiam duo Episcopi esse possunt. In hoc diplomate Episcopus Arbensis nominatur Paullus, quem ex historia Georgii Episcopi supra descripta à Lupo distinguendum esse non putamus, & fuisse unum & eumdem Episcopum censemus, cui Paullo nomen, Lupo cognomen erat. Cæterum si duos fuisse velis, quorum alter Lupus, alter Paullus appellaretur, per me licet; ac Lupi quidem Episcopatus perduci debet usque ad annum sextum vel septimum sæculi duodecimi; annum vero undecimum ejusdem sæculi, cum Colomanus decretum modo descriptum secundum Ecclesiam Arbensem fecit, Paullo Episcopo attribui oportet.

BONUS EP. ARBENSIS X.

Bonus Ep. post quem duo tresve Episcopi desiderantur in catalogis. *Ex quodam Instrumento sub eodem Anno MCXI. sed ignoratur an antecessor, an successor Pauli fuerit;* ut est in catalogo Antistitum Arbensium, quem ab Joanne Luca Garagnino, nunc Episcopo illius Ecclesiæ præstantissimo*, haud ita pridem accepi. In omnibus catalogis eorumdem Antistitum, duo, tresve desiderantur Episcopi usque ad annum circiter 1170. quorum nomina & acta oblivio ac vetustas posteritati præripuit. Interea post obitum Colomani anno 1114. extincti, Ordelaphus Dux Venetorum anno tertio decimo sui principatus, ut est apud Dandulum, æræ vulgaris decimo quinto supra millesimum & centesimum, provinciæ Dalmatiæ recuperandæ caussa, cum ingenti classe trajecit. Arbenses primi omnium deditionem facere properarunt, palam aperteque profitentes velle se Venetorum imperio subesse, quamvis Jadertini vel nollent, vel non possent. Itaque Ordelaphus Ecclesiæ & civitati Arbensi omnia privilegia confirmavit, quæ concessu vel Imperatoris Constantinopolitani, vel regis Hungariæ obtinebant; idque Arbenses publicis litteris testatum esse voluerunt triennio post confectis, atque in communi tabulario, quod Sanctuarium vocant, ad perpetuam posterorum memoriam depositis, quas hic subjicio.

* nunc Archiepiscopo Spalatensi.

Arbenses Ordelapho Faledro Duci Venetorum se dedunt.

Deditio Arbensium. *Anno Dominicæ Incarnationis* 1118. *Indict. XI. Epacta* 26. *concurrente. Nos namque Arben. populus & Comes, & Communitas recommendationem veritatis & certitudinis facimus nostris successoribus hæredibus dimittendum, qualiter Ordilaph. Faledicus Dux Venetiarum nobis juravit suis cum nobilibus Joanne Tervisano Caprulano Episcopo, Dominico Paulano, Dominico Michaele, & Marino Longiferraro, & cum pluribus aliis; prædictus Dux suo cum exercitu ibat Jadram; & nos misimus Baptistam, & Madium Sege filium, Diaconos ad dictum Ducem, & exercitum ejus, dicentes, volumus dominio vestro subesse, & si Jadrenses noluerint, vel non potuerint, si voluntatis vestræ est, nos perpetuo retinere in consuetudine, statu, & libertate terræ nostræ; & promisit ei Dux; & iterum venerunt Arbum, & ipse Dux cum suprascriptis nobilibus hoc modo juravit, videlicet: Juramus vobis Arbensibus & vestris hæredibus, & successoribus perpetuo vestram consuetudinem, & statum vestrum, & libertatem terræ vestræ, potestatemque, quam antiquitus dicitis habuisse sub Imperatore Constantinopolitano, & sub rege Ungarorum, Præsulem vobis eligendi, & Comitem, confirmatione nobis reservata, nostræque curiæ; insuper vos regere, & manutenere, sicuti unam ex nostris oris Rivoalti; & sicuti vobis Dalmatinis Colomanus rex Ungariæ juravit suis cum Archiepiscopis, Episcopis, & Comitibus, ut in breviario illo continetur. Actum est hoc in Arben. Ecclesiæ atrio, in tempore præfati Præsulis, & Comitis.*

Ecclesia Jadertina jure metropolem donatur, eique Ecclesia Arbensis subjicitur. Anno 1145. Eugenius III. simul Venetis de re Christiana optime meritis, simul Jadrensium postulatis obsequi cupiens, Ecclesiam Jadertinam jurisdictione Archiepiscopi Spalatensis exemit, & dignitate ac potestate metropolitica donavit; eique tres insulares Episcopatus Arbensem, Veglensem, Absorensem attribuit. Itaque Episcopus & Ecclesia Arbensis adempta Spalatensi ad provinciam Jadrensem in posterum pertinuit.

AN-

ANDREAS EP. ARBENSIS XI.

Hujus nomen tabulis sæculo duodecimo confectis sæpe adscriptum invenio, & primum quidem ad annum 1177. Sebastianus Zianus Dux Venetorum castrum Kessæ insulæ donaverat Rogerio filio Dominici Mauroceni Comitis Jadræ. Hæc autem insula, quæ postea Pagus dicta est, jam inde antiquitus ad ditionem Ecclesiæ, & civitatis Arbensis pertinebat. Cresimirus IV. rex Crobatiæ eam bipartito diviserat; & partem superiorem septemtrioni obversam, in qua castrum Kessæ, Arbensibus reliquerat, inferiorem vero ad meridiem Nonensi Ecclesiæ & civitati attribuerat. Hanc Jadrenses, vel derelictam a Nonensibus, vel a Venetis sibi concessam, ut Joannes Lucius existimat, his temporibus possidebant. Arbensibus nescio quid litigii fuit cum Rogerio Dynasta, & Domino castri Kessensis. Quidquid erat controversiæ diremit Lampridius Archiepiscopus Jadrensis anno 1177. mense Februario; qui etiam declaravit Arbensibus pariter ac Jadertinis commune jus esse pabulandi in hac insula, agros colendi, fructusque percipiendi, Arbensibus videlicet in ea parte, quæ ad illos pertinebat, Jadertinis vero in altera, quam illi obtinebant. Sententiam Lampridii laudavit, & subscripsit Andreas Episcopus, cum Cosma Archidiacono Arbensi: Maratha vero Archipresb. Arbensis, idemque Scriba Communis Arbensium exemplum sententiæ Lampridianæ litteris mandavit, suoque signo obsignavit. *Anno Domini Jesu Christi* 1177. *men. Febr. Indict. XI. . . . Nos namque Lampridius Jadren. Sedis Archiepiscopus . . . Ego Andreas D. G. Arben. Episcopus m. m. miss. † Cosmas Arben. Archid. m. m. miss. † . . . Et ego Maratha Arben. Archipresb. ac Notarius hoc exemplum exemplavi . . . nec auxi, nec minui, complevi, & .... consueto signavi.* Habes hoc diploma integrum, sed multis lacunis intercisum, in Lampridio Metropolita Jadrensi.

Andreas Ep. Lampridii Archiep. Jadren. qui litem composuit inter Arbenses & Rogerium Dominum Kessæ, laudavit.

Anno eodem 1177. habita est in æde cathedrali S. Mariæ synodus quædam diœcesana, & Andrea Episcopo præsidente, eidem interfuerunt etiam Comes, & Judices civitatis. In hoc conventu Joannes diaconus, qui mortuo parente, matris viduæ, & fratrum ac sororum natu minorum curam susceperat, graviter expostulavit injuriam sibi fieri a Comite civitatis, quod ab se rationem domesticæ administrationis exposceret, quam soli Episcopo, utpote qui jurisdictione laica exemptus esset, reddere debebat. Æquitas expostulationis & cognita & probata fuit. Itaque Synodus frequens in hanc sententiam ivit, ut secundum Joannem decretum fieret in hæc verba.

Synodus Diœcesana.

Anno Domini MCLXXVII. Indict. XI. Tempore itaque Sebastiani Ziani Ducis, ac Andreæ Episcopi & Nicolai Comitis, Stephani ac Michaelis Judicum. Nos quidem Arbensis clerus hanc testamenti cartulam fieri facimus posteris perpetuo habendam. Igitur cum præfatus Episcopus ac Comes & Judices una insimul cum aliis nobilibus hominibus, post altare S. Mariæ causa Consilii congregati essent; tunc quidam diaconus Johannes nomine proclamavit se vim pati a Comite dicens: Ego namque cum sim maior omnium domus meæ, & mater vidua, fratres ac sorores sub me sint, unde ego de eis rationem facere debeo Domino Episcopo meo, Dom. Comes me cogit sibi rationem facere. Tunc vero prænotatus Episcopus & clerus dederunt se in testimonium prædictorum Judicum ac aliorum nobilium de hoc jure Ecclesiæ. Ipsi nempe in Consilio venerunt & convocato Consilio testati sunt ita: quatenus clericus cum sub se matrem viduam habet, & ipse atate omnium fratrum ac sororum major est & una insimul omnia comuniter habent & omnia comuniter inveniunt ac perdunt & hoc probabile esse potuit, cui clericus rationem facere debet ipse & omnis eis domus, & si alias frater aut soror alicujus clerici in matrimonio se vinxerit, & a clerico exierit, & in domu per se moratus fuerit, jam ille non debet alicui rationem facere nisi Comiti; & clericus cum subjectis Episcopo: prædicti Judices testes; Albertus Betraldi testis. Dabrava Teodori testis. Petrus Zuane testis. Petrus Canatalie testis. Diminna Baxilii testis. Micha Silvestri testis, & nonnulli alii. Ego Stephanus Sanctæ Arbensis Ecclesiæ diaconus ac notarius scripsi & roboravi. Ego Gabriel scriptor sacri palatii notarius hoc exemplar exemplavi; & sicut in exemplari continebatur, ita & in isto continetur, nihil addens vel minuens, nisi quas in eo inveni existere litteras, plus minusve; & roboravi signo meo atque §. Ego Michael Federici Dragi sacri palatii notarius hoc exemplavi, nihil addens vel minuens in eo, quod summam mutet, vel tenorem; & signum meum imposui consuctum.

Sententia Concilii secundum Joannem Diaconum.

In eamdem fere sententiam anno 1185. conditum fuit decretum, in quo quædam sunt intellectu difficilia.

Anno D. N. J. C. M. C. octuogesimo V. Indictione octava. Tempore quidem Sebastiani Ziani Ducis Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ. Andreas Arben. Episcopus quæsivit, & interrogavit duodecim homines, qui ad Ecclesiam Sancti Leonardi juraverunt indicare judicio & ostendere, quomodo navigare debeant suum Comitem, ut ipsi dicerent sub illo idem sacramento, quæ esset consuetudo viduarum; & ipsi videlicet Diminna Baxilii, Andreas Ergani, Lorentius Scorobagati, Marcius de manica boni, Zuanellus Sgie, Stephanus Matine, & cæteri alii dixerunt, Consuetudo viduarum hæc est. Si vidua sub se filium habet clericum qui major aliis filiis est, mater & omnes qui sub se sunt, Episcopo subjacent de omnibus rationibus quas Comiti facere debuerunt; similiter dicimus quod Episcopus debet excusare tres homines quoscumque voluerit, hoc scimus & per verum dicimus testimoniis. Ego Stephanus Arbensis Ecclesiæ diaconus & notarius interfui, scripsi & roboravi. Ego Michael Federici Dragi sacri palatii notarius hoc exemplavi, nihil addens vel minuens in eo, quod summam mutet, vel valorem; & consuetum meum signum imposui.

Confirmatio ejusdem sententiæ.

> *Ego Joannes Petrus de Gauzigna Comunitatis Arbensis Cancellarius a mihi fida manu ex authentico transcribere feci, & in fidem me subscripsi, & sigillavi.*

Anno 1179. Andreas Episcopus Arbensis cum Lanfredio Absorensi, & Dabrone Veglensi Episcopis Romam se contulit, & Concilio III. generali Lateranensi interfuit, quod Alexander III. indixerat. Ab Actis ejusdem Concilii abest nomen Thebaldi Metropolitæ Jadertini; quippe qui Sedis Apostolicæ gratia exciderat, propterea quod Alexandro imperanti, ut Patriarcham Gradensem tamquam Primatem agnosceret, eique

Andreas interfuit Concil. III. Lateranensi.

Digitized by Google

que subjectum se, atque obsequentem præberet, parere noluisset.

Controversiam inter Arbenses, & quosdam Dynastas Chrobatiæ composuit.

Cum inter Arbenses & quosdam Dynastas Chrobatiæ graves essent & perniciosæ inimicitiæ, jamque ad pugnam & cædem spectarent, Andréas Episcopus concordiæ & compositionis auctor fuit. Itaque in Ablanam convenerunt, qui locus erat in ora maritima e regione insulæ Arbensis, de cujus possessione inter se contendebant, & interventu Episcopi pax inter utrosque conciliata est, tutum ab omni injuria vel periculo commercium restitutum, jus promiscuum pabulandi, ligna cædendi, venandi utrisque datum in loco illo maritimo, de quo erat controversia; & cum ibidem Dynastæ illi Templum S. Nicolai ædificassent, hoc tum sibi, tum Arbensibus commune esse voluerunt. Hæc sunt tabulæ compositionis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1179. Indict. XII. Nos quidem Malichnicus filius Borisclavi Jupani, una cum fratre meo Strojano Jupano, & Torugano, ac Mirco filio Bogdani Jupani, & aliis nostris parentibus; cum in Ablana fuimus insimul cum Andrea Arbensi Episcopo, Stephano, & Micha Judicibus, Drabana Theodori, & aliis nobilibus, missi causa pacificandi controversiam, quæ inter nos, & Arbenses erat; pacificata controversia, placuit nobis renovare pacem & amicitiam cum Arbensibus, itaut ipsi securi, & omnia eorum secura, tuta in partibus nostræ dominationis sint, ac pro posse nostro . . . possessio nostra quæ a parte maris est, sit communis tam vobis, quam nobis, pascendi, laborandi, venandi, & quidquid placuit, faciendi; & e contra nos, & nostra omnia sint secura in dominatione vestra. Insuper Ecclesia S. Nicolai, quam ædificavimus, volumus quod Arbenses sint hæreditarii ex ea, sicut & nos; omnia, quæ ad eam pertinent, communia sint tam Arbensium, quam nostrorum. Unde nos jubemus hanc cartulam fieri perpetuæ memoriæ commendandam; ut a modo in antea, & in perpetuum hoc firmum, & stabile permaneat. Ego Stephanus Arbensis, & Ecclesiæ Diaconus ac notarius jussu eorum scripsi, & roboravi VI. Kalend. Novembris. Ego Miratha Arben. Archidiaconus presbyter, & notarius hoc exemplum exemplavi, sicut in ejus matre reperi, nec auxi, nec minui, complevi, & roboravi, & signo consueto signavi. Ego Stephanus Georgii de Simone Examinator manum misi. Ego Antonius de Padua Imperiali auctor. Notarius Arbensis de mandato Curiæ Arbensis hoc exemplum exemplavi &c.

Petrus Fuscarenus Arbensium consuetudines & privilegia servatum iri promisit.

Anno 1188. Jadrenses ne cogerentur a Venetis Metropolim & Ecclesiam suam Patriarchæ Gradensi subjicere, in ditionem ac clientelam Belæ III. regis Hungariæ se contulerunt. Verum Arbenses in potestate fideque Venetorum constantissime perstantes, dignos se præbuerunt, quibus Petrus Fuscarenus jussu missuque Henrici Danduli Ducis Venetiarum, Arbam profectus, in palatio episcopali coram Andrea Episcopo collaudata illorum fide, de statu, & privilegiis, & consuetudinibus Arbensium nihil immutatum iri juratus confirmavit.

In Christi nomine amen. Anno ab Incarnatione Domini 1193. Indict. septima, mensis Septembris exeunte die septima. Tempore Dom. Henrici Danduli Ducis inclyti, atque Andreæ Arben Episcopi, & Petri Ziani Comitis. Ego quidem Petrus Fuscarenus, veniens Arben. civit. ex jussu dicti D. Ducis ad acquirendam fidelitatem a populo ejus civitatis, testificor in Deo coram vobis omnibus in hoc episcopali palatio, & in ea veritate, qua Christus est, & in ipsa fide, qua Christianus vocor, verum testimonium dico, quod Dom. Henricus Dux Venet. juravit super sacra Dei Evangelia statum & consuetudinem omnibus, & civitatibus, quæ sub districtu sui Ducatus videntur esse, eas in rectitudine & justitia tenere. Unde ego dictus Petrus præcipio M. Arben. notario hoc scriptum scribere, & firmare sub testimonio horum testium.

Ego Petrus Fuscarenus scripsi.
Ego M. filius Comitis B. de Veglia testis.
Ego Ve. & An. Balbi tt.
Ego Miuta Arben. Presbyter ac Notarius jussu dicti Petri nobilis viri, & testis complevi & roboravi.

Innocentius III. bona cœnobii Arbensis S. Petri apostolica auctoritate communivit.

In aliis deinde monumentis nomen Andreæ Episcopi nusquam apparet; ejus tamen vita & pontificatus prorogari potest usque ad initium sæculi sequentis. Extremo hujus sæculi anno Innocentius III. Abbati & cœnobio S. Petri Arbensis omnia, quibus gaudebant, privilegia confirmavit; eorumque possessiones nominatim expressas auctoritate apostolica communivit.

Innocentius &c. Ugoni Abbati monasterii S. Petri de insula Arbensi, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis &c. Ordo monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti regulam &c. Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis, & appendicibus suis, & terminis, qui sic distinguuntur. Primitus a capite maceriæ a monte usque ad rivum descendendo per rivum usque ad mare, & per mare ad molendina, & ascendendo per montis verticem, & eundo per illum usque in priora consinia. Ecclesiam S. Cypriani cum pertinentiis & appendiciis suis, & terminis, qui sic distinguuntur. A valle obscura usque in vallem de Frasinu; aliæ tres partes mare circumdant, una cum manumena, omnibusque scopulis: ad istum promontorium subjacentia, & valles, quæ sunt apud S. Cyprianum, & aliæ quæ sunt apud S. Petrum: inter quas salinæ vestræ, & piscariæ consistunt. Sane novalium &c. liceat quoque &c. Prohibemus insuper &c. Cum autem generale &c. Sepulturam quoque &c. Salva tamen &c. Obeunte vero &c. Libertates &c. Decernimus &c. salva Apostolicæ Sedis auctoritate, & diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c.

Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ notarii, Cancellarii vicem agentis VIII. Cal. Junii indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno MCXCIX. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ tertii Anno secundo.

Virgines Benedictinæ Arbenses, Virgines Jadertinas ejusdem ordinis profugas recipiunt.

Arbæ collegium erat Virginum Ordinis Benedictini sub titulo, & patrocinio S. Andreæ Apostoli. Cum Veneti anno 1201. Jaderam, quæ abhinc multis annis ab imperio defecerat, vehementer oppugnatam captamque evertissent; Viola Antistita Virginum Jadrensium S. Demetrii, cum aliquibus sororibus, Arbam ad Virgines sui ordinis confugit. Religiosæ hospites ea, qua decebat, charitate & benevolentia exceptæ sunt, admissæque ad communem convictum. Sex fere annos ibidem diversatæ sunt, & victu, ceterisque rebus quam liberalissime commodissimeque habitæ fuerunt. Postquam Jadertinis venia donatis, & in gratiam receptis, redire ad patriam licuit; Viola cum sociis Ja-

deram

Digitized by Google

deram reversa est; & cum cœnobium Demetrianum monachis Benedictinis insulæ Pasmaniæ traditum esse reperisset, ad Virgines Benedictinas S. Mariæ se contulit, quibuscum reliquam vitam tranquille pieque transegit.

PRODANUS EP. ARBENSIS XII.

Prodanus Ep. interfuit conditionibus pacis inter Arbenses & Senienses.

Cui cognomen *de Lauro* fuisse docent tabulæ Capituli Arbensis infra describendæ sub Jordano Episcopo. Prodani initia episcopalia Valerius a Ponte, & alii catalogi episcopales referunt ad annum 1208. sed retrahenda esse ad annum 1205. declarant leges & conditiones, in quas eodem anno pax inter Arbenses & Senienses convenit; quibus sanciendis Prodanus Episcopus interfuisse legitur: *Anno Domini ab Incarnatione ejus 1205. mense Madii Indictione VIII. Arbi. Nos namque Prodanus Arbensis Episcopus, Joannes Sisinulus ejusdem loci Rector una cum nostris Judicibus Duimo & Thilippo, & aliis nostræ civitatis nobilibus, Madio Tiane, Sergio Carine, & Marino Dimigne Blasii, ac universa Communitate Arbensi, Terrinus Fr. Templariorum Segniensium Dominator, Crivosia Segnien. Setinicus Laisnic Curiæ, Duornicus Brisania Vertiglavi, Moyses Judex, Sribren Curnaviz, Crasiz filius Rastinne, Radoslaus Presliz . . . & multi alii, qui ad hujus negotii causam tractandum pro Communitate illius loci Arbam venerunt, hanc recordationis, & constitutionis cartam per manus notarii perpetualiter habendam fieri facimus de ordinamento, quod ad invicem componentes pari voluntate ordinavimus. Volumus itaque, ut præsenti scripto stabilimus*, & cetera, quæ ad historiam Ecclesiasticam non pertinent.

Alberti Galzignæ potestatem fecit Ecclesiæ condendæ in honorem S. Stephani.

Idem Prodanus anno 1212. potestatem fecit Alberto Galzignæ sive Gauzignæ civi Arbensi opulento ac pio ædificandi dotandique templi, quod in honorem S. Stephani Protomartyris Deo consecrare cupiebat.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1212. Ind. prima, die tertia Mensis Januarii. Temporibus equidem D. Petri Ziani inclyti Ducis Venetiarum, Dalmatiæ & Croatiæ, & Vener. in Christo Patris & Domini Prodani Episcopi Arben. nec non egregii Marci Maurocено honorabilis Comitis Arben. &c. In episcopali palatio Arbensi, congregato Capitulo per eumdem Dom. Episcopum ad sonum campanæ more solito cum prælatis videlicet Archidiacono, Archipresbytero, Primicerio, & cæteris Canonicis. Ibique vir nobilis D. Albertus q. Matthæi de Gauzigna, tamquam senior stirpis cum omnibus propinquis dictæ domus de Gauzigna sexus masculini civibus Arbensibus se sistitit in episcopali palatio coram Episcopo Prodano, & Capitulo convocato ibidem. Exposuit suam & eorumdem magnam erga B. Stephanum devotionem, & oravit enixe Episcopum & Canonicos, ut concederent facultatem supra Turrim ad eos spectantem, & existentem supra Catribum, ædificandi unam ecclesiam ad honorem prædicti Sancti. Item ut ipse & progenies sexus masculini habeant in eamdem Ecclesiam ædificandam juspatronatum cum libertate eligendi Capellanum ab Episcopo confirmandum. Episcopus cum suis prælatis, & toto suo Capitulo ibidem congregato consensit, ut dicti Gauzigna possent fieri facere ad honorem D. Stephani Ecclesiam, vel capellam cum pactis & conditionibus superius tactis, & inferius contentis; scilicet, quod primo Ecclesia sit congrue dotata, 2. quod Capellanus si non eligatur intra sex menses, electio ad Episcopum intelligatur devoluta.

Quo anno Prodanus Ecclesiæ Arbensis regimen suscepit, Petrus Zianus, antea Comes seu Prætor Arbæ, Venetum principatum obtinuit; & eodem anno 1205. vetera Arbensium privilegia confirmavit, ut constat ex ejus diplomate apud Joannem Lucium lib. IV. cap. VIII. de Regn. Dal. & Croat.

VENANTIUS EP. ARBENSIS XIII.

Abest ab omnibus catalogis episcopalibus; sed pontificatus Arbensis a Venantio suscepti, gestique fidem faciunt tabulæ compositionis & pacis inter Arbenses & Sibenicenses redintegratæ, quæ sunt hujusmodi: *Anno 1216. Indict. 5. die 12. intrante Octobris Sibenici. Temporibus equidem Domini Petri Ziani inclyti Ducis Venet. Dalmatiæ, atque Croatiæ, & Venantii Arben. Episcopi, & Marci Mastropetri egregii Comitis. Ego namque Damaldus Spalaten. ac Sibenicen. Comes, pro me meisque hominibus de Sibenico; & ego Marcus Mastropetro Arben. Comes pro me & Communitate Arbensi universa, hoc instrumentum pacis & concordiæ perpetualiter habendum fieri jubemus, tali videlicet modo, quod quidquid offensionis ex utraque hactenus extitit, ex toto penitus remittatur, præter quod homines de Sibenico vobis Domino Marco Mastropetro, & vestræ Communitati Arbensi hinc ad festum beatorum Apostolorum Petri & Paulli primitus venturum . . . . centum perperos aureos bonos justi ponderis pro damno ab ipsis vobis facto dare teneantur. Quos si in termino præscripto vobis solvere non curaverint &c.*

ANDREAS II. EP. ARBENSIS XIV.

Quem Joannes Lucas Garagninus, qui * nunc hanc Ecclesiam sapientissime gubernat, catalogo Antistitum Arbensium mihi tradito intexuit, ex quodam instrumento sub *Anno MCCXX*. Valerius a Ponte, & alii catalogi, Venantio & Andrea prætermissis *Joannem quemdam electum* Prodano proxime subjiciunt an. 1225. Sed ne annum quidem integrum Joannes *Episcopi electi* nomen gessit. Eodem quippe anno 1225. administrationem hujus Ecclesiæ suscepit

* *nunc Archiepiscopus Spalatensis.*

JORDANUS EP. ARBENSIS XV.

Jordanus e cœnobiarcha S. Chrysogoni Episc. Arben.

Ad hanc Ecclesiam regendam accessit ex monasterio S. Chrysogoni Jadrensis, cujus cœnobiarcha fuerat, ut est in catalogo Abbatum ejusdem monasterii: *Jordanus Episcopus Arbensis, qui post mortem Vincentii Abbatis S. Chrysogoni electus fuit*. Ab anno 1225. usque ad an. 1238. Jordani Episcopi nomen reperitur in tabulis Arbensium. Singulis civitatis ordinibus, ac præsertim nobilitati æque clarus & venerabilis fuit; nam paterna quadam erga omnes charitate, eximiis virtutibus, singulari vitæ innocentia & sanctitate, benevolentiam pariter ac venerationem sibi conciliabat. Bonorum omnium Ecclesiæ, & mensæ episcopalis nomina, positiones, & fines recenseri describique jussit, testibus juratis adhibitis, qui fidem facerent illa omnia esse ac fuisse juris ecclesiastici. Hujus recensionis tabulæ servantur in archivo Capituli Arbensis.

Bona ecclesiastica recensuit, atque in tabulis descripsit.

Anno

Digitized by Google

Anno Dominicæ Incarnationis 1229. *Indict.* 3. *Mensis Februarii die* 5. *exeunte*, *Arbi*. *Temporibus quidem Dom. Jacobi Teupolo inclyti Ducis Venet. Dalmatiæ atque Croatiæ*, *& Jordani Venerab. Arben. Episcopi*, *& Mag. Petri egregii Comitis*. *Quoniam ab humanis mentibus cito delabitur quod in scriptis non fuerit redactum; idcirco Ego Jordanus Arben. Episcopus superius nominatus hoc scriptum recordationis fieri jubeo de terris*, *& vineis*, *& aliis jurisdictionibus mei Episcopatus*, *& meæ Ecclesiæ Arbensis*. *Cum penitus ignorentur jura mei Episcopatus*, *& meæ Ecclesiæ*, *de voluntate suprascripti Dom. Comitis*, *& totius Communitatis Arbensis jurare feci tres clericos*, *atque tres laicos*, *quorum nomina sunt hæc*, *Ursus quondam Abbas S. Petri*, *Designa Archipresbyter*, *Stephanus presbyter*, *Philippus filius quondam Fusci Judex*, *Julianus*, *atque Designa filius quondam Micali*, *ut secundum quod scirent*, *& a suis prædecessoribus audierunt*, *jura mei Episcopatus*, *& Ecclesiæ mihi probarent*, *& demonstrarent*. *In primis Designa Archipresbyter juratus dixit se audiisse a suis prædecessoribus*, *quod locus ille*, *qui dicitur Salbinus positus juxta montem S. Damiani cum tota* . . . *locello qui dicitur Potueto*, *& Pulveraria tota usque ad Lapirum*, *& vinea cum terra*, *quam tenet Andreas Potestas prope fontem Bonifacii*, *& totus mons de Sciro*, *& locellus qui dicitur Catilla*, *totus positus prope ad Schirum*, *& totum Pluginum usque ad Drinduli*, *& locus*, *qui dicitur Campus de Pino*, *& terra de Vallicella*, *& terræ tota de Portamo*, *& terra de Sassi erant*, *& extiterunt*, *Ecclesiæ S. Mariæ*, *& vinea*, *quam tenet Ugolus frater quondam PRODANI Episcopi de LAURO*, *ac quondam Episcopus Andreas eam tenebat*, *& idem Archipresbyter in ea laboraverat*, *& vallis plana*, *& vinea uxoris quondam Lampridii de Bagnolo*, *& Gurgum quondam Catalella de Marano*, *& monticellus de Cupellago*, *quem tenet Madius Ginani*, *erant suprascriptæ Ecclesiæ secundum quod audierat*.

Stephanus Sacerdos juratus dixit eo modo, *sicut suprascriptus Designa dixit; addens præterea*, *quod cum esset quartarius prædicti Prodani Episcopi vendidit terram*, *in qua presbyter Drasimerus habet vineam in Sabuno; vinea Marinæ Gerdussæ*, *& vinea quondam Fansognæ*, *& vinea Bivaldi*, *& vinea Petri Buzolæ*, *& vinea Cypriani Veglensis*, *& vinea Joannis Fligulini*, *& vinea Locave*, *& vinea filiorum Maltranæ*, *& vinea Nicole Magnorelii*, *& vinea Joannis presbyteri de Bencina; audierat quod cum vinea Drasigne Stanne*, *& vinea* . . . *fuerunt terræ Ecclesiæ S. Mariæ*, *dicens se vendidisse locum*, *quem tenet Ragaza cum Episcopo Andrea*, *& cum Brugnolo quondam quartario; & vinea Madii Bertaldi*, *& vinea Calende*, *& pastinum Orient. & vinea Designæ Vilzi*, *& vinea filiorum Lampridii Costizzæ*, *audiverat*, *quod essent in terris suprascriptæ Ecclesiæ*, *quæ omnes sunt in Galbano*.

Philippus Judex juratus dixit se audivisse a suo patre, *& a suis prædecessoribus*, *quod a via*, *qua venitur a monte S. Damiani*, *usque ad viam publicam*, *& inde eundo versus austrum usque ad vineam S. Petri*, *& vineam Cotopagne*, *totum fuit de quarto; & audiverat quod vinea Vezoli suprascripta fuerat propria Ecclesiæ S. Mariæ*, *& vinea uxoris Lampridii suprascripta simili modo*, *& Gurgium Vazatrichi*, *quod tenet Vitus Zadolini*.

Designa juratus dixit se audivisse ita verum esse, *sicut suprascripti Designa & Stephanus dixerunt*.

Julianus juratus dixit eodem modo, *quod alii supradicti dixerunt; excepto de vinea & terra suprascripti Andreæ*, *de qua nihil dixit*.

Ursus juratus dixit sicut alii suprascripti dixerunt. *De salinis positis in capite Comorcarii*, *suprascripti Ursus*, *Designa*, *Stephanus*, *atque Julianus dixerunt*, *quod erant Ecclesiæ S. Mariæ*, *quia Episcopus Andreas eas fecit*, *& Ecclesiæ dimisit; & dixerunt molendinum positum prope monasterium S. Petri*, *cum tribus terris ibidem positis cum terra una posita in Marano prope terras Duimi Brane*, *esse suprascripti Episcopatus; dicentes præterea prænominati Ursus*, *Designa*, *& Stephanus*, *quod torcular positum prope domum Perdæ Cotroni erat Ecclesiæ suprascriptæ*, *addens idem Archipresbyter se vidisse unum & alium Episcopum de eo reditus habuisse*. *Item suprascriptus Stephanus dixit*, *quod omnes vineæ de quarto a* 20. *modiis superius debeant dare unum modium Episcopo*. *Item Designa Archipresbyter dixit se vidisse habentes vineas de quarto dare unum utrem vini Episcopo Andreæ*. *Acta sunt hæc coram hic appositis testibus Stephano Archidiacono &c.*

Cum nova dissidia diremissent amicitiam & commercium ante aliquot annos constitutum inter Arbenses, & Senienses, Jordanus utrumque redintegravit anno 1234. & in easdem leges pacem composuit, & mercandi societatem stabilivit, quas anno 1222. Prodanus Episcopus præscripserat. Confectum est redintegratæ pacis & societatis diploma, cujus initium est hujusmodi: *In nomine Domini*. *Anno ejusdem Incarn. millesimo CC. tricesimo quarto*, *Indictione VIII. mense Octobris*. *Arb. Temporibus equidem Domini nostri Jacobi Teupoli incliti Ducis Venet. Dalmat. atque Croat. & Jordan. ven. Arben. Episcopi*. *Ne processu temporis ducatur in dubium*, *& a memoria recedat*, *quod subtili statuitur ordinatione; idcirco Dom. Jordanus Arben. Episcopus*, *Christoforus Mald. Nicholaus de rusaldo*, *& Ciprianus de* . . . *pro tota Communitate Arben. fuerunt electi ad resecandam omnem controversiam*, *quæ inter civitatem Arben.*, *& civitatem Segnien. suborta esse videbatur; & Fr. Radoslaus domus Templi de Segna &c. simili modo pro sua Communitate fuerunt electi ad eamdem controversiam resecandam*, *hanc recordationis cartam per manus Not. perpetualiter*, *firmiter habendam & tenendam fieri jusserunt*. *In primis itaque pari & concordi voluntate affirmantes perpetuo illud instrumentum confectum*, *& corroboratum per manus quondam Pot. Diac. Arben. notar. tenor cujus talis est*. *In nomine Domini; ann. ab Incarnat. ejus M. CC. quinto*, *mense Madii Indictione VIII. Arb. Nos Prodanus Arben. Episc. &c.* Hic insertum est diploma illud, cujus initium supra descriptum fuit in actis Prodani. Extremis sui Pontificatus annis apud plerosque optimatum, & civium suboffendit. Ecclesia S. Martini, rectore ante biennium vita functo, vacabat. Ex utroque ordine optimatum & civium sane multi erant hujus Ecclesiæ Patroni, qui ad eam ædificandam, atque idoneis proventibus dotandam, pro sua quisque parte, vel pecuniam, vel fundos contulerant. Ad hos igitur jus nominandi rectoris pertinebat, potestas approbandi penes Episcopum erat. Post mortem presbyteri eidem Ecclesiæ præpositi

Senienses Arbensibus reconciliavit.

Ecclesiam S. Martini jamdudum vacantem

fiti neminem nominarunt; sed satius esse duxerunt annuos ejusdem reditus oppignerari, seu convertere ad æs commune alienum, quo civitas prægravata erat, dissolvendum: id quod sane non licebat; nam quæ semel Deo, vel Ecclesiæ addicta sunt, nec alienari, nec oppignerari possunt, præsertim ad usus profanos. Duo jam anni effluxerant, cum Ecclesia S. Martini & sacerdote & sacrificiis carebat; ne diutius careret, curare ac providere suas partes esse duxit Metropolita Jadrensis; & sacerdotium S. Martini contulit Jordano Episcopo; cum ceteroquin post diuturnam illam vacationem potestas illius Ecclesiæ conferendæ, nominandique Rectoris, jampridem devoluta fuisset ad Sedem Apostolicam. At patroni ejusdem Ecclesiæ reclamarunt; nec vero diffitebantur sibi tunc quidem jus nullum esse eligendi præsidem Ecclesiæ S. Martini, quod propter nimiam dilationem interpositam amiserunt; verum nec Archiepiscopo esse, cum e præscripto Canonum pertineret ad Pontificem Romanum. Ut vero quidquid peccassent res ecclesiasticas pignerando, convertendoque ad inopiam civitatis sublevandam, corrigerent & expiarent; de communi sententia, juspatronatum ultro dimiserunt, & Ecclesiam S. Martini cum omnibus fundis, & vectigalibus eidem annexis, donarunt ædi cathedrali S. Mariæ, quæ reparatione indigebat; ejusque facultates tenuiores erant, quam ut sartis tectis restaurandis sufficerent. Hanc donationem ut confirmaret, Episcopum iterum ac sæpius rogarunt; ille constantissime abnuit, ne scilicet collato sibi sacerdotio privaretur; negabat siquidem integrum illis esse Ecclesiam S. Martini cuicumque alteri vel tradere, vel donare, postquam ejus obtinendæ jus per collationem archiepiscopalem ipse obtinuisset. Cum obstarent, ne possessionem adiret; & post trinam admonitionem ei repugnare non desisterent; omnia, quæ possidebant, loca interdicto supposuit. Illi Romanum Pontificem appellarunt, atque ut donationem ab se factam auctoritate apostolica confirmaret, supplicibus litteris omnium nomine subsignatis petierunt. Hæc in tabulas relata sunt, atque ad hunc modum exposita.

Metropolita Jadrensis contulit Jordano Episcopo

ejusdem patronis reclamantibus.

Anno Domini 1237. Indictione X. mense Maji, XI. die exeunte. Arbæ. Tempore quidem Domini nostri Jacobi Teupoli Dei gratia inclyti Ducis Venet. Dalmatiæ atque Croatiæ, & D. Jordani Ven. Episcopi Arbensis, & Rogerii Mauroceni egregii Comitis. Cum sit consuetudinis civitatis Arbensis, ut defuncto capellano cujuscumque Ecclesiæ, fundatores ipsius Ecclesiæ capellanum eligere debeant, & ipsius electionis confirmatio ad ipsorum Episcopum spectet; idcirco nos omnes, quorum nomina inferius continentur, fundatores Ecclesiæ S. Martini de Barbato, Arbensis diœcesis, videntes civitatem nostram . . . & ingruente nimia necessitate de ipso debito nostro Communi solvendo; de pari & concordi voluntate prælator. & totius Arbensis Capituli, nec non de beneplacito Dom. Comitis, consiliariorum, & universæ Communitatis, pignori locare disposuimus reditus Ecclesiæ nominatæ, secundum quod in publico instrumento evidenter apparet, quos Arbensis Communitas termino, quo iidem reditus tenebantur esse pignori obligati, vix medietatem redimere curarunt. Igitur cum cathedralis Ecclesia S. Mariæ nostræ civitatis plurimum indigeat reparatione, nec in ipsius ædificio propriæ sufficiant facultates; Nos de consensu, & concordi voluntate Dom. Comitis, & totius Communitatis, & majoris partis prælatorum, & totius Capituli, unanimiter possessiones suprascriptæ Ecclesiæ in usum & utilitatem S. Mariæ cathedralis Ecclesiæ nostræ condonavimus. Verum quia elapsis duobus annis, ex quo Ecclesia supradicta capellano vacabat, Dom. Jadrensis Archiepiscopus Dom. Jordanum Episcopum nostrum instituerat capellanum, quod facere minime debuerat, quia sicut diximus, duobus annis jam elapsis institutio capellani non ad ipsum, sed ad Dominum Apostolicum de jure spectabat. Qua de re idem Episcopus noster duos Canonicos D. & M. maliciose sociavit, in quos a quibusdam paucis fundatoribus electio dicitur facta fuisse, volens cum ipsis in tres partes dividere prædictas possessiones, majori Ecclesia defraudata. Nos igitur statum & honorem Cathedralis Ecclesiæ sublimare volentes, pro restauratione & commodo sæpe dictæ Ecclesiæ, jam dictam Ecclesiam S. Martini cum suis reditibus refutavimus, & condonavimus nominatæ S. Mariæ, nostrum Episcopum postulantes, ut super hoc canonico jure confirmationis munus præberet, quod idem facere renuit; sed quod deterius est, totam terram nostram supposuit interdicto in nostrum præjudicium, & non modicum gravamen, a quo nos Sedem Apostolicam appellavimus. Hæc sunt igitur nomina fundatorum, Christophorus Maldius noster, Christophorus Judex, Albertus, Duimus &c. Omnes quidem suprascripti fundatores, sicut jam sæpius prætaxatum est, de propria, & pari, & concordi voluntate Dom. Comitis, & majoris partis Capituli, ac totius Communitatis Arbensis Ecclesiam suprascriptam B. Martini de Barbato cum omnibus reditibus suis refutamus, condonamus in usum & utilitatem, ac restaurationem cathedrali Ecclesiæ S. Mariæ, quiete ac perpetuo possidendam; quam refutationem, & condonationem, quia Dom. Jordanus Episcopus noluit confirmare, apostolico petimus munimine roborari.

Ego Christophorus Cotopagne Examinator & Judex manu mea scripsi.

Et ego Sergius Arbensis notarius de precepto supradicti Dom. Comitis, & ipsius curiæ, hanc postulationem, & appellationem scripsi, complevi, & roboravi.

Anno 1236. Rogerius filius Petri, nepos Rogerii Mauroceni ejus, cui Sebastianus Zianus Dux Venetorum castrum Kessæ in insula Pago fiduciarium dederat, una cum fratre suo Leonardo, tum hoc castellum, tum etiam Novaliam Comiti, & Communi Arbensium restituit, ut est in tabulis Arbensibus: *1236. tertia Julii Rogerius & Leonardus filii quondam Petri Comitis Absarensis renunciant Comiti Arbi castrum Kessæ & Novaliam.* Igitur Arbenses grati animi caussa eumdem Rogerium sibi in Comitem seu Rectorem elegerunt, qui hanc præturam adhuc retinebat anno 1243. Sed castri Kessensis sub initium hujus sæculi ab Jadertinis eversi nihil fere, præter rudera ædificiorum, supererat. Exinde Arbenses Rectorem ad insulam Pagum mittere solent, qui Novaliæ sedem habet. Pagus itaque, antea Kessa, insula, cum ante regnum Cresimiri tota atque integra pertineret ad civitatem & Ecclesiam Arbensem, nunc bifariam divisa est; superior ad septemtrionem particula Rectori & Episcopo Arbensi subest, pars vero major ad meridiem, tum Arbensium, tum Jadrensium jurisdictioni exempta, proprium qui-

Castrum Kessæ & Novaliæ in Pago insula Arbensibus reddita.

quidem in urbe Pago Comitem sive Prætorem Venetum habet, sed diœcesis Jadertinæ finibus continetur. Jordanus anno 1239. e vita decedens, sedem vacuam successori reliquit.

PAULLUS EP. ARBENSIS XVI.

Paullus Ep. Arbensis duos habuit competitores G. & M. Petulum.

De quo nihil, præter nomen ad annos 1239. & 1243. in catalogis episcopalibus scriptum. Duos competitores, sive æmulos habuit, qui *Electi* nomen inane gesserunt; at illis defuit tum consecratio, tum potestas episcopalis. Nomen alterius ab littera G. initium ducebat, eique titulus Magistri præpositus erat. Cum Thomas Archidiaconus Spalatensis lites illas composuit, quæ Episcopo & Capitulo Traguriensi erant cum clero Sibenicensi, huic compositioni ac sententiæ testis approbatorque interfuit Magister G. Arbensis electus: *Actum est in curia archiepiscopali, præsentibus videlicet jam dicto Episcopo* (idest Traguriensi) *Magistro G. Arbensi electo &c. Datum Spalati anno Domini 1240. mens. Februario die tertia intrante*. Alter fuit *Marcus Petulus Canonicus S. Marci, & Cancellarius Domini Ducis, electus a Dominico Archiepiscopo Jadrensi*, ut est in catalogo Antistitum Arbensium, quem Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus ex antiquis monumentis collegit. Metropolim Jadrensem tum regebat Dominicus Francus ortu Venetus, qui sive ut patriæ, sive ut Venetorum Duci gratificaretur, huic civi suo Ecclesiam Arbensem sibi subjectam conferre voluit. Sed cum Episcopi Arbensis eligendi jus nullum esset Metropolitæ Jadrensi, quem ipse elegerat, merito rejectus est. Alterius vero rejiciendi quæ caussa fuerit, mihi non liquet. Certe Paullus duobus illis electis Episcopis prælatus, sedem Arbensem obtinuit, quem adhuc retinebat anno 1243. Neque ante annum 1249. alium diversi nominis Episcopum illi subrogatum invenio.

Arbensium erga Venetos fides & constantia.

Anno 1243. cum Veneti Jaderam, quæ ad Hungaros defecerat, recepissent, & coloniam Venetorum, incolis in fugam consternatis, illuc deduxissent; Arbenses sua erga Venetos fide novo sacramento confirmata, cum Veglensibus, & recentibus Jaderæ colonis societatem coiverunt persequendi terra marique tum Jadertinos profugos & rebelles, tum Cucitas maritimos prædones. Tabulæ socialis fœderis Arbæ confectæ sunt, in quibus nominatur Paullus Episcopus: *Anno Dominicæ Incarnationis 1243. Indict. I. mens. Novembr. die 3. exeunte. Arbi. Temporibus equidem Domini Nostri Jacobi Teupoli inclyti Ducis Venet. Dalm. atque Croat. & Pauli Arbensis Episcopi, & Rugerii Mauroceni egregii Comitis. Cum denuo &c.*

Bela rex Hungariæ Jadera potitus Franquerium Ep. Arbensem nominavit.

Bela IV. rex Hungariæ Jadera, per Jadrensium a Veneto imperio defectionem, potitus ad breve tempus, dum adhuc fortassis inter eos, quos dixi competitores de Arbensi Episcopatu contentio erat, quamvis Arba in potestate fideque Venetorum maneret, illius Episcopi nominandi potestatem nescio quo jure fretus usurpavit. Nominavit autem quemdam Franquerium, cui etiam Scribæ regii munus vicarium contulit. Hic autem anno 1255. adhuc nomen inane *Electi* Arbensis gerebat; sed illa episcopali sede perpetuo caruit. Id intelligi potest ex diplomate ejusdem regis, qui Comitatum seu principatum urbis Seniæ Friderico & Bartholomæo de Frangipanibus egregie de se meritis donavit: *Datum per manus discreti viri Franquerii electi Arbensis, aulæ nostræ V. Cancellarii, dilecti & fidelis nostri. Anno Domini MCCLX.* (1255. ex correctione Joannis Lucii) *Regni autem nostri XX.* Sed ut ingenue fatear quod sentio, vereor ne vocabulum *Arbensis* unius litteræ mutatione depravatum sit, & *Albensis* legi oporteat; prælertim cum sæpe in privilegiis regum Hungariæ titulum *Vice-Cancellarii* aulæ regiæ *Præpositis Albensibus* attributum inveniam. Paullus vitam & pontificatum perduxit usque ad annum undequinquagesimum hujus sæculi decimi quarti.

STEPHANUS EP. ARBENSIS XVII.

De Domine, seu *de Dominis* cognominatus, ex perantiqua & perillustri inter Arbenses familia; cujus episcopale initium anno 1249. e sede ac vita decessum anno 1258. affixit catalogus Antistitum Arbensium, qui asservatur in tabulario capitulari: *Stephanus de Domine ingressus est 1249. obiit 1258.* Nominatur in tabulis pacis & concordiæ, quam Saracinus Episcopus Corbaviensis anno 1251. conciliavit inter Arbenses & Zupanum Nemagnam Chrobatiæ Dynastam, qui de rebus ac bonis, quæ Arbenses in Ablana, ejusque agro possidebant, multa per vim aut fraudem abstulerat: *Anno Domini 1251. Indict. 9. exeunte Julio apud Ecclesiam S. Nicolai de Ablana: Temporibus quidem Domini nostri Marini Mauroceni inclyti Ducis Venetiarum, & Ven. Stephani Episcopi Arbensis &c. Nos quidem Saracinus Corbaviensis Episcopus &c.* Hoc eodem anno Stephanus Banus totius Slavoniæ, cum oppidum & arcem prope oram maritimam, contra insulam Arbensem in edito loco, cui nomen erat *Jablanich*, ædificasset, Arbensibus petentibus habitandam tradidit iis conditionibus, quæ neque Venetis, quorum imperio suberant Arbenses, neque Belæ IV. regi Hungariæ, cujus in ditione locus erat, displicerent. Hæ conditiones descriptæ sunt in tabulis anno 1251. confectis, quas Joannes Lucius lib. IV. cap. IX. de Reg. Dalm. & Croat. inseruit. Arbensisne, an Seniensis diœcesis finibus nova civitas, & colonia Arbensium contineretur, mihi non est compertum.

Castellum Jablanich in Japydia traditum Arbensibus.

Cœnobiarchæ, & Monachis S. Petri cum Episcopo & Canonicis Arbensibus multæ ac diuturnæ controversiæ fuerunt. His ut finem aliquando afferret Stephanus Episcopus, Comitem Arbæ & Abbatem S. Stephani de Barbuto arbitros elegit, qui ex æquo & bono lites omnes diremerunt, quibusdam utrique parti oneribus & conditionibus impositis, quibus eximere se neutris liceret. Idem vero Stephanus, ut monachorum benevolentiam magis magisque sibi conciliaret; diploma Dragi Arbensis Episcopi, & privilegia cœnobio S. Petri collata suis ipse litteris publici tabellionis manu descriptis confirmavit.

Lites inter Episcopos & Monachos S. Petri compositæ.

Nos Stephanus miseratione divina Arbensis Episcopus prædictam donationem, seu concessionem manifeste cognoscens, fuisse sanctam, ac etiam in utilitatem, & profectum tam Ecclesiæ nostræ, quam monasterii, rectam & firmam habentes, eamdem, ut majus robur contineat firmitatis, sicut in originali sigillum prædicti Episcopi Draghi prædecessoris nostri conspeximus dependere, sigillo nostro pendenti jussimus communire: præcipientes etiam ad majorem cautelam, & per-

Digitized by Google

& perpetuam firmitatem, eamdem donationem redigi in publicum instrumentum. Excommunicamus omnes, qui contra prædictam donationem venire præsumpserint, jura & libertatem ipsius monasterii violando. Actum in Arbensi Episcopatu.

Ego Michael Friderici Imperatoris sacri palatii notarius exemplavi, nil addens vel minuens, quod sententiam mutet, vel tenorem. Et de licentia & mandato Domini Episcopi scripsi, complevi, roboravi.

Marcus Zianus prætor jura civitatis, & Ecclesiæ Arbensium servaturum se promittit.

Rogerio Mauroceno aut vita functo, aut prætura Arbensi abeunte, Marcus Zianus anno 1253. regimen urbis cum titulo Comitis suscepit. Cum illum magistratum iniret, in leges quasdam juravit, quas ab se in jure dicundo, & re publica administranda servatum iri promisit. Ex his duæ sunt, quæ ad rem ecclesiasticam pertinent. Altera hæc est, *quod Dominus Comes manutenebit cathedralem Ecclesiam & Capitulum Arbense in suo statu, secundum quod Deus & ratio postulat & requirit:* altera vero, *quod D. Comes non debet se intromittere de monasterio Arbensi, nec advocatus ejus esse.*

In tabulis publicis Arbensium anno 1258. confectis inscriptum est nomen *Ven. Stephani Episcopi Arben.* in aliis deinde nullis posteriorum temporum apparet; ex quo conjici potest vel hoc anno, vel huic proximo mortuum esse.

GREGORIUS II. EP. ARBENSIS XVIII.

Cognominatus de Hermolais, cui Costizzæ alterum cognomen fuit. Familia de Hermolais, quæ huic Ecclesiæ plures Episcopos dedit, in primis inter Arbenses tum claritate generis, tum divitiarum copia florebat. In catalogis episcopalibus, & monumentis illorum temporum alias Georgium, alias Gregorium nominatum invenio. Cum magistratus, & Consilium civitatis decimas quasdam Episcopo & Capitulo solvere abnuerent, quas neque debitas, & præter consuetudinem esse affirmabant; in eos Gregorius interdicti sententiam tulit. Illi vero postquam verecunde, & reverenter de injuria sibi facta nequidquam expostulassent, ad Patriarcham Gradensem, Primatem Dalmatiæ appellarunt.

Arbenses interdicto suppositi Patriarcham Gradensem appellant.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecima, die nono exeunte Augusti, Arbi. Temporibus equidem Domini nostri Laurentii Teupolo, inclyti Ducis Venet. &c. Venerab. Gregorii de Costizza Arben. Episcopi, & Marci Badoarii egregii Comitis, præsentibus Georgio quondam Simonis, & Joanne Nicole. Cum vos Pater Venerab. Gregorius Dei gratia Episcopus supra dictus tam per vos, quam vestri Capituli universitatem decimas non consuetas territoriarum Communis Arbensis requisieritis dudum, tandemque Rectores civitatis, & ejusdem Consilium sub interdicto ponentes, hoc est privantes audientia celebrationis divinæ; unde nos Cresle de . . . . ac judices, Hermolaus Matthæi, Martinusius de Sloviga, & Stephanus de . . . seu Arbense Consilium, & Communitas universa sentientes nos exinde indebite aggravatos; tamen veluti devoti filii sanctæ Matris Ecclesiæ, qui Patris indebite indignantis . . . sustinent, ob divinam reverentiam patienter sustinuimus, pro firmo credentes, quod nostra mansuetudine filiali, in dicta petitione, & gravaminibus . . . satis indebite contra nos factis desistere deberetis; cum satis congruis & honestis defensionibus usi fuerimus in hac parte, dicentes: eligantur presbyteri, & fideles viri tam clerici, quam laici omni fide dignissimi, qui hanc quæstionem debito fine definiant; & ut circumstantium finitimorum Dalmatinorum tam Communitatum, quam nobilium aliorum super hoc determinatio requiratur. Unde cum nostras defensiones supradictas, & alias plures satis idoneas admittere non curavistis in hac parte pro satisfacto; nihilominus . . . nosque ob hoc tamquam innoxii incommode aggravati, ab omni gravamine per vos facto & faciendo, a vobis . . . suspecto judice remoti, audientiam Venerab. Patris Gradensis Patriarchæ, Dalmatiaque Primatis . . . in scriptis petimus. Ego Martinusius de Sloviga judex ac examinator manu mea. Ego Marinus . . . Arben. notarius, scripsi, complevi, & roboravi, & consueto signo signavi.

Erat tunc Patriarcha Gradensis Angelus Maltraversus, idemque Primas Dalmatiæ; sed quam tulerit sententiam, utris caussam adjudicaverit, litteris proditum non invenio. In civitate Arbensi collegium erat virginum ordinis Benedictini, sub titulo ac tutela S. Joannis Evangelistæ. Cum ad miram paucitatem essent redactæ, ob eamque caussam a monachali disciplina degenerare cœpissent; eas Gregorius Episcopus ad alterum ejusdem ordinis monasterium transtulit, & cum Virginibus itidem Benedictinis S. Andreæ conjunxit. Templum vero & cœnobium S. Joannis Baptistæ Patribus Franciscanis tradidit, quod nunc possident Patres ex eadem S. Francisci familia, quos Conventuales vocant.

Domicilium & templum S. Joannis Evangelistæ traditum Patribus Franciscanis.

In Christi nomine Amen. Anno Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo septimo, Indictione quintadecima, die quinta exeunte mense Maji. Cum nos Gregorius Dei gratia Episcopus Arbensis . . . .

Diploma Gregorii Episcopi.

Monasterium sic vacans de jure conferimus, donamus, & concedimus, cum toto ambitu suo, Fratri Jacobo de Padua, guardiano Fratrum minorum de Arbo, jure omnium Fratrum minorum provinciæ Sclavoniæ, & pro eisdem Fratribus, ipsum guardianum, ac ipsos Fratres minores in veram, pacificam, corporalem, ac perpetuam possessionem ponentes, pannum altaris Ecclesiæ S. Joannis, & annulum nostrum in manibus ipsius dantes coram nobili, & egregio viro D. Marco Michaeli Comite ejusdem civitatis, & Dom. Domnino Guidone vice Comite, & Dom. Matthæo judice, & Clemente de Ginano, & Jacobo Notario, & multis aliis viris ejusdem civitatis. In cujus rei testimonium, & perpetuam firmitatem, præsentes litteras fecimus nostri sigilli pendentis munimine roborari.

Anno 1280. Jaderæ, cum aliis duobus Episcopis, & Laurentio Metropolita interfuit dedicationi Ecclesiæ Petrum Prædicatorum, quam Guido Patriarcha Gradensis, & Primas Dalmatiæ consecravit, ut ex tabulis consecrationis ejusdem apparet. Has habeo tabulas ex dono & museo eruditissimi & clarissimi viri Joannis Brunatii, quas hic ex archivo Fratrum Prædicatorum Jadrensium descriptas, a Fratre Joanne Augustini ejusdem ordinis accepit.

Interfuit Gregorius consecrationi Ecclesiæ Jadrensis PP. Prædicatorum.

Universis præsentes litteras inspecturis Fr. Guido miseratione divina sanctæ sedis Gradensis Ecclesiæ Patriarcha, Dalmatiæque Primas, salutem in Domino sempiternam. Fidelium devotioni præsi-

Digitized by Google

sentium serie innotescat, quod nos auctore Domino, qui omnium extitit principium atque finis, decimo die mensis Januarii instantis, Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum de Jadra, & majori altari ejusdem ad Dei gloriam, & pretiosissimi Marci Apostoli & Evangelistæ, & omnium Sanctorum, consecrationis munus duximus impendendum. Cui consecrationi venerabiles Patres Dominus magister Laurentius Jadrensis Archiepiscopus, Dominus Stephanus Nonensis, & Dominus Martinus Seniensis Episcopi astiterunt. In qua quidem consecratione nostrum quilibet, ad ipsam populo confluenti, ac die quolibet nominati mensis cum devotione eandem Ecclesiam visitanti, nec non omni prima Dominica uniuscujusque mensis usque ad unum annum, ob reverentiam prælibati Beati Marci, indulsit unum annum & XL. dies de peccatis, de quibus essent vere contriti pariterque confessi; & de conscientia & voluntate Vener. Fratris nostri Dom. Gregorii Arbensis Episcopi totidem annuimus indulgere. Datum Jadræ in archiepiscopali palatio decimo die exeunte mensis supradicti Januarii anno Domini MCCLXXX. Indictione VIII.

Ædes cathedralis restaurata. Hortatore Gregorio Episcopo, & rem sedulo curante Marco Michaelio prætore civitatis, ære publico refecta ac restaurata fuit ædes cathedralis S. Mariæ; ut docet inscriptio lateri australi externo ipsius ædis insculpta,

ANIS MILLNIS' CVRETIBVS AQ° DVCENI

HIS Q SEPTENI ADIVCTIS OCTVAGENI

ILLVSTRIS MACI MICHAELIS ,PVIDA CVRA

H' STVDVIT FIE Q GLISCI OIA IVA

GAVDET VRBS ARBI FVLGETE COITE TALI

SEMPER QPPE VERV GLFFICADO DEV.

Annos circiter quadraginta Gregorius hanc Ecclesiam gubernavit. E vivis decessit anno 1390. vel superiore.

MATTHÆUS EP. ARBENSIS XIX.

Ex eadem familia de Hermolais. Ecclesiæ hujus regimen anno circiter 1290. suscepit; & post biennium morte sublatus deposuit; nam anno 1292. in tabulis Arbensibus F. Georgius Episcopus nominatur.

GEORGIUS EP. ARBENSIS XX.

Consanguineus Georgii & Matthæi de Hermolais, hujus quidem frater, illius vero fratris filius, quem ex ordine Benedictino, vel Franciscano assumptum fuisse ad hanc Ecclesiam regendam titulus *Fratris* eidem præpositus declarat. Neque enim tunc in urbe atque insula alii erant cœtus virorum religiosæ vitæ ac disciplinæ jure sociati, nisi Benedictinus, & Franciscanus. Hic anno 1296. ad Concilium generale Gradense, quod Ægidius Patriarcha indixerat, Parochum Ecclesiæ S. Thomæ misit, qui suo, & Capituli, & Ecclesiæ Arbensis nomine interesset; ut est in actis ejusdem Concilii. Jacobus de Fulgineo Metropolita Jadrensis ab urbe & provincia nescio quo, aut quas ob caussas discesserat, & Georgium Episcopum Arbensem vicarium sui muneris ad functiones episcopales obeundas reliquerat. Dum ille aberat, F. Gentilis Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus a Clemente V. in Hungariam missus an. 1308, ab eodem Pontifice jussus fuerat Ecclesias Dalmatiæ invisere ac lustrare, & sicubi collapsa esset, tum clericalem, tum monasticam disciplinam restituere, atque opportunis adminiculis fulcire.

F. Georgius de Hermolais Ep. Concilio generali Gradensi per procuratorem interfuit.

Gentilis legatus apostolicus ab Jadertinis non admissus Georgio Episc. anathematis pœnam indixit.

Jaderam cum venisset, Paullus Fulginates alter Vicarius generalis Archiepiscopi, cum primoribus cleri, cœnobiarchis, & monachis, neque illum admittere, neque illius mandata recipere voluerunt, quod dicerent legationem apostolicam eidem injunctam iisdem terminis circumscriptam esse, quibus provinciæ ditionis Hungaricæ definiebantur, ad quam Jadera non pertinebat, cum sub imperio Venetorum esset; ac perinde se Gentilis Legati Apostolici inspectione & correctione exemptos esse. Cum ergo ejus imperia & mandata pertinaciter abnuerent, dignos se præbuerunt, quibus Legatus sacris interdiceret, & gravissimi anathematis pœnam infligeret; sicut antea dictum est in actis Jacobi metropolitæ Jadrensis. Illorum exemplum secutus Georgius Episcopus Arbensis, alter ejusdem Archiepiscopi vicarius, eamdem, atque illi, canonicam animadversionem, & rerum sacrarum interdictionem sibi conscivit; ut docent acta legationis illius apostolicæ, quam Gentilis Cardinalis in Dalmatia & Hungaria gessit: *Anno 1308. die Mercurii supradicti men. Julii: Ven. vir D. Philippus de Sardinia Auditor suprascripti D. Legati commisit, & mandavit, ex parte ipsius D. Legati, Gratiolo de Luca nuncio, cursori jurato ipsius D. Legati ibidem præsenti, quod statim iret, & citaret Fr. Georgium Episcopum Arbensem, vicarium Archiepiscopi, ut ipso die & mane in tertiis compareret præsentialiter coram ipso D. Legato, auditurus quasdam sententias, & processus, quos intendebat facere contra ipsum. Qui Gratiolus nuncius & cursor eodem mane, hora missæ iens, & rediens retulit dicto D. Philippo auditori, & mihi Philippo de Cingulo notario dicti D. Legati, se dictum Fratrem, & Episcopum Arben. præsentialiter citasse, secundum formam dictæ commissionis. Eadem die post Missam in tertiis D. Legatus contra ipsum Episcopum fecit suos processus & sententias, & denunciavit eum excommunicatum coram multis &c.* At Georgius simul cum aliquibus cœnobiarchis Benedictinis, & parochis ecclesiarum urbis Jaderæ appellavit ad Sedem Apostolicam, Chrysogono rectore S. Mariæ Majoris Jadrensis Avenionem misso, qui communem de Gentili Legato querimoniam ad Clementem V. deferret; ut est in tabulis Avenionensibus: *Appellationes ad Sedem Apostolicam interpositæ sub die prima Augusti 1308. per Grisogonum plebanum Ecclesiæ S. Mariæ Majoris de Jadra, procuratorem seu sindicum, seu quocumque alio nomine dicatur, Reverend. Patris Fratris Georgii Arben. Episcopi, & Ven. Patris Fratris Jacobi Jadren. Archiepiscopi vicarii generalis, nec non religiosorum, & discretorum virorum Fr. Viti, & Fr. Joannis, & Fr. Matthæi, Abbatum monasteriorum S. Grisogoni de Jadra, & SS. Cosmæ & Damiani de Monte Jadren. diœcesis, & S. Michaelis de Monte ejusdem diœcesis ord. S. Benedicti, ac plebanorum ecclesiarum S. Petri veteris, & S. Petri novi, & S. Michaelis, omniumque aliarum personarum ecclesiasticarum Jadrensis civit. ac diœcesis prædictæ exemptarum, a sententia per Ven. Patrem, & Dom.*

Ab sententia Legati appellavit ad Sedem Apostolicam.

Digitized by Google

& Dom. Fratrem Gentilem tit. S. Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum in regno Ungariæ, promulgatam, per quam antedictum Georgium Episcopum Arbensem ab administratione sui Episcopatus privavit, seu suspendit, præfatosque Abbates & alias personas personaliter citavit; ex eo quod illum, eorum monasteria, & personas visitare volentem recipere noluerunt, dicentes ipsum non esse Legatum, sed Dom. Neapoleonem.

Hæc appellatio admissane, an rejecta fuerit, litteris proditum non est. Ceterum opinari licet Jadrenses, & Georgium, antequam Legatus in Hungariam discederet, contumacia in obsequium versa, pontificii Legati mandatis obtemperasse, & quibus erant illigati, anathematum vinculis exsolutos fuisse. Itaque Georgius in integrum restitutus, ad sua munia episcopalia peragenda se retulit; & hoc eodem anno, rogatu civium suorum, conscripsit historiam de triplici illa victoria, quam Arbenses, implorato patrocinio S. Christophori, de suis hostibus reportarunt: cujus historiæ initium est hujusmodi: *Regnante Domino & Salvatore nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus est Deus, sub anno ejusdem 1308. Ego Fr. Georgius licet indignus Arbensis civitatis civis & Episcopus &c.* Cetera repeti possunt ex actis Domanæ seu Dabranæ, & Paulli Episcoporum Arbensium, jam supra descriptis.

De victoriis S. Christophori historiam scripsit

Dum Clemens V. Sede Apostolica Avenionem translata, in Galliis aberat, ejus vice & legatione in Italia fungebatur Neapoleo Cardinalis, qui anno 1306. rogatu Patrum Arbensium Ordinis Franciscani, possessionem cœnobii S. Joannis Evangelistæ, ante aliquot annos eisdem traditam, auctoritate Apostolica confirmavit.

Neapoleo Cardinalis Legatus Apostolicus confirmat donationem cœnobii traditi Fratribus Franciscanis.

Neapoleo miseratione divina S. Adriani Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus. Dilectis in Christo religiosis viris ministro & Fratribus ordinis Minorum provinciæ Slavoniæ salutem in Domino. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra continebat, quod bonæ memoriæ Gregorius Arbensis Episcopus vobis monasterium S. Joannis Arbensis, tunc dimissum per quasdam moniales ordinis S. Benedicti, quas præfatus Episcopus ad aliud monasterium dicti ordinis S. Benedicti, ubi major vigebat observantia regularis, duxerat transferendas, pia & provida liberalitate donavit, prout in litteris ejusdem Episcopi suo sigillo munitis plenius continetur, vosque ibidem ad opus Fratrum vestri ordinis locum ordinantes, prædictum locum præfati monasterii S. Joannis, jam fere per viginti annos quiete, & pacifice possedistis, & adhuc pacifice possidetis . . . .

. . . . .

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Faventiæ x. Kal. Maji, Pontificatus Domini PP. Clementis V, anno secundo.

Invitatur Georgius ad Concilium Viennense.

Ad Concilium Viennense in Galliam a Clemente V. per epistolam inscriptam *Archiepiscopo Jadrensi, & ejus suffraganeis*, Georgius vocatus, an cum suo Metropolita, & duobus aliis Episcopis provincialibus interfuerit, quod anno 1311. XVII. Kalendas Novembris, celebrari cœpit, compertum non est; cum nomina Episcoporum actis & decretis hujus Synodi subscripta non inveniantur. Vivere desiit anno 1313. ut catalogi omnes episcopales confirmant.

SIMEON EP. ARBENSIS XXI.

Ab anno 1313. usque ad 1315. Sedem Episcopalem tenuit ex alterutro, ut videtur, cœnobio Benedictino, vel S. Petri Arbensis, vel S. Stephani in Barbato, vel fortasse e monasterio Franciscano S. Joannis Evangelistæ ad hanc Ecclesiam regendam adscitus.

AIMUS EP. ARBENSIS XXII.

Ex eodem ordine S. Benedicti, cujus regimini quadriennium catalogi pontificales attribuunt. Abundius civis Arbensis in primis inter suos copiosus, quidquid bonorum possidebat, moriens testamento legavit hospitio S. Francisci, in urbe haud ita pridem exstructo, ad curandos ægrotos, peregrinos excipiendos, & senes atque homines invalidos alendos. Ex annuis illis proventibus dotem assignavit presbytero, qui huic pio loco præsideret, & sacrum ibidem quotidie faceret; hujus autem eligendi jus & arbitrium penes Episcopum & Prætorem civitatis esse voluit. Si quid vero obstaret, ne hujusmodi bona ab se relicta in hæc pietatis opera impenderentur, in eorum possessionem vocavit monachos S. Stephani de Barbato, qui locus erat diœcesis Arbensis in hac insula, ubi templum & cœnobium S. Stephani obtinebant monachi Benedictini. Sed cum temporibus procedentibus, & hospitium illud nescio quo infortunio casuve defecerit, & monachi locum illum deseruerint, quidquid ex Abundii bonis superest, nunc in pauperes vulgares distribui & erogari solet. Hæc e vetusto codice, qui asservatur in tabulario prætorio.

Pium legatum.

GEORGIUS II. EP. ARBENSIS XXIII.

Quartus e patricia Arbensi familia de Hermolais, vix annuum Pontificatum gessit extinctus anno 1320. vel sub initium sequentis.

FRANCISCUS EP. ARBENSIS XXIV.

Cui cognomen erat de Philippo, genus nobile, patria civitas Arbæ, ut perspici potest ex tabulis cujusdam pii legati, quod domui hospitali Arbensi reliquit *Nobilis vir Pedrogna de Philippo*, Francisci consanguineus. Erat Archidiaconus Ecclesiæ Arbensis; quod munus plures annos magna cum laude sustinuit, cumulateque explevit; ac proinde dignus habitus est, qui ad sedem episcopalem ascenderet. Subsellium Archidiaconi, quod vacuum reliquerat, Georgius de Hermolais per legitimam canonicam electionem occupavit, ut est in tabulis Arbensibus: *Anno 1321. 30. Januarii. Cum Arben. Ecclesia careret Archidiacono per promotionem Vener. P. D. Francisci de Philippo D. G. Episcopi Arbensis, dudum dictæ Ecclesiæ Archidiaconi, electus est in sala Episcopalis Palatii, more consueto, coram Dom. Episcopo Diaconus Georgius Matthæi de Hermolais.* Hujus Pontificatum

Franciscus de Philippo ex Archidiacono Episcopus Arbensis.

Digitized by Google

catum catalogi producunt usque ad annum alterum, & tricesimum hujus sæculi; sed prorogari nequit ultra vicesimum & octavum vel nonum; præsertim si fides habenda sit Valerio de Ponte, qui in suo catalogo Cidoneum quemdam Francisco subjecit; verum cum a ceteris catalogis absit, hunc interponere non ausim; certe quidem si Episcopus fuit, brevis admodum fuit, ante annum 1329. extinctus.

GEORGIUS III. EP. ARBENSIS XXV.

Hunc quoque familia de Hermolais primo Archidiaconum, deinde Episcopum Ecclesiæ Arbensi dedit, haud generis nobilitate, quam virtute clariorem, *Virum circumspectum, providum, & discretum*: quod elogium eidem attributum invenio, cum cunctis Canonicorum suffragiis Archidiaconus renunciatus fuit. Hujus initia episcopalia catalogi in annum 1331. conjiciunt, sed ante biennium hanc sedem obtinebat, ut ex epistola Bertrandi Legati pontificii ad Georgium satis perspicue apparet. Diuturnum Pontificatum gessit, usque ad quartum & sexagesimum annum hujus sæculi productum. Cum proventus Mensæ Episcopalis valde imminutos reperisset, qui neque Episcopi personæ pro dignitate sustinendæ, neque oneribus eidem impositis ferendis erant; sibi suæque indigentiæ ut provideret, Bertrandum Episcopum Ostiensem, & Velitrensem, qui tunc in partibus Italiæ legatione Apostolica fungebatur, supplex adiit, oravitque. Ejus postulatis ille annuit, & duo sacerdotia diœcesis Arbensis, alterum S. Michaelis, alterum S. Euphemiæ, quibus nulla animarum procuratio annexa erat, vectigalibus haud sane contemnendis instructa, cum Mensa Episcopali conjunxit, ut docet Bertrandi ad Georgium epistola.

Reditus Episcopales imminuti ...

Bertrandus miseratione divina Ostien. & Velitren. Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Vener. Fratri in Christo Patri Georgio Dei gratia Episcopo Arben. salutem in Domino. Gerentes ad Arben. Ecclesiam, intra nostræ legationis terminos constitutam, paternæ dilectionis affectum, illa sibi libenter benigno favore concedimus, quæ suis fore cognoscimus necessitatibus opportuna. Cum itaque sicut in nostra proposuistis præsentia constituti, reditus & proventus Episcopalis Mensæ vestræ sint adeo tenues & exiles, quod Episcopus Arbensis, qui est pro tempore, non potest ex illis secundum sui status decentiam commode sustentari, cum 100. florenorum auri valorem omnino, ut asseritis, non excedant; Nos volentes vobis & successoribus vestris Episcopis Arbensibus, qui pro tempore fuerint, dictæque Mensæ super hoc de alicujus subventionis remedio providere, vestris supplicationibus inclinati, S. Michaelis de Bagnolis, & S. Euphemiæ capellas rurales vestræ diœcesis, quibus nulla cura imminet animarum, quarum reditus & proventus in universo 16. florenorum auri summam, ut asseritis, annis singulis non excedunt, omnibus cum juribus, & pertinentiis suis, vestris vestrorumque successorum, & ejusdem mensæ usibus, in perpetuum auctoritate, qua fungimur, applicamus, annectimus, & unimus; ita quod ipsarum capellarum rectoribus, qui nunc sunt, cedentibus, vel decedentibus, aut alias capellis iisdem quoquo modo vacantibus; vos, & iidem successores, dictarum capellarum, ac jurium, & pertinentiarum suarum possessionem apprehendere, & retinere, ipsarum fructus, reditus, & proventus in usus prædictos convertere libere valeatis, cujusquam alterius assensu minime requisito; proviso quod dictæ capellæ debitis propter hoc obsequiis non fraudentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ applicationis, annexionis, & unionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Bononiæ Kal. Julii Pontific. SS. Patris Domini Joannis XXII. anno XIII., idest 1329.

Epistola Bertrandi Legati Pontificii ad Georgium.

Hugone cœnobiarcha S. Petri Arbensis vita functo Joannes Papa XXII. qui multorum Episcoporum, & Abbatum nominationem sibi reservaverat, cœnobium Arbense, Stephano primicerio Spalatensi, deinde Episcopo Pharensi, commendavit. Hic autem sacerdotium illud etiam post depositum Episcopatum, quamdiu vixit, retinuit. Anno autem 1332. cum diem suum obiisset, idem Pontifex sacerdotium & cœnobium Arbense demandavit Dino electo Patriarchæ Gradensi, qui anno 1337. Gradensem Patriarchalem cum Ecclesia Januensi Episcopali commutavit: id docent tabulæ Avenionenses; *Commenda, usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, monasterii S. Petri S. Benedicti, Arbensis diœcesis, provinciæ Jadren. per obitum Stephani olim Episcopi Farensis, apud Sedem Apostolicam, præmissa generali reservatione, vacantis, pro Dino electo Gradensi. Dat. Aven. 4. Cal. Januarii, anno Joannis Pp. 17.* idest 1333. Sed anno 1337. cum Dinus Patriarcha Gradensis ad Ecclesiam Januensem regendam migrasset, Benedictus XII. Sacerdotium S. Petri Arbensis illi collatum revocavit, ac cœnobium illud monachis restituit, quibus Abbatem præposuit Martinusium e monasterio Veglensi S. Laurentii desumptum, ut est in tabulis Avenionensibus: *Promotio Martinusii de Pizica monachi monasterii S. Laurentii extra muros Veglen. ord. S. Benedicti, ad Abbatiam S. Petri Arben. dicti ordinis S. Benedicti, per obitum quondam Hugonis Ab. & postmodum Stephani de Spaleto clerici Spalaten. ac per revocationem commendæ, per Joannem Papam XXII. factæ favore Dini Archiepiscopi Januen. tunc Patriarchæ Graden., apud Sedem Apostolicam prævia generali reservatione vacantem, cassata prius electione ipsius favore concorditer facta. Dat. Aven. 13. Kal. Junii, an. Benedicti Pp. 3.* idest Christi 1337.

Cœnobium S. Petri Arbensis Abbati extraneo commendatum, ac deinde monachis restitutum.

Anno 1334. Georgius interfuit Concilio provinciali Jadrensi, quod Nicolaus III. Metropolita convocaverat. In eo Concilio questi sunt Canonici Arbenses se nimio plus gravari a Capitulo Jadrensi, & majorem sibi collectam indici, quam jus & æquitas postularet. Horum querimoniæ & postulationi ut satisfaceret Nicolaus, & omnem occasionem querelis ac dissensionibus præriperet; rem ita composuit, ut cum Archiepiscopus & Capitulum Jadrense tributa quædam extraordinaria Ecclesiis & Capitulis provinciæ Jadrensis imperarent; summa totius pecuniæ contribuendæ in partes omnino quinque divideretur; ex his duas Ecclesia, Capitulum, clerus Jadrensis, tres reliquas Ecclesiæ suffraganeæ, cum suo quæque Capitulo & clero pro rata portione persolverent. Atque in hanc sententiam decretum fecit; cujus quidem decreti cum quædam particula videretur ambigua, aut obscurior, quam satis perspicue intelli-

Concilium provinciale Jadertinum, cui Georgius interfuit.

Controversia inter Canonicos Jadrenses & Arbenses composita.

telligi posset; Episcopus & Canonici Arbenses postularunt, ut eam dilucidius explicaret, omnique verborum ambiguitate remota, nullum aliter interpretandi, atque ipse decreverat, locum relinqueret: id quod anno sequenti, mense Februario ineunte, idem Archiepiscopus apertissime, & plenissime præstitit. Utrumque Nicolai decretum in hujus actis descriptum est.

Marinus de Hermolais Ecclesiæ S. Damiani de Monte rector præpositus.

His temporibus cum Marinus de Forma Archidiaconus, idemque rector Ecclesiæ S. Damiani de Monte diem obiisset, qui hanc Ecclesiam jure patronatus obtinebant, ejusdem regimen ac præfecturam contulerunt Marino de Hermolais, parocho S. Thomæ, & consanguineo Georgii Episcopi.

Anno Domini 1345. Indict. 3. die 10. mensis Decembris. Temporibus equidem Domini nostri Andreæ Dandulo inclyti Ducis Venetiarum, & Dom. Georgii de Ermolais Arben. Episcopi, ac Dom. Andreæ Michaelis egregii Comitis, præsentibus Cypriano de Percito, & Nicolao præcone Arben. & aliis.

Cum Ecclesia S. Damiani de Monte capellano careat per obitum olim R. Presbyteri Marini de Forma, Archidiaconi Arbensis, ipsius Ecclesiæ capellani; ideo nos Gauzigna, Stephanus de Gauzigna, Mixa de Grube, Joannes Madii de Gauzigna, Martinusius de Dribe, Pasqua Martini de Dobrodano, Nicola Matthæus de Ermolao, Clemens de Hermolao, Nicola Clementis, Marcolus Spalatinus, Stephanus de Domine, Christale de Forma, Salbe Madii Salbe, Manolus de Pridula, Matthæus de Barnaba, Marcolinus de Pribe, Pribole, Martinusius de Pridola, Grabe, Stephanus Grube, Colane de Gauzigna, Dominicus de Ambrosio, Martinus de Cevano, Ambrosius de Orsanto, congregati simul in Ecclesia S. Spiritus, tamquam certi & legitimi fundatores & Patroni dictæ Ecclesiæ S. Damiani de Monte capellano vacantis, ejusdem S. Spiritus gratia invocata, postulamus presbyterum Marinum de Ermolao plebanum S. Thomæ in capellanum & rectorem dictæ Ecclesiæ S. Damiani prædicti; Quem præsentamus vobis Rev. in Christo Patri, & Dom. Georgio Dei gratia Episcopo Arbensi, supplicantes humiliter vestram Paternitatem, ut prædictum Dom. Marinum plebanum S. Thomæ per nos postulatum in capellanum & rectorem dictæ Ecclesiæ S. Damiani de Monte, & jurium suorum in spiritualibus, & temporalibus dignemini confirmare.

Arba cum reliqua Dalmatia sub potestatem Ludovici regis Hung. concessit.

Anno 1357. cum Ludovicus rex Hungariæ Dalmatiam universam Venetis eripuisset, Arbenses quoque, necessitate cogente, vel inviti imperium Hungaricum subierunt. Nomen Georgii Episcopi tabulis Arbensibus inscriptum anno 1343. cum potestatem fecit Paganino civi Arbensi ædificandi sacelli ad honorem S. Luciæ virginis; item annis 48. 49. 50. 55. hujus sæculi. Ejus mors in annum 1364. vel superiorem incidit.

CHRYSOGONUS EP. ARBENSIS XXVI.

Ex vetustissima & nobilissima familia Arbensi de Dominis, quæ tum reipublicæ, tum Ecclesiæ viros perillustres, & de utraque optime meritos dedit. Anno 1364. administrationem hujus Ecclesiæ suscepit; cui plurimum profuit. Multum siquidem auctoritate & gratia valebat apud Ludovicum regem, a quo primum impetravit, ut vetera privilegia, civitati & Ecclesiæ Arbensi per Colomanum collata, regali diplomate approbaret. Annuit Ludovicus, &

Ludovicus rex Hung. urbis & Eccl. Arben. privilegia confirmavit.

ipsum Colomani diploma suo insertum verbis amplissimis confirmavit *ad instantiam Grisogoni nati Stephani de Dimine (idest de Dominis) Episcopi Arbensis anno Domini MCCCLXVII. XVI. Kal. Octobr. Ugolino Spalaten. Nicolao Jadren. Ugo Ragusien. Archiepiscopis, Petro Bosnen. Nicolao Tinien. Demetrio Nonen. Nicolao Tragurien. Stephano Pharien. Joanne Maccarien. Matthæo Sibenicen. Micha Scardonen. & Portina Segnien. Episc. Corbavien. sede vacante.*

Hoc eodem anno 1367. Ludovicus Episcopos & proceres ad consulendum de rebus publicis Budam convocaverat. Cum Episcopis Dalmatiæ, quos modo nominavi, convenerat Chrysogonus Episcopus Arbensis, qui ab rege illud præterea petiit impetravitque, ut decimas ob tumultus & sumptus bellorum alio interversas Arbensi Ecclesiæ restitui juberet, vetaretque regios administros illas exigere, atque in ærarium publicum inferre. Extat mandatum Ludovici in codice tabularii capitularis.

Jus colligendi decimas quasdam

Idem Ludovicus Chrysogono postulante, suæque Ecclesiæ caussam agente in regali curia Budensi, jus colligendi decimas ex Lycha & Busana, Valentino Episcopo Corbaviensi antea concessum revocavit, Ecclesiæque & Episcopo Arbensi adjudicavit, regiis litteris datis ad Petrum de Bellant Comitem Busanæ anno 1371. quas quidem litteras, ne quis in dubium vocare posset, Chrysogonus legendas, & recognoscendas tradidit collegio Canonicorum Jadrensium, ut fidem facerent legitimas ac germanas esse, & exemplar indidem sumptum, & cum autographo collatum, signo capitulari obsignarent.

rogatu Chrysogoni Capitulum Jadrense recognovit, & legitimum esse declaravit.

Nos Capitulum universum civitatis Jadræ memoriæ commendantes tenore præsentium significamus quibus expedit universis, præsentibus & futuris, quod nobis in Ecclesia S. Anastasiæ cathedrali dictæ civitatis sollemniter modo consueto congregatis, accedens ad nostram præsentiam nobilis vir ser Stephanus Pater Reverendi in Christo Patris & Dom. D. Grisogoni Episcopi Arben. tamquam conjuncta persona Dom. Episcopi supradicti, exhibuit coram nobis quamdam litteram papiream Domini nostri naturalis regis Ungariæ minoris sigilli impressione munitam, sanam & integram, omnique suspectione carentem; & subsequenter exposuit, quod idem ser Stephanus non audet ipsam litteram ad partes extra suam civitatem transmittere, prout aliquando expediret, ne propter viarum discrimina, vel alia impedimenta, ipsa littera amittatur. Et ideo nobis humiliter supplicavit, quatenus prædictam litteram sub nostro autentico sigillo accopiari fecissemus. Nos igitur dicti ser Stephani justæ supplicationi annuentes, dictam litteram integraliter de verbo ad verbum per presbyterum Helyam notarium auctoritate imperiali publicum, & autenticum, & in hac parte scribam nostrum, fecimus inferius fideliter copiari, cujus litteræ tenor talis est:

Diploma Ludovici regis Hungariæ secundum Ecclesiam Arbensem factum.

Ludovicus Dei gratia rex Ungariæ, & Poloniæ fideli suo dilecto magnifico viro, Dom. Petro de Bellant Comiti Bousanæ, & Provehiteni, vel officialibus suis in Comitatu de Licha & Busana constitutis, salutem & gratiam. Fidelitati vestræ, sicut per hominem nostrum specialem, & litteras nostras quamplures mandavimus, sicut & per

& per præsentes damus in mandatis, quatenus visis præsentibus, fideli nostro dilecto Ven. in Christo Patri D. Grisogono Episcopo Arbensis Ecclesiæ, vel ejus officialibus, decimas ipsius Ecclesiæ ubique pacifice, & quiete exigi facere permittatis, & permitti faciatis in dictis provinciis vestris Liebæ & Busanæ. Ideoque vos in easdem decimas, quas Altissimus in suum patrimonium praelegit, non intromittatis, ipsum & suos officiales nullatenus impediendo, vel molestari faciendo in hac parte; quin potius præmissas decimas dicti Domini Episcopi integraliter per suos subditos persolvi, & administrari faciatis; & ad faciendum nostræ gratiæ intuitu vos volumus obligare; litteris nostris quibuscumque, per quondam Vener. virum Dominum Fratrem Valentinum Ecclesiæ Corbavien. electum illegitime impetratis, vel per quempiam in posterum impetrandis, non obstantibus, contra formam præmissæ nostræ commissionis, quibus præsentibus censuimus derogare; secus non facturi sicut mandata nostra non velletis transgredi. Dat. Budæ Fer. 5. proxima post Dominicam Reminiscere. Anno Dom. 1371. Qua quidem littera, ut supra, copiata, & exemplata, fecimus transumptum hujusmodi cum originali per Ven. virum D. Michaelem Archidiac. Jadrensem, & presbyterum Micham plebanum S. Michaelis de Jadra, & per dictum notarium auscultari, in nostra præsentia, et diligenter examinari. Et ibidem invenimus utrumque in omnibus concordare. In quorum omnium memoriam, & evidens testimonium, atque perpetuam firmitatem præsentes fecimus nostro autentico sigillo appenso communiri.

In Synodo provinciali Spalatensi, quod habitum fuit anno 1185. sub Petro VII. Metropolita, *cum medietas Licæ* attributa fuerit Nonensi, *altera medietas* assignata fuit Corbaviensi Ecclesiæ, ut est in exemplari Spalatensi, itemque *Busan*, ut docet exemplar Lucianum ejusdem Synodi. Quo tempore post hanc Synodum quave ratione Episcopus Arbensis jus acquisierit percipiendi decimas ex territorio Lychæ, & Busanæ, mihi non liquet. Verisimile est aliquam utriusque regionis particulam pertinuisse ad Ecclesiam Arbensem, e cujus possessione Valentinus Episcopus Corbaviensis Arbensem depellere voluerit. Anno circiter 1373. Chrysogonus Arbensi dimissa, ad Ecclesiam Traguriensem regendam migravit.

Chrysogonus ad Ecclesiam Tragurien. translatus.

ZUDENICUS EP. ARBENSIS XXVII.

Ut cognomen, sic etiam nomen accepit ex illustri Arbensi familia de Zudenicis. Hujus initium catalogi episcopales conferunt in annum 1382. sed revocandum esse ad annum 1375. vel superiores confirmant tabulæ cujusdam conventionis eodem anno 1375. confectæ, quæ asservantur in sanctuario Ecclesiæ Arbensis. In his siquidem nominatur *Zudenicus Episcopus Arbensis*. Dum Ecclesiæ huic præsidebat, fervente jam bello Ligustico, Ludovicus Lauretanus cum decem triremibus missus est ad explorandos animos Arbensium, qui ultro libenterque in fidem & clientelam Venetorum se tradiderunt an. 1379. Sed biennio post, cum pax inter Venetos, & Ligures, ceterosque principes fœderatos convenisset, Arbam insulam atque urbem, & omnia, quæ Veneti in Dalmatia Hungaris eripuerant, regi Ludovico restitui oportuit. Petrus de Matafaris Metropolita Jadrensis anno 1384. cum iter necessarium ei Romam esset ad consecrationem suscipiendam, pium subsidium nomine viatici a Capitulo cleroque Arbensi postulavit. Zudenicus clerum & Capitulum suum hujusmodi extraordinario tributo gravari nolens, Archiepiscopi postulato repugnavit obstititque; cum vero ille instaret atque urgeret, suisque precibus auctoritatem metropoliticam interponere videretur, appellavit ad Primatem Dalmatiæ Urbanum Patriarcham Gradensem, qui appellationem Episcopi laudavit etiam, non solum admisit: id quod memoriæ caussa litteris mandatum est: *Petrus Archiepiscopus Jadrensis petiit caritativum subsidium anno 1384. a Capitulo & clero Arbensi. Zudenicus de Zudenico Episcopus, qui se opposuit petitioni Archiepiscopi, per syndicum appellavit ad Patriarcham Gradensem fratrem Urbanum, & conquestus est de gravamine Archiepiscopi. Patriarcha per sententiam sui vicarii declaravit injustam esse petitionem Archiepiscopi, & appellationem ad ejus tribunal laudavit*. Nec tamen hoc beneficio ita sibi benevolentia Capituli, & cleri conciliavit, ut litigia quædam molesta sibi a Canonicis illata devitaret: quæ quidem Chrysogonus Episcopus Traguriensis ex æquo & bono composuit, ut in scheda quadam notatum invenio: *Capitulum Arbense habebat differentias quasdam cum Zudenico, quas de communi consensu remiserunt in Grisogonum de Domine Episcopum prius Arbensem, dein Traguriensem.*

Metropolitæ Jadrensi tributum extraordinarium clero Arbensi imperanti Zudenicus repugnat.

Eius cum Capitulo litigia composita.

Anno 1386. Zudenicus sollemni ritu consecravit ædem S. Helenæ, quam in platea S. Joannis, nec longe a cœnobio Patrum ordinis Franciscani, Stana Bogdichia, vidua pia & opulenta extruxerat, & copiosis proventibus dotaverat. Incredibile dictu est quanta in conversione rerum & perturbatione, temporibus illis tum Dalmatæ omnes, tum vero Arbenses versarentur, sic prorsus, ut intra paucos annos ex aliis ad alios Dominos & transierint, & redierint: id quod ingentibus curis ac molestiis optimum Præsulem affecit, & quietam pacatamque rei christianæ administrationem interturbavit. Post mortem Ludovici regis Hungariæ anno 1382. extincti, Maria filia natu maxima parenti in regnum successit sub tutela ac regimine matris Elisabethæ. Quidam Hungariæ & Dalmatiæ proceres contra utramque conjuratione facta, Carolum regem Neapolitanum ad regnum Hungariæ capescendum evocarunt. Nec vero post hujus interfectionem quieverunt; sed reginam utramque, cum in Dalmatiam venissent, ex insidiis adorti capiunt, & Novigradum abductas in arctam custodiam includunt. Elisabetham alii violenta, alii naturali morte extinctam tradunt. Maria Venetorum opera perduellium manibus erepta nupsit Sigismundo Marchioni Brandeburgensi, eique dotale attulit regnum Hungariæ & Dalmatiæ. Stephanus Tuartchus rex Bosinæ, inita cum perduellibus societate, Dalmatiam Sigismundo eripuit; quam hic anno 1394. recuperavit. Sed iterum amisit sub initium sæculi decimi quinti, cum Hervoja Dux Spalati, qui ab Sigismundo defecerat, fere omnes urbes insulasque Dalmatiæ sub imperium Ladislavi regis Neapolitani subjunxit. Arbenses, ut sibi novi regis gratiam conciliarent, Aloysium Aldemariscum præfectum regiæ classis in Comitem sive rectorem elegerunt, ut constat ex tabulis Arbensibus, in quibus Zudenicus de Zudenico Episcopus nominatur: *Die*

Arba sub Ladislavo rege Neapolis.

17. *Ju-*

Digitized by Google

17. *Julii* 1402. *Regnante Serenifs. Domino Ladislao D. G. Ungariæ, Jerusalem, Siciliæ, Dalmatiæ, & Croatiæ rege, tempore equidem Ven. Patris Zudenici de Zudenico Episcopi Arbensis, nec non magnifici & potentis regii militis Aloysii Aldemarisco de Neapoli Capitanei regiarum galearum generali &c. ad confirmationem regiæ majestatis electi Comitis &c.* Anno 1403. Ladislavus rex Neapolis, classe egregie instructa transvectus in Dalmatiam, postquam Jaderæ ab legato pontificio regni Hungarici & Dalmatici insignia sumpsit, privilegia omnia superiorum regum Hungariæ Arbensibus concessa regali diplomate confirmavit: *Dat. Jadræ A. D.* 1403. *die* 13. *Augusti*. Non defuerunt Arbæ qui commutationem Hungarici cum Neapolitano dominatu ægerrime ferrent. Itaque Ladislavo Neapolim reverso, tumultuari cœperunt; eoque tumultus, altercatio, & contentio crevit, ut rem perniciosissimam in civitatem induxerint, seditionem atque discordiam; neque ab injuriis, incendiis, direptionibus, cædibus temperatum est, frustra dehortante Zudenico Episcopo, & quantum poterat auctoritate & precibus enitente, ut iratos animos placaret, atque in concordiam reduceret. Cum & numero & viribus superiores essent qui Ladislavo favebant, contrariæ factionis homines expulerunt; & hi quidem *Exititii* sive *Extrinseci*, illi vero qui remanserant in urbe, *Intrinseci*, vocabulis illo sæculo usitatis appellati sunt. Zudenicus vero, qui communis parentis officio functus, utrisque pacis auctor & concordiæ fuerat, ad custodiam urbini sui gregis sibi manendum putavit. De his, quæ acciderant, per nuncios ac litteras Ladislavus admonitus, ad Arbenses sibi fideles rescripsit, *se numquam eorum exititios, suos rebelles, & ipsorum æmulos in patriam reducturum, nisi prius cum eorum Communi pacificati fuerint &c. Dat. Neapoli an.* 1404. *die* 8. *Aprilis, Indict.* 12. Arbenses exules opem implorarunt Nicolai Comitis Seniæ & Modrusiæ, qui ab Sigismundo constantissime steterat, & Veglam insulam Ladislavo ademptam recuperaverat. Hic suis copiis, Arbensium profugorum accessione auctis, Arbam obsedit, cepitque; & expulsis fautoribus Ladislavi, iis quos ipsi expulerant, patriam restituit; atque urbis præturam sibi delaram suscepit. Verum haud diu retinuit; quippe Joannes de Lusignano Dux Baruti, cum classe Neapolitana superveniens, Arbam recepit; & Andriolus quidam Arbensis, princeps ductorque factionis Neapolitanæ, Arbenses ejectos in urbem reduxit. Tunc Zudenicus Episcopus in id omni studio operaque incubuit, ut cives utriusque partis in civitate retineret, & alteros alteris reconciliaret. Itaque omnibus in ædem cathedralem convocatis, post solemne sacrificium, leges pacis edixit; ut præteritas injurias ultro citroque illatas & acceptas oblivisceerentur, gravi oratione admonuit; & concordiam inter utrosque initam jurejurando confirmari jussit; ut docet Paullus de Paullo in sua Ephemeride ad an. 1405. *Eodem anno & mense, die Sab.* 20. *Junii D. Andriolus q. Ser Stephani de Arbo cum nonnullis exititiis per modum pacis & concordiæ intraverunt Arbum hora vesperarum; & cras post celebrationem Missæ solemnis in Ecclesia cathedrali, pacem & unionem inter utrosque sacramento solemni firmaverunt.*

Discordia & seditio Arbensis.

Hervoja Dux Spalati, & vicarius regius, cum sibi metuerit a Sigismundo, qui post receptam, & pacatam Hungariam, ingenti exercitu collecto ad recuperationem Dalmatiæ spectare dicebatur, & nullum a Ladislavo, bellis Italicis implicito, auxilium sperare posset, sibi & suis rebus prospicere statuit. Itaque relicto Ladislavo ad Sigismundum, a quo desciverat, transivit; auctorque fuit Dalmatis, & nominatim Arbensibus, ut ipsi quoque sub imperium Sigismundi redirent. Extat epistola Sigismundi ad Arbenses, quos *remissa omni rebellione, fellonia, & nota infidelitatis, recipit in subditos, & eis sua privilegia confirmat. Data est anno* 1408. *in festo S. Joannis Apostoli*. Ita Dalmatia universa in jus ditionemque Sigismundi concessit, præter Jaderam, quam Joannes de Lusignano Dux Baruti, & præsidium Neapolitanum Jadrensi castello impositum, in fide atque officio continuit. Porro Ladislavus, cum Jaderam a paucis illis præsidiariis militibus, quos ad custodiam ac tutelam arcis reliquerat, contra exercitum Sigismundi defendi ac retineri non posse intelligeret, civitatem illam cum agro, & quidquid littorum atque oppidorum ad ejus fines ac ditionem pertinebat, centum millibus nummum argenteorum Venetis vendere constituit; & anno 1409. exiguam classem misit, quæ urbem deducto præsidio Neapolitano, in potestatem Venetorum traderet. Nec multo post Veneti, ut tradit Lucius lib. VI. cap. IV. Mon. Tragurien. insulas Sinus Flanatici, Absorum, Crepsam, & Arbam, vel armorum metu compulsas, vel ultro in fidem venientes receperunt.

Arbenses relicto Ladislavo ad Sigismundum transeunt;

ac demum redeunt ad Venetos.

Sub clementissimo Venetorum imperio civitas & Ecclesia Arbensis tranquillitatem nacta, Zudenico Episcopo amplam de utraque benemerendi materiam & facultatem attulit. In ea quam dixi, multiplici rerum publicarum conversione, inter civiles discordias, & bellicos tumultus, licentia quædam libertasque vivendi, nullo legum metu, nulloque fræno adhibito, quotidie magis invalescens, civium animos moresque corruperat; vitia cujusque fere generis in urbe atque insula dominabantur; religio & pietas plane refrixerat, mira in templis a piis cultoribus erat solitudo, sacrarum concionum, & sacramentorum usus obsoleverat; nec fortasse levioribus clerus, quam populus morbis laborabat. Ad medendum tot ac tantis malis optimus Præsul curam omnem intendit. Lustrationem episcopalem indixit; primum urbis Ecclesias invisit; deinde vicos & parœcias obivit; nihil studii operæque prætermisit, ut corruptelas, & pravas consuetudines aboleret; ubique religionem ac disciplinam collapsam restituit, sacrorum mysteriorum frequentiam usumque revocavit. Nihilo minus detrimenti cœperant e præteritis bellis, dissidiis, direptionibus bona sacra & ecclesiastica, partim, sublatis limitibus, cum profanis confusa, partim aut per errorem, aut per fraudem interversa. Zudenicus ex fide veterum tabularum, & proborum hominum testimoniis, tum quæ ad mensam episcopalem, ædemque cathedralem, tum quæ ad alias Ecclesias pertinebant, recognovit, discrevit, recuperavit, novas tabulas confecit, in quibus omnia nominatim, & suis quæque confiniis distincta descripsit; easque idoneorum testium, & suo chirographo subscriptas, annuloque obsignatas in archivo episcopali deposuit, successoribus præsidio futuras ad possessionem co-

Zudenici Episcopi merita.

Digitized by Google

eorumdem bonorum tuendam & vindicandam. In ipso aditu ac vestibulo ædis cathedralis sacellum ære suo amplum ornatumque exstruxit, cui cognomen a Suffragio fecit. Sacelli conditorem declarat inscriptio tum extrinsecus adjecta: *Hanc Capellam fecit Zudenicus de Zudenico*, eique stemma gentis Zudenicæ superimpositum; tum intrinsecus ab latere sinistro, quod vocant Cornu epistolæ, pario marmori incisa: *Zudenicus de Zudenico*. Annos circiter triginta & septem huic Ecclesiæ sanctissime præfuit; & plurimis in rem publicam & christianam meritis clarus, diem obiit supremum an. 1412. Sepultus est in æde cathedrali ante aram sacelli gentis Zudenicæ. Lapis tumulo impositus simulachrum episcopale insculptum exhibet, & circumcirca hanc epigraphem.

Ejus mors, sepulcrum, & Epitaphium.

OPTIMI . CLARIQVE . VIRI . DOMINI . ZUDENICI . DE ZUDENICHO . HUJUS . URBIS . ANTISTITIS . HOC . IN . TUMULO . CLAUDUNTUR . OSSA . QVI . ANNO . DOMINI . M. C. C. C. C. X. I. I. DIEM . SUUM . CLAUSIT . EXTREMUM . V. I. I. I. IDUS . JANUARII.

Lucas Vadingus Tomo IV. Annal. duos Episcopos, quibus Joannes nomen fuit, in hanc seriem Antistitum Arbensium invexit, & alteri sponte cedenti, alterum patria Tergestinum ex ordine Franciscano substituit: *Item factus est Episcopus Arbanensis in mari Adriatico sub ditione Veneta, & Archiep. Jadrensis, F. Joannes Tergestinus per liberam resignationem Joannis in manu Pontificis Calend. Martii an. 1392.* Sed catalogi omnes utrumque respuunt; & Zudenici Chrysogono suffecti Pontificatum ab anno 1375. usque ad annum 1412. monumenta Arbensia producunt. Errandi caussam præbuit Vadingo similitudo nominum, præsertim cum utrumque vocabulum *Arbense* & *Arbanense* a primitivo vocabulo *Arbæ*, vel *Arbi* derivari possit; ex quo factum est, ut Episcopatum Arbensem & Arbanensem unum & eumdem esse putaverit. Eodem errore captus est, qui confecit indicem geographicum Conciliorum collectionis Venetæ Labbeanæ; nam postquam recensuit nomina quorumdam Episcoporum Arbensium, qui Conciliis generalibus vel provincialibus interfuerunt, hanc notam subjecit: *Arbinensis idem atque Arbensis, & Arbanensis.* Sed tum Feuderius Arbinensis, qui anno 1049. epistolæ Leonis IX. ad Episcopum Portuensem, tum Maginardus Arbinensis, qui anno 1059. actis Concilii Romani sub Nicolao II. subscripsit, erant ex Italia, atque, ut mihi videtur, ex regno Neapolitano. Nullum vero Arbanensem in tota illa collectione nominatum invenio. *Arbanensem* Ecclesiam in provincia Diocletana, sive Antibarensi fuisse indicio est *Dominicus Archipresbyter Arbanensis*, qui exeunte sæculo duodecimo synodo Diocletanæ sub Vulcano rege interfuit, & post Metropolitam subscripsit. Hæc fortasse una est ex Ecclesiis episcopalibus subjectis Metropolitæ Antibarensi, quæ, Arbanensi vocabulo jamdudum antiquato, nunc alio nomine appellatur, & huic fortasse attribuendus est uterque ille Joannes, de quo Vadingus. Falsus igitur est, cum Ecclesiam Arbanensem in sinum Adriaticum, & provinciam Jadertinam invexit; & duo illi Joannes Episcopi Arbanenses e catalogo Antistitum Arbensium expungendi sunt, quibus nihil loci ac temporis in ea serie relinquitur.

Duo Joannes in seriem Antistitum Arbensium per Vadingum invecti omnino expungendi.

Ab hac itidem serie excludi oportet Conradum ex ordine Prædicatorum, quem intrusit Vincentius Maria Fontana in suo Theatro Dominicano; & anno 1412. ab Joanne XXIII. Episcopum Arbensem factum fuisse affirmat: *P. F. Conradus Exienbursi Arben. Episcopus in Sclavonia sub metropoli Jadrensi creatus fuit a Joanne XXIII. anno 1412. IV. Kalen. Novemb. de quo nullum habent verbum Ordinis scriptores. Ex lib. provis. prælat. ejusdem Pont. Max.* Conradum non Arbensem in Slavonia, sed Albensem in Serblia, alias Belgradensem Episcopum fuisse illud argumento est, quod idem Vincentius Fontana in altero libro, cui titulus est: *Monumenta Dominicana*, ait Conradum eumdem anno 1414. interfuisse Concilio Constantiensi cum Andrea Archiepiscopo Colocensi. Alba autem Græca, seu Belgradum Metropolitæ Colocensi tunc fortasse suberat, intraque fines illius provinciæ continebatur.

Item explodendus Conradus Dominicanus a Fontana intrusus.

ZUDENICUS II. EP. ARBENSIS XXVIII.

Filius fratris Zudenici superioris Episcopi, quem patruus ætate in senium devexa adjutorem sibi ad sustinendum onus episcopale adscivit anno 1407. & post insulam atque urbem Venetorum imperio, ac pristinæ tranquillitati restitutam, hujus operam & ministerium ad functiones laboriosiores diœcesanæ lustrationis adhibuit. Catalogos Episcoporum Arbensium omnino quinque habeo; unum ex tabulario Capituli Arbensis; alterum e Sanctuario Arbensi desumptum; tertium auctore nescio quo ex antiquis & recentibus Arbensium monumentis collectum; quartum confecit Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis; quintum ab Joanne Luca Garagnino hodierno Episcopo * non ita pridem accepi. Ab tertio & quarto abest Zudenicus II. in tribus reliquis uterque Zudenicus nominatur; & Zudenici junioris initium affixum est anno 1407. cum scilicet a patruo in partem sollicitudinis episcopalis vocatus fuit. Post mortem patrui duobus annis hanc sedem tenuit, quam morte sublatus vacuam reliquit anno 1414.

Zudenicus II. primum Zudenici patrui adjutor;

* nunc Archiepiscopo Spalatensi, deinde Episcopus Arbensis.

MARINUS EP. ARBENSIS XXIX.

Illustri genere natus ex gente Cernota perantiqua, atque in primis inter Arbenses clara & opulenta. Erat Archidiaconus Ecclesiæ Spalatensis; de quo plura in Episcopis Traguriensibus. Anno fere nono, quam Episcopatum Arbensem susceperat, ad Ecclesiam Traguriensem regendam transivit anno scilicet 1423. inde anno sequenti ad Tergestinam Sedem translatus fuit. Ex hac familia Arbensi insignes viri prodierunt, inter quos singulari commemoratione dignus mihi videtur Martinus Archipresbyter Ecclesiæ Arbensis, idemque Abbas Ottociensis, Marino Episcopo annis amplius quinquaginta posterior; cui Hieronymus & Bartholomæus ex eadem familia illustre monumentum in æde Virginum Arbensium S. Andreæ posuerunt, hoc titulo apposito:

Marinus Archidiaconus, ac deinde Ep. Arbensis postea Tragur. demum Tergestinus.

Martini Cernotæ Archipresbyteri Arbensis elogium.

HIER. EQVES ET BARTH. CERNOTA TESTAMENTARII EXECUTORES SACR. LITERIS ORNATO MARTINO CERNOT. ET ARCHIPR. ARBEN. ET ABB. OTTOCEN. DE SE BENEMERITO MONUM. HOC FIERI CURARUNT
M. D. X.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS II. EP. ARBENSIS XXX.

Franciscus Ep. Arben. translatus ad Ecclesiam Justinopolitanam.

Patria Florentinus ex ordine S. Dominici, quem alias Servandum, alias de Sigismundis, alias de Blondis cognominatum reperio. Huic ob excellentem doctrinam & eximias virtutes, operamque perutilem B. Joanni de Dominicis, ex eadem Dominicana familia, Archiepiscopo Ragusino & Cardinali assidue navatam, cujus gloriosorum operum & laborum socius & consors fuerat, Martinus V. Episcopatum Arbensem decrevit anno 1423. Annos quinque ita præfuit, ut clero populoque Arbensi haud magis ferventissimis concionibus, & præclaris institutis, quam vitæ sanctissimæ exemplis profuerit. Eluxit in eo singularis modestia & mansuetudo, paterna erga omnes charitas & beneficentia. Nullam diei particulam vel a sacra lectione, ac rerum cælestium contemplatione, vel a muneribus negotiisque episcopalibus, & pietatis operibus vacuam elabi sinebat. Anno 1428. eodem jubente Pontifice, Arbensem cum Justinopolitana Ecclesia commutavit. Decessit anno 1448. De quo Vincentius Maria Fontana in suo Theatro Dominicano hæc litteris mandavit: *P. F. Franciscus Servandi Florentinus, quem de Blondis nuncupant Fernandez, & Plodius; Arbensis Episcopus a Martino V. creatus est, præfuitque eidem Ecclesiæ usque ad annum 1428. quo ab eodem Pontifice VII. Kalen. Martii ad Justinopolitanam translatus est, in eaque viginti annos resedit, decessitque anno 1448. de quo Olmeda in vita Bartholomæi Texerii Mag. Ord. Prædic. ita loquitur: F. Franciscus vero Servandi, & ipse Florentinus, socius quondam, comesque Joannis Dominici Cardinalis; vir undequaque clarus apud Justinopolim ibidem Episcopus moritur maximo cum fletu civitatis.*

ANGELUS EP. ARBENSIS XXXI.

Gens Cavacia, ex qua ortus est Angelus, Venetiis antiquissima erat inter primarias secundi ordinis familias, & egregiis in rempublicam meritis clarissima, quæ sæculo superiori jus ordinemque patricium adepta est. Angelus tum aliis gravioribus disciplinis, tum præsertim juris pontificii, & Decretalium studio diligentem operam cum dedisset, *Decretorum* Doctoris nomen & insignia promeruit. In tabulis Arbensibus *Famosissimus Decretorum Doctor* appellatur. Ecclesiæ, quam Reipublicæ servire maluit; & patriæ magistratibus ac muneribus posthabitis, Romam se contulit. Clericali ordini adscriptus inter præsules Curiæ Romanæ locum obtinuit. Martinus V. cognita viri doctrina & prudentia charum in primis habuit, eique præfecturam ærarii pontificii mandavit. Anno autem 1428. Episcopum Ecclesiæ Arbensi præfecit. Varia sunt acta emptionis seu locationis bonorum ecclesiasticorum nomine Angeli Episcopi subscripta & auctoritate firmata. Anno 1431. cum suo Capitulo & clero excepit Laurentium Venerium Metropolitam Jadrensem, qui indicta susceptaque totius provinciæ lustratione, Arbam pervenit. Inter Abbatem S. Petri, & Antistitam S. Andreæ, interque Episcopum, Capitulum, clerum, & Abbatem S. Stephani de Barbato controversia orta est, quid & quantum pro sua quique parte contribuere deberent ad sumptus, quos fieri necesse erat in Archiepiscopum, ejusque comitatum. Laurentius litem diremit, & composuit ad hunc modum.

Laurentius Metropolita Jadren. quid & quantum cuique contribuendum esset Archiepiscopo provinciam lustranti declaravit.

In nomine Dei æterni Amen. Nos Laurentius Venerius Venetus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Jadrensis dum pro visitatione necessaria fienda in provincia nostra, advenissemus ad visitationem civitatis & diœcesis Arbensis; & pro expensis exinde secutis orta esset differentia inter Reverendum Fratrem Dominicum Abbatem monasterii S. Petri de Arbo, & venerabilem ac religiosam dominam Grubbam Abbatissam monasterii S. Andreæ prædictæ civitatis Arbi; & exinde etiam orta esset differentia inter Reverendum in Christo Patrem Dominum Angelum Cavaza Venetum, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Arben. & Capitulum, Abbatem S. Stephani, & totum clerum diœcesis Arbensis; & habita clara, & ampla informatione, quod ex antiqua & longa consuetudine, & maxime ex confessione propria præfatæ Dominæ Abbatissæ, facta in præsentia præfati Domini Episcopi Arbensis, & venerabilis viri presbyteri Nicolai Plebani Ecclesiæ S. Michaelis de Jadra Cancellarii nostri, de omnibus expensis quomodocunque occurrentibus; Dominus Abbas tres partes ipsius dimidiæ, habito respectu ad quinque partes, & alias duas partes dicta Domina Abbatissa; aliam vero dimidiam Dominus Episcopus Arbensis, Capitulum, Abbas S. Stephani, & totus clerus diœcesis Arbensis persolvant; volentes & intendentes omnimode, ut de cætero rancores, scandala, & omnis materia differentiæ de medio tollatur; & unaquæque pars sciat & cognoscat ea, ad quæ super inde tenetur; inter loquendo pronunciamus, & declaramus, quod de expensis occurrentibus, & evenientibus de cætero, Abbas dicti Monasterii Sancti Petri, & Domina Abbatissa dicti Monasterii S. Andreæ solvere debeant, & teneantur dimidiam pro rata, & pro portione, ut supra, declarata; & aliam dimidiam Dominus Episcopus Arbensis, Capitulum, Abbas S. Stephani, & totus clerus diœcesis Arbensis; mandantes hanc nostram sententiam interlocutoriam, & declaratoriam sigilli nostri consueti munimine roborari. Actum in sala palatii Episcopatus Arbensis, currente anno Domini 1431. Indictione 9. die lunæ 14. mensis Maji; præsentibus Venerabili viro Domino presbytero Simone Plebano Ecclesiæ S. Petri antiquioris de Jadra, Conrado de Alemania, habitatoribus in Jadra testibus vocatis, & adhibitis.

Angelus ex Arbensi ad Parentinam, ex hac ad Traguriensem Ecclesiam regendam migravit.

Cum annos circiter quinque huic Ecclesiæ præfuisset, Eugenius IV. anno 1433. V. Idus Januarii Angelum Arbensibus ademptum, Parentinis Episcopum dedit; anno autem 1441. ad Traguriensem Ecclesiam transtulit, quam ad supremum usque diem retinuit.

JOANNES EP. ARBENSIS XXXII.

Joannes ex Ep. Parentino designato Episcopus Arbensis.

Civis, Canonicus, & Episcopus designatus Parentii, quem Eugenius IV. Angelo Cavaciæ in sedem Arbensem subrogavit, ut docent tabulæ consistoriales: *VII. Id. Januarii anno 1433. Eugenii 2. provisum fuit Ecclesiæ Arbensi vacanti per translationem factam de persona D. Angeli ipsius Ecclesiæ ultimi Episcopi ad Ecclesiam Parentinam tunc certo modo vacantem de persona D. Joannis Sac. Theol. professoris, Canonici dictæ Ecclesiæ Parentinæ nuper ad eamdem Ecclesiam Parentinam electi*. Idem Eugenius IV. custodibus seu præfectis sanctuarii Arbensis, roga-

Digitized by Google

Ab Eugenio IV. quædam privilegia impetravit custodibus Sanctuarii Arbensis Joannes Ep. Seniensis. rogatu Joannis Episcopi Seniensis, qui cum patria Arbensis esset, civibus suis gratificari cupiebat, potestatem fecit Sacerdotis, quem quisque voluerit, eligendi, per quem in extremo vitæ periculo constituti, peccatorum omnium vinculis exsolvantur; nisi si forte hujusmodi omnium delictorum quamvis enormium veniæ impetrandæ spe confisi, grave aliquod flagitium commiserint.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis nobilibus viris Christophoro de Dominis, Jacobo de Hermolao, Francisco de Cernota, & Joanni de Zudenico custodibus sanctuarii Ecclesiæ Arben. & qui perpetuis futuris temporibus idem officium obtinebunt, salutem & apostolicam benedictionem. Provenit ex vestræ devotionis affectu, quo nos & Romanam Ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas præsertim, quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos Ven. Fratris nostri Joannis Episcopi Signiensis supplicationibus inclinati, vobis, qui etiam fidelem curam & custodiam Reliquiarum sanctuarii Arbensis Ecclesiæ geritis, ut confessor idoneus, religiosus aut sæcularis, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei & unitate S. Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestræ tenore præsentium indulgemus: sic tamen quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, vel quemlibet vestrum, si supervixeritis, vel per hæredes vestros, si tunc forte transiveritis, faciendam injungat, quam vos vel quilibet vestrum, seu illi facere teneamini, ut præfertur; & ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum committenda; volumus quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte commiteretis, quod illa prædicta remissio vobis nullatenus suffragetur; & insuper quod per unum annum a tempore, quo præsens nostra concessio ad notitiam vestram pervenerit, computandum, singulis sextis feriis, legitimo cessante impedimento jejunetis; quod si prædictis feriis ex præcepto Ecclesiæ, regulari observantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneamini, una alia die singularum septimanarum ejusdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non sitis astricti, jejunetis; & si in dicto anno, vel aliqua ejus parte essetis legitime impediti, anno sequenti, vel alias quamprimum poteritis, modo simili supplere hujusmodi jejunium teneamini. Porro si forsan alias prælibatum jejunium in toto vel in parte, quandocumque adimplere commode nequiveritis; eo casu confessor idoneus, quem ad hoc elegeritis, jejunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum vestrarum saluti expedire videbitur, commutare valeat, quæ vos pari modo debeatis adimplere: alioquin hujusmodi præsens nostra concessio nullius sit roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum &c. Dat. Florentiæ Anno Incarn. Dom. 1434. VIII. Id. Octob. Pontificatus nostri an. quarto.

Joannes Ep. præses sodalitatis S. Mariæ &c. Anno 1437. Joannes Episcopus Dobram piam quamdam mulierem in sodalitatem S. Mariæ, & S. Petri, & SS. duodecim Fratrum de consensu omnium sodalium recepit & aggregavit: *1437. die Jovis, 19. mensis Decembris in episcopali palatio, præsentibus honesto viro presbytero Thoma de Stantiis Canonico Arbensi, & Dominico de Zuze vocatis .... testibus, ad hæc vocatis, & rogatis; ibique Rev. in Christo Pater Dom. Joannes Parentinus Dei gratia Episcopus Arbensis, tamquam primus Castaldus Fraternitatum S. Mariæ, & S. Petri, & SS. duodecim Fratrum, una cum D. Francisco de Lentiis Archipresbytero Arbensi, & cum presbytero Creste de Maza Castaldionibus dictarum fraternitatum, & cum assensu & voluntate Fratrum dictarum fraternitatum, videlicet Domini Nicolai de Rodanis Archidiaconi, D. Matthæi de Plangos Primicerii, Dom. Antonii Plebani, presbyteri Juliani, & aliorum Fratrum dictæ fraternitatis, advertentes devotionem, quam gerit Dobra uxor quondam Dominici de Taritono, fraternitati S. Mariæ, S. Petri, 12. Fratrum, dicta Dobra supplicans & petens ipsam in consortium dictæ fraternitatis numerare, recipere, & acceptare, & scribi facere, secundum morem dictæ fraternitatis, hac vero conditione, & pacto, quod statim post mortem ejus Dobræ, pro offertorio dictæ fraternitati vinea sua posita in Loro, sit & esse debeat libere dictæ fraternitatis: quod Dom. Episcopus una cum suprascriptis Castaldionibus, & Fratribus dictæ fraternitatis, advertentes devotionem ejus Dobræ, acceptaverunt eam benigne in consortem & fraternitatem prædictam, ad participationem Missarum, & orationum celebrandarum per confratres dictæ fraternitatis, ut moris est, cum suprascripta promissione per eam facta &c.* piam quamdam mulierem ad eam aggregavit.

Hæc præterea in tabulis Sanctuarii Arbensis notata invenio, quæ ad Joannem pertinent: *Joannes de Parentio Arbensis Episcopus dispensavit quædam legata, maxime pro ædificatione cujusdam capellæ secus portam civitatis.*

Joannes Parentinus Episcopus Arbensis 1438. dat facultatem vendendi quædam bona stabilia spectantia ad fraternitatem S. Mariæ. Locatio pariter facta est eodem die Benedicto Abbati S. Stephani Arben. diæcesis. In alio instrumento celebrato anno 1438. vocatur protitulatus, datque facultatem vendendi stabilia quædam S. Mariæ.

Anno 1439. Florentiam profectus Concilio Florentino interfuit, ejusque actis & decretis subscripsit. Arbam reversus ad episcopalia munia peragenda se retulit; sed post biennium nondum exactum huic Ecclesiæ nuncium remisit, & migravit in patriam ad Ecclesiam Parentinam regendam, quam illi Eugenius IV. demandavit an. 1441. III. Id. Aprilis. E vita decessit anno 1447. Dum Ecclesiæ Arbensi præsidebat, fenestra maxima orbicularis in fronte ædis cathedralis latius explicata est, & marmoreis crustis operibusque circum ornata: eique superposita hæc Inscriptio: Concilio Florentino interfuit; ab Arbensi ad Parentinam Ecclesiam transivit.

ANNO . DNI . M. CCCCXXXVIIII.
TPRE . DOMINI LVCE VIARE
COT.

MATTHÆUS II. EP. ARBENSIS XXXIII.

Sextus ex Arbensi familia de Hermolais. Erat Episcopus Sappatensis in Albania sive in extrema regione Dalmatiæ superioris; quem Eugenius IV. ad regendam Ecclesiam Arbensem mi-

Digitized by Google

migrare jussit an. 1440. tertio Idus Aprilis, ut docent tabulæ Romanæ. Tom. Oblig. 65. pag. 51. t. Cum templum S. Andreæ ad mare omni ex parte rimas ageret, ac ruinam minitaret, nec vero ullis fulcimentis sustineri, prohiberique ab lapsu posse videretur; Matthæus illius a fundamentis reædificandi suasor fuit auctorque Matthæo de Marinellis civi Arbensi copioso in primis ac nobili; pollicitus ei tum nomen Patroni, tum jus nominandi Sacerdotis, qui præfecturam illius templi susciperet, remque divinam ibidem quotidie faceret. Sed promissum, quod ipse fecerat, morte præreptus anno proximo post regimen hujus Ecclesiæ susceptum, successori complendum reliquit. Semel tantummodo *Matthæum de Hermolais Episcopum Arben.* nominatum invenio in tabulis venditionis quorumdam bonorum, quæ ad sodalitium S. Mariæ pertinebant *an. 1442. Indict. 5.* Vel hoc eodem anno, vel sequenti ad superos migravit.

PAULLUS II. EP. ARBENSIS XXXIV.

Jadertinus patria, ex ordine Patrum Prædicatorum, ut docent omnes catalogi; de quo nullam mentionem factam reperio apud Scriptores Dominicanos, quos ego viderim. Pontificatum gessit admodum brevem, quem eodem anno 1443. suscepit, & vel sponte, vel morte sublatus deposuit, ut ex Vadingo infra citando. Ceterum catalogi Arbenses ejus regimini biennium vel triennium attribuunt. Joannes Lucas Garagninus hodiernus Episcopus Arbensis * in tabulis fratrum sodalitatis S. Christophori confectis anno 1443. pridie Id. Junii *Balcamum de Pirano* nominatum invenit *Episcopum Arbensem electum*, cum Franciscus Fuscarus principatum in Venetis obtinebat. Sed ejus electionem, vel ipso abnuente, vel alia de caussa irritam fuisse censet.

* nunc Archiepiscopus Spalatensis.

NICOLAUS EP. ARBENSIS XXXV.

Nicolaus e Seniensi Arbensis Episcopus.

Hic quoque Jaderæ natus est, & disciplinæ Dominicanæ alumnus fuit, si fides habenda sit catalogis Antistitum Arbensium. Hic etiam abest ab historia, & monumentis editis, ac mihi notis, Patrum Prædicatorum. Illius Episcopatum alii cum 46. alii cum 44. hujus sæculi anno conjungunt. Lucas Vadingus anno 1443. eum ab Seniensi ad Ecclesiam Arbensem translatum fuisse tradit Tomo V. Annalium: *Factus est Episcopus Segniensis in Dalmatia sub Archiep. Spalaten. F. Andreas de Duratio per translationem Nicolai ad Arben. 19. Calend. Augusti an. 1443.* Nec vero infra annum 1444. hujus Episcopatus initia rejici possunt; hoc quippe anno litem diremit, quæ de quadam ædicula erat cœnobiarchæ S. Petri in Valle cum quodam Canonico Ecclesiæ cathedralis, ut docent tabulæ Arbenses eodem anno confectæ. Cum vero Abbas Commendatarius S. Stephani onus annui tributi Episcopo & Capitulo solvendi detrectaret; de utriusque partis consensu delectus est arbiter Vicarius generalis, qui secundum Episcopum, & Capitulum sententiam tulit.

Abbas S. Stephani annuam pensionem Episcopo & Capitulo solvere jubetur.

1446. *Indict. 9. die 9. Octobris.*

Egregius Dominus Vicarius auditis petitionibus factis hinc inde inter Ser Marinum de Nimira procuratorem, & procuratorio nomine totius Capituli Arbensis, & presbyterum Thomam procuratorem Domini Episcopi Arbensis, petentes ex una parte pro certa regalia libras tres, soldos quatuor, quas annuatim Abbatia S. Stephani de Barbato tenetur D. Episcopo Arbensi & Capitulo Arbensi, sibi jus & justitiam fieri; & ex alia parte inter Ser Nicolaum de Scafa nomine Fratris sui in commendam habentis dictam Abbatiam, tamquam ejus procuratorem, & illorum bonorum gubernatorem se defendentem, & dicentem se nescire qualiter ipsa Abbatia dictis Domino Episcopo & Capitulo teneretur in aliquibus regaliis vel donariis; quare probationes petiit, quibus se plene informare possit; quocirca productis ex consensu ambarum partium testibus, pro veritate videnda fuerunt examinati. Hi testes deposuerunt Abbatiam ab immemorabili solvisse Capitulo & Episcopatui libras tres, solidos quinque. Unde Vicarius Episcopo litem adjudicavit.

Ex omnibus decimis Novaliæ, qui locus est uberrimus & latissimus in Pago insula, de quo sæpe & multæ & graves contentiones Arbensibus cum Jadertinis fuerunt, partem Episcopus, partem Canonici Arbenses percipiebant. Suas esse omnes contendebat, sibique vindicabat Episcopus; & inconsulto & reclamante Capitulo, pro suo arbitratu, & quibus voluit, eas locavit; annua pensione sibi uni solvenda conductoribus imposita. Appellarunt Canonici ad Sedem Apostolicam. Eugenius per litteras mandavit Episcopo Veglensi, ut incolis Novaliæ pœnam anathematis denunciaret, nisi decimarum partem dimidiam Canonicis contribuerent; *Nicolaus Episcopus Arbensis*, ut est in tabulis Capituli, *ad affictum dederat decimas Novaliæ, prætendens eas ad Episcopatum tantum spectare. Reclamante Capitulo Eugenius dat litteras Francisco Episcopo Veglensi, qui sub pœna excommunicationis jussit homines Novaliæ, ut de cætero debeant medietatem decimarum Capitulo Arbensi respondere. Anno 1446. hæc acta sunt.*

Controversiam de decimis Novaliæ inter Episcopum & Capitulum.

Cum jampridem in urbem recepti fuissent Fratres Franciscani, quos Conventuales vocant, eisque attributum domicilium ac templum S. Joannis Evangelistæ; Fratres ex eodem ordine, sed severioris disciplinæ, qui apud Jadertinos in illa vinea Dominica assidue laborabant; & magno adjumento erant civibus ad christianam pietatem ac virtutem colendam; ingens sui desiderium, & miram cupiditatem Arbensibus injecerunt. Itaque duobus ex eodem ordine Fratribus Ludovico de Ragusio, & Joanne de Sibenico missis ad B. Joannem de Capistrano, qui tunc in Aprutio Vicarii generalis munere fungebatur, ut aliquot ex eadem familia Franciscana Patres suppliciter postularent, qui civitatem illam atque insulam divinis mysteriis ac præceptis excolerent; annuit vir sanctissimus; & pro potestate sibi ab Eugenio Pontifice tradita, F. Simoni de Ragusio per litteras imperavit, ut quem Arbenses dedissent, locum idoneum condendo cœnobio reciperet. Paruit F. Simon; & illuc F. Nicolaum de Pulisano præsidem cœnobii Franciscani Jadertini S. Crucis, cum litteris commendatitiis Laurentii Archiepiscopi se conferre jussit, ut locum, quem maxime Fratribus aptum esse opportunumque duceret, ipse deligeret. Hic autem designavit locum ac templum S. Euphemiæ, uno fere milliario ab urbe disjunctum; ibi jacta sunt fundamenta novi cœnobii; & primum lapidem sacris precationibus initiatum, ex mandato ejusdem Vicarii generalis demiserunt & locarunt

S. Joannes Capistranus Arbensibus petentibus concessit facultatem condendi cœnobii Franciscani severioris disciplinæ;

Quibus ex designatione F. Nicolai de Pulisano locus & templum S. Euphemiæ traditum fuit.

illi ipsi, quos ad B. Joannem Capistranum oratores miserant, cujus rei memoria publicis litteris consignata extat: *S. Joannes de Capistrano dat in commissis Ludovico de Ragusio, & Joanni de Sibenico ordinis S. Francisci, ut primum lapidem jaciant conventus S. Euphemiæ; idque Eugenius IV. bulla concessit; qua obtenta Arbam anno 1445. statim missus fuit F. Nicolaus Pulisano Guardianus S. Crucis extra muros Jadræ.* Huic præclaro pioque operi vehementer obstiterat F. Matthæus præses cœnobii Arbensis S. Joannis Evangelistæ; qui ajebat sacerdotium S. Euphemiæ cum suis omnibus proventibus collatum fuisse ab Romano Pontifice Matthæo Pazizzæ fratris sui filio admodum puero, ipsumque protulit pontificium diploma. Sed cum omnes ordines civitatis designatum cœnobium summopere expeterent; ne unus omnium voluntati repugnare velle videretur, jus obtinendi illius Sacerdotii, filio fratris acquisitum, tandem dimisit; & huic de fundis ac reditibus S. Euphemiæ illud tantummodo reservari voluit, quod extra fines domicilio claustrisque eorumdem Fratrum præscriptos supererat. Ita ingenti totius civitatis lætitia & gratulatione, illius loci possessio ritu sollemni & ex juris formula tradita est F. Nicolao de Sibenico, quem F. Nicolaus de Pulisano rectorem Fratribus cœnobii Euphemiani præposuerat. Hæc summatim ex tabulis Arbensibus, in quibus totius rei gestæ series fuse accurateque exposita fuit, in iisdemque tum epistola B. Joannis Capistrani ad F. Simonem de Ragusio, tum etiam diploma Eugenii IV. qui eidem B. Joanni quatuordecim cœnobia vel jam exstructa, vel exstruenda recipiendi potestatem fecit. Quas quidem tabulas hic subjicere operæ pretium visum est.

Anno 1445. Indict. 8.

Tabulæ Arbenses.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Actum Arbi temporibus equidem Serenis. Principis, & Excellentissimi Dom. D. Francisci Foscari Dei gratia incliti Ducis Venetiarum, & Rever. in Christo Patris, & Dom. D. Nicolai Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Arbensis, ac Regiminis spectabilis, & generosi viri D. Pauli Maripetro pro Serenis. Dominio Venetiarum honorabilis Comitis Arbi, præsentibus, ac diebus infra notatis. Religiosissimus in Christo Pater sanctæ vitæ, ac regularis observantiæ D. Fr. Joannes de Capistrano ordinis Fr. Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum Vicarius generalis dignissimus, zelator animarum, die noctuque non desinens cogitatum jactare, mentemque suam diversis imaginationibus revolvere, qua via, quibusve introductionibus animas multorum, e manibus, & potestate inimici humani generis posset evellere, & ad viam salutis reducere; tandem divina inspiratione, efficacissimave experientia rerum motus, animum adjecit toto posse perquirere, & omnibus suis spiritibus operari, ut facultas daretur nonnulla loca, seu monasteria sui ordinis præfati, in diversis orbis partibus denuo construi, seu jam constructa per ejus præfatos Fratres recipi posse, ac possideri, frui, & detineri perpetuis temporibus, cum præfati sui Fratres ordinis, ut præfertur, de observantia nuncupati, ubicumque degunt, populos ad gratiam salutis advocent, & inducant; ea itaque salubri cogitatione inductus, Bullas Apostolicas a sanctitate Dom. nostri Eugenii Papæ IV. debite expeditas obtinuit, quarum tenor hic infra punctualiter, per hoc transumptum, quibuslibet palam declaratur.

In Christo sibi carissimo Fratri Simoni de Ragusio, provinciæ Dalmatiæ ordinis Minorum, Frater Joannes de Capistrano ejusdem ordinis minimus, & indignus Reverend. P. G. in cismontanis partibus quoad Fratres de observantia nuncupatos, immeritus Vicarius generalis, salutem, & pacem in Domino sempiternam: Cum per carissimos Fratres nostros Fratrem Ludovicum de Ragusio, & Fratrem Joannem de Sebenico mihi relatum fuit, quod cives, sive incolæ civitatis, & insulæ Arbensis de dicta provincia Dalmatiæ, ob summam devotionem, & affectum, quem habent ad gloriosissimum Patrem nostrum Beatum Franciscum, ac etiam ad ordinem nostrum, obnixe cupientes Fratres nostri ordinis de observantia nuncupatos apud eos habitare, & commorari, quampluries Fratres nostros de dicta provincia requisierunt; eisque locum pro habitatione eorum constructum, vel construendum providere spoponderunt; & ego habeam a Sanctissimo Domino nostro Eugenio Papa IV. ut nonnulla loca pro habitatione Fratrum nostrorum recipere, ac retinere possim, prout in litteris suæ sanctitatis continetur expresse; hinc est quod attenta devotione civium illorum, & fructu salutis animarum, & Dei, ac nostri ordinis bonore, quæ rationabiliter sperari possint, concedo tibi pariter, & committo tenore præsentium, quatenus in dicta insula, sive civitate Arben. vulgariter nuncupata recipere, vel acceptare possis locum unum constructum, vel denuo construendum, aptum, & congruum pro habitatione, & commoditate Fratrum, sicut tibi cum discretis Fratribus de tua provincia melius videbitur, secundum formam, ac tenorem præfatarum Apostolicarum litterarum, hic inferius de verbo ad verbum insinuatum, & annotatum, qui talis est.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Joanni de Capistrano ordinis Fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori salutem, & apostolicam benedictionem. Inter ecclesiasticos ordines in domo Domini militantes id ex benedictione cælesti ordini tuo, & illius Fratribus magis ascribitur, ut efficax testatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad salutis gratiam evocant sibi proficientes per vitæ meritum, & aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, sæpe contingat nonnullos Christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, tuisque sermonibus allecti ad bona in cælestia commutandum, pro ipsorum, majorumque suorum animarum salute, loca quædam pro usu, & habitatione tui ordinis Fratrum fundarent, construerent, & ædificarent, vel fundata, constructa, & ædificata concederent, si ad id Sedis Apostolicæ suffragetur auctoritas, & sicut eadem petitio adjungebat, si quatuordecim loca pro usu & habitatione hujusmodi fundandi, construendi, & ædificandi, aut fundata, constructa, & ædificata recipiendi a Sede prædicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse sperares; Nos igitur qui religionem nostris præsertim temporibus augeri intensis desideriis exoptamus, ac salutem quærimus singulorum, tibi nec non pro tempore existentibus quarumcumque provinciarum juxta morem Fratrum Minorum de observantia nuncupatorum Vicariis, quatuordecim loca ubicumque consistentia cum Ecclesiis, campanilibus, & campanis, hortis, hortaliciis, & aliis necessariis officinis, si tibi

aut

aut aliis alumnis canonice consignentur, vel in locis ad id congruentibus, & honestis vobis per eosdem Christifideles forsitan assignandis domibus, Ecclesiis, cum campanilibus, campanis, hortis, & hortaliciis, & aliis necessariis officinis hujusmodi fundari, construi, & ædificari faciendi, ac recipiendi, & perpetuo retinendi, diœcesanorum locorum, in quibus hujusmodi loca fuerunt, aut ejusdem ordinis superiorum licentia minime requisita, eadem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem; & insuper universis, & singulis dicti ordinis Fratribus, quos in locis hujusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus, & singulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus, & exemptionibus ordini præfato, nec non ipsius domibus, locis, ac personis per Sedem prædictam, vel alias generaliter quomodolibet concessis uti & gaudere libere, liciteque valeant, auctoritate præfata concedimus, (jure tamen parochialium ecclesiarum, & cujuslibet alterius semper salvo) felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prohibitione, ne Religiosi ordinis Mendicantium loca de novo recipiant absque licentia Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & aliis constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc tentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1444. 14. mensis Februarii, Pontificatus nostri anno decimo quarto.

Prædictarum igitur apostolicarum litterarum vigore tibi, ut supra, præfatum locum in prædictæ civitatis, seu insulæ Arbæ territorio, vel finibus, ubicumque tibi melius visum fuerit, cum consilio aliquorum discretorum Fratrum tuæ curæ commissorum, meis nomine & vice recipiendi, & acceptandi juxta continentiam præfatarum litterarum, præsentium tenore liberam, ac plenam licentiam tribuo, pariter & concedo, circa prædicta vices meas tibi committens, ut in omnibus, & per omnia dicere possis, facere tanquam mea propria persona, si præsentialiter interessem. Vale in Christo Jesu. Ora pro me. Ex civitate Acquilæ in sacro Conventu nostri ordinis An. Domini 1445. die 23. mensis Maji, Octava Indictione, Pontificatus vero ejusdem Sanctiss. Domini Eugenii Papæ IV. anno 15. Frater Joannes supradictus manu propria me subscripsi, & sigillum apponi feci consuetum. Ego Notarius Lucas de Balzano de Acquila præfatus. Ego Notarius Nutius Andreæ de Pretorio de Acquila publicus &c. quorum notariorum subscriptiones in præfatis Bullis ordinate subnotatæ sunt, ut decet &c.

Quæ itaque Bullæ cum his diebus, Deo operante, emanarent religioso Domino Fratri Nicolao Pulixano ejusdem ordinis de observantia nuncupati, Guardiano monasterii Sanctæ Crucis extra muros Jadræ, qui cum non parum circa salutem animarum pervigilet, inspecta serie Bullarum præscriptarum, quibus specialis fit mentio hujus egenæ insulæ spiritualium videlicet erudimentorum, affectans adeo acceptabile munus ejusdem insulæ habitantibus efferre, absque mora, litteris persuasissimis Reverendiss. in Christo Patris, & D. Laurentii, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi Jadrensis meritissimi; huic rei ad Dei honorem permaxime, consilium, favorem, ac auxilium opitulantibus, huc Arbum se contulit, requisivitque in observatione Bullarum præfatarum locum congruum pro habitatione Fratrum sui ordinis perpetuo duratura; ob cujus adventum magnificus Dom. Comes antedictus, universusque cœtus nobilium civitatis, cæterique boni cives, & habitatores civitatis & insulæ considerantes proficuum procul dubio emanandum exinde, si id fiet, quod petiit, debitis juxta posse redditis gratiis summo Deo, qui eis non meditantibus tale & tantum munus obtulerit, speciali veroque gaudio repleti fuerunt, dictum Fratrem Nicolaum benigne, & reverenter, ut decet suscipientes, ac spondentes fore promptissimos dare quod requisivit; deinde non magno intervallo facto, idem magnificus Dominus Comes, ut assequeretur assensum civitatis, redderetur ve debitus honor quibus pertinet, mandavit ordinari Consilium solemne, in quo debeat res ipsa proponi, & ut sit perpetuis temporibus duratura, sic ordinari, quod prout petitur, attribuatur auctoritas dicto Fratri Nicolao eligendi in hac insula, ubi voluerit, locum sibi gratum pro eo opere construendum; in quo quidem Consilio ad sonum campanæ, ut est moris, solemniter, & debite congregato, fuit posita pars infrascripti tenoris, videlicet: 1445. die 4. Augusti in pleno Consilio civitatis Arbi in loco solito, ac debite congregato, de licentia, & auctoritate magnifici D. Pauli Maripetro honorandi Comitis antedicti; viri nobiles, & egregii Ser Colanus de Cernota, & Hermolaus de Hermolais Sindici honorandi Consilio præfato proposuerunt, videlicet. Cum Reverendiss. Dominus Archiepiscopus Jadrensis pro honore Dei, & salute animarum nostrarum scripserit magnifico Domino Comiti, & huic Communitati in commendatione religiosi Domini Fratris Nicolai Pulixano ordinis observantiæ, qui cum specialibus Bullis Apostolicis huc accessit, assumpturus quemdam locum pro residentia Fratrum sui ordinis, considerata utilitate, quam animæ nostræ exinde procul dubio consequentur, inspectaque forma dictarum Bullarum, concedatur ipsi Dom. Fratri Nicolao eligendi locum in insula ubi ei videbitur, servata tamen serie ipsarum Bullarum, pro construendo monasterium sui ordinis prædicti. Quæ pars ad partitum posita, & ad bussulos post nonnullas arengationes deducta, fuit obtenta per consiliarios triginta quatuor, nemine contradicente. Quibus igitur sic peractis, idem Dom. Nicolaus omnibus locis hujus insulæ meditatis elegit in observationem prædictam, locum S. Euphemiæ distantem a civitate per miliare, vel circa, pro sibi grato, idoneo, & apto pro eo monasterio ædificando, ubi omnibus tunc assentientibus, videlicet Nobilibus, & aliis habitatoribus civitatis, & insulæ, idem Dom. Fr. Nicolaus illico in eo loco S. Euphemiæ ad vacandum ibi circa divina officia deputavit Ven. Fr. Nicolaum de Sebenico pro Guardiano, Andream de Firmo, Pacificum de Sebenico, Antonium de Bichiach, Ludovicum de Canali, Michaelem de Ragusio, ac Laurentium de Sebenico omnes ordinis præfati de observantia nuncupati, videlicet S. Francisci, qui ad honorem Dei, ejusque gloriosissimæ Virginis Matris, totiusque curiæ cælestis, experientia rerum testante, religionem eorum assiduis officiis exemplisque merito imitandis pro salute animarum integre, ac debite conservabunt, adeo quod huic universitati nil carius effici potuisset.

Digitized by Google

Gaudebant omnes, & speciali gaudio replebantur; sed inimicus totius creaturæ exinde non parum mœstus effectus extitit, quia quos ad ejus æternale damnatum consortium jamdiu ducere procul dubio conatus fuerat, ad viam salutis admissa Religione præfata recte volare conspiciebat. Itaque sui cogitatum direxit hanc præfatam Religionem sacram vexare; & quoad potuit diversis modis id perquisivit: Denique Dom. Fr. Matthæus Guardianus conventus Sancti Joannis de Arbo, etiam certis Bullis nomine Matthæi Panizza sui nepotis simili modo contra hanc omnimodam intentionem civitatis stare conabatur: quibus omnibus occasionibus omnino fuit expediens ad observandum promissa, & ad prosequendum desiderium civitatis per Consilium debite, & solemniter congregatum poni, & affirmari partem subsequentis tenoris, ut si quis aliquid contra prædicta tentare præsumpserit, noscat se non solum contra prædictos Fratres penitus imitandos operari, verum etiam contra universitatem habitantium civitatis, & insulæ. Die 8. Novembris, quia, prout omnibus existentibus in hoc egregio Consilio notum est, superioribus diebus per partem expressam fuit captum, & affirmatum ob persuasiones instantissimas magnifico D. Comiti, & huic egregie Communitati factas litteris Reverendiss. D. Archiepiscopi Jadrensis, & pro obediendo, ac prosequendo formam Apostolicarum Bullarum, quod quidem omnibus proponendum est, dandi, & deputandi quemdam locum Ven. Fratribus de observantia nuncupatis, pro construendo monasterium sui ordinis, ubi religioso Fr. Nicolao Pulixano, qui tunc Arbum ipsa pro causa venerat, videbitur, & placuerit; & cum idem D. Fr. Nicolaus elegisset pro eo monasterio construendo locum S. Euphemiæ pro sibi apto, grato, commodo, & jam ibi dimisisset nonnullos ejus socios religiosæ & sanctæ vitæ, quos D. Fr. Matthæus Guardianus conventus Arbensis inde dicitur velle expellere vigore certæ Bullæ Apostolicæ obtentæ pro quodam puero, ut dicitur, ejus nepote, quas tum requisitus pluries a D. Comite antedicto nunquam ostendere voluit; & cum nullo modo velit assentire, quod ipsi Fratres permaneant, quamvis pluries in genere & in specie fuerit requisitus, etiam cum ejus avantagio, quod ex nunc cedit in opprobrium maximum hujus Communitatis, & si id ipsi F. Matthæo assentiretur, amplius amodo hæc universitas denigraretur: unde ad hanc infamiam removendam, & ad manutenendum quod in hac causa per hanc Communitatem captum sit, omnino necesse est providere. Proponitur ergo per ser Colanum de Cernota, & ser Hermolaum de Hermolais Sindicos honorandos hujus Communitatis de scientia, & auctoritate antedicti magnifici D. Comitis ibi præsentis, quod pars primitus, ut supra, capta superinde per præsens Consilium affirmata sit, & si quis præsumpserit quovis modo contra eam venire, ad expensas hujus præfatæ Communitatis super inde ejus sortiatur effectus, & sic leviter non revocetur. Quæ pars debito modo lata, & arrengata, & ad bussulos reducta, fuit obtenta, quia del sì fuerunt ballottà 27. de non una sola existente, non obstante. Is autem D. F. Matthæus procurator Matthæi Panizza sui nepotis considerans talem intentionem civitatis, ei nullo modo contrastare disposuit, imo etiam toto posse imitari. Sicque non obstantibus Bullis nepotis penitus fuit contentus, Ecclesiam, domus, hortos cum ea particula territorii, quæ condecens videbitur, designari, ac detineri posse per præfatos Dominos Fratres de observantia nuncupatos; & sic stantibus terminis, quia idem D. Fr. Nicolaus Pulixano Jadram redierat; cum dimissis sociis suis prædictis huc Arbum se transtulit religiosus D. Fr. Nicolaus de Jadra ordinis præfati de observantia, & pluribus pluribusve diebus verbum Domini devotissime, solemniterque publice annunciavit. Tandem aspiciens nullam orationem perfectam dici posse nisi conclusio debita pronuncietur, videns devotionem civitatis magis, atque magis in dies ad Religionem præfatam augeri, visum ei fuit omnino necesse, ut corporalis possessio, & tenuta loci præfati, videlicet, Ecclesiæ, domorum, ac certæ particulæ territorii pacifice daretur, & assignaretur ordini antedicto, quod ejus parere exprimere non neglexit magnifico & carissimo Dom. Comiti antedicto, cujus magnificentia existimans sic fore exequendum, & omnino oportere, participato consilio, & parere egregiorum virorum D. D. Colani, & Hermolai Sindicorum, & aliorum quoque plurimorum Arbi civitatis, porrigi jussit quamdam supplicationem venerando Capitulo Arbensi pro parte Communitatis, qua requirebatur auctoritas ab eo Capitulo inducendi præfatos Fratres de observantia nuncupatos in tenutam, & corporalem possessionem loci ac rerum prædictarum, pro constructione monasterii eorum ordinis perpetuo duraturi. In quo Capitulo solemniter convocato, ubi etiam affuit Ven. Dom. Fr. Joannes Abbas monasterii S. Petri della Valle, & Vicarius cum plenaria potestate Reverendiss. in Christo Patris Domini Episcopi antedicti, per omnes Ven. Canonicos devote, & reverenter in omnibus, & per omnia fuit gratificata supplicatio antedicta. Sicque ordine dato die Dominico 16. mensis Januarii magnificus Dom. Comes antedictus, spectabilis Miles imperialis D. Stephanus de Dominis, ser Franciscus de Cernotis, D. Fr. Nicolaus de Jadra antedictus, D. Franciscus de Lentiis Archipresbyter, D. Presbyter Petrus, D. Presbyter Thomas de Stanze, & alii ex Canonicis Ecclesiæ majoris, ac ex nobilibus, & pluribus civibus ad locum S. Euphemiæ accesserunt, ubi per omnes unanimes, nullo contradicente, ad honorem omnipotentis Dei, Beatissimi Francisci, totiusque Curiæ cælestis, affixi fuerunt confines territorii, pro ut condecenter visum fuit oportere, videlicet, a latere . . . fuit stabilita pro confini via publica, a latere australi fuerunt assignati confines incipiendo a via publica prædicta, & tenendo usque ad latus maris, & confines signati constant. Item a latere tramontanæ quidam monticulus clausus, sive circumdatus maceriis a via publica usque ad litus maris . . . litus maris prædictus; & eis omnibus omnino ibi existentibus, ecce D. Fr. Matthæus supradictus procurator Matthæi ejus nepotis, etiam eo Matthæo præsente illuc applicuit, & visis designationibus confinium, eos gratificavit nomine quo supra, præstans huic actui omnem ejus auctoritatem, quam habet, seu habere potest nomine prædicto, ac se offerens perpetuis temporibus nunquam in aliquo contravenire, præfato ejus clientulo ibi præsente, & non contradicente. Successiveque omnes prædicti magnificus D. Comes, egregii Sindici, cæterique nobiles, & plures ex popularibus, nec non Rev. Patres Dom. Vicarius, Archipresbyter, Fr. Matthæus, cæterique Canonici existentes in refectorio loci prædicti, lecta

lecta per me Notarium Bulla antedicti Matthæi Panizza, fecerunt solemnem ratificationem designationis, ac omnium actuum præscriptorum, dimittentes ipsas Bullas Matthæi Panizza in suo pristino statu, in reliquo territoriorum, ac redituum ipsi loco spectantium, ultra designationem antedictam. Quibus sic peractis, inde abierunt, & successive die Dominico 23. Januarii ad deducendum meditato fine quod cœptum est, magnificus Dom. Comes antedictus, & multitudo innumerabilis nobilium, & aliorum habitantium civitatis & insulæ ad locum præfatum S. Euphemiæ accesserunt summo mane, ubi post Missarum solemnia, & annunciationem verbi Domini, in eadem Ecclesia S. Euphemiæ ante altare majus facta debita, & exquisita congregatione per magnificum Dom. Comitem, Ven. D. Franciscus de Lentiis Archipresbyter majoris Ecclesiæ vice & nomine ejus universalis Capituli, præsentibusque pluribus Canonicis ipsius Capituli, posuit, & induxit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti dictum Fratrem Nicolaum de Sebenico Guardianum constitutum ipsius loci in tenutam, & corporalem possessionem Ecclesiæ antedictæ, ac domorum, & territorii, ut supra confinati, eundo ad portas Ecclesiæ præfatæ, & eas claudendo, & aperiendo, ac tintinnabulum campanæ movendo, & pulsando, pannos altaris apprehendendo ab utroque latere, & alias solemnitates exequendo, quæ ad assumptionem cujuslibet veræ tenutæ corporalis possessionis requiruntur. Et immediate Rev. D. Vicarius antedictus suo annulo aureo eumdem D. Fr. Nicolaum Guardianum genuflexum humiliter vice, & nomine omnium, & singulorum tam præsentium, quam futurorum præfati sui ordinis de observantia nuncupati, solemniter investivit de prædictis Ecclesia, domibus, & territorio ut supra confinatis; quibus sic actis, omnes inde lætantes in Domino abierunt. Et die XI. Februarii Ven. D. Franciscus Archipresbyter antedictus, D. Presbyter Thomas, Presbyter Petrus, & alii ex Canonicis Ecclesiæ majoris cupientes pro posse tollere, & abolere umbras scandali, quam forte inter eos, & præfatos Ven. Fratres de observantia nuncupatos, sive eorum successores sequi posset, in Ecclesia S. Spiritus in platea Gaspi cum religioso D. Fr. Nicolao de Jadra antedicto vice, & nomine suo, ac ejus successorum amicabiliter, caritative ad hæc specificata pacta devenerunt. Quod si casu quis defunctus de cætero sepeliri ordinaret ad locum S. Euphemiæ præfatum per Fratres ibi degentes, non possit vetari ullo modo, & ceræ talis ibi sepulti dividi debeant per medietatem, si Presbyteri funerali officio aderint, & inter ipsos de observantia nuncupatos. Item quod Canonici præfati Capituli absque contradictione alicujus, si voluerint ire, possint cum processione ad ipsum locum S. Euphemiæ bis in anno pro ut consueverunt per clapsum, in quibus duabus vicibus non debeat intelligi, nec computari festivitas S. Euphemiæ, quia ipsa dies penitus præfatis Vener. Fratribus de observantia nuncupatis reservata est. Ad quæ omnia, ac singula supradicta continue, & singulis horis dum sic fierent ut scriptum est, fuerunt præsentes nobiles viri ser Damianus de Dominis q. spectabilis Dom. Andreæ militis, & ser Petrus de Zaro præ aliis testes vocati, & specialiter rogati. Pro quibus omnibus ego Notarius, & Cancilierus infrascriptus fui rogatus, præsens publicum conficere Instrumentum, & dum omnia prædicta sic fierent, continue præsens fui inter Capitulum Arbensem.

Ego Nicolaus filius qu. Dom. Joannis de Pretto Piranensis publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordin. &c.

Ad cœnobium ac templum S. Euphemiæ deinde adjunctum est templum S. Bernardini Senensis ex collata piorum hominum pecunia ædificatum; de quo inter Canonicos, & Patres Franciscanos ita convenit, ut iisdem plane, quibus ædes Euphemiana, & conditionibus subesset, & privilegiis gauderet; idque constat ex tabulis in hæc verba confectis. *Ædes S. Bernardini Senensis ad templum S. Euphemiæ addita & Patribus iisdē Franciscanis attributa.*

Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, die nona Junii constituti in cancellaria Communis Vener. viri D. Martinus de Cernotis Archipresbyter Arbi, D. Matthæus Primicerius, D. Presbyter Julianus de Sotta, D. Thomas de Stantiis, D. Antonius de Bizza, omnes Canonici Arben. Ecclesiæ Majoris, Arbi totiusque nomine, nomineque Rev. D. Joannis Scaffa Episcopi Arben. totiusque Capituli Arben. ex una parte per se, & succes. suos: ex alia vero Ven. viri Fratres Gregorius de Sibenico Guardianus conventus Fr. Minorum de observantia S. Euphemiæ insulæ Arbi cum aliis Fratribus dicti loci, qui ad præsens reperiuntur in dicto loco, eorum nomine, & nomine Vicarii & custodis absentium, tamen ad hoc contestantium ante eorum recessum, prout asseruit ipse Dom. Guardianus; præsentibus nobilibus ser Christophoro de Nimira, & ser Joanne Bachino de Dominis procurator. dicti loci, vice & nomine eorum, & successorum suorum, ex altera, ad evitanda scandala & differentias, quæ imposterum oriri possent; unanimiter & concorditer ad hæc pacta devenerunt, videlicet quod Ecclesia S. Bernardini cum suis pertinentiis in dicto loco de novo fabricata, quæ nunc est considerande, subiaceat & esse debeat ad conditiones, pacta, & consuetudines, ad quæ erat & est Ecclesia S. Euphemiæ dicti loci cum cimiterio, omni exceptione juris vel facti remota, sicut constat &c. præsentibus ser Joanne de Dom. qu. ser Damiani, ser Jacobo de Dom. qu. ser Andrioli, & ser Christophoro de Cernotis qu. ser Francisci.

Ego Joannes Maria de Xojannis de Papia civis Assili publicus Imperialis Notarius Judex ordinarius, & magnifici Domini Marci Venerio honor. Comitis Arbi pro Illustr. Ducado Venetor. . . . Cancellarius, suprascriptam copiam feci ex libro Inst. . . spectabilis Dom. Pauli Maripetro olim Comitis Arbi, fideliter de verbo ad verbum, nil addens nil minuens quod sensum mutet, aut variet intellectum. In quorum fidem me subscripsi.

Ego Antonius Nimireus Arben. Archidiaconus, Apostolica auctoritate Comes palatinus, & Imperiali Notarius publicus, ac Judex ordinarius, ex copia ... Notarii posita in actis Ecclesiasticis Dom. Presbyteri Thomæ de Stantiis Canonici Arben. Notarii, & curiæ episcopalis Cancellarii fideliter accopiavi.

Nicolai Episcopi nomen tabulis sanctuarii Arbensis sæpe inscriptum reperitur: *Anno* 1444. *F. Nicolaus ord. Prædicat. Capitulo consentiente, & pro bono utili, & elevatione, ut dicit, Ecclesia S. Nicolai de hospitali locat duas vineas. F. Nicolaus ord. S. Dominici anno* 1447. *dicitur Arben. Episcopus in quadam appellatione facta ad Laurentium Venerium Jadren. Archiepiscopum a quodam Canonico Arbensi de confiniis* *Nicolaus sæpe nominatus in tabulis Arbensibus.*

finiis Ecclesiæ S. Blasii. Nicolaus de Jadra Ep. Arben. anno 1447. citatur in quodam instrumento sive sententia Vicarii Archiep. Jadren. Laurentii Venerii. Joannes de Parentio Arben. Episcopus dispensavit quadam legata maxime pro ædificatione cujusdam capellæ secus portam civitatis: cui dispensationi non annuit Nicolaus de Jadra anno 1447. Vitam & Pontificatum ad annum hujus sæculi circiter quinquagesimum perduxit.

JOANNES II. EP. ARBENSIS XXXVI.

Patricius Arbensis ex illustri familia Scaffa, idemque Primicerius ædis cathedralis. Plerique catalogi epocham suscepti Pontificatus anno 1460. affigunt; sed retrahendam esse in annum alterum & quinquagesimum hujus sæculi affirmat Valerius a Ponte in suo catalogo, quo cum consentiunt tabulæ Arbenses. Canonicos obsequio & charitate adeo sibi devinxit, ut de communi sententia decreverint neque ullos conventus indicere, vel habere, neque quidquam statuere *antea non petita, & obtenta licentia Reverend. Dom. Joannis Scaffa*. Extat hoc decretum inter Acta capitularia, quod factum fuit anno 1452. Anno hujus sæculi quinquagesimo sexto atrox morbi vis, contagione vulgata, urbem ac totam insulam pervasit. Optimus Præsul in ea maxima calamitate gregem suum minime deferendum putavit, sed adjutores sibi & socios quærendos, qui peste affectis opem secum ferrent, nec corpora solum ægrotantium humanis, sed animos etiam divinis remediis ac subsidiis curarent. Canonicos convocari jussit, & singulis potestatem optionemque fecit vel manendi in urbe ad subveniendum civibus suis, gravissimo illo & mortifero morbo laborantibus, vel abeundi ad commune periculum devitandum, & loca salubriora captanda. Quinque omnino fuerunt, quibus charitas, & suorum civium commiseratio, quam salus, aut vita fuit antiquior; & Episcopi exemplo sanctaque æmulatione incitati, se ultro in gloriosi operis societatem obtulerunt. His vero, ne periculum sponte susceptum, piusque labor suo ac debito præmio careret, cedere jussit abeuntes dimidiam partem suarum decimarum; vel si pestis integrum annum teneret, omnes proventus ecclesiasticos illius anni, qui ad absentes pertinebant, iisdem attribuendos esse decrevit. Hæc autem memoriæ caussa in codicem Actorum capitularium referre voluit: *Tempore Joannis Scaffa, anno nempe 1456. grassabatur acerrima pestis Arbensi in insula; ideoque Capitulum convocatur ad decernendum utrum residere velint, an vero se absentare. Opinionibus hinc inde discussis & trutinatis tandem decretum est in Capitulo, quod pro libito suo quilibet se absentare poterit; & ab Episcopo determinatum, quod illi pauci, qui residebunt, provenientium decimarum integram medietatem obtinebunt. Sin autem per totum annum pestis grassaretur, totius anni proventus ad ipsos spectarent. Quinque Canonicorum zelo charitatis acti absentare se recusarunt.*

Pestilentia Arbensis.

Joannes Ep. controversiam habuit cum Archidiacono, & Archipresbytero.

Post extinctam pestilentiam, controversia illi fuit sane acris & diuturna cum Francisco de Lentiis Archidiacono, & cum Martino de Cernotis Archipresbytero, qui subsellium suum proximum solio episcopali, alter ad dexteram, alter ad sinistram constituere volebant, contra quam vetus consuetudo postulabat; idque sibi pertinaciter arrogabant, ac deberi contendebant. Cum iterum ac sæpius admoniti, ab hujusmodi arrogantia & contentione non desisterent, utrumque ingressu Ecclesiæ prohibuit. Res delata est ad tribunal Maphæi Archiepiscopi Jadrensis, qui per suum Vicarium Archidiacono, & Archipresbytero caussam adjudicavit. Episcopus appellavit ad Primatem Dalmatiæ, Maphæum Contarenum Patriarcham Venetiarum, qui Rectorem plebis S. Barnabæ suum Vicarium utrique parti judicem dedit, & Arbam ad eam controversiam dirimendam venire jussit. Lis diu multumque agitata fuit, & variis disputationibus ac judiciis protracta; tandem litigii, & pertinacissimæ contentionis contra Episcopum susceptæ utrumque pœnituit; & actione qualibet judiciali semota, rem omnem ejus arbitrio permiserunt. Hæc breviter summatimque in actis curiæ episcopalis: *Joannes Scaffa Episcopus Arbensis controversiam habuit cum Archidiacono, & Archipresbytero, quam Maphæus Valaresso per Vicarium suum judicavit; cujus sententiam Episcopus Scaffa appellavit ad tribunal Patriarchæ Venetiarum, qui Arbum misit Vicarium suum Plebanum Plebis S. Barnabæ ad controversiam dirimendam. Motivum litis fuit suspensio ab Episcopo facta, & prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, eo quod prætendebant hæ Dignitates locum habere in Ecclesia S. Mariæ apud cathedram episcopalem. Varia hinc inde judicia secuta, tandem de consensu partes se retractarunt, & in manus Episcopi Dignitates se posuerunt.* Hic Episcopus adjutores chori, quos mansionarios vocant, itemque administros sacrificii solemnis, certo ac stabili numero definivit, ut est in codice capitulari; *Joannes Scaffa decretum tulit, quod mansionarii non possint esse numero plures, quam sex, subdiaconi vero tres, totidemque diaconi anno* 1460.

Bosnenses patria sub Turcarum potestatem redacta profugos, benigne excepit.

Anno 1463. post Bosinam sub imperium Turcarum redactam, multos tum de plebe, tum de nobilitate Bosnensi, amissa patria profugos, insula & civitas Arbensis excepit, quos Joannes Episcopus, ut eum & exulum calamitas, & sua pietas admonebat, omni charitate complexus, quibuscumque potuit rebus adjuvit, eorumque inopiæ subvenit. Varia monumenta, publicis ædificiis impressa ad memoriam sempiternam, suæ religionis ac beneficentiæ reliquit. Sacellum in æde cathedrali, quod Zudenicus de Zudenico extruxerat, magnificentius ornavit, ut declarat insigne gentilitium familiæ Scaffæ ibidem parieti affixum, cum subjecta inscriptione, cujus litteras intermedias abrasit vetustas, *Jo.... Episcopi*. Eidem tabulæ marmoreæ a dextera insculptum est stemma Zudenici cum inscriptione: *Zudenicus de Zudenico*. Idem omnino stemma utrique inscriptioni superpositum: nam idem erat & commune utrique familiæ Scaffæ, & Zudenicæ. Ædes episcopales ab Joanne restauratas fuisse & amplificatas, indicio est avitum ejusdem stemma, aulæ tabulato insertum, cui pontificia mitra superimpendet. In Ecclesia cathedrali ad dexteram altaris maximi aram egregio opere ornatuque Divis Hieronymo & Anastasiæ posuit; ibique apud gradus ejusdem aræ sepulcralem arcam sibi paravit. Tabula marmorea superimposita simulacrum exhibet episcopale, & stemma gentilitium superne hinc atque hinc adjectum, utrum-

que

Digitized by Google

que opere anaglyptico incisum. Oræ extremæ inscriptus est titulus hujusmodi:

INSIGNIS. PIETATE. VR̄. IOHANNES. SCAFA. PRÆSUL. ARB. MAUSOLEUM. HOC. SIBI. TM̄. ALTARE. AUT. CŪ. OMNI ORNATU. TABERNACULI. DIVIS. HIERONYMO. ET. ANASTASIÆ. SUA. IMPENSA. STATUIT. M. C. C. C. C. L. V. I.

Ejusdem epigraphes alterum exemplum habeo, quod paullulum a superiori differt. *Insignis pietate vir Joannes Scaffa Præsul Arbensis Mausoleum hoc sibi tamquam altaris auctori cum omni ornatu Divi Hieronymi & Anastasiæ sua impensa statuit MCCCCLVI.*

Annos circiter duos & viginti Ecclesiam Arbensem sapientissimis institutis & egregiis factis illustravit. Pie decessit an. 1472. illatusque est in sepulcrum, quod ante sex & decem annos sibi paraverat.

LEONELLUS EP. ARBENSIS XXXVII.

Vir eximiæ & perantiquæ nobilitatis e gente patricia Vicetina de Clericatis. Vicarius cum esset Basilicæ Vaticanæ, eum Sixtus IV. Episcopum Arbensibus dedit anno 1472. ut catalogi docent. Hanc Ecclesiam annos fere duodecim vel per se vel per suos Vicarios administravit. Capitulum Arbense constabat ex Canonicis omnino duodecim; & ne plures essent, tum decretis capitularibus, tum vero Metropolitæ Jadrensis auctoritate sancitum fuerat, præsertim cum mensæ capitularis adeo tenues reditus essent, ut ex his in partes duodecim distributis, portio admodum exigua singulis obveniret. Verum erant præterea, quibus ab Sede Apostolica jus datum fuerat in eorum, qui decederent, locum succedendi, occupandique subsellia, quæ aut morte, aut voluntaria cessione vacua reliquissent. Hi vero non solum in chorum, cœtusque Canonicorum admitti, sed etiam communium redituum ac distributionum participes fieri volebant: id quod molestiæ, incommodo, detrimentoque veris ac legitimis Canonicis erat. Qua de re questi cum essent apud Sedem Apostolicam, Sixtus IV. Pontifex Max. per litteras Maphæo Metropolitæ Jadertino imperavit, ut, si quod ad se delatum fuerat, verum esse comperisset; definitum Canonicorum Arbensium numerum augeri, Pontificia auctoritate interposita vetaret; neve illis, quibus per electionem anticipatam a Sede Apostolica jus datum esset succedendi in locum eorum, qui decesserint, ad subsellia & conventus Canonicorum accedere, & de quotidianis distributionibus, & communibus mensæ capitularis proventibus aliquid percipere pateretur.

Capitulum Arbense constans e Canonicis duodecim,

quod augeri vetuit Sixtus Papa IV.

Diploma Pontificii.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Archiepiscopo Jadrensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Exposcit a nobis pastoralis officii debitum, ut ea quæ pro Ecclesiarum quarumlibet, & præsertim cathedralium indemnitatibus, & personarum earundem quiete, proque divini cultus augumento rationabiliter gesta & ordinata comperimus, ne impugnationi subjaceant, apostolici muniminis præsidio solidemus. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Arbensis petitio continebat, licet in dicta Ecclesia canonicales præbendæ non sint distinctæ, & ex statutis ipsius Ecclesiæ antiquitus observatis, ac etiam juramento, & metropolitica auctoritate firmatis, quod Canonici nisi duodecim numero, in ipsa Ecclesia esse non possent, dignitatibus, seu personatibus in hujusmodi numero computatis; tamen sæpe contingit duodenarium numerum per expectantes Apostolicos infringi, & augeri, non sine ipsorum Capituli, & Canonicorum perturbatione, & animi molestia. Et sicut eadem petitio subjungebat, si statuta hujusmodi, ad hoc ut duodenarius numerus Canonicorum prædictorum non infringeretur, auctoritate Apostolica confirmarentur, & creati Canonici prædicta apostolica auctoritate expectantes, in dicta Ecclesia non admitterentur; præfatis Capitulo, & Canonicis, ac ipsorum quieti, & tranquillitati, & indemnitati salubrius consuleretur. Quare pro parte Capituli, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ asserentium, quod fructus, & redditus, & proventus dictarum præbendarum, seu canonicalium portionum, duodecim florenorum auri de camera non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuta hujusmodi, pro illorum subsistentia firmiori robore Apostolicæ confirmationis munire, aliaque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si, & postquam tibi de præmissis legitime constiterit, statuta hujusmodi, ita quod nemini duodenarium numerum prædictum infringere liceat, auctoritate nostra approbes, & confirmes; & quod de cætero cuiquam expectanti, etiam in eadem Ecclesia Canonico creato, Canonicatum in dicta Ecclesia petere, sibi conferri, & stalum in choro assignari, nisi actu vacaverit, nullatenus liceat, eadem auctoritate decernas. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1478. Nonis Maji, Pontificatus nostri anno septimo.

Leonellus honorificis legationibus & muneribus partim dum huic Ecclesiæ præsidebat, partim post eam dimissam, egregie functus est; ne quid vero detrimenti per suam absentiam Ecclesia Arbensis caperet, muneris sui Vicarium substituit Georgium de Marinellis Archidiaconum, virum doctum in primis, & in rebus gerendis industrium, experientissimum, ac diligentissimum; & in quadam hujus sententia anno 1479. prolata, *Leonellus Decretorum Doctor, & Episcopus Arbensis* appellatur. Post hunc duos Vicarios habuit, ut est in quadam schedula capitulari: *Leonellus de Chierigatis de Vicentia Dec. Doc. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ep. Arben. duos Vicarios habebat in spiritualibus & temporalibus, nempe Martinum de Cernotis Archipresbyterum, & Matthæum de Martinis Primicerium: qui investiverunt Martinum Nisoi presbyterum & Canonicum prædictæ Ecclesiæ de plebanatu S. Thomæ de Catuibo intra muros civitatis Arbi de anno 1483. Indict. prima, die 7. mensis Julii.* Diploma collati Sacerdotii est hoc.

Legationes illustres Leonello Episcopo impositæ.

Vicarii duo Leonelli Episc. Sacerdotium S. Thomæ conferunt Martino Nisoi.

Martinus de Cernottis Archipresbyter & Matthæus de Martinis Primicerius Ecclesiæ Arben. Rever. in Christo Patris & Dom. Leonelli de Chie-

Digitized by Google

Chieregatis de Vicentia Decretorum Doctoris Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Arben. in spiritualibus & temporalibus Vicarii generales. Dilecto nobis in Christo Martino Nisoi presbytero & Canonico Ecclesiæ prædictæ salutem in Domino sempiternam. Vitæ & morum honestas, aliaque probitatis ac virtutum merita, quibus fidedignorum hominum apud nos merito comprobaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est sicut accepimus, quod plebanatus & Ecclesia S. Thomæ Apostoli de Catrubo intra muros civitatis Arbi vacet, & vacare videtur Plebano, & Rectore, ac gubernatore ob obitum presbyteri Cerne de Costa sive quomodocumque ejus immediate ultimi Plebani, Capellani, & rectoris qui nuperrime suum diem clausit extremum, & in cimiterio Ecclesiæ cathedralis Arben. traditus est sepulturæ. Nos itaque qui vicem & curam Episcopatus Arbensis gerimus, quibus quacumque provisio spectat, & spectare videtur de jure & antiqua consuetudine, ne dictus plebanatus, & Ecclesiæ prædictæ regimen propter diutinam vacationem aliquod pateretur detrimentum, volentes præmissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, supplicationibus pro parte tua nobis propositis favorabiliter annuentes, auctoritate qua fungimur in hac parte, te coram nobis humiliter genibus flectentem illud idem poscentem, nec non fidelitatem ac obedientiam nobis & successor. nostrum omnino profitentem, in prædictum plebanatum, sive dictæ Ecclesiæ S. Thomæ regimen investimus & per anuli nostri in digito anulari manus dexteræ, sive per bireti capitis tui impositionem investitum esse volumus. Cum omnibus & singulis juribus spiritualibus, & temporalibus ipsius plebanatus, sive Ecclesiæ S. Thomæ regimini spectantibus & pertinentibus quomodocumque. Mandantes nihilominus dilecto nobis in Christo presbytero Antonio de Miclauso Canonico Arbensis Ecclesiæ nobis astanti, quatenus te presbyt. Martinum Plebanum, & prælibatæ Ecclesiæ S. Thomæ Rectorem, Capellanum, & gubernatorem ut tuum procuratorem legitimum in corporalem, actualem possessionem juriumque & earum pertinentiarum in præmissorum executionem inducat, & inductum auctoritate nostra prædicta defendat, tueri, & defendere debeat, amoto ab inde quolibet illicito detentore; faciendo insuper tibi de fructibus, proventibus, & obventionibus integre respondere contradictores & rebelles auctoritate nostra prædicta sub excommunicationis pœna compensando. Qui presbyter Antonius die instanti, ut accepimus, tamquam obedientiæ filius assumptis Canon. nostro infrascripto, & testibus, illico personaliter se transtulit ad jam dictam Ecclesiam plebanatus S. Thomæ, & posuit te presbyt. Martinum in tenutam realem, & personalem possessionem dictorum plebanatus & Ecclesiæ cum tactione p. altaris . . . . . circumdando ter dictum altare cum apertione & reseratione valvarum dictæ Ecclesiæ, in signum veræ & perpetuæ possessionis delato tibi corporali juramento, qui sponte jurasti super dicto altari in verb. veritatis, quod jura ipsorum plebanatus & Ecclesiæ gubernabis & juxta posse tueris & defendes contra quoscumque. Cantando Te Deum laudamus alta voce cum collecta invocationis gratiæ S. Spiritus prout moris est in similibus fieri & observari. In quorum omnium fidem & verum testimonium præsentes litteras tibi fieri per Cancellarium nostrum infrascriptum, sigillorumque nostrorum appensionis munimine communiri jussimus præsentibus clerico Marino quond. Matthæi Marinarii, & clerico Bartulo Donati de Arbo, & aliis testibus vocatis & rogatis Arbi in domo nostræ habitationis Matthæi Primicerii supradicti & ubi supra. Anno Domini nostri currente millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio Indiction. prima die vero septimo mensis Julii.

L. S.

Et ego presbyter Thomas de Stantiis Canonic. Arben. . . . or corporis Christi publicus imperiali auctoritate Not. his omnibus, ut præmittitur interfui, vidi, audivi, & intellexi; & præsentes litteras istorum dominorum Vicariorum mandato firmavi, scripsi & complevi. Ideoque in fidem & robur omnium & singulorum præmissorum me subscripsi, & signum tabellionatus officii apposui consuetum.

Leonellus cum linguam Græcam apprime calleret, orationem Nili Archiepiscopi Thessalonicensis in Latinum sermonem convertit, quæ Patavii extat inter MSS. codices Bibliothecæ Canonicorum regularium S. Joannis in Viridario, hoc titulo inscripta: *Nili Archiepiscopi Thessalonicensis oratio de causa dissensionis & divulsionis Ecclesiæ Græcæ a Latinis, in latinum versa a Leonello Cheregato Episcopo Arbense.* Extat quoque epistola Angeli Politiani ad Leonellum Episcopum; in qua singularem viri probitatem, doctrinam, prudentiam summopere laudat. Anno 1484. vel superiori Arbensi relicta, ad Ecclesiam Traguriensem migravit; & quadriennio post Concordiensem regendam suscepit. Concordiensem Episcopatum *brevem* fuisse ait Ughellius, contra quam docent acta Capituli Concordiensis ad an. 1506. diemque vicesimum Augusti; quo quidem die ibi traditum est *Canonicos Concordienses post obitum Leonelli Clericati Concordien. Episcopi, qui hesterna die vitam cum morte commutavit, officiales ad regimen Episcopatus, vacante Sede, creasse &c.*

Leonelli translatus ad Traguriensem, deinde ad Concordiensem Ecclesiam.

Dominicus de Reno fuerat ejus familiaris & domesticus, itinerum fere omnium & legationum comes ac socius, qui per annos quinque ac triginta omnia ejus negotia gessit. Hic post mortem Leonelli Episcopi, ab œconomo Episcopatus, itemque a Capitulo Ecclesiæ Concordiensis mercedem postulavit sibi debitam pro assiduo ac diuturno ministerio, quod eidem Episcopo præstiterat; eamque ut obtineret, appellavit Vicarium Patriarchatus Aquilejensis, coram quo, IX. Kalendas Novembris, an. 1506. quædam Capitula exposuit, quibus æquitas ejus postulati & justitia nitebatur. Hæc nobis perhumaniter, ut solet, communicavit Joseph Binius, Archipresbyter Ecclesiæ Gemonensis, vir numquam satis laudandus; hic ea subjicienda censeo; declarant enim qui & quantus vir fuerit Leonellus Clericatus, & quibus, quamque honorificis muneribus, & legationibus perfunctus.

Dominici de Reno postulata.

Coram vobis Rever. D. Vicario Patriarchatus Aquilejensis D. Dominicus dello Reno in causa quam habet cum Iconomo Episcopatus Concordien. aut etiam cum Venerando Capitulo dictæ Ecclesiæ Concordien. pro mercede per eum petita, infrascripta producit Capitula; quæ probare intendit, non tamen se adstringendo &c. & primo.

Quod jam sunt anni XXV. præfatus D. Dominicus fuit assumptus ad servitia qu. Rever. D. Leonelli Clericati tum Episcopi Arbensis per ipsum-

Digitized by Google

ipsummet D. Leonellum in civitate Romana, & ei inservivit tam Romæ, quam in diversis provinciis usque ad 1484. Quo tempore idem Dom. Episcopus translatus fuit ad Episcopatum Traguriensem, & de hoc est publica vox, & fama.

Quod postquam idem D. Leonellus translatus fuit ad dictum Episcopatum, scilicet 1484. præfatus D. Dominicus continuando servitutem suam similiter eidem D. Leonello præstitit famulatum, & operas continue tam in civitate Cesenæ quando ibi fuit cum Dom. Cardinali Isponense ad concludendum pacem Ferrariæ, quam etiam in Patria Forijulii, quando missus fuit ad eam visitator per Rever. Dom. Marcum Barbum tit. S. Marci Cardinalem, continue eum sequendo, & præstando operas suas circa regimen domus, item circa alia servitia, donec cum eodem D. Leonello transfretavit ad Civitatem Traguriensem de mense Novembris ejusdem millesimi 1484.

Quod item D. Dominicus a dicto anno 1484. citra usque ad annum 1488. quo anno præfatus D. Leonellus translatus fuit ad dictum Episcopatum Concordien. tam in Tragurio, quam iterum in Patria Forijulii ad secundam visitationem factam nomine dicti Dom. Cardinalis S. Marci, ac denique ex Patria eundo Romam, & iterum ad Tragurium, & quando ex Tragurio in legationem Franchorum præstitit operas, & servitia eidem D. Leonello tam equitando per dictas provincias, quam stando, & commorando.

Quod postquam dictus D. Leonellus translatus fuit ad dictum Episcopatum Concordien. del 1488. idem D. Dominicus existens cum eo in Francia missus fuit ex Francia in Patriam Forijulii ad gubernationem Episcopatus Concordien. & ad diversa ejusdem D. Leonelli negotia, quæ habebat in partibus Italiæ.

Quod præfatus D. Dominicus a 1488. de mense Decembris citra usque per totum 1493. gubernavit Episcopatum Concordien. exigendo, & vendendo redditus dicti Episcopatus omnium dictorum annorum, & etiam partem redditum del 1494. quo tempore impetravit ab eodem Episcopo aliis designari dictam gubernationem, & compositionem rationum, & computorum suorum &c.

Quod postquam præfatus Dom. Leonellus del 1499. venit in Patriam, & Episcopatum suum Concordien. præfatus Dom. Dominicus similiter præstitit ei suas operas, & servitia, & præcipue in camera tempore ægrotationum, quas fere continue passus fuit Utini, & alibi per Patriam, & extra Patriam &c.

Cœnobium tertii ordinis Franciscani in suburbio conditum cum æde S. Francisci tradita basilicæ Lateranensi,

His temporibus fundatum esse ajunt cœnobium suburbanum tertii ordinis Franciscani in Campo Martio. P. Matthæus ejusdem ordinis ex fundo suo vel paterno, vel coempto, vel gratuito a civibus tradito particulam decerpsit, donavitque sacrosanctæ Basilicæ Lateranensi; & Romam profectus suppliciter Canonicos Lateranenses oravit, ut sibi potestas fieret ibidem Ecclesiæ ædificandæ in honorem S. Patris Francisci, quæ tamquam peculiaris filia, Lateranensi Basilicæ omnium ecclesiarum matri subjecta esset; iisdemque privilegiis atque indulgentiis potiretur, quæ aliis hujusmodi ecclesiis eidem Basilicæ subditis & annexis impertiri solent. Annuit collegium Canonicorum Lateranensium, & quod petebat, gratiose benigneque concessit; ac F. Georgio præsidi Conventualium Arbensium mandavit, ut Capituli Lateranensis nomine & auctoritate, primarium lapidem sacris precationibus initiatum locaret ad fundamentum substruendum. Hoc est ejus ad præces P. Matthæi responsum.

& recepta, multisque privilegiis & indulgentiis donata ex decreto Capituli Lateranensis.

Nos Capitulum & Canonici sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ. Religioso viro F. Matthæo de Jadra tertii ordinis S. Francisci salutem & sinceram in Domino charitatem. Inter varias sollicitudines, quibus assidue premimur, illud potissimum pulsat & excitat mentem nostram, ut cupientes Ecclesias, capellas, & alia pia loca divino cultui dedicare, illos in tam bono, & laudabili opere insistentes, quantum cum Domino possumus, favorabili præsidio prosequamur. Unde tanto his intendimus, quanto attentius desideramus, ut tenemur, Salvatori nostro, sub cujus & utriusque Joannis nomine Christianissimus Imperator Constant nus per sacrum fontem baptismi miraculose mundatus a lepra, in suo proprio Lateranensi Palatio, sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam erexit, quæ omnium & singularum urbis & orbis Ecclesiarum Caput, & Mater, & Domina, & Sedes Apostolica principalis existit, divinum cultum Ecclesiis, capellis, & aliis piis locis prædictis eidem Lateranensi Ecclesiæ suppositis, augeri, ac devotionem & fidem populi multiplicari. Hinc est, quod cum nuper per te coram nobis devote narratum extiterit, quod zelo devotionis accensus, tota mente desideras ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Salvatoris, & B. Mariæ Virginis, totiusque cælestis curiæ triumphantis, Ecclesiam sub vocabulo B. Francisci in quodam fundo nostro, per te nobis donato ea donatione, quæ dicitur inter vivos, & irrevocabiliter, posito extra civitatem Arbæ, longitudinis decem passuum, latitudinis sex, ad mensuram communis usus Dalmatiæ, qui fundus est prope domum noviter fabricatam pro te, cui ab uno latere est quædam maceries Campi Martii versus Quirinam, & domus prædicta de Borea, & partim hortus certorum Fratrum tertii ordinis, & partim commune terrenum; de qua donatione patet manu D. Laurentii de Peregrinis clerici Romani publici Notarii inde rogati. Quæ Ecclesia perpetuo est supposita nostræ sacrosanctæ Lateranensi Ecclesiæ; propterea humiliter supplicasti, ut dictam Ecclesiam ædificandi in nostro dicto fundo licentiam concederemus, ac sub protectione ejusdem Lateranensis Ecclesiæ, ac privilegiorum ejus recipere dignaremur; gratiasque, immunitates, & exemptiones, quas aliæ Ecclesiæ ejusdem Lateranensis Ecclesiæ habent, ut habere possunt ex concessionibus Romanorum Pontificum, concedere dignaremur; adjiciens quoque pro recognitione dominii, prædictam Ecclesiam singulis annis in festo Resurrectionis Domini unam libram piperis intendis respondere. Quapropter tuis supplicationibus inclinati, ac petitioni tuæ benigne annuentes, tibi F. Matthæo præfato, viro conventus tertii ordinis S. Francisci, damus, concedimus, & impartimur plenam licentiam, auctoritatem, & omnimodam facultatem fundandi & ædificandi Ecclesiam sub vocabulo S. Francisci in dicto nostro fundo; dictamque Ecclesiam sic ædificandam sub protectione dictæ nostræ Lateranensis Ecclesiæ & privilegiorum, indultorum a Summis Pontificibus Ecclesiis & membris eidem Lateranensi Ecclesiæ suppositis, sub dicto censu unius libræ piperis in prælibato festo Resurrectionis Domini in manibus nostrorum camerariorum Canonicorum, qui pro tempore erunt, consignanda in signum veri dominii, nunc suscipimus: declarantes dictam Ecclesiam fore & esse immediate subjectam

Digitized by Google

jectam eidem Lateranensi Ecclesiæ; ac nostra auctoritate concedentes, quod dicta Ecclesia sic ædificanda, & postquam ædificata fuerit; uti possit cœmiterio, campanis, altaribus ac sacro fonte baptismatis cum omnimoda libertate (salvo tamen jure parochialis Ecclesiæ); & auctoritate nostra a Sede Apostolica concessa, omnimodam paternitatem concedimus, & impertimur; & ut fideles ipsi eo libentius confluant ad eamdem, & ad fundationem, reparationem, & conservationem ipsius, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc dono cælestis gratiæ respexerint se refectos, cum in honorem, & sub vocabulo tanti gloriosi confessoris S. Francisci, qui fidem Domini nostri Jesu Christi, tam sua gloriosa vita, quam in morte cum innumeris & sanctissimis miraculis illustravit: cui Deus ipsi glorioso confessori tamdiu in jejuniis, & pœnitentiis insistendo, passionem ejus cupienti nimio ardore videre, visibiliter in aere extensus in ligno crucis mirabiliter apparuit, ejusque quinque vulnerum stigmata in suo Sanctissimo Corpore meruit reportare, ædificetur; quia clementissimi Dei Filius humanum genus diabolicæ malignitatis veneno perfusum, morti quoque, & æternæ damnationi obnoxium, non corruptibili auro, vel argento, sed sui pretiosissimi cruoris aspersione redemit; & quia in hac valle lacrymarum constituti propriis meritis æternæ beatitudinis præmia nequaquam possumus adipisci, Sanctorum adjuti præsidiis, indulgentiis, & remissionibus, maculis peccatorum abluti, post hujus vitæ caliginosa decursum, Sanctorum eorumdem felicitati in cælestibus conjungamur, cum eis incomprehensibilis claritatis visione fruentes; de omnipotentis Dei misericordia confisi, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui dictam Ecclesiam, postquam ædificata fuerit, devote visitaverint, & ad fundationem, reparationem, & conservationem ipsius manus porrexerint adjutrices, decem annos & totidem quadragenas indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis, futuris perpetuisque temporibus concedimus per præsentes. Quæ indulgentiæ omni die Dominico, & die Quadragesimæ duplicetur. Et omnibus festivitatibus v. gr. Nativitatis & Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, B. Mariæ Virginis, Beatorum Joannis Baptistæ, & Evangelistæ, omnium Apostolorum & Evangelistarum, B. Francisci, S. Ludovici, S. Antonii de Padua, S. Bernardini, S. Claræ, S. Elisabethæ, S. Hieronymi, & aliorum Doctorum, S. Catharinæ quadruplicetur; aliasque indulgentias misericorditer adipisci largimur. Committentes insuper tenore præsentium religioso viro Magistro Georgio Custodi Ecclesiæ S. Joannis Arbi auctoritate nostra, & nostro nomine potestatem benedicendi primarii lapidis, & ipsius in fundamentis ponendi; & omnia & singula in præmissis, & circa præmissa faciendi, gerendi, & exercendi, quæ nos ipsi facere, gerere, exercere possemus & deberemus, si præsentes essemus. In quorum omnium fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras fieri, & manibus nostrorum camerariorum Canonicorum subscribi, nostrique sacri Capituli publici Notarii scriptis publicari fecimus, ac nostri magni capitularis sigilli jussimus appensione muniri. Datum Laterani sub anno a Nativ. Dom. 1481. die vero 15. mensis Maji, Indict. XIV. Pont. Sanctiss. in Christo Pat. & Dom. nostri Sixti div. prov. Papæ IV. an. 11.

Joannes de Montebonis Canon. Cameræ Lateran.

ALOYSIUS EP. ARBENSIS XXXVIII.

Aloysius Ep. Arbensis fratrem suum misit qui suo nomine Episcopatus Arbensis, & aliorum Sacerdotiorum sibi collatorum possessionē caperet.

Venetus civis e Malumbra familia honesta in primis & copiosa; cui Sixtus IV. Ecclesiam Arbensem decrevit anno 1484. quamvis catalogi primordia hujus Episcopatus in sæculum proximum rejiciant. Romæ cum esset, Michaelem fratrem procuratorem suum legitimum constituit; qui profectus in Istriam atque Dalmatiam, nomine suo tum Episcopatus Arbensis, tum Archidiaconatus Parentini, tum aliorum, quibus præditus erat, sacerdotiorum possessionem adiret, cum amplissima potestate omnia & singula peragendi, quæ jus & consuetudo postulabat; idque notum omnibus ac testatum esse voluit litteris publicis rite confectis & obsignatis; in quibus constructionem, ordinemque verborum inscitia scribæ valde perturbatum invenies. Has mihi pro sua singulari humanitate communicavit Flaminius Cornelius Senator amplissimus, vir insigni doctrina ac religione, qui Ecclesias urbis Venetiarum eruditissimis commentariis in lucem editis illustravit.

Aloysius Dei & Apostolicæ Sedis gratia electus Arbensis. Universis & singulis præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum inspecturis salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis quod nos non valentes singulis, quæ nostræ sollicitudini incumbunt, nostram exhibere præsentiam corporalem, idcirco considerantes eam per illos, de quorum circumspectione & industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, gratis, sponte, & ex certa nostra scientia, citra tamen quorumcumque procuratorum suorum per nos hactenus quomodolibet constitutorum revocationem, omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, quibus melius & efficacius possumus & debemus, facimus, constituimus, creamus, & ordinamus nostrum verum certum legitimum & indubitatum procuratorem, actorem, factorem, negotiorum suorum infrascriptorum gestorem, & nuntium specialem & generalem, ita tamen quod specialitas qualitati non deroget, nec e contra; videlicet spectabilem virum D. Michaelem Malumbra laicum civem Venetiarum fratrem nostrum absentem tamquam præsentem, solum, & insolidum, ad nomine nostro & pro nobis corporalem, realem, & actualem possessionem Ecclesiæ seu Episcopatus Arbensis, de qua seu quo nobis per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum D. Sixtum divina providentia Papam Quartum certo modo provisum fuit, nec non Archidiaconatus Parentini, & illius, ac loci duorum castellorum, & ejusdem ac duorum castellorum, & S. Laurentii de Pascuadego Parentin. diœces. Ecclesiarum Canonicatuum & præbendarum, ac Prioratus S. Silvestri suburbii Vicentini ordinis S. Benedicti etiam certo modo nobis commendatorum, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur, poni & induci ac inductum defendi & a Canonicatibus & præbendis, ac Prioratu illicitos & Archidiaconatu prædictis, detentores quoslibet amoveri, petendum, faciendum, requirendum & obtinendum, ipsasque litteras quibus pertinuerit præsentandum, intimandum, insinuandum, & notificandum, dictamque possessionem apprehendendum, tenendum, manutenendum, & defendendum, nec non ad Archidiaconatum & Prioratum præfatos, ut moris est, admitti petendum, faciendum, & obtinendum, juran-

jurandumque in animam nostram de observandis statutis & consuetudinibus Arbensis, & aliarum Ecclesiarum prædictarum, & quodlibet aliud licitum & honestum ac consuetum juramentum per prædecessores nostros in Episcopatu, Archidiaconatu, Canonicatibus, & præbendis ac Prioratu prædictis præstari solitum præstandi, nec non nos a Capitulo, clero, & vassallis dictæ Ecclesiæ Arbensis & populo civitatis & diocesis Arbensis in Episcopum & pastorem recipi & admitti, & a Capitulo, & clero obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac a vassallis nobis fidelitatem solitam ac consueta servitia & jura ab eis debita, nec non a populo prædicto debita honorificentia exhiberi & prosequi petendum, faciendum, & obtinendum, Episcopatumque seu Ecclesiam Arbensem, Archidiaconatum, Canonicatus & Prioratum hujusmodi in spiritualibus & temporalibus regendum & gubernandum, regique & gubernari ac in divinis laudabiliter deserviri faciendum; fructus quoque, redditus & proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex dictis Episcopatu, Archidiaconatu, Canonicatibus, & Prioratu prædictis provenientes & provenientia petendum, exequendum, levandum, recipiendum & recuperandum, arrendandum & ad firmam seu annuam pensionem dandum & concedendum, locandum & dislocandum personæ seu personis, pretio seu pretiis, quibus & pro quibus dicto nostro procuratori visum fuerit expedire, & de habitis, levatis, receptis & recuperatis occasione præmissorum quietandum & quietantiam seu quietantias dandum & concedendum, cum pacto solemni & expresso, de rem habitam, levatam, receptam, recuperatam ulterius vero petendo, & si necesse fuerit pro præmissis omnibus & singulis, & eorum dependentibus coram quocumque judice ecclesiastico, vel sæculari executore vel subexecutore delegato vel subdelegato dato seu dando contra quascumque personas tam ecclesiasticas, quam sæculares comparendum & agendum, nosque & jura nostra defendendum, libellum seu libellos & quascumque alias summarias petitiones dandum & recipiendum, litem seu lites contestandum & contestari videndum, de calumpnia vitanda & veritate dicenda jurandum & quodcumque aliud juramentum in & sub calumpniæ juramento contentum in animam nostram præstandum, ponendum, & articulandum, ponique & articulari videndum, positionibus & articulis partis adversæ respondendum suisque responderi petendum, & ad omnes alios terminos tam substantiales quam accidentales de jure vel consuetudine servari solitos procedendum & procedi videndum, sententiam seu sententias tam interlocutorias quam diffinitivas sive petendum & audiendum & ab eis seu eis & quocumque alio gravamine nobis illato vel inferendo provocandum & appellandum, appellationem hujusmodi intimandum, insinuandum, & notificandum, Apostolos petendum & recipiendum, appellationis causam & causas ad Romanam curiam si opus fuerit devolvendum & devolvi faciendum, eamque & eas prosequendum, expensas taxandum & taxam petendum, ac super ipsis si necesse fuerit jurandum, & judicis offitium implorandum, earumque solutionem & extorquendum & de receptis quietandum, cum potestate nomine nostro & pro nobis vicarium seu vicarios in dicta Ecclesia Arbensi ac Episcopatu Arbensi nostro in spiritualibus & temporalibus deputandi, constituendi & ordinandi, corrigendi & reformandi, & cum vel eos revocandi & alios loco ejus vel eorum ponendi & deputandi usque ad nostrum beneplacitum, unum quoque vel plures procuratorem seu procuratores loco sui substituendum, ac eum vel eos revocandum & onus procurationis hujusmodi in se reassumendi totiens quotiens dicto procuratori visum fuerit expedire, & generaliter omnia alia & singula faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & procurandi quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quæ nosmet ageremus & faceremus seu facere possemus, si præmissis omnibus & singulis præsens & personaliter interessemus, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale quam præsentibus est expressum. Promittentes nihilominus notario publico infrascripto tamquam personæ publicæ & autenticæ . . . stipulanti & recipienti vice & nomine omnium & singulorum quorum interest, intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum, nos ratum gratum atque firmum perpetuo habiturum totum id & quicquid per dictum nostrum procuratorem ac substitutum vel substituendum vel substituendos ab eodem, ab omnium onere satisdandi relevare juditioque sisti & judicatum solvi, cum omnibus & singulis clausulis necessariis & opportunis sub ypotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum nostrorum mobilium & immobilium præsentium & futurorum ac omnia alia juris & facti renunciatione ad hæc necessaria pariter & cautela . . . omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum exinde fieri & per notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Romæ in domo nostræ solitæ residentiæ sub anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Indictione secunda, die vero decimaoctava mensis Februarii, Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri D. Sixti divina providentia Papæ Quarti tertiodecimo. Præsentibus ibidem Ven. & Honoran. viris DD. Beroldo Canonico Aquensi & Calixto de Johanninis laico Romano testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

L. S.

Et ego Johannes Niis clericus . . . diocesis publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus ac Romanæ curiæ Notarius, quia dicti procuratoris constitutioni & potestatis dationi omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic præmittitur agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu alterius me aliis præpedito negotiis fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi & in hanc publicam formam redegi. Signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Hieronymi Venetiarum.

Anno 1485. Arbam profectus hujus Ecclesiæ regimen suscepit, ut constat ex tabulis eodem anno confectis, quibus ejus nomen inscriptum est. In his ita convenisse dicitur inter Episcopum, Capitulum, Patricios Arbenses, & villicos Novaliæ, ut Archipresbyter Novaliæ, qui e cœtu nobilium deligi solebat, lege commorandi residendique apud incolas illos eximeretur; Novaliensibus autem potestas esset eligen- — Archipresbyter Novaliensis lege residendi exemptus.

gen-

gendi duos Sacerdotes curatores animarum, qui rem Christianam administrarent; jus tamen eos approbandi Episcopus haberet. Cum reditus Capitulares in communem massam redigi solerent, ex qua Canonici suam quisque portionem percipiebant; suasor fuit auctorque Aloysius fundos & agros, qui pertinebant ad mensam Capituli, Canonici inter se pro rata parte dividerent; ut videlicet singuli ad illorum, qui cuique obtigissent, culturam diligentius advigilarent, quo uberiores fructus redderent, neve aut sua, aut villicorum incuria deteriores fieri paterentur: id quod notatum est in Codice Capitulari: *Aloysio Malumbra Episcopo Arbensi meritissimo suadente, bona Canonicorum, quæ erant in communi, divisa fuere ad hoc, ut diligentia majori laborarentur. Anno* 1494. Monasterium Arbense S. Petri in Valle sibi commendatum habuit, ut docet subscriptio Archidiaconi Arbensis exemplo cujusdam diplomatis, quod ex tabulis ejusdem monasterii ipse descripserat: *Ego Antonius Nimireus Arben. Archidiaconus, auctoritate apostolica Comes Palatinus, & Imper. Notarius publ. & judex ordinarius, ex autentica copia scripta de pergameno, quæ est in quadam capsa parva, inter Scripturas ejusdem monasterii, quæ est apud Rever. Dom. Aloysium Malumbram Episcopum Arbensem, & commendatarium dicti monasterii, fideliter accopiavi.*

Collegium Virginum tertii ordinis S. Francisci Magdalena Budrischia fundavit in urbe prope templum S. Antonii Abbatis.

Extremo hujus sæculi anno jacta sunt fundamenta collegii Virginum tertii Ordinis Franciscani, quod suos ortus & progressus acceptos refert Magdalenæ Budrisichiæ lectissimæ matronæ ex Dynastis Zirovi, quod castellum est diœcesis Modrussensis. Tredecim annos nata nupsit Joanni Bobinovichio de Bubonibus Comiti ac Domino Cetinæ. Triennio post, viro mortuo sine liberis, ipsa rebus humanis nuntio remisso, Arbam se contulit anno 1486. seque apud quasdam virgines recepit, quæ ab hominum consortio segregatæ, nullis tamen votis obstrictæ, voluntariam vitam ad normam instituti Franciscani agebant in ædibus ad id conductis, prope cœnobium ac templum S. Joannis Evangelistæ, sub regimine ac disciplina Patrum ejusdem ordinis S. Francisci. Hic annos ferme tredecim uni Deo ac sibi vacans, assidua rerum cælestium meditatione, piisque exercitationibus transegit. Deinde perfectioris vitæ studio incensa, cum duabus virginibus e primaria nobilitate Arbensi, secessit in quamdam ædiculam, sitam in angulo extremo civitatis ad orientem prope antiquum sacellum S. Antonii Abbatis anno 1499. Ibi collegium Virginum tertii ordinis Franciscani instituere decrevit; & potestate sibi facta tum per Episcopum, tum per prætorem & magistratus civitatis, e suis bonis dotalibus sane copiosis, monasterium ædificavit, sacellum Antonianum amplificavit; utrumque reditibus satis idoneis instruxit. Nec defuerunt ingenuæ virgines, & quidem e familiis patriciis, quæ illuc admitti cuperent, & in eum sanctissimum cœtum nomina darent. Has illa perlibenter recepit, atque ad omne religiosæ disciplinæ officium diligentissime instituit. Magna virtutis & sanctitatis apud omnes opinione decessit anno 1532. illataque est in ædem S. Bernardini extra urbem, & ibidem apud Patres Franciscanos S. Euphemiæ sepulcrum obtinuit. Hujus vitam, illustribus sanctimoniæ notis insignem, Italico sermone conscripsit Joannes Tomcus Marnavitius Episcopus Bosnensis, & Romæ anno 1635. e typographia Francisci Cavalli in lucem emisit.

Aloysius Concilio Lateranensi interfuit.

Anno 1514. in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sessioni nonæ subscriptus est *Reverendus Pater Dominus Aloysius Arbensis*. Ab Sessione proxima Aloysii nomen abest, & Congregationi habitæ anno 1515. XVIII. Kalendas Januarii successor Aloysii interfuit: quod argumento est hoc anno vel superiori aut vita functum esse, aut Ecclesiam Arbensem dimisisse. Sui Episcopatus ac nominis memoriam marmori impressam reliquit supra januam maximam ædis cathedralis; cujus frontem & prospectum selectis marmoribus ornandum ære suo curavit Franciscus Nimera civis Arbensis:

ETERNI. REGIS. SVM. LAUDI. ET VIRGINIS. ALME PRESVLE. MALVMBRA. ZANTANO. PRESIDE. CALBO QVESTORE. IMPENSA. FRANCISCI. STRVCTA NIMIRE MCCCCLXXXX.

Itidem ejus nomen insculptum erat suggesto, ex quo Evangelium inter sacra solemnia decantari solet, quodque paucis ante annis Joannes Calaboita Episcopus dimoveri jussit, cum ædem cathedralem restaurandam curavit.

MALUMBRA AN
TISTES COMES
O ZANTANE QVI
ESCO
ORNATV TEMPLI
DE DOMINIS STU
DIO.

VINCENTIUS EP. ARBENSIS XXXIX.

Vincentius Necusantius Fanensis Episcopus Congregationibus Gen. Concil. Lateranen. interfuit.

Nobili genere natus apud Fanum Fortunæ, quæ civitas Umbriæ perantiqua est, ab Gallis Senonibus condita, & Colonia Romanorum Fanestris cognominata. Necusantia familia, unde Vincentius originem traxit, admodum clara est, & cum primariis Fanensium familiis, vel affinitate, vel sanguinis communione conjuncta, & illustrium virorum fecunda. Hinc duo Episcopi, Guidus Nuceriæ anno 1225. & Joannes Philippus Sarsinæ an. 1398. itemque Adrianus celeberrimus jurisconsultus. Natus est Vincentius anno post Virginis partum circiter 1487. & post primam ætatem politioribus litteris excultam, gravioribus disciplinis, ac præsertim juri pontificio operam dedit, & *Doctoris Decretorum* nomen atque insignia promeruit. Cum excellenti doctrina scientiam triplicis linguæ Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ conjunxit. Romæ cum esset, & nondum ætatis annum tricesimum attigisset, eum post obitum, vel decessionem Aloysii Malumbræ, Leo X. Episcopum Ecclesiæ Arbensis renunciavit anno 1515. vel superiori. In Concilio Lateranensi accessus illi datus fuit ad duas Congregationes generales, atque ad consultandum ac deliberandum de iis, quæ in sessionibus agenda ac decernenda forent; altera habita est an. 1515. XVIII. Kalen. Januarii ante undecimam, altera an. 1517. tertio Idus Martii ante duodecimam, & postremam sessionem: utrique adscriptus est *Reverendus Pater Dominus Vincentius Arbensis*. Ab omnibus sessionibus abest ejus nomen & subscriptio. Ad solemnes hos consessus propterea non admissum fuisse arbitror, quod nondum Episcopalem consecrationem susceperat. Cum enim ante annum ætatis tricesimum desi-

Digitized by Google

designatus fuisset Episcopus, duos tresve annos intercedere necesse erat, antequam pontificiis sacris initiaretur. Post Concilium Lateranense absolutum Roma discessit; & anno 1517. vel sequenti Arbam venit, ingenti omnium civitatis ordinum gratulatione & lætitia exceptus. Annos fere quinquaginta huic Ecclesiæ præfuit; sed de illius actis atque institutis quæ nancisci licuit, & litteris mandare, paucissima mihi suppetunt, præsertim pro diuturnitate Pontificatus, & eximia talis ac tanti Præsulis sapientia & virtute. Duos habuit vicarios, primum quidem Christophorum de Comitibus, secundum vero Franciscum Necusantium fratris filium eximiæ religionis & doctrinæ, Archidiaconum ædis cathedralis, & Abbatem S. Nicolai Issensis. Anno 1537. Venetiis erat, qua in urbe Ignatium parentem & conditorem Societatis Jesu, ejusque socios, per omnes ordinum gradus ad apicem Presbyteratus evexit, tanta non modo ipsorum, sed etiam ipsius Episcopi lætitia, & animi voluptate, ut sese inter ejusmodi cærimonias nihil umquam simile sensisse affirmaret; quemadmodum in ejusdem S. Ignatii vita scriptum reliquit Joannes Maffejus. Anno 1562. & sequenti Concilio Tridentino sub Pio IV. interfuit; & inter Episcopos a Leone X. creatos nominatur *Vincentius Nicosantius de Fano Episcopus Arbensis*. Ad suam Ecclesiam reversus promulganda curavit decreta Concilii, ad cujus præscripta ut cleri sui vitam ac disciplinam conformaret, leges quasdam eisdem decretis consentaneas tulit, quas ex Italico in Latinum sermonem convertimus.

Venetiis S.Ignatium ejusque socios sacris ordinibus initiavit.

Concilio Tridentino interfuit, ad cujus normam præclara decreta edidit.

Cum sacrosanctum Concilium Tridentinum optime nosset quanti intersit, non solum ad sanctitatem ordinis ecclesiastici, sed etiam ad mores Christiani reformandos, eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, statuit quæ a Summis Pontificibus & sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque salubriter sancita sunt, sicubi desuetudine exsoleverint, in usum revocanda esse, ac retinenda; idque Episcopis, ad quorum officium pertinet, impense commendavit, ac præcepit. Idcirco nos, qui nihil vehementius cupimus, quam ejusdem Concilii mandata diligenter curare & perficere; e sacris Canonibus, quædam ad vitam & honestatem clericalem in primis necessaria, accurato studio collegimus; & magna cum cura ac diligentia ab omnibus & singulis servari jubemus; ut scilicet interiori innocentiæ & sanctitati, quæ in Domini sortem vocatos maxime decet, externus habitus, & conformatio totius oris & corporis respondeat. Itaque edicimus atque interdicimus

Ut quicumque Ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, patentem in vertice clericalem coronam, & capillos ad normam sacrorum Canonum detonsos perpetuo gerat; Sacerdotes vero ut pilos e superiori labro sæpe & penitus abradant, ne quæ iis prominentibus guttulæ divini sanguinis per summam indignitatem adhæreant.

Ut clericorum tunica interior infra genua, superna autem vestis ad talos usque sit producta; calcei vero accisi ne sint, factique ad formulam & elegantiam laicalem; sed simplices, & clericali modestiæ consentanei.

Extrema indusii circa manus & collum crispata ne sint, neve more laicorum emineant.

Non alius, quam nigri coloris veste utantur; & curiosius, quam decentius, ornandi corporis curam omnem abjiciant; atque in universo vestitu munditiem ament, sordes effugiant.

Omne genus armorum interdictum sibi esse sciant. Qui secus fecerit, & contra hæc deliquerit, præter amissionem vestium, decem libris mulctabitur, ad subsidium piorum locorum convertendis; & aliis arbitrio nostro pœnis, pro modo culpæ & contumaciæ suæ, afficietur.

Ut vero non solum ab omni impudicitia, sed etiam ab omni cujuslibet incontinentiæ suspicione longissime absint, qui habitant in tabernaculis Altissimi; omnino ab se commercium omne cum mulierculis famæ perditæ, aut suspectæ arceant, juxta sanctiones Concilii Tridentini; & præterea volumus atque jubemus, ut nemo clericorum ullam fœminam, licet consanguineam, domi suæ retineat, nisi caussa illius retinendæ nobis & cognita & probata fuerit.

Domus ex aliquo pio legato Ecclesiis relictas locari vetamus hominibus, de quorum vita & moribus mala suspicio est.

Quoniam clerici spectaculum facti sunt non solum Deo & Angelis, qui animorum nostrorum recessus introspiciunt; sed etiam hominibus, quorum oculis ipsi patent & obversantur; ab iis omnibus abhorreant, quæ clericali sanctimoniæ repugnant, veluti a theatris, choreis, ludicris pugnis, aliisque ejusdem generis spectaculis.

Abstineant ab aleis, & lusibus, in quibus non industria, sed fortuna dominatur; nec adeant cauponas, nec canes venaticos alant, neve dent operam venationibus.

Non ineant convivia cum hominibus ebriositati atque intemperantiæ deditis, & comessationes illas, quæ Sbravize *vulgo dicuntur, omnino devitent.*

Nullam caussam apud judices sæculares defendant, neve advocati, aut procuratoris munere fungantur, nisi in caussis piis, & a nobis prius petita, & impetrata licentia.

Neque medicinam, neque tabellionis officium in rebus profanis exerceant.

Nullius tutelam, & rerum familiarium cujusque administrationem suscipiant, nisi caussa pietatis, & nobis consentientibus.

Ab omni negotiatione abstineant; neque venditionibus, emptionibus, aliisve contractibus arbitros se atque interpretes immisceant.

Ne agros alienos conducant.

Pro nemine fidem suam interponant; & quod alii debent, periculo suo facturos se, aut daturos non promittant.

Procuratoriam aut servilem operam laicis ne præbeant; nisi si quando id charitas exigat; & in iis rebus, quæ statum atque ordinem clericalem non dedeceant.

Mensis & conviviis virorum nobilium ne astent, quasi cujusdam famulatus & ministerii caussa.

His nostris mandatis atque interdictis qui non obtemperaverint, eas pœnas dabunt, quæ sunt eorum violatoribus jure Metropolitico constitutæ, vel si quæ eodem jure comprehensæ non sunt, quindecim libras piis locis attribuendas persolvent; & aliis pro arbitratu nostro pœnis subjicientur.

Qui aliquo Sacerdotio præditi sunt, vel sacris ordinibus initiati, statas quotidianas precationes, nocturnas diurnasque, studiose pieque recitare numquam omittant; eas qui neglexerint, juxta sacrorum Canonum statuta, & gravioribus etiam pœnis punientur.

Ad extremum rogamus & obsecramus per viscera

scera Jesu Christi, ut clerici omnes sive in majoribus, sive in minoribus ordinibus constituti, saltem semel singulis mensibus sacrosancta divinæ Eucharistiæ mysteria percipiant; hortamurque, ut ad legendos codices utriusque Testamenti, & libros morales ac pios assidue incumbant, e quibus normam caste sancteque vivendi addiscere possint.

Deposito pontificatu in patriam secessit.

Ad annum ætatis fere tertium supra octogesimum Vincentius pervenerat, cum sentiens sibi & corporis vires, & animi vigorem ad sustinendum onus Episcopale deesse, anno 1569. permissu Gregorii XIII. Pontificatum deposuit. Patriam repetiit, ubi reliquam vitam placide pieque transegit, seque ad extremum diem sancte obeundum comparavit. Decessit anno 1573. & sepultus est in æde cathedrali Fanensi; eique post annos non ita multos monumentum posuit, & titulum fecit Hadrianus fratris filius:

Titulus sepulcralis.

VINCENTIO NEGVSANTIO ARBI EPISCOPO HEBRAICÆ GRÆCÆ ET LATINÆ LINGVÆ PERITISSIMO FIDEI CATHOLICÆ ACERRIMO PROPVGNATORI OCTOGESIMO SEXTO ÆTATIS ANNO FVNCTO MDLXXIII. HADRIANVS FRATRIS FILIVS PATRVO OPTIMO OPTIME MERITO POSVIT ANNO SALVTIS MDLXXX.

Franciscus Necusantius filius fratris Vincentii Archidiaconus Arbensis mortuus est Arbæ.

Post quadriennium obiit Arbæ Franciscus Necusantius filius fratris Vincentii Episcopi, Archidiaconus Arbensis, idemque Abbas S. Nicolai, quod cœnobium erat Benedictinum perantiquum in Issa, sive Lissa insula Dalmatiæ; eique in æde cathedrali monumentum posuit Octavius frater hoc titulo inscriptum:

FRANC: NIGVSATIVS CIVIS FANEN: ARCHID: ARB: ABB: S: NIC: D: LISSA VINCETII NIGVSATII. EPI PATRVI RELIGIONE PIETATEQ: REFERES VIXIT. AN: L. MEN: I. D: XIX. OBIIT. AN: DNI. M. D. L. XXVII. IIII NONAS NOVEBRIS. OCTAVIVS FRATER H. M. P.

Joannes Uron, & Ludovicus de Vivaldis, e catalogo Episcoporum Arbensium expungendi.

In uno ex quinque catalogis Episcopalibus proxime post Necusantium adscriptos invenio Joannem Uronem an. 1517. & F. Ludovicum de Vivaldis an. 1518. Utrumque respuit diuturnus Pontificatus Necusantii, qui sibi duos illos annos vindicat. Joannes ille mihi omnino ignotus est, neque unde sumptus fuerit, invectusque in seriem Episcoporum Arbensium, facile dixerim. Ludovicus de Vivaldis erat e sanctissima Patrum Prædicatorum sodalitate, de quo Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano: *P. F. Ludovicus de Vivaldis die Mercurii ultima Augusti 1519. a Cardinali de Valle pro Arborense Ecclesia in Consistorio propositus fuit. Orta postmodum controversia de puritate sanguinis, super ea re jussu Leonis X. Summi Pontificis, Cardinalis de S. Cruce informationem cœpit; cumque comperisset eum, non Neophytum, ut aliqui dicebant, sed genere Christianum fuisse; prædictam Ecclesiam in partibus infidelium sitam obtinuit, ad quam post consecrationem commigravit.* Sed cum Ecclesia illa Arborensis in tabulis consistorialibus vocetur *Arbensis*, id fortassis caussam errandi præbuit transferendique Ludovicum ex illa longinqua in Ecclesiam Arbensem Dalmatiæ, quæ utique sita non est, neque tum erat *in partibus infidelium*: 1318. 31. *Augusti pro Eccl. Arbensi in partibus infidelium propositus est F. Ludovicus de Vivaldis Ord. Prædicatorum, ita ut infra annum eo proficiscatur causa residendi.* In iisdem Actis consistorialibus Ecclesiam Arbensem in Arabia constitutam reperio: 17. *Augusti 1540. Providit Ecclesiæ Arben. in Arabia certo modo vacanti de persona Petri de Torres portionarii Ecclesiæ Hispalensis.* Hæc Arbensis abest longe gentium ab nostra Dalmatica, quam etiam distingui oportet ab Ecclesia Arbanensi, de qua itidem in Actis consistorialibus: 1494. *prima Octob. providit de persona D. Angeli de Macerata Ecclesiæ Arbanensi vacanti per obitum.*

Ecclesia Arbensis in Arabia, itemque Arbanensis ab nostra distinguenda.

Duo prodigia memorabilia.

Dum Vincentius Ecclesiæ Arbensi præsidebat, duo prodigia, sive ostenta memoratu digna accidisse narrant; videlicet anno 1534. Simulacrum Deiparæ Virginis in templo Novaliæ, & anno 1559. Effigiem Jesu Christi in cruce suffixi in æde urbana S. Antonii illachrymasse. Utrumque Vicarius generalis Episcopi, alterum scilicet Christophorus de Comitibus, alterum vero Franciscus Necusantius, suis ipsimet oculis viderunt, & aliorum, qui aderant atque viderant, jurata testificatione confirmatum tabulis publicis ad sempiternam posteritatis memoriam consignari voluerunt.

I.

Primum prodigium.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis illius MDXXXIIII. Indictione ... Die vero Mercurii XV. mensis Julii in villa Novallæ diocisis Arbensis. Cum heri pervenisset ad aures Rever. D. Presbyteri Christophori de Comitibus benemeriti Vicarii Rever. Dom. Episcopi Arbensis in præsentiarum absentis a civitate Arbensi, quod imago gloriosæ genitricis semper Virginis Mariæ, quæ est in Ecclesia ejusdem gloriosæ Virginis sita in suprascripta villa Novallæ, plorat ex utroque oculo fundendo lacrymas a die Dominico circa horam nonam, quæ fuit duodecima instantis, ejus Rever. Dominatio una cum pluribus presbyteris contulit se ad dictam villam, ingressusque in supranominatam Ecclesiam invenit antelatam imaginem, quæ est in medio altaris, habentem filium in gremio tenendo manus supplices adhuc recentibus lacrymis ambobus oculis plorantem, ideo volens & intendens tam maximum miraculum ut omnibus innotescat ad perpetuam rei memoriam, jussit super hac materia processum formare ad laudem & gloriam omnipotentis Dei ejusque prælibatæ gloriosæ Matris & ad bonum exemplum & devotionem fidelium &c.

Die supradicta.

Retulit clericus Joannes Fabianich mandato suprascripti D. Vicarii citasse ad testificandum Mariam filiam qu. Martini Ligalich.

Quæ constituta coram eodem Rev. D. Vicario & præmisso juramento admonita de veritate dicenda dixit & deposuit ut infra. Videlicet. „Venere proxime passato circa à hora di vespero essendo io intrada in la Chiesia di Santa Maria, qual è in questa villa, & pregando davunta la imagine d' essa gloriosa Verzene mi pariva, che la se mudasse de color nel volto, ne hebe ardimento dir ad alcun tal cosa, sinon Domenega subsequente io disse tal cosa à mia madre, e cusì dapoi io andai in la preditta Chiesia anche a hora di nona & viste che dalli occhi della predicta immagine uscivano lacrime, onde tutta sbigotita per tal vista andai a trovar mia madre e li riferì; la qual venuta con mi a tal Chiesia trovò esser vero quello, che io li haveva ditto, e cusì chiamassimo pre Biasio Capellan di questa villa, & li dicessimo tal cosa, per il

che

Digitized by Google

che ancor lui andò in Chiesia per veder se nui li havessimo ditto la verità co die. „

Retulit presbyter Martinus Stoymilich mandato Z. citasse ad testificandum Margaritam relictam qu. Martini Ligatich.

Quæ constituta coram prædicto Rev. D. Vicario & præmisso juramento interrogata circa præmissa, Respondit ut infra. „ *Domenega proxima passata circa hora di nona vene mia fiola Maria dirme, come allora haveva visto lachrimar la imagine della gloriosa Vergine Maria, qual è in la Chiesia al suo nome dedicata in questa villa di Novaglia, & cusì inteso io la tal cosa andai alla ditta Chiesia & trovai con verità che la ditta imagine lachrima cusì come & al presente si vede, se non che adesso hormai le lachrime son calade più zoso, & cusì tornai a casa. Mandai da recavo la predita mia fiola che andasse in dita Chiesia, la qual non ossando andar sola chiamò con si un altra putta, & viste darecavo esse lacrime chiamorno il Capellano, il qual andò & viste siccome da lui potiti intender.* „

Die ultra scripta.

Retulit Presbyter Martinus Stoymilich mandato &c. citasse Dom. Presbyterum Biasium Racich Capellanum hujus villæ ad testificandum.

Qui constitutus coram antelatum Rev. D. Vicarium & præmisso juramento interrogatus & examinatus circa præmissa, Respondit ut infra. Videlicet. „ *Domenega proxima passata poco da poi nona attrovandomi io in casa con certi homini da ben de questa villa venne la fiola di qu. Martin Ligatich con gran instantia rechiedendomi, che io dovesse andar alla Chiesia di S. Maria, qual è in questa villa, & cusì intrado che fu in Chiesia predicta la me disse che la imagine de essa gloriosa Vergene Maria qual è a mezzo dell' altar pianze, quello che mi approximai ad esso altar & visti con verità che le lacrime discendevano dalli occhi d' essa sacratissima imagine, & chiamai più persone che dovessino vegnir a veder tal miraculo; & cusì coadunate lì piu persone stessimo a vardar & vedessimo, che la lacrima qual era sotto al occhio sinistro si callò un dedo più in zoso, & cusì fina al presente la si trova, & quella dell' occhio dextro sta cusì in quel esser come giera all' hora, se non che anche par el signal d' un pocho che se ha calato più in zoso, sicome potite intender quasi da tutti quelli che habitano in questa villa & al presente ancora manifistamente el se vede.* „

Die dicta.

Retulit supradictus Presbyter Martinus citasse ad testificandum Paulum de Lugho Passatorem Novagliæ.

Qui constitutus coram antelato Rev. D. Vicario & juratus de veritate dicenda deposuit ut infra. Videlicet. „ *Domenega a ora de nona vene la fiola di qu. Martin Ligatich chiamar pre Biasio nostro Capellano che l' andasse in la Chiesia de S. Maria qual è in questa villa, el qual essendo andato li so dito da essa donna che la imagine di essa gloriosa Vergene Maria qual è nel mezzo del altar pianzeva, & cusì avendo lui sparsa la voce di tal miraculo andai ancor mi in la ditta Chiesia con alcuni altri insieme con esse dito Capellan, & vedessimo che una lacrima era discesa dal occhio sinistro di essa sacra imagine, & cusì esso Capellan chiamò la predita donna & alquanti de nui in la Chiesia di S. Catterina per intender da esse putte circa de ciò la verità, & tornadi darecavo in la dita Chiesia de S. Maria trovassimo che essa lacrima giera calada un dedo più in zoso & dal occhio dextro lì in presentia nostra uscite una pichul lacrima, & d'allora in qua ancor li stanno; ben vero che quella che sotto el occhio dextro è molto piu grossa al presente de quel che giera da principio.* „

II.

Die Jovis quartadecima mensis Decembris 1559.

Ex fide & delatione multarum personarum & clamore quamplurium ad aures & notitiam Rev. D. Francisci Nigusantii Abbatis S. Nicolai de Lissa Pharensis diœcesis, necnon Canonici & Vicarii generalis Arbensis pervenit, quod in Ecclesia S. Antonii parvi posita in hac civitate Arbensi prope Ecclesiam S. Joannis Fratrum Minorum Crucifixus in sinu Patris æterni in tabula depictus in altari prædictæ Ecclesiæ miraculose deplorat, & lachrymat ita, ut ad dictam Ecclesiam omnis populus decurrit pro videndo tali miraculo. Prodigium alterum.

Quibus intellectis statim postposita omni mora præfatus Rev. Dom. Vicarius cum aliquibus de suis Canonicis versus dictam Ecclesiam iter arripuit. In quo itinere se associavit cum clarissimo D. Philippo Minio Honorando Comite Arbensi, & multis aliis nobilibus, & civibus hujus civitatis ejus Magnificentiam & dictam Ecclesiam associantibus. In qua invenit magnam populi multitudinem plorantem, & vociferantem. Misericordia. Et accessit ad dictum altare & oculata fide vidit prædictum Crucifixum plorantem, & lachrymantem ex oculo sinistro, quo miraculo viso statim diligenter circum ipsum altare perspexit, si tabula altaris prædicti esset madefacta, sicut si ex aliqua parte super dictum altare stillaret cum multis aliis indagationibus necessariis & opportunis, prout suæ Dominationi visum fuit, ubi suspicionem aliquam invenire non potuit. Sed & revera miraculose prædictus Crucifixus plorabat & lachrymabat continue ibidem astantibus prædicto Clarissimo D. Comite, & Clarissimo Dom. Antonio de Canale suo prædecessore cum multis aliis nobilibus & civibus hujus civitatis.

Quibus visis & consideratis idem Rever. Dom. Vicarius multis de causis animum suum moventibus pro majori verificatione & testificatione veritatis prædictæ devenit ad infrascriptam examinationem cum præsentia & assistentia præfati Clariss. Dom. Comitis, mandans Diacono Nicolao suoque nuntio & curiæ suæ . . . ut testes infrascriptos ad eorum præsentiam citare deberet pro deponenda veritate.

Die quintadecima mensis Decembris.

Constitutus coram Rever. D. Vicario antedicto examinante in camera audientiæ Palatii Prætorii Arbensis, assistente ibidem ultrascripto D. Comite D. Marinello Schaffa . . . Nob. hujus civitatis, testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, quomodo heri de mane viderit Crucifixum ultrascriptum plorare, & lachrymare in Ecclesia S. Antonii parvi suo juramento deposuit ut infra &c.

„ *Habbiandomi levato da letto heri da mattina, dove subito recto tramite me ne aviai verso la Chiesa de S. Antonio pichola, come è il mio costume di visitar ogni giorno quella nostra Donna & il glorioso Crucifixo pregando, che aju-*

tarmi dovessero nelli miei bisogni, & maxime in questi calamitosi & penuriosi tempi insieme con la mia povera madre, quai moemo de necessità per non haver intrada alcuna & si vergonamo domandar per amor de Dio. Dove essendomi inzenochiato appresso un banco poco lontano dell'altar pregava Domenedio; dopo di me venne Ser Alexandro de Bergamo, qual pregò Iddio, & inteso che ebbe il son della campana di Termini, che il Magnifico Conte fa sonar per render ragion, se levò, & si partite, a dal che io solo in la ditta Chiesa romase. Et cusì pregando Iddio sentite che tutta la Chiesa stremite insieme con il cisindello, qual cosa udita che hebbe mi fece gran paura; & levandomi de lì mi inzenochiai appresso il altar sopraditto, & lì con le lachrime ai occhi començai pregar & supplicar quel benedetto & santissimo Crucifixo, che ajutar mi dovesse. Et cusì pianzendo viste che il ditto santissimo Crucifixo comenzò lachrimar butando una goza dal occhio sinistro, qual gli vene fina il petto, & subito lassò la segonda goza & gli si fermò; qual miraculo visto, con gran paura mi levai, & me partite; dove uscito dalla ditta Chiesa disse à mala pena della grande paura, che haveva, à mistro Christof. Cizzo orese, Bon zorno, qual li arente la ditta Chiesa tien botega, & me ne aviai verso la botega de mistro Lorenzo Androcha Calleger, Castaldo della ditta Chiesa dicendoli, Mistro Lorenzo corrè in Chiesa de S. Antonio se tu vogli veder miraculo grandissimo che lachrima il Crucifixo sul altar! Dove esso mistro Lorenzo con il sopraseritto mistro Christoforo orese, & molti altri corsero alla ditta Chiesa, quai impizorono la candella, & revera videro esser il vero di quanto io gli havea ditto: „ & alia &c.

Relectum confirmavit.

Die antedicta.

Constitutus coram antelato Rev. Dom. Vicario examinante ut ante mistro Lorenzo Androcha... Castaldus Ecclesiae S. Antonii antescripti per antescriptum Marinellum nominatus, monitus, juratus, & interrogatus, quomodo heri de mane viderit Crucifixum ante nominatum lachrymare, suo juramento dixit. „ Heri à hora de Messa Terza incirca lavorava in la mia botega, dove che vene missier Marinello Schaffa con certa paura, & mi disse, Mistro Lorenzo per amor di Dio te prego vien in la Chiesia di S. Antonio picholo, che tu vederà un grande miraculo, che pianze il Crucifixo sul altar. Onde intese tal parole stette tutto sbigotitò, à tal che pose zoso il lavor qual haveva in le mani subito me ne aviai verso la ditta Chiesia, venendo in mia compagnia mistro Christoforo Ciçço orexe, & mistro Domenego Valentich botter, & ancora sopravenne il antescritto meser Marinello. Dove tutti assieme intrassimo in la ditta Chiesia comenzando io a guardar in suso la nostra Donna, qual tien in brazzo il suo fiolino pensando ch' il piangesse, qual messer Marinello mi disse, Guarde da basso mistro Lorenzo che il Crucifixo piange; & accostandomi più appresso, con effetto viste che esso Crucifixo lachrimava, habbiando una goça sotto il ochio sinistro; qual cosa vista che hebbe imediate averse la sagristia della ditta Chiesia & impiçai la candella, & il torço, & de longo via corse à dar notitia à V. S. de tal cosa come Capo nostro in spiritual: „ & tantum scire dixit.

Et relectum confirmavit.

Die dicta.

Constitutus coram antedicto Rev. Dom. Vicario examinante ut ante magister Christoforus Ciçço aurifex contestis ut supra nominatus, monitus, juratus, & interrogatus, quomodo viderit Crucifixum antedictum lachrymare, suo juramento dixit. „ Lavorando io in la mia botega viste intrar in la Chiesa de S. Antonio picholo misier Martinello Schaffa, & uscir de quella de li un bon pezetto; qual come sbigotito mi chiamò Bon dì seguitando il suo camin a bon passo verso la botega de mistro Lorenzo Androba Castaldo della ditta Chiesia; qual mistro Lorenzo fina un pezetto visto a correr verso essa Chiesia con arquanti soi fiolini & lavorenti chiamandomi in sua compagnia, onde lassai il lavoro, & me ne aviai alla ditta Chiesia, & intrato in essa me ne acostai al altar & per certificarmi con mazor verità montai sul altar, & viste chazar una lachrima sul petto del antedetto Crucifixo, & subito butò un altra lachrima qual se gha fermà sotto il occhio sinistro, cosa vista disse à mistro Lorenzo, che partirse dovesse e dar notitia della cosa a V. S. „ & tantum scire dixit. Interrogatus „ se mai più ha visto entrar in la ditta Chiesia il antedittto Martinello. „ Respondit, „ Ogni giorno lo visto entrar in la ditta Chiesia, se fosse il più cattivo tempo del mondo, quel tempo ch' io tengo la mia botega che sono gia doi anni in circa. „

Et relectum confirmavit.

Die dicta.

Magister Dominicus Valentich botterius constitutus coram antelato Rev. D. Vicario examinante ut ante contestis ut ultra nominatus, monitus, juratus, & interrogatus quomodo viderit Crucifixum antenominatum lachrimare, juramento suo dixit. „ Essendo heri mattina in la mia botega, dove era atorno a certi barilotti, venne li un garson fiolo della fornara de Frati di S. Zuanne al presente lavorante de mistro Lorenzo Androba Castaldo di S. Antonio picholo, qual mi domandò, se avesse fogo in casa. Dicendo che il Crucifixo in la ditta Chiesia lacbrimava, onde subito lasciai il lavor, & me ne aviai correndo verso la ditta Chiesia, in la qual venuto che fù me ne acostai al altar con una candella accesa in mano viste il ditto Crucifixo che haveva una lachrima, che gli usciva dall' occhio sinistro, che pareva un ambro: „ & tantum scire dixit.

Et relectum confirmavit.

Die sextadecima mensis Decembris.

Reverendus D. Matthaeus Spallatinus Archipresbyter Arbensis constitutus coram antelato Rever. D. Vicario examinante ut ante, testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit in Ecclesia S. Antonii parvi Crucifixum antenominatum lachrymare, juramento suo dixit. „ Adesso zobia essendomi partito dalla Chiesia catedrale dopo il finir della Messa grande in compagnia de missier pre Domenego Vessellnich Canonico per andar verso la porta grande de questa città viste venir in zoso da Campo marzo il Dottor Cernotta & il phisico di questo loco, tornai darecavo per la porta, & arrivando appresso la casa del ser Zanetto Pastrovich sentite a dirci da una donna che il Crucifixo in la Chiesia de S. Antonio picholo lachrimava, che tutto il mondo concorre li a vedere, qual cosa de principio non volse dar fede a tal donna. Ma ne andai verso la loza, & ivi messomi a sedere

venne

venne non so chi li sotto la lozza, & riferite al Magnifico Conte qualmente revera il detto Crucifixo si lachrimava; onde subito sua Magnificentia se levo dalla bancha della audientia con il Magnifico Misier Antonio da Canal suo precessore co me, & molti altri Nobili, & Cittadini, & ne aviassimo verso la ditta Chiesia, & ne scontrassimo in piazza vecchia con V. S. & tutti in compagnia andassimo alla sudetta Chiesia. Dove con effetto con i miei proprii occhi ho visto lachrimar miraculosamente il ditto Crucifixo dal occhio sinistro habiando le palpebre del ditto occhio lachrimose, & tutta via crescendo & calando la gioza della ditta lachrima, tenendo sempre mai la candella accesa in le mie mani: ,, & tantum scire dixit.

Relectum confirmavit.

Die antedicta.

Reverendus D. Dominicus Vesselinich Canonicus Arbensis constitutus coram antelato Rev. D. Vicario examinante in camera ut ante &c. Testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit in Ecclesia S. Antonii parvi Crucifixum antenominatum lachrymare, juramento suo dixit. ,, Adesso zobia essendo in compagnia del Rev. nostro Arciprete & caminando per la strada de mezo per andar verso piazia, intese, che una donna diceva alla consorte del Misier Christoforo de Zaro, che il Crucifixo in la Chiesia de S. Antonio piccolo lachrimava miraculosamente. Dove subito lassai so Signoria & mene aviai verso essa Chiesia in compagnia del Padre Fra Evangelista di questo loco dell' Ordine di Osservanti, & venuto che fu revera visti lachrimar il antenominato Crucifixo de una lachrima del ochio sinistro, & ivi il populo si haveva assonato lachrimando, & vociferando: Misericordia, percotendosi i petti loro: ,, & tantum scire dixit.

Et relectum confirmavit.

Die antedicta.

Reverendus D. Collanus de Marinellis Canonicus Arbensis constitutus coram antelato Rev. D. Vicario examinante ut ante, Testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit plorare Crucifixum antenominatum in Ecclesia S. Antonii parvi, suo juramento dixit. ,,Essendomi partito adesso zobia dalla Chiesia grande dopo il finir della Messa grande in compagnia di Misier pre Zuane Cortese Canonico & venuto alla piaza vechia mi se incontro mistro Lorenzo Androba calegher Castaldo de S. Antonio picholo, qual mi disse, che il Crucifixo in la ditta Chiesia miraculosamente lachrima, qual cosa intesa che hebbe me ne aviai verso la ditta Chiesia in compagnia del sopradìtto Messer pre Zuanne, & viste con effetto, che il ditto Crucifixo havea una lachrima sotto il occhio sinistro, & tutta via gli si ingrossava chalando a basso, tenendo sempre mai la candella accesa in le man mie: ,, & aliud, &c.

Relectum confirmavit.

Die antedicta.

Reverendus D. Nicolaus Colich Canonicus Arbensis constitutus coram antelato Rev. D. Vicario examinante ut ante, Testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit in Ecclesia S. Antonii parvi Crucifixum antenominatum lachrymare, juramento suo dixit. ,, Adesso zobia habbiamo finito la Messa grande in la Chiesia nostra cathedrale; & metendo zoso il paramento venne correndo da me mistro Lorenzo Androba Castaldo de S. Antonio picolo, dicendomi qualmente il Crucifixo in la ditta Chiesia miraculosamente piange & lachrima, & che io come Capellano della Chiesia dovesse andar lì, & insieme con esso lui andar dovesse a dar notitia de tal cosa à V. S. onde subito corse alla ditta Chiesia per certificarme in prima; dove revera viste pianger il ditto Crucifixo, de cui usciva una lachrima dal ochio sinistro sempre mai ingrossandosi che pareva un ambro, e chalando abasso verso il naso; qual cosa viste ch'ebbe mi misse la chotta, e stola tenendo nelle mani il Tabernaculo, & vociferando Misericordia; & in questo venne V. S. in compagnia del Magnifico Conte, & molti altri Nobili & Cittadini di questo loco, la qual fece quelle debite provisioni qual si ricercavano al suo offitio: ,, & aliud dixit nescire.

Relectum confirmavit.

Die antedicta.

Reverendus D. Joannes de Cortesiis Canonicus Arbensis examinatus per suprascriptum R. D. Vicarium examinantem ut ante, contestis ut supra nominatus, qui deposuit in omnibus & per omnia prout in depositione suprascripta D. Collani legitur, & continetur.

Et relectum confirmavit.

Die XVI. dicti.

Spectabilis D. Hieronymus Spalatinus Nob. Arbensis Judex hujus civitatis constitutus ad præsentiam R. D. Vicarii examinantis ut ante, Testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit in Ecclesia S. Antonii parvi lachrymare Crucifixum antenominatum, juramento suo dixit. ,, Essendo sentado con il nostro Magnifico Signor Conte drio la bancha, venne Messer Francesco Scassa, il qual disse, qualmente il Crucifixo de S. Antonio picholo miraculosamente lachrimava. Dove sua Magnificentia non volse levarsi fin tanto non gli fosse fatta la fede per qualche Sacerdote; & dopo di questo con verità a sua Magnificentia gli fù fatta la fede de esser la verità di quanto il ditto Missier Francesco gli aveva referito. Onde subito sua Magnific. si levò & andò in compagnia de molti Gentilhomini & Cittadini verso la sopraditta Chiesia, & venuto che fo me acostai al altar & viste una lachrima al ditto Crucifixo sotto il occhio sinistro: ,, & tantum scire dixit.

Et relectum confirmavit.

Die antedicta.

Spectabilis D. Hieronymus de Zaro Nob. Arbensis, alter Judex civitatis, qui & deposuit in omnibus prout supra dixit præfatus D. Hieronymus ejus collega. ,, Addesso, che tenendo la candella in le mani il Rever. Arciprete appresso la Imagine di esso Crucifixo viste il rivolo per il qual visibilmente pareva essa lachrima esser discesa: ,, & tantum scire dixit.

Relectum confirmavit.

Die XVII. antedicti.

Venerabilis Pater Fra Joannes Drascich ordinis Minorum constitutus coram Rev. D. Vicario sedente in camera audientiæ Palatii Prætorii, assistente ibidem ipso Magnifico D. Comite, Testis ex officio assumptus, monitus, juratus, & interrogatus, si viderit Crucifixum antenominatum lachrymare in Ecclesia S. Antonii parvi, juramento suo testificando dixit. ,,Essendomi posto a sedere sotto la loza comun di questo luoco venero alcune persone, qual referitero al Magnifico Sig. Conte, cò il Crucifixo in la Chiesia de S. Antonio piange & lachrima, dove soa Magnificentia mi impose che andar dovesse a veder tal cosa, perche questo si ricerca

Digitized by Google

& appartiene all' officio de Sacerdoti, onde subito me ne partite, & venuto che fo in la ditta Chiesia te vera viste uscir una lachrima del ditto Crucifixo dal occhio sinistro, qual si abbassava tuttavia ingrossandosi. Onde grande moltitudine di zente si havere assonato, qual lachrimava, & vociferava, Misericordia; & per mazor certification della verità tolse una candella accesa in la man, & viste esser il vero di quanto di sopra ho deposto, & li disse la mia Messa in presentia del tutto il populo, „ & aliud dixit nescire.

Et relectum confirmavit.

BLASIUS EP. ARBENSIS XL.

Patria Jadertinus, cognomento Sideneus, hanc Ecclesiam regendam suscepit anno 1569. Duo erant Virginum Arbensium collegia, alterum Benedictinum S. Andreæ, idque antiquissimum; alterum recentius tertii ordinis Franciscani, quod sæculo superiori exeunte, ut dictum est, Magdalena Budrisichia, extra mœnia civitatis, prope sacellum S. Antonii Abbatis fundaverat. Ad neutrum accessus patebat virginibus, quæ oriundæ non essent e familiis patriciis. Ne locus deesset, ubi ingenuæ puellæ ac mulieres ordinis inferioris seipsas Deo in perpetuum consecrare possent; ad duo illa tertium addendi mira cupiditate cives Arbenses flagrabant; quod demum, Blasio Episcopo, sub titulo ac tutela S. Justinæ virginis & martyris institutum fuit. Ad cœnobii ædificationem Commune Arbensium mille nummos argenteos, Senatus Venetus tercentos, Summus Pontifex ducentos contulerunt. Cœnobio attributi sunt duo scopuli, seu parvæ insulæ, e quarum fructibus annui proventus suppeterent. Constructæ sunt ædes in foro veteri apud Ecclesiam S. Thomæ, quæ ad Capitulum Arbense pertinebat. Hanc rogatu Arbensium Canonici, jure patronatu retento, & salvo jure Parochi, eidem cœnobio donarunt; Blasius vero donationem confirmavit; idque testatum esse voluerunt publicis tabulis in eam rem confectis, quæ sunt hujusmodi.

Cœnobium S. Justinæ conditum ac dotatum pro Virginibus non patriciis.

eidem a Canonicis Ecclesia S. Thomæ donata.

Decretum Capitulare.

In Christi nomine Amen. Anno ab ejus gloriosa Nativitate millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, die vero Martis vigesima prima mensis Decembris, Pontificat. Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. anno ejus tertio. Noverint universi & singuli præsens publicum Instrumentum inspecturi, quod hodie convocato, & congregato Rever. Capitulo Arbens. in sacristia S. Mariæ Ecclesiæ cathedralis loco suo Capitulari ad sonum campanæ magnæ post vesperas (ut moris est) de mandato Rev. D. Francisci Negosantii Archidiaconi, in quo quidem Capitulo interfuerunt Rev. D. Archidiaconus antedictus, Dom. Bart. Concizza Archipresbyter, Dom. Christ. de Dominis Primicerius, Dom. Joannes de Cortesiis Vicarius, ego Paulus Ant. Bad. Cancellarius infrascriptus, Dominus Christoforus de Ponte, & Dom. Joannes Zudenicus omnes Canonici præbendati Arbens. & pro majori parte totum Capitulum repræsentantes, absente D. Hieronymo Mircovich, vid. per sacbristam vocato, sed prædicto Capitulo adesse nolenti, cæteri vero Canonici extra diœcesim existentes; & ibidem dictis Rever. Canonicis pro parte totius universitatis popularium Arben. in scriptis porrecta, & præsentata fuit supplicatio tenoris hujusmodi, videl. Rev. D. Prælati & Canonici: Exponitur Dominationibus vestris Rev. pro parte totius universitatis civium, sive popularium Arbens. quod cum prædicta universitas ex magna devotione cupiat & intendat in hac civitate prope Ecclesiam S. Thomæ de Catribbo sita in platea veteri, ad honorem Dei, sub titulo Divæ Justinæ Virg. & Mart. Christianæque fidei contra Turcas universalis protectricis, ædificari facere unum monasterium monialium, sub regula D. Benedicti; & prædictæ intelligant, sint, & esse debeant perpetuo subjectæ Rev. Episcopo Arben. ordinario, & succes. suis; cumque prædicta universitas ad hujusmodi monasterium inchoandum indigeat Ecclesia S. Thomæ prædicta ad divina inibi officia celebranda; sed cum eadem Ecclesia sit jus patronatus Dominationum vestrarum Rev. vestrique Rev. Capituli, id non valeat facere, absque earumdem Dominationum vestrarum, & R. Dom. Francisci Negosantii Archidiaconi, dictaque Ecclesiæ plebani moderni, speciali licentia & consensu; Supplicant igitur humiliter eisdem Dominationibus vestris Rever. Bernardinus de Faciis abs. rossino, Baptista Vessellinich, Nicolaus Bizza, Collanus Segotta, & Georgius Michglianus pelifex cives Arbens. ad hujusmodi opus a præscripta universitate specialiter deputati, quatenus dignetur sibi dicto nomine eamdem Ecclesiam supradictam perpetuo per se & successores suos libere dare, & concedere de gratia speciali. Et ut antedictum monasterium fundet, celeriusque perficiat, prædictæque Religiosæ ibidem Altissimo famulantes commodius sustententur, etiam atque etiam iidem oratores humiliter precantur & petunt, ut præterea Do. V. Rev. de aliis bonis suis a Deo sibi collatis aliquod charitatis subsidium pio affectu elargiri velint; offerentes se nomine antedictarum monialium Christi sponsarum, Deum benedictum enixis precibus orare, ut easdem Dominationes V. Rev. feliciter per multa tempora protegat & tueatur, quibus humiliter se commendant.

Quæ quidem supplicatio in antedicto Rev. Capitulo lecta, accepta, & admissa fuit ad voces per omnes Canonicos antedictos, nemine discrepante, quo ad Ecclesiam prædictam tantum, juxta supplicationem; reservato tam jure patronatus ipsorum Dominorum Canonicorum eligendi Plebanum per tempora necnon sine præjudicio & diminutione jurium & actionum dicti Rev. Plebani moderni, ac successorum, & non aliter; quo autem ad reliqua, in eadem supplicatione, antedicti Rev. Canonici noluerunt habere respectum, & considerationem, ut possint mature deliberare, quæ sint ad laudem Dei, ad augumentum cultus divini, & consolationem fidelis populi; & præmissa semper intelligant ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, & Reverendiss. D. Episcopi Arben. & non alias aliter, nec alio modo; rogantesque me Notarium, & Cancellarium infrascriptum &c. Acta fuere hæc Arbæ millesimo, Indictione, die, loco, & Pontificatu antedictis; præsentibus Subdiacono Damiano Vitcovich familiare prædicti Rev. D. Episcopi; magistro Nicolao Fabianich protho Calafat. & mag. Dominico Cittadela chyrurgo, civibus, & habitatoribus Arbæ testibus ad præmissa adhibitis specialiter & rogatis &c.

Die dicta & immediate.

Reverendissimus in Christo Pater & D. D. Blasius Sidineus J. U. D. Episcopus Arben. digniss. existens in aula sui Episcopatus, post vesperas auditis antedictis oratoribus universitatis Arben.

Digitized by Google

ben. dicto nomine petentibus, & eum instantia requirentibus per ejus Rev. Do. confirmari & approbari antedictam partem captam die hodierna in Rever. Capitulo Arben. eidemque interponi auctoritatem suam &c. Qua visa & bene considerata, ipsam tamquam legitimam, & sibi gratam de meliori modo per se & successores suos confirmavit & approbavit, cum omnibus clausulis & conditionibus in ea appositis, & contentis, eidemque suam, & qua fungitur, ordinariam auctoritatem interposuit, & juditiale decretum mand. &c. præsentibus testibus quibus supra &c.

Ego presbyter Paulus Antonius Baduarius Canonicus & Notarius publicus auctoritate Apostolica, nec non curia Episcopatus Arben. Cancellarius, quia præmissis omnibus, & singulis sic ut præmittitur in prædicto Rever. Capitulo, & per suprascriptum Rev. Episcopum fierent, & agerentur, una cum enominatis testibus interfui, eaque omnia vidi, audivi, & in notam sumpsi, ideo hoc præsens publicum instrumentum aliena manu per mihi fidum scriptum, mea propria manu subscripsi cum signo & nomine meis solitis & consuetis. In fidem rog. & requisitus.

Initia cœnobii Justiniani.

Absoluto cœnobio, & supellectili domestica, cæterisque necessariis rebus instructo, permissu Pontificii apud Venetos Legati, accersitæ sunt e Pagensi cœnobio S. Benedicti tres Monachæ, non minus gravitate & sanctimonia, quam disciplinæ monachalis scientia insignes, quæ novitias alumnas ad normam instituti Benedictini erudirent. Fuerunt sane plures e secundo civium ordine, quæ certatim, ut admitterentur, nomina darent. Novem receptæ sunt; neque enim annui proventus pluribus alendis erant. Hæc fuere initia collegii Benedictini S. Justinæ, quod etiamnum si minus numero, certe modestia & sanctitate Virginum ibidem Deo famulantium, viget floretque.

Augustinus Valerius Ep. Veronensis Visitator Apostolicus.

Augustinum Valerium Episcopum Veronensem, quem Visitatoris Apostolici dignitate ac potestate præditum Gregorius XIII. ad Ecclesias Dalmatiæ Venetas visendas, & reformandas miserat, quo dignus erat talis ac tantus Præsul, honore & magna cleri populique obviam prodeuntis frequentia, Blasius excepit anno 1579. Multa ille quidem vel ad pravas consuetudines abolendas, vel ad Christianam, & Ecclesiasticam disciplinam restituendam & stabiliendam, vel denique ad splendorem dignitatemque cultus divini augendam egregie constituit, ac decrevit. Illud vero singulari commemoratione dignum, quod venerationem Divis, eorumque sacrosanctis Reliquiis debitam, peculiari decreto sancivit. Arbenses vim sane ingentem hujusmodi sacrorum spoliorum repositam in parte interiore altaris maximi ædis cathedralis, inclusamque habebant. Huic loco ab sanctitate rerum ibidem conditarum nomen inditum est *Sanctuarii* Arbensis; in quo etiam præcipue Ecclesiæ suæ monumenta & privilegia asservantur. Selecti hujus ac pretiosi thesauri custodes ac præsides deligi solebant e primaria nobilitate, viri summa integritate ac fide, quibus ea custodia recte ac tutissime committi posset. Hi autem, ne quid de sanctissimis illis exuviis deperiret, non solum ferreis claustris, clavibusque obseratas tenebant, sed etiam decretum fecerant, illudque jurejurando confirmaverant, se numquam passuros ullam e sacris Reliquiis ex illo abdito obscuroque conclavi in lucem proferri, exponique ad publicam venerationem; atque eodem jurejurando obstringendos esse decreverant, quibus deinceps ea custodia & præfectura traderetur; ex quo fieri necesse erat, ut debito cultu & honore fraudarentur, atque illarum religio, oblivione, & neglectu civium sensim obsolesceret. Quocirca Augustinus Valerius, ut pristinam illis publicamque venerationem restitueret, decretum illud abrogavit, & sacramentum illud, quo se impudentius, quam religiosius illigaverant, irritum fecit; jussitque in posterum eas statis ac solemnibus diebus ab Episcopo designandis, & præsertim Caput S. Christophori festo ac natalitio ejus die, in summo altari, decoro apparatu inter cereos ardentes collocari; ut populi frequentia & religio ad eas venerandas, ac Divorum, ad quos pertinent, opem implorandam alliciatur. Decretum Valerianum est hujusmodi.

Die Sabbathi 30. Maji 1579. Arbe.

Decretum Valerii.

Est in cathedrali Arbensi in interiori parte maximi altaris locus secretus, diuturna custodia adservatus, in quo quamplurimæ venerabiles Reliquiæ custodiuntur; unde locus Sanctuarii nomen assumpsit. Hæ Reliquiæ adeo exacta diligentia detinentur, ut numquam in lucem deferantur, quia ipsius loci præfecti, & Reliquiarum custodes præcipuo quodam ipsorum decreto, jurejurando obstricti, eas Reliquias neque inde amovere, neque præ fidelium oculis exponere audent. Quod cum Rev. Dom. Visitator intellexisset, decretum hujusmodi, tamquam inofficiosum, & præter religionis cultum, penitus reprobando, mandavit, quod decreto ipso, quocumque juramento, aut alio quovis strictiori vinculo confirmato, in aliquo non obstante, teneantur & debeant præfecti & custodes dicti Sanctuarii, præsentes & futuri, Reliquias ipsas deinceps solemnioribus diebus a Rev. Domino Episcopo pro tempore declarandis, præcipue die festo S. Christophori, cujus sanctum caput inter Reliquias ipsas veneratur, decenti & canto modo, super majori altari prædicto exponere; & ibidem eatenus diligenti custodia continere ad fidelium devotionem, & Reliquiarum venerationem augendam, quatenus prædicto Rev. Dom. Episcopo satis esse visum fuerit. Quibus præfectis & custodibus ex nunc tenore præsentium auctoritate Apostolica, qua fungitur, juramentum prædictum penitus relaxat, ita ut eo deinceps in aliquo non obstante, ad quod subeundum futuri præfecti & custodes hujusmodi Sanctuarii minime teneantur, Reliquiæ ipsæ exponantur, & contineantur modo superius declarato, & ita annotari jussit.

Catalogus Reliquiarum Arbensium.

Extat catalogus Reliquiarum Sanctuarii Arbensis, quem hic describere operæ pretium esse mihi visum est.

Caput S. Christophori. Vas in quo est repositum, est ex crystallo, & est magnæ molis: intus est caput absque mandibulis. Corona aurea est ornatum, gemmis non parvi valoris undequaque decorata, in cujus dextera parte est quædam Crux aurea, in qua continetur particula de ligno sanctissimæ Crucis.

Omnes Reliquiæ in vase pariter crystallino continentur, nullo auri argentive ornamento distinctæ, unum tantum si demas, in quo asservatur Spina de corona Christi. Vas est figuræ ostensorii oblongi, pes cujus est ex argento deaurato; bonaque pars operculi pariter ex argento.

Cæteræ Reliquiæ insignes sunt hæ.

Caput

Digitized by Google

Caput S. Abundii.
Caput S. Ananiæ.
Caput S. Azariæ.
Caput S. Hermolai.
Brachium S. Theclæ.
Brachium S. Saturnini M.
Spina Coronæ Christi Domini nostri.
Costula S. Marini civis Arbensis.
Dens S. Apolloniæ M.
Reliquia S. Victoriæ M.
Multa ossa SS. Innocentium.
De liquore emanato e Corpore S. Andreæ.

Præterea est miscellanea quædam in uno vase contenta, in quo multæ SS. Reliquiæ suis involucris distinctæ, cartulas ex pergamena, in quibus extat inscriptio, habentes. In vasculo quodam ligneo extat cartula ex pergamena his litteris inscripta: Hæ reliquiæ sunt, quæ tempore Andreæ Episcopi Michael & Joannes Ginanni filius Arbam portavit ad honorem Dei, & B. M. V. pro remedio animæ suæ, & suorum.

Utrum intelligat Reliquias omnes, an eas tantum, quæ in ea miscellanea continentur, dubium.

Nota Reliquiarum extracta ex pergamena quadam in vase contenta characteris non recentis.

De sepulchro Domini.
De transfiguratione Montis Thabor.
De sepulchro Nicodemi.
De lapide, in quo fixa fuit Crux Domini.
De sepulchro Mariæ.
De Ligno Domini.
De micis panis de cœna Domini.
De lapide, in quo sedit, cum jejunasset 40. diebus.
De tabula, quam dedit Deus in manu Moysis.
De Virga Moysis.
De cunabulo, in quo jacuit, de pannis, in quibus involutus fuit. Sunt & aliæ scriptæ, sed ob vetustatem erui non potuerunt.

Reliquiæ Sanctorum Custodes vigilantissimos habent, qui tanta eas diligentia custodiebant, & juramento se obstrinxerant, unquam se permissuros eas venerari obtutu. Verum ab Em. Valerio juramento absoluti, eas publicæ venerationi exponunt in Sancti Patroni Festo, solemnisque ea die fit processio, multo populorum etiam a dissitis partibus advenientium concursu. Omnes, etiam suburbani Presbyteri sacris vestibus induti Reliquias portant; quorum quælibet ab unoquoque latere suum habet intortitium. Sequitur post omnes Divi Christophori Caput, quod Episcopus pontificalibus indutus sub baldachino portat.

Blasio adjutor datus Andreas Cernota electus Scardonen. cum jure succedendi.

Blasius Episcopus in hujus Ecclesiæ regimine annos fere quatuordecim exegerat; cum senectute, & Episcopalibus curis ac laboribus confecto, Gregorius XIII. adjutorem dedit Andream Cernotam, & huic jus etiam in eam sedem Blasio succedendi contulit; atque annuam pensionem, ab ipsis Arbensibus constitutam, quo ad Blasius viverit, percipiendam, decrevit: 1583. 8. *Augusti deputavit in coadjutorem Episcopi Arbensis cum futura successione in eadem Ecclesia Andream Cernotam ordin. S. Francisci de observan. virum probatum, pro cujus sustentatione, durante coadjutoria, assignantur a nonnullis civibus 300. ducat.* Ex tabulis consistorialibus. Eadem die eumdem Andream designavit, elegitque Episcopum Ecclesiæ Scardonensis, quæ tunc a Turcis gravi dominatu premebatur; ut est in iisdem tabulis. Extat diploma Gregorianum in eamdem rem atque sententiam.

Gregorius servus servorum Dei, Dilecto filio Andreæ electo Scardonen. salutem, & apostolicam benedict. Personam tuam nobis, & Apostolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quæ tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque nos hodie ex certis causis tunc expressis, te venerabili fratri nostro Blasio Episcopo Arben. quoad vixerit, & Ecclesiæ Arben. præfuerit, coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & administratione ipsius Ecclesiæ Arben. in spiritualibus & temporalibus de fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate constituerimus, & deputaverimus, recedente, vel decedente dicto Blasio Episcopo, & in certos alios tunc expressos eventus, eidem Ecclesiæ de persona tua, de simili consilio, dicta auctoritate providerimus, præficiendo te illi in Episcopum, & pastorem, prout in nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Nos tibi ut onus officii coadjutoris hujusmodi commodius supportare, atque statum tuum, juxta Pontificalis dignitatis exigentiam, decentius tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, ac præmissorum meritorum tuorum intuitu, specialem gratiam facere volentes; teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, tibi trecenta scuta annua, & ultra, in certis prædiis vino, & fructu pecudum, pro tui sustentatione a dilectis filiis Communitate, & nonnullis civibus Arben. constituta, & assignata, ac per ipsos Communitatem, & cives obligata tibi, per te etiam una cum dicta Ecclesia Scardonen. etiam postquam munus consecrationis susceperis, percipienda, exigenda, & levanda, loco pensionis annuæ, auctoritate apostolica tenore præsentium reservamus, constituimus, & assignamus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, Patriarchæ Venetiarum, & Archiepiscopo Jadren. ac Episcopo Faren. per apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra te libera perceptione dictorum trecentorum scutorum, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum continentiam, & tenorem, pacifice frui & gaudere. Non permittentes te desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ Arben. juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reservationis, constitutio-

tio-

Digitized by Google

tionis, assignationis, & mandati, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, sexto Id. Augusti, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Mors Blasii, sepulchrum, & inscriptio. Blasius haud diu superstes fuit, & III. Id. Junii anno 1584. moriens, adjutori suo sedem vacuam reliquit. Illatus est in ædem cathedralem, tumulatusque prope ab gradibus, quibus in Odeum ascenditur. Lapidi superposito insculptum est simulacrum episcopale, capite calvo, & barba prolixa, cum hac inscriptione:

BLASII SIDINEI IVR. VTR. DOC. HVJVS ECCLESIÆ ANTISTITIS HIC OSSA QVIESCVNT. OBIIT ANNO DNI M. D. L. XXX. IV. DIE XI. MENS. IVNII.

ANDREAS III. EP. ARBENSIS XLI.

Ex familia de Cernotis patricia Arbensi, de quo Valerius a Ponte in suo catalogo: 1584. 8. *Augusti. Andreas Cernota de Arbo ord. Fratr. Minorum de observantia, Verbi Dei concionator insignis, electus in Episcopum Scardonen. in partibus infidelium, ac deputatus coadjutor Episcopo Arbensi.* Insigni ac pretioso dono Sanctuarium Arbense locupletavit, ut notatum invenio in quadam scheda ejusdem sanctuarii: *Hæc est Crux aurea, quam portabat Robertus rex Neapolis, quamque dono dedit Fratri Andreæ Cernotæ Episcopo Arbensi, in qua Cruce repositum fuit modicum de ligno S. Crucis; quæ reposita est in sanctuario.* Anno quinto suscepti Episcopatus e vita migravit; illatus est in ædem Patrum Minorum severioris disciplinæ, ibique sepultus sine ulla inscriptione. Bonifacius Viezzerus in catalogo virorum illustrium ex ordine S. Francisci hoc illi elogium confecit: *F. Andreas de Arbo ex ministro Definitor generalis 1575. Guardianus S. Claræ Neapolis, & regiorum monasteriorum commissarius 1579. Demum Episcopus.*

PASCHALIS EP. ARBENSIS XLII.

Cognomento Padavinus, & Venetiis oriundus, quem eductum e cœnobio monachorum Camaldulensium, in quorum sodalitatem nomen ab adolescentia dederat, Sixtus V. Episcopum Arbensem creavit: ita enim scriptum est in tabulis consistorialibus: 19. *Septemb.* 1588. *providit Ecclesiæ Arbensi vacanti per obitum F. Andreæ Episcopi, de persona religiosi viri Paschalis Padavini civis Veneti, ord. Camaldulensium, Sac. Theol. Magistri.* S. Marinum olim civem suum Arbenses antiqua & præcipua religione venerabantur, ejusque patrocinio urbem atque insulam commiserant; sed ægre ac dolenter ferebant ex ejus reliquiis ne tantillum quidem esse, quod quibus dignum esset, muneribus, ornamentis, honoribus afficerent. Integrum hujus sanctissimi viri corpus jam inde a plurimis sæculis inclusum abditumque asservabatur in æde primaria oppidi S. Marini diœcesis Feretranæ, quod ab Arimino passuum millia circiter decem in Austrum distans, monti prærupto asperoque impositum, princeps est, & caput cujusdam Reipublicæ exiguæ quidem, sed inde usque a primordio sui, perpetuoque liberæ. Arbensium cupiditatem spemque alicujus particulæ obtinendæ auxit, & vehementius incendit recentissima ejusdem corporis inventio & recognitio. Non deerant qui dubitarent an quod a majoribus fama & auditione acceperant, exuvias S. Marini in templo primario illius oppidi subter altare maximum conditas latere, id prudenter credi ac pro certo haberi posset; præsertim cum Ticinenses illud idem corpus urbi suæ vindicarent, & asservari colique affirmarent in æde urbana ejusdem S. Marini nomine consecrata. Erat tunc Archipresbyter plebis oppidi Mariniani Marinus Bonetus, vir doctrina pariter ac pietate clarus. Is pro sua sapientia veritus, ne S. Marini cultus ac religio defervesceret, nisi mature huic periculo occurreret, injectamque dubitationem civium suorum animis eximeret; decrevit rem per se ipse explorare, & omnibus claram facere, riteque testatam posteris relinquere. Itaque anno 1586. V. Non. Maji, hora tertia noctis, duobus religiosis viris testibus adhibitis, ad templum S. Marini accessit, & januis clausis, jussit aperiri solum, cui altare maximum incumbit. Detecta est urna marmorea; & litteræ eidem inscriptæ monebant ibidem contineri corpus S. Marini; patefacta cum esset, ossa omnia & integra reperta sunt. Ergo re satis perspecta & evulgata, dubitatio omnis evanuit, & pristinus exuviis S. Marini cultus ac frequentia rediit. Ex his apparet vel alterius S. Marini corpus esse, de cujus possessione Ticinenses gloriantur, vel aliqua fragmenta esse decerpta ex corpore nostri S. Marini, & post hujus inventionem illuc illata. Bernardus Saccus historiæ Ticinensis lib. x. cap. VIII. tradit quidem templum S. Marini media in urbe eleganter constructum fuisse ab Aistulpho Langobardorum rege; sed nusquam corpus S. Marini in eo conditum esse affirmat.

S. Marinus olim civis, nunc Patronus Arbensium.

Corpus S. Marini latens subter altare maximum inventum.

Eodem anno 1586. III. Nonas Septembris, ipso die natali festoque S. Marini, ingenti tum civium, tum advenarum concursu & gratulatione, inter hymnos & psalmos arca elata fuit, & altari maximo imposita: quæ omnia idem Archipresbyter litteris mandavit suo chirographo subscriptis, annuloque obsignatis; quarum exemplum hic subjicio.

Historia Inventionis.

Quoniam in Terra perpetuæ libertatis S. Marini Feretranæ diœcesis de corpore Sancti ejusdem nominis dubitabatur, & per talem suspicionem in dies magis ad dictum Sanctum devotio diminuebatur, licet in pede majoris altaris Plebis ejusdem Sancti prædictum corpus quiescere suspicaremur. Hinc ego Marinus Bonetus dictæ Plebis Archipresbyter corpus prædictum exquirere constitui, & prius maturo habito colloquio cum Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Francisco Sormano Mediolanensi dictæ Feretranæ diœcesis Antistite, precibusque per aliquot dies una cum multis Fratribus Capuccinis ad Deum pro hac re delatis, tandem in Festo Inventionis S. Crucis de anno 1586. ad tres horas noctis cum interventu duorum ex dictis Capuccinis, summo cum timore, & tremore pedem dicti altaris rupi; ibique marmoream urnam inveni, in qua hi duo versus inscripti sunt:

Clusa ab antiquis nobis aperta Marini.
Sancta manent membra, nobis cunctis recolenda.

Qua postea urna coram Illustrissimo & Reverendissimo Dom. Antistite, & populo prædictæ Terræ aperta, clare vidimus omnes, ibi omnia ossa corpora Sancti præfati extare, cum quadam par-

parva cruce ænea, & quibusdam parvis nummis, quorum imago minime agnoscebatur. Post hæc die tertia proximioris mensis Septembris, in qua Sancti solemnia agi solent, cum magno vicinorum concursu, licet imbres immensi de mane restiterint, prædicta ossa præfatus Antistes, & alii digniores cleri per totam Terram cum hymnis, canticis, & instrumentis musicis devote asportavere, & reposita, prout etiam nunc extant, super prædictum altare majus; ibique majori, quam prius, veneratione coluntur ad laudem & gloriam Dei omnipotentis & Sancti prædicti. Et quia ego prædictus Marinus Bonetus, ut supra, his omnibus interfui, bis manu mea propria scriptis, & subscriptis de omnibus fidem facio sub hac die IV. men. Octobris 1596.

Marinus Bizzius Canonicus Arbensis a Clemente VIII. facultatem petiit sacras reliquias extrahendi ex Ecclesia S. Marini.

Fama de invento corpore S. Marini cum late manasset, ingentis lætitiæ, ac spei Arbenses implevit. Marinus Bizzius patricius, & Canonicus Arbensis exiguum ex illis sacrosanctis Reliquiis fragmentum a Boneto Archipresbytero petiit & impetravit, quod apud se retineret ac privatim coleret. Sed majus quoddam & insignius civis olim sui ac Patroni monumentum, ad communem religionem & cupiditatem explendam, Arbensium vota requirebant. Id curæ ac negotii suscepit idem Bizzius, ut pio civium suorum desiderio obsequeretur. Ac primum quidem, ne quid sibi impedimenti objectum foret, quo minus exsequi posset quod optabat, libello supplici Clementem VIII. Pontif. Max. rogavit, sibi ut potestas fieret extrahendi sacras Reliquias ex oppido & templo S. Marini diœcesis Feretranæ, suamque in patriam transferendi, collocandique in locis sacris & publicis, quæ illarum sanctitati congruerent, ubi debitus eisdem honos haberetur. Annuit Pontifex, ejusque precibus benigne subscripsit, ut Rescriptum libello supplici subjectum, & verba eidem præposita declarant.

Licentia extrahendi Reliquias Feretranas.

Beatissime Pater cum devotus S. V. orator D. Marinus Bitius Canonicus Ecclesiæ Arbensis pia devotione ductus, utque sua Ecclesia Christi fidelium devotio plurimum amplietur, ad augendam eorumdem Christi fidelium salutem & devotionem, & eadem Ecclesia sæpius visitetur, nonnullas Sanctorum, & Sanctarum Reliquias ex S. Marini Ecclesia, & ex oppido S. Marini Feretranæ diœcesis extrahere, & ad partes transmittens, easdem in locis sacris non sine magna illic degentis populi consolatione honorifice, ut decet, collocari facere desideret; supplicat proinde S. V. dictus orator, quatenus pio ejus desiderio annuens, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequens, eidem oratori, ut nonnullas Sanctorum & Sanctarum Reliquias ex dicta Ecclesia, & oppido extrahi facere, illasque ad dictas partes deferre, & deferri, & in locis sacris sibi bene visis, honestis tamen, & ad hoc congruentibus, collocari facere libere, & licite absque ullo censurarum & pœnarum incursu valeat, licentiam concedere, pariterque indulgere dignemini de gratia speciali, non obstantibus quibuscumque prohibitionibus, desuper quomodolibet factis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis. Fiat ut petitur. Hippolitus, & cum absolutione a censuris ad effectum &c.

Rescriptum Pontificis.

Et de licentia, concessione, & indulto, ut supra, & quod sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Romana Curia, & extra eam, absque alia desuper litterarum expeditione, seu per Breve Sanctit. suæ, & de consensu . . . . & dummodo non sint ex principalibus aut insignioribus Reliquiis ibidem existentibus. Fiat ... Datum Romæ apud S. Petrum XVI. Kal. April.

Insigne aliquid e Reliquiis S. Marini a Marino Boneto Archipresbytero impetravit.

Pontificio rescripto lætus Marinus Bizzius Marinum Bonetum Archipresbyterum illius oppidi, binis litteris ad eum datis, oravit atque obsecravit, ut e corpore S. Marini aliquod insigne fragmentum sibi ac patriæ suæ donaret, Arbensibus & summæ venerationi, & magno præsidio futurum; gratum fore ipsimet Divo aliquid e suis terrenis exuviis illuc remitti, unde illas sumpserat, & natale solum hoc illustri suæ erga patriam pietatis monumento nobilitari; simulque illum admonuit de potestate sacras illas Reliquias extrahendi sibi per Pontificem Maximum facta. Æqua & honesta vita est postulatio. Itaque Bonetus haud libentius, quam promptius piæ petitioni morem gessit; & Costam e corpore S. Marini avulsam in capsulam inclusit, suoque signo obsignatam, cum suis ad Padavinum Episcopum, & Bizzium Canonicum litteris, eidem nuntio, quem miserat Bizzius, homini fido ac prudenti, deferendam dedit; ac suum simul Chirographum adjecit, quo fidem faciebat Costam illam ex ipso corpore S. Marini detractam esse. Ad urbem allata cum fuisset, ingens extitit totius civitatis lætitia & gratulatio. Episcopus illam deponi jussit in æde suburbana S. Francisci, ad quam v. Kal. Februar. an. 1596. post pontificale sacrificium in æde cathedrali ritu ac cærimonia solemni peractum, indicta est, & instituta cleri populique frequentissima supplicatio. Ubi ventum est ad S. Francisci, idem Episcopus venerandam illam Costam e capsula eductam suis ipse manibus in ædem cathedralem detulit, Capitulo & clero cum piis sodalitiis, & virorum religiosorum agmine, præcedentibus, atque hymnum Ambrosianum decantantibus, Prætore cum Syndicis & judicibus, omnique nobilitate, & universa civitate prosequente. Postea Episcopus confertissimæ multitudini benedictionem impertiit, & Deum optimum maximum precatus, ut suffragantibus meritis B. Marini civitatem atque incolas protegeret, ab omni calamitate tueretur, cælestibus ac terrenis bonis cumularet, os illud sacrosanctum pretiosa theca inclusit, atque in Sanctuario Arbensi deposuit. Deinde hæc omnia ad perpetuam rei memoriam suis litteris consignata, & testata esse voluit.

Testificatio Padavini Episc. de Reliquiis S. Marini acceptis, & in Sanctuario Arbensi depositis.

Paschalis Padavinus Sac. Theolog. Professor, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Arbensis. Universis & singulis, a quibus præsentes nostræ litteræ legentur, salutem in Domino sempiternam. Censentes valde congruum, & satis pastorali sollicitudini ad conservationem Sanctarum Reliquiarum esse consonum, ne earum memoria in hac nostra cathedrali Ecclesia vetustate aliqua oblitteretur, publicis scriptis eas æternitati quantum possumus, committere, ut Christi fidelium circa eas servetur, atque in futurum augeatur devotio; ideo notum facimus universis, quatenus hac die 28. mens. Januarii MDXCVI. Indict. 9. Pontificatus vero Sanctiss. Domini nostri Papæ Clementis VIII. anno quarto, Duce quoque Venetiarum Marino Grimano, atque Comite & Capitaneo hujus civitatis pro Serenissimo Ducali Dominio Venetiarum Laurentio Michaele, Sanctuarii etiam custodibus Excellentissimo

mo Dom. Joanne Francisco Hermolao J. U. D. D. Nicolao Bizzio, D. Christophoro Spalatino, & D. Christophoro de Dominis qu. D. Chrysogoni; Rever. J. U. D. Dom. Marinus Bizzius, jam Canonicus, & nuper in Romana Curia de Archipresbyteratu ejusdem cathedralis nostræ Ecclesiæ provisus nobis præsentavit unam de Costis Sancti Confessoris & Diaconi Marini Arbensis, a se ab oppido S. Marini Feretranæ diœcesis acceptam, ut perpetuis temporibus in Sanctuario hujus prædictæ Ecclesiæ nostræ, cum cæteris Sanctorum, & Sanctarum Reliquiis, ipso Rev. Archipresbytero prædictæ Sanctuaria donante, servetur. Pro cujus Reliquiæ approbatione pariter nobis infrascripta Instrumenta præsentavit; & primo Epistolam ad nos in hac occasione directam tenoris, ut sequitur.

Epistola Marini Boneti Archipresbyteri ad Paschalem Episcopum latine reddita.

Admodum Illustri ac Reverendissimo Domino mihi summopere colendo.

Epistola Marini Boneti ad Paschalem Episcopum.

Cum Marinus Bizzius Canonicus istius Ecclesiæ a me peteret, & summe contenderet, ut insignem aliquam particulam sibi traderem e Reliquiis S. Marini conterranei sui, facere non potui, quin justissimæ illius piæque postulationi satisfacerem; idque eo libentius feci, quod nihil vehementius cupiam, quam hujus Sanctissimi Viri cultum augeri & propagari, simulque tum ipsi Marino petenti & isti nobilissimæ civitati, tum præsertim tibi, Præsul amplissime, omni, quo possim, studio operaque gratificari. Magnam sane apud Deum gratiam obtineat necesse est hic noster beneficentissimus Patronus; quippe hæc mea patria suam libertatem, quam per annos mille ac fere trecentos omnis extranei dominatus immunem servavit, ejus meritis, gratiosisque apud Deum precibus acceptam refert. Et sane præteritis temporibus iterum ac sæpius, contra libertatis nostræ insidiatores occultos, vel hostes apertos, vim sui patrocinii plurimis & evidentissimis miraculis declaravit. Quocirca Amplitudo vestra efficiat rogo, ut pretiosissimum thesaurum, quem vobis mitto, qua dignus est, veneratione omnes suscipiant, ut plurimi faciant, ut diligentissime custodiant, ut meritum illi ac debitum honorem deferant, ut in eo denique certissimum suæ vitæ, ac suarum rerum præsidium situm esse arbitrentur. Hoc vero sacrum & insigne donum esse volo meæ erga vos eximiæ voluntatis atque observantiæ pignus ac testem; ut si quid vobis a me in his partibus præstari possit, id semper me cupidissime facturum esse pro certo habeatis. Ad extremum ea, quæ me decet, reverentia ac veneratione, vestras sacratissimas manus deosculor.

Ex oppido S. Marini IV. Id. April. 1595.

Marinus Archipresb. Plebis S. Marini.

Epistola ejusdem ad Marinum Bizzium Canonicum Ecclesiæ Arbensis in latinum conversa.

Admodum Magnifico & Rever. Domino mihi summopere observando.

Altera ejusdem Epistola ad Bizzium Canonicum.

Binis vestris litteris, in eamdem rem scriptis, unicum responsum reddo, non illud quidem tantummodo verbis, quæ apud me parum valent, sed reipsa & factis, quæ pluris esse existimo. Quod a me semel atque iterum ardentissimo studio petiistis, id præstare si abnuissem, visus essem mihi deesse officio, quod mea patria vestræ debet; hæc siquidem a vobis accepit, quod ab ea jure quodam vestro nunc requiritis. Cum frustillum exiguum e Reliquiis S. Marini vobis pro vestra privata religione petentibus dedi, jam tum hujus officii partem aliquam persolveram; nunc illud cumulatius reddo, ut communi sanctoque istius civitatis desiderio plenissime satisfaciam. En vobis Costam integram Sanctissimi vestri civis, & gratiosissimi apud Deum Patroni, inclusam in hac capsula, quam in vestras manus tradi jussimus. Marinus igitur Marino S. Marini Reliquias insignes mittit ac donat; ut ad majorem Dei gloriam, cultum ejus & venerationem amplificet. Communis utriusque nostrum tutoris ac Patroni cum meminerit, mei quoque meminerit velim, præsertim cum iste clerus, ac populus religiosissimus adventum sacrarum Reliquiarum festo lætoque apparatu, pia supplicatione, hymnis & canticis celebrabit. Pro munere hoc nihil aliud gratiæ mihi referre cupio, nisi ut vestris sacrificiis & precibus Deo me assidue commendatis.

Ex oppido S. Marini VI. Id. April. 1595.

Marinus Archipresbyter Plebis S. Marini.

Chirographum Marini Boneti Archipresbyteri.

Marini Boneti testificatio.

Cum ab admodum Rev. Dom. D. Marino Bizzio Canonico Arbensi de aliquibus Reliquiis S. Marini (cujus corpus in Ecclesia mea Plebis hic in Terra perpetuæ libertatis, ejusdem nominis, Feretranæ diœcesis, sepultum extat) hoc solum animo illas in suam & Sancti patriam asportandi, ut in ea Sancti devotio magis augeatur, Ego rogatus fuerim; cumque ipsi, & illi patriæ, a qua hunc tam magnum thesaurum corporis Sancti prædicti patria mea accepit, ipsius corporis minimam partem tam instanter petitam denegare, mihi inhumanitatis vitio attribuendum esse visum fuerit, merito ob majorem præcipue Sancti cultum, Arbensisque civitatis gratiam, & ut prædicto Rev. Dom. Marino morem geram, ipsi unam de Costis ejusdem Sancti libenti animo tradere constitui, atque dedi. In fidemque prædictorum omnium & singulorum has manu mea scripsi, & subscripsi hac die 8. mensis Aprilis 1595. meoque sigillo munivi. Ego Marinus Bonettus Archipresbyter Plebis prædictæ manu propria.

Post quorum instrumentorum præsentationem præfatus Archipresbyter Bizzius nos debite requisivit, ut cum præfata Reliquia perpetuis temporibus in sanctuaria Ecclesiæ nostræ præfatæ servanda sit, pro ejusdem S. Marini gloria majore, atque fidelium majori cultu, & devotione, auctoritatem nostram pro ipsius approbatione interponeremus.

Approbatio Padavini Episc.

Nos itaque Paschalis Episcopus prædictus laudes omnipotenti Deo & B. Marino præfato reddentes, qui patriam hanc suam post multam temporis diuturnitatem, hac sui corporis parte visitare dignatus sit, præmissis attestationibus sufficienter moti, eamdem Costam tamquam de corpore S. Marini confessoris & diaconi ex Arbensi civitate oriundi, his scriptis approbantes, deinde solemni Missa a nobis decantata, cum processione solemni, & magno totius populi concursu & applausu ad Ecclesiam S. Francisci extra hanc civitatem in Campo Martio (in qua eadem Costa S. Marini fuerat reposita) nos transferentes, eam de quadam arcula super altari posita extraximus, & manibus nostris, induti pontificalibus, intra civitatem cantantes, Te Deum laudamus, introduximus; & in hac cathedrali nostra Ecclesia reposuimus, ut perpetuis temporibus

Digitized by Google

ribus in Sanctuaria cum ceteris Sanctorum, & Sanctarum Reliquiis conservetur, atque veneretur, Deum humiliter deprecantes, ut pro meritis ejusdem S. Marini gratias, & protectionem erga civitatem hanc quotidie magis augere dignetur. In quorum omnium, & singulorum fidem praesentes has nostras fieri jussimus, & sigillo nostro solito ac subscriptione muniri. Dat. Arbae, die, millesimo, & Pontificatu, ut supra.

Praesides Communis Arbensis gratias agunt Marino Boneto.

Nec vero magistratus, idest Judices & Syndici Communis Arbensis, committendum putarunt, ut suum grati animi erga Marinum Bonetum Archipresbyterum Plebis S. Marini, debitumque gratiarum actionis officium negligerent; ut constat ex ipsorum litteris Arbae ad eum datis IV. Kal. Februarii an. 1596. *Quandoquidem*, inquiunt, *Rever. Dominationi vestrae placuit civitatem hanc ornare sacris Reliquiis Costae gloriosi corporis S. Marini popularis nostri, gratias agimus quam possumus maximas de tam sacro, & pretioso dono . . . Heri sanctissimae istae Reliquiae approbatae fuerunt, & repositae apud alias in Sanctuario hujus Ecclesiae cathedralis &c.*

Anno 1600. Marinus Bonetus Archipresbyter S. Marini rogavit Paschalem Episcopum, ut ad se transmitteret exemplar tum libelli supplicis, quod Marinus Bizzius Clementi VIII. obtulerat, tum Rescripti Pontificii, quo facultas eidem data fuit Reliquias extrahendi ex oppido & templo S. Marini, ut illud in tabulario suae Ecclesiae cum ceteris scriptis ac monumentis ad S. Marinum spectantibus reponeret. Archipresbyteri de Arbensi urbe atque Ecclesia optime meriti postulatis non solum libenter & prolixe, sed etiam celeriter satisfecit; & exemplum ex autographo desumptum, protoscribae episcopalis, ejusque adjutoris manu subscriptum, riteque obsignatum, conjunxit cum suis ad eum litteris humanissime scriptis *Arbae XXIV. Augusti MDC.*

S. Marinus, ejusque socius S. Leo Arbenses, & Arbensium Patroni.

Cum S. Marinus, ejusque itinerum comes, & illustrium laborum socius S. Leo, uterque ortu Arbensis, insignis sanctimoniae fama patriam nobilitaverint; historia Ecclesiae Arbensis postulat, ut eorum, quae de vita, virtutibus, miraculis utriusque litteris prodita sunt, quamdam veluti epitomam lectoribus exhibeam, praesertim cum Arbenses utrumque urbis Patronum jam inde antiquitus adoptaverint, & solemni ac praecipua religione venerentur. Plura extant exempla vitae S. Marini, in qua etiam S. Leonis gesta continentur; unum Arimini apud Confratres S. Hieronymi membranaceum, saeculo nono, vel certe undecimo conscriptum, ut ex forma litterarum conjici potest; alterum in oppido S. Marini in aedibus familiae Tosinae tertium in Bodecensi coenobio Canonicorum regularium S. Augustini, dioecesis Paderbonensis. Hoc Hagiologi Antuerpienses ceteris praeferendum rati, Actis Sanctorum ad diem IV. Septembris intexuerunt. Ex his Mombritius descripsit vitam SS. Marini & Leonis; Petrus vero Natalis, aliquot narrationibus, & digressionibus praetermissis, quamdam veluti epitomam confecit. Multa sunt, quae viris eruditis hujus saeculi displicent; ac praesertim immanis ille anachronismus, quo imperium Diocletiani & Maximiani ab extremo ad dimidium saeculi tertii revocatur. Hunc emendarunt & sustulerunt Alexander Bellutius, & Joannes Franciscus Manentius, cives & patricii oppidi Mariniani, qui de vita & rebus gestis S. Marini Commentarium Italicum bene longum concinnarunt; cetera omnia retinuerunt, quae in vetustis illis exemplaribus fuse lateque narrantur. Ut ut haec acta S. Marini & Leonis non magnae sint auctoritatis, tamen de illorum sanctitate dubitare non sinit antiquitas cultus celeberrimi, & latissime propagati, qui viget ac floret non solum in oppido S. Marini, ac tota dioecesi Feretrana, itemque Arbae, atque in universa dioecesi Arbensi; sed etiam Arimini, ubi aedes nomine S. Marini consecrata, Caesenae, Bononiae, Viguentiae aliisque in locis Ferrariensis dioecesis; ac praesertim Ticini, qua in urbe S. Marinus inde usque ab octavo saeculo nobile templum obtinet, ab Aistulpho Langobardorum rege, ut ferunt, aedificatum. Niverni etiam in Gallia S. Marinum antiqua religione coli docemur a Calendario Nivernensi, in quo ad diem IV. Septembr. adscriptum est nomen *Marini Confessoris*, ritu que duplici celebrari jubetur. Huc adde Martyrologos fere omnes recentiores. In additionibus etiam ad vetus Bedae Martyrologium commemoratur *S. Marinus cum S. Leone socio*, die tertia Septembris ex MSS. Vaticano, & S. Cyriaci. Uterque Calendario MS. Missalis Mediolanensis an. 1560. ad IV. Septembris inscriptus est his verbis: *SS. Leonis & Marini Confess.* Marinum Ticino adscribunt die tertia ejusdem mensis Belinus, Molanus, Galesinius, & Martyrologium Germanicum, quod vulgo *Canisii* vocatur. Arimino illum attribuit Martyrologium Romanum: *Arimini S. Marini diaconi*; & *Maurum* etiam appellari ait Baronius in suis ad diem quartum Septembris animadversionibus; sed locum emortualem Arimino ad montem Titanum transferendum monet Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus in suis *Disceptationibus* in Martyrologium Romanum: *Non Arimini, sed apud montem Titanum obiit, ut in ejus vita*. His accedunt Maurolycus, Vithfordus in Martyrologio Anglicano, Ferrarius in Catalogo tum generali, tum Sanctorum Italiae, & alii plures: ex quibus apparet de sanctitate, & cultu legitimo Marini & Leonis, nullum dubitationi locum relinqui. Ad vitam utriusque, & res praeclare pieque gestas quod attinet, haec videntur pro certis haberi posse.

Quae pie prudenterque de utroque credi possunt, & nulli censurae obnoxia, breviter exponuntur.

Marinus & Leo oriundi profectique ex Arba civitate & insula Sinus Flanatici, anno circiter 298. venerunt in Italiam, qui cum a pueritia Christo nomen dedissent, & eximia erga Deum & homines charitate flagrarent, Christianos jussu Diocletiani apud Ariminum plurimis gravissimisque laboribus attritos atque oppressos omni ope operaque juvabant; nec vero interea quidquam de assiduis ad Deum precationibus, de jejuniis, de vigiliis, & corporis afflictatione remittebant; quin etiam in conversionem Ethnicorum sedulo incumbebant, e quibus sane multos ab inanium Deorum superstitione ad veram rectamque in Deum fidem traduxerunt. His pietatis, ac religionis operibus intentos vitae solitariae, & uni Deo sibique vacandi cupiditas incessit. Ac primum quidem Leo anno circiter 300. deinde post aliquot annos Marinus in eremum se recepit; hic in spelunca montis Titani, ille in pago Montis Feltrii, seu Feliciani, caelestem in terris vitam omnibus sanctimoniae notis insignem transegit. Plurimos annos in ea solitudine exegerant, & lon-

longius ætate jam erant provecti ; cum de illorum admirabili sanctitate fama perlata fuit ad Gaudentium Episcopum Arimini , qui eos in urbem accersi jussit ; & Marinum quidem diaconum , Leonem vero presbyterum fecit ; eorumque opera usum fuisse verisimile est ad profligandos Arianos, quorum regio & civitas illa referta erat . Demum ad pristinam solitudinem reversi, meritorum, quam dierum pleniores ad Superos migrarunt. Locus, quem uterque incoluit, deinde ab accolis juxta advenisque habitari cœpit ; & brevi utrobique civitas extitit, haud sane infrequens, altera ab S. Leone Leopolis dicta , altera cognominata Fanum sive Oppidum S. Marini, a quo etiam Respublica , sane pervetus , ibidem fundata nomen accepit. Corpus S. Marini in æde primaria hujus oppidi asservatur, & summa populi frequentia ac religione colitur. Corpus S. Leonis post aliquot sæcula Viguentiam , quod nunc oppidum est diœcesis Ferrariensis , translatum fuit. Hæc mihi videntur esse , quæ de utroque non solum pie , sed etiam recte ac prudenter credi possunt ; & ne ab ipsis quidem severioribus Criticis improbanda esse existimo. Nec vero Acta illa pervetusta, de quibus antea commemoravi, omnino respuenda censeo ; nam præter enormem illum anachronismum , de quo supra admonui, nihil fere invenio, quod perspicuæ evidentisque falsitatis argui possit . Itaque utriusque historiam, in Synopsim per Petrum de Natalibus Episcopum Equilinum redactam , hic transcribendam , opportunis animadversionibus explicandam , & quoad ejus fieri possit , veritati conciliandam putavi.

Eorumdem Acta.

1 *Marinus Confessor in civitate Ariminensi claruit tempore Diocletiani (1) & Maximiani Imperatorum , qui dum ex omni parte diversarum artium magistros & operarios congregassent ad reædificationem Ariminensis civitatis , qui*
2 3 *circa annos Domini (2) CCXX. reparari (3)*
cœpit ; contigit ut ex Dalmatiæ partibus duo
4 *magistri dolandorum (4) lapidum advenirent ,*
videlicet Marinus & Leo , qui ex Arbensi civitate oriundi , Christiani ab infantia Domino serviebant , de labore manuum suarum pauperibus eleemosynas tribuentes . Hi ad prædictæ Ariminensis civitatis reædificationem venientes , viderunt plures Christianos de sua provincia per præfectos operum in odium Christianæ fidei , jussu principum , injustis ponderibus aggravari , & cœperunt eos in suis laboribus adjuvare . Post aliquot vero dies Marinus asellum emit , quatenus illius adminiculo fratribus suis in portandis lapidibus subveniret . Deinde ad Montem Tita-
5 *num (5) accedentes ad saxa exscindenda , ibidem*
cum aliis operariis triennium peregerunt . Post
6 *annos (6) vero tres Leo cum paucis comitibus*
7 *perrexit ad Montem Felicianum; qui Mons (7)*
Feretri nuncupatur ; ubi sibi cellam constituit , & Deo servire cœpit, anachoriticam vitam ducens. Marinus vero cum aliis Christianis ad civitatem Ariminensem reparandam remansit ; ubi usque ad operis perfectionem perseveravit , Christianos in laboribus adjuvans , & eis , ut poterat, charitative ministrans. Nec propter laborem corporeum orationes prætermittebat , aut jejunium; sed quanto plus carne affligebatur, tanto in laboribus fortior videbatur . Completo vero civitatis ædificio, ipse civitatem aliam non manufactam in cælis ædificare cupiens, prædicationis officio diligenter instare cœpit ; multosque gentilium, etiam ex ipsis idolorum Sacerdotibus, ad Christum convertit. Interea dum antiquus hostis eum perturbare a divino opere moliretur ,
quamdam (8) mulierem adeo dementavit , ut 8
effecta insana de Dalmatiæ partibus Ariminum usque veniret , Marinum uti virum suum legitimum requirendo. Quem ut invenit, ipsum importunis precibus , ut se ejus conjugem susciperet , flagitavit . Quam ubi Marinus admiratus despexit , illa insana præsidem adiit ; Marinum uti virum suum expetiit , & de Christianitate accusavit. Quod cum vir Dei cognovisset ad radicem Montis Titani latenter aufugit , & ibidem in antro se arctissimo collocavit ; ubi anno integro manens faciem hominis non vidit ; solis agrestibus herbis, & aqua de rupe liquante post
nonam quotidie refectus. Tunc (9) Diabolus ut 9
eum terreret, omne ferarum genus , & diversa monstra ei ululantia prætendebat . Sed vir Domini fixus in sancto proposito persistebat . Post annum a bubulcis greges in monte pascentibus inventus & agnitus est ; famaque ejus ad civitatem delata , mulier illa vesana ad locum accessit , & Marinus agrestia in hortulo serentem invenit ; ipsumque ut sibi adhæreret , instanter petere cœpit . Qui signo Crucis contra eum edito, ostium cellulæ in faciem ejus clausit ; & diebus sex continuis nullum sumens cibum in oratione perseveravit; post quos mulier ab immundo Spiritu liberata , delusiones diabolicas cognoscens veniam petiit ; & ad Arbam rediens omnia nefanda, quæ commiserat a Diabolo delusa, publice reseravit . Cum autem fama viri Dei crescente a multis frequentaretur , ædificavit Ec-
clesiam in honore B. Petri (10) Apostoli . Et 10
dum (11) quidam ex civibus ad eum accederet, 11
ut eum ex livore invidiæ tamquam magum inde repelleret , orante Marino subito omnibus membris corporis destitutus , etiam ipsa lingua obmutuit ; ita ut nec posset se movere , nec verbum proferre . Quod mater ejus per nutum intelligens ad Marinum accessit , & filio suo gratiam & sanitatem precibus impetravit : quos cum gentiles essent , Marinus ad Christum convertit; ipsosque, & omnem eorum familiam numero quinquaginta tres baptizavit . Eodem au-
tem tempore (12) Gaudentius Episcopus Arimi- 12
nensis directus ad ipsam urbem a Romano Pontifice , audita fama Sanctorum Leonis & Marini , eos ad se per litteras accersivit ; & Leonem in presbyterum , Marinum vero in diaconum ordinavit . Dum autem redirent , & ursus asinum Marini devorasset ; ipse (13) ursum ca- 13
pistro alligavit , & ut ipsum ad locum suum deferret, vicem asini supplens, imperavit ; quod ursus cum omni mansuetudine fecit. Exorta vero hæresi (14) a Martiano presbytero Arimi- 14
nensi , quæ miro modo Ecclesiam perturbavit ; cum Christianos iterum hæretici persequerentur , & Gaudentius Episcopus cum pluribus aufugisset ; Marinus in cella sua perseveravit ; nulloque fugientium Christianorum timore perterritus , inde removeri potuit ; sed usque ad finem vitæ indesinenter in vitæ sanctitate persistens , anno
Domini CCLVII. (15) pridie (16) Non. Septem- 15 16
bris quievit in pace ; sepultusque est in cellula sua in Titano monte , qui vocatur Pena Sancti Marini.

Notæ.

(1) Anno 284. Diocletianus imperare cœpit ; anno proximo Maximianum Herculeum jure

jure ac titulo Cæsareo donavit; anno demum 286. ex Cæsare Augustum & collegam imperii fecit.

(2) En immanem illum, de quo dixi, parachronismum, quem Petrus, nisi mendum typographo tribuendum putes, annorum amplius triginta detractione auxit; nam alii hujus historiæ Scriptores, persecutionem Diocletiani, & urbis Arimini restitutionem cum anno 257. conjungunt. Annum 298. substituas velim.

(3) Petrus eversam quidem urbem Ariminensem satis aperte indicat, cum ait illam eo anno restitui & reparari cœpisse; sed auctorem caussamque eversionis silentio prætériit. Hæc peti potest ex Actis longioribus supra memoratis: *Exiit edictum a Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, ut mœnia Ariminensium reconstruerentur, & in pristinum statum arces jamdudum dirutæ revocarentur. Quæ mœnia, sicut vetusta retulit fama, a Demosthene Liburnorum rege classe Pontica olim excisa fuerunt.* Tria hic potissimum animadverti oportet, scilicet *Demosthenem* regem, qui regnum in Liburnia, sive Dalmatia occupavit, *Liburnos*, qui ab imperio Romano desciverant, & *classem Ponticam*, qua Demosthenes Adriaticum mare transvectus, & Ariminum de improviso adortus evertit. Hæc a nobis singillatim, apte congruenterque ad historiam illorum temporum explicata cum fuerint Tomo II. Illyr. Sac. cap. 2. §. 5. Historiæ Diocletianeæ, & explanatione loci cujusdam Aurelii Victoris, sane obscuri difficilisque ad intelligendum, confirmata; illuc lectorem remittimus; illinc repetat quæ hic desunt, & retractari necesse non est.

(4) Admodum juvenes erant, cum e patria discesserunt anno 298. huic enim anno ex historia Diocletiani affigi potest eorum in Italiam adventus. Cæsar Clementinus Tom. I. Historiæ Ariminensis negat eos numerandos esse inter *architectos*, *lapidicidas*, *cæmentarios*, aliosque operarios, qui tunc Ariminum confluxerunt. Gaudentius Brancacius in Vita italica S. Gaudentii Episcopi Ariminensis ait nondum baptizatos fuisse, cum in Italiam venerunt, & a S. Gaudentio Christianis sacris initiatos fuisse tradit. Neutrius opinio videtur tanti esse debere, ut eam antiquis horum Divorum Actis, cujuscumque tandem auctoritatis sint, præferri oporteat.

(5) *Attollitur Mons Titanus* (ut docent Auctores Commentarii Italici SS. Marini & Leonis) *inter confinia Romandiolæ, & Montem Feretranum x. milliaribus supra Ariminum, cum horrido altissimarum rupium prospectu versus mare Adriaticum. A latere australi, & occidentali varie extenditur in campos, sylvas, valles, quæ illis temporibus nemora erant & tesqua, non aliis incolis, quam lupis, ursis, variisque feris habitata.*

(6) Anno circiter 301. Leo in solitudinem se abdidit.

(7) *Mons Feretri*, *Italice* Montefeltro, o Monfeltro: *regiuncula est Italiæ in Ducatu Urbinate, in ditione Pontificia, ad radices Apennini, juxta Ariminum fluvium, & confinia Romandiolæ. Ejus caput est Leopolis, seu Fanum S. Leonis, urbs episcopalis in monte excelso.* Michael Baudrandus. *Mons Feretranus*, Monfeltre, *urbs Umbriæ Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, inde 22. millia pass. in occasum recedens, in monte cum arce ab omni hostili aggressione tutissima, Ducatus Urbinatis, quæ & Leopolis (S. Leo), Feretrus Procopio. Hic potius regionis nomen est.* Philippus Ferrarius.

(8) Quæ narrantur de muliere illa Diabolico Spiritu instincta, mira & incredibilia nemini videri possunt, qui varias & multiplices insidiandi ac nocendi artes novit, quas humani generis hostis ad bonorum perniciem assidue meditatur, ut eos a studio virtutis ac religionis abducat, vel certe ut hujusmodi præstigiis exagitet ac perturbet; his vero similia haud raro in aliis Divorum historiis reperies.

(9) Hoc etiam bellandi genere adversus magnum eremi cultorem D. Antonium Dæmon usus fuisse legitur.

(10) Hujus ædiculæ nihil ajunt superesse, nisi nomen & situm; in ejus locum, ejusque vestigiis impositum, sacellum S. Petri ædificarunt. Tres lectulos in totidem saxis ab S. Marino excavatos ferunt; quibus ipse, & si qui ad eum hospites diverterent, ad somnum verius arcendum, quam capiendum utebantur. Ex his lectulis duo extant in eo, quod dixi, sacello S. Petri, tertius in templo primario totius oppidi prope altare maximum a cornu Evangelii, ante quem lychnus pensilis perpetuo ardet; circa vero tabulæ votivæ quamplurimæ visuntur. In eodem summo altari eminet statua S. Marini e marmore, simulacrum oppidi altera manu sustinentis; infra basim Caput S. Marini argentea & inaurata theca inclusum asservatur, & eidem basi inscriptum est: *Auctori perpetuæ libertatis suæ Divo Marino protectori Respublica Sancti Marini fieri curavit anno MDCII. & die 2. Septembris*. A tergo hujus lipsanothecæ, atque introrsus reconditum est Corpus S. Marini, ut docet inscriptio ibidem incisa: *Aurato hoc argento Divi Marini Caput includitur, reliquo intus corpore asservato. Opus autem stipato hinc inde ære confectum opera Fabritii Bellucii, & Flaminii Cionini Tutorum. Kal. Septembris MDCII.*

(11) Neminem historiæ hagiologicæ tam rudem atque ignarum esse arbitror, cui novæ atque inusitatæ videri possint hujusmodi pœnæ contemptoribus sanctorum virorum divinitus inflictæ, & sanitas illis eorumdem precibus restituta.

(12) De Gaudentio Episcopo Ariminensi hæc Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum: *Vixit temporibus Constantii Imperatoris Ariani, cujus jussu in damnationem vocis consubstantialis coactum est Conciliabulum Ariminense, cum eidem civitati idem Gaudentius tunc præesset, qui pro viribus restitit; eorumque Acta, soluta jam Synodo rescidit, quam ob causam a Proconsulis militibus trucidatus est.* Gaudentium non a Damaso, ut falso tradidit Petrus de Natalibus in ejus vita; sed ab Julio Papa Episcopum Ariminensem consecratum ferunt. Itaque æqualis fuit Constantio Imperatori, & Julio Pontifici; hic autem ab anno 337. ad 352. Ecclesiæ præfuit, ille ab eodem anno 337. ad 361. Imperium tenuit. Marinus & Leo vitam perducere potuerunt usque ad Pontificatum Julii, & Imperium Constantii. Fac enim uterque, cum e patria discessit anno 298., annum ætatis ageret circiter vicesimum. Cum eos Gaudentius evocavit e solitudine ante vel post annum 352. & alterum diaconum, alterum presbyterum fecit, vix quartum & septuagesimum annum attigerant, aut certe non multo longius ætate

Digitized by Google

ætate processerant. Nescio igitur quam ob caussam Philippo Ferrario verisimile non esse videatur *Marinum cum socio locasse operam suam Arimini sub Diocletiano, ac deinde sub Constantio Imperatore ordinatum esse Diaconum a S. Gaudentio*.

(13) *Quis fabulam non existimet* (inquit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ) *illud de urso loco aselli, quem devoraverat, Marinum vehente?* Id fabulosum putet, qui similia de feris vel immanissimis, Deo precibus & voluntati sanctorum virorum obsecundante, mansuefactis, coactisque opera servilia præstare, in actis Divorum numquam legerit; ut cetera in hanc rem exempla sane plurima prætermittam, meminerit velim duos illos leones ex intima silva Numine divino impulsos ad magnum Antonium accurrisse, effossaque terra sepulcrum parasse, in quo S. Paulli Eremitarum parentis corpus tumularetur; vel illud non admodum absimile, quod de urso & asello narratur in vita S. Maximini Episcopi Trevirensis, qui hoc eodem quarto sæculo floruit.

(14) Hæc erat hæresis Ariana, cujus quidem non auctor, sed sectator, & defensor acerrimus fuit Marcianus Presbyter Ariminensis; quem cum Gaudentius Episcopus post damnatum Conciliabulum Ariminense, Ecclesia expulisset, tum in se, tum in Catholicos conciliavit odium furoremque Marciani Proconsulis, seu Præsidis, qui satellitibus immissis, Gaudentium fustibus cæsum, ac lapidibus obrutum Catholicæ religionis caussa interfecit. Hæc Baronius ad annum 359. *Gaudentius Ariminensis Episcopus, qui ingruente tunc impietate ad tempus excesserat, una cum quibusdam aliis Episcopis, Synodo jam posteriore absoluta, ad suam Ecclesiam rediens, quæ ab Arianis essent gesta damnavit, & Marcianum presbyterum eadem labe infectum ejecit; quam ob caussam Marciani Præsidis in se acre odium concitavit, a cujus militibus ad suburbia foras adductus, fustibus & lapidibus impetitus, Martyr gloriosus effectus est.*

Tradunt Auctores Commentarii Italici sæpius laudati Leonem & Marinum anno 359. interfuisse Concilio Ariminensi œcumenico ac legitimo, in quo Patres Ariminenses Arianam perfidiam execrati, decreverunt nullam aliam fidei formulam approbandam ac recipiendam esse, nisi Nicænam. Sed post legitimam Synodum absolutam, cum Constantius Episcopos Arimino discedere vetuisset; plerique Episcoporum partim diuturnioris moræ tædio affecti, partim metu aut fraude inducti aliam formulam receperunt, a qua vocabulum Homousii aberat, quod omnem Arianæ blasphemiæ aditum præcludebat. Huic alteri Ariminensi Synodo si adfuerunt Leo & Marinus, non dubito quin cum Gaudentio, & paucis aliis Episcopis, ab Nicæna fide & formula constantissime steterint, ac proinde in exilium ejecti fuerint. Marinus vero cum se in montem Titanum ad suam speluncam retulisset, ibidem reliquam vitam sanctissime transegit. Nihil porro obstat, quominus uterque sanctissimus Anachorita ad hæc usque tempora vitam perducere potuerit; nam si anno circiter 352. cum alter diaconus, alter presbyter factus est, ut supra diximus, annum ætatis circiter septuagesimum quartum agebat, anno 359. cum Synodus Ariminensis habita fuit, annos octoginta, aut paullo amplius habebant. Veteres autem Anachoritas longævos fuisse accepimus, quibus ad vitam producendam ipsamet parce continenterque vivendi ratio vel plurimum conducebat. Ceterum in Actis cœnobii Bodecensis S. Leo ante S. Marinum, & Concilium Ariminense vita functus esse dicitur.

(15) Hic rursum Petrus a recta chronologia longissime aberrat. Pia mors Marini constitui potest ante septuagesimum annum sæculi quarti; & nihil caussæ est, cur eam cum Hagiologis Antuerpiensibus in extremos ejusdem sæculi annos rejici oporteat.

(16) S. Marini mortem alii ad tertiam, alii ad quartam diem Septembris affigunt. Ejus corpus in ædicula S. Petri, quam ipse construxerat, conditum fuit; ac deinde translatum in templum totius oppidi primarium, ejus nomine consecratum, atque subter aram maximam collocatum; ac demum sæculo decimo sexto exeunte inde sublatum, aræque ipsi superimpositum. S. Leo Kalendis Augusti ibidem obiit, ubi vitam solitariam agebat, in Monte Feliciano, seu Feretrano, ibique sepultus templum, sane angustum obtinuit; sed huic loco tantam sanctitatem ac celebritatem conciliavit, ut ex finitimis populis, qui voti ac religionis caussa illuc confluebant, & ibidem plurimi sedem ac domicilium collocabant, brevi civitas extiterit frequens ac nobilis, quæ sanctissimi hujus viri nomine Leopolis appellatur, ac digna habita fuit, quæ dignitate ac Sede Episcopali donaretur. Sed ejus corpus postquam per annos fere septingentos in ea civitate summa populi frequentia & veneratione cultum fuit, sæculo undecimo translatum est Vicohabentiam, seu Viguentiam, urbem olim Episcopalem, quod nunc est oppidum diœcesis Ferrariensis. Sunt qui tradunt haud multis post annis a Gratiano Episcopo Ferrariensi illatum esse Ferrariam, atque in æde S. Stephani depositum.

Arbenses SS. Marinum ac Leonem cives olim ac populares suos fuisse jure meritoque gloriantur; utrumque urbis atque insulæ Patronum adoptarunt; utriusque diem festum solemni ritu concelebrant. Post Reliquias S. Marini anno 1595. acceptas, templum eidem & altare ædificarunt, quod in ejusdem & S. Didaci honorem anno 1605. consecravit Paschalis Padavinus, ut docet Inscriptio lateri australi ejusdem templi his litteris incisa: *Cultus SS. Marini & Leonis apud Arbenses.*

ECC. ET. ALTAR. CONSEC. FVIT
AD. HONOR. DEI. ET. SS. COF.
MARINI. ET. DIDAC. A. R. DNO.
LEO
PASQ. PATAVN. EPO. ARBESE
DIE DNICO. XXIIIJ. APR. MDCV.

Idem Marinus Bizzius, quam sæpe nominavi, Archipresbyter Ecclesiæ Arbensis, patriæ suæ Reliquiis Divorum locupletandæ cupidus, cum esset Romæ anno 1600. qui Jubilei celebritate insignis erat, Tibur digressus particulam e crure S. Hieronymi Patroni Dalmatarum sibi decerpendam curavit; & in patriam reversus dono dedit Antistitæ ac Virginibus cœnobii S. Antonii Abbatis, quæ illam in ornatissima theca repositam etiamnum servant, & summa religione colunt. Ut eidem sacræ particulæ fidem faceret, schedulam ibi apposi- *Particula e crure S. Hieronymi per Marinum Bizzium Arbam delata, & Virginibus Arbensibus tradita.*

tam, suoque annulo obsignatam, & his litteris inscriptam reliquit:

Jesus Maria.

Hac Reliquia est de crure S. Hieronymi Doctoris Ecclesiæ delata a civitate Tyburtina a Marino Bizzio J. U. D. Archipresb. Arbensi, existente Summo Pontifice Clemente VIII. Venet. Principe Marino Grimano, Episcopo Eccl. Arbensis Paschale Padavino, Abbatissa vero hujus cœnobii Bernardina Bizzia, cui eamdem Reliquiam præfatus Archipresbyter, ut perpetuo hic a Sanctimonialibus cunctis veneranda servetur, sorori dilectæ dono dedit anno magni Jubilei MDC.

Martinus Bizzius fit Archiepiscopus Antibarensis.

Marinus Bizzius ex Arbensi Archipresbytero factus est Archiepiscopus Antibarensis, & cum esset Romæ anno 1625. ibi diem obiit supremum. Pacificus frater ex urbe in patriam deferendum curavit; atque in æde S. Andreæ eidem monumentum posuit hoc titulo inscriptum:

MARINO BIZZIO PATRITIO ARB. JURIS
UTRIUSQ: PERITO, ET ANTIBARINO ARCHI-
EPO, INGENIO, GLORIA, ET AUGUSTA PRU-
DETIA UNDEQ: PSTATI, CUJUS OSSA E ROMA
DELATA HAC TUBA CODUT. HOSPES ABI
ET BENE PRECARE. OBIIT ROMÆ III. KL. JA-
NUAR. M. D. C. X. X. V.
MŒSTISS. FR PACIFICUS FRNE MEM. RE-
TINET. HOC APIUM FUNEBRE POSUIT.

Paschalis Padavini obitus.

Paschalis annos tres supra triginta Ecclesiam Arbensem sapientissime gubernavit. Anno altero & vicesimo sæculi decimi septimi decessit. Virginibus Arbensibus Deo consecratis varias leges præscripsit, ad cujuscumque Ordinis institutum maxime accommodatas, quibus totius religiosæ vitæ ac disciplinæ descriptio continetur. Duo decreta fecit; altero jubet fidelem operam piis legatis exsequendis navare, altero vetat clericos personatos incedere, & choræis interesse.

THEODORUS EP. ARBENSIS XLIII.

Venetiis natus genere nobili e familia Georgiorum, & ab adolescentia aggregatus ad Congregationem Benedictinam Casinensem, ex qua illum Gregorius XV. ad regimen Ecclesiæ Arbensis transtulit: *An. 1621. 25. Octobris providit Ecclesiæ Arbensi vacanti per obitum Paschalis de persona Theodori Georgii Presb. Veneti, Monachi S. Benedicti Congreg. Casinensis.* Octavianus Garzadorus Archiepiscopus Jadrensis, cum ex mandato Urbani VIII. in tota Dalmatia Veneta Visitatoris Apostolici munere fungeretur, an. 1625. Arbam appulit, & ab Episcopo, clero, populoque honorifice exceptus, in cœnobio Patrum S. Francisci, quos Conventuales vocant, domicilium sibi delegit. Multa præclare constituit, quæ tum ad dignitatem ac disciplinam ecclesiastici ordinis tuendam, tum ad mores plebis christianæ reformandos, ac pietatem augendam pertinent. Nonnulla etiam præcepta scriptis tradita reliquit Virginibus Benedictinis S. Justinæ, plena æquitatis & prudentiæ, sane digna, quæ hic proferantur.

Visit etiam Apostolica Octaviani Garzadori Archiep. Jadren.

Decreta Octaviani Visitatoris Apostolici ad Virgines Benedictinas S. Justinæ spectantia.

Illustrissimus & Reverendissimus D. D. Octavianus Garzadorus miseratione divina Archiep. Jadren. ac in tota provincia Dalmatiæ Apostolicus Visitator, Reformator & Delegatus generalis ac specialis in visitatione Ecclesiæ & monasterii sanctimonialium S. Justinæ Arbensis subjectæ Ordinario.

Primo. Numerus monialium non excedat sexdecim, & puellarum sex sive causa educationis, sive monachandi, ita ut tam moniales, quam puellæ, donec ad præscriptum numerum redigantur, nulla receptari possit; quod si aliqua ultra prædictum numerum voluerit monialis esse, teneatur consignare dotem ducatorum ducentorum ad perpetuum commodum monasterii; si vero aliqua puella supra determinatum numerum voluerit monasterium ingredi ad effectum . . . teneatur suis expensis construere sibi domicilium, post ejus mortem ad commoditatem monasterii mansurum; interim vero, donec possit aggregari numero monialium prædicto, propriis expensis alatur.

II. Moniales omnes nullo umquam tempore, nec sub quovis prætextu, etiam recreationis, audeant deponere monasticum habitum, & sumere profanum; multo minus personatæ incedere per monasterium, & comere capillitium sæcularium more, aliisque fucis modestiam monachalem deformare, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum & dignitatum per triennium, ipso facto incurrenda.

III. Modestas recreationes, & statui monastico convenientes ita exerceant, ut nullatenus pateant, nec conspici possint a quocumque sæculari cujuscumque sexus, etiam ecclesiastico, sub iisdem pœnis.

IV. Adhibeatur Confessarius bis aut ter in anno extraordinarius juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini.

V. Fiat Capitulum culparum semel in qualibet hebdomada juxta regulam.

VI. Nulla ex monialibus, aliisque novitiis excedat e choro sine licentia Prælatæ, sub pœna ad arbitrium ejusdem.

VII. Modus suffragiorum per bussulum & ballottas observetur in omnibus deliberationibus publicis, præsertim vero in electionibus Abbatissarum, & officialium, nec non admissionibus ad professionem; secus vero factæ irritæ & inanes sint.

VIII. Nulla ex monialibus eximatur ab officiis & servitiis monasticis, & monasterii, exceptis impotentioribus testimonio medici declarandis, & ab Ordinario approbandis.

IX. Abbatissa quotannis reddat rationem ejus administrationis Rev. D. Ordinario, vel ipso absente, ejus Vicario.

X. Valeant moniales uti opera mulieris sæcularis pro earum, monasteriique servitiis, ab Ordinario approbandæ.

XI. Nulla puella etiam pro educatione acceptetur ante ætatem septem annorum; nec admittatur intra monasterium, nisi præviis suffragiis monialium, capitulariter ferendis per bussulum, & ballottas; nec post vigesimum quintum possit retineri in monasterio, nisi ad effectum monachandi.

XII. Puellæ in monasterio degentes eamdem clausuram sub quocumque prætextu servare teneantur, quam servant moniales; & si extra casum valetudinis exierint, amplius non admittantur ad effectum monachandi.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Nulla monialis, seu puella lavet vestimenta secularium, exceptis collaribus, manutergiis, ejusmodique elegantioribus linteaminibus.

XIV. Puellæ tam educandæ, quam ad habitum monasticum admittendæ, dum degunt in monasterio, nullatenus coloribus modestiæ monasticæ indecentibus in suis vestimentis utantur, multo minus ornamentis aureis, & argenteis, adornamentisve secularibus, aut capilliceo profano, sub pœna expulsionis a monasterio, sine ulla spe redeundi.

XV. Nulla monialium alloquatur seculares absque licentia Ordinarii in scriptis, & auscultatrice assistente, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ per sex menses, exceptis consanguineis, & affinibus in primo, & secundo gradu.

XVI. Moniales omnes a die professionis capillos detondeant, caputque ita linteolis tegant, ut nullibi capilli promineant, nec appareant, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per menses sex.

XVII. Moniales scapularia & vela sub subcollaria ita simul jungant, ut nullibi nuditas colli, pectorisve appareat sub eadem pœna.

Datum Arbi in Conventu S. Joannis Fratrum Conventualium S. Francisci in officio dictæ Visitationis Apostolicæ, die 9. mensis Junii 1625.

Octavianus Archiep. Jadrensis, & Visitator Apostolicus.

Theodorus annos quindecim Ecclesiæ Arbensi præfuit. E vita migravit anno 1635.

PETRUS IV. EP. ARBENSIS XLIV.

Civis & Presbyter Spalatensis ex antiqua familia Gaudentia; cui Urbanus Papa VIII. anno 1636. Arbensem Ecclesiam cum decrevisset, mandavit, & sancivit, ut nemini sive ex Collegio Canonicorum, sive ex ordine inferiori Presbyterorum Ecclesiæ cathedralis, curam animarum suscipere antea liceret, quam ab Episcopo legitime approbatus fuisset; nam ea consuetudo invaluerat, ut, seclusa omni approbatione Episcopali, hæc procuratio in orbem suam cujusque vicem per omnes iret: *3. Martii 1636. providit Ecclesiæ Arbensi vacanti per obitum Theodori de persona Petri Gaudentii Presbyt. Spalaten. cum decreto ut in ea Ecclesia cura animarum circulatim, & ut ajunt, per torno, non exerceatur a Dignitatibus, Canonicis, & Mansionariis, nisi prius ab Episcopo fuerint legitimi approbati.* Ex Tab. Consistorial. Hic permissu Sedis Apostolicæ, quædam Sacerdotia, onere curandarum animarum exempta, conjunxit cum Mensa Capitulari, ut ex eorum proventibus distributiones quotidianæ paullo copiosiores illis suppeterent, qui divinis officiis & sacrificiis interessent, ut docent Tabulæ Arbenses: *Petrus Gaudentius quædam beneficia simplicia univit pro distributionibus quotidianis, quorum proventus ascendunt ad valorem 30. scutatorum. Curavit etiam apud Pontificem unionem Abbatiæ S. Stephani de Barbato, sed non obtinuit.* Itaque post Synodum Diœcesanam peractam, quod statuerat de hujusmodi Sacerdotiis cum Mensa Capitulari conjungendis, anno 1643. in conventu Canonicorum reipsa perfecit, hoc in eam rem decreto facto, & de communi omnium sententia comprobato.

Die 12. Junii 1643.

In ultima Synodo pro provisione, & augmento distributionum quotidianarum extat decretum, quod uniantur aliquot beneficia simplicia primo vacatura; ideo hodie congregatis in cubiculo Episcopatus nostri infrascriptis Adm. R. R. D. D. vid. Hermolao Cassio Primicerio, Georgio Abbobus, Hieronymo Cauzigna, Zacharia Galzigna, votum etiam habente Francisci Galzigna sui fratris in diœcesi existentis, sed præpediti in quibusdam suis negotiis, Zacharia Pastrovich, Francisco Francinich, & Nicolao Brozich votum habente Hieronymi Allegris ægrotantis, Canonicis. Nos Petrus Gaudentius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Arben. &c. habito consilio cum prædictis Capitulariter congregatis, inhærentes ordinationibus Sac. Conc. Trid. ex Cap. 15. sess. 24. de ref. unimus, & assignamus pro distributionibus quotidianis beneficia simplicia primo vacatura ad valorem ducatorum monetæ Venetæ octoginta, præter unum, quod jam univimus, & assignavimus, prout etiam nunc unimus, & assignamus Præbendæ Theologali, & prout in Synodo nostra &c. Et ita dicimus, promulgamus, unimus, & assignamus ad laudem, & gloriam Dei Opt. Max. Beatissimæ Virginis Mariæ, S. Christophori protectoris nostri, & commodum cleri nostri prædilecti. Decretum suprascriptum ad majus augmentum cultus divini, hodie etiam, quæ est 5. Novembris 1643. in hac nostra Synodo renovamus, & confirmamus, & ita &c. Decretum primum Petri Episc. quod approbat Sacra Congregatio.

Anno 1645. Romam profectus, more majorum sacra limina visitavit, suæque administrationis rationem Patribus Eminentissimis reddidit. Omnia ejus acta & decreta Sacra Congregatio laudavit, & approbavit, idque Cardinalis Præses ejusdem Congregationis testificatus est.

Nos Franciscus Cervinus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis S. Marcelli nuncupatus, nomine Sac. Congregat. Eminentissimorum, & Rev. D. D. Cardinalium S. Conc. Trid. interpretum fidem facimus, & attestamur Rever. in Christo Patrem Episcopum Arben. &c. sacrosancta Beatorum Apostolorum Limina humiliter visitasse, & rationem suæ Ecclesiæ reddidisse iisdem Eminentissimis Patribus, qui summopere laudarunt Apostolicæ suæ sollicitudinis pietatem in Synodo celebranda, instruendo &c. Omissis aliis &c. Laudaverunt etiam Unionem beneficiorum ad formam Sac. Concilii pro distributionibus quotidianis Canonicorum &c. Omissis aliis &c. In quorum fidem præsentes ejusdem Sac. Congregationis nomine dedimus, sigillo, & manu nostris, nec non Secretarii Congregationis prædictæ munitas.

Dat. Romæ die xv. Julii 1645.

L. S. Franciscus Card. Episc. Portuen.

Franciscus Paulucius S. C. C. Secret.

Anno 1654. rationem ritumque præscripsit colendi festos dies quorumdam Divorum, qui ex antiqua consuetudine apud Arbenses pia veneratione celebrari solebant; quod ab Sancta Sede ita permissum fuit, ut populus tamen nulla ab operibus servilibus abstinendi lege diebus illis teneretur.

Nos Petrus Gaudentius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Arben.

Ad majorem Dei Omnipotentis gloriam, & honorem, ac cultum debitum Sanctorum præsertim infra nominatorum, quos pro laudabili, & antiqua consuetudine hucusque in eorum diebus festis solemni ritu celebravimus, licet a Sancta Sede ob rationabiles causas tantummodo devotionis, Decretum secundum.

nis titulo celebrari jussi sunt exterius a populo, non tamen interius in Ecclesia, tenore hujus decreti mandamus, ut posthac eodem ritu, quo antea consuetum fuit, celebrari debere: itaque committimus Sacristis ut ritu festivo non secus ac in Dominicis diebus campanas pulsent, sic diaconis, & subdiaconis, ut parati assistant majori Missæ, & utriusque vesperis, & hebdomadariis Sacerdotibus cum incensatione altaris, ut officia celebrent, organista in vesperis & in Missa majori more solito organa pulsent; id autem observetur diebus festis, S. Antonii, S. Marini civis Arben. SS. Fabiani, & Sebastiani, S. Gregorii, Transfigurationis Dominicæ, S. Rochi, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Francisci, S. Lucæ, S. Ambrosii, S. Martini, quos speramus, & obsecramus fore apud Deum intercessores in nostris necessitatibus, tum temporalibus, cum præcipue hæc insula magis obnoxia sit ventorum damnificationi, ita forte nostris culpis exigentibus, tum etiam pro spiritualibus beneficiis impetrandis ac periculis omnibus avertendis; & quamvis illis diebus festis aliqua solemnitas fieret in alia Ecclesia; volumus tamen, ut in nostra majori supradicti ritus, & cæremoniæ serventur sub pœnis ad arbitrium omnibus ut supra in officiis eorum existentibus; ita dicimus, mandamus, & committimus ad honorem Dei Opt. Max. Sanctorumque suorum honorem, & devotionem. In quorum fidem &c.

Dat. Arbi in Episcopali Palatio die 30. Januarii 1654.

L. S. Petrus Episcopus Arben.

Cum Sacerdotia conjuncta cum Mensa Capitulari, vel quæ in posterum conjungi possent, non suppeditarent, quod ad quotidianas distributiones satis esset; consilium cepit rogandi Summi Pontificis ut vellet ac juberet adjungi ad Mensam Capituli Abbatiam S. Stephani de Barbato, ejusque annuos proventus: id, quod impetrari non potuit, si fides habenda est tabulis supra laudatis.

Nos Petrus Gaudentius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Arben.

Decretum tertium.

Inhærentes decretis sæpius in Synodis superiorum annorum in nostra cathedrali publicatis, ordinavimus hoc modo. Cum potissimum ea, quæ ad divinum cultum spectant, a nobis provideri necesse sit, ex quibus præcipuum est, ut Canonici aliique de clero nostro frequentiores ad divina officia nocturna, & diurna conveniant, distributiones a Sac. Conc. Trid. sess. 24. Cap. 15. de ref. participaturi, ideoque nullas in hac cathedrali nostra Ecclesia distributiones constitutas reperientes, ac pertenues prabendas ad victum ejusdem Ecclesiæ ministrorum non sufficientes, pro opportuna provisione cultum divinum augendi, & ministrorum necessitati subveniendi, hoc unicum remedium superesse judicavimus, ut aliquot beneficia uniantur pro distributionibus, ac propterea etiam aliquot vacantia in hac diœcesi univimus ad triginta scuta circiter monetæ communis valorem ascendentia; quæ quidem beneficia, cum sint tenuissima, ac ea, quæ possent vacare in posterum, vix sint valoris quindecim scutorum dictæ monetæ; idcirco id consilii capessere necessarium fuit, ut supplicetur apud Sedem Apostolicam pro unione beneficii Abbatiæ nuncupati S. Stephani de Barbato extra mœnia hujus civitatis, vix ad triginta scutorum monetæ valorem ascendentis; quæ supplicatio hujus paupertrimi Capituli fuit etiam in relatione status hujus Ecclesiæ ad Eminentissimos Patres Sacri Concilii interpretes reverenter delata, qui misericordia moti benigne polliciti sunt hoc negotium pro augendo divino cultu se coadjuturos apud Sanctissim. ut constat ex litteris sub die 5. Decembris 1648. Quare iterum recurrentes ad pedes Sanctissimi, ac etiam Eminentissimorum suppliciter postulant, ut dicta Abbatia pro augendo divino cultu qua meliori ratione possit, a S. Sede præfatis distributionibus uniatur.

Datum Arbi in Episcopali Palatio die prima Martii 1656.

Petrus Episcopus Arben.

Porro Petrus vitam & Pontificatum perduxit usque ad annum 1664.

DOMNIUS EP. ARBENSIS XLV.

Ex eadem urbe Spalatensi & familia Gaudentia, Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensis, Petro patruo in hanc Sedem successit an. 1664. decretam sibi ab Innocentio X, qui, ut est in Actis Consistorialibus, 9. *Junii* 1664. *providit Ecclesiæ Arbensi vacanti per obitum Petri Gaudentii de persona Domnii Gaudentii &c.* Pontificatum sane diuturnum gessit; patrui vestigiis insistens eamdem perpetuo justitiæ, disciplinæ, religionis viam tenuit. Quæ ille egregie constituerat, ab omnibus accuratissime servari voluit, & ipse quoque multa de vita & honestate clericorum præclare decrevit. Diem obiit supremum anno 1695.

OCTAVIUS EP. ARBENSIS XLVI.

Patria Jadertinus, cognomento Spaderus, vir eximiæ doctrinæ & sanctitatis, ex Ordine Franciscano severioris disciplinæ. Ad Ecclesiam Arbensem regendam accessit anno 1696. cum intra finem anni superioris ab Innocentio XII. in augustissimo Cardinalium conventu Episcopus renunciatus fuisset, ut constat ex Actis consistorialibus: 23. *Novembris 1691. prov. Eccl. Arben. vacanti per obitum Domnii, de persona Patris Octavii Spader Ordin. S. Francisci Min. observant.* Custodes sacrarum Reliquiarum, quod claves sacrarii ad eas inspiciundas & recognoscendas Episcopo jubente tradere abnuerent, anathemate perculit. Enimvero hanc censuram iniquo animo tulerunt; & rem plenam querelarum cum ad Senatum detulissent, Octavius Venetias accitus est, ut facti sui rationem redderet. Ille quidem paruit; Arbam regredi noluit. Sed post quadriennium a suscepto regimine, Arbensem cum Assisiensi Ecclesia, eodem jubente Pontifice, commutavit, quam cum annos fere septemdecim prudenter, pieque gubernasset, sanctissime obiit anno 1715. Sepultus est in basilica S. Mariæ Angelorum, & hoc perhonorifico elogio decoratus:

Fr. Octavius Spader ex ord. Francisc. Ep. Arben. translatus ad Eccles. Assisiensem.

D. O. M.

FR. OCTAVIUS SPADER JADRENSIS M. O.
DOCTRINÆ MONUMENTIS VIR CLARISSIMUS,
ARBENSI PRIUS, ASSISIENSI DEINDE
INFULA INSIGNITUS;
AMORE IN EGENOS,
ANIMI DEMISSIONE IN REBUS SECUNDIS,
CONSTANTIA IN ADVERSIS,
EXIMIUS,
SACELLUM HOC EXORNAVIT,
ET

ET AD PORTIUNCULÆ LIMEN,
VEL POST FUNERA IMMORARI PRÆOPTANS,
HUMILE SIBI SEPULCRUM
ELEGIT.
OBIIT IX KAL. APLIS M. D. C. C. XV.
ANNOS AGENS LXIX.

ANTONIUS EP. ARBENSIS XLVII.

Illustri loco natus est Tragurii, eique Rosignolo cognomen fuit. Cum Canonicus esset ædis cathedralis Traguriensis, illum Innocentius XII. Sæculo decimo octavo ineunte Episcopum Arbensibus dedit, ut licet intelligi ex Actis consistorialibus: 30. *Martii* 1700. *providit Ecclesiæ Arben. vacanti per Octavii Spader translationem ad Ecclesiam Assisien. de persona Antonii Rosignoli Canonici Traguriensis*. Annos fere tredecim huic Ecclesiæ diligentissime præfuit; ac nullum prætermisit, quin aut diœcesi lustranda, aut Synodis cogendis habendisque, eidem æque perutilem ac laboriosam operam impenderet. Synodos omnino decem convocavit; octavam celebravit anno 1709. tertio Id. Octobris; cujus decreta ad novem Capitula revocavit, quæ sunt hæc:

Synodi decem.

I. *De Fide Catholica, ejusque professione.*

II. *De Verbo Dei, Doctrina Christiana, & Theologali.*

III. *De Festorum, & Jejuniorum observatione.*

IV. *De Sacramentorum & Sacramentalium administratione.*

V. *De Missarum, & divinorum officiorum celebratione.*

VI. *De processionibus, funeribus, & sepulturis.*

VII. *De vita & honestate clericorum.*

VIII. *De sanctimonialibus, regularibus, & laicis.*

IX. *De bonis ecclesiasticis, locorum piorum, & decimis.*

Antonius translatus ad Ecclesiam Nonensem.

Aliquid controversiæ habuit cum collegio Canonicorum, & cœtu nobilium, cui caussam præbuerant monachæ S. Justinæ. Ut erat pacis studiosus, & fugitans litium, ac de suo jure nihil remittere volebat, ad aliam Ecclesiam se transferri optavit; idque obtinuit; nam anno decimo tertio post susceptam hujus Ecclesiæ administrationem, ad Ecclesiam Nonensem regendam migravit.

VINCENTIUS II. EP. ARBEN. XLVIII.

Cui patria fuit Corcyra Melæna, cognomen *Lessius*. Erat Canonicus Ecclesiæ Corcyrensis, quem Clemens XI. Antonio Rosignolo ad Ecclesiam Nonensem translato, in Sedem Arbensem subrogavit: 1713. 4. *Decemb. providit Ecclesiæ Arbensi, vacanti per translationem Antonii ad Eccles. Nonen. de persona Vincentii Lessii Canonici Curzolensis*. Diœcesim una parœcia auxit Lopari, qui vicus est ceteris frequentior, & ab urbe longius distans. Anno 1717. cum Romam per se ipse, calamitosis atque asperis temporibus præpeditus adire non posset; Georgium Georgiceum Abbatem, & Canonicum S. Hieronymi nationis Illyricæ de urbe, procuratorem constituit, qui nomine suo sacra Apostolorum limina viseret coleretque, & Eminentissimis Patribus epistolam traderet, in qua breviter ac dilucide statum Ecclesiæ ac diœcesis Arbensis exposuit, quem cognoscere non injucundum fore lectoribus censeo.

Eminentissimi, & Reverendissimi Patres.

Vincentii epistola ad Sacram Congregationem.

Ad Romanæ Ecclesiæ Matris limina ædificata super fundamentum Apostolorum peracto triennali tempore, juxta Sanctorum Patrum, & Canonum decreta, in signum subjectionis procumbo, & tamquam Villicus in partem solicitudinis vocatus, rationem villicationis meæ per scripta, & procuratorem Abbatem Georgium Georgiceum Canonicum S. Hieronymi Illyricorum de urbe, E. E. V. V. humillime expono, ac ut hæc mea Arbensis Ecclesia partem habeat cum cætero descripto orbe, in veste pauperis, ad pedes Principis provinciarum, & exactoris omnis possessionis Christi, venerabundus cordis obsequio eam submitto. Equidem eadem sacra limina veneraturus personaliter Romam venissem, ni famis, gladii, paupertatis aqua quæ undequaque circumdant me, imminentibus periculis iter impedirent. Siquid tamen in hac exposita ratione inconsentaneum vestris sententiis, ac canonicis sanctionibus æstimaveritis, corrigere non dedignamini; de cujus emendatione oraculum expectabo, ut verba vestra sint semper in ore meo, & ut in medio multorum faciam quod acceptum sit coram vobis omni tempore.

Arba cæteris Liburnici Maris minor insula, viginti millia passuum in longitudine, octo vero in latitudine protenditur. Ab oriente montibus Bæbiis, ab occidente Absoro, a meridie Pago, ab aquilone Vegliæ contermina; in cujus medio ad meridionalis plagæ litora ejusdem nominis sita est civitas, suffraganea Archiep. Jadrensi, quæ sub temporali Reipublicæ Venetæ Dominio militat. Septuaginta ad octoginta continet domos, septingentis 24. habitatoribus referta. Per insulam non in pagis, sed sparsim per arva in sex vicis incolæ degunt. In his nulla animarum cura residentialis, exceptis castro Novalia supra insulam Pagi, sito ad octodecim ab urbe milia passuum, & Neoparo a me noviter in parochialem, cum magno labore, & industria redacto.

Ecclesia cathedralis est sub invocatione B. M. V. reparatione indigens. Turris campanaria distat aliquantulum ab Ecclesia, provisa campanis, sed etiam ipsa petit reparationem in summitate. Habet chorum, tres cappellas, fontem baptismalem, organum, & sacrarium, supellectili sacra male provisa, & licet tenuibus redditibus hæc cathedralis sit prædita, insignibus tamen Reliquiis Sanctorum locupletatur, a quatuor Nobilibus ad vitam servatis. In his enim annumeratur caput, sed non integrum, S. Christophori Mart. protectoris, ipsiusque, ut dictitant, humani generis ex obsesso corpore erumpentis hostis confessio, magni Cananæi esse Caput, pleno ore profitetur. Huic astipulantur integra Capita duorum puerorum Ananiæ, & Azariæ, Sanctorum Abandii, & Ermolai, Manus S. Theclæ V. & M. S. Pauli Apostoli discipulæ; Dens S. Apolloniæ V. & M. Costa lateralis S. Marini Confessoris civis Arbensis, & nostræ Reipublicæ protectoris, & Spina Coronæ D. N. J. C. cum parva Cruce ejusdem Crucis auro inclusa, quam Robertus Rex Neapoli ad pectus ex collo pendentem gestare consueverat. In vase etiam vitreo variorum Sanctorum, Sanctarumque Reliquiarum in suis cartulis seorsim inclusarum, in quibus S. Andreæ Apostoli, S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ, S. Barbaræ V. & M. & aliorum quam plurimorum Sanctorum Costulæ adnumerantur. Nulla documenta, quæ fidem his Reliquiis astruant, adhuc perlegi. Illæ omnes sub ara majoris

ris altaris suis in vasis vitreis inclusæ quam honorifice asservantur, & sub quatuor clavibus tutantur, & in Festo S. Christophori, quod cadit 25. Julii, magno populi concursu omnes prædictæ Reliquiæ in altari exponuntur, & in processione solemni ritu, & pompa deferuntur.

Tres sunt Dignitates compatibiles cum Canonicatibus, Archidiaconus, qui major est post Episcopum, Archipresbyter, & Primicerius, cum duodecim Præbendis Canonicalibus, sex mansionariis, tribus diaconis, totidem subdiaconis beneficiatis, & sex acolythis; Sacerdotes, & clerici inferiores complures. Omnes celebrant ritu latino, exceptis quatuor Sacerdotibus cum Paroco Novaliæ, & uno Presbytero Neopari, qui Illyrice peragunt divina. Interessentes choro duplicem distributionis partem, & divisionis Mensæ Capitularis participant. Dignitates, & Canonici præter præbendas, habent cum cæteris beneficiatis duplicem portionem decimarum Capituli, & pauperum, pro eo quod Sacramenta administrant; & semel in hebdomada applicant celebrantes pro populo. Cura animarum extat penes Capitulum, exercitium vero penes Dignitates, Canonicos & mansionarios, qui per hebdomadas turnatim, per insulam extra civitatem administrant. In civitate autem supplet præcipuus Sacerdos ab Episcopo deputatus ad nutum, vulgo Sacrista major. Prædictis diebus Dominicis a prandio debent doctrinæ Christianæ per turnum interesse cum Clericis. Huic pro pueris instruendis deputatus est Canonicus Marinus de Dominis, qui pro suo labore provisus fuit per me de Præbenda Canonicali. Pro puellis separatim in alia Ecclesia extra cathedralem pariter Christophorus Neypulich Lauretanus, modo Canonicus Theologus, & alia magistra senex destinata a præside. Pro alliciendis pueris, & puellis, meis sumptibus dispensantur præmia, & ut ad hoc divinum opus fideles amore fervido accendcrentur, ad porrectas meas supplicationes, hæc Congregatio a me erecta Doctrinæ Christianæ, aggregata fuit anno proxime elapso Ven. Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli de urbe.

Pœnitentiaria, & Seminarium non extant; nec est spes erectionis, quia pauperrima est mensa. Pro instructione cleri Canonicus Theologus omni hebdomada legit. Clericos in grammatica, & moribus ludi Magister per me ad nutum electus; sicut & alter a civitate conductus sæculares pueros docet.

Monasteria tria virorum, tria ordinis S. Francisci nempe de observantia, Conventualium, & tertii ordinis. Tria monialium: duo S. Benedicti, & unum tertiarii S. Francisci. Abbatiæ pariter duæ: una S. Petri in Valle quondam monachorum S. Benedicti, modo vero unita fabricæ S. Marci Evangelistæ Venetiarum. Altera S. Stephani Papæ & Mar. olim Canonicorum Regularium, quæ nunc reperitur in commenda penes Georgium Georgiceum Canonicum S. Hieronymi Illyricorum de urbe.

Beneficia simplicia ad triginta circiter Mensæ Capitulari unita fuerunt pro quotidianis distributionibus; septem alia assignata: unum magistro litterarum; alterum magistro cæremoniarum, & reliqua Canonico Theologo. Juris patronatus laicorum sola octo numerantur. Quam plurima legata pia, quæ vel ab habentibus jus patronatus, vel a commissariis a testatore, vel a laico judice designatis, Episcopo instituente, curantur &c. Inter laicos sunt quædam sodalitia pietatis, quæ statutis temporibus ad processiones sub cruce propria, sed sine cappis progrediuntur. Una S. Christophori Mart. protectoris, redditibus sufficientibus. Altera vero Septem dolorum, quæ sola omnium tum civium, tum villicorum, majori ex parte, aggregata, & Ecclesiæ S. Marcellæ de urbe unita, ab Episcopo, & Capitulo administrata reperitur.

Pro pauperibus, & infirmis duo extant hospitalia; erat etiam tertium, sed hoc hospitale in Ecclesiam S. Catharinæ redactum est. Primum S. Nicolai in civitate per Priorem laicum ab Ordinario, & Comite ad triennium creatum administratur. Alterius rector ad præsentationem laicæ familiæ juris patronatus forma, quod annexum est altari Corporis Christi in Ecclesia cathedrali, ab eodem Ordinario instituitur. Ex redditibus primi hospitalis S. Catharinæ quaque decima pars, cum onere duarum Missarum in hebdomada cedit Priori. Secundi vero Corporis Christi tria modia cum dimidio segetum pauperibus, & quatuordecim cadi vini monialibus tertii ordinis S. Francisci, ex ordinatione visitatoris apostolici elargiuntur. Reliqui fructus ad usum Prioris cum obligatione trium Missarum quacumque hebdomada, remanent. Nulla tamen fit elargitio, nisi cum schedula Ordinarii subscriptione roborata.

Mensa Episcopalis est valde tenuis, nec redditus annui excedunt centum quinquaginta scutata. Quibus in necessitatibus & angustiis expectans fructum lucis ero in oratione, & obsecratione pro vestra salute, & gaudio, semper tamen ad purpurarum osculum demissus, pro contestat. deb. qua sim

Arbi 15. Octobris 1717.

E. E. V. V.

Humilis. Addictiss. & Devot. Servus
Vin. Lessius Episc. Arbensis.

Anno 1720. idem Clemens XI. Vincentium Arbensibus ademptum Ecclesiæ Vegliensi præfecit. Vincentius migravit ad Ecclesiam Veglien.

DOMNIUS II. EP. ARBENSIS XLIX.

Oriundus ex urbe & insula Pharia, familia vero Zena, Canonicus Ecclesiæ Phariensis, ac deinde Rector Seminarii Jadertini, juris civilis, & ecclesiastici peritissimus. Virum Episcopatu dignissimum Clementi XI. commendavit Vincentius Zmajavichius Archiepiscopus Jadrensis. Domnii II. Ep. Arben. acta & decreta. Auctoritas & commendatio talis ac tanti Antistitis valuit apud Pontificem, qui, ceteris competitoribus posthabitis, Domnio Ecclesiam Arbensem decrevit. Arbam accessit extremo die anni 1720. & VIII. Idus Januarii anno proximo, summa omnium civitatis ordinum frequentia & gratulatione, rituque solemni Ecclesiæ sibi traditæ possessionem adivit. E collegio Canonicorum Vicarium generalem Franciscum Mustaclinium Archidiaconum, Procuratorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Christophorum Negulichium Archipresbyterum, Auditorem denique, sive judicem ecclesiastico foro præpositum Petrum Galzignam Canonicum delegit. Præterea Archipresbytero id negotii dedit, ut, nulla cujusque habita ratione, in codicem referret nomina eorum, qui singulis diebus choro, & sacris functionibus abessent, vel interessent. Omnes & singulos sive laicos, sive clericos accessu ad cancellos, & colloquia sacrarum virginum, gravissimis pœnis propositis, pro-

prohibuit, nisi ad eas adeundi facultatem scripto traditam ab Episcopo, vel ejus Vicario antea impetrassent. Clericis lusu alearum, & choreis publicis privatisque interdixit. Vetuit Presbyteros sine veste nigra talari ad chorum, & sacrum faciendum accedere; duodecim solidis pro quolibet sacrificio contentos esse jussit. Imperavit præfectis Ecclesiarum agrestium, ut diebus festis solemnioribus sacrum facere maturarent; ut in tempore ad Pontificale sacrificium, statasque functiones in ædem cathedralem convenire possent. Edicto cautum esse voluit, ne illi, quibus administrandi Sacramentum pœnitentiæ facultas esset, post auditum signum Salutationis Angelicæ vespertinæ, confessiones mulierum exciperent. Alia præterea decreta fecit, quæ potissimum ad honestatem ac disciplinam virorum ecclesiasticorum referuntur. Omnia vero vel anathemate, vel interdictione divini sacrificii, vel denique multa pecuniaria sancivit. Vivere desiit optimus Præsul pridie Kalendas Martias, anno 1728. illatusque in ædem cathedralem cum aliis Episcopis sepulcrum obtinuit.

ANDREAS IV. EP. ARBENSIS L.

Andreæ Carlovichii Ep. decreta & obitus.

Civis & Canonicus Spalatensis ex familia Carlevichia, qui ex decreto Benedicti XIII. Episcopatum Arbensem adeptus, an. 1729. ipsomet sacrosancto Pentecostes die, solemni pompa, & cum magno cleri ac populi comitatu ad Ecclesiam cathedralem processit, & solium episcopale conscendit. Vicarium ecclesiasticæ administrationis habuit Hermolaum Cassium Canonicum & Primicerium, Provicarium vero Christophorum Negalichium Canonicum & Archipresbyterum. Nihil mutandum ratus eorum, quæ invenisset a decessoribus suis constituta, quidquid ipsi sapienter decreverant, valere voluit, & novis edictis confirmavit. Nonnulla his adjunxit, quæ ab illis prætermissa, vel non satis dilucide in eorum decretis explicata fuerant. Divinorum librorum explanationes feriis quartis cujuslibet hebdomadæ, & semel in mense de Theologia morali disputationes in palatio episcopali haberi, hisque presbyteros, & clericos interesse jussit; qui abessent sine caussa legitima, eos quinque libellarum Venetarum mulctatione plectendos esse. Ut piis legatis satisfieret, neve quis de massa communi quidquam interverteret, diligenter cavit, & sancivit. Presbyteris, & clericis omnibus interdixit, ne domi retinerent mulieres, quarum pudicitia vel tenui suspicione laboraret. Diem extremum obiit pridie Idus Januarias, anno 1738. Eodem, quo decessores, episcopali sepulcro in æde cathedrali tumulatus fuit.

PACIFICUS EP. ARBENSIS LI.

Pacifici Bizzæ opera apostolica.

Patricius Arbensis, clarissimæ familiæ Bizzæ stirps ultima masculea, vir non majorum nobilitate, quam sua virtute illustrior. Deo & Ecclesiæ seipsum consecrare, quam gentis suæ propagationi consulere, maluit. In Seminario Patavino Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit. Sacerdotio initiatus, Venetiis plures annos iis, qui in carceribus, iis, qui in triremibus erant, omni ope, qua posset, divina humanaque adjuvandis impendit. Singulis annis in diœceses, alias Venetam, alias Patavinam, alias Tarvisinam excurrens, sacris concionibus per ferias solemnis jejunii habendis, ad mores corrigendos, & Christianam pietatem colendam, incolis illarum partium vel plurimum profuit. His Apostolicis ministeriis vir egregius ad Episcopatum proludebat, quo dignum illum censuit Clemens XII. Pont. Max. cum ei Ecclesiam Arbensem regendam tradidit. Hujus administrationem suscepit anno 1739. xiv. Kalendas Aprilis, illo ipso die, in quem S. Josephi anniversaria veneratio incidit. Illud in primis curandum censuit, ut ne deesset pœnitentibus copia Sacerdotum, qui eorum confessiones exciperent. Decrevit itaque, ut omnes Mansionarii festis diebus, quatuor e collegio Canonicorum singulis cujusque hebdomadæ diebus in æde cathedrali, statis horis psalmodiæ matutinæ ac vespertinæ, lintea veste induti, & stola superaddita, in sellis ad id constitutis sederent, & confiteri volentibus operam darent. Singulis fere annis exercitationes spirituales octo dierum indixit, ad quas presbyteros & clericos omnes convenire jussit; itemque omnes, qui in urbe essent, viros ecclesiasticos sacro pontificali, ceterisque Episcopalibus functionibus interesse, & Episcopum a palatio ad ædem cathedralem comitari ac deducere; vetuit eosdem, cujuscumque gradus ac dignitatis essent, per urbem aut larvatos incedere, aut post primam noctis horam vagari. Præcipuæ illi curæ fuit institutio clericorum, qui ut bonis artibus & moribus imbuerentur, nihil industriæ ac diligentiæ prætermisit, & ne, sine legitima caussa, ludo litterario abessent, gravi edicto pœnaque sancivit. In ædibus episcopalibus scholam Theologiæ moralis instituit, eamque tribus cujusque hebdomadæ diebus haberi, & a clericis frequentari imperavit. Sacerdotes vero omnes, ac præsertim confessionibus audiendis præpositos, semel singulis hebdomadis ad controversias, quæ de moribus, quartis quibusque feriis, institui solebant, dirimendas convenire jussit. Sunt alia etiam ejus præclara instituta & decreta, quæ ad ecclesiasticam tum disciplinam stabiliendam, tum doctrinam & pietatem augendam maxime pertinent; sed multo magis & clero & populo sibi commisso, integerrimæ ac religiosissimæ vitæ exemplis profuit; de quo plura dicta sunt in historia Ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensis, ad quam regendam Benedictus XIV. Antistitem, notæ sibi perspectæque virtutis ac sapientiæ, migrare jussit anno 1745.

Translatus ad Metropolim Spalatensem.

JOANNES III. EP. ARBENSIS LII.

Joannes Ep. Arben.

Cognomen Calebotta, Tragurii honesto loco natus; qui primum Firmi in illo florentissimo Gymnasio, deinde Romæ in collegio de Propaganda Fide, magnos æque in virtutibus, atque in humanis divinisque doctrinis progressus fecit. Reversus in patriam, concionandi laude in primis excelluit; & verbum Dei disseminando, non solum Traguriensem, sed alias quoque Dalmatiæ diœceses peragravit. In collegium Canonicorum Traguriensium cooptatus cum esset, ejus doctrinam, integritatem, prudentiam tanti fecit Hieronymus Fonda Episcopus Tragurii, ut eum Vicarii generalis titulo ac jure donatum, in partem sollicitudinis, munerisque pastoralis vocaverit. Huic etiam, itemque Antonio Kadcichio Metropolitæ Spalatensi, cum

Digitized by Google

cum diœceses, suam quisque lustraret, socialem ac laboriosam operam navavit. His virtutibus ac meritis fretus, ad fastigium episcopale ascendit, & Ecclesiæ Arbensi a Benedicto XIV. sibi traditæ gubernacula sumpsit anno 1746. v. Kalendas Novemb. Cum Episcopi munus esse præcipuum intelligeret Evangelium populis explicare, sexies per ferias quadrageni jejunii, conciones quotidianas habuit in æde cathedrali, magna & assidua frequentia auditorum, quos alliciebat tum rei novitas, & oratoris facundia, tum vero dicendi genus ad vitia extirpanda, virtutesque animis hominum inserendas maxime accommodatum. Ne proventus ecclesiastici in usus alienos converterentur, sedulo invigilavit, atque ad rectam eorum administrationem leges sapientissimas præscripsit. Diligentissime cavit, ut quæ vel pauperibus, vel Ecclesiis legata fuerant, curatores testamentorum summa cum fide exsequerentur. Ne mortui subsidiis sibi debitis defrauderentur, decrevit, ut Presbyteri quoties pro sublevandis animis defunctorum facerent, ac debitum solverent annexum ei facerdotio, quo præditi erant, suum nomen, diemque sacrificii peracti in libello ad id ipsum confecto notarent, ut quod quisque debebat, persolvisse constaret. Disciplinam cleri itemque virginum Deo sacrarum saluberrimis sanctionibus stabilivit ac firmavit. Ad restauranda sarta tecta ædis cathedralis non exiguos sumptus fecit. Cum annos ipsos decem huic Ecclesiæ utiliter ac laudabiliter præfuisset; idem Pontifex Benedictus XIV. illum Arbensibus ereptum, Sibenicensibus Episcopum dedit an. 1756. & triennio post ad Superos migravit.

ad Ecclesiam Sibenicensem transiit.

JOANNES LUCAS EP. ARBENSIS LIII.

Joannes Lucas Garagninus Canonicus Traguriensis.

Natus est Tragurii ex antiqua & illustri familia Garagnina ab Venetiis oriunda. Post primam ætatem communium litterarum, & politioris humanitatis studiis excultam, Patavium profectus, gravioribus disciplinis quinque ipsos annos diligentem operam navavit, & Philosophia, Theologia, Juris utriusque scientia eruditus, in illo celeberrimo Gymnasio, Doctoris nomen & insignia sumpsit. Ordinem Sacerdotalem adeptus, instructu ornatuque virtutum omnium, quæ in virum ecclesiasticum cadere possunt, excellere visus est. Nec vero sibi tantum bonus esse studuit; sed quidquid ingenio, doctrina, solertia valuit, in communem utilitatem contulit. Nullum vitæ suæ tempus, nullum exercitationis, & industriæ genus prætermisit, quod in commodum & salutem proximorum non impenderet. Plures annos Philosophiam, ac Theologiam, sine ullo emolumento, clericis explicavit. Singulis diebus Dominicis pueros pariter, atque ætate provectos Christianis mysteriis ac præceptis erudivit. Confessionibus audiendis assiduam operam præbuit. Conciones frequentissime habuit, præsertim majoris jejunii diebus: quo quidem tempore sub vesperam alias in templo S. Joannis Baptistæ, alias in æde suburbana S. Mariæ, homines cujusque ordinis ac generis, illuc confluentes, tum piis meditationibus exercere, tum ad divina mysteria crebro percipienda cohortari, tum denique ad omnia Christianæ virtutis & perfectionis officia instruere solebat. Nec vero ægrotos præsertim egenos visitare intermittebat, quos divinis humanisque subsidiis juvabat; atque animam agentibus ad extremum usque spiritum assidens, quæ illi tempori tribui solent, pietatis, & charitatis officia præstabat. A Benedicto XIV. ad Canonicos ædis cathedralis aggregatus cum esset, & horum suffragiis Procurator electus; jura & privilegia Capituli æque moderate, ac fortiter defendit; & nihilo segnius ad cleri chorique disciplinam tuendam, & pias consuetudines retinendas, non minus suo exemplo, quam auctoritate incubuit. Hieronymus Fonda Episcopus Traguriensis illum & plurimi fecit, & summopere dilexit; cumque ejus doctrinam, integritatem, prudentiam satis cognitam & perspectam haberet, Auditoris munere præditum controversiis ecclesiasticis dirimendis præesse, & locum suum tenere jussit, amplissimam ei facultatem tradens, & honorificum ejus virtuti ac sapientiæ testimonium tribuens his verbis.

Auditor & Locumtenens Episcopi.

Hieronymus Fonda

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Traguriensis.

Considerantes, Pastoralis Officii nostri gradus exigere, in partem nostræ curæ, & sollicitudinis optimum esse assumere viros, scientia, moribus, ac pietate probatissimos, maxime in his, quæ ad forum spectant; manu igitur tenentes probitatem, scientiam, prudentiam, & discretionem Adm. Rev. Dom. Joannis Lucæ Garagnini nostræ cathedralis Ecclesiæ Presb. S. Th. D. ipsum pro causis quomodolibet ad nostrum forum spectantibus, tam civilibus, quam criminalibus, matrimonialibus, & mixtis, in Auditorem nostrum, & locum tenentem generalem pro civitate, & diœcesi tota facimus, constituimus, creamus, & deputamus; dantes eidem, & concedentes plenam, & liberam potestatem, & mandatum speciale, beneplacito nostro duraturum, omnes, & singulas causas, pro ut præfertur, ad Curiam nostram Episcopalem spectantes cognoscendi, & decidendi; edicta, & constitutiones faciendi, factas moderandi, & exequi faciendi, clericos delinquentes corrigendi, mulctandi, censuris etiam comprimendi, suspendendi personas, & loca interdicendi, ab ipsisque absolvendi: brachium sæculare invocandi, & delinquentes carcerandi, & condemnandi; sententias latas exequi faciendi, aliaque omnia peragendi, etiam si talia essent, quæ mandatum speciale exigerent. Mandantes omnibus & singulis, ut se in Auditorem, & locumtenentem nostrum generalem suscipiant, & in his, quæ ad nos, & jurisdictionem nostram ordinariam spectant, sibi obediant. In qu. &c.

Datum Tragurii ex Episcopali Curia die 20. Decembris 1746.

Hieronymus Fonda Episc. Traguriens.

Die 21. Decembris 1746, infra chorum

Lectum latum & publicatum ante Missam majorem per me Pres. Marcum Perocvich Cancell. Episcopal. præsente toto Ven. Capitulo, & Rev. clero, præsertim vero Adm. Rev. Canon. Marco Antonio Hreglen, ac Rev. Presbyt. Co: Gelmini, & Michaele Hrambassa.

Idem Episcopus cum ei necessarius esset ab urbe ac diœcesi discessus, neminem fide, doctrina, prudentia, magis idoneum Joanne Luca ad supplendam absentiam episcopalem esse existimavit. Itaque totius Ecclesiæ administrationem ei commisit, cum summa rerum gerenda-

darum potestate, & præclara ejus virtutum ac meritorum testificatione.

Die 6. Aprilis 1752.

Episcopi absentis partes eidem cum plena potestate commissæ.

Illustrissimus, & Reverendissimus D. Hieronymus Fonda Episcopus Traguriensis, brevi auxiliante Deo discessurus ab hac civitate, & diœcesi, Rever. Dom. Jo: Lucæ Garagnini Sac. Theol. Doctori, Canon. nec non suo Auditori, & locum tenenti generali, gregem suum commendat, eique plenam, liberam, & omnimodam potestatem concedit edicta, & constitutiones faciendi, factaque moderandi; clericos delinquentes corrigendi, mulctandi, & censuris etiam comprimendi; negotia monasteriorum monialium tractandi, & resolvendi; parochos instituendi, & confirmandi; Sacramenta ministrandi, & ministrari faciendi; a casibus quibuscumque nobis reservatis absolvendi, & absolvi concedendi; personas suspendendi, & loca interdicendi; ab excommunicationibus, suspensionibus, ac interdictis, in casibus a jure permissis, absolvendi, & omnia, & singula alia faciendi, etiam si talia essent, quæ mandatum exigerent speciale, absque ulla limitatione. Insuper vigore p. communicavit, & communicat eidem facultatem dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt: dispensandi super defectum ætatis unius anni, ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint: dispensandi in 3. & 4. consanguinitatis, & affinitatis gradu simplici, & mixto tantum, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo, quoad futura matrimonia; quo vero ad præterita, etiam in 2. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis, qui ab hæresi, vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam, cunctasque, & singulas alias facultates, sibi a Sancta Sede Apostolica sub die 6. Augusti 1738. concessas, ac sub die 28. Januarii 1751. quarto reconfirmatas; illis tantum exceptis, in quibus sacra Unctio intervenit: dando illi plenam & omnimodam facultatem, ut eisdem post suum discessum possit uti in diœcesi tantum usque ad suum regressum &c. Ita per hoc &c. In quorum &c.

Hieronymus Episcopus Traguriensis.

Nec vero prætermittere possum illustre & magnificum testimonium, quod Canonici Traguriensis suo collegæ præstantissimo, ejusque egregiis factis atque in Ecclesiam meritis dederunt.

Nos Canonici & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Tragurien. sede vacante.

Testificatio Capituli Traguriensis, virtute & operibus Apostolicis Ioannis Lucæ tributa.

Universis, & singulis, ad quos hæ nostræ pervenerint, fidem indubiam facimus, ac in verbo veritatis testamur, Adm. Rev. Dom. Jo: Lucam Garagnin, Phil. ac Sac. Theol. Doctorem, hujus Ecclesiæ cathedralis Canonicum, in, & de legitimo matrimonio, & illustribus, & honestis parentibus procreatum, ad Sacerdotium rite ac recte promotum, in Patavina Universitate per quinquennium summa cum laude ad scientias incubuisse, in ipsaque laurea donatum fuisse: de hujus cathedralis servitio optime meritum, scientia, & doctrina præditum, de anno 1746. a modo defuncto Antistite Hieronymo Fonda bon. mem. in Auditorem, ac Locumtenentem generalem assumptum, recta judicia semper exercuisse: in clericorum Seminarii hujus cathedralis lectorem ab eodem defuncto Antistite deputatum Phil. ac moralis Theol. tum dogmaticæ tum polemicæ lectione ipsos indefesse, summa cum charitate, absque ullo emolumento, per integrum triennium imbuisse, idoneosque altaris ministros reddidisse: Canonicum hujus cathedralis a SS. Dom. nostro Bened. XIV. felic. regnante electum, Ecclesiæ huic cathedrali assidue inservisse, ac in ecclesiasticis functionibus divini honoris zelum prætulisse: Procuratorem hujus Capituli creatum, jura capitularia, omnesque ecclesiasticas hujus Ecclesiæ consuetudines sacerdotali constantia propugnasse, & custodisse: ex quo fuit ad sacerdotium promotus, seduli operarii partes, in procuranda animarum salute explesse: in excipiendis Fidelium confessionibus in confessionali assiduum: in administranda Sacra Eucharistia frequentem: in prædicatione Verbi Dei, promovendaque Deiparæ aliorumque Sanctorum devotione, cum Fidelium concursu, animarumque fructu, Apostolico zelo omnia peragentem, indefessum: in tradendis Fidei rudimentis pueris civitatis, majoribus autem altioribus mysteriis, singulis Dominicis diebus, selecta, & obtenta ab Ordinario particulari Ecclesia, propositis, & elargitis præmiis pro majori concursu, & alliciendа juventute, pervigilem: in quadragesimalibus annuis Oratoriis de sero, in Abbatiali Ecclesia S. Jo: Baptistæ, cum spirituali lectione, quotidianisque sacris concionibus, tum per se tum per alios ecclesiasticos, ab ipso directos, ad populum habitis, præsertim vero mentali oratione, ad elevandas in Deum Fidelium mentes, infaticabilem: Institutorem meditationis Dominicæ Passionis in Ecclesia B. M. V. de Carmelo in suburbio hujus civitatis, quotidiana populi frequentia celebratæ, & auctorem extitisse; prout omnia ex authenticis documentis ac oculati experientia nobis constat. In perlustratione hujus diœcesis fervidum Dei, Ecclesiæque Ministrum, in erudiendis rudibus his populis, sacramentisque ministrandis, defuncti Præsulis cooperatorem fuisse: Examinatorem Synodalem pro promovendis ad Ordines, parœciasque regendas præfectum, majorem Dei gloriam, animarumque fructum semper præ oculis habuisse. Ægrotos in civitate, summa charitate frequenter invisere, ipsisque paterno affectu sublevatis, & ad veram peccatorum detestationem excitatis, Sacramenta etiam Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrare; egenorumque miseriam quotidiana eleemosyna satagere levare. Moribus gravem, in sermone affabilem, ab omni fastu alienum, humilitatisque peramantem, ecclesiastici viri semitam semper calcasse, & calcare, nec in aliquo defectu mores, ecclesiasticamque disciplinam respiciente, se unquam commaculasse; immo religiosæ vitæ instituto, omnibusque virtutibus specimen se aliis exhibuisse, & exhibere: Ecclesiam hanc cathedralem, totamque diœcesim bis per triennium circiter, tum in absentia, tum in diutina ægritudine modo defuncti Præsulis, summa cum laude, & prudentia nostroque spirituali solamine rexisse, acerrimumque orthodoxæ Fidei defensorem, contra schismaticorum confinium attentata extitisse. In quorum testimonium præsentes nostras eidem relaxandas duximus, eumque ad ecclesiasticas quascumque dignitates, etiam Pontificalem, idoneum, dignumque reputamus, & Sanctæ Sedi Apostolicæ ex toto corde in Domino commendamus.

In quorum &c.

Dat. Tragurii in nostro Capitulo die 4. Januarii 1755.

Jo:

Jo. Baptista Jurileo Canonicus & Archipresb. nomine totius Capituli.

Georgius Canonicus Casotti nomine totius Capituli.

Jo: Canonicus Boich nomine totius Capituli.

Jacobus Can. Quarant. C. Ven. Capituli exemplavi, subscr. ac Sigillo Capitulari munivi.

Fit Episcopus Arben. Eadem fere de viro omni laude dignissimo, & de patria reque Christiana optime merito, litteris publicis testificati sunt Judices, syndici, & primores Consilii Tragurienfis. Tot ac tantis laudibus, præclarisque testificationibus ornatum Benedictus XIV. in augustissimo Cardinalium Senatu, Episcopum Arbensem renunciavit an. 1756. v. Kalen. Junii, postquam de more examen subire, & sui periculum facere jussus, doctrinam suam sapientissimis Patribus & Pontifici Maximo ita probavit, ut ab omnibus, gravissima & ornatissima laudatione, Episcopatu dignissimus judicaretur: id quod Venetus apud Sedem Apostolicam Orator, in suis ad Senatum litteris, verbis amplissimis significavit. Eodem anno XVI. Kal. Novemb. ingenti hominum concursu plausuque, in æde cathedrali, Deum & Superos rite veneratus, solium pontificale conscendit, & Ecclesiæ sibi creditæ administrationem suscepit. Decessorum suorum vestigia ingressus, maluit sapientissimus Præsul, quæ ab illis præclare constituta invenit, confirmare, & sedulo curare, ut ea vigerent, & ab omnibus servarentur; quam novis edictis atque interdictis clerum populumque onerare. Itaque præter octo præcepta presbyteris & clericis anno 1758. imposita, quæ ad ecclesiasticam disciplinam, atque honestatem pertinent, pauca admodum decreta hactenus fecit. Illud sibi potius faciendum censuit, ut, consuetudinem moremque imitatus, quem tenuit Benedictus XIV. dum Ecclesiam Bononiensem regebat, identidem litteris encyclicis pastoralibus populum sibi commissum ad virtutem & pietatem colendam excitaret. Singulis annis, cum dies solemniores, vel præcipuis religionis mysteriis, vel Deiparæ Virginis nomine consecrati appetunt, hujusmodi litteris, civium atque incolarum animos ad eos caste ac pie concelebrandos exstimulare & præparare solet; rectam eorum colendorum rationem præscribit, simulque gravissimis verbis adhortatur ad conscientiæ labes sincera dolentique confessione expiandas, & divina mysteria puro corde, vivida fide, ardenti charitate, summaque veneratione percipienda.

Diœcesim lustravit. Vix alterum annum a suscepto Pontificatu inierat, cum post peractam totius diœcesis lustrationem, Patribus Eminentissimis Sacræ Congregationis per litteras tum administrationis suæ rationem reddidit, tum qualis & quis esset status Ecclesiæ suæ exposuit. Rem utramque ex ejus epistola cognosci licet, quam hic subjicio.

Eminentissimi, & Reverendiss. Patres.

Epistola Joannis Lucæ ad Sac. Congregationem. *Ad Sacrosancta Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris & Magistræ Limina super fundamentum gloriosi sanguinis beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli extructa, peracta totius meæ diœcesis visitatione, juxta Sixtinam Constitutionem, antiquissimæ Christianorum consuetudini innixam, in observantiæ testificationem procumbo, & tamquam Villicus in partem sollicitudinis vocatus, pro prima vice exaratam meæ Villicationis rationem, per Procuratorem Abbatem Gasparum Ruggia, E. E. V. V. humillime subjicio; ut hæc mea Arbensis Ecclesia cum cætero orbe descripta, ad pedes Principis provinciarum, & exactoris omnis possessionis Christi, me etiam actore, obsequentissima provolvatur. Erat quidem in votis, sacra Limina veneraturum memet Romam conferre, verum hoc pium desiderium abjicere Mensæ Episcopalis paupertas, necessario itineris dispendio impar, me coegit.*

Arba itaque inter Liburnici maris insulas minima, detrusa sub montibus, quibus C. Betius Romanorum dux, in certamine ab Illyricis cæsus, Betiorum nomen indidit, eosdem montes ab oriente, ab occidente Auxerum, Pagum a meridie; & Curictam, vulgo Veglam, ab aquilone insulas prospectat. In ejus medio ad meridionalis plagæ littora sita est civitas, insulæ de more denominatrix, nomine Arba, clara civibus Marino, & Leone, in fastis Sanctorum descriptis, Jadrensi Archiepiscopo suffraganea, in qua nunc ducenta focularia, & ad mille cives annumerantur. Serenissimo Venetæ Reipublicæ Dominio subest, cui ob metum Narentanorum, illi, ut reliquis Illyrii urbibus, servitutem intentantium anno humanæ Reparationis millesimo decimo octavo, Othone Urseolo, Divi Petri filio, Venetiarum Duce, eam vectigalem constituit (pacto annuo aliquot librarum de seta serica, aut quinque auri obrizi librarum tributo) Majus Arbæ Episcopus, qui, Bellata urbis Priore socio regiminis infra se posito, ipsam in temporalibus etiam moderabatur.

De Arbensis Ecclesiæ, nullo singulari privilegio conspicuæ, institutione memoria non superest: e vetustissimis tamen membranis prior ejus diœcesis amplitudo eruitur, nunc eousque coarctata, ut nulla in Dalmatiæ provincia angustior.

Per insulam non in pagis, sed sparsim per arva, sex vicorum incolæ commorantur. In iis nulla animarum cura stabilis, exceptis castro Novaglia, in insula Pagi ad octodecim a civitate milliaria erecto, Neoparo anno 1717. in parochiam redacto, & Valle S. Petri, unde quemadmodum ab innumeris Dalmatiæ locis, monachi S. Benedicti, ad quos pertinebat, jamdiu recesserunt.

Ecclesia cathedralis sub invocatione B. M. V. in cælum Assumptæ non reparatione, sed aliquo eget ornatu. Turris campanaria, ab Ecclesia parum disjuncta, pro se nihil poscit. Chorum & quinque capellas habet Ecclesia, quæque ex his dicata est Sanctissimæ Cruci, nuper ara marmorea fuit illustrata. Adest fons baptismalis, organum, & sacrarium, quod etsi tenuissimi sint cathedralis redditus, sacris supellectilibus annuatim locupletatur. Cathedralem decorant insignes Sanctorum Reliquiæ, sub custodia quatuor ex Collegio Nobilium, quæ die 25. Julii Festo S. Christophori, præcipui insulæ Patroni, magna populi frequentia a Capellano ad id selecto in altari publicæ venerationi exponuntur & solemni supplicatione magnifice circumferuntur.

Duodecim Præbendæ canonicales totidem alunt Canonicos, quos inter numerantur Archidiaconus qui primam sub Episcopo sedem occupat, Archipresbyter, & Primicerius. Sequuntur sex Mansionarii, sex Diaconi beneficiati, & sex Acolythi. Sacerdotum, & Clericorum inferiorum exiguus est numerus. Omnes latino idiomate divina peragunt, demptis quatuor Sacerdotibus, cum Parocho Novagliæ, & unico Subdiacono, qui lingua utuntur Illyrica. Præbenda Theo-

Digitized by Google

Theologalis multis ab hinc annis erecta fuit, cum beneficii simplicis, & perexigui fructus assignatione, & pro pœnitentiaria inservit Prabenda canonicalis absque ulla alia utilitatis accessione.

Præsentes choro duplicem partem pensionum absentium, & divisionum Mensæ Capitularis consequuntur. Dignitates, & Canonici, præter præbendas, habent cum cæteris beneficiatis duplicem decimarum portionem, unde sacramenta administrare, & semel quacumque hebdomada celebrantes pro populo applicare tenentur.

In civitate præter cathedralem nulla alia parochialis, vel collegiata reperitur Ecclesia. Cura animarum extat penes Capitulum, exercitium vero penes Capellanos, ad id nuper electos; nam gliscens in vicis suburbanis in dies populus, poposcit, & assecutus est, ut peculiaris unicuique vico Capellanus assignaretur, quibus aut morbo, aut alia de causa impeditis, Canonici, & mansionarii per turnum, sua quisque hebdomada sacramenta administraturi egrediuntur. Intra civitatis mœnia id oneris incumbit præcipuo Sacerdoti ab Episcopo designato ad nutum, vulgo Sacristæ majori.

Singulis diebus Dominicis doctrina Christiana explanatur. In ea pueros instruit Canonicus, & Archipresbyter Laurentius Morin, quem pro insigni sua probitate, & singulari in rebus agendis prudentia in meum Vicarium Generalem assumpsi. Illam autem puellis explicat in alia Ecclesia Andreas Perucich mansionarius, & cæremoniarum magister. Ad augendum puerorum, puellarumque concursum, præmia meis sumptibus comparata utrisque distribuuntur.

Tria virorum adsunt monasteria ordinis S. P. Francisci; nempe de observantia, & tertii ordinis extra, & conventualium intra urbis septa: totidem mulierum; duo scilicet S. Benedicti, tertium Tertiariarum S. Francisci. Hæc postrema subjacent Episcopo.

Abbatiæ pariter duæ commendatitiæ; una S. Petri in loco dicto Valle, cujus proventus, ex quo monachi S. Benedicti possessores eam dereliquerunt, S. Sedes fabricæ templi Ducalis Venetiarum Divi Marci assignavit. Hinc Procuratores S. Marci, ut administratores ipsius sacræ ædis censuum, de jure eligunt dictæ Vallis Capellanum, cujus est se se offerre Episcopo approbandum. Id Capellani, ut incolis sacramenta administrare possent, vel inviti observarunt, excussa quacumque alia Episcopis subordinatione. Orta nuper, altissimo divinæ providentiæ consilio, inter Capellanum, & Vallis indigenas simultas, me aptæ occasionis arreptorem erexit ad petendam visitationis, nunquam a memoria hominum factæ, facultatem ab Excellentissimis Procuratoribus, qui quam benigne, quam liberaliter, quam pie, Capellano nequicquam contranitente, mea vota exceperint, adjecta honorificentissima epistola E. E. V. V. significabit. Nulla mora interposita, tractum Vallis octoginta quatuor focularibus refertum visitavi, ea spirituali utilitate, quam mihi, & convisitatoribus meis bene notam, satis est Deo omnis boni elargitori deferre, quam enarrare. Pernecessaria quidem contigit hæc mea visitatio populo haud degeneri ab effera, indomitaque Uschocorum gente, unde originem ducit, quam sibi ducens gloriæ præsefert jactabundus.

Altera Abbatia S. Stephani Papæ, & Mart. olim Canonicorum regularium, libentissime semper Episcopum pro tempore visitatorem admisit, qua, liberali Sedis Apostolicæ concessione, fruitur Matthæus Caraman Archiepiscopus Jadrensis. Redditum ejus, quamvis quadraginta scuta non excedant, si unquam fieret accessio Mensæ huic Episcopali, vix 150. scutorum fæcundæ, minoribus in angustiis versarentur Episcopi, qui semilapso Episcopali palatio, a decem, & octo annis, gravi impensa, gravioríque incommodo in conducta domo inhabitant.

Beneficia simplicia ad triginta Mensæ Capitulari fundum quotidianarum distributionum constituunt. Accedunt alia tria, quorum unum magistro clericorum, alterum magistro cæremoniarum, tertium Canonico Theologali sunt assignata.

Jura patronatus laicorum octo recensentur, ex quibus illud S. Andreæ proximis diebus non sine contentione in pristinam libertatem relabi curavi, inque ejus possessione Petrum Galzigna, bonæ spei clericum constitui; ut Venetiis commodius studiis vacare possit, quibus se Patribus Societatis Jesu tradidit imbuendum.

Non desunt quam plurima legata pia, quorum executioni invigilant vel juris patronatus possessores, vel commissarii ex testamento, sive a laico judice designati.

Seminarium non extat, nec tenuissima Mensa Episcopalis spei erigendi locum relinquit. Ejus tamen defectus detrimenta mirifice extenuat, reparatq. Canonicus Theologalis Simon Spalatinus, alumnus Lauretanus, qui Grammatica, Philosophia, & morum scientia clericos expolit, cujus doctrina, solertia, & assiduitas in excipiendis fidelium confessionibus, me in gratiam alternativæ ad illum primiceriali dignitate decorandum nuperrime impulerunt. Alter vero Lauretanus alumnus, & Canonicus hujus Cathedralis Marinus Demaris a civitate conductus sæcularem disciplinis erudit juventutem.

Inter laicos sunt quædam pia sodalitia, quæ statutis temporibus, sine peculiari veste, in supplicationibus proprium Cruciferum subsequuntur. Prima S. Christophori Mart. civitatis Patroni, idoneis suffulta redditibus: altera sub invocatione B. M. V. in cælum Assumptæ paucis civibus, plurimis villicis conflata, quæ Archiconfraternitati S. Marcelli de urbe unita, non aliquibus redditibus subsistit.

Duo pauperum, & infirmorum hospitia, modicis fundis dotata, succedunt: primum S. Nicolai, quod a Priore laico administratur: alterum de jure patronatus laicæ familiæ, adscriptum confraternitati Corporis Christi, in Ecclesia cathedrali, cujus Prior de numero Capituli, a dicta familia eligendus, Episcopali indiget confirmatione in officio; uterque suarum administrationum Episcopum, & Comitem pro tempore censores habent.

Æquissimum residentiæ præceptum nequaquam violavi, & diœcesi mihi creditæ primam visitationem non sine incommodo ad exitum perduxi, tam ex Capitulo nonnullis, quam missionariis Societatis Jesu in consortium laboris assumptis. Tunc temporis sacramentum Confirmationis quocumque in loco administravi, aliaque sacramenta, & sacras ordinationes per memetipsum explevi, pro ut necessitas, vel utilitas Ecclesiæ meæ imbecillitati commissæ, postulare videbantur. Synodum diœcesanam nondum coegi, sed eam in proximum annum rejeci, quo eam divina opitulatione perficere connitar. Verbum Dei prædicare non destiti in visitatione, & extra ipsam,

tam in adventu, quam in quadragesima, licet viro idoneo ex ordine Frat. Min. Conventualium hanc provinciam demandassem. Neque inveni, neque instituì depositarium pœnarum; rarissimi enim sunt, qui incidunt in multas pecuniarias, quæ, si cuiquam quandoque infliguntur, statim in Ecclesiæ ornamentum transeunt. Taxa hic observata eadem est cum illa, qua utitur Cancellarius Archiepiscopi Jadrensis, cujus, ut superius innui, hæc Ecclesia est suffraganea.

Utinam ita cæteri choro addicti, quorum tarditatem apposite extimulare laboro, ut Canonici hujus Cathedralis, choro jugiter intersunt, & præter matutinum, laudes, reliquasque horas canonicas, quotidie canunt Missam conventualem, diebus tantum festis pro populo applicandam. Celebrant vero quolibet die per turnum Canonici Missam privatam, quam vocant Præbendæ, illamque ex immemorabili consuetudine pro benefactoribus applicant. Constitutiones sunt in viridi observantia, & Canonicus, qui pœnitentiariæ præbendam obtinet, suo non deest officio, assiduus in excipiendis fidelium confessionibus non modo in sede confessionali sibi assignata, verum etiam privatis in domibus, ab infirmis frequenter accersitus. Canonicus Theologus semel in mense casus conscientiæ resolvit, & in explicatione Catechismi Romani clericos aliis diebus exercet.

De residentia parochorum non habeo quid conquerar, quousque debent; libros retinent ad præscriptum Ritualis Romani, nec in sacramentorum administratione coadjutores desiderant. Juxta monitum Conciliorum Tridentini, & Romani sollicite salutaribus verbis pascunt plebes sibi creditas, easque scientia ad salutem necessaria imbuunt, singulari, ac pene incredibili animarum utilitate; nam simplices, humiles, dictoque obedientes parochianos divina providentia illorum cultui comendavit. Non singulis Dominicis, festisve de præcepto diebus Missam parochi applicant pro populo, ob miserrimam proventuum parvitatem, sed ad eorum legem dies decretas habent pro applicatione.

Vigent Ecclesiæ præcepta circa Ordinum collationem, circa vestes, & fori privilegia, & si quis clericus, presbyter, vel alius etiam in dignitate constitutus a recta via deflectit, facillime salutari aliqua pœnitentia in eam revertitur, cogente filio paupertatis, timore.

Conferentiæ Theologiæ moralis quotidie fere habentur in mea habitatione, ad quas, præter clericos, quorum institutionem pro scopo mihi proposui, & Sacerdotes, & nonnulli ex Canonicis aliquando conveniunt.

Nihil habeo, quod referam de clero regulari, non enim animarum curam exercent, & omnes in suo officio se continent; quidam ex iis diligenti examine excussi, in confessariorum numero conscripti sunt.

Moniales, quæ ut exposui, omnes Episcopo subditæ sunt, suas servant constitutiones, & clausuram inviolatæ custodiunt; licet in parvis eas a tenaci regulæ observantia non nihil recessisse animadverterim. Præter Tertiarias, quæ communem, quoad cibum, vitam agunt, aliæ moniales, quæ militant sub legibus S. Benedicti, insimul chorum tantum frequentant, cætera seorsim exercent; & quamvis in loco refectionis una adhibeant aures sacræ lectioni quousque per eam, cui obtigit, vini, & anteferculi distributio ad exitum perveniat, inde statim unaquæque in suam cellam secedit, comestura quod ei parentes, aut propinqui quotidie ministrant.

Quæ præest monasterio tertii ordinis S. Francisci, dispensante Sac. Congregatione, usque adhuc in gubernatione perseverat, etsi jam sextum prælaturæ triennium effluxerit. In causa hujus perseverantiæ est firma trium aliarum monialium voluntas, nempe sororis, & duarum ejus neptium, quæ se ipsi regendas præbent eousque unanimes, ut regiminis ab illa in aliam transferendi omnino spes desit.

Omnibus monialibus, præter ordinarium, confessorem extra ordinem, & obtuli, & concessi, utroque, prævio examine, de more approbato.

Onera Missarum, & anniversariorum tabellis inscribi, tabellasque in sacrariis, ubi nullas inveni, præter quam in sacrario Ecclesiæ cathedralis, affigi mandavi, ad tramites sanctæ memor. Urbani VIII. mandatoque adjeci præceptum, ne Canonici imposterum onera perpetua Missarum sine Episcopi licentia suscipiant, & quoad elapsa tempora suæ conscientiæ consulant.

Similiter visitans Ecclesias, quæ pias sodalitates recipiunt, disquisivi, num rite implentur benefactorum ordinationes, neque acquiescens asserto eas adimpleri, descripta ad me deferri præscripsi, ex quo mihi constitit non penitus exequi: quapropter quoad annos exactos prudentibus accurrens consiliis, perfectam earum executionem in futurum injunxi, quam, illarum conscriptione publicis locis affixa, tutari contendi.

Hæc, & quamplurima mea jussa, nisi me spes vana decipiat, obedientia præstabuntur; populus enim docilis mihi obtigit, & clerus, quoad majorum partem, doctrina excultus, atque uterque ad opera pietatis valde proclivis. Erectum tamen hoc pio fidelium sensu animum mihi nimis sollicitant aliquot filii proditionis, quos arguere, increpare, obsecrare non destiti, frustra usque adhuc omni cura impensa, sæcularis etiam brachii invocatione licet suffulta. Non tamen luctuoso exitu diffisus, eorum conversionis sollicitudinem deponam, donec meis votis divina clementia, sancta corda defringens, respondeat.

Visitationis tempore plurimi se mihi prodiderunt abusus, quibus sollicite occurrendi nullam moram mea infirmitas interjecit. Unum maximi momenti humillime E. E. V. V. substerno, ut munitus Apostolica auctoritate, vestraque doctrina illustratus, in ejus reparationem apte operam conferam. Pastoralibus meis perquisitionibus patuit, Missas celebrari imminutiori numero, quam piæ fidelium defunctorum dispositiones præcipiant, objicientibus tum prædecessorum meorum redactionem, nullo documento conspicuam, tum non respondentium oneri tenuitatem redditumm, tum fundorum in alios pios usus applicationem, aut integram ministrorum culpa dispersionem. Hinc origo obsequentissimæ meæ petitionis, num fideles piis legatis oneratos, in bona fide, vobis auctoribus, conquiescere sinam, an severam eis omnium Missarum celebrationem edicam. Verum quia id eis forte nequicquam committerem, nam fere omnes angustia rei familiaris laborant, & fundorum fructus, legataque eleemosynæ ob incredibilem pretiorum alterationem nimis distant ab eleemosynis nunc consuetis; idcirco audeo postulare non modo facultatem imminuendi onera Missarum, sed commutandi etiam, & a præteritis omissionibus omnes his oneribus implicitos absolvendi. Erubeo meæ conscius indignitatis rem magnam petere, sed major istius S. Sedis pietas, ad divinam longani-

Digitized by Google

ganimitatem accedens, me, ovium mihi concreditarum salutis sollicitum, ab audacia nota vindicat, & in spem benignæ concessionis adducit.

Hæc habui, quæ E. E. V. V. pro munere meo pastorali referrem. Si quid in rudi hac expositione minime consentaneum vestris sententiis, atque canonicis sanctionibus offenderitis, castigare non dedignemini, cujus emendationis oraculum anxius expectabo, ut verba vestra sint semper in ore meo, & in mea Ecclesiæ regimine a judicio vestro non recedam. Interim ad pedum SS. P. N. Christi Vicarii osculum demissus, ipsi, atque E. E. V. V. valetudinem atque felicitatem precibus, votis, sacrificiis a. D. O. M. semper exorabo.

Arbæ Kalendis Augusti 1757.

Humil. Addict. atque Dev. Ser. &c. Joannes Lucas Garagnin Episcopus Arben.

Sacra Congregatio litteris ad eum redditis, simul collaudavit illius industriam, simul ad ea respondit, de quibus interrogata fuerat.

Rev. Dom. uti Fr. Episcopo Arben.

Responsum Sacræ Congregationis. Reverendissime Domine uti Fr. In Apostolicæ sollicitudinis partem vocatus, postquam commissam diœcesim diligenter lustrasti, tamquam Villicus fidelis, & faciem illius adumbrare nobis, & Villicationis rationes dare, & coram Principis Apostolorum trophæis sacra Limina veneratus a longe provolvi non omisisti. Gavisi autem sumus videntes quam sedulo divini Verbi prædicationi incumbas, & Christianæ doctrinæ pueris, ac rudibus explicandæ, exercendisque clericis in rerum sacrarum studio; quam accurate divinam psalmodiam in choro peragi cures, neque sacrorum ministerium agricolis per vicos, & arva dispersis deesse patiaris; siquidem parœcias de novo instituisti, & Sacerdotes ablegare non cessas, qui diebus festis salutari pabulo eosdem reficiant. Illud etiam perfecisti, ut aliquando tibi liceret sacerdotium S. Petri de Valle, ædificio S. Marci Venetiarum per Summos Pontifices unitum, invisere, ac perlustrare, eaque occasione pluribus, quæ irrepserunt corruptelis mederi: quamobrem cum muneri tuo diligenter invigiles, debitis te laudibus lubenter ornavimus.

Restat modo, ut ea quæ animadvertenda sunt excurramus; & primo ad Canonicos quod attinet, quos narras singulis diebus festis sacrum conventualem celebrare pro populo, feriatis vero eorum unum, juxta veterem methodum, Missam legere pro benemeritis insimul, noscas oportet Parochis quidem, non etiam Canonicis incumbere onus celebrationis pro populo, sed singulis diebus conventuale sacrum pro benefactoribus in genere facere debere; quod si eorum redditus impares sint oneri huic ferendo, confugiant oportet ad hunc Sac. Conventum atque insimul mittant probatam a te notulam redditnum, atque distributionum quarumcumque; tunc enim venia dabitur offerendi diebus festis tantummodo.

Parochi vero, Vicarii, sive Canonici, sive non, & quicumque alii animarum curam gerentes, jure divino saltem diebus festis pro populo sacrificare tenentur; quamobrem ille inter Canonicos, qui parochi gerit munus, hoc implere tenebitur, & quoniam observavimus scribere te, alios parochos habere quosdam decretos dies, quibus pro populo sacrificent; non possumus quin commoneamus dies ejusmodi necessario esse debere singulos dies festos, atque contrarium usum quemcumque omnino tollendum; illud enim dumtaxat iisdem permittitur, ut si facilius eleemosynam diebus festis invenerint, transferre possint onus sacrificandi pro populo in feriatum aliquem subsequentis hebdomadæ diem, quæ omnia sancita sunt in Constitutione SS. D. N. Bull. Tom. I.

Ad Sanctimoniales quod attinet, optandum foret, si fieri possit, ut eæ, quæ militant sub regula S. Benedicti, communi mensa uterentur, neque post apparitionem quamdam in communi triclinio, unaquæque ad proprium cubiculum secederet, ad ea, quæ per consanguineos transmittuntur, edenda. Ad eas vero quod attinet, quæ vivunt sub regula tertii ordinis S. Francisci, si onerosa nimium, ac gravis videtur Sanctimonialibus præfectura illius, quæ ad sextum jam triennium perdurat, adnitentibus in id, uti scribis, binis neptibus ipsius præpositæ; nihil aliud monere possumus, nisi quod consulta a nobis hac de re sacra Episcoporum & Regularium Congregatione, respondit, ejusmodi facultatem confirmandi præpositum ad aliud triennium non alias concedi umquam consuevisse, quam adjecta clausula accedente consensu duarum ex tribus partibus; si vero pro secunda, vel alia vice petatur, tunc omnino rescribitur, accedente omnium consensu; quamobrem recurrente tempore novæ electionis, si una tantummodo Sanctimonialium dissenserit, præfectura illa amplius prorogari nequibit, ac proinde apud ipsas moniales, si graventur, remedium existit, quod a nobis exquiris.

Ad legata pia quod attinet, quoniam imminutos redditus narras, & quam multa in præteritum jam fuisse neglecta, adeo ut hæreas animo quid tibi modo agendum sit: ad futurum tempus quod attinet, transmittitur tibi facultas eadem minuendi juxta instructionem hisce litteris alligatam; ad præteritum vero quod spectat, Sanctissimus P. religioni, atque arbitrio tuo permittit, ut eos, qui omnino impares sunt iisdem oneribus satisfaciendis, absolvere queas; qui vero si non in toto, in aliqua saltem parte satisfacere poterunt, eosdem adigito, ut hanc saltem adimpleant; atque interea dum apostolicam tibi, tuoque gregi benedictionem largitur, ego benevolentiam meam toto corde despondeo.

Romæ 4. Februarii 1758.

Amplitud. tua uti Fr. Cardin. Argenvilliers Præfectus.

I. Afurietus Secretarius.

Neque prætermittendam censeo epistolam, quam Clemens XIII. ad summum Ecclesiæ universalis Pontificatum haud ita pridem evectus, litteris gratulatoriis Joannis Lucæ Episcopi benignissime reddidit.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem, & apostolicam benedictionem. Considerantes maxima nos infirmitate circumdatos ad hujus Apostolicæ S. Sedis sublimitatem erectos fuisse, totis artubus contremiscimus adeo, ut potius consolationis, quam gratulationis officiis indigeamus. Proinde eæ solum letitiæ significationes gratæ nobis obveniunt, quæ precibus tum privatis tum publicis conjunguntur. Quo in genere mirifice se nobis probavit eximia Fraternitatis tuæ, & gregis vigilantiæ tuæ crediti pietas. Quamobrem præcipuam a nobis gratiam promeruerunt litteræ tuæ, quibus tam tua, quam illius studia nobis significare, & Apostolatus nostri primordia faustis omnibus prosequi voluisti. Ob hæc memorem semper animum erga te retinebimus, & nihil omittemus, quantum in nobis erit, quod in tui, & populi istius commodum opportune conferre poteri- Epistola Clementis XIII. ad Joannem Lucam Episc.

terimus. Et *Apostolicam benedictionem in ipsum quoque redundaturam Fraternitati tuæ peramanter impertimur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCCLVIII. Pontificatus nostri Anno primo.

A Sac. Rituum Congregatione publicum & anniversarium cultum sacrosanctæ Spinæ impetravit.

Cum æque clerus populusque Arbensis, atque ipse Episcopus, eximia religione affecti essent erga sacrosancta mysteria Jesu Christi patientis, ejusque Spineam Coronam; Joannes Lucas piis suorum, suisque studiis obsequens, a Sacra Rituum Congregatione petiit, impetravitque facultatem colendæ anniversaria psalmodia & liturgia sacratissimæ illius Spinæ, quæ in æde cathedrali inter alias Divorum Reliquias asservatur. Ipse vero Episcopus, ex potestate sibi tradita, secundam de sextis feriis mensis Martii designavit, cui publicus & anniversarius ejusdem sanctissimæ Spinæ cultus perpetuo affixus esset.

Joannes Lucas &c. Cum Rev. Episc. Arbensis ob devotionem, qua clerus & populus suæ civitatis, & diœcesis prosequuntur Coronam Spineam D. N. J. C. Sacrorum Rituum Congregationi enixe supplicaverit pro facultate recitandi Officium, & respective celebrandi Missam in honorem Coronæ Spineæ ejusdem Domini Nostri, jam approbatam; Sacra Congregatio ad relationem mei infrascripti Secretarii benigne indulsit, ut a clero tam sæculari, quam regulari dictæ civitatis & diœcesis, die assignanda ab eodem Rev. Episcopo, excepta tamen Dominica, petitum Officium cum Missa in honorem dictæ Coronæ Spineæ, citra tamen ejusdem Reliquiæ approbationem, recitari possit, & valeat. Die 22. Decembris 1759.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus.

T. M. de Lerma Sac. Rit. Congreg. Secretar.

Illustrissimus & Rev. Dom. D. Joannes Lucas Garagninus, Dei, & Apost. Sedis gratia Episcopus Arben. attento supradicto Sacræ Rituum Congr. Decreto, mandavit, ut officium & Missa supra enunciata celebretur secunda ex sextis feriis mensis Martii ab omnibus sæcularibus & regularibus, tam civit. quam diœc. servato ordine Missalis & Breviarii Romani rubricarum. In quorum fidem &c. Datum Arbi ex nostra Episcopali Curia die 15. Febr. 1760.

Romam adiit, suæque administrationis rationem reddidit.

Anno 1762. Romanum iter suscepit, sacra limina more majorum veneraturus. De statu Ecclesiæ suæ, suisque factis atque institutis, brevi ac dilucida expositione litteris tradita Patres Eminentissimos docuit; simulque petiit, ut collegium Canonicorum Arbensium, proventibus admodum exiguis præditum, nimio, gravique onere quotidiani sacrificii pro iis, qui erga Ecclesiam & Capitulum benefici fuissent, offerendi, pro sua æquitate & auctoritate eximeret. Responsum tulit sibi perhonorificum, & Canonicis suis quod postulabat impetravit.

Eminentissimi, & Reverendissimi Patres.

Altera Jo. Lucæ Epistola ad Sacrã Congr.

Debita Sanctæ Sedi obedientia, possibilique imbecillitati meæ Pontificiarum Constitutionum observantia adductus, eidem Sanctæ Sedi, atque E. E. V. V. pro altera vice Ecclesiæ, angustæque diœcesis meæ statum substerno, dum Sanctissimos Domini nostri pedes osculaturus, & Sacra Limina veneraturus, me Romam contuli.

Hic in primis, quoad materialem statum meæ diœcesis, pristinæ relationi acquiescens, ad nonnulla quoad formam ejusdem descendo.

Perutile residentiæ præceptum inviolatum custodivi, mihi tantum concedens, binis cujuslibet anni mensibus, pro gregis mei utilitate, patriam invisere, a pietate parentum subsidium aliquod impetraturus, quo populi mei miseriis, meisque occurrerem, quæ, semper hic familiares, maxime invaluerunt his annis anteactis, quibus diuturnus præter morem borealis turbo copiosissimis salinis particulis a circumfluente mari elevatis, obnoxiam insulam impetens, consitansque, matura jam sata, botrosque uva, instar vehementis ignis, miserrime adussit.

Diœcesim visitatione lustravi, nonnullis ex Capitulo, atque extra, mihi in socios adscitis; nec quidquam divina ope in ea, quod posset conducere ad pietatis, religionisque incrementum, prætermisisse confido. Et quoniam diœcesanos doctrina christiana valde peritiores, divinoque cultui addictiores latabundus inveni, eorum fervorem adaugendum censui, tum distributione sacrorum munusculorum, aut eleemosynarum, pro varia eorum indole, atque necessitate; tum introductione in Ecclesiis parochialibus Viæ crucis, ad quam, ipso piæ novitatis oblectamento acciti, frequentes conveniunt.

Parochi in parochiis, inque mea cathedrali modo unus modo alter ex selectis ecclesiasticis viris, quadragesimali tempore Verbi divini refectione populum pavit. Eidem aliqua homilia ipse non defui, præsertim tempore Adventus, & in aliis anni sollemnitatibus.

In visitatione diœcesis, & extra, curavi jam edita decreta in Synodis diœcesanis debitæ demandari executioni, novaque etiam condere, quæ invalescentibus morbis remedium afferrent, & ecclesiasticos ad virtutem excitarent.

Interim me involvit admodum intemperans Præses, vexavitque diuturna, atque acerrima lite, qua ab Episcopo in se violenter adortus transferre jus substituendi parochos, indicendi publicas supplicationes, & id genus aliorum.

Verum ejus licentiam compressit, læsamque meam jurisdictionem redemit piissima Veneta auctoritas, omnia ejus orsa, Canonicis Constitutionibus, & legibus, consuetudinibusque Principatus adversari pronuncians, ejusque contraria acta deleri præscribens.

Nonnullam quoque mihi molestiam attulit monialis quædam, quæ, profuga e cœnobio S. Claræ Veglensi, extraneis spoliis, pauperis mulierculæ conditionem mentita, huc se traduxit; seque ita clam in unum meorum monasteriorum ejusdem ordinis, S. Antonii Abbatis nuncupatum fidenter intrusit. Ego casum Sacræ Episcoporum, & Regularium Congregationi jamdiu subjeci, a qua mihi ad quatuor menses eam absolvendi impertita facultas. Verum, nondum consecuta casus definitione, illam ulterius absolvere institi, ne cogente desperatione, ad quam concordi aliarum sanctimonialium testimonio proclivis erat, sibi necem conscisceret.

Consiliis, mandatisque E. E. V. V. quoad vires inhærens, moniales sub regula S. Benedicti militantes, ad usum communis mensæ diebus festis, & sollemnioribus usque modo redegi; negotium legatorum piorum tam de cætero quam in posterum ordinavi; parochisque auctor fui, ut sacrificent quolibet die festo pro populo, quod pridem faciebant, & faciunt nunc quoque Canonici, qua quisque hebdomada per turnum curam gerit animarum.

Notulam præterea redditunm, distributionumque Canonicorum isti sacro conventui exhibeo, ut

ut ejus fundamento veniam, in cujus spem ab E. E. V. V. adducti sunt, tandem impetrent gravissimi; ideoque forte nequaquam impleti oneris offerendi singulis diebus Sacrum Conventuale pro benefactoribus; quam veniam me intercessore humillime implorant.

Pauca parva diœcesis subministrare poterat, quæ pro meo pastorali officio vel toleranda, vel emendanda E. E. V. V. proferrem; quarum oraculi anxius, dum ad pedum Sanctissimi Domini nostri Christi Vicarii osculum me dejicio, eidem, & V. V. E. E. perfectam valetudinem, plenamque felicitatem ab optimo bonorum omnium largitore enixe deprecor, atque exposco.

Romæ 18. Februarii 1762.

Eminentiss. ac Reverendiss. Dom. D. S. R. E. Cardinalibus Sac. Cong. Concilii.

Humil. addict. atque devotiss. Servus &c. Joannes Luca Garagnin. Episc. Arben.

Reverendiss. Domino uti Fratri Episcopo Arben.

Responsio Sac. Congregationis.

Reverendiss. Dom. uti Fr. Totius Ecclesiæ diœcesisque tuæ rationem exhibuit Ampl. tua, litteris ante hos tres annos ad hanc Sac. Cong. Tridentinæ Synodi interpretem datis; quæ causa tibi fuit, ut nuperrime ad Eminentissimos Patres exacto triennio, breviorem epistolam scriberes: sed nihil illa brevitas prohibet, quin idem flagrantissimum tuum in Ecclesiam Arbensem studium, summaque voluntas appareat, eadem vigilantia, atque sedulitas, ut parochi suum quisque munus obeant, præsertim suam operam navent in tradenda Christianæ Fidei institutione, & explicanda Evangelica doctrina. Quod aliquando ab Ecclesia tua abfueris, & remigraris in patriam, ut ibi a pietate parentum tuorum aliquid pecuniæ conficeres, qua inopiam a populo tibi commisso, cum propter summam frugum vastitatem annona ingravesceret, propulsares, id quidem Eminentissimi Patres summis laudibus excepere; teque affirmamus ab omni populo, ut parentem diligi oportere. Hanc viam, si, quod omnes tibi expetimus, Dei virtute, perpetuo tenueris, nec, quod absit, ab ea unquam deflexeris; post exiguam hanc vitam ne dubites, quin illam sempiternam in beatorum cœtu consequare: Christum enim Dominum fidejussorem habes, cujus illa verba: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

De Missa singulis diebus a Canonicis celebranda pro benefactoribus, Em. Patres, quibus Sanctissimus Dom. Noster mandavit, ut viderent, num Canonicorum tanta esset inopia, ut indulgentiore aliquo rescripto æquum esset aliquid de tali onere illis detrahere: censuerunt: Die 13. hujus mensis: Prævia absolutione, quoad præteritum, Episcopus jubeat, ab omnibus celebrari Missam conventualem pro benefactoribus in genere singulis Dominicis, & Festis; donec & quousque perduraverit tenuitas redditunm Canonicatuum, de quibus agitur. Cæterum ab hoc Sac. Purpuratorum cœtu, tuam in universum gubernandæ Ecclesiæ rationem vehementer esse probatam, tibi animo gratulor: ac si quid habes, in quo meam erga de experiri velis benevolentiam, perficiam profecto, ut illam non vulgarem esse intelligas.

Romæ 17. Martii 1762.

Amplitud. tuæ uti Fr. Cardinalis de Rubeis Præf.

J. Archiep. Petren. Secretarius.

Ex urbe reversus ostendit quantopere Ecclesiam suam diligeret; ei siquidem, tamquam sponsæ sibi carissimæ donum pretiosissimum attulit, videlicet Crucem argenteam, Romano eximioque opere cælatam, & fulcro itidem ex argento pulcherrime facto innixam. Cetera ejus præclara facta & instituta, brevitatis caussa, prætermitto; sed facere nequeo, quin præstantissimo Antistiti, & de hac historia eximie merito, si minus debitas, certe quas possum, maximas gratias & agam, & habeam. Etenim omnibus, & singulis, de quibus a me per litteras interrogatus fuerat, & humanissime respondit, & plenissime satisfecit. Catalogum Antistitum Arbensium diligentissime mihi contexuit, suis cuique annis appositis; multa diplomata & monumenta ex Arbensi sanctuario deprompta suppeditavit; urbis, diœcesis, ecclesiarum, cœnobiorum, rerumque omnium Arbensium antiquarum, ac recentiorum notitiam accuratissimam, & copiam uberrimam subministravit. Nimirum optimus Præsul Ecclesiam suam unice diligit, nec solum in ejus commodum utilitatemque totum se ipse impendit, verum etiam illam scriptis illustrari, totoque orbe celebrari mirifice cupit. Deus Optimus Maximus Antistitem omni laude cumulatum, incolumem, viribus atque animo vigentem diutissime conservet; ut egregiam illam, qua fervet, in Deum atque homines charitatem, & sollicitudinem suam, vigilantiam, operamque apostolicam, quæ nunc exiguis Ecclesiæ Arbensis finibus continetur, in salutem atque utilitatem aliarum quoque Ecclesiarum Dalmatiæ conferre & propagare possit.

Crucem argenteam ex urbe allatam Ecclesiæ suæ dono dedit.

Nobis ad conficiendam historiam Ecclesiæ Arbensis plurima suppeditavit.

Hæc anno superiori scripseram, cum, quod animus meus jamdiu præsagiebat, hoc ipso anno, in quo nunc versamur, 1765. eventus probavit. Clemens XIII. Pontifex Max. acerrimus idem, & æquissimus virorum ac virtutum æstimator, Joannem Lucam Episcopum Arbensem, ex multis & præclaris rebus ab eo gestis, sibi cognitum & perspectum ad metropolim Spalatensem totius Dalmatiæ primariam evexit; & potestate, simul cum dignitate, aucta, majorem ei facultatem attulit de multis Ecclesiis bene merendi, campumque amplissimum dedit, in quo ejus virtus, & flagrans ad omnia religionis & charitatis opera studium latius excurrere & cognosci possit. Augustinus Gradonicus Episcopus Clodiensis, vir omnigena eruditione atque doctrina, quem hic honoris ergo nominare mihi gloriæ tribuo, ex mandato Summi Pontificis ei Pallium Archiepiscopale imposuit. Negotiis confectis, quorum caussa Venetias adierat, iter Spalatense suscepit; & paullulum de via digressus, Ecclesiam Arbensem primam suam, sibique charissimam Sponsam ultimum revisit. Post suprema mutuæ charitatis officia ultro citroque accepta & reddita, clero & populo fausta omnia ab Largitore omnium bonorum rite precatus, inter fletus utriusque mœstasque acclamationes discessit, magno sui apud omnes desiderio relicto. Nec vero majori mœstitia & plangore optimum Præsulem Arba dimisit, quam gaudio & gratulatione Spalatum excepit. Si quando recudendus erit Tertius Tomus Illyrici sacri, in quo Acta Metropolitarum Spalatensium continentur, huic uberrimam rerum illustrium materiam hic præstantissimus Archiepiscopus suppeditabit.

Ab Ecclesia Arbensi ad Metropolim Spalatensem translatus.

Digitized by Google

JOANNES BAPTISTA EP. ARBEN. LIV.

Joannes Baptista Jurileus Canonicus primum,

Ex Jurilea familia, in primis inter Tragurienses honesta, & satis copiosa. Ab ineunte adolescentia clericalem habitum sumpsit. Nixus patrocinio Petri Cardinalis Ottoboni, cujus clientelæ commendatus fuerat, Romæ ad collegium de Propaganda Fide aditum sibi aperuit; in quo plures annos humanis divinisque disciplinis addiscendis exegit. Confecto studiorum curriculo, cum doctrinam suam publico certamini expositam sapientibus viris ac judicibus egregie probasset, Philosophici pariter ac Theologici magisterii laurea & insignibus ornatus Doctoris nomen promeruit. Presbyteratu initiatus Canonicatum obtinuit, a patruo sibi per cessionem traditum, qui Canonicus idem, & Archipresbyter erat Ecclesiæ Traguriensis. Reversus in patriam, cum haud multo post ob mortem patrui, dignitas & Sedes Archipresbyteralis vacasset; hanc ei conferendam curavit Cardinalis Ottobonus, qui Joannem Baptistam propter ejus mores integerrimos, & excellentem doctrinam summopere amabat. Annos amplius triginta summa cum laude Archipresbyteri nomen gessit, & officio functus est; cui procuratio animarum annexa cum esset, nullis laboribus, & incommodis pepercit, ut earum saluti utilitatique serviret. Quo in munere tam multa & præclara industriæ suæ, doctrinæ, prudentiæ, charitatis documenta dedit, ut se dignum præbuerit, cui Clemens XIII. Ecclesiam Arbensem decerneret. Itaque annos natum quinque & quinquaginta, non ætate, quam virtute maturiorem, in augustissimo Patrum purpuratorum Senatu Episcopum renunciavit anno 1765. XI. Kalendas Maji. Omnino is unus fuit, qui efficere potuit, ut præstantissimi sui decessoris desiderium apud Arbenses relictum tolerabilius ferretur. Regimen Ecclesiæ Arbensis suscepit ingenti omnium civium lætitia & gratulatione; & quam expectationem præclara de singulari ejus virtute opinio commovit, eam egregie sustinuit.

ac deinde Archipresbyter Eccl. Traguriensis. demum Ep. Arbensis.

Anno 1771. ex decreto Clementis XIV. Arbensem cum Ecclesia Nonensi commutavit. Transfertur ad Eccles. Nonensem.

JO. MARIA ANTONIUS EP. ARB. LV.

Oriundus e Dalmatia, cui de Ostia cognomen, clarissimo patre ordinum militarium ductore natus; qui paterno exemplo posthabito, togam ecclesiasticam sago prætulit. Parœciam S. Andreæ diœcesis Tarvisinæ, quæ ad jus ditionemque Abbatis de Colle alto pertinet, adeptus cum esset, annos aliquot ad curandum, excolendumque dominicum gregem sibi concreditum æque utiliter, ac laboriose impendit; proptereaque se dignum præbuit, quem Clemens XIV. altius proveheret, & Episcopum Ecclesiæ Arbensi præficeret an. 1771.

EPISCOPI VEGLIENSES.

Insulæ varia nomina.

IN recessu intimo Sinus Flanatici, prope ab littoribus Japidiæ insula est, quam Strabo *Cyraticam* κατὰ τοὺς Ἰάποδας pone Japodas, Ptolemæus *Curictam*, unde *Curicta* Pliniani, Auctor Tabulæ Peutingerianæ *Curicum*, Cassiodorus *Curictanam* Volfango Latio interprete, Constantinus Porphyrogenitus *Beclam* appellarunt. Palladius & Sabellicus ex Andrea Dandulo *Vigiliam* vocant. At Vigilia, non insula, sed civitas, longe hinc abest, eamque Andreas Dandulus non procul ab æstuariis Venetis constituit. Uterque errandi caussam sumpsit ex ipsomet Dandulo, qui ad annum 830. scripsit Obelerium principatu dejectum, & patria expulsum, *Vigiliæ apud Curiclum* & obsessum & captum fuisse ab Joanne Participatio Duce Venetorum. Putarunt enim Curiclum idem esse, atque Curicum, quæ civitas est, ut tradit Ptolemæus, insulæ Curictæ. Quod Dandulus Curiclum vocat, alter Chronologus Venetus *Aurialum* nuncupat, eum vicum fortasse, quem nunc Oriagum dicunt. Vigilia ex Danduli, & alterius Chronologi descriptione, haud longe aberat a Metamauco; eamque neuter insulam, sed urbem uterque appellat. *Cyraticæ*, *Curictæ*, & *Curictanæ* vocabulis jamdiu vetustate abolitis, hodie hanc insulam *Vegiam*, &, *Vegliam* vulgo nominant; iisdemque promiscue nominibus civitas insulæ primaria nominatur. Ptolemæus Curictæ duas omnino civitates attribuit, *Fulfinium*, unde *Fulfinates*, & *Curicum*, unde *Curicta*, quos Plinius ad Conventum Scardonitanum adscripsit. Vetus est indigenarum opinio principem totius insulæ civitatem conditam fuisse a Dynasta quodam, seu Regulo, cui nomen erat *Curico*: inde urbem *Curicum*, insulam *Curictam*, incolas Curictas appellatos esse.

Vegliæ positio, dimensio, fecunditas.

Hæc insula sita est inter oram Japidiæ, quam ab oriente & septentrione, atque insulam Crexam, quam ab occasu respicit; hinc abest millia passuum circiter novem, illinc angusto freto, quod *Canalem Morlacchia* vocant, dirimitur. Arba insula ei subest a meridie; utramque mare non ita late interjectum disjungit. Millia passuum fere centum circuitu comprehendit; in longitudinem triginta mille passus protenditur; latitudo ejus varia, qua maxime patet, quindecim milliaria non excedit. Ab omni parte portus aperit æque tutos, & non infimi generis navium capaces. Uberrimis pascuis ad greges armentorum oviumque alendos abundat. Silvas cæduas habet plurimas, & maximas, e quibus vis ingens materiæ ligneæ Venetias convehitur. Vini, tritici, olei affatim suppeditat, nec aliis cujusque generis fructibus & frugibus caret; denique rerum omnium, quas natura desiderat, varietate & copia, nulli earum insularum secunda est. Nec suæ illi deerant olim salinæ; sed cum navigia sale onusta furtim exportari, & quo non licebat, inferri solerent, delusis custodiis ac vigiliis, ne portorium solvere cogerentur; eas corrumpi ac destrui oportuit. Celebrantur ante omnia, & magno sunt in honore & pretio equi Veglienses, modico illi quidem brevique

que

Digitized by Google

que corpore, sed mira spiritus alacritate, & forma in primis eleganti; ea vero ungularum firmitate ac duritie, ut ferreis soleis non valde indigeant. Hæc insula ut frugum, sic hominum quondam fertilis erat, & incolarum undecim millia aluisse perhibetur; nunc sex millibus habitatam ferunt. Sunt autem Veglienses suapte natura comes, benigni, hospitales, moribus & ingenio, victu cultuque Italis, quam Dalmatis propiores; omnes vero Italice loqui perbene sciunt.

Vegia civitas primaria. Princeps totius gentis civitas eodem, atque insula, vocabulo Vegia, seu Veglia nominatur. Sita est in latere occidentali fere extremo ad meridiem; quo in loco fuisse arbitror Curicum vetus, aut Fulfinium, civitates Ptolemaicæ, huic insulæ attributæ. Mille passuum ambitu circumscribitur; & cives numerat propemodum mille & quingentos; cum olim ad quatuor millia fuisse dicantur. Mari adjacet, fere ad Austrum conversa, plano in loco & aprico, situ peramœno, adituque ad aspectum præclaro. Portus urbis adeo exiguus est, vix ut decem mediocris formæ navigia capiat; eique & civitati ad præsidium imminet arx, colli præalto imposita, difficili atque arduo ascensu. Ædificia tum publica, tum privata pro numero incolarum satis multa sunt, eaque ad usum accommodate, & eleganter descripta; in quibus excellit Curia & ædes prætoria. Tota insula, præsertim ad mare, frequentissime colitur, & qua vicis, qua oppidulis habitatur. Vicos habet viginti, & fere omnes maritimos.

Oppida insulæ præcipua. Oppida præcipua sunt quinque, incolarum refertissima, *Dobaniza*, *Besca* vetus, & nova in latere occidentali, *Drobinium*, & *Verbeniza* contra oram Japidiæ in altero latere ad Orientem converso. His adde castrum *Musclum* in extremo insulæ ad Septentrionem angulo, natura loci egregie munitum; quippe quod ex edito monte atque undique prærupto eminet; an hoc sit Fulfinium civitas altera, quam Ptolemæus Curictæ attribuit, mihi non est compertum. Suus cuique oppido portus subjacet; qui castro Musclo subest, in primis celebratur, omnium totius insulæ amplissimus, & multorum navium capax. Vegliæ ad meridiem proximus est scopulus, quem Prævichium vocant, non alia re magis, quam cuniculorum copia memorabilis, qui mirum in modum ibidem fœtificant.

Veglienses variis dominis subjecti. Hæc insula ante conditam monarchiam Romanam variis dominis, & iisdem fere, quibus propinquiores Dalmatiæ civitates, subjecta fuit. Postea primum Romanis, deinde Græcis Imperatoribus paruit. Sæculo nono Basilius Imperator, cum Dalmatas maritimos ab injuriis Chrobatorum, & Serblorum tueri non posset, auctor illis fuit, ut pacem quietemque ab hostibus, suo & imperii detrimento redimerent; permisit siquidem, ut annuum tributum, quod sibi & imperio debebant, Slavis persolverent; ipse vero exiguum sibi vectigal retinuit, quo suam Dalmatæ fidem erga Imperatores Orientis, observantiamque profiterentur. Eadem centum numismatum pensio Slavis solvenda, Vegliæ imposita fuit, quæ aliis duabus insulis Sinus Flanatici, Absoro, & Arbæ; ut docet Porphyrogenitus: *Atque ex illo tempore omnes istæ urbes Sclavorum tributariæ, pacta ipsis solvunt, Aspalatus quidem urbs numismata ducenta . . . . Opsora centum, Arbe centum, Becla centum*. Sæculo undecimo ineunte, Petrus II. Urseolus Dux Venetorum, ut ceteros Dalmatas, sic etiam Veglienses, Slavorum injuriis, & pensione annui tributi exemptos, in suam fidem & clientelam recepit; sed anno ejusdem sæculi circiter tricesimo ad imperium Orientis redierunt; anno autem septuagesimo quarto Dominicus Silvo Dux Venetorum, post Northmannos Dalmatis infestos toto mari Adriatico expulsos, cum populis illis salutem & tranquillitatem restituisset, adeo sibi illorum animos conciliavit, ut in Venetorum fidem ac potestatem se rursus contulerint, eo promptius ac libentius, quod cum expositi essent Northmannorum excursionibus, nihil præsidii ab Imperatoribus Orientis sperare poterant. Deinde Veglienses cum ceteris Dalmatis, modo Venetorum, modo Hungarorum dominatum subiere.

Hæc insula tribus fratribus Frangipaniis jure fiduciario tradita. Sæculo decimo tertio Dux & Senatus Venetus urbem atque insulam Vegliæ tribus nobilissimis fratribus *Joanni*, *Guidoni*, *&* *Emerico*, eorum filiis & hæredibus, fiduciariam dederunt. Sed Bartholomæus & Fridericus filii Guidonis, cum Belæ IV. regi Hungariæ, qui ob Tartaricam calamitatem in Dalmatiam, & Tragurium confugerat anno 1242. ingentem pecuniam subsidio misissent, ab eoque remunerationis ergo urbis Seniæ principatu donati fuissent; apud Venetos in suspicionem venerunt initæ cum rege societatis, ad quem, post discessum Tartarorum, eodem anno Jadrenses, Prætore Veneto expulso, defecerant. Dandulus palam aperte a Venetis eos ad regem Hungariæ descivisse affirmat: *Bartholomæus Comes Veglæ cum suis consortibus, qui juramento fidelitatis Comitatum a Venetis recognoscebant; recepto feudo a rege Hungariæ, ei totaliter adhæserunt*. Itaque possessione illius insulæ mulctati, meritas defectionis pœnas luerunt. Aliquot annis post Jaderam receptam, & pacem cum Bela redintegratam, filii Guidonis & Bartholomæi Comitum Vegliæ, veniam petentes Raynerius Zenus Dux Venetorum in gratiam recepit, atque in antiquum urbis & insulæ Vegliensis principatum restituit, ut docet Dandulus: *Ceterum Schinella, & nati quondam Guidonis Veglæ, qui regi Ungariæ adhæserunt, a Duce de Comitatu privati, nunc Venetorum gratiam implorantes, sunt restituti benigne in Comitatu & ceteris beneficentiis*. Extat diploma Raynerii Ducis datum anno 1260. Cum hi Dynastæ in duas familias divisi essent, insula quoque bipartita fuit; pars altera Schinellæ filio Comitis Bartholomæi, ejusque filiis Petro, Schinellæ & Bartholomæo obtigit; altera Friderico, Bartholomæo, & Guidoni, filiis Comitis Guidonis obvenit: *Dictus Dominus Schinella Comes* (ut est in diplomate) *& filii ejus* (idest Petrus, Schinella, Bartholomæus ibidem supra nominati), *& eorum hæredes medietatem totius dicti Comitatus; & prædicti Federicus*, *Bartholomæus*, *Guido* (qui supra dicuntur filii Comitis Guidonis de Vegla) *ac eorum hæredes alteram medietatem habeant*. Horum posteri deinde Frangipanii in tabulis actisque publicis nominari cœperunt, vetusto avito cognomine resumpto; illorum quippe majores ex antiquis Romanis Frangipaniis oriundos, & in hanc insulam profectos ferunt. Cum Senia urbe maritima, Modrussam, Tersactum aliaque Chrobatiæ castella, sive oppida ab regibus Hungariæ jure ac nomine fiduciario, & honores amplissimos obtinuere. Hujus vero

Digitized by Google

vero insulæ principatum usque ad sæculum decimum quintum retinuerunt; cum Joannes Frangipanius postremus Vegliæ Comes ac Dynasta metuens sibi a Veglienfibus, quibus ob superbum ac fere tyrannicum dominatum odio erat, ac veritus ne insula in potestatem Hungarorum veniret, ejusdem plenam integramque possessionem Venetis restituit. Exinde Veglienses, secluso quolibet alio intermedio, & fiduciario dominatu, sub mitissimo Venetorum imperio, eadem atque ceteræ civitates & insulæ Dalmatiæ, propitia fortuna & conditione, iisdem legibus, & eodem jure utuntur.

Joannes Frangipanius postremus insulæ dominus, quieam Venetis restituit.

E Patriciis Venetis tertio quoque anno mitti solet, qui cum *Comitis* sive prætoris nomine ac munere juri dicundo, & urbis ac totius insulæ regimini præsit; ejusque imperium spatio biennii, & sex præterea mensium definitur. Alter ex eodem familiarum Venetarum ordine arci præpositus est, qui simul quæstoris officia & munera exequitur. His accedunt, & subsunt varii magistratus, quorum descriptione, omnis rerum communium, & publicarum moderatio continetur. Summum Consilium, quod in ædes prætorias convocari solet, cuique Comes sive prætor, Præfectus arcis, seu quæstor præsunt, constat e patriciis Veglienfibus, quos tamen ante vicesimum ætatis annum ad hunc ordinem aggregari non licet. Ex his duo non ætate, quam sapientia maturiores singulis annis deliguntur, qui Judices appellantur, & infra prætorem ac præfectum, principem dignitatis & auctoritatis locum tenent. Septem sunt Tribuni plebis, qui populi jura defendunt; septem itidem præfecti nautarum, & navigiorum; tres procuratores Ecclesiarum, & piorum locorum; & præterea duo advocati, unus syndicus, itemque unus singularis procurator, qui ædis cathedralis juribus conservandis, ærario custodiendo, & sartis tectis tuendis, ac reficiendis præsunt. His adde quatuor advocatos, duos e collegio nobilium, duos ex ordine plebejo; duos syndicos, unum e viris patriciis, alterum de plebe; unum itidem de populo curatorem annonæ reique frumentariæ: his vero, & aliis certum, & suum cuique munus descriptum. Plures etiam sunt constituti, ad quos pertinet tum inquisitio ac delatio furtorum, quæ in urbe ac territorio fiunt, tum æstimatio damni illati, & arbitrium compensationis perscribendæ.

E Nobilitate Veneta alter urbi, alter arci præpositus.

Varii magistratus & præfecturæ.

Primordia Ecclesiæ Veglienfis tam antiqua sunt, quam ipsa Christiana Religio. B. Domnius discipulus Principis Apostolorum, idemque primus Antistes Salonæ, ut ceteras Ecclesias Dalmatiæ, sic etiam Veglienfem vel per se ipse, vel per alumnos suæ disciplinæ, & præcones evangelicos fundavit. Sed ut aliorum fere omnium Dalmatiæ, sic Veglienfis Episcopatus initia sunt nobis ignota; nullum habeo Episcopum, quem sæculo undecimo antiquiorem proferre queam: sed multis ante annis & fortasse etiam sæculis Sedem Episcopalem in civitate atque insula Vegliæ constitutam fuisse nullus dubito; quamvis vetustas, ut plures alios superiorum ætatum Antistites Dalmatiæ, sic etiam Episcopos Vegliæ oblivione obruerit. Diœcesis Veglienfis ante conditum, vel restitutum Episcopatum Senienfem, magnam Japidiæ partem complectebatur, quæ vel eodem sæculo undecimo, vel proximo, ab Episcopi Veglienfis jurisdictione avulsa fuit, & Senienfi attributa, ut docet Archidiaconus Cap. xv. Hist. Salonit. *Veglienfis obtinebat majorem partem parochiarum, quas nunc habet Segnienfis Ecclesia, quæ non erat tunc Episcopalis Sedes:* nunc vero hæc diœcesis fere iisdem, quibus insula, terminis definitur; quosdam tamen habet circa insulam scopulos vel desertos, vel aliquot focis habitatos. Ædes cathedralis Deiparæ Virginis titulo ac patrocinio subest; proxime abest Episcopium, sive Palatium Episcopale satis amplum & ornatum. Capitulum e duodecim Canonicis constat; inter quos auctoritate ac dignitate excellunt Archidiaconus, Archipresbyter, in quem universa animarum procuratio tum in civitate, tum in suburbio incumbit, & Primicerius. Duo sunt collegia sacrarum Virginum, alterum S. Claræ, alterum S. Benedicti; unum cœnobium Patrum S. Francisci, quos Conventuales vocant; una itidem domus hospitalis ægrotis curandis, pauperibus alendis, peregrinis excipiendis; & proventibus ad id idoneis instructa. Sodalitia vero piorum hominum omnino ad quatuordecim. Extra urbem duo habent domicilia Fratres tertii ordinis Franciscani, unum vero Fratres Minores itidem Franciscani severioris disciplinæ. In tota diœcesi parœciæ sunt non amplius septem; prima ac præcipua est castri Muscli, ubi templum primarium titulo Deiparæ in cælum assumptæ consecratum est; & insigne ibidem collegium Presbyterorum & clericorum, qui ad psalmodiam & liturgiam Slavonicum adhibent sermonem. Secunda est S. Stephani Dobrinii, tertia S. Mariæ Verbenizzæ, quarta S. Joannis Baptistæ Besca, quinta S. Apollinaris Dubasnicæ, sexta S. Andreæ apud Punctam, septima Sanctorum Cosmæ & Damiani Poglizæ. In his septem pastores gregis dominici, suus cujusque, qui ceteris hujus insulæ populis, in villas circiter vicenas distributis, Christianam curam, operamque pastoralem impendunt; iis quisque videlicet, qui sunt cuique propinquiores. Nunc vero Episcoporum series subjicienda est; quæ neque altius, quam ab sæculo undecimo ordiri possumus, neque integram continuatamque ad nostram ætatem perducere.

Primordia religionis Christianæ a B. Domnio.

Diœcesis olim latissima, nunc brevioribus terminis circumscripta.

Capitulum, monasteria, parœciæ.

Series Episcoporum.

I. Vitalis an. 1000.
II. Gregorius an. 1050. circ.
III. Petrus an. 1069.
IV. Dominicus an. 1100. circ.
V. Dabro an. 1170. circ.
Lacuna centum annorum.
VI. Marinus an. 1270. circ.
VII. Lambertus an. 1290.
VIII. Matthæus an. 1297.
IX. Thomas an. 1302.
X. Jacobus an. 1310. circ.
Altera Lacuna centum annorum.
XI. Nicolaus an. 1421.
XII. Angelus an. 1436.
XIII. Franciscus an. 1440. circ.
XIV. Nicolaus II. an. 1460. circ.
XV. Natalis an. 1500. circ.
XVI. Eusebius an. 1528.
XVII. Joannes an. 1531.
XVIII. Albertus an. 1550.
XIX. Petrus an. 1564.
XX. Joannes II. an. 1589.
XXI. Aloysius an. 1623.
XXII. Constantius an. 1640.
XXIII. Georgius an. 1653.
XXIV. Franciscus II. an. 1660.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Theodorus an. 1668.
XXVI. Stephanus an. 1684.
XXVII. Balthasar an. 1688.
XXVIII. Petrus Paullus an. 1713.
XXIX. Vincentius an. 1720.
XXX. Fridericus an. 1730.
XXXI. Petrus Antonius an. 1739.

VITALIS EP. VEGLIENSIS I.

Vitalis Ep. Vegliensis Petro & Ottoni Venetorum Ducibus totius insulæ fidem & tributum spondet.

Notus ex Chronico Andreæ Danduli, qui ejus Pontificatum cum annis prioribus sæculi undecimi conjunxit. Hoc sæculo ineunte Petrus II. Urseolus Dux Venetorum, ad quem oratores Dalmatarum venerant, deditionem totius gentis polliciti, modo populos illos ab injuriis & maleficiis Slavorum defenderent, ingenti classe Istriam circumvectus Jaderam appulit; qua in urbe Episcopus Vegliensis cum primoribus civitatis, suam & popularium suorum fidem, sacramenti religione interposita, Duci Venetorum obstrinxit; ut est apud eumdem Dandulum: *Ibi* (idest Jaderæ) *illius regionis majores confluentes, ejusdem principis dominationi subesse praoptabant, inter quos Veglensis, & Arbensis Episcopi cum eorum civitatum Prioribus adfuerunt, & pari voto supra sacra Evangelistarum dicta jurarunt, quod juxta illorum scire & posse deinceps Domini Petri Ducis fidem observare debuissent.* Hic Dandulus nomen utriusque Episcopi tacitum præteriit; sed admodum est verisimile Vegliensem Episcopum fuisse illum ipsum, quem postea Vitalem nominat. Anno siquidem 1018. Otto Urseolus, postquam Cresimirum regem Chrobatorum, insulis, & civitatibus maritimis Venetæ ditionis infestum domuisset, Venetias regrediens, *a Vitali Episcopo Veglensi, ut scripsit Dandulus, & Majo Episcopo Arbensi, & Martino Episcopo Auxerensi, & ab universo clero, & populo dictarum insularum, de tributo sibi, & successoribus suis annuatim in perpetuum solvendo sponsionem suscepit.* Anno tricesimo hujus sæculi, si quidem ad hoc temporis vitam perduxit, Concilio provinciali Spalatensi sub Dabrali Metropolita interfuit, de quo Thomas Archidiaconus cap. xv. Hist. Salonit. *Factum autem, ut illis diebus convocarentur omnes Suffraganei Dalmatiæ ad Provincialem Synodum, quæ celebranda erat in Ecclesia Spalaten.*

GREGORIUS EP. VEGLIENSIS II.

Gregorius sive Georgius Episc. Veglien. ad Concilium provinciale Spalatense profectus est.

Testis nominatus est in quadam sententia, quam Legatus Apostolicus anno 1059. secundum Abbatem Jadertinum S. Chrysogoni tulit. Hunc Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrensis Georgium vocat; sæpe accidit, ut in tabulis & catalogis Antistitum Dalmatiæ, idem Episcopus alias Gregorius, alias Georgius appellatus inveniatur. Idem Valerius Pontificatum Georgii, sive Gregorii, eidem supra dicto anno 1059. affixit. Ceterum ante annos non ita paucos episcopale regimen susceperat; nisi si quem alium Antistitem inter hunc, & Vitalem interjici libeat. Sub initium ejusdem anni 1059. cum ceteris provincialibus Episcopis Spalatum convenit, quo Maynardus Legatus Nicolai II. Pontificis Concilium convocaverat, in quo Liturgiæ & Psalmodiæ Slavonicæ templis & sacris interdictum est, ut docet Thomas Archidiaconus cap. xvi. Hist. Salonit. *Fuerat siquidem tempore Domini Alexandri Papæ* (Nicolai II.) *& Joannis decessoris Laurentii supradicti a Domino Maynardo quondam Pomposiano Abbate, & postea Episcopo Cardinali, quædam Synodus omnium Prælatorum Dalmatiæ & Croatiæ, multum solemniter celebrata, in qua multa fuerunt conscripta Capitula; inter quæ siquidem hoc firmatum est, & statutum, ut nullus de cetero in lingua Slavonica præsumeret divina mysteria celebrare, nisi tantum in lingua Latina; nec aliquis ejusdem linguæ promoveretur ad sacros ordines.* Interdictio linguæ Slavonicæ, ut ingenti tristitia Slavos affecit, sic nefariæ cujuldam schismaticæ coitionis, auctore Ulfo Presbytero, conflandæ caussam præbuit. Hic siquidem de restituenda Liturgia Slavonica Romam missus ad Alexandrum II. cum nihil impetrasset, Chrobatis tamen alia, atque Pontifex dederat, & prorsus contraria responsa retulit; scilicet Maynardinum interdictum abrogatum esse; Chrobatis usum Liturgiæ Slavonicæ permitti; potestatem illis fieri e gente sua, quem vellent, Episcopi eligendi, mittendique in urbem, ut ab ipso Pontifice Maximo consecrationem, & insignia episcopalia susciperet. His nunciis mirifice læti senem quemdam, cui nomen erat Cededæ, hominem bardum & stupidum cunctis suffragiis Episcopum designant, eumque cum Ulfo totius fallaciæ architecto Romam adire jubent. Pontifex utrumque, & postulata Chrobatorum iterum rejecit. Quid tum Ulfus? veterator callidus & versutus mendacia mendaciis cumulat; primum persuadet Cededæ homini fatuo, & latini sermonis experti, ac proinde quid Pontifex dixisset, aut fecisset ignaro, eum ab Alexandro factum esse Episcopum; deinde personatum Episcopum produxit, & Chrobatis obtrusit, qui magna illum gratulatione plausuque exceperunt. Ille per summam impudentiam ac temeritatem, sumptis insignibus atque ornamentis Pontificalibus se gerere pro Episcopo cœpit. Cum non haberet ubi consisteret, sedemque episcopalem collocaret; ingenti satellitum manu stipatus Vegliam trajecit, & Gregorio Episcopo per vim expulso, Ecclesiam illam, sedemque Pontificiam occupavit, ibique omnia, quæ sunt Episcopi officia & munia peragere instituit: *Et quia non Pastor verus erat*, inquit Archidiaconus, *sed lupus rapax sub ovina pelle latebat, nimirum a suis fructibus erat cognoscendus; etenim primo impetu Vegliensem Episcopum cum omni celeritate de sua sede fugavit; eamque sibi quasi auctoritate apostolica usurpavit. Tunc, proh pudor! phantasticus Pontifex cœpit in consecrandis Ecclesiis, in ordinandis clericis, & aliis episcopalibus ministeriis exercendis divina officia profanare.* Hinc, ut idem Archidiaconus tradit, *quædam execrandi schismatis fuit suborta contentio in Dalmatiæ & Croatiæ regno;* quippe pars Chrobatorum a suis legitimis Episcopis ad Cededam Episcopum intrusum, & commentitium defecit. Hæc ad Sedem Apostolicam delata cum fuissent, missus est Joannes Cardinalis anno circiter 1064. qui in frequentissimo cleri populique conventu, Ulfianas fraudes, ac mendacia detexit, Cededam anathemate confixit, Ulfum sacerdotio omnique clericali honore spoliatum, & ignominiosa nota inustum perpetuo carceri addixit. Cum autem Ceded non inflicto excommunicationis vulnere, non humanæ & divinæ justitiæ metu absterritus, nihilo minus fidenter, quam antea,

Cededa intrusus & commentitius Episc. Slavorum expulso Gregorio Sedem Vegliensem occupavit.

Sedis Apostolicæ, & Episcoporum Eccl. Spalaten. judicio damnatur.

tea, audacterque jus & munus episcopale usurpare pergeret; illum Alexander tum in Romana, tum in Spalatensi, ceterisque Dalmatiæ Ecclesiis solemni ritu, & nominatim declarari jussit ab Ecclesia segregatum, ejusque congressu & colloquio Christianis omnibus interdictum esse. Quocirca Laurentius Archiepiscopus Spalatensis Concilium Provinciale convocavit anno circiter 1065., in quo Episcopi & primores cleri temerarium & impium Cededam diris omnibus execrati, una omnes voce semel, iterum, ac tertio in eum anathema dixerunt. Nec irrita anathemata fuerunt; quippe homo vesanus & sacrilegus, Dei ultoris ira percussus, turpissimæ mortis genere horrendum in modum interiit. Hæc omnia, quæ hic strictim breviterque attigimus, distinctius & fusius exposita sunt Tomo tertio Illyr. Sac. in Joanne IV. & Laurentio Archiepiscopis Spalatensibus. Post interitum Cededæ Gregorius Vegliam reversus, sedem suam recepit anno circiter 1065. & tres fere annos cum retinuisset, morte sublatus successori vacuam reliquit.

Gregorius sedem suam recuperavit.

PETRUS EP. VEGLIENSIS III.

Valerius a Ponte ab anno 1069. ad 1094. Episcopatum Petri perduxit; ejusque nomen tabulis Dalmaticis anno 72. & 94. undecimi sæculi confectis inscriptum esse ait. Erat Presbyter Ecclesiæ Vegliensis, ut intelligi potest ex formula sacramenti, quo Petrus fidem suam atque obedientiam Laurentio Metropolitæ Spalatensi obstrinxit. *Ego Petrus Presbyter Ecclesiæ Veclensis futurus Episcopus, ab hac hora in antea promitto Ecclesiæ Spalatinæ, & tibi Domino Laurentio Archiepiscopo, tuisque successoribus canonice intrantibus obedientiam, & fidelitatem, & auxilium pro meo posse & scire secundum ordinem meum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.* Anno 1072. Laurentius Metropolita Episcopis Provincialibus conventum Jaderam edixit. Adfuerunt sane frequentes, atque inter hos Petrus Episcopus Vegliensis, qui tum decretis Concilii subscripsit, tum solemnem Basilicæ Marianæ consecrationem sua præsentia cohonestavit, tum demum donationem Andreæ Episcopi Jadertini approbavit, qui cœnobio Virginum Jadrensium, ab Cicha sorore Cresimiri regis haud ita pridem fundato, insulam Silvam perpetuo possidendam tradidit. Diploma hujus donationis descriptum est in Andrea Episcopo Jadrensi. Nec vero dubitari potest, quin etiam interfuerit alteri Concilio Provinciali, quod Gerardus Archiepiscopus Sipontinus, & Legatus Sedis Apostolicæ Spalatum convocavit anno 1075., de quo Archidiaconus cap. XVI. *Hic* (Gregorius VII.) *misit Legatum ad partes Dalmatiæ Venerabilem virum Girardum Archiepiscopum Sipontinum, qui Spalatum accedens cum magno gaudio, & honore susceptus est. Misit igitur, & convocavit Suffraganeos Salonitanæ Metropolis universos, qui cum convenissent, cum eis Synodum apud Salonam debita maturitate celebravit. Interfuerunt autem isti Suffraganei Ecclesiæ Spalatensis. Primus Laurentius, secundus post eum Stephanus Episcop. Jadrensis, Joannes Traguriensis, Theodorus Belgradensis, Gregorius Chroatensis, Basilius Apsarensis, & alii quidam. In hac Synodo restauratus est Episcopatus Nonensis &c.* Cetera quæ ad hanc Synodum pertinent repeti possunt ex actis Laurentii Metropolitæ Spalatensis. De Petro nihil præterea e monumentis illorum temporum elici potest. Sub exitum hujus sæculi, vel sub initium sequentis e vita decessit. His temporibus cum institutus, vel restitutus esset Episcopatus Seniensis, quidquid terrarum & locorum in Japidia veteri, seu Liburnia possidebat Ecclesia Vegliensis, novo Episcopo Seniensi attributum fuit; & Vegliensis Antistes jurisdictionem suam fere intra eosdem, quibus insula circumscribitur, fines contraxit.

Petrus Ep. Acta Conc. Provin. Jadertini approbavit.

Alteri Concil. Provin. Spalaten. interfuit.

DOMINICUS EP. VEGLIENSIS IV.

Vix Pontificatum inierat anno circit. 1100. cum Veglia, ceteræque insulæ ac civitates Dalmatiæ Venetum cum Hungarico dominatu commutarunt. Colomanus rex Hungariæ, amicitia & societate violata, quæ cum Venetis erat, dum classis Venetorum aberat, in Palæstinam ad sacrum bellum profecta, Dalmatiam Venetis eripuit, sæculo duodecimo ineunte. Sub Crescentio Archiepiscopo Spalatensi duo Concilia provincialia celebrata invenio; unum Jaderæ, cujus annus est ignotus, alterum anno 1111. de cujus loco non constat; utrique interfuit & subscripsit *Dominicus Vegliensis*. Secundum longe augustissimum ac celeberrimum fuit; quod non solum Dalmatiæ, & Hungariæ Episcopi, sed rex ipse Colomanus sua præsentia cohonestarunt. Tria potissimum in eo constituta fuisse, quæ ad descriptionem diœceseon, ad immunitatem ecclesiasticam, ad distributionem decimarum pertinent, intelligi potest ex decreto Colomani, quod secundum Arbensem Ecclesiam fecit; quod quidem decretum, ut ceteri Antistites & Proceres Hungariæ, sic etiam cum Episcopis Dalmatiæ approbavit, suumque nomen adscripsit *Dominicus Vegliens. Episcopus*. De utroque Concilio satis dictum est in Crescentio Metropolita Spalatensi. Anno 1115. Ordelaphus Dux Venetorum Jaderam, itemque insulas Sinus Flanatici Vegliam, Arbam, Absorum, ac reliquas Dalmatiæ civitates Hungaris ereptas recuperavit; & quamvis ceteras urbes Dalmatiæ rursus imperium Hungaricum subierint; Jadera tamen cum tribus illis insulis in fide ac potestate Venetorum permansit. Per ea tempora, ut ceteræ insulæ ditionis Venetæ, sic etiam Veglia exposita erat crebris incursionibus, injuriisque piratarum e gente Chrobatica regibus Hungariæ subjecta, qui cum sæpe insulam diripuissent, fœdeque vastassent; tum vero urbem ipsam tumultuario ac repentino agmine adorti domos expilarunt, cives non paucos vel sauciarunt, vel interfecerunt, mœnia & ædificia plurima diruerunt. Anno 1133. majore, quam antea, numero lemborum advecti, egressique in terram populationes cum late fecissent; Veglienses Venetorum copiis aucti superveniunt ex improviso, partem maximam cædunt, reliquos captivos abducunt, navigia piratica vel incendunt, vel demergunt. Id cum accidisset VI. Idus Martias, hunc lætissimum diem, quem quadraginta Sanctorum Martyrum nomine Ecclesia consecravit, Dominicus Episcopus in sacris fastis adscribi jussit, & singulis annis solemni ritu cultuque celebrari, ut Deo pro victoria tam insigni immortales ac perpetuæ gratiæ agerentur. Deinde ad muros urbis reficiendos, & eversas domos

Dalmatia & Veglia sub dominatu Hungarorum.

Dominicus Episc. Vegliensis duplici Concilio Prov. interfuit.

Veglia cum Dalmatia sub imperium Venetorum rediit.

Victoria Vegliensium fastis inscripta.

domos reædificandas cogitationes curæque civium versæ sunt. Id negotii Dominicus Episcopus cum urbano magistratu, committendum esse censuit Duymo Comiti, sive Rectori civitatis; eique traditum est quidquid pecuniæ collectum, atque in hanc potissimum rem sepositum fuerat: qua ex pecunia & urbem restauraret, & impensas publicas faceret, & *Strenam*, sive exiguum quoddam, & honorarium tributum Venetis penderet: id quod in tabulis Vegliensibus notatum invenio: *Anno 1133. die 3. Novembris, D. Dominicus Vegliensis Episcopus in suo Episcopali Palatio una cum judicibus civitatis pro Communitate Vegliæ ex una parte, & D. Duymus Comes ex altera convenerunt, ut Colta, quæ apud Commune erat pro urbe reparanda, & aliis expensis fiendis, nunciisque mittendis, & Strena Venetis danda, prædicto Comiti promittenti singula exequi, concessa fuit &c.* Post Dominicum unus aut alter Episcopus desideratur ad seriem episcopalem continuandam. Interea Eugenius III. cum Ecclesiam Jadertinam Metropolitæ Spalatensis jurisdictione exemptam jure ac potestate metropolitica donasset, eidem Vegliensem Ecclesiam, cum Absorensi & Arbensi, a provincia Spalatensi divulsam subjecit.

Ecclesia Veglien. in jus ditionemque novi Archiep. Jadertini transivit.

DABRO EP. VEGLIENSIS V.

Dabro Ep. Veglien. Concil. III. Lateranen. interfuit.

Anno 1179. Concilio III. Lateranensi interfuit cum duobus Episcopis Jadertinæ provinciæ Andrea Arbensi, Lampridio Absorensi, qui nominantur in actis ejusdem Concilii. De Dabrone nihil præterea litteris traditum invenio. Hic rursus continuatio, seriesque Antistitum Vegliensium interrumpitur, lacuna centum circiter annorum interjecta, quæ nomina & acta illorum absorbuit. Ad hanc lacunam quoquomodo explendam duo diplomata ingerenda censeo, alterum Belæ IV. regis Hungariæ, alterum Raynerii Zeni Ducis Venetorum.

Series Episcopalis interrupta.

Civitas & insula Veglia tribus nobilissimis fratribus a Venetis tradita.

Sæculo decimo tertio ineunte Senatus Venetus urbem & insulam Vegliæ, tribus fratribus e primaria nobilitate Vegliensi, Joanni, Guidoni, Henrico, egregie de Republica meritis, jure fiduciario possidendam dedit. Sed cum anno circiter 1243. Bartholomæus & Fridericus Guidonis filii cum Jadertinis ad Belam IV. regem Hungariæ defecissent, quem ob cladem Tartaricam Hungaria profugum ingentis pecuniæ subsidio juverant, utrumque & eorum consanguineos Veneti principatu Vegliensi multarunt; ut scriptum reliquit Andreas Dandulus in suo Chronico sub Jacobo Teupolo Duce: *Bartholomæus Comes Veglæ cum consortibus suis, qui juramento fidelitatis Comitatum a Venetis recognoscebant, recepto feudo a rege Hungariæ ei totaliter adhæserunt. Dux autem illos ut rebelles ab omni honore privavit, & Laurentius Teupulo ejus* (Ducis) *genitus illis subrogatus est. Receptum feudum a rege Hungariæ*, de quo Dandulus, aliud esse non potest nisi Senia civitas veteris Japidiæ, quam illis Comitibus remunerationis ergo, non statim ab eorum defectione, ut videtur existimasse Dandulus, sed post aliquot annos donavit. Ut Jadrenses primum, sic etiam postea Comites Veglenses, supplices veniamque orantes, anno 1260. in gratiam Venetorum recepti sunt; & Raynerius Dux Venetiarum tum illos tum illorum hæredes ac posteros in possessionem fiduciariam ejusdem insulæ restituit, simulque Pervichium scopulum insulæ proximum eisdem attribuit: *Cæterum Schinella*, ait Dandulus, *& nati quondam Guidonis olim Comitis Veglæ, qui regi Hungariæ adhæserant, & a Duce de Comitatu privati erant; nunc Venetorum gratiam implorantes benigne in Comitatu, & cæteris bonorificentiis sunt restituti.* Huc revoces velim quæ dicta sunt in procemio hujus Vegliensis Ecclesiasticæ historiæ. Nunc diploma utrumque Belæ regis, & Raynerii Ducis hic subjicio.

Diploma Belæ IV. Reg. Hung. qui Seniam urbem Comitibus Vegliæ donavit.

*Bela D. G. Ung. Dal. Cro. Ramæ, Serv. Gal. Lodom. Cumaniæque Rex omnibus Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis salutem in eo per quem reges regnant, & principes terrarum regibus subjecti: Convenit omnium nationum & linguarum sibi devote obsequentium servitiis taliter providere, ut alii supervenientes, eorum exempla imitati ad fidelitatis opera ardentius, & ferventius evocentur. Proinde ad universorum tam præsentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cum propter scelera omnium hominum in regno nostro degentium, instigante antiquo humani generis inimico abundaverant peccata, & plusquam arena maris multiplicaverant, nolens Deus eorum malitiam impune ulterius pertransire, rabiem Tartaricæ gentis excitavit, per quos potentiam suæ Deitatis genti pro * fide ostenderet, & eos de terra deleret, propter quorum etiam peccata a nobis suam misericordiam elongaverat, adeo quod per ipsos Tartaros in campestri prælio convicti, fugæ præsidio maritimas adiremus partes, & aquarum latibula quæreremus, quia eorum solatio eramus. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, & nobis fontem animæ aperire dignatus est; & ad consolandum nos Fredericum, & Bartholomæum illustres, & strenuos viros nobiles de Vegla quasi de cælo projecit, qui nobis in omni eorum parentela adhærentes, inter promiscuos actus fideliter exhibuerunt famulatus, & non modicam eorum pecuniam, quæ ultra viginti millia marcharum transcendit, in ciphis, aureis & argenteis, & cum aliis rebus pretiosis nobis de rebus eorum præsentaverunt, & præsentando donaverunt; recompensantes eorum servitia, & dona, de consilio Dominæ Mariæ carissimæ consortis nostræ, & Baronum nostrorum fidelium, quandam civitatem nostram circa littus maris existentem, Segniam vocatam, cum omnibus suis utilitatibus, & pertinentiis universis, simul cum tributo seu teloneo, & aliis circumstantiis, & in eadem libertate, sicut nobis servire consueverat, dedimus, donavimus, contulimus ipsi Frederico, & Bartholomæo in filiis filiorum perpetuo & irrevocabiliter possidendam. Hoc etiam specificando, quod si quis hærede careret, hæres alterius finaliter possidere valeat. Ut igitur hujus nostræ collationis series propterea firmitate solidetur, præsentes eisdem concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri Franquerii electi Arbensis, Aulæ nostræ V. Cancell. dilecti & fidelis nostri Anno Domini MCCLX. regni autem nostri XX.* Sed pro anno 1260. substituendus est annus 1255. quocum congruit annus regni vicesimus; Bela siquidem anno 1235. pridie Idus Octobris, Albæ in æde Divi Petri, sacrum diadema capiti impositum, & cetera insignia regalia suscepit.

* perfida

In Christi nomine Amen. Decet cuilibet Domi-

Diploma Raynerii Ducis Ven. qui Comites Vegliæ in gratiam recepit, & in possessionem ejus insulæ restituit.

minationis arbitrium amplecti liberaliter (Verba male inter se connexa, ex quibus perturbatio & obscuritas orationis. Ex autographo, quod inspicere non licuit, emendationem adhibere non potuimus) *petitiones rationibus devotorum, eos præcipue ad exauditionis gratiam, admittendaque non minus regnantium laudes, quæ & eorum commoda & honores dignoscuntur; hinc est, quod nos Raynerio Geno D. G. Venet. & Dalm. atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, cum nostris Judicibus, & Sapientibus nostris de majori, & minori nostro Consilio, & collaudatione populi in publica concione, attendentes puram fidem, & rectam devotionem, quam egregii viri Joannes, Guido, & Henricus olim Comites Veglæ, ac ipsorum prædecessores, ad nos & præcessores nostros, ac Commune Venet. hactenus habuerunt, ipsorum Comitum meritis inspiciendo, & benevolentiam, quam erga ipsorum nobiles nostri prædecessores per tempus præteritum habuerunt, disponentes eorum hæredes ostendere opera per effectum, concedimus, & confirmamus Viris Nobb. Schinellæ nato quondam egregii viri Comitis Bartholomæi Veglæ, ac ejus filiis, Petro, Schinellæ, Bartholomæo; & Frederico, Bartholomæo, Guidoni filiis quondam Comitis Guidonis de Vegla, & eorum hæredibus masculis in perpetuum, ita quod unus alteri succedat, universum Comitatum Veglæ, & insulæ, & Pervichii, cum omnibus reditibus, juribusque, rationibus, honorificentiis, collectis, & regaliis suis ad eumdem Comitatum & insulam, sive insulas spectantibus; ut ea omnia de cætero habeant, teneant, & possideant sine aliqua contrarietate, sicut ipsi Comites, & eorum prædecessores per tempus præteritum habuerunt, & tenuerunt, habendo, sicut dictum est, dictus Dominus Schinella Comes, & filii, & eorum hæredes medietatem totius dicti Comitatus; & prædicti Fridericus, & Bartholomæus, & Guido, ac eorum hæredes aliam medietatem; propterea omnes dictum Comitatum regere & gubernare debeant secundum bonas, & antiquas consuetudines ipsius Comitatus, ac Comitatum manutenere & defensare bona fide ad nostrum, nostrisque Communis Veneti honorem, excepta persona coronata, & ipsius exercitu manifesto; nuncios autem nostros & Communis Veneti, ac galeas & ligna currentia, quæ illuc per tempora adire contigerit, debeant recipere honorifice, & tractare benigne; inimicos autem Veneti Communis ut inimicos reputabunt, amicos vero pro amicis habebunt; & non facient compagniam cum ullo corsario, vel societatem cum aliquibus ex eis contrahent, qui derobationem, piraticamque exercentes, homines offendunt, vel offendere niterentur, sive alios undecumque, sive Venetias venientes, & de Venetiis redeuntes; & est sciendum, quod per dictam concessionem ipsius Comitatus solvi, & dari debeant Communi Venetorum libræ nongentæ Venetæ parv. de quibus lib. 900. medietatem solvere, & dare debeant D. Comes Schinella, & filii eius ac eorum hæredes, quibus concessa est medietas dicti Comitatus, & aliam medietatem solvere, & dare debeant prædicti Frider. Barth. & Guido, & eorum hæredes, quibus alia medietas Comitatus concessa est. De quibus habere debemus nos Dux pro salario nobis concesso libras DCC. Ven. par. & libras CC. habere debeat N. V. Laurentius Teupulo donec vixerit; & eo decedente dic. lib. CC. in Commune Venet. debeant libere devenire. Præterea quandocumque pro Communi Venet. armabuntur galeæ, vel a triginta superius, armari debeat una galea per homines ipsius Comitatus, eorum expensis; & si magnitudo Venet. exercitus ibit per partitionem, quod unus ex Comitibus de domo Veglæ ibit personaliter in dicto exercitu, & stabit, donec alii nobiles de Venetia morabuntur, eorum Comitum sumptibus & expensis. Item quod infra decem annos proxime venturos debeant, & teneantur dicti Comites, tam Comes Schinella, & filii, & eorum hæredes, quam prædicti Frider. Barth. & Guido, & eorum hæredes ponere in Venetiis in possessionibus librarum decem millia Venet. par. ponendo videlicet a quatuor annis proximis, in antea quolibet anno tantum, quantum sufficit, pretii pro rata in deposito pro ipsis possessionibus comparandis, de quibus medietatem prædicti Fridericus, Barth. & Guido, & eorum hæredes, aliam medietatem prædictus Schinella & filii, & eorum hæredes ponere debeant. Et si acciderit quod Comitatus ipse in nobis remaneat per defectum masculinorum, qui non essent in domo Veglæ, dictæ possessiones ipsis remaneant liberæ, & eorum hæredibus ad faciendum ex eis pro anima, & corpore quidquid voluerunt ordinare. Item quandocumque nobis, & nostris successoribus, & Communi Venet. necesse fuerit habere gentem, pro Communi Venetiarum, teneantur dicti Comites dum vixerint, dare operam, quod in insula Veglæ, & Comitatu, ac aliis terris circumstantibus inveniantur ad soldum Communis Venet. usque centum, vel ducentum homines pro tali soldo, qualiter dabitur Venetiis; & quandocumque frumentum valebit in Venetiis triginta solidos parvorum superius pro quolibet staro, dabunt operam dicti Comites bona fide, dum vixerint, æqualiter quod de Comitatu prædicto, & aliis terris circumadjacentibus in majori quantitate, quam poterunt, conducatur Venetias ad vendendum. Et est sciendum quod decedentibus omnibus Comitibus supradictis, & hæredibus masculinis, ita quod nullus masculus supervivat, dictus Comitatus cum omnibus supra concessis in nos, & Com. Venet. debeat libere devenire, quem regi, & tenere facere debemus secundum bonas & antiquas consuetudines in ipso Comitatu obtentas. Nobis quoque Duci, nostrisque successoribus, & Communi Ven. tam ipsi Comites, qui nunc sunt, quam eorum hæredes, qui pro tempore fuerint, infra unum annum, postquam pervenerint ad ætatem, fidel. erunt sacramento astricti in perpetuum; & omnia, quæ continentur superius cum eorum hæredibus ipsi Comites nobis supradicto Duci, & successoribus nostris, & Com. Venet. sacramento astricti se observaturos promiserunt, nisi remanserit per nos, aut successores nostros, vel majorem partem nostri Consilii; ita tamen quod non possint nec debeant esse ex dictis Comitibus, nisi duo Rectores, quibus de honorificentiis Comitatus debeant respondere; & si aliquis ex dictis Comitibus terram exierit, vel casu absens fuerit, unus alius debeat esse Rector de Colonello illo, de quo fuerit, qui absens erit; & si omnes dicti Comites erunt extra terram, constituant unum vel duos Rectores, sicut eis utilius apparebit; & si omnia, sicut superius continetur, observata non fuerint, pars Comitatus illius, qui contrafecerit, amittatur, cum omnibus supra concessis; & in alios deveniant, de cujus Colonello fuerit observatum, quæ superius dicta sunt,* donec

Digitized by Google

donec ille, qui contrafecerit, ad nostram & Com. Ven. gratiam fuerit restitutus; si vero omnes prædicti Comites, vel eorum hæredes contra prædicta fecerint, prædictus Comitatus in nos, & Com. Ven. cum omnibus supra concessis devenire debeat, cum omni plenitudine rationis ad faciendum exinde quidquid nostræ, nostrique Consilii voluntatis fuerit; & secundum bonas & antiquas consuetudines in ipso Comitatu obtentas, ipsum regi, & tenere facere debemus. Et sciendum quod prædicti Comites sunt, & esse debeant de nostro majori Consilio, sacramento astricti, quando per tempora Venetiis erunt; & ad majorem hujus rei firmitatem, & evidentiam pleniorem, præsens privilegium fieri jussimus, & per manum Corradi Cur. nostræ Cancell. roborari, currente anno Domini MCCLX.

Ego Raynerius Geno D. G. Dux Ven. &c.
Ego Joannes Quirinus Judex.
Ego Joannes Gradenicus Judex.
Ego Gibertus Dandulus Judex.
Ego Marcus Totulus Consiliator.
Ego Marsilius Georgii Consiliator.
Ego Marcus Aurio Consiliator.
Ego Thomasius Mauroceno Consiliator.
Ego Nicolaus Quirinus Consiliator.
Ego Corradus Ducalis Aulæ Venet. Cancellarius his omnibus interfui, & de mandato ipsius D. Ducis scripsi, complevi, roboravi &c.

Nota Luciana in diploma Raynerii Ducis Venet.

Huic Ducali diplomati hanc notam Joannes Lucius subjecit: *Ita Comites Veglienses Nobiles effecti Veneti, inter Comites Venetos pro Veglia, inter Comites vero Croatos pro Segnia censebantur; hacque de causa in investitura Vegliæ excepta fuit CORONATA PERSONA, scilicet rex Ungariæ, cujus feudum Segniam possidebant: Patriciatumque Venetum servarunt etiam eo tempore, quo Veglia sub dominio Ludovici regis Ungariæ reperiebatur, usque ad annum 1381. nam cum adhuc Segniæ ex antiquo instituto Consul Venetus moraretur, vexillumque D. Marci erigi soleret, utrumque rex vetuit; in tractatu itaque pacis Veneti regis arbitrio permiserunt, ut vel antiqua ipsorum jura Segniæ servarentur, vel his ablatis Comites Vegliæ & Segniæ honoribus & privilegiis, quæ Venetiis habebant, privarentur, ut Caroldus refert.*

Illud etiam animadverti oportet ex hac gente seu familia, quæ principatum in urbe & insula Vegliæ obtinebat, fere semper aliquot fuisse, quibus *Schinellæ* nomen erat, propriumne, an ex communi totius gentis cognomine desumptum, mihi non liquet. In antiquis codicibus ante sæculum decimum quintum Comites *de Veglia*, vel de *Senia* cognominari solebant. Ex communi hujus gentis stipite sunt deinde familiarum facta divortia, & alii Vegliæ, alii Seniæ, alii in aliis Chrobatiæ locis principatum obtinuerunt; omnes vero sub initium sæculi decimi quinti avitum cognomen ab antiquissimis Romanis Frangipaniis, unde erant oriundi profectique in Vegliam insulam, resumpserunt, atque etiamnum retinent qui ex ea gente supersunt.

MARINUS EP. VEGLIENSIS VI.

De quo nihil præter nomen, quod nobis innotuit ex diplomate pontificio, paullo post describendo. His temporibus tria erant in insula cœnobia Ordinis Benedictini, ut colligitur ex tabulis supremis piæ cujusdam mulieris, confectis anno 1271, *die 12. Septembris*, quæ *Capitulo, Primicerio Ecclesiæ Veglen.*, nec non *monasteriis S. Mariæ de Castilione, S. Laurentii, & S. Joannis nonnihil de bonis a Deo sibi collatis reliquit*. Marinus obiit anno 1288. vel sequenti.

LAMBERTUS EP. VEGLIENSIS VII.

Post mortem Marini habita sunt de more comitia episcopalia. Canonici inter se discordes, duasque in partes distracti, alii quidem in F. Joannem de Veglia disciplinæ Franciscanæ alumnum, alii vero in F. Zachariam Ordinis Dominicani suffragia contulerunt. Cum neutra pars alteri cederet, & pro eo, quem quæque elegerat, Episcopo obstinatis animis depugnarent, interregnum episcopale in alios ex aliis menses productum est. Quocirca Nicolaus IV. Pontif. Max. veritus ne quid detrimenti caperet Ecclesia Vegliensis suo Pastore destituta, præsertim cum neuter electus ad jus suum persequendum, tuendumque Romam accederet; utroque posthabito F. Lambertum ex Ordine Franciscano, virum eximiæ doctrinæ ac virtutis, Episcopum Vegliensibus dedit anno 1290. ut docet Lucas Vadingus Tomo II. Annal. *Hoc anno aliqui Ecclesiarum Antistites ex Minoritis creati, F. Lambertus assumptus ad Episcopatum Veglensem in Dalmatia vacantem per mortem Marini, ad quam electi erant duo in discordia, unus Franciscanus, Dominicanus alter*. En diploma pontificium.

Duobus Episcopis per discordiam electis posthabitis, Nicolaus IV. F. Lambertum Ep. Vegliensibus dedit.

Venerabili Fratri Lamberto Episcopo Veglen.

Diploma Nicolai IV.

Vacante dudum Veglen. Ecclesia per obitum bonæ memoriæ Marini Veglen. Episcopi, duæ fuerunt electiones a Canonicis ipsius Ecclesiæ, una videlicet, de Fratre Joanne de Vegla Minorum, & altera de Fratre Zacharia Prædicatorum Fratrum ordinum, in discordia celebratæ. Hujusmodi vero electionum negotio ad Sedem Apostolicam devoluto, cum dicti electi infra tempus a jure statutum, ac etiam post, ad eamdem Sedem accedere non curarent pro hujusmodi electionum suarum negotio prosequendo; Nos ipsos in audientia publica citari fecimus, ut ad prosequendum jus, si quod eis in hujusmodi electionibus competebat, certo termino comparerent; & demum cum nullus illorum ad hæc comparere curaret, pronunciavimus ipsos a jure, si quod eis competebat ex eisdem electionibus, cecidisse. Deinde vero ne dicta Ecclesia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ei de Pastore idoneo providere volentes, ad personam tuam morum honestate decoram, litterarum scientia præditam, in spiritualibus providam, & in temporalibus circumspectam, ac aliis virtutum donis multipliciter commendatam, direximus oculos nostræ mentis, illam fore perutilem ad ipsius Ecclesiæ regimen arbitrantes. Eapropter te Ordinis Fratrum Minorum professum, de Fratrum nostrorum consilio, eidem Ecclesiæ in Episcopum præfecimus, & Pastorem, curam & administrationem ipsius Veglen. Ecclesiæ spiritualiter ac temporaliter committendo, firma de te concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, inibi cultus divinus augebitur, & eadem Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam in spiritualibus, & temporalibus prospere dirigatur, & salubria, donante Do-

Digitized by Google

Domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur suscipe jugum Domini, & suavi ejus oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia, ipsius Veglen. Ecclesiæ administrationem exequi studeas diligenter, & gregis tibi in ea commissi custodiam prosequaris sollicite ac prudenter, ut laudabili de ipso in die judicii reddita ratione, una cum eis regnum Patris æterni, ab origine mundi præparatum electis, merearis accipere; ac dilecta Domini tabernacula possidere. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem VIII. *Idus Martii anno* III. idest 1290.

Domicilium Fratribus Franciscanis in urbe constitutum.

Hoc eodem anno (ut est apud Vadingum) Vegliæ traditum est domicilium Patribus Franciscanis, ipsomet fortasse Lamberto Episcopo hortatore, atque auctore, qui Fratrum suorum operam ad vineam dominicam excolendam sibi suisque successoribus necessariam esse, ac perutilem fore existimabat. Septem annos sapientissime præfuit: quem Bonifacius VIII. anno 1297. VIII. Kal. Junii ad Ecclesiam Aquinatem in regno Neapolitano gubernandam transtulit. E vita decessit an. 1309.

MATTHÆUS EP. VEGLIENSIS VIII.

Quem Bonifacius Papa huic Ecclesiæ præfecit anno circiter 1297. Migravit e vita anno circiter quarto post susceptum Pontificatum. Valerius de Ponte in Catalogo Antistitum Vegliensium, anno 1301. Joannem nescio quem Episcopum affixit, ejusque nomen ait ad annum eumdem adscriptum in tabulis Vegliensibus reperiri. Sed cum Episcopus, quem mox subjiciam, in locum Matthæi demortui suffectus esse dicatur anno 1302. inter Matthæum, & hujus proximum successorem, nihil loci relictum est Joanni. Fortasse Matthæus & Joannes unus idemque Episcopus fuit, qui utroque nomine appellaretur.

Joannes Episcopus explosus.

THOMAS EP. VEGLIENSIS IX.

Alter est e Franciscana familia, cui Bonifacius VIII. an. 1302. ob ejus insignem sapientiam & probitatem Episcopatum Vegliensem contulit, ut tradit Vadingus Tom. III. Annal. *F. Thomas ad Veglensem in Dalmatia, seu Istria, sub Archiepiscopo Jadrensi per obitum Matthæi Episcopi vacantem promovetur.* Diploma Pontificis Ecclesiam illam conferentis est hujusmodi.

Thomæ electo Veglien.

Epistola Bonifacii VIII. ad Thomam electum.

Regimini universalis Ecclesiæ, quamvis immeriti, disponente Domino præsidentes, de universis orbis Ecclesiis, juxta pastoralis officii debitum nos oportet sollicite considerare; sed ad eas nimirum, quas conspicimus pastorali fore solatio destitutas, eo attentioris considerationis intuitum retorquemus, quo ipsæ majoribus, quæ frequenter ex vacationibus earum proveniunt, incommodis exponuntur; & ideo cura reddimur indefessa solliciti, ut eis de celeris & salubris provisionis remedio succurramus, ne, quod absit, earum provisione dilata, ambulantis in circuitu lupi rapacis astutia Dominicum gregem pastore carentem invadat, ovesque rapiat ac disperdat. Nuper siquidem Veglen. Ecclesia per obitum bonæ memoriæ Matthæi Veglen. Episcopi, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacante, nos ad provisionem ipsius, ne prolixæ vacationis damna subiret, sollicite intendentes, post vigilem, quam super hoc apposuimus, diligentiam, consideratis gratiarum virtutibus a Domino tibi datis, ad te Ordinem Fratrum Minorum professum, cui litterarum scientia, morum gravitas, vitæ munditia, providentia spiritualium, & circumspectio temporalium, prout fide dignorum didicimus testimonio, suffragantur, direximus oculos mentis nostræ, quibus omnibus, & aliis, quæ circa præmissa consideranda novimus, debita meditatione pensatis, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, de persona tua ipsi Veglensi Ecclesiæ providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, tibi curam, & administrationem ipsius in spiritualibus, & temporalibus committendo; in illo, qui dat gratiam & largitur præmia, confidentes, quod eadem Veglen. Ecclesia sub tuo felici regimine, dextera Domini tibi assistente propitia, grata suscipiat incrementa. Jugum itaque Domini leve collis humilibus, prompta devotione suscipias, & suavi ejus oneri reverenter colla submittas, prædictæ Veglen. Ecclesiæ regimen tibi commissum exercens fideliter & prudenter, ut per tuæ vigilantiæ studium eadem Veglen. Ecclesia jugiter præservetur a noxiis, & ad salubria, dante Domino, dirigatur; tuque proinde divinam Apostolicæ Sedis, & nostram gratiam uberius consequi merearis.

Datum Anagniæ Idibus Augusti anno VIII. idest 1302.

Cum F. Gentilis Cardinalis tit. S. Martini in Montibus a Clemente Legatus in Hungariam, & Dalmatiam missus, Seniam digressus esset; Thomas Episcopus ejus visendi ac salutandi caussa Seniam venit anno 1308. & cum Nicolao Seniensi Episcopo præsens, ac testis adfuit sententiæ ejusdem Cardinalis & Legati Apostolici, qui e proventibus territorii Dridiensis quartam partem adjudicavit ædi cathedrali Traguriensi *die* 27. *Augusti apud civitatem Signiæ* 1308. . . . *præsentibus D. Fr. Thoma Veglien. Fr. Nicolao Signien. Episcopis.* Dum Thomas hanc Ecclesiam gubernabat, Comites Veglienses copiis atque opibus affluebant; & præter Seniam, Tersactum, Modrussam aliaque Japidiæ veteris loca ex donatione regum Hungariæ possidebant. *Apud vallem S. Mauritii in Gyro*, in diœcesi Vegliensi cœnobium erat monachorum Carthusiensium, florebatque in primis tum vigore primævo monachalis disciplinæ, tum viris eximiæ doctrinæ & sanctitatis. Duymus Comes Vegliæ domos eorum, & agros amplissima immunitate donavit anno 1308. ut in suis adversariis MSS. notatum reliquit Joannes Tomcus Marnavitius: *Duimus Comes Veglæ liberat Fratres domus Carthusiensium de Gyro a tributi solutione, tam in Segna, quam in tota sua potestate.* Anno autem 1313. ut est in iisdem adversariis, *Duimus, & Federicus ejus filius Comites Veglæ, Vinodol, & Modrussæ, & civit. Segniæ perpetui Domini, pro salute sua, & Dominæ Ursæ matris prædicti Federici, ac Dominæ Elisabethæ uxoris Comitis Federici, donant perpetualiter Carthusianis unam urnam olei omni anno, &* 40. *staria salis omni anno de propriis eorum reditibus, eosdem liberantes a solutione tributi in omnibus dominiis suis, & districtibus.* Duymus princeps familiæ, idemque Comes, seu Dominus Vegliæ, bellica virtute & gloria clarus, insignique religione præditus e vita decessit; quod veluti singulari memoria dignum Micha Madius in Historia *de Ge-*

Cœnobium Carthusiense in diœcesi Veglien. a Duymo Comite Vegliæ plena immunitate donatum,

& annuis proventibus auctum.

stis

Digitized by Google

ftis Rom. Imp. & Pontif. cap. XII. notatum reliquit: *His diebus* (anno scilicet 1317.) *D. C. Duymus Vegliensis nobilis bellator obiit ad Christum*. Duymo in principatum hujus insulæ successit Federicus filius, qui cum exercitu Caroli regis Hungariæ suas copias, ad proceres quosdam Chrobatiæ subjugandos, conjunxit anno 1326. ut docet Micha Madius cap. 28. Dies & annus emortualis Thomæ Episcopi ignotus est. Ante annum undecimum hujus sæculi vita functum esse arbitror.

JACOBUS EP. VEGLIENSIS X.

Jacobus Bertaldus Venetus e magno Cancellario Presbyter,

Natus est Venetiis in vico S. Pantaleonis ex familia Bertalda in primis inter cives secundi ordinis illustri & copiosa. Ad summam magni Cancellarii dignitatem per omnes inferiorum magistratuum gradus pervenit; qua sponte deposita, & mundanis honoribus, negotiisque nuncio remisso, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, atque ad Collegium Presbyterorum S. Pantaleonis aggregari voluit. Hinc assumptus, ad Ecclesiam Vegliensem regendam accessit. Postquam per aliquot annos virtute & vigilantia singulari, commisso sibi gregi præfuisset; Venetiis diem obiit supremum tertio Nonas Aprilis, anno 1315. Episcopatus Vegliensis Jacobi Bertaldi non aliunde mihi notus est, nisi ex epitaphio, quod, in æde S. Pantaleonis, ejus arcæ sepulchrali inscriptum est,

e Presbytero Ep. Vegliensis.

Jacobus hac jacet Veglensis Episcopus arca
Bertaldus, Venetus quoque Cancellarius olim,
Presbyter, atque sacri devotus Pantaleonis
Mille trecentis currentibus quindecim annis
Nuper exeunte die tertio mensis Aprilis.

Ad hunc pertinere arbitror epistolam Clementis V. Archiepiscopos & Episcopos ad Concilium Viennense convocantis; data fuit anno 1311. & inscripta *Archiepiscopo Jadrensi, & Episcopis &c. Mandamus quatenus vos Archiepiscope, & Signiensis, & Vegliensis Episcopi &c.* ubi Pontifex Metropolitæ & provinciæ Jadrensi Episcopum Seniensem per errorem attribuit. Qui post Bertaldum per annos amplius centum sedem Vegliensem tenuerunt, eorum nomina & gesta vel incuria illorum temporum vel jactura tabularum posteritati præripuit. Erat extra urbem pervetus cœnobium Benedictinum S. Laurentii; ex quo Benedictus XII. Martinusium monachum cœnobiarcham dedit monachis Arbensibus S. Petri anno 1337. ut est in tabulis Avenionensibus, quæ a nobis descriptæ sunt in Georgio III. Episcopo Arbensi. Anno 1357. cum Ludovicus rex Hungariæ Dalmatiam universam Venetis eripuisset, Veglia quoque cum Dynastis ac Dominis ejusdem insulæ & aliorum Japidiæ oppidorum, in ejusdem regis potestatem concessit. Anno 1412. hujus insulæ principatum obtinebat *Magnificus vir Dominus Nicolaus Comes Vegliæ, Segniæ, Modrussæ &c.* his enim titulis allicitur, atque ornatur in privilegio Sigismundi Romanorum & Hungariæ regis, qui *Insulam Veglensem, civitatem, castra, villas, nemora, portus maritimos, salinas, scopulos, vocatos videlicet Pervich, Plasnich &c. cum illorum pertinentiis, juraque patronatus Ecclesiarum, auctoritate regia ipsi magnifico viro Comiti Nicolao prædicto, suisque hæredibus, ac hæredum successoribus approbavit, ratificavit, & reliquit pacifice possidere, habere, & tenere pleno jure, cum omni integritate &c. Dat. per manus Reverendi in Christo Patris Domini Eberardi Episcopi Zagrabiensis, aulæ nostræ majestatis Consiliarii fidelis nostri, grati, & dilecti, anno 1412. Kalendis Novembris, regnorum autem nostrorum anno, Ungariæ XXVI. Romanorum III.*

Series Episcopalis iterum per annos centum interrupta.

Ludovicus Vegliam cum Dalmatia Venetis eripuit.

NICOLAUS EP. VEGLIENSIS XI.

Hunc elegit Nicolaus Frangipanius Comes Vegliæ; electionem confirmavit Martinus V. ut videtur colligi posse ex Tabulis consistorialibus, in quibus electus nominatur, & hujus Ecclesiæ regimini a Pontifice præficitur. 1421. VIII. *Idus Octobris provisum est Ecclesiæ Vegliensi vacanti per mortem de persona Nicolai electi*. Siquidem Comites Vegliæ jus nominandi Rectores Ecclesiarum suæ ditionis sibi jampridem arrogare & usurpare cœperant, ut constat ex privilegio Sigismundi supra laudato, qui Nicolao Comiti ejusque hæredibus & successoribus *jura patronatus Ecclesiarum, approbavit, ratificavit &c.* Cum enim reges Hungariæ jus nominandi Episcopos ditionis Hungaricæ sibi vindicarent; nominationem Episcopi Vegliensis, Comitibus Vegliæ ob singularia illorum erga se merita concesserant.

Hoc sæculo primum Comites seu Dynastæ Vegliæ, Seniæ, Modrussæ &c. antiquo suæ gentis cognomine resumpto, Frangipanii appellari cœperunt. Nicolaus Comes Vegliæ, Seniæ, Modrussæ, idemque Banus Chrobatiæ, cum voti ac religionis caussa Romam se contulisset; Martinus Pontifex viri nobilitatem ac pietatem admiratus, summa illum benignitate, & quo dignus erat, honore excepit. Auctorem eidem fuisse ajunt, ut quoniam ipse ab antiquissimis Romanis Frangipaniis ex Anicia stirpe oriundis, ex quibus tot nobilissimæ familiæ in varias Italiæ, ac Germaniæ urbes propagatæ ac proseminatæ erant, originem ducebat, *Frangipanii* cognomen dignitatis & gloriæ plenum reciperet, simulque illi stemma Frangipanicum tradidit, quo imposterum pro suo, ac suorum hæredum insigni uteretur; antea siquidem stemma gentilitium Comitum Vegliæ, Seniæ &c. erant quædam stellæ aureæ, campo, ut ajunt, albo intextæ; Frangipanium duos leones aureos panem frangentes exhibebat. Hujus autem stemmatis, & cognominis caussam explicat Onuphrius Panvinius in suis Commentariis MSS. de Gente Frangipanica, quam ex vetustissima Anicia Romana familia, unde S. Gregorius Magnus ortus est, prognatam esse affirmat: *Quidam Aniciorum in maxima urbis penuria, pauperibus, vel peregrinis panem in plures partes concisum & fractum pro eleemosyna divisit; a quo casu ipse postea, & ejus filii Frangepanes, alias Frangentes panem, utroque enim modo scriptum reperitur, dicti sunt. Hoc autem nomen ea ratione exortum fuisse existimo, levi alioqui, verisimili tamen conjectura ductus; nihil enim umquam certi reperire potui de hujus nominis origine, & originis tempore.*

Nicolaus Comes Vegliæ &c. & Banus Chrobatiæ avitum Frangipaniæ gentis nomen resumpsit.

Verum ante Martinum Pontificem sub initium sæculi decimi quinti Comites Vegliæ, Modrussæ, Seniæ &c. Frangipanios cognominari cœpisse declarat diploma confectum anno 1405. *Nos*, inquiunt, *Nicolaus, Stephanus, Bartolus, Doymius, Martinus, Sigismundus, & Joannes de Frangepanibus Veglæ, Segnæ, Modrussiæ &c.*

sia &c. Comites significamus universis & singulis . . . promittimus, & promisimus fidelibus nostris subditis Veglensibus & insulanis, eos omnes & singulos, in eorum bonis, & novis ac veteribus usitatis libertatibus, & consuetudinibus, juribus & rationibus, ut per elapsum extitit, regere, gubernare, & manutenere, ac etiam regi, gubernari, & manuteneri facere in eis omnibus, in quibus genitor noster, ac nostri prædecessores, regere & gubernare eos voluit & fecit. In quorum fidem, & testimonium præsentes nostras litteras patentes eis dari jussimus, nostri consueti sigilli impressione munitas.

Datum in civitate nostra Veglæ, Anno Domini millesimo, quadrigentesimo quinto.

De Nicolao Episcopo nihil præter ejus nomen litteris proditum reperio, non patriam, non genus, non res ab eo gestas. Anno 1435. morte præreptus sedem Vegliensem vacuam successori reliquit.

ANGELUS EP. VEGLIENSIS XII.

Ex ordine PP. Prædicatorum, cui fortassis a patria cognomen erat, *de Bononia*. Hunc Eugenius IV. Episcopum Vegliensibus dedit anno 1436. VIII. Idus Octobris, ut docet epistola Pontificia *Dilecto filio Angelo de Bononia electo Veglen.* inscripta, quam ex Tomo 3. Bullarii Dominicani descriptam hic subjicio.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Angelo de Bononia electo Veglen. salutem, & apostolicam benedictionem. Ad exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes &c. Dudum siquidem bonæ memoriæ Nicolao Episcopo Veglen. regimini Veglen. Ecclesiæ præsidente, nos cupientes eidem Ecclesiæ cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præsidere personam &c. præfata Ecclesia per obitum ipsius Nicolai Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta &c. ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem, & felicem &c. paternis, & sollicitis studiis intendentes &c. demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem, & in Theologia magistrum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis &c. teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus, & temporalibus committendo. In illo &c. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1436. octavo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno sexto.

De Angelo hanc animadversionem epistolæ Eugenianæ præposuit Bremond Tom. III. Bullarii Dominicani. *Fr. Angelus de Bononia Episcopus Veglen. seu Veglanen. & Veglien. vulgo Veggia, Veglia, & Vegla, Slavis Kirk, in ejusdem nominis insula maris Adriatici, sub Archiepiscopo Jaderensi. Omittitur a Fontana, Cavalerio, cæterisque Scriptoribus. Successit Angelus noster cuidam Nicolao. Hinc dubium subnasci potest, utrum scilicet Vegliensis Episcopus fuerit Angelus in Apulia, ubi sedes Vigiliensis, nonnullis Vegliensis, vulgo Bisceglia, & Veglia sub Archiepiscopo Tranensi. Ibi per id tempus sedisse Nicolaum quemdam docet Ughellus, & Sarnellius in Episcopis Vigilien. Sed ad annum usque 1442. Episcopum fuisse Nicolaum auctores sunt Scriptores mox laudati, qui Angelum de Bononia non norant; quapropter ipsum Vigilienses inter Episcopos recensere non audeo;* & jure quidem, nam de Vegliensi Dalmatico Episcopatu Angeli omnem dubitationem adimit Nicolaus proximus ante Angelum Episcopus Vegliensis in Dalmatia; cujus ignoratio dubitandi caussam præbuit, cuique Eugenius in Sedem Vegliensem provinciæ Jadertinæ Angelum substituit.

FRANCISCUS EP. VEGLIENSIS XIII.

Anno 1446. huic Ecclesiæ præsidebat, ut constat ex epistola Eugenii IV. inscripta Francisco Episcopo Vegliensi, hoc ipso anno data, de qua in Nicolao Episcopo Arbensi. Cum de decimis Novaliæ lis esset inter Nicolaum Antistitem, & Canonicos Arbenses, hi ad Sedem Apostolicam appellarunt. Pontifex cum jus a Capitulo stare cognovisset, Episcopo Vegliensi per litteras mandavit, ut incolis Novaliæ pœnam anathematis denuntiaret, nisi partem dimidiam decimarum Canonicis Arbensibus persolverent. Erat in insula pervetus cœnobium Benedictinum ab S. Maria de Castillione cognominatum, tertio ferme ab urbe lapide situm, quod Dominici Abbatis obitu & monachorum discessu, jamdudum habitatoribus vacuum, ac desertum fuerat. Illud Martinus, & Joannes fratres Frangipanii, & Nicolai filii, Comites Vegliæ, Seniæ &c. Patribus Franciscanis cum tradidissent, ac donassent, rogarunt Nicolaum V. ut hanc donationem Apostolicæ auctoritatis præsidio corroboraret. Annuit Pontifex, datis an. 1448. ad Franciscum Episcopum litteris in hæc verba. Cœnobium Benedictinum S. Mariæ de Castillione Fratribus Franciscanis traditum.

Venerab. Fratri Episcopo Veglensi.

Ad decorem sacræ Religionis, nostræ meditationis dirigentes intuitum, votis illis, per quæ monasteriorum, & personarum in eis degentium statui, & indemnitatibus consulitur, ac Religionis ejusdem propagatio sequi speratur, annuimus gratiose. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Martini & Joannis dictorum de Frangipanibus, Comitum de Vegle, Sene, & Modruce, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi recensentes quod monasterium Beatæ Mariæ de Castilione, ordinis S. Benedicti, tuæ diœcesis, post obitum quondam Dominici illius Abbatis, per multos annos, extra Romanam curiam defuncti, vacaverat, & monachis & personis caruerat, ac per laicos detentum, ac de facto occupatum fuerat, duos Fratres ordinis Minorum ad illius, ne ad totalem deveniret ruinam, regimen & conservationem deputarunt; & sicuti eadem petitio subjungebat, ipsi Comites affectent, quod in dicto monasterio, propter illius fructuum, & proventuum.... qui viginti quatuor florenorum auri de camera valorem annuum secundum communem æstimationem non excedunt, S. Benedicti supprimatur, & de observantia Fratrum Minorum ordo hujusmodi perpetuo creetur, & erigatur; pro parte dictorum Comitum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis opportuna providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de præmissis certam notitiam non habemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super præmissis omnibus, & singulis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra Quam traditionem Nicolaus V. suis ad Franciscu Episc. litteris confirmari jubet.

Digitized by Google

stra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse inveneris, S. Benedicti ordinem in eodem monasterio, ac illius Abbatialem dignitatem eadem auctoritate penitus supprimas, & extinguas; ac Fratrum Minorum de observantia hujusmodi erees, erigas, & instituas; nec non ipsius monasterii bona plus offerenti vel offerentibus, adhibitis debitis circa hoc cautelis & solemnitatibus, vendas; ac provenientia exinde pretium, & pecunias in reparationem & restaurationem structurarum, & ædificiorum Ecclesiæ dicti monasterii, & alias in illius ac Fratrum, inibi pro tempore degentium, utilitatem convertas, integre reponas, ac alias facias, disponas, ordines & exequaris omnia & singula, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu etiam quomodolibet opportuna; super quibus plenam, & liberam tibi tenore præsentium concedimus facultatem; & insuper, si suppressionem, extinctionem, creationem, & institutionem prædictas fieri contigerit, universis & singulis Fratribus, quos in domo ipsius monasterii pro tempore residere contigerit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis ordini prædicto, nec non ipsius ordinis & observantiæ domibus, locis, & personis per sedem prædictam, aut alias in genere vel in specie quomodolibet concessis, ac in posterum forsan concedendis, uti, & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta indulgemus per præsentes: jure tamen parochialis Ecclesiæ, ut cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Non obstantibus &c. quibuscumque &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXLVII. III. Kal. Martii anno I. Fortasse III. *Kal. Maji;* nam Nicolaus ante diem sextam vel quartam Martii an. 1447. Pontifex creatus non fuit.

Templum SS. Cosmæ & Damiani ab Joanne Frangipanio Comite Vegliæ impetravit Franciscus Eremitis S. Paulli.

Franciscus ab Joanne Frangipanio Comite ac Domino Vegliæ petiit impetravitque, ut Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani sitam in valle apud Bescam, quod oppidum erat frequens ac nobile Insulæ Vegliensis, cum ædibus, prædiis, & proventibus eidem annexis, perpetuo possidendam traderet Fratribus Eremitis ordinis S. Paulli parentis Eremitarum, qui cœnobium incolebant S. Salvatoris in Liburnia, seu Japidia veteri, millia passuum circiter tria in ortum ab Senia distans, & mari adjacens; id tamen oneris impositum illis esse voluit Joannes Comes, ut illius Ecclesiæ reparandæ, tuendæ, ornandæ ac divinis laudibus & officiis colendæ curam susciperent, simulque bina & quinquagena singulis annis sacrificia facerent pro conditoribus ejusdem Ecclesiæ, & pro expiatione suorum delictorum.

Diploma Joannis Comitis Frangipanii.

Nos Joannes de Frangipanibus, Veglæ, totiusque insulæ Dominus & Comes. Ad notitiam præsentium, & futurorum ducimus deveniendum, quod considerata melioratione, & utilitate Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani in Valle Beschæ, ac pro salute nostra, nostrorumque successorum, visa etiam ipsa Ecclesia stante in maxima necessitate, tum consilio, & per jussionem Reverendi in Christo Patris & Domini D. Francisci, Dei & Apostolicæ Sedis gratia dignis. Veglen. Episcopi, Patris nobis carissimi, per nos successoresque nostros in perpetuum dedimus, tradidimus, & assignavimus Venerabilibus Religiosis D. D. F. Martino, loco & nomine Patris Vicarii ordinis sui, & F. Vito Picochi S. Salvatoris de prope Segna Ord. S. Paulli primi Eremitæ, vice & nomine præfatæ Ecclesiæ S. Salvatoris recipientibus, præfatam Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani cum omnibus suis vineis, campis, possessionibus, terris, introitibus universis, & cum omnibus suis juribus & proventibus ita, & taliter, quod ex nunc Fratres præfati loci... ipsam Ecclesiam cum omnibus juribus, & introitibus suis ... perpetuis temporibus valeant ipsam Ecclesiam, ac debeant in bona ædificatione gaudere & possidere libera & franca, sine ulla contradictione nostra, nostrorumque successorum ... omni turbat ... constituta nobis, vel successoribus nostris, eo modo, quo libere & firmiter... valle Besca. Et per hoc præfati Venerabiles Religiosi Fratres Martinus, & Vitus, nomine præfati loci S. Salvatoris, diebus perpetuis nobis... sciant, & successoribus nostris, omni & singulo anno celebrare in dicta Ecclesia missas parvas 52. pro animabus fundatorum præfatæ Ecclesiæ, ac pro salute nostra, & remissione nostrorum delictorum. Mandantes per nos successoresque nostros omnibus officialibus nostris præsentibus, & futuris, ex nunc in antea ullo tempore nullo modo molestare, aut inquietare ... nec præsumant Fratres supradictos præfati loci S. Salvatoris pro hac Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, aut pro introitibus, & juribus suis, si gratiam nostram diligunt, eo quia nos, & per successores nostros promittimus suprascriptis Fratribus vice totius eorum loci S. Salvatoris prædicti, hanc concessionem, & dationem, & omnia & singula ista diebus perpetuis ... & non contravenire. In quorum fidem, & testimonium præsentes fieri imperavimus, easque nostri sigilli pensione communiri mandamus. Dat. Veglæ, in sala nostra die 20. mensis Augusti, anno Domini 1455. Indict. tertia.

Initia cœnobii Bescensis Eremitarum S. Paulli.

E cœnobio Seniensi S. Salvatoris, itemque Modrussensi S. Nicolai, exigua veluti colonia Fratrum ejusdem ordinis Bescam deducta est, qui domicilii ac templi SS. Cosmæ & Damiani possessionem adeuntes, ad normam Paullini instituti religiosam vitam ac disciplinam colere, in eoque templo quotidianæ psalmodiæ, reique divinæ operam dare cœperunt. Hæc sunt initia monasterii Bescensis Paullinorum, quibus Præses datus est, quem Priorem vocant; hisque anno 1574. Pater Roccus de Arbe, & anno 1656. P. Joannes Grisencich præsidebant, ut ejusdem cœnobii tabulæ docent, erantque subjecti, veluti membrum capiti, Congregationi Seniensi Paullinæ S. Salvatoris. Post Franciscum regimen hujus Ecclesiæ suscepit

NICOLAUS II. EP. VEGLIENSIS XIV.

Nicolaus Ep. Templum & domicilium SS. Cosmæ & Damiani traditum Eremitis Paullinis suo diplomate communivit.

Qui anno 1465. rogatu Vicarii provincialis Fratrum Eremitarum S. Paulli, & præsidis cœnobii Seniensis S. Salvatoris, itemque Fratrum cœnobii Modrussensis S. Nicolai, de sententia Capituli, Joanne Frangipanio Comite Vegliæ assentiente, non solum domicilii ac Templi SS. Cosmæ & Damiani illis traditi possessionem confirmavit, sed etiam ob insignia eorumdem merita, & quod tum piis cohortationibus, tum religiosæ vitæ exemplis Christianæ plebi prodessent, agros & vineas, quæ ad templum & cœnobium eorumdem SS. Martyrum pertinebant, ab omni tributo, ac decimarum solutione immunes esse jussit; nisi quod singulis annis, sollemni ac festo die Virginis Deiparæ in cælum assum-

assumptæ, libram thuris sibi ac suis successoribus ab illis Fratribus persolvi voluit, ad suam erga Episcopos Veglienses observantiam, acceptique beneficii memoriam testificandam. Extat Nicolai Episcopi diploma in hæc verba.

Diploma Episcopale. *Nos F. Nicolaus de Vegla divina providentia, & Sacrosanctæ Romanæ Eccl. gratia, Episcopus Veglen. universis & singulis has nostras litteras inspecturis ad perpetuam rei memoriam, significamus quatenus religiosi viri, Deoque dicati, Fratres Stanislaus de Polonia, Ord. FF. Eremitarum Ord. S. Pauli primi Eremitæ Vicarius provincialis, & monasterii, seu claustri gloriosi Pont. & Conf. S. Nicolai de Nemore Modrussen. & Fr. Georgius de Modrussa ejusdem ordinis & professionis ad præsens Priores monasterii, seu claustri S. Salvatoris prope Segnam, ad nostram præsentiam personaliter accedentes, exposuerunt illustrem principem, ac magnificum, & potentem Dominum Joannem de Frangepanibus Vegliæ, & insulæ Dominum, Segnæ, Modrussæque Comitem, suorum prædecessorum vestigia laudabiliter prosequentem, intuitu pietatis, & amore Crucifixi Domini Jesu Christi, & ob reverentiam gloriosæ semperque V. M., & gloriosi Pontificis Nicolai; & in remissionem peccatorum suorum, certam Ecclesiam sub titulo SS. Cosmæ, & Damiani dedicatam, in Valle Beschæ diœces. nostræ Veglen. positam, cum omnibus & singulis terris &c. prædicto monasterio, seu claustro S. Salvatoris, & Fratribus prædicti ordinis præsentibus & futuris perpetuo, libere contulisse, applicasse, & donasse, tamquam verum, universalemque Dominum, ac legitimum Patronum, prout in autenticis ipsius magnifici Comitis litteris plenius continetur. Idcirco præfati religiosi viri in persona sui, & omnium Fratrum sui ordinis præsentium, & futurorum, & nomine prædicti monasterii S. Salvatoris, humilibus precibus, & cum assidua instantia nobis supplicarunt, ut dignaremur præfatam Ecclesiam sub tit. SS. Cosmæ, & Damiani dedicatam, cum omnibus & singulis terris &c. confirmare, & dictæ Ecclesiæ omnes & singulas terras &c. in dicta Valle Beschæ positas ab omni onere, & censu decimarum, & octavæ, septimæ, & quartæ partis perpetuis futuris temporibus relevare, absolvere, & indempnes custodire. Nos autem prædictorum Religiosorum in persona sui &c. pura, & devota supplicatione audita, & considerata benigna largitione, & piissima prænotati principis & magnifici Comitis eleemosyna, attendentes etiam &c. & habita solemni, & matura deliberatione cum Venerabilibus viris Domino Nicolao quondam Rake Archipresbytero, Dom. Matthæo quondam Cutele Primicerio, Dom. Dominico quondam Mauri Vicario, & aliis Canonicis Ecclesiæ nostræ Veglen. de voluntate antedicti Comitis magnifici, & consensu omnium dictorum Canonicorum, præfatis Religiosis &c. præfatam Ecclesiam sub tit. SS. Cosmæ, & Damiani dedicatam, cum omnibus & singulis terris &c. per nos & successores nostros confirmamus, & ratificamus, absolventes & roborantes ex nunc & futuris temporibus &c. Cum hoc quod Fratres dicti ordinis præsentes & futuri, in signum recognitionis præfatæ concessionis, teneantur annuatim in Festo Assumptionis gloriosæ Virg. Mariæ unam incensi libram offerre & assignare Episcopo Veglen. donec dictæ possessiones fuerint in dictorum Fratrum possessione. Datum Veglæ in palatio residentiæ nostræ solitæ anno Domini nostri Jesu Christi 1466. Indict. XIV. die autem 18. mensis April. Pontificatus SS. P. Paulli II. anno 2.*

Hoc diploma Joannes Comes Frangipanius Dynasta Vegliensis, rogatus ab iisdem religiosis viris ratum habuit: *Nos Joannes de Frangepanibus Vegliæ & insulæ Dominus, Segnæ Modrussæque Comes, universis, & singulis Vicecomitibus, Potestatibus, Rectoribus, Judicibus, Officialibus, & subditis nostris, omnibusque aliis, sua quolibet modo interesse putantibus, ad quorum manus hæ nostræ pervenerint, significamus qualiter Religiosus vir Fr. Georgius de Modrussa ord. FF. Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ ad præsens Prior monasterii, seu claustri S. Salvatoris de prope Segnam nomine suo, & omnium Fratrum prædicti ord. præsentium & futurorum, & nomine Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani dedicatæ in Valle Beschæ insulæ nostræ Vegliæ, nobis ex gratia humiliter supplicavit, ut dignaremur per nos, nostrosque hæredes & successores ad perpetuam rei memoriam, infrascriptas litteras ipsis per R. D. Episcopum civitatis nostræ Vegliæ concessas confirmare, & ratificare quoad absolutionem, & relevationem ab omni onere & censu, & octavæ, & septimæ, & quartæ partis certarum terrarum & possessionum ad prædictam Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani pertinentium, ut in ipsis plenius continetur.... Quarum quidem R. D. Episcopi litterarum tenor sequitur in hæc verba: Nos Fr. Nicolaus &c.* Hic subjecit ipsum diploma episcopale, quod verbis amplissimis confirmavit, atque in perpetuum valere jussit. — *Quod confirmavit Joannes Comes Frangipanius.*

Sub idem fere tempus Joannes Frangipanius Dynasta Vegliensis, filius Nicolai Comitis, tum a perenni contestataque virtute majorum suorum, tum vero a seipso, & a pristina erga Patres Franciscanos benevolentia, & beneficentia descivit. Hi duo habebant domicilia, alterum in urbe, alterum tertio ab urbe lapide, *super nemorosum collem*, ut scripsit Vadingus, *qui ex amœnissima, & populosa Valle consurgit, appellatum S. Mariæ de Castillione*, quod jampridem a monachis Benedictinis desertum, ante annos circiter duodeviginti, idem Comes Joannes, cum Martino Comite & fratre suo, Patribus Franciscanis attribuerat. Fratres utriusque cœnobii acriter divexare cœpit, eorum commodis officere, atque obstare, quominus suis privilegiis uti, vitamque suam ad normam Instituti Franciscani exigere possent. Illi opem ac præsidium Paulli II. implorarunt; qui litteris datis ad cœnobiarcham S. Chrysogoni Jadrensis, huic imperavit, ut nomine & auctoritate Sedis Apostolicæ interposita Joannem ab omni injuria & molestia Fratribus inferenda abstinere juberet. Mandatis Pontificiis paruit quidem Joannes, pro eo ac debuit; sed cum aversissimo esset ab illis animo, præsides, Patresque primarios illius Ordinis, qui ad Comitia generalia convenerant, per suum internuncium rogavit, ut vellent juberentque duo illa Vegliensia cœnobia, Fratribus Dalmatinis alio migrare jussis, ad provinciam Venetam, vel Picenam aggregari. Neutrum fieri posse responsum est. Hæc Lucas Vadingus Tomo IV. ad an. 1466. *In eadem provincia Dalmatiæ Dominus temporalis Veglensis Fratres observantes duorum conventuum, unius intra, alterius extra civitatem Veglen. vehementer perturbabat, non permittens, ut secundum sua instituta, & privilegia viverent, neque domibus suis relictis alia* — *Joannes Frangipanius infensus Patribus Franciscanis.*

trans-

transmigrare. Ex iisdem Religiosis, quos volebat, etiam invitis Superioribus, in Capellanos assumebat, aliasque inferebat molestias; a quibus ut desisteret jussit Pontifex, scriptis litteris ad Abbatem S. Chrysogoni Jadren. Deinde ad annum 1469. *Diximus ad annum 1461. num. 30. Joannem de Frangipanibus Comitibus unum aut alterum conventum in suo dominio &c. Deinde bos adeo injustis vexasse oneribus, ut pro remedio ad Sedem Apostolicam oportuerit recurrere. Atque hinc ille commotus decrevit ab illius gentis Fratribus ad Venetos, vel Vicenos cœnobia transferre. Ut facilius obtineret, misit ex sua familia gravem virum, qui rem perageret cum Patribus in comitiis generalibus. At illi re bene perpensa hujusmodi dederunt responsum: Magnifico D. D. Joanni de Frangipanibus Segniæ, Veglæ, atque Modrussæ Comiti dignissimo, singulari benefactori. Data in insula Biscentina lacus Bulleni 1469. 12. Junii. Propter locorum abundantiam Venetos, & Vicentinos ea loca non posse admittere. Dalmatinos quoque difficiles ad id fore additur.*

Nicolaus Ep. ex Dominicana, vel Franciscana familia.

Cum Nicolaus Episcopus sibi prænomen *Fratris* inscribat, id indicio est illum e Franciscana, vel Dominicana, sive alia religiosa familia ad hanc regendam Ecclesiam assumptum fuisse. Si vitam & pontificatum prorogavit usque ad annum octogesimum hujus sæculi, is fuit ille Episcopus, quem Joannes Comes Vegliæ cum uxore & filiis Venetias hoc eodem anno misit, ut ab Duce & Senatu auxilia peteret, quibus se, atque insulam contra Hungaros tueretur. Rem paullo altius repeti oportet. Postquam Veneti Dalmatiam Sigismundo regi ademptam recuperarunt, Comites Vegliæ perinde se gerebant, ac si essent domini supremi illius insulæ, nullius potestati superiori obnoxii; & solutionem tributi ob fiduciariam possessionem Venetis debitam neglexerant, nec vero illam exigere Venetis curæ fuit. Tunc Nicolaus totius Frangipaniæ gentis princeps Vegliæ, Seniæ, Modrussæ, & aliorum locorum principatum cum suis fratribus obtinebat. Hic moriens plures filios reliquit, & avitæ paternæque hæreditatis portionem suam cuique. Joanni fortasse natu maximo Veglia insula obvenit. Hic cum æque fratribus suis, ac Vegliensibus ob superbos & importunos mores odio esset, ab utrisque sibi metuens, in fidem & clientelam Venetorum se contulit anno 1452. ut contra utrosque sibi præsidio & auxilio essent; atque ut sibi magis magisque Venetorum gratiam conciliaret, uxorem Venetam duxit ex primaria nobilitate patricia. Extat privilegium Ducis Venetorum in suam fidem ac tutelam Joannem Comitem Frangipanium recipientis.

Venetias ab Joanne Comite missus.

Joannes filius Nicolai Frangipanii Dominus Vegliæ in Venetorum clientelam se contulit.

Diploma Ducis Venetorum Joannem in suam fidem ac tutelam recipientis.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo secundo, die decimo nono mensis Junii, Indict. XV. Illustrissimus Princeps & Excellentissimus D. D. Franciscus Foscari, Dei gratia Dux, & Dominium Venet. servata solemnitate Consiliariorum suorum, quæ ad talia requiratur, ex una parte; & magnificus & potens D. Comes Joannes de Frangipanibus Dominus civitatis & insulæ Veglen. natus quondam magnifici potentis D. Nicolai, Comitis Segnæ, Modrussiæ &c. in præsentia Illustrissimi Domini Ducis, dictus Dominus personaliter constitutus ex altera, ad infrascriptas conventiones, & pacta libere, sponte, & ex certa scientia, animoque deliberato, solemniter & concorditer devenerunt: primo namque idem Illustrissimus D. Dux, & dictum Dominium pro se & successoribus suis, & nomine ipsius Dominii & Communis Venetorum accipit, acceptat, recipit & admittit præfatum D. Joannem de Frangepanibus Comitem, & Dominum civitatis & insulæ Veglæ in protectionem, & recommendationem ipsius Dom. Ducis, & Dominii Venet. pro dicta civit. & insula Vegla, ut idem magnificus Dominus possit elevare vexillum & insignia S. Marci; promittitque idem D. Dux & Dominium, tenere, tractare, & protegere ipsum magnificum D. Joannem tamquam bonum, & verum recommendatum suum, pro dicta civitate & insula Veglæ; & viceversa præfatus D. Joannes magnificus Comes pro se, & hæredibus suis sponte, libere, & certa scientia, animoque deliberato acceptat dictam protectionem, & recommendationem pro se, & hæredibus suis, & interveniente solemni stipulatione, se obligat, & promittit esse bonus, ac verus recommendatus prædicti Ducis, & successorum suorum, & inclyti Dominii Venet. ac omnia dicere, facere, & operari, quæ boni & veri adhærentes, & recommendati facere tenentur; specialiter & expresse promittit pro se, & hæredibus suis esse verus amicus amicorum, & inimicus inimicorum D. Ducis, Dom. & Communis Ven. & cum ipsa civitate & insula, ejusque subditis in omnibus casibus, & opportunitatibus occurrentibus ad omnem requisitionem, & voluntatem prædicti inclyti Dominii Venetiarum, ac terrarum, locorum, & subditorum suorum; quæ omnia, & singula suprascripta prædict. Illustrissimus Dom. Dux, & Dominium Venet. &c. & idem D. Comes Joannes sibi invicem, & vicissim una pars alteri, & altera alteri pro se & successoribus & hæredibus promiserunt, & promittunt attendere, adimplere, & observare, & in nullo contrafacere, vel venire, sub obligatione omnium bonorum suorum, præsentium & futurorum; & de prædictis ambæ partes voluerunt, & rogaverunt fieri debere publicum instrumentum, unum & plura in eodem tenore similia, sicut fuerit oppertunum, per me Notarium infrascriptum, & bulla plumbea prædicti Illustris. Ducis, & sigillo, seu bulla cerea prædicti magnifici Dom. Comitis pendentibus communiri. Actum Venetiis in Ducali Palatio, in sala duorum . . . præsentibus egregiis & prudentibus viris s. Hieronymo de Niviola, s. Alexandro a Fornacibus, s. Bertucchio Nigro, s. Joanne de Reguardatis Duc. Secretariis, s. Tisolugnano de Justinopoli familiari secreto prædicti magnifici D. Comitis Joannis, & aliis testibus ad hæc vocatis, habitis, & rogatis &c.

Ego Franciscus dalla Siega qu. D. Laurentii, publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius, ac prædicti D. Ducis, & Ducalis Dominii Cancellarius prædictis omnibus & singulis præsens fui, eaque rogatus scripsi, & publicavi, & tradidi infrascripto Dionysio Floriano, & Notario publico, & Ducalis Aulæ Scribæ, & in hanc publicam formam redigenda commisi, & in fidem ac testimonium me subscripsi, signumque meum consuetum apposui.

Ego Dionysius Floriano qu. Dom. Nicolai de Venetiis publicus imper. auctoritate Notarius, & Judex ordinarius, nec non Duc. Aulæ Venetus Notarius scripta, infrascripta omnia & singula fideliter sumpsi, scripsi, & exemplavi, & in

& in hanc publicam formam redegi, & protocollis, & rogationibus publicis, & autenticis suprascriptum instrumentum clarissimi viri Dom. Francisci dalla Siega, dignissimi Venet. Cancellarii . . . & in fidem præmissorum hic me subscripsi, signumque meum apposui consuetum.

Joannes Vegliæ Comes ditionem Martini fratris sui occupavit.

Anno 1480. Matthias Corvinus rex Hungariæ, cum Joannes Frangipanius Comes Vegliæ admonitus, ut Novigrado, ceterisque castellis Comitis Martini fratris sui sine liberis demortui, quæ in Japidia occupaverat, statim decederet, imperium regis abnuisset, jussit illum expelli, simulque Vegliensis insulæ principatu spoliari. Blasius Dux equestris militiæ, regia mandata executus coacto exercitu, intra paucos dies omnia illa loca recepit, & Joannem e tota regione abscedere coegit. Tum ille animadvertens se hostium numero ac viribus resistendo non esse, & Vegliensibus erga se male animatis diffidens, Nicolaum Episcopum civitatis cum uxore & Nicolao filio postulatum auxilia Venetias misit. Dux & Senatus Venetus hominem in suam clientelam receptum, atque in periculum sui dominatus amittendi adductum minime deserendum putavit. Jussus est Jacobus Venerius Præfectus Venetæ classis cum aliquot armatis triremibus eidem subsidio venire. Interea Blasius, Hungaricis copiis in insulam trajectis, castrum Musclum improviso adortus acri obsidione cinxerat, quod paucos intra dies in suam potestatem redegit; atque inde progressus, urbem obsidere atque oppugnare cœpit. Venerius cum auxiliariis copiis superveniens, ubi animos civium ab Joanne prorsus aversos, & hostem admittere, quam repellere paratiores esse comperit; Joanni Comiti auctor fuit, ut civitatem atque insulam, quando in sua fide ac potestate retinere non poterat, non externis hostibus magis, quam domesticis laborans, ultro Venetis traderet; ei, & conjugi, & liberis satis superque suppeditatum iri, unde pro generis nobilitate, ac dignitate laute copioseque viveret. Utiliora, quam gratiora dicenti parendum censuit Joannes, & pejora sibi a suis Vegliensibus, quam ab Hungaris metuens, integrum plenumque insulæ atque urbis dominatum Venerio permisit; qui convocato in forum populo denunciavit eos nulli alteri imposterum domino, nisi Duci & Senatui Veneto subjectos fore. Incredibile dictu est quanta omnes civium ordines lætitia, & gaudio affecerit ea vox & denunciatio, quam maximus omnium plausus & gratulatio excepit. Vexillum S. Marci in medio foro inter faustas acclamationes explicatum est; primores nobilitatis ac plebis, coram Venerio præfecto classis, sollemni sacramento fidem suam Duci ac Senatui Venetorum obstrinxerunt. Tum Veglienses depulso tyrannico, ut vocabant, dominatu, & accepto Venetorum imperio læti, sumptis armis undique accurrunt, conscenduntque in muros ad urbem tuendam, hostemque repellendum; pluribus locis eruptione facta plurimos hostium cædunt, vias omnes intercludunt, quibus ad castra inimicorum commeatus deferri possent. Blasius ductor exercitus necesse habuit non solum copias ab urbis obsidione, sed etiam præsidium ab castro Musclo deducere, totaque insula excedere. Ita Veglia omni fiduciario dominatu exempta, in plenam integramque potestatem Venetorum concessit. Arcis custodiæ præfectus impositus Andreas Quirinus; Prætor juri dicundo, civitatique regendæ datus est Petrus Marcellus. Joannes Comes cum uxore ac liberis Venetias se recepit, eique de publico annuum stipendium decretum est, ad lautum ac splendidum victum cultumque; insuper Vegliensibus imperatum fuit, ut singulis annis mille argenteos eidem contribuerent; ac dotem ad filias collocandas assignarent. Hæc videntur referri posse ad Episcopatum Nicolai II. cum nihil obstet, quo minus ab anno circiter sexagesimo ad annum octogesimum hujus sæculi, utraque gubernacula Ecclesiæ Vegliensis tenere potuerit. Proximus post Nicolaum successor mihi ignotus est; neque ullum habeo quem huic subjiciam ante primordia sæculi decimi sexti.

Vegliensibus invitus atque odiosus, insulam Venetis possidendam tradidit.

Hungari ab insula expulsi, eique Prætor & Præfectus Venetus impositi.

Joanni Comiti annuum stipendium ab Senatu decretum.

Eremitæ Paullini in utrumque cœnobium ex Senatusconsulto restituti.

Anno 1487. Marinus Maurus titulo & imperio Provisoris huic insulæ præsidebat. Hic Fratres Eremitas Paullinos e duobus domiciliis, quæ in hac insula obtinebant, unum SS. Cosmæ & Damiani prope Bescam, alterum alio in loco, per summam injuriam ejecit; eorumque bona intervertit, ad seque transtulit. Res delata fuit ad Ducem & Senatum. *Augustinus Barbadico Dux Ven.* regiis litteris inscriptis *Marino Mauro Provisori Vegliæ* jussit sua Fratribus illis domicilia, & bona statim restitui; & viros illos religiosos singulari bonitate & modestia præditos Provisoris fidei, justitiæ, ac tutelæ quam diligentissime commendavit. *Dat. die ult. Februarii, Indict. 6.* 1487. Hi religiosissimi Patres accepti beneficii memores, animo, atque opera gratos erga Rempublicam se præbere numquam destiterunt; & F. Martinus præses cœnobii SS. Cosmæ & Damiani, ex mandato Senatus in Bosinam profectus, rem, cujus caussa missus fuerat, egregie atque utiliter gessit. Quamobrem Petrus Maripetrus Provisor urbi atque insulæ Vegliæ præpositus eidem cœnobio privilegia atque immunitates, quibus gaudebat sub dominatu Comitum gentis Frangipaniæ, confirmavit, auxitque: *In Christi nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis* 1501. *Indict.* 4. *die vero* 21. *Junii, magnificus, & generosus Dom. Petrus Maripetro pro Illustrissimo Dominio Ducali dignissimus Provisor Vegliæ, existens in palatio, præsentibus Bartholomæo Gratia, & Andrea Almerigotto tt. Attenta fide, devotione, & meritis R. D. Prioris Martini gubernatoris capellæ SS. Cosmæ & Damiani de Besca insu. Vegliæ, suppositæ monasterio S. Salvatoris, & ordinis S. Paulli primi Eremitæ, erga Statum Illustrissimi Dominii nostri; qui F. Martinus tempore regiminis ejus magnopere operatus fuit pro Statu, ut attestari potest; & ivit in Bosinam juxta mandata Illustrissimi Ducalis Dominii nostri; ideo, ut de ejus labore & fide præmia referat, & ut in futurum causam habeat melius serviendi, & operandi in servitiis Illustrissimi Dominii nostri; & attento etiam quod tempore quondam Joannis de Frangipanibus animalia dictæ capellæ non . . . solvebant pro herbatico, & etiam quia animalia ipsa sunt &c. absolvit Patres a certis officiis ob merita prædicta &c.*

NATALIS EP. VEGLIENSIS XV.

Natalis a Turre Episcop. Veglien. interfuit Concilio Lateranen.

Ex antiquissima & nobilissima gente ab Turri cognominata, in plures familias, easque omnes & opibus, & honoribus florentissimas divisa, atque in variis Italiæ, ac Germaniæ locis late propagata. Sub initium sæculi decimi sexti

sexti hanc Ecclesiam gubernandam suscepit. Anno 1514. Romam profectus ad Concilium Lateranense, sessioni habitæ anno 1515. IV. Nonas Martii sub Leone X. interfuit; ab reliquis ejus nomen abest. Ne quid detrimenti res Christiana & Ecclesiastica propter suam absentiam caperet, sui muneris episcopalis Vicarium reliquit Donatum a Turre Episcopum Bosinensem fratrem suum, vel certe consanguineum; ad quem extat epistola Francisci Pisauri Archiepiscopi Jadertini, vel hujus Vicarii, si nondum ille Roma redierat, inscripta *Rever. in Christo Patri Dom. Donato a Turri Episcopo Bosnen. & locum tenenti Vegliensis salutem &c.* In hac epistola Virgines Veglienses monasterii SS. Angelorum ei commendabat; illumque admonebat, ut interesset earum comitiis, sed plenam integramque eligendæ Antistitæ libertatem eisdem relinqueret, neve illarum jura ac privilegia diminutum iret: data est *anno 1516.* Natalis permissu Sedis Apostolicæ tria Sacerdotia, quæ ab omni curatione animarum vacabant, cum proventibus obtinebat. Illorum possessionem, ut ratam haberet, sibique confirmaret, a Leone X. postulavit. Annuit Pontifex his ad eum litteris datis.

Epistola Leonis X. ad Natalem. *Leo Episcopus servus servorum Dei Ven. Fratri Natali Episcopo Veglen. salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter Ven. Frater tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, S. Nicolai de la . . . Sanctorum Donati & Nicolai supra Vallem, & S. Mariæ de Castilio capellas Veglensis diœcesis, quæ sine cura existunt, & quas ex dispensatione Sedis Apostolicæ proponis te canonice adeptum, sicuti eas juste possides, & quiete, tibi auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1019. prid. Kalen. Julii, Pontif. nostri anno septimo.*

Ecclesiæ suæ jura tuetur. Acerrimus fuit vindex ac tutor immunitatis ecclesiasticæ; ac præsertim Ecclesiæ suæ jura defendit; quæ cum sibi viderentur per suum Metropolitam imminui, coram ejus Vicario generali caussam ejusdem Ecclesiæ ita egit, ut eam facile obtinuerit: *In Dei nomine, ejusque gloriosissimæ Matris Mariæ Patronæ nostræ, & S. Anastasiæ Martyris: Nos Hieronymus Gori de Senis, Decret. Doctor, Rev. in Christo Patris, & Dom. Nostri, D. Francisci Pisauro J.U.D. miseratione divina Archiep. Jadren. dignissimi, in spirit. & temporal. Vicarius generalis; comparens coram nobis Rev. in Christo Pater, & D.D. Natalis a Turre Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ep. Veglen. suffraganeus jurisdictionis nostræ &c.*

Cetera mihi desunt; sed ex iis, quæ apposita sunt, apparet jus suum, & Ecclesiæ suæ obtinuisse. In Archivo Episcopali Vegliensi tum Natalis Episcopi, tum Donati ejus Vicarii acta judicialia, & quædam sapientissime constituta reperiuntur. In his Donatus vocari solet *Episcopus Bosonensis, & perpetuus Suffraganeus seu Vicarius Episcopi Vegliensis.* Dum hic vice Natalis absentis fungebatur, multas & graves lites habuit cum Capitulo, itemque cum parocho castri Verbenici, quæ primum ad tribunal curiæ Archiepiscopalis, deinde ad curiam Romanam delatæ fuerunt. Cum plures annos huic Ecclesiæ sapienter pieque Natalis præfuisset, eamdem permissu Clementis VII. sponte dimisit anno 1528.

EUSEBIUS EP. VEGLIENSIS XVI.

Patricius Venetus ex antiqua & perillustri gente Priolorum; qui in ipso ætatis flore ad sodalitatem Patrum Monachorum Camaldulensium Muriani aggregatus cum esset, mirum quantum & litteris, & virtutibus religiosis profecerit. Aliquot ingenii, doctrinæ, & eloquentiæ suæ monumenta reliquit, veluti Orationem funebrem de laudibus Petri Delphini Abbatis generalis totius Ordinis Camaldulensis; itemque Commentarios rerum Camaldulensium ab eo confectos ferunt. Abbatis titulum dignitatemque adeptus præfuit cœnobio Estensi ad Carceres, itemque Murianensi S. Michaelis. Virum in omni genere sapientiæ ac virtutis excellentem Clemens VII. ad gradum episcopalem evexit, & Ecclesiæ Vegliensi præfecit: *9. Octob. 1528. providit Ecclesiæ Vegliensi per cessionem D. Natalis Episcopi vacanti, de persona Fratris Eusebii de Nobilib. &c. Abbatis S. Michaelis de Murano, cum dispensatione pro dicto Eusebio &c.* Anno proximo, & mense Julio adhuc erat Romæ; & cum Episcopo Nepesino manus imposuit Defendenti Valvasorio electo Episcopo Justinopolitano, ad ejusque consecrationem Gabrieli Archiepiscopo Dyrrhachiensi operam ac ministerium navavit, ut docet Ughellus in Episcopis Justinopolitanis. Vegliam cum venisset, præcipuo studio curaque ad corrigendos clericorum mores, & disciplinam ecclesiasticam restituendam incubuit. Sed vix tertium Episcopatus annum inierat, cum veneno sive per imprudentiam, sive per alienam malitiam epoto, miserabili genere leti Venetiis defunctus est. De quo Augustinus Fortunius in Hist. Camaldulen. parte 2. *Per ea tempora illustravit cœnobium S. Michaelis, & pariter universum Ordinem Eusebius Triolus, nobilitate generis, bonitate, & ingenii solertia conspicuus. Qui ex monacho studioso, & docto ad Episcopatum Vegiensis Cathedræ sublimatus, dum in reformandis clericorum moribus, ut vigilantissimus Pastor incumberet, epoto veneno, sublatus est e medio.*

JOANNES EP. VEGLIENSIS XVII.

Ecclesiam Vegliensem Cardinali Grimano decretam, Clemens VII. contulit Joanni Rosæ Ep. Scardonen. Post obitum Eusebii Clemens VII. cum Bononiam venisset anno 1530. ut augustale diadema more majorum, rituque sollemni Carolo V. imponeret, in ea urbe Cardinali Grimano Ecclesiam Vegliensem reservavit ac decrevit. Sed veritus ne absentia Cardinalis Episcopi huic Ecclesiæ detrimentum afferret; anno proximo Joannem cognomento Rosam e Scardonensi ad Vegliensem Ecclesiam transferendum censuit, ipso consentiente Grimano, qui tamen jus ad eam regrediendi post decessum Joannis, si luberet, sibi reservatum esse voluit. Hæc ex Actis consistorialibus: *23. Aprilis anno 1531. Translatus fuit Joannes Episcopus Scardonensis, Prælatus domesticus, & continuus commensalis Sanctissimi, ad Ecclesiam Vegliensem per obitum Eusebii vacantem; cui translationi consensit Rev. Dom. Grimanus, cui reservatus fuit regressus, quoniam cessit omni juri sibi competenti, ratione cujusdam reservæ sibi Bononiæ concessæ.* Jam inde ab anno tertio, & vicesimo hujus sæculi

Scar-

Digitized by Google

cum administratione Scardonensis ab Turcis occupatæ. Scardona sub imperium Turcarum ceciderat. Itaque Joanni aditus omnis ad suam Sedem Episcopalem interclusus fuerat. Quocirca Clemens, ne illi locus deesset, ubi consistere, & quæ sunt Episcopi, munia peragere posset, Scardonensem cum Vegliensi conjunxit; & hanc Joanni regendam sic tradidit, ut quamcumque posset, partem curæ & sollicitudinis suæ pastoralis in illam quoque derivaret: 3. *Julii* 1531. *Sua Sanctitas proposuit occupationem Ecclesiæ Scardonensis factam ab infidelibus, in qua cum aliqui adhuc Christi fideles colerent, ne divinis Sacramentis carerent, cum Ecclesia Vegliensi, durante occupatione hujusmodi univit.* Quapropter Joannes utramque Ecclesiam administravit, alteram præsens, alteram absens; hanc vero interdum per se ipse, identidem per suos Vicarios intervisere solebat; & quibus indigebat, subsidiis præsidiisque divinis muniebat. De Joanne P. Philippus Riceputus hæc breviter descripsit ex tabulis Archivi episcopalis: *Joannes Rosa, ut ex quadam charta eruitur, in qua uti testis citatur, videtur fuisse Jadertinus civis, & administrationem Ecclesiæ Scardonensis, quoad vixit, retinuit.* Ejus Acta & decreta plurima. *Acta ejus multa sunt, sed fere omnia vel corrosa, vel pene consumpta; satis laborasse a tanta Actorum multitudine colligitur. Severum est in primis, ac rigorosum ipsius decretum contra concubinarios Presbyteros, quos omnes, inquit, cognovi, & aspexi.* Jaderæ decessit anno 1549. Sepultus est in basilica S. Chrysogoni ad latus dexterum prope aram S. Mauri. Lapis sepulchralis effigiem episcopalem insculptam exhibet, cui apposita est utrinque *Rosa*, insigne gentilitium; & pedibus subjecta inscriptio: *Joanni Rosæ Episcopo Vegliensi, pietate, religione, & integritate insigni, Matthæus Boriceus Sororius B. M. P. anno MDXLIX.*

ALBERTUS EP. VEGLIENSIS XVIII.

Albertus a Modrussensi ad Veglien. Eccl. translatus, utramque gubernavit. Patria Catharensis, cognomento de *Gliricis*, ex ordine Patrum Prædicatorum, a Paullo III. Ecclesiæ Modrussensi præpositus anno 1548. & biennio post ad Vegliensem migrare jussus; ut est in Tabulis consistorialibus: 19. *Martii* 1550. *Absolvit R. Albertum Episcopum Modrusien. a vinculo &c. & ad Ecclesiam Veglien. tunc per obitum Joannis Rosa extra Curiam Rom. defuncti vacantem transtulit, relicta pensione annua* 200. *ducatorum, super fructibus mensæ Episc. Vegliensis.* Jussus est retinere administrationem Ecclesiæ quam reliquerat, propterea quod cum civitas illa per Turcas diruta fuisset, una cum ædibus pontificiis; Modrussenses Episcopi temporibus illis, quamvis creari non desierint, titulum tamen fere inanem, atque honorarium absentes sustinebant. Anno 1551. interfuit Concilio Tridentino sub Julio III. an vero Tridentum redierit an. 1562. cum Synodum intermissam Pius IV. revocavit, mihi non est compertum. Interfuit Concilio Tridentino sub Julio III. Inter Patres Tridentinos, quos Paullus III. creavit Episcopos, annumeratur *Albertus Duimius de Gliricis Catharensis Ordinis Prædicatorum, Episcopus Veglensis.* Anno 1561. lustrationem episcopalem indixit, litteris encyclicis ad Parochos missis; & lustrandæ diœcesis initium fecit a Besca oppido maritimo non infrequenti, sito in ora extrema insulæ ad meridiem obversa.

Lustrationem Episcopalem litteris encyclicis indixit. *In Dei æterni nomine. Amen. Anno a Christo Servatore nostro nato* 1561. *Indict.* 4. *die autem* 27. *mensis Decembris. Cum Reverendiss. in Christo Pater, & Dom. D. Albertus Duymius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Ep. Veglien. & Administrator Modrusien. pro debito pastoralis officii sui, ad quod maxime tenetur, tota mentis intentione animarum providere saluti procuret, ac consideret, mente sua revolvens grave onus humeris suis impositum, & quod Episcopus in sua diœcesi vices Jesu Christi tenet, debetque in visitatione gregis sibi commissi ipsum imitari, ac saltem semel in anno dictam facere visitationem; considerato quoque quod annis præteritis, & caritative, & paterne non semel, sed pluries, etiam sub gravissimis pœnis, tam clerum, quam populum admonuerat ad observandum mandata Dei, & bene beateque vivendum; multi tamen, ut accepit, in reprobum sensum abeuntes, perseverarunt in malo ad damnationem animarum suarum, ac in contemptum divinæ majestatis, & justitiæ; ne autem in districto judicio magni diei, ab illo justo judice Christo Jesu, qui unicuique reddet juxta opera sua, de negligentia damnetur, decrevit visitare diœcesim suam, & Deo favente illuminare, qui in tenebris, & umbra mortis sedent, per debitam correctionem, inquirereque de vita & moribus tam clericorum, quam laicorum, ac ubi opus fuerit taliter providere, quod visitatio sua hujusmodi sit salubre remedium animarum subditorum suorum; & ut in tali deliberatione Spiritus Sancti gratia assistat, invocato SS. Trinitatis nomine, absque cujus nutu nihil perducitur ad perfectionem, die crastina Deo favente decrevit iter suum Bescam dirigere, & ex inde insula circumiens dictam visitationem suam prosequi ad laudem Dei.*

Hac lustratione perfunctus, quæ rei ac pietati Christianæ ingentes utilitates attulit, duos fere annos superstes fuit; diem obiit supremum anno 1564.

PETRUS II. EP. VEGLIENSIS XIX.

Petrus Bembus Ep. Veglien. ad cultum divinum rite peragendum plures, & sanctissimas leges constituit. Oriundus e gente Bemba patricia Veneta, virorum omni laude illustrium fœcunda. Huic Presbyteratus ordinem jampridem adepto Pius IV. ob insignem doctrinam ac virtutem anno 1564. XIV. Kalend. Novembris Ecclesiam Vegliensem decrevit. In iis, quæ ad jus episcopale pertinent, vindicandis ac tuendis acerrimum se præbuit; neque ullis seu magistratuum, seu privatorum hominum conatibus vel occultis, vel apertis, suam jurisdictionem ac dignitatem labefactari, aut imminui passus est. Nihilo segnius in eam curam incubuit, ut rite pieque, ac statis horis publicæ religionis officia quotidiana Presbyteri & clerici persolverent. Sunt in hanc rem leges præclare ab eo constitutæ. *Ad excitandam, inquit, & augendam populi Christiani fidem ac pietatem, & ne quid torporis ac negligentiæ in cultum divinum obrepat, neve aliquid indecorum, quod piorum oculis, aut auribus offensioni esse possit; hæc statuimus, interdicimus, jubemus.*

I. Ut divinæ laudes articulatim distincteque, voce consona, lingua non hæsitanti, aut nimis præcipiti decantentur, neve unum psalmi versiculum nondum completum alter versiculus excipiat.

II. Psalmodia matutina tam ferialibus, quam festis diebus ante diluculum ne in posterum recitetur; eique omnes intersint, quorum nomina in tabella subjecta describi jussimus.

III. Tre-

Digitized by Google

III. Preces horariæ sic distribui debent, ut Prima statim sub Laudes, Tertia, Sexta, Nona aliquanto post pulsationem tintinnabuli ad solemne sacrificium vocantis; a prandio vespertina hora consueta persolvantur. Inter psallendum unusquisque sacrosancta Christi patientis mysteria, quæ singulis horis respondent, pie meditetur.

IV. Qui choro præsunt, ea, quæ cuique obvenit, hebdomada officio suo per se ipse fungatur; cui si defuerit, & quotiescumque defuerit, duodenis solidis mulctetur.

V. Commune & publicum sacrificium hora tertia, idest post absolutas preces horarias matutinas decantetur.

VI. Præfectus sacrarii si ante horam præscriptam tintinnabula pulsari jusserit, ferialibus quidem diebus trium, festis vero sex libellorum mulctatione plectatur; nisi forte aut Vicarius, aut Archidiaconus psalmodiam, & rem divinam tempori consueto, justis de caussis, aliquando prævertendam esse censuerit.

VII. Secunda quaque feria sacrum piaculare fiat pro Christianis pie defunctis, cui omnes intersint, quos chori ea die adeundi obligatio urget.

VIII. Nullus in posterum sive presbyter, sive clericus e funeribus, exequiis, sacrisque anniversariis quidquam emolumenti percipiat, nisi omnibus nocturnis, matutinis, ac vespertinis illius diei precationibus interfuerit; sed quidquid ex illis obvenit lucelli, itemque cerei omnes, inter eos, qui adfuerint, pro rata portione dividantur.

IX. Nemo Sacerdos e sacrario egrediatur ante sacrificium absolutum in eo altari, ad quod ipse sacrificaturus accedit. Clericus eum præcedat, candelas, urceos, codicem sacrorum ferens; & nullus sine clerico administro rem divinam facere audeat.

X. Nemo vel antiphonas præcinat, vel capitula & orationes canere incipiat, antequam ad exedram in medio choro constitutam perveniat; sed Canonici festis diebus e suo quisque subsellio utrumque præstare poterunt.

XI. Omnes tam presbyteri, quam clerici formam ritumque psalmodiæ ac liturgiæ peragendæ ab Romana Ecclesia præscriptum accurate servent.

XII. Nullus inter psallendum loquatur, nisi obiter, perpaucis, ac de rebus necessariis; nullusque vel e sua sede, vel e choro discedat; nisi si qua necessitas ingruat; sed omnes attente pieque divinis laudibus ac rebus usque ad finem operam dare conentur.

XIII. Nemo sive Sacerdos sive clericus linteatus seorsum ab aliis exeat e sacrario; sed omnes simul eo, quo decet, ordine ad chorum accedant; nisi forte aliquis antea illuc precandi caussa se contulisset.

XIV. Nemo sive per se, sive per alium agros, silvas, prata, quæ ad suum sacerdotium pertinent, nisi ad tres annos locare audeat: qualibet locatio diuturnior esto irrita; & æque locatori, atque conductori decem libellarum mulcta irrogetur. Si quis vero hujusmodi bona ecclesiastica aut locet in perpetuum, injussu Sedis Apostolicæ, vel ad tempus quidem, sed pactione apposita locationis toties renovandæ, quoties prioris locationis tempus exierit; aut eadem bona cum aliis rebus ac bonis permutaverit, sacerdotii sui privatione mulctabitur; & omnem hujusmodi locationem, & permutationem irritam facimus, ac declaramus.

XV. Domos Ecclesiis vel altaribus testamento legatas, mulierculis profligatæ pudicitiæ locari vetamus, mulcta sex libellarum proposita.

XVI. Viri in primis honesti, navi, & prudentes, ab omnique alearum lusu alieni eligartur, qui decimis exigendis, & sartis tectis Ecclesiarum tuendis præsint; nisi tales fuerint, illorum electio nulla sit, ac prorsus irrita.

XVII. Prima cujus mensis hebdomada omnes Canonici, curatores animarum, & presbyteri per præconem vocati, aut per præfectum sacrarii, ad consultandum de re publica Christiana, & Ecclesiastica conveniant, considerent, & videant num quid detrimenti ceperit, & quibus vel præsidiis, vel remediis indigeat. Singulos Canonicos, alium seorsum ab alio, convocari jubemus; & si quis venire abnuat, sex solidos solvat, quos in sarta tecta tuenda ædis cathedralis impendi volumus; nisi forte excusationem, quo minus adesse potuerit, legitimam afferat.

XVIII. Si quis e Canonicis ad conventus capitulares rite vocatus, noluerit accedere, sex itidem solidis mulctetur, duobus vero si domi non esset, cum internuncius Capituli ad eum vocandum venit; nisi absentiæ suæ caussam aut Vicario nostro, aut Archidiacono, aut Canonico seniori probaverit, eamque juratus confirmaverit.

XIX. Si quis Canonicorum consilium, aut favorem præbeat ei, qui Capitulo, vel alicui Canonico de bonis, jurisdictionibus, privilegiis ecclesiasticis litem intulerit, habeatur velut perjurus, ab omnibus devitetur, nemo illum aditu, nemo congressione, nemo colloquio dignum putet; nisi antea errati pœnitens, Ecclesiæ & Capitulo satisfecerit. Denas autem libellas ædi cathedrali persolvat.

XX. Quilibet clericus cujusvis ordinis & gradus diligenter conficiat catalogum bonorum omnium ejus, quo præditus est, sacerdotii; illum jurejurando confirmatum, suaque manu subscriptum in tabulario S. Margaritæ deponat.

XXI. Si quis vel presbyter, vel clericus noverit bona cujusque generis, Ecclesiæ, Capitulo, altaribus aut donata esse, aut testamento relicta; intra dies octo nos, vel Canonicos legitime congregatos admoneat: id facere si neglexerit, & fraudis vel negligentiæ convictus fuerit, decem libellarum mulctatione puniatur.

XXII. Præfectus sacrarii singulis diebus notet, referatque in tabellam ad id paratam nomina illorum, qui ab choro divinisque officiis absfuerint; id quotiescumque prætermiserit, senas libellas sibi solvendas esse noverit, quas nostro arbitratui, & quibus nobis visum fuerit, distribuendas reservamus.

Hæc omnia volumus, statuimus, jubemus ab omnibus & singulis perquam accurate servari; ut omnes una voce, & uno animo, omni rerum terrenarum cogitatione curaque abjecta, mente in cælum defixa, omnipotenti Deo laudes & preces offeramus ad veniam nobis, salutem populo Christiano impetrandam, placandamque divinam indignationem; quam pro sua immensa misericordia, & bonitate a nobis avertat Deus Optimus Maximus, cui honor sit, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

His constitutis & decretis, quæ nos ex italico in latinum sermonem convertimus, Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, & Visitator Apostolicus anno 1579. cum pro munere ac potestate sibi tradita Vegliensem Ecclesiam

fiam invisebat, auctoritatem & approbationem suam adjunxit, eaque in perpetuum valere jussit.

Diœcesim semel atque iterum lustravit; extantque acta & decreta lustrationum hujusmodi episcopalium, plena prudentiæ, doctrinæ ac religionis. Vixit usque ad annum 1589.

JOANNES II. EP. VEGLIENSIS XX.

Joannes alter e gente Turriana Episc. Veglien.

Hunc Ecclesiæ Vegliensi Episcopum alterum dedit vetustissima & nobilissima gens Turriana, quem ex Julia Bemba Veneta matrona filia fratris Petri Cardinalis Bembi, genuit Hieronymus a Turri, Comes Valcassinæ, & Villæ altæ, frater Michaelis Cardinalis & Episcopi Cenetensis. Joannes patrui, viri omnium virtutum ac laudum genere cumulatissimi, vestigia secutus, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit. Juris utriusque lauream adeptus, & in collegium Canonicorum Cenetensium aggregatus, e patrui doctissimi & sanctissimi Episcopi disciplina ita profecit, ut ejusdem vitam, sapientiam, ac virtutes in seipso assidua imitatione expresserit. Michaeli Cardinali e vivis sublato anno 1586. omnium Cenetensium vota, & postulata in unum Joannem spectabant, quo digniorem neminem reperiri posse censebant, & unicum esse existimabant, qui desiderium patrui apud omnes relictum leniret, ejusque locum teneret, ac memoriam renovaret. Hunc itaque a Sixto V. Episcopum postularunt; sed Pontifex Ecclesiam M. Antonio Mauroceno jam decreverat; ne vero nihil aut precibus Cenetensium, aut doctrinæ & virtutibus Joannis dedisse videretur; illum e Capitulo Cenetensi ad collegium amplissimum Ecclesiæ Patavinæ transtulit, & intimi sui Cubicularii titulo atque insignibus ornavit. Post triennium vero Joannem, ob ejus eximiam probitatem ac sapientiam, Episcopum Ecclesiæ Vegliensi præfecit, ut est in Tabulis consistorialibus: 1589. 25. *Septembris providit Ecclesiæ Veglen. in Dalmatia dit. Venetæ per obitum Petri Bembi ultimi Episcopi vacanti, de persona R. D. Joannis Comitis Turriani Presb. Doct. in utroque jure, eximia probitate, cum retentione Canonicatus Patavini, quoad Ecclesiæ possessionem adipiscatur &c.* Multa sunt ejus in hanc Ecclesiam merita; illud in primis perutile ac necessarium, quod catalogum bonorum ecclesiasticorum confecit; & jura, privilegia, diplomata episcopalia in unum codicem congessit, ne dispersa & sejuncta intercciderent, ac perirent. Ceterum plures annos Episcopatus sane diuturni Ecclesia sua procul transegit. Cum enim ad res publicas gerendas, & ingenio perspicaci, & magna solertia præditus esset, Pontifices Romani passi non sunt illius operam, atque industriam intra unius Ecclesiæ angustias concludi; sed in communem rei Christianæ utilitatem impendi voluerunt. Itaque partim Romæ, partim in aliis regionibus publicorum negotiorum caussa ætatem suam magna ex parte contrivit. Clemens VIII. Joannem ad Rhetos & Helvetios Internuncium Apostolicum misit; qua in legatione annos ipsos duodecim commoratus est, haud minori Religionis Catholicæ adjumento, quam rerum suarum dispendio. Apud Rodulphum II. & Matthiam Imperatores, dum Sedis Apostolicæ negotia curabat, magnam sibi existimationem & gratiam conciliavit. Uterque egregiis talis ac tanti Præsulis virtutibus captus, a Paullo V. petiit, summeque contendit, ut Joannem in collegium purpuratorum Patrum cooptaret. Anno 1606. v. Kalendas Martias Consules, & Senatus Romanus ob insignem generis nobilitatem, & illustria in rem publicam Christianam merita tum Joannem, tum ejus fratris filios civitate donarunt, iisque omnibus, quibus præditi sunt, cives ac patricii Romani, privilegiis & honoribus cumularunt. Ædem cathedralem Patavinam, in qua Canonici dignitatem obtinuerat, grati & memoris animi caussa, tum aliis Divorum Reliquiis ex urbe allatis locupletavit, tum vero insigne fragmentum e ligno sacrosanctæ Crucis deposuit in sacello veteri, atque altari, cui ab S. Cruce titulus erat, ut declarabat inscriptio ibidem ad dexteram altaris parieti affixa: *Ligni S. Crucis insigne frustum ab Joanne Comite Turriano Vegiæ Episcopo inter alias Reliquias, cathedrali Ecclesiæ donatum anno* 1617. Vir omni laude & immortalitate dignus Patavii anno 1623. diem obiit supremum, ac sepiliri voluit in eodem, quod dixi sacello S. Crucis, cum hac epigraphe:

eximie de sua Ecclesia meritus.

Ab Rodulpho & Matthia Imperatoribus Pontifici commendatus, ut Cardinalis fieret.

Ecclesiam Patavinam Reliquiis insignibus ditavit.

Inscriptio sepulcralis.

Jo: Episc. Veglensis humilibus precibus implorat ut a religioso clero, populoque devoto, assidue ac pie commendetur D.O.M. Sacratiss. Virgini, omnibusq; Sanctis, quorum Reliquias venerationi fideliũ hic ipse collocavit. An. Sal. MDCXXI.

ALOYSIUS EP. VEGLIENSIS XXI.

Aloysius Lippomanus Canonicus Congregat. S. Georgii in Alga, Ep. Veglien.

Gens Lippomana inter patricias Venetas clara in primis, & æque civilibus ac bellicis laudibus abundans, cum aliis Ecclesiis nobilissimis Antistites multos singularis sapientiæ, & sanctitatis, tum etiam Ecclesiæ Vegliensi Episcopum dedit Aloysium, non tam nominis, quam virtutum heredem celeberrimi illius Aloysii Veronensium, ac deinde Bergomatum Episcopi, qui tum illustribus pro Sede Apostolica apud Regem Lusitaniæ, & Carolum V. Imperatorem legationibus obitis, tum vero historia accuratissima de vitis ac gestis Sanctorum sex voluminibus edita, aliisque ingenii, doctrinæ, pietatis suæ monumentis relictis, sui nominis memoriam immortalitati consecravit. Aloysius noster ab adolescentia rebus humanis nuncio remisso, Venetiis apud Canonicos Congregationis S. Georgii in Alga, religiosæ vitæ tyrocinia posuit; & ex disciplina præclarissimi illius instituti, non minores in virtutibus quam in doctrinis processus fecit. Gregorius XV. Episcopatu dignum censuit, & Ecclesiæ Vegliensi præfecit: 1623. x. *Maji providit Ecclesiæ Veglien. in Dalmatiæ provincia vacanti per obitum Joannis ultimi ejus Episcopi, de persona Aloysii Lippamani Nob. Ven. Congregationis S. Georgii in Alga.* Annos septemdecim sanctissime præfuit; & anno 1626. diœcesim universam lustravit, ubique tum sapientissimis decretis ad reformandos mores, & pietatem Christianæ plebis augendam, tum eximiis virtutum omnium exemplis ad imitandum relictis. Anno 1640. extinctus, sedem vacuam successori reliquit.

CONSTANTIUS EP. VEGLIENSIS XXII.

Constantius de Rubeis e Congreg. Somascha

Ortus ex illustri familia de Rubeis, frater Joannis de Rubeis Episcopi Absorensis. Uterque natione Græcus ex Chio insula maris Ægæi, sed

primum Cephalæniæ deinde Vegliæ Episc. sed ritu Latinus. Joannes Crescentius in eo libro, quem inscripsit, *Præsidium Romanum*, Constantinum genere Cyprium, & patria Famaugustanum fuisse scripsit. Ad sodalitatem Patrum Congregationis Somaschæ aggregatus cum esset, in arte oratoria & poetica excelluit. Extant ejus panegyricæ, & sacræ conciones, itemque poemata typis impressa. Ecclesias Cephalæniæ, & Zacynthi simul conjunctas aliquot annos prudenter pieque administraverat; cum eum Urbanus VIII. anno 1640. Idibus Augusti ad Ecclesiam Vegliensem migrari jussit. Tredecim annos hanc Ecclesiam præclaris institutis communivit, ac suarum virtutum exemplis illustravit. Vita functus est eodem anno 1653. quo Joannes ejus frater Ecclesiæ Absorensis gubernacula suscepit.

GEORGIUS EP. VEGLIENSIS XXIII.

Georgius Georgiceus designatus Nonensis, sed Vegliensis factus. Cognomento Georgiceus, honesto loco natus Suffuratii, quod est castellum episcopale diœcesis Spalatensis. Post obitum Simonis Diphnici Nonensium Episcopi, huic decretus fuerat successor. Sed nondum consecratus fuerat, cum eum Innocentius X. ad Ecclesiam Vegliensem transferendum censuit anno 1653. *die* 22. *Septembris vacantem per obitum Constantini de Rubeis, cum decreto, domus episcopalis reparationi pro viribus incumbat*. Vir fuit excelsi animi, navus & industrius, beneficus, & liberalis. Anno 1659. totam diœcesim episcopali lustratione peragravit. In templo primario castri Muscli accurate recensuit ac recognovit Reliquias, videlicet tria officula S. Claræ in vase vitreo, Spinam e Corona D. N. J. Christi, duas guttulas concretas, alteram e sanguine pretioso ejusdem Domini nostri, alteram e lacte Beatissimæ Virginis Mariæ in altero itidem vitreo vase; in quadam vero capsula particulam Virgæ Mosaicæ, & quinque annulos e catena ferrea S. Petri. Schedula cuique apposita admonebat quidem quorum essent, & ad quos Reliquiæ pertinerent; sed cum tabulæ earumdem Reliquiarum testes, rite obsignatæ deessent, eas neque approbare neque removeri voluit; sed veterem illarum cultum piæ incolarum credulitati permittendum esse censuit. Hac episcopali lustratione perfunctus, anno proximo e vita migravit.

FRANCISCUS II. EP. VEGLIEN. XXIV.

Erat Presbyter Ecclesiæ Spalatensis, idemque Doctor Sacræ Theologiæ, ex illustri familia de Marchis, inter Spalatenses valde conspicua. Huic Alexander VII. Episcopatum Vegliensem contulit: *1660. 21. Julii providit Ecclesiæ Veglien. vacanti per obitum Georgii de persona Rever. Francisci Marchii, cum reservatione unius, seu plurium pensionum, usque ad summam scutorum 300. monetæ Romanæ, salva antiqua &c.* Anno altero post susceptum Pontificatum diœcesim lustravit; & multa præclare constituit Christianæ plebi perutilia, atque ad veterem disciplinam, ac pietatem in clero & populo statuendam augendamque peropportuna. Septimo Episcopatus anno vivere desiit.

THEODORUS EP. VEGLIENSIS XXV.

Patria Vicetinus, cognomento Gennarus, ex Ordine Franciscano severioris disciplinæ, vir eximie pius & doctus, qui commentarios in Decalogum scripsit graves in primis & eruditos, eosque Evangelistæ Parzago Archiepiscopo Jadrensi dedicavit: *Anno 1668. 9. Aprilis providit* (Clemens IX.) *Ecclesiæ Veglien. vacanti per obitum Francisci Marchii, de persona Fr. Theodori a Vincentia ordinis Min. strictæ observantiæ. Taxa floren. 96. fructus Duc. Venet. 2. mille*. Anno 1677. tota diœcesi peragrata gregem suum lustravit, & salutari sacramentorum, ac divini verbi pabulo recreavit. Extremum diem obiit anno 1684.

STEPHANUS EP. VEGLIENSIS XXVI.

De quo in Tabulis consistorialibus: *1684. 19. Junii providit* (Innocentius XI.) *Ecclesiæ Vegliensi per obitum Theodori Gennari vacanti de persona Stephani David presbyteri*. Nondum quadriennium a suscepto regimine compleverat, cum e vivis decessit.

BALTHASAR EP. VEGLIENSIS XXVII.

Familia Nosadina ob claritatem generis, & illustrium fastorum gloriam in Annalibus Marchiæ Tarvisinæ sæpius cum laude commemoratur; quæ anno 1694. jus patritium civitatis Venetæ adepta est. Hinc ortus est Balthasar; quem Innocentius XI. Episcopum creavit, eique præfecturam atque administrationem Ecclesiæ Vegliensis demandavit, ut est in Tabulis consistorialibus: *Anno 1688. providit Ecclesiæ Veglien. vacanti per obitum Stephani David, de persona Balthasaris Nosadini omnia habentis &c.* Annos quinque & viginti præfuit.

PETRUS PAULLUS EP. VEGL. XXVIII.

Ex illustri & doctissima Congregatione Somascha, de quo in Historia Ecclesiæ Traguriensis; hanc siquidem, Clemente XI. jubente, cum Vegliensi Ecclesia commutavit: *An. 1713. 13. Februarii providit Ecclesiæ Veglien. vacanti per obitum Balthasaris Nosadini de persona Petri Paulli Calorii translati Tragurio, cum reservatione pensionum usque ad summam 300. scutorum monetæ Romanæ pro persona, seu personis nominandis*. Nihilo carior, & utilior Traguriensi, quam Vegliensi Ecclesiæ fuit. Utrumque clerum, & populum summa charitate complexus, assidua vigilantia, sanctissimis verbis, exemplis, institutis, utrique mirifice profuit. Episcopatus sui tempus propemodum æqualiter Traguriensibus, & Vegliensibus distribuit; nam æque in horum, atque in illorum Christianam institutionem fere quinquennium, haud laboriosius, quam salubrius impendit. Utrique optimi Antistitis & parentis sibi erepti, alteri quidem translationem, alteri mortem maxime doluerunt. Extinctus est anno 1717. pridie Kalendas Augusti. Amplius tres annos Ecclesia Vegliensis, incertum quas ob caussas, pastore caruit.

Digitized by Google

VINCENTIUS EP. VEGLIENSIS XXIX.

Vincentius Lessius ex Arbensi ad Veglien. Ecclesiam translatus.

E Corcyra Melæna oriundus, cui Lessio cognomen fuit. Clemens XI. qui eum ante annos quinque Ecclesiæ Arbensi præfecerat, anno 1720. Arbensibus ademptum, Vegliensibus Episcopum dedit: *Anno 1720. 2. Octobr. Ab Ecclesia Arbensi transtulit Vincentium ad Veglien. vacantem per obitum Petri Pauli Calori, cum pensione scutorum bisceutum, salvis antiquis pro persona, seu personis nominandis*. In id potissimum incubuit, ut rudes clericos bonis litteris, ac moribus imbueret, eosque ad normam ecclesiasticæ disciplinæ conformaret. Sed cum incommoda uteretur valetudine, & operosis ac molestis litigiis distentus & conflictatus fuerit, non potuit suas omnes cogitationes curasque, ut optabat, gregi suo impendere. Anno 1729. Arbam cum se contulisset, ulceris curandi caussa, ibidem vivere desiit Nonis Septembris. Ejus corpus Vegliam revectum est, conditumque in communi sepulcro Episcoporum.

FRIDERICUS EP. VEGLIENSIS XXX.

Fridericus Rosa Ep. Veglien. multos habuit sibi suisque præclaris conatibus adversarios.

Origine Venetus ex familia Rosa, honesta admodum, & honorata; sed Presbyter oppidi atque insulæ Bractiæ; quippe clero Bractiensi tunc adscriptus fuerat, cum ejus parens in Albania Turcica, nomine Reipublicæ Venetorum, Consulis sive Internuncii officio fungebatur. Anno 1730. Vincentio Lessio in Sedem Vegliensem successit. Episcopatum gessit plurimis & maximis molestiis exercitum agitatumque. Cum ad corrigendos depravatos plebis Christianæ mores, & quæ in clerum populumque irrepserant, malas consuetudines extirpandas, multa & præclara moliri cœpisset; in odium offensionemque multorum incurrit, qui per annos fere quinque sanctis ejus conatibus adversari, eumque calumniis appetere, & quibuscumque poterant vexationibus affligere numquam destiterunt. Multæ & graves de illo querimoniæ ad Senatum delatæ cum essent, Venetias accersitus est. Criminationes quidem illatas egregie diluit; sed numquam ei regressus ad Ecclesiam suam patuit, vel factione præpotentium adversariorum reditum intercludente, vel quod ad quietem & tranquillitatem publicam interesset eum abesse, ne sua præsentia illorum animos acrius irritaret; præsertim cum vel illos placandi, vel rei ecclesiasticæ, illis obsistentibus, bene gerendæ nulla spes esset. Itaque quatuor ipsos annos Venetiis commoratus est. Absente Pastore, cura gregis dominici iis commissa est, quibus ad tuendas oves, & lupos arcendos, contra opes factionemque iniquorum hominum, auctoritas, ac potestas deerat. Mirum igitur quantum detrimenti per eos annos ceperit religio & pietas Christiana, rerum sacrarum ignorantia, & morum corruptela passim, & ubique grassante.

Translatus est ad Ecclesiam Nonensem.

Vegliensi Ecclesiæ graviter laboranti ut consuleret, totque ac tantis malis mederetur Clemens XII. post Fridericum Rosam anno 1738. ad Ecclesiam Nonensem translatum, anno proximo virum doctum in primis, gnavum atque industrium delegit, cui regimen & curationem Ecclesiæ Vegliensis commendavit.

PETRUS ANTONIUS EP. VEGL. XXXI.

Petrus Antonius Zuccherius Ep. Veglien.

Cognomento Zuccherius, natus in oppido S. Viti, provinciæ Forojuliensis, & diœcesis Concordiensis; quem nihil minus cogitantem & optantem Clemens XII. ob ejus eximiam doctrinam, industriam, prudentiam anno 1739. VII. Kalendas Februarii, in amplissimo Patrum purpuratorum Senatu, Episcopum Vegliensem nominavit. Post susceptam episcopalem consecrationem eodem anno, mense Majo, possessionem Ecclesiæ sibi traditæ, per constitutum a se procuratorem ex formula juris adiit; mense Octobri Vegliam appulit, & XII. Kalendas Januarii sollemni pompa urbem ingressus, clero populoque comitante, qui venienti obviam processerat, ad ædem cathedralem accessit, & solium pontificale conscendit. Friderico Rosæ haud magis in sedem episcopalem, quam in easdem, quibus ille conflictatus fuit, molestias, atque agitationes successit, eamdem, atque ille, propter justitiam persecutionem passus: id quod futurum illi summus Pontifex prædixerat. Vineam Dominicam ob diuturnam patrisfamilias absentiam, & villicorum, quibus commissa fuerat, imbecillitatem, vel incuriam, plane silvescentem, vitiorum vepribus ac dumetis obrutam, atque oppletam invenit. Ad eam purgandam colendamque statim cogitationes omnes & curas convertit. Cum vitiis, quibus nec pauci e clericis & multi ex laicis laborabant, bellum apertum suscepit; hæc ex animis hominum ut evelleret, ac virtutes ecclesiasticas & Christianas iisdem insereret, nihil industriæ, & auctoritatis episcopalis prætermisit, nunc blanda suavique admonitione eos alliciens, nunc pœnarum metu injecto deterrens. Sed quod optimo Præsuli summam omnium benevolentiam conciliare debuerat, summam apud aliquos invidiam conflavit; præsertim cum per esuriales ferias sollemnis jejunii anno 1744. e suggestu in publica & privata flagitia vehementius inveheretur, quam pati potuerit effrenata quorumdam licentia, libertasque vivendi; qui suis opibus, suaque arrogantia freti neminem suis cupiditatibus obstare, & quidquid libebat, licere sibi volebant. Cum his societatem coiverunt qui se ab illo vel asperius reprehensos, vel severius punitos dolebant; & consiliis inter se conjunctis, importunum admonitorem, suorumque scelerum reprehensorem omni ratione per fas & nefas evertere, nec modo fama, sed etiam si res procedat, Episcopatu spoliare constituunt; cumque in eum odii sui expromendi alia via non suppeteret, calumniis grassari cœperunt. Audacia & malignitas eo progressa est, ut eum apud Sedem Apostolicam accusarent, falsis quidem criminibus ad urbem delatis, sed quam maxime ad veri similitudinem ita confictis, & compositis, ut Benedictus XIV. pro sua gravitate & sapientia judicaverit delationes illas negligendas non esse; & quæstiones de illius vita & moribus institui jusserit. Quod cum Episcopo nuntiatum esset, nullam moram interposuit, quin statim Romam se conferret, ut criminationes sibi objectas refelleret, seque de quibus accusatus fuerat legitime purgaret. Præclaro suæ conscientiæ testimonio fretus apud judices huic quæstioni præpositos magnopere institit, ut in sua dicta, facta, vitamque omnem diligentissime inqui-

Pro extirpandis vitiis strenue laborat;

quam ob caussam in odia multorum incurrit.

Digitized by Google

inquirerent; si alicujus delicti reum se comperissent, nullam se pœnam recusaturum & deprecaturum testatur. Res diutius, quam optabat, protracta est; demum post quæstiones rite peractas, ejus integritas, atque innocentia perspicue patuit; & omni non modo culpa, sed etiam culpæ suspicione liberatus fuit. Ac ille quidem, ut erat fugitans litium, & concertationum, amans pacis & quietis, veritus ne sibi cædem, & graviores fortasse ab suis adversariis, propter irritas accusationes exasperatis, contentiones & molestiæ imminerent; Vegliensem Ecclesiam, cui parum prodesse, illis adversantibus, se posse videbat, dimittere maluisset, quam exigua illius utilitate, & magno incommodo suo retinere. Verum Pontifici pro potestate imperanti parendum fuit. Vegliam reversus post quinquennalem absentiam, contra quam sperabat, ingenti omnium lætitia, & gratulatione exceptus fuit; nam ex illis, quos infensos sibi atque inimicos reliquerat, plerosque suæ in eum pravæ, & maleficæ voluntatis pœnituerat; ceteros vero optimi sui Pastoris male habiti, & calumniis iniquorum circumventi, miseratio cum magno dolore ceperat, ejusque absentis desiderium incredibile tenebat.

Vegliam Romæ reversus animos adversariorum erga se immutatos invenit.

Post reditum in vitiis profligandis, & ignorantia præsertim clericorum abigenda, nihil de pristina cura & contentione remisit. Cum sermo Illyricus litterarius a vulgari plurimum differat, haud ferme secus, quam ab Italo Latinus, & a vulgari Græcus itidem litterarius; clerici Illyrici discebant quidem, & legere sciebant codices divinos, & liturgicos Illyrice scriptos, sed quæ illis sententia subjecta esset penitus ignorabant; cum linguæ Illyricæ litterariæ intelligentia prorsus carerent. Illis itaque hujusmodi sacros codices litteris nostratibus & Latinis explicandos curavit; & linguæ utriusque Illyricæ & Latinæ addiscendæ legem imposuit. Non defuerunt quidem, qui perutili huic consilio inventoque obsisterent, atque illi obtrectarent, quod novum & inusitatum utriusque linguæ percipiendæ onus clericis imponebat. Obtrectatoribus silentium indictum; valuit auctoritas Episcopi, & præclarum institutum tenuit. Ita enim secum ipse statuit nullis se vel difficultatibus, vel obtrectationibus prohiberi passurum, quo minus illa omnia decernat, suscipiat, & perficiat, quæ ad incrementum divinæ gloriæ, ad salutem animarum, ad gregis sibi concrediti utilitatem pertineant. Sua vero constantia, auctoritate, & mansuetudine id assecutus est, ut plerosque ex illis, quos antea sibi parum æquos, vel etiam infestos expertus fuerat, Deo sibique conciliaverit.

Clericis studium Latinæ & Illyricæ litterariæ linguæ imperavit.

In æde cathedrali vetus altare S. Quirini Episcopi, & Martyris Sisciani, ac Patroni primarii totius diœcesis, cum vetustate ac situ squaleret, nec tali ac tanto Martyri & Patrono dignum videretur, funditus diruit; novum ex marmore, opere ornatuque eleganti extruxit; eidemque duas statuas itidem marmoreas apposuit, alteram ad dexteram S. Joannis Nepomuceni, alteram ad sinistram S. Aloysii Gonzagæ. Tabulam mediam egregia manu pingendam curavit, in qua cum S. Quirino, effigiem Virginis Deiparæ dolentis, itemque S. Francisci de Paula, & S. Petri de Alcantara appingi jussit. Cultum & patrocinium S. Quirini in hanc urbem, atque insulam invectum fuisse arbitror per Comites seu Dynastas Veglienses, quibus consanguinitas, & magna necessitudo intercedebat cum Comitibus Ciliæ, quæ regio est in Norico Mediterraneo, nunc Styria. In hac vero regione, quæ Slavoniæ finitima est ab occasu, magnum erat, & celebre nomen Quirini, & fama illustrium miraculorum, & antiqua incolarum religione florebat. Cum itaque Comites Vegliæ ad visendos consanguineos suos illuc frequenter itarent, eorum animos pia quædam sanctissimi hujus, & celeberrimi Martyris colendi, ejusque cultus propagandi cupiditas incessit. Itaque de communi totius cleri populique Vegliensis sententia, S. Quirinum urbis atque insulæ, Ecclesiæ ac diœcesis Patronum adoptarunt, & constituerunt; ejusque diem natalem ac festum sollemni ritu concelebrandum esse decreverunt. Lubet hic describi ex veteri Antiphonario Ecclesiæ cathedralis Antiphonas & versiculos, quibus ad psalmodiam illius diei ex antiqua formula peragendam clerus Vegliensis utebatur.

S. Quirino Ep. Mart. altare marmoreum extruxit.

Cultus & patrocinium S. Quirini per Comites Veglienses invectum.

Antiphonæ ad festū S. Quirini celebrandum antiquitus adhibitæ.

Antiph. ad Magnificat in primis Vesperis.

Istam Sancte tuam Quirine protege plebem, corporis atque animæ des alimenta sibi, & munias fovens, & super astra feras.

Ad Matutin. Invitat.

Sancte Quirine Martyr Christi intercede pro nobis. Venite exultemus &c.

In primo Nocturno.

Superans superavit Maximum & prostravit hic Martyr constantissimus adjutus a Domino.

Ita Dei instituit misericordia, ut Imperatorum superaret sacrilega jussa, & a palma rediret ad gloriam.

Tyrannorum præcepta damnavit, visionemque Christi amavit hic bellator fortis Quirinus, ut gauderet per sæcula.

Celeberrima dies nobis, qua beatus Quirinus transivit ad Dominum, cujus honore officia persolvimus; hunc cunctis conatibus deprecemur, ut nobis vitam imploret perpetuam.

Quem Christus ad se vocavit, & palma Martyris dotavit, & cælestibus beavit gaudiis.

Gloriosus Dei Pontifex, & Martyr Quirinus, mola collo suo ligata, præcipitatus in fluvio Savariola, diutius supernatavit; supernatando pie orans ad Dominum, ut sibi concederet transitum.

Quod petiit impetravit, & gloriose transivit ad Dominum.

Iste est Martyr Quirinus nomine, mandata adimplendo Domini, mortem crudelem passus est, ut viveret perpetuo.

In secundo Nocturno.

Martyrium sitiens, tyrannorum libamina subsannans, Christum verum Deum Quirinus fortiter prædicat.

Martyr Christi inclytus tyrannicas minas est superatus, & in cælo collocatus.

Hic nempe mundi gaudia rite caduca deputat, in fluvio Savariola diutius supernatat.

℟. Sacerdos & Pontifex summe, Martyr Christi Quirine, ora pro tuo grege, ut tua continua prece defendatur ab hoste maligno.

Ut qui tuam colimus passionem, tuam adesse sentiamus intercessionem.

Beatus Quirinus Siscianus Episcopus, & Martyr Christi inclytus in carceris ergastulo Marcellum ejus pedibus prostratum Deo est lucratus.

Digitized by Google

Die noctuque orationibus vacans Jesu Domino gratias agens.

Praeclarus Martyr Dei Quirinus Pontifex Tyrannorum gazas vepribus plenas reputans, velut sydus in sublime vadit matutinum, quem hodie Angeli atque Archangeli, Sanctorum inclytus chorus universus melodis vocibus suscipiunt in caelestibus.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui sperantem in se non despexit.

In tertio Nocturno.

Plaudat Vegla clerus totus, & sedula concio tanti Patroni agonem semper laeta celebret.

Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum.

Volo Pater ut ubi ego sum, ibit sit grex & meus.

Quirinus prece exoratus nos transfer ad gloriam.

℟. *Gloriosus Deus in Sanctis suis, cujus ineffabilis altitudo in nullis inclusa limitibus, recti jura judicii disponit universa, ejus ministros magnificat, altis decorat honoribus, cui servire est regnare.*

Beate Quirine Martyr Christi pro plebe tibi concessa ad Deum funde preces. S. Martyr invictissime Quirine, beatissime Protector nostrum, & refugium, qui meruisti Dominum, assidue te exorare deposcimus pro nostris excessibus.

Summis caelorum civibus glomeratus, jamque aeterna immortalitate indutus.

Ad Laudes.

Hac dicat concio gloriam, & laudes Dei, qui beatum Quirinum beavit martyrio.

Nomen Christi confitendo Pontifex, & Martyr iste illustratus caelesti sapientia, laetus transivit ad gloriam.

Beatus benedicatur ab omnibus, qui mandata Domini adimplevit, & donis gaudet caelestibus.

Laudent hunc Martyrem pueri, & majores, meritis cujus & precibus gaudiis fruamur caelestibus.

Vere credentes credimus, si te Antistitem secuti erimus tecum, cum Christo Domino gaudebimus perpetuo.

Ad Benedict.

Ave Martyr gloriose, Quirine invictissime, hanc fove & protege plebem, & ab omni defende peste tuis piis meritis.

Ad Magnif. in secundis Vesperis.

O Martyr invictissime, Quirine constantissime, urbis Veglensis Protector, nostris acquiesce precibus, & pro salute omnium funde preces ad Dominum.

De Sancto Quirino plura in Historia Ecclesiae Sisciana; nunc illuc, unde digressi sumus, regrediamur. Multa in urbe praestantissimus Praesul, de quo agimus, ad religionem augendam, ad Deum, Divosque colendos pie instituit. Extremo, & primo anni cujusque die, divinam Eucharistiam in summo altari aedis cathedralis insigni apparatu, & luminum copia, publicae venerationi exponi jussit ac decrevit, ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, atque ad clementiam opemque divinam implorandam. Alias praeterea in urbem ac dioecesim pias consuetudines invexit, aeque honorificas Deo & Coelitibus, ut populo salutares; quae utinam perpetuae sint, atque in omne posterum tempus propagentur. Annum a suscepto Episcopatu jam quartum, & tricesimum agit; & quamvis aetate in senium devexa, ne ulla tamen in re, pastorali officio, & gregi sibi charissimo desit, nullis laboribus, neque incommodis parcit; & nihil vehementius optat, quam ut, clero populoque ad omnem sanctitatem composito, Ecclesiam Veglensem optime constitutam, non habentem rugam, neque maculam successori relinquat.

Pia instituta Petri Antonii Episcopi, & cura laboriosa gregis sibi commissi.



ECCLE-

ECCLESIA SISCIANA
NUNC ZAGRABIENSIS

Suffraganea Metropolis Colocensis in Hungaria.

MONITUM AD LECTOREM.

SUnt quædam Ecclesiæ Episcopales, ut in Præfatione ad Tomum III. monuimus, quæ continentur quidem intra fines, quibus Illyricum hodiernum ex descriptione Justiniani in sua Novella Constitutione XI. circumscripsimus; sed habent suos Metropolitas extra Illyricum Justinianeis terminis definitum, quorum historia ad nos non pertinet. Has partim in hunc Tomum, partim in alios, qui subsequentur, conjiciendas esse censuimus. Hujusmodi est Sisciana, nunc Zagrabiensis Ecclesia, quæ subest Colocensi Metropolitæ in Hungaria. Hanc in hoc Tomo cum Metropoli & Provincia Jadertina conjungimus.

ECCLESIA SISCIANA.

Sisciæ positio;

SIscia civitas perantiqua, & illustris Romanorum Colonia, ab Oriente adjacet insulæ Segesticæ, quam Colapis amnis duplici alveo in Savum influens efficit: *Penes Segestam*, ait Strabo lib. 7. *Castellum est Siscia*; nunc *Sissek* sive *Sissekum* vulgo appellant. Eamdem huic oppido positionem attribuit Plinius lib. 3. cap. 25. *Colapis in Savum influens, gemino alveo insulam ibi efficit, quæ Segestica appellatur*; & ibidem Sisciam inter Colonias Romanas annumerat: *Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio. In ea Coloniæ Aemona, Siscia.* Antoninus, seu quis alius, describens iter, quod Aemona est Sirmium, Sisciam inter *Quadratum* & *Variana Castra* constituit. Ptolemæus Sisciam intra fines Pannoniæ superioris inclusit. Nam Pannonia ante Augustum ab Danubio usque ad Alpes Dalmatiæ protendebatur, bipartito divisa; & quæ pars in Occidentem spectabat, *Superior*; quæ vero ad solem Orientem vergebat, *Inferior* Pannonia vocabatur. Sed Pannonia, Augusto imperante, suos a meridie fines contraxit; & regionis intermediæ quod Savum inter montesque Dalmaticos continetur, ex ejusdem Augusti descriptione, Dalmatia occupavit. Regio autem illa, quæ Dravo & Savo fluminibus interjacet, Pannonia Savia dicta fuit; sed quamvis Siscia citra Savum esset, Pannoniæ Saviæ attribui solebat; nam ut docet Sconlebius, Ferrarius, & alii, Savia citeriorem etiam, & meridianam Savi ripam, urbesque eidem impositas complectebatur. Octavius Cæsar, qui postea Octavianus Augustus, & Imperator Romanorum, bello Japidico prospere perfunctus, anno ante Christum 35. in Peones, sive Pannonios, qui regionem inter Savum & montes Dalmaticos incolebant, arma convertit, & Segestam ac Sisciam in ditionem imperii Romani redegit: *Itaque Segestani* (ut docet Appianus lib. de Bellis Illyricis) *omnia acerrimæ oppugnationis mala perpessi, trigesima tandem die per vim capti sunt*. Sisciæ autem obsidionem ac deditionem Dio Cassius lib. 49. his verbis descripsit: *Enimvero Cæsar in Pannoniam profectus primum a rapinis se continuit, quamvis ii pagos in campestribus sitos deseruerant; sed cum ad Sisciam accedentem eum læsissent, ira correptus agrum eorum ussit, prædasque, quas potuit, marinas egit. Cum urbi appropinquasset, incolæ a primoribus persuasi statim se ei dediderunt, & obsides præbuerunt; postea autem cum portas occlusissent, in obsidione habiti sunt; cum & muris validis, & duobus navigabilibus fluviis confiderent; Colops enim mœnia alluens in Savum defluit . . . tandem audito quosdam sociorum suorum insidiis exceptos periisse, animis collapsi deditionem fecerunt. Ita his in potestatem Cæsaris receptis, reliqua etiam Pannonia pacis conditiones accepit.* Sunt qui Segestam eamdem urbem esse ac Sisciam, nec alteram ab altera distinguendam putent, veluti Philippus Cluverius lib. 1. It. cap. 20. *Credo*, inquit, *Romanos, cum hæc loca primum debellarent, inventam ibi urbem Sisciam, clarissimæ potentissimæque in Sicilia urbis nomine sibi dudum notissimo appellasse Segestam, insulamque contérminam inde Segesticam; postquam vero præsidia sua, imperiumque huc protulerunt, vero nomine probe cognito Sisciam vocare perrexisse.*

quam Cæsar Octavius cum insula Segestica, in potestatem Romanorum redegit.

Digitized by Google

Tiberius in bello Pannonico Sisciam egregie munivit.

Anno æræ vulgaris sexto, cum Pannones ac Dalmatæ ab imperio Romano descivissent, Tiberius exercitu in Pannoniam traducto Sisciam validis operibus, firmissimisque præsidiis munitam, belli & armorum sedem constituit, & anno proximo in hybernis apud Sisciam legiones collocavit, ut docet Vellejus Paterculus: *Ipse*, inquit, *asperrimæ hyemis initio regressus Sisciam legatos, inter quos & ipsi fuimus, partitis præfecit hybernis*.

Siscia civitas Pannoniæ Saviæ, quæ provincia erat Illyrici orientalis.

Cum Illyricum universum ex descriptione Sexti Rufi decem & septem provincias complecteretur, harum una erat Savia; Siscia vero civitas Saviæ admodum frequens, & nobilis. Cum autem divisio facta esset Illyrici Orientalis, & Occidentalis, Savia & Siscia inter provincias & urbes Illyrici occidentalis numerum & locum obtinuit. Qui Saviæ præerat, is *vir clarissimus Corrector* appellari solebat, ut docet *Notitia dignitatum utriusque Imperii*, ejusque sedes affixa erat Sisciæ. Erant præterea in hac urbe duo magistratus constituti, videlicet *Præpositus Thesaurorum Siscianorum*, *& Procurator monetæ Siscianæ*; alter pecuniæ exigendæ, atque in usus publicos erogandæ, alter pecuniæ Siscianæ cudendæ signandæque præerat. Itaque Sisciæ & commune totius provinciæ ærarium erat, & una de senis officinis monetalibus Imperii occidentalis; quarum reliquæ Aquilejæ, Romæ, Singinduni, Arelate, Treviris institutæ fuerant. Carolus Dufresnius in Dissertatione de Nummis inferioris ævi, officinæ Siscianæ adscribendos censet aliquot nummos his notis inscriptos.

Magistratus Sisciani & officina monetalis.

Monetæ Siscianæ.

ASIS SISIIAE, Constantini M., Licinii, Crispi &c.

BSIS. *Sisciæ*, Vetranionis. In aliis PSIS, idest *percussa Sisciæ*.

PS. *Percussa Sisciæ*, Licinii.

PSIS. *Percussa Sisciæ*, Crispi, Vetranionis.

S. *Sisciæ*, Constantini M.

SE *Sisciæ*, Constantis.

SIS *Sisciæ*, Constantini M., Licinii, Constantii, Constantis.

SISPZ. *Sisciæ percussa*. Z nota monetæ.

SISCP. *Sisciæ percussa*, Gratiani.

SMSISI. *Signata moneta Sisciæ*. Valentis.

Hos ipsos nummos typis æneis impressos reperies apud Dufresnium lib. 1. Hist. Byzant. ex Museo rei nummariæ Regis Christianissimi.

Urbis amplitudo, frequentia, & opulentia.

Siscia si non ambitus magnitudine, at celebritate nominis & nobilitate civium, ceteris Saviæ civitatibus, secundum Sirmium, facile præstabat; idque declarant rudera tectorum passim extantia, & quæ identidem effodiuntur marmora, metalla, numismata, & urnæ sepulcrales. Extat lapis incisus his notis:

F. P. REL. MARCIANO FLAM.... PRAEF. AN. XX.... AVVAE MAXIMI ... reliqua vetustas abrasit.

Siscia divitiis quoque affluebat, fluviatili mercimonio partis; nam fructuosi commercii opportunitatem præbebant duo fluvii navibus ferendis idonei, Colapis, qui ab occasu mœnia præterfluebat, & Savus ab septentrione, in quem Colapis paucis ab urbe passibus inferebatur; utroque enim merces devehi, atque invehi solebant. Urbis figuram, rudera & vestigia, quæ adhuc extant, Ferdinandus Marsilius Tomo 2. *Itin. Danub. de Siscia*, his verbis describit. *Urbem Romanam mediocriter amplam hic olim fuisse, mœnium fundamenta, & vestigia, immo etiam locis quibusdam altius adhuc extantia rudera, quæ figuram oblongam circuitu suo efficiunt, clare satis loquuntur. Constant saxis non quidem quadratis, aut sectis, interim tamen durissimis, ex calce adeo forti, sibi mutuo cohærentibus, ut nonnisi summa cum difficultate confringi queant. Crustam exteriorem lateres cocti constituunt. Ædificiorum dirutorum ruderibus, laterum coctorum acervis, area intus abundat, in qua sicut & in vicinis locis fossæ, canales, Romana numismata, aurea, argentea, sed maximam partem area, lapides sepulchrales inscriptionibus incisi, viæ lapidibus stratæ, & hujusmodi antiquitates aliæ passim reperiuntur, quæ omnia, cum hoc mereri nobis videantur, in peculiari tractatu, volente Deo, aliquando prolixius exponemus. Crassities muri ubique fere 3. orgyas æquat. Portas urbis fuisse aperte quidem ex reliquiis constat; nos autem conjecturaliter tantum credimus; persuasum nobis habentes, quod etiam pars flumini obversa Portæ patuerit; quæ vero, cum huic parti receus vicus introrsum sit adstructus, & hæc vestigia mœnium frequenti accolarum calcatione plane sint attrita, soloque æquata, dignosci haud potuit.*

E regione urbis ad alteram ripam fluminis pariter ædificium quoddam lapideum stetisse, an pro vigilia, an alio usu, incertum; elevatior ibi terra & collis, totus fere lapidibus adhuc coacervatus testantur.

Ab ipsis Apostolis, vel Discipulis Apostolorum lucem evangelicam Pannonibus illatam fuisse inter omnes convenit; ex alterutris quinam fuerint, qui Christi nomen cultumque invexerint in Pannoniam, id in controversia est. Primordia Christianæ Religionis apud Pannones alii Petro Apostolorum principi, a quo Epænetum primum Episcopum Pannoniæ datum fuisse ferunt; alii Paullo adscribenda censent; hic siquidem in Epistola ad Romanos capite 15. scripsit se *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi*; ex quibus verbis Hieronymus in epistola ad Marcellam, & Gregorius Nissenus in Orat. de S. Stephano affirmant evangelicam Paulli prædicationem toto propemodum orbe diffusam, cum ad alias gentes, tum nominatim ad Illyrios dimanasse. Apostolicos Paulli labores, atque itinera in omnes regiones Illyricas extendit Asterius vetus & bonus in primis Auctor tom. 2. Biblioth. PP. homil. 8. in Principes Apostolorum: *Paullus totum Illyricum percurrens, & ubique spargens scintillas fidei*. Idem confirmat Petrus Damianus in serm. de Apostolis: *Aspice Paullum totum flagrantem Illyrium, suscitantem mortuos &c.* Idem sentiunt Petrus de Marca, Carolus a S. Paullo, & recentiores fere omnes. Primo autem æræ Christianæ sæculo, Illyrici nomen & descriptio universam Pannoniam complectebatur. Sunt etiam qui tradunt D. Jacobum Apostolum cognomento Majorem, cum Hispaniam peteret, Pannoniam obiisse, & quacumque iter faceret, Christianæ fidei semina quædam sparsisse. Ex Discipulis vero Apostolorum Marcum, & Lucam Evangelistas, Epænetum & Andronicum, Clementem & Apollinarem vel obiter Pannoniam Evangelii prædicatione lustrasse, vel ex professo Pannonibus Christiana doctrina erudiendis operam stabilem ac diuturnam dedisse, auctores multi sunt nec ignobiles. Ceterum undecumque Pannones, & Sisciani Evangelium acceperint, nulla est inter Scriptores controver-

Primordia Christianæ Religionis apud Pannones referuntur ad Principes Apostolorum.

Paullus Illyriis & Pannonibus lucem evangelicam attulit.

sia,

Digitized by Google

-sta, quin ut in reliquis Pannoniæ civitatibus, sic etiam Sisciæ Religio Christiana inde usque ab apostolicis, vel certe antiquissimis temporibus coli ac florere cœperit: idque intelligi potest ex Arca sepulcrali e terra prope Sisciam effossa cum inscriptione Christiana:

Inscriptio sepulcralis Christiana.

HVIC ARCÆ INEST SEVE
RILLA FAMVLA XPI. QUÆ
CVM VIRO SVO VIXIT
NOVEM CONTINVIS AN
NIS. CVIVS POST OBI
TVM MARCELLIANVS HANC
SEDEM VIDETVR COLOCAS
SE MARITVS

Episcopatus Siscianus temporibus Apostolicis æqualis.

Quemadmodum vero Sirmii, quod civitas esset princeps totius Pannoniæ, Episcopus constitutus est Epænetus vel Andronicus, e schola ac disciplina Paulli uterque profectus; ita verisimile est per eadem tempora suum Sisciæ Episcopum datum fuisse, cum hæc civitas post Sirmium inter ceteras Pannoniæ urbes incolarum frequentia, divitiarum copia, & nominis celebritate præcelleret. Sed nomina & acta Episcoporum, qui ante exitum sæculi tertii huic Ecclesiæ præfuerunt, nimia vetustas posteritati præripuit; nec vero habeo quemquam S. Quirino Episcopo & Martyre Sisciano antiquiorem, cujus nomen proferre possim; nisi forte credere libeat de Casto nescio quo, quem sub Decio Imperatore in decreto Cornelii Papæ nominatum ferunt. Post Quirinum quatuor non amplius Episcopos nobis antiqua monumenta suppeditant, duos sæculo quarto, Marcum & Constantium, duos itidem sæculo sexto, Joannem & Constantinum; ceteros obruit oblivio, & vetustas absorbuit. Hos tantummodo ex tot clarissimorum Antistitum naufragio exemptos nobis veterum scripta conservarunt; his ergo contenti erimus, horum Acta, si qua supersunt, edemus. Principio Ecclesia Sisciana subjecta fuit Metropolitæ Sirmiensi; post Sirmium excisum, in jus ditionemque Metropolitæ Salonitani migravit.

Quatuor Episcopi Siscienses, quorum nomina supersunt.

Ecclesia Sisciana subjecta Metropolitæ Sirmiensi, deinde Salonitano.

Episcopi Sisciani nobis noti.

S. Quirinus Martyr an. 300.
Marcus an. 347.
Constantius an. 381.
Joannes an. 530.
Constantinus an. 531.

S. QUIRINUS EP. SISCIANUS.

Plures Quirini Martyres.

Hunc ante omnia distingui oportet cum ab aliis ejusdem nominis Martyribus, tum vero præsertim a Quirino quodam commentitio, quem Philippi Imperatoris filium, & Episcopum Laureacensem, Aquilejensem, &, si Superis placet, etiam Siscianum fuisse tradunt. Quirinus Romanus ex idololatra Christianus, ex Tribuno Martyr, ab Alexandro Papa in carcerem incluso, cujus custodiæ præerat, ad Christum conversus, sub Adriano Imperatore anno 130. præclaram pro Christo mortem oppetiit; ejusque corpus e cœmeterio Pretextati sæculo undecimo translatum est Novesium, quæ civitas est vetusta & nobilis sub jurisdictione Archiepiscopi Coloniensis, haud ita longe ab ripa sinistra Rheni; ibique Templum sane magnificum obtinet, Quirini Martyris titulo inscriptum, apud illustre collegium Virginum Canonicarum, & summa veneratione colitur. Ejus nomen in sacris fastis ad diem tricesimum Martii adscriptum est; de quo Hagiologi Antuerpienses eodem die, Tomo III. Martii.

Quirinus Presbyter cum Nicasio Episcopo Rhotomagensi pro religione cæsus occubuit sæculo primo æræ Christianæ exeunte, coliturque v. Idus Octobris, de quo Baronius in suis notis ad Martyrologium die undecima ejusdem mensis. Ab utroque diversus est Quirinus Martyr Tiburtinus, de quo itidem Baronius die quarta Junii: *Tibure S. Quirini Martyris*, & in eadem urbe, in basilica S. Laurentii, subter altare Sanctissimi Salvatoris conditum esse affirmat.

Fuit itidem Romæ celeberrimus Martyr nomine Quirinus, qui anno 269. sub Claudio II. Imperatore Christi caussa interemptus fuit VIII. Kalendas Aprilis, projectusque in Tiberim; sed inde sublatus, in cœmeterio Pontiani sepultus est. Hujus corpus duo nobilissimi fratres Albertus & Ockavius conditores cœnobii Benedictini in Norico Ripensi sive in Bavaria, inter Isaram & Oenum fluvios ad lacum Tegernum, unde Tegernseense monasterium dictum, ab Zacharia Summo Pontifice anno 746. impetrarunt; atque in basilica, quam ingenti mole sumptuque apud cœnobium in honorem utriusque Principis Apostolorum exstruxerant, honorifice deposuerunt, ubi plurimis miraculis claruit, quæ antiquis litteris consignata Hagiologi Antuerpienses in Tomum tertium, ac diem vicesimum quintum Martii contulerunt. Hi quatuor ejusdem nominis Martyres tam variis & diversis vel temporum, vel locorum, & aliarum rerum notis insigniti sunt, ut facile cum inter se, tum a Quirino Episcopo & Martyre Sisciano distingui queant. Alios Quirinos seu Cyrinos Martyres prætermitto, qui a nostro facilius secerni & internosci possunt.

Quirinus commentitius filius Philippi Augusti Episcopus Laureacensis, Aquilejensis, Siscianus.

Nunc de illo Quirino, de quo multa poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur. Philippus genere Arabs, quem e Pannonia oriundum fuisse ad fabellam aptius concinnandam falso ajunt, Gordiano interfecto Imperium occupavit anno 244. & Philippum filium Cæsaris titulo impertivit. Multi graves in primis, ac nobiles auctores sunt hos primos Imperatorum Romanorum Christianis sacris initiatos fuisse. Philippo Augusto, præter Philippum juniorem, alterum fuisse filium commenti sunt e Serena, seu Severa uxore genitum, quod veterum Scriptorum nemo tradidit: hunc vero fuisse Episcopum Laureacensem, & patrimonium amplissimum sibi a parente Augusto relictum ex duabus & viginti civitatibus conflatum Ecclesiæ Laureacensi donasse. Eidem Aquilejensem etiam Episcopatum attribuunt, quod vel simul cum Laureacensi gessit, ut aliqui putant, vel ab hoc ad illum translatus fuit, ut alii existimant. Verum ab antiquis probatisque Antistitum Laureacensium, & Aquilejensium catalogis abest Quirinus; neque ulla suppetunt antiqua monumenta, neque ulli Scriptores idonei, quorum auctoritate uterque Quirini Episcopatus nitatur; id quod vel ipsi illi fatentur, qui eum Laureaci & Aquilejæ Episcopum fuisse affirmant. Eidem huic Quirino Episcopatum Siscienſem affingunt; sunt tamen qui Apostolum

Digitized by Google

lum quidem, & Martyrem Sisciæ hunc fuisse ajunt, sed Episcopum negant, ea falsa ratione adducti, quod Siscia sedem episcopalem numquam habuerit. Sed Quirinus, in quem hæc omnia conferunt, & genus augustale, & triplicem Episcopatum, nullus fuit. Vide jam unde, & quomodo iste Quirinus effictus fuerit.

Confictus ex Historia Tegernseensi S. Quirini M. Romani.

In cœnobio Benedictino Tegernseensi, supra laudato, extat Historia de martyrio, translatione, miraculis S. Quirini Romani, qui sub Claudio II. Imperatore ob Christianam Religionem extremo supplicio affectus est, ejusque corpus translatum est, ut supra diximus, in Bavariam, atque in templo monasterii Tegernseensis honorifice depositum. Hanc Historiam sæculo duodecimo Metellus monachus Tegernseensis carminibus lyricis illigavit, venusteque descripsit; Godefridus Henschenius Tomo tertio Martii ad diem quintum, & vicesimum ejusdem mensis inseruit. In hac Historia dicitur Quirinus fuisse filius Philippi Augusti, & frater Philippi Junioris: cæso utroque Philippo, Quirinus, cum septimum annum ageret, sub cura & disciplina religiosissimæ matris Severæ, sive Serenæ educatus, cum matre & aliis Christianis Romæ in cryptis delituit, dum persecutio Deciana fervescebat. Nondum annum tricesimum attigerat, cum Claudio II. imperante supremum pro Christo certamen fortiter alacriterque obivit. Quæ de illius Martyrio narrantur, desumpta sunt ex actis S. Valentini Presbyteri & Martyris; de quo Beda in suo Martyrologio ad diem VIII. Kalendis Aprilis: *Romæ Cyrini, qui interfectus est a Claudio, & in Tiberim jactatus, in insula Lycaonia inventus, & in cæmeterio Pontiani conditus est. Scriptum in Actis S. Valentini.* Sed de illius imperatorio genere, & nobilitate augustali, ne verbum quidem in Actis S. Valentini, sive apud veteres Scriptores invenitur.

ex Vita S. Maximiliani Episcopi Laureacensis.

Qui vitam S. Maximiliani Episcopi Laureacensis sæculo decimo tertio scripsit, ex Historia Tegernseensi Quirinum illum Philippi Augusti filium surripuit: de suo autem hæc adjecit, vel sumpsit aliunde: hunc Quirinum fuisse proximum ante S. Maximilianum Antistitem Laureacensem, & Ecclesiam hanc, patre jam Christiano non invito, sed libente, dotasse luculentissimo patrimonio, quod sibi in Pannonia, & finitimis regionibus obvenerat; nam ejus parens Philippus, cum esset, ut ajunt, genere Pannonius, regiones amplissimas avito, & paterno jure possidebat, quas bipartito divisas, æqualiter utrique filio Philippo, & Quirino assignavit; ejus autem patrimonii, quod obtigerat Quirino, loca omnia, & civitates duas omnino & viginti nominatim percenset: quo ex patrimonio mirum quantas in opes creverit Ecclesia Laureacensis, quæ post excidium Laureaci Pataviam translata fuit: hinc nihil frequentius in chronicis & catalogis recentioribus Archiepiscoporum Laureacensium, & Pataviensium reperitur, quam eadem cantilena his verbis aut similibus expressa: *Philippus Imperator utriusque Pannoniæ Dominus, primus ex Imperatoribus Christianus, pauperem hactenus Laureacensem Ecclesiam honoribus, & divitiis exaltavit.* Ceterum si fides antiquis historiis habenda est, Philippus humili loco, tenuique fortuna natus est in Arabia. Demum ex Laureacensi ad Ecclesiam Aquilejensem regendam migravit. Hactenus ex vita S. Maximiliani Laureacensis Episcopi.

& ex actis S. Quirini Martyris & Episcopi Sisciani.

Ex Actis vero nostri Quirini additum est fuisse illum etiam Episcopum Siscianum; ejusque vitam usque ad imperium Diocletiani, & initium quarti sæculi perductam esse; apud Sabariam in flumen dejectum illustrem pro Christo mortem obiisse. Hæc Lazius, Cuspinianus, Inchoffer, Raderus, Hundius, Gevoldus, & alii Scriptores Germaniæ, qui de summa rerum ferme inter se consentiunt; nonnulla tamen sunt, in quibus paullulum discrepant. Quæ igitur de Quirino in Historia Tegernseensi, in vita S. Maximiliani, in Actis S. Quirini Episcopi Sisciani traduntur, fere omnia in unum Quirinum contulerunt. Ita ex duobus Quirinis, altero Martyre Romano, altero Episcopo & Martyre Sisciensi, cum additamento commentitio generis imperatorii, & duplicis Episcopatus Laureacensis & Aquilejensis, unum Quirinum conflarunt, qui numquam fuit.

Ex duobus Quirinis, altero Martyre Romano, altero Episc. Sisciensi unus conflatus.

Porro Quirinum nostrum, iis omnibus detractis, quæ ad eum non pertinent, talem exhibemus, qualis in suis Actis apparet. Hæc germana sunt & sincera, atque adeo ex ipsis Actis proconsularibus, sive juridicis descripta, ut ordo seriesque narrationis satis certo declarat. Ex his Hieronymus elogium S. Quirini confecit, & suis ad Eusebium additamentis intexuit, Prudentius hymnum de Martyrio & laudibus ejusdem composuit, & Martyrologi fere omnes sumpserunt, unde nomen B. Quirini ornarent. Hæc Mombritius, Surius, Papebrochius, Ruinartius Actis Divorum inseruere. Eadem nos Acta hic exhibemus, subjectisque notis illustramus.

Acta S. Quirini Episc. & Martyris Sisciani germana, & sincera.

Cum mundi istius principes ad cruciandas Sanctorum animas Diabolus commovisset, & ubique Domini Ecclesias diversis persecutionum tempestatibus ventilaret; suscitatis regum amicis, per quos amplius adversus Dei populum prælia commoveret, agebat quotidie suæ incrementa sævitiæ. Trementibus itaque eos Maximiani (1) Imperatoris legibus, Christianus infestabatur exercitus. Per Illyricum vero Diocletianus sacrilegis præceptis in Christi populum hostiliter sæviebat, addito tyrannidi suæ Maximiano (2) in regno participe, qui & suam rabiem, & Diocletiani per omne Illyricum (3) ostenderet. Fere tamen (4) omnes ad provinciarum Judices nefandorum principum sacrilegi apices mittebantur, ut in templis Dæmonum immolare cogerent Christianos; Christi Ecclesiæ clauderentur, Christi Sacerdotes, & ministri ut parerent legibus publicis, & confiterentur Deos esse: quibus si thura nollent accendere, suppliciis diversis, & mortibus subjacerent.

Inter multos autem, qui in Christi exercitu triumphabant, beatus Quirinus (5) Episcopus Siscianus a Maximo Præside jussus est comprehendi, quem cum studiose quærerent, & beatus id sensisset Episcopus, egressus est a civitate, & fugiens comprehensus est. Cumque a Maximo (6) Præside interrogaretur quo fugeret, Quirinus Episcopus respondit: Non fugiebam, sed jussum Domini mei faciebam; scriptum nobis est: Si vos persequentur in una civitate, fugite in aliam. Maximus Præses dixit: Quis hoc præcepit? Quirinus Episcopus respondit: Christus, qui verus est Deus. Maximus dixit: Et nescis quia ubique te Imperatorum præcepta poterant invenire; & hic, quem dicis Deum verum, comprehenso tibi subvenire non poterit, sicut

sicut & modo fugiens comprehensus es, & deductus. Quirinus respondit: Semper nobiscum est, & ubicumque fuerimus, Dominus, quem colimus, subvenire potest; & modo cum apprehensus essem, mecum erat; & hic mecum est confortans me; & ipse de meo ore tibi respondet. Maximus dixit: Multa loqueris, & loquendo
7 magnorum regum instituta differs (7). Lege ergo
divinos apices, & fac quod jussum est. Quirinus Episcopus respondit: Ego Imperatorum tuorum jussionem non audio, quia sacrilega est, & contra Dei præcepta jubet servos Christi Diis vestris immolare, quibus ego non servio, quia nihil sunt. Deus autem meus, cui servio, ipse est in cælo, & in terra, & in mari. Ipse est & in omni loco, omnibus autem superior, quia intra se continet omnia: quoniam per ipsum cuncta facta sunt, & in ipso constant universa. Maximus dixit: Per nimium tempus vivendo, quasdam fabulas didicisti. Supponantur tibi thura, & disce Deos esse, quos nescis. Non parvum consecuturus es munus intelligentiæ, si præceptis obediens esse volueris. Quod si ipse tibi non suaseris, ut devotus appareas, cognosce te subjiciendum diversis injuriis, etiam morte terribili vitam tuam finiendam. Quirinus Episcopus respondit: Injurias, quas mihi minaris, gloriam puto; & promissa mors, si merear, vitam dabit æternam. Propterea Deo meo devotus esse cupio, non regibus tuis. Neque enim Deos credo esse, qui non sunt, & aris Dæmonum thura non pono; quia scio aram esse Dei mei, in qua apta ei sacrificia odoris incendi. Maximus dixit: Video quia insania te cogit ad mortem: Sacrifica Diis. Quirinus Episcopus respondit: Non sacrifico Dæmoniis, quia scriptum est: Omnes Dii gentium Dæmonia; & qui sacrificant Diis, eradicabuntur. Tum Maximus Præses jussit eum fustibus cædi, cui & dixit: Respice & agnosce potentes esse Deos, quibus Romanorum servit Imperium. Propter quod consentiens, eris Sacerdos magno Deo Jovi; alioquin ad
8 Amantii Præsidis primæ (8) Pannoniæ judicium dirigeris,
a quo dignam mortis sententiam excipias. Ergo a stultitia tua reversus acquiesce. Quirinus Episcopus respondit: Vere modo sacerdotio fungor, vere modo Sacerdos effectus sum, si me ipsum Deo sacrificium obtulero. Et hoc, quod corpus meum cæsum est, delector, nullum sentiens dolorem. Ideoque offero me majoribus suppliciis, ut me quibus præpositus fui in hac vita, sequantur ad illam æternam vitam, ad quam per hujusmodi iter facile pervenitur. Maximus Præses dixit: Claudatur in carcere, & gravetur catenis, donec sobrius efficiatur. Quirinus Episcopus respondit: Non expavesco carcerem, credens Deum meum mecum esse in carcere, qui semper est cum suis cultoribus.

Cumque ligatus fuisset, recluditur in carcerem Quirinus Episcopus, & mittens se in orationem dixit: Gratias tibi ago, Domine, quia propter te hæ mihi illatæ sunt contumeliæ; & rogo, ut qui in hoc carcere detinentur, sentiant me cultorem veri Dei esse, & credant, quia non est alius Deus, nisi tu. Media autem nocte apparuit splendor magnus in carcere; quem cum
9 vidisset Marcellus custos personarum (9), aperuit
carcerem, & prostravit se ad pedes beati Quirini Episcopi dicens cum lacrymis: Ora pro me Dominum; quia credo non esse alium Deum, nisi quem tu colis. Multum autem hortatus est beatus Episcopus, & consignavit eum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Post triduum autem Maximus Quirinum Episcopum jussit ad Amantium Præsidem ad primam Pannoniam deduci, ut pro contumacia, quam in leges Imperatorum exhibuerat, ultimam sententiam sustineret.

Cumque deductus (10) fuisset beatus Quirinus 10
in primam Pannoniam, & per singulas civitates vinctus catenis ad Præsidis Amantii judicium
traheretur; siquidem ad (11) ripam Danubii ad 11
singulas civitates ducebatur, Amantio eodem die
revertente de civitate (12) Scarabatensi, offertur 12
ei beatus Quirinus Episcopus; quem Præses ad
urbem Sabariensem (13) ad audiendum censuit repedari. 13
Tunc ingredientes ad S. Quirinum Episcopum Christianæ mulieres (14) cibum, potumque 14
obtulerunt ei. Quarum fidem intuens beatus Episcopus, dum ea, quæ offerunt, benedicit, catenæ, quibus ligatæ manus ejus & pedes fuerant, ceciderunt. Accepta igitur esca, regressis mulieribus, hi, qui eum custodiebant, Sabariam duxerunt. Quem Præses Amantius per officium suum offerri sibi jussit in theatro. Qui cum oblatus fuisset, Amantius Præses dixit: Requiro a te, si ea, quæ in tua superbia apud juridicum Maximum gesta monstrantur, vera sunt. Quirinus Episcopus respondit: Apud Sisciam verum Deum confessus sum. Ipsum semper colui, ipsum corde teneo: nec me ab eodem, qui unus Deus, & verus est, homo poterit separare. Amantius Præses dixit: Ætatem tuam dolemus maculare verberibus; tamen sensum tuum optamus emendari sermonibus, & præmio promissæ vitæ corrigere, ut reliquo senectutis tuæ tempore juxta legum imperialium sanctionem Diis serviens, perfruaris. Beatus Quirinus Episcopus dixit: Quid de ætate dubitas, quam fides inviolata reddere potest omnibus suppliciis fortiorem? Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vitæ præsentis delectatione corrigitur, nec timore mortis, quamvis acerbæ, mentis meæ soliditas perturbatur. Amantius Præses dixit: Cur instans es ad mortem, ut Diis, & Romano Imperio appareas indevotus, & contra humanum morem vitam tibi eligas denegandam; dum hi, qui evadere mortem cupiunt, negando quæ gesserunt, tormenta deludunt? Tu autem dicis vitæ tuæ dulcedinem
odiosam (15), & festinus curris ad mortem, 15
Imperatoribusque contradicis. Propter adhuc te hortamur, ut vivas, & vitam tuam redimas, & cultorem te legibus Romanis exhibeas. Quirinus Episcopus dixit: Allocutio ista forte flectat
animos seniles (16), qui longioris vitæ spatia 16
suspirant. Ego autem didici a Deo meo, ut debeam ad illam vitam pervenire, quæ post mortem mortis jam intercisione non clauditur. Et ideo ad temporalem hujus vitæ terminum fidelis accedo. Non enim similis sum noxiorum, sicut potestas tua loquitur. Illi enim dum vivere cupiunt, negando Deum vere moriuntur. Ego autem ad æternitatem vitæ confitendo pervenio: nec vestris legibus acquiesco, quia Christi Dei mei legitima, quæ fidelibus prædicavi, custodio. Amantius Præses dixit: Diu te ad obedientiam regalium præceptorum inclinare voluimus: sed quia rigor mentis domari non potuit, eris exemplo omnium Christianorum, ut formam tuæ mortis qui vivere cupiunt expavescant.

Tunc inter cæteras, quas pertulit passiones, jussit Sancto Dei Sacerdoti, vel famulo, molam
ad collum alligari, & in fluvii Sibaris (17) 17
undas demergi. Cumque de ponte præcipitatus
fuisset in fluvium, & diutissime supernataret (18), 18

& cum

& cum spectantibus locutus esset, ne suo terre-
rentur exemplo, vix orans, ut mergeretur, ob-
tinuit. Cujus corpus non longe ab eodem loco,
ubi demersum fuerat, inventum est: ubi locus
orationis (19) *habetur. Sed ipsum sanctum cor-*
19 *pus in Basilica ad* (20) *Scarabatensem portam*
20 *depositum, ubi major est pro meritis ejus fre-*
quentia procedendi. Passus est beatus Quirinus
Episcopus Siscianus, Martyr Christi sub pridie
Nonarum Juniarum, & coronatus est a Domi-
no nostro Jesu Christo; cui honor, & gloria,
& potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Facta autem incursione (21) *Barbarorum in*
21 *partes Panoniæ populus Christianus de Scara-*
batensi (22) *urbe Romam fugiens, sanctum cor-*
22 *pus Quirini Episcopi & Martyris afferentes, se-*
cum deduxerunt. Quod via (23) *Appia millia-*
23 *rio tertio sepelierunt in Basilica Apostolorum Pe-*
tri, & Pauli, ubi aliquando jacuerunt; &
ubi S. Sebastianus Martyr Christi requiescit, in
loco qui dicitur Catacumbas, ædificantes nomini
ejus dignam Ecclesiam (24); *ibique* (25) *vene-*
24 25 *rabile corpus ejus diu latuit; sed Spiritu Sancto*
disponente, qui non patitur Sanctorum suorum
gloriam occultari, tempore Innocentii II. (26)
26 *Papæ, Ecclesiæ S. Mariæ trans Tiberim funden-*
tis oleum fundatoris, quando eadem Ecclesia fa-
bricabatur, eodem Spiritu Sancto inspirante, con-
silio, & mandato ejusdem Pontificis, ac totius
Romanæ Ecclesiæ, clerici S. Mariæ cum magna
reverentia levaverunt pretiosissimum corpus glo-
riosissimi Quirini Episcopi & Martyris de eo-
dem loco: quod cum timore Dei detulerunt in
prædictam Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim:
ac cum hymnis, & orationibus, in majori al-
tari ejusdem Ecclesiæ recondiderunt; ubi præstan-
tur beneficia ejus usque in hodiernum diem.

Notæ.

(1) Maximianus Herculius, qui acerbius
Christi cultores, quam Diocletianus, perseque-
batur; & anno 301. vel sequenti decrevit, Se-
natu populoque approbante, Christianum ge-
nus ac nomen, ubicumque ipse dominabatur,
omnino extinguendum esse.

(2) Hic est Maximianus Galerius; idque
colligi posse ait Papebrochius ex codice Vati-
cano Actorum B. Quirini, ubi legitur, *alio*
Maximiano, idest Galerio; nam alter erat Ma-
ximianus Herculius Imperator & collega Dio-
cletiani, anno 286. e Cæsarea ad augustalem
dignitatem evectus. Galerium autem Diocle-
tianus *participem* regni fecerat, cum eum an-
no 293. Nicomediæ Cæsarem appellavit.

(3) Cum Diocletianus & Herculius anno
293. Nicomediam convenissent, ut de summa
Reipublicæ inter se consulerent; duos Cæsares
crearunt, Constantium, cui Chloro, & Gale-
rium, cui Armentario cognomen fuit, qui-
buscum provincias, bella, exercitus partiren-
tur. Tunc orbis Romanus quadripartito divi-
sus est. Aurelius Victor regiones, quæ cuique
obtigerunt, nominatim percenset: *Quoniam bel-*
lorum moles acrius urgebat, quasi partito im-
perio, cuncta quæ trans alpes Galliæ sunt, Con-
stantio commissa, Africa Italiaque Herculio, Il-
lyrici ora usque ad Euxini fretum Galerio. Cæ-
tera Valerius (idest Diocletianus) *retentavit.*
Inter provincias Illyrici Galerio concreditas
erat Pannonia; & Galerianum in Pannonia im-
perium ex eo etiam dignosci potest, quod par-
tem Pannoniæ, quæ vergit ad Septentrionem,
& Danubio adjacet, Galerius uxoris suæ, Dio-
cletiani filiæ, nomine Valeriam appellavit. Hic
igitur peculiarem & maximam rerum omnium
potestatem in Pannonia nactus, tum suam in-
explebilem rabiem, tum Diocletiani soceri sui
crudelitatem in Christianos exprompsit. Cum
Quirinus Episcopus martyrium subiit, Galerius
rerum potiebatur in Illyrico, vel ipso Pruden-
tio teste, qui eum neque Cæsarem, neque Im-
peratorem, sed Ducem appellat, ut legibus ac
numeris metri serviat.

Hic sub Galerio Duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Urgebat ditionibus,
Fertur Catholicam fidem
Illustrasse per exitum.

(4) Jam igitur fervebat persecutio univer-
salis, quam Diocletianus Nicomediæ anno 303.
Ecclesiæ universæ indixerat; cum scilicet fe-
rali edicto in illa urbe promulgato Christianos
omnes necandos trucidandosque denotavit; quod
quidem edictum cum litteris Augustalibus ad
Præsides omnes Romanarum provinciarum per-
ferri jussit; ut magistratus omnes toto orbe
Romano, uno nuntio, atque una litterarum
significatione admoniti, incitatique ad nomen
Christianum ubique delendum conspirarent. Hæc
persecutio longe omnium gravissima decem ipsos
annos tenuit, neque antea omnino quievit,
quam hostibus Christianorum extinctis, anno
313. Constantinus & Licinius Augusti edicto
Mediolanensi pacem Ecclesiæ reddiderunt. Mar-
tyrium S. Quirini Hieronymus, in suis ad
Chronicum Eusebii additamentis, in annum
decimum quarti sæculi contulit, Baronius ad
octavum, Ruinartius ad nonum ejusdem sæculi
annum revocavit; postquam videlicet Diocle-
tianus Nicomediæ, Maxim. Herculius Medio-
lani purpuram & Imperium Augustale deposue-
runt anno 305. novis Augustis Constantio &
Galerio, novisque Cæsaribus Severo & Maxi-
mino creatis. Sed referendum censeo ad supe-
riores annos, post indictam quidem universa-
lem persecutionem, sed antequam Diocletianus
cum Herculio se imperio abdicavit: quod ex
eo intelligi potest, quod in Actis Quirinianis
tum Maximianus Herculius Imperator, tum
vero Diocletianus nominatur imperans idem,
sæviensque in Christianos: *Per Illyricum vero*
Diocletianus sacrilegis præceptis in Christi po-
pulum hostiliter sæviebat, addito tyrannidi suæ
Maximiano in regno participe &c. Igitur po-
testatem adhuc & imperium cum Maximiano
Herculio retinebat. In martyrio itaque S. Qui-
rini duæ chronologicæ tamquam insignitæ no-
tæ apparent, & *Persecutionis universalis*, &
Imperii Diocletianei; ex quibus perspici potest
anno tertio, vel quarto, vel quinto sæculi
quarti illud illigandum esse, cum & persecu-
tio universalis effervesceret, & nondum Diocle-
tianus cum Herculio imperare desiisset. Dies
vero martyrii satis certa est, nimirum quarta
Junii, diserte expressa in ipsis Actis; ad quam
diem Martyrologi omnes nomen & martyrium
S. Quirini adscribunt.

(5) Non solum Episcopum, sed etiam civem
Sisciæ fuisse, & natum in ea civitate videtur
voluisse significare Prudentius, cum cecinit:

Insignem meritis virum
Quirinum placitum Deo
Urbis mœnia Sisciæ
Complexu patrio fovent.

Jam

Digitized by Google

Jam ætate longe provectus erat Quirinus, cum jussus est a satellitibus comprehendi, adducique ad tribunal Præsidis Sisciani. Uterque enim judex Maximus & Amantius, ejus senectutem non obscure his verbis exprimunt: *Per nimium tempus vivendo quasdam fabulas didicisti. Ætatem tuam dolemus maculari verberibus.* Et paullo post Amantius clarius & apertius: *Ut reliquo senectutis tuæ tempore juxta legum imperialium sanctionem Diis serviens perfruaris.* Hinc colligi videtur Quirinum plures annos Ecclesiæ Siscianæ præfuisse; quippe cum in ejus regimine consenuerit.

(6) Qui Sisciæ juri dicundo, & quæstionibus de reis ac maleficiis habendis præerat, videtur fuisse unus de minoribus magistratibus, quibus jus gladii non erat, quamvis cujuscumque criminis reos vinculis & verberibus, aliisque citra mortem suppliciis afficere poterat.

(7) Apud Surium *diffamaveris*.

(8) Prima Pannonia, eadem ac superior, quam Arrabo fluvius ab inferiore, sive secunda Pannonia disjungebat; ejusque magistratus temporibus Diocletiani Præses vocabatur; ut vetus Inscriptio apud Reinesium docet: *Munatio Planco V. C. Præsidi Pann. per annos XVII. &c.* Hujus autem Pannonici magistratus jurisdictione Siscia, cum ceteris Pannoniæ primæ civitatibus, continebatur.

(9) Daniel Papebrochius *persanatum* legi oportere existimat; *Referendum*, inquit, *ad aliquid elapsum librariis, quo per conjecturam restituto, hic sensus repræsentetur: Apparuit splendor magnus in carcere (& omnes plagæ Quirini sunt sanatæ) quem cum vidisset Marcellus persanatum &c.*

(10) Huic loco hanc notam apposuit Papebrochius: *Mombritio atque Surio sensum obscurissimum ex inutili quorumdam verborum replicatione, clarum nobis fecit MS. Vatic. & brevi parenthesi includenda docuit, quæ istic perturbata omnino erant. „ Cumque deductus fuisset beatus Quirinus ad primam Pannoniam, (siquidem ad ripam Danubii per singulas civitates vinctus catenis ductus est) Amantio eodem die revertente &c. „*

(11) Danubius longe quidem aberat a Siscia; sed cum Amantius per id temporis provinciam peragraret, & incertum esset qua in urbe tunc juris dicundi caussa consisteret; idcirco Quirinum, Savo Dravoque fluminibus trajectis, ad ripam Danubii deduci, & per civitates illas ripenses circumvehi oportuit, quas tunc Amantius obibat. Urbes igitur ripæ Danubianæ impositas circumiit; & Vindobonam usque perductum fuisse ajunt, quæ tunc civitas erat Pannoniæ superioris ad occidentem extrema. Ab ripa Danubii digressus Amantium Scarabantia revertentem offendit, a quo jussus est Sabariam reduci.

(12) Scarabantia, quæ & *Julia Scarabantia*, civitas Pannoniæ superioris, inter Danubium a Septentrione, & Sabariam a meridie interjecta, nec longe in occasum distans a fluvio Arrabone, qui superiorem, & inferiorem Pannoniam discriminat. Daniel Papebrochius: *Est autem Scarabantia Cluverio Sopron, Lazio Scapring, inter Sopronium jam dictum, & fluvium Arrabonem, per quem si ad Danubium descendit Amantius, eique per eumdem Danubium obviam ductus Sanctus, applicabatur ad plures in ripa civitates; oportet ut concipiamus illum* 100. *fere passuum millia terrestri emensum itinere, ut Siscia missus ripam attingeret circa Budam, sursum autem attractum usque ad Arrabonis ostia, ad quæ nunc sita est Comorra.*

(13) Sabaria est civitas itidem Pannoniæ superioris, a Scarabantia passuum millia circiter viginti in meridiem distans. Erat Colonia Romana, *Claudia Augusta* cognominata; nunc vicus exiguus, quem *Stein-am-anger* indigenæ vocant.

(14) In quodam hospitio, viæ, quæ Sabariam ducit, imposito, id Christianæ charitatis officium illæ piæ mulieres B. Quirino præstiterunt.

(15) In aliis codicibus *ociosam*.

(16) Alii *pueriles* legendum putant.

(17) Sibaris mœnia Sabariæ alluebat, inferturque in Arrabonem.

(18) Hinc Hieronymus sumpsit, quæ Chronico Eusebiano inseruit: *Quirinus Episcopus Siscianus pro Christo gloriose interficitur; nam manuali mola ad collum ligata, e ponte præcipitatus in flumen, diutissime supernatavit; & cum spectantibus collocutus, ne suo terrerentur exemplo, vix, orans ut mergeretur, obtinuit.* Iidem Martyrologi omnes elogium B. Quirini confecerunt: quæ omnia fusius & elegantius cecinit, hisque versiculis explicavit Prudentius:

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidissimo
Amnis vortice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus e solo
Doctorem pavidi greges:
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus ut eminens
Os circumtulit, heu! suo
Exemplo trepidos videt:
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi,
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt undis,
Nec substrata profunditas
Saxoque, & laqueo, & viro
Audet sponte dehiscere.
Sensit Martyr Episcopus
Jam partam sibi præripi
Palmam mortis & exitus,
Ascensumque negarier
Æterni ad solium Patris.
Jesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita aut nova,
Calcare & fremitum maris,
Prona & flumina sistere.
Scimus Discipulum Petrum
Cum vestigia tingeret

Mor-

Digitized by Google

Mortali trepidus pede,
Dextra subsidio tua
Subjecisse salum solo.
Jordanem quoque novimus
Tortis vorticibus vagum
Dum fertur rapido impetu
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tua
Virtutis, Domine, ut modo
Suspendar, leve pranatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Jam plenus titulus tui est
Jam vis prodita nominis,
Qua gentilis habet stupor,
Absolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras.
Quid possis, probat amnicus,
Qui vectat silicem, liquor.
Hoc jam quod superest, cedo,
Quo nil est pretiosius,
Pro te Christe Deus mori.
Orantem simul halitus,
Et vox deserit, & calor:
Scandit Spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum;
Corpus suscipiunt aquæ.

(19) Cum mors Galerii anno 311. extincti finem persecutionis in Pannonia attulisset; tunc Christiani sacellum, ubi corpus B. Quirini inventum fuerat, ejectum ex undis, memoriæ ac religionis caussa ædificarunt, quo ad Deum orandum, colendumque S. Martyrem convenirent.

(20) Post pacem Ecclesiæ redditam, Basilica exstructa est apud portam Sabariæ, ex qua iter est Scarabantiam; unde *Porta Scarabatensis* dicta est, ibique corpus S. Quirini honorifice depositum.

(21) Quæ sequuntur, ut Papebrochius præclare admonuit, *posterioris Scriptoris additamentum sunt, Romæ factum*. Anno potissimum 377. fœdissima tempestas barbarica in Pannoniam incubuit, Gothis, & Hunnis omnia ferro ignique devastantibus; quo turbine pleræque urbes & Ecclesiæ funditus corruerunt. Ad hæc tempora referri potest Romana B. Quirini translatio; nisi mavis illam cum Papebrochio rejicere in annos extremos hujus sæculi quarti, cum Gothi, ut cecinit Claudianus, auctore & impulsore Rufino, Thraciam, Græciam, Pannoniam, usque ad fines Dalmatiæ, rapinis, cædibus, incendiis peragrarunt.

Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur frondentis ad usque
Dalmatiæ fines. Omnis qua nobile Ponti
Æquor & Adriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops pecudum.

(22) Auctor Romanus hujus additamenti, cum in Actis B. Quirini, quæ cum ejus sacris exuviis Romam delata sunt, legisset eum conditum fuisse *in Basilica ad Scarabatensem portam*, id per errorem ad civitatem Scarabatensem retulit, ubi eum sepultum, & inde Romam translatum putavit. Sed cum ex Actis certo constet eum apud Sabariam martyrio functum esse; si visum fuisset Christianis ejus corpus alio deferendum esse, Sisciam potius opinor, ubi fuerat Episcopus, quam Scarabantiam detulissent. Præclare Marcus Hansizius Tomo I. cap. VI. Germaniæ Sacræ: *Illud videtur: Sabariæ tam passum, quam sepultum ad portam, qua Scarabatensis ex eo dicta est, quod Scarabantiam vicinam respiceret; neque enim ignotum portas urbium de locis, quos respiciunt, appellationem solere sortiri*. Idem docet Tillemontius Tom. V. Hist. Ecclesiast. nisi forte, inquit, ante Sabaria, quam Scarabantia diruta fuerit; ac proinde ejus corpus primum Sabaria Scarabantiam, deinde vero Romam translatum fuit.

(23) Hic, tertio vel secundo ab urbe lapide antiquitus condita fuisse corpora SS. Apostolorum Petri & Paulli confirmat S. Gregorius Epistola 30. lib. 3. ad Constantinam Augustam, cum asserit *ad secundum urbis milliarium ad Catacumbas collata corpora Apostolorum*.

(24) Daniel Papebrochius: *Hujus Ecclesiæ, vel potius oratorii intra Basilicam hic nominatam nulla, quod equidem sciam, vel apud Anastasium mentio invenitur; ut diu ante ejus ætatem esse desierit. Basilica autem jam dicta nunc vocatur S. Sebastiani extra muros*.

(25) Hoc est alterum additamentum ex Codice Vaticano.

(26) Innocentius II. ab anno 1130. usque ad an. 1143. Ecclesiæ universali præfuit; & Basilicam S. Mariæ trans Tiberim ædificavit, seu potius restauravit, & absidem opere musivo depingi jussit anno 1140. in eoque corpus S. Quirini Episcopi & Martyris Sisciani, ex æde S. Sebastiani sublatum, honorifico sepulcro recondidit.

Corpus S. Quirini Episcopi & Martyris Sisciani vindicant sibi Fuldenses. Rudolphus Scholasticus in vita B. Rabani Archiepiscopi Moguntini auctor est, *Ossa S. Quirini, qui in Siscia Pannoniorum oppido Episcopus . . . . ligata ad collum mola præcipitatus est*, in Germaniam allata fuisse anno 838. & in monasterio Fuldensi deposita. Mediolanenses ejusdem sacras exuvias apud se coli gloriantur, in monasterio, & templo S. Vincentii; ex quorum opinione Mombritius Actis S. Quirini Ep. Mart. Sisciani hæc subtexuit: *Postea per Dominum piissimum Angelbertum venerab. Archiep. Mediolanensem deportatus* (Quirinus) *& honorifice apud monasterium B. Levitæ Vincentii, simul cum S. Nicomede Presbytero summa cum reverentia est reconditus*. Hæc Mediolanensis translatio inciderit oportet in sæculum nonum; quippe Angilbertus Ecclesiam Mediolanensem ab anno 822. ad an. 840. administravit. Sed in Breviario Mediolanensi eadem translatio adscribitur Heriberto Archiepiscopo, qui sæculo undecimo floruit. Demum Aquilejenses contendunt idem corpus B. Quirini, quem inter suos veteres Antistites falso annumerant, ab Joanne Papa XIX. qui Sedem Romanam tenuit inter annos vicesimum quartum & tricesimum tertium sæculi undecimi, donatum fuisse Poponi Patriarchæ, & depositum in ea, quam hic ædificaverat, Basilica Aquilejensi. Verum si standum est notis chronologicis Vaticani Codicis, in secundo ad historiam S. Quirini additamento supra descripto, sæculo duodecimo Corpus S. Quirini adhuc quiescebat in æde suburbana S. Sebastiani, quod Innocentius II. an. 1140. in urbem & Basilicam S. Mariæ trans Ti-

Corpus S. Quirini vindicant sibi Fuldenses in Germania,
Mediolanenses,
Aquilejenses.

Digitized by Google

Tiberim deportandum curavit. Igitur Quirinus, qui sæculo nono in Germaniam, vel Mediolanum, aut sæculo undecimo Aquilejam translatus fuisse traditur; alius fuerit oportet a Quirino Episcopo & Martyre Sisciano, cujus Corpus Sabaria Romam sæculo quarto delatum, sedem sepulcralem in æde S. Sebastiani adhuc retinebat, cum translationes illæ factæ fuisse dicuntur; neque inde ante annum quadragesimum sæculi duodecimi dimotum fuit. *Scimus*, inquit Daniel Papebrochius, *quam multi tum Romæ, tum alibi fuerint hujus nominis Martyres, cum solus Martius tres nobis proferat, die quarta, duodecima, & trigesima*. Ex his aliisve unum, quem malint, Fuldenses, Mediolanenses, Aquilejenses sibi deligant, suum quique, de cujus sacris Reliquiis apud se conditis glorientur. Nobis interea liceat credere Corpus S. Quirini Sisciensis Episcopi & Martyris adhuc Romæ in Basilica S. Mariæ trans Tiberim asservari, donec certiora monumenta proferantur, quæ illud inde sublatum, alioque avectum perspicue doceant.

S. Quirinus adhuc in Basilica Mariana trans Tiberim quiescit.

Actorum Quirinianorum epitome.

Ut paucis omnia complectar; Quirinus anno circiter 270. Siscianum Episcopatum suscepit, & annos amplius triginta in multiplici Christianæ rei varietate motuque gessit; cum scilicet vel a Romanis Imperatoribus, vel a Præfectis provinciarum nulla Christianis quies esset, quæ vel a cædibus, vel a periculis, aut metu vacaret. Ventum est deinde ad persecutionem Diocletianeam, qua nulla fœdior & cruentior in Christianum nomen incubuit. Quirinus haud magis ætate, quam diuturnis laboribus, vigiliis, curisque pro suo grege tuendo confectus, dum procellæ illorum temporum vitandæ caussa ex præcepto divino fugeret, comprehensus est anno 303. vel proximo; & Sisciæ primam quæstionem subiit apud Maximum urbis Præsidem, a quo & vinculis, & verberibus excruciatus fuit; alteram Sabariæ apud Amantium Præsidem Pannoniæ Primæ, qui in eum capitalem sententiam tulit, jussitque in Sibarim fluvium deturbari ac demergi. Post pacem Ecclesiæ constitutam ejus corpus reconditum est in Basilica, quam Christiani exstruxerant ad portam Sabariæ urbis, ex qua iter est Scarabantiam. Sæculo quarto barbaris Pannoniam devastantibus, Romam evectum fuit, atque in æde suburbana S. Sebastiani depositum; inde vero sub Innocentio II. an. 1140. translatum est in Basilicam S. Mariæ trans Tiberim, ubi etiamnum asservari credibile est.

Persecutio Diocletiani & Licinii.

Post Martyrium S. Quirini persecutio Diocletianea nihil de acerbitate remisit; & cum in omnibus aliis Romanis provinciis, tum præsertim in Illyrico & Pannonia, ubi Galerius imperabat Christiani sanguinis sitientissimus, omni suppliciorum genere desæviebat. Anno 311. morte Galerii extincta est in Occidente; sed annos præterea duos, Maximino imperante, Christianos in Oriente acerbissime divexavit. Maximino extincto, Constantinus & Licinius Augusti anno 313. Mediolani decretum communiter composuerunt, quo Christianorum incolumitati cautum est. Sed quam uterque pacem Ecclesiæ dederat, eam postea ipsemet Licinius, cui Pannonia & Illyricum obtigerat, per summam perfidiam diremit; & ab Episcopis & Christianis Illyricis initium sæviendi fecit. Cum multa crudeliter atque impie adversus Christianos moliretur, ei Constantinus bellum intulit anno 315. & duplici prælio victum, altero apud Cibalim in Pannonia, altero apud Campum Mardiensem in Thracia, ad pacem petendam compulit. Pax ita convenit, ut Thraciam quidem cum Orientis imperio Licinius retineret; Illyrico autem & Pannonia excederet; quæ omnis regio ad imperium Constantini accessit. Quare nulla deinde Licinio fuit jurisdictio in provinciis Illyricis, nulla Christianos Illyricos exagitandi ac cædendi potestas. Et cum post aliquot annos nefarium bellum & longe crudelius in Christianos redintegrasset, nulla ejus belli pars in Pannoniam & Illyricum pervasit; quas regiones Liciniano imperio exemptas, Licinianæ quoque sævitiæ & persecutioni Sozomenus exemit lib. I. cap. 2. *At Græci, Macedones, & Illyrii, qui versus Occidentem rerum suarum domicilia habebant, Constantini opera, qui illi Imperii Romani parti præfuit, libere & secure Deum coluerunt*.

Post Licinium debellatum pax Ecclesiæ ubique reddita.

An vero per eos annos, a martyrio nempe S. Quirini usque ad imperium Licinianum a Pannonia, & Illyrico depulsum, cum Christianorum oppugnatio vel numquam respiravit, vel post inducias trium annorum interpositas iterum, imperante Licinio, recruduit, Ecclesia Sisciensis suum, a quo regeretur, Antistitem habuerit, non est compertum. Anno 324. post Licinium, qui palam aperteque bellum Christianis rursus denunciavit, ad eosque insectandos & opprimendos fere triennium contulit, triplici prælio debellatum, & imperatoriis insignibus exutum; ad Constantinum totius Imperii Romani summa pervenit. Hic rerum omnium potitus, nihil habuit antiquius, quam ut Christianorum saluti consuleret, & pacem Ecclesiæ usquequaque stabiliret. Ad cultum divinum amplificandum omni cogitatione curaque incubuit. Itaque suis legibus, edictis, datisque ad Præsides provinciarum litteris, vetera Christianorum templa, quæ furiosa illa superiorum temporum tempestas dejecerat, laxiora restitui, & nova ubique a fundamentis excitari, in eamque rem e publico ærario pecuniam contribui jussit. Tunc vero, si non antea, ut aliis Ecclesiis suis rectoribus jamdiu destitutis, sic etiam Siscianæ suus est Episcopus restitutus. Fuit autem opinor Marcus, is, qui Concilio Sardicensi interfuit anno 347. nihil enim obstat, quo minus ad hunc usque annum vitam & Pontificatum perducere potuerit.

Suus Ecclesiæ Sisciensi Episcop. restitutus.

MARCUS EP. SISCIANUS.

Marcus Episc. Sisciensis.

Post externos profligatos, cum hostibus domesticis diu multumque Ecclesiæ confligendum fuit. Hæresis Ariana, quamvis Concilii Nicæni anathemate perculsa, & tercentorum ac duodeviginti Episcoporum exsecrationibus confixa, tantum abfuit, ut victa & oppressa succumberet, ut majores deinde spiritus viresque resumeret, & Constantii Imperatoris patrocinio fulta, latius in dies propagaretur. Itaque Marci Episcopatus in ea tempora difficillima & calamitosissima Reipublicæ Christianæ incidit, cum lues Ariana ex Oriente in Occidentem grassari cœpit, & Pannoniam potissimum pervasit. Valens & Ursacius, alter Mursæ, alter Singiduni in Pannonia Episcopus, principes erant factionis, sectæque Arianæ, cujus late vulgandæ mire cupidi, hac illac circum-

Digitized by Google

cursando, & Orientis Occidentisque provincias assidua peragratione alias ex aliis obeundo, nefarium dogma ubique disseminabant. Hinc existimari licet quantopere Pannoniam in iis præsertim locis, quæ ad jurisdictionem episcopalem utriusque pertinebant, Ariana impietate pollnere studuerint. Quo propius id contagii aberat, latiusque serpebat; hoc intentiori cura & vigilia opus fuit Marco Episcopo Sisciensi, ne qua in suam Ecclesiam irreperet, & gregem sibi commissum inficeret. Sed longe gravius fœdiusque huic Ecclesiæ malum ab ipso suo Metropolita Sirmiensi imminebat. Hic erat Photinus Paulli Samosateni, & Sabellii insanis & sacrilegis opinionibus imbutus, qui præter alia magistrorum suorum flagitia, Christum merum hominem esse, nec aliunde initium, nisi ex Maria sumpsisse, per summam impietatem asserebat. Cum igitur periculum esset, ne a Metropoli, velutique a capite provinciæ Sirmiensis, in alias Ecclesias Pannoniæ tamquam in membra eidem subjecta, & cohærentia, virulentum dogma dimanaret; omni studio curaque Marco cavendum ac vigilandum fuit, ne letale illud venenum in Ecclesiam Siscianam diffueret, præsertim cum Photinus, non auctoritate solum, sed etiam eruditione, eloquentia, calliditate ad persuadendum maxime valeret, & sacrilegam doctrinam ambiguis ac speciosis verbis contectam animis populorum instillaret.

Arianam & Photinianam hæresim in Concilio Sardicensi damnavit.

Adversus utramque impietatem, Arianam & Photinianam Marcus quoque cum Patribus Sardicensibus egregie pugnavit. Habita est Synodus Sardicensis anno 347. ab urbe Sardica, quæ caput erat & Metropolis totius Daciæ, cognominata; cui cogendæ præcipuam caussam præbuere Arianorum Coryphæi, quos inter numerabantur duo ex Illyrico Pannonico Episcopi, Valens Mursensis, & Ursacius Singidunensis, propugnatores acerrimi perfidiæ Arianæ. In ea cunctis Episcoporum suffragiis fides Nicæna confirmata, Athanasius ceterique Catholici Episcopi, in suam quisque sedem restituti, Episcopi Ariani, in quibus Valens & Ursacius, in ordinem redacti, & cum iis, quas composuerant formulas fidei, anathemate perculsi; aliquot præterea Canones, quæ ad disciplinam ecclesiasticam sanciendam pertinent, constituti. Auctor est Epiphanius hæresi 71. Phorinum Sirmiensem Episcopum in eodem Sardicensi conventu jussum esse rationem suæ fidei reddere; & execrandæ in Christum blasphemiæ compertum, omnium sententiis confixum, & Sacerdotio Sirmiensi multatum fuisse. Sunt tamen qui non in Sardicensi, sed in Mediolanensi Concilio, quod eodem anno habitum fuit, Photinum damnatum tradant. Ex variis Occidentis pariter Orientisque provinciis, sex & septuaginta supra tercentos Episcopos interfuisse scripsit Sozomenus; sed de numero Episcoporum est inter Scriptores controversia. In Actis vulgatis Concilii Sardicensis non amplius undesexaginta nominantur; ceteros aut vetustas abrasit, aut librariorum incuria prætermisit. In his diserte nominatus est Marcus; sed ejus subscriptio vitiose se habet: *Marcus ab Asia de Siscia*; item synodicæ ad Julium Papam epistolæ subscriptus est *Marcus ab Asia de Fissia*. Nec vitio vacat emendatio ibidem subjecta: *forte a Dacia*. Neque *ab Asia*, neque *a Dacia*, sed *a Pannonia*, vel *Pæonia* legendum est: nisi vero existimes utrobique nominari non provinciam, ubi Episcopatum gerebat, sed regionem, unde fortassis erat oriundus. Ex prima vero subscriptione *de Siscia*, secundam *de Fissia* corrigas oportet. Nec vero dubitari potest quin Episcopus Sisciensis interfuerit Concilio Sardicensi; nam Athanasius in Apologia 2. itemque in epistola, quam ibi descripsit, Patrum Sardicensium ad Ægyptios, sive ad Ecclesiam Alexandrinam, inter provincias sive urbes, e quibus Episcopi Sardicam convenerunt, *Sisciam* expresse nominavit, *Nostram*, inquit, *innocentiam plures, quam trecenti Episcopi, suis calculis comprobarunt, qui ex multis provinciis Ægypti, Libyæ .... Cretæ, Dalmatiæ, SCISIIÆ, Pannoniarum .... eo se ad Concilium contulerunt &c. Sacra Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata e Roma, Hispaniis, Galliis .... Pannoniis, Daciis, Norico, SCISCIA, Dardania &c....* Extat in Additione ad Concilium Sardicense, Tomo I. Supplementi Conciliorum &c. auctore Joanne Dominico Mansi Clerico Regulari Congregationis Matris Dei, postea Archiepiscopo Lucensi, epistola S. Athanasii inscripta: *Presbyteris, & Diaconibus, & populo Catholicæ Ecclesiæ apud Mariotam, dilectissimis ac desiderabilibus fratribus in Domino salutem. Sancta Synodus laudavit in Christo vestram religionem &c.* Huic epistolæ subscriptus legitur *MARCUS SISCENSIS SAVIÆ*.

Photinus in Synodo Sardicensi, vel in Mediolanensi damnatus.

Marcus subscriptus Actis Concilii Sardicensis.

Post Concilium Sardicense quot annos superstes fuerit Marcus, non constat; certe quamdiu vixit, tamdiu manendum illi fuit in perpetua & sollicita sui gregis vigilia; & nihil umquam de assidua circumspectione, diligentique custodia remittendum. Nam Photinus, quamvis in Concilio Sardicensi, vel Mediolanensi damnatus, sedem tamen Sirmiensem, populi favore, & benevolentia, quam sibi malis artibus conciliaverat, & Episcopatum retinuit. Ursacius & Valens primum in Synodo Mediolanensi, deinde in Romana, sive metu Constantis Imperatoris, sive ut sedes suas & Ecclesias recuperarent, e quibus decreto Sardicensi depulsi fuerant, cum Arium ejusque blasphemias ejurassent, & calumnias Athanasio illatas solemni psalmodia revocassent; veniam & communionem ecclesiasticam tum a Patribus Mediolanensibus, tum ab Julio Pontifice impetrarunt. Sed post interitum Constantis anno 350. extincti, metu omni deposito, & Constantii Imperatoris gratia freti, Arianam impietatem, verbo rejectam, animo retentam, liberius, quam antea, & fidentius, tum per alias regiones, tum præsertim per Pannoniam universam propagare instituerunt. Quocirca post Concilium Sardicense, idem, quod antea, & fortasse gravius periculum Ecclesiæ Siscianæ imminebat, quod vigilantiam & solertiam Marci Episcopi acueret augeretque oportuit, ut Photinianis, & Arianis blasphemiis aditus omnes obstrueret. Marco e vivis sublato, ut in Episcopatum, sic in eamdem curam & sollicitudinem Catholicæ religionis tuendæ successit

Photinus quamvis condemnatus sedem Sirmiensem retinuit.

CONSTANTIUS EP. SISCIANUS.

Constantius Episc vigilans & sollicitus pro suo grege.

Huic nihilo segnius pugnandum fuit cum ejusmodi hæreseon monstris, quæ Fidei Catholicæ, & Nicænæ exitium moliebantur, Arianis scilicet, & Photinianis: nisi si quis alius Episco-

Digitized by Google

tuendo contra Valentem, & alios Arianos Episcopos. scopus inter Marcum & Constantium interjectus fuerit, in quem Ecclesiæ hujus administratio ac tutela incubuerit. Ac Valens quidem anno 351. in exitum vergente versabatur in Pannonia cum Constantio Imperatore, apud quem auctoritate & gratia plurimum valebat; & quod reliquum fuit illius anni, totamque hyemem anni proximi idem Constantius in Pannonia transegit, obsessus undique, & stipatus Episcopis Arianis, ad quorum arbitrium & nutum se totum accommodaverat, resque omnes ex illorum consilio gerebat. Tunc illud agi cœptum est, quod Severus in vita S. Martini scripsit, *ut omnes fere duarum Pannoniarum Episcopi in perfidiam Arianam conjurarent*. Si Episcopus Siscianus cum aliis Pannoniæ Episcopis in hanc conjurationem consensit, is non fuit, opinor, Constantius; sed aliquis alius, qui proxime post Marcum, & ante Constantium, huic Ecclesiæ præfuit; nam Constantius quam tenax esset fidei Nicenæ, postea in Concilio Aquilejensi satis ostendit. An vero idem Constantius eodem, quo plerique Catholici Episcopi, naufragio Ariminensi absorptus fuerit, nec negare, nec affirmare ausim. Si formulam illam ambiguam, & subdolam, quam Valens & Ursacius Patribus Ariminensibus obtruserat, multorum auctoritatem & exemplum secutus recepit & subscripsit; dubitari non potest, quin postea, quemadmodum ceteri Episcopi, quos calliditas Ariana, error, metus, & cupiditas pacis ecclesiasticæ ad formulam illam subscribendam impulerant; sic etiam Constantius Arianam illam fraudem ac fallaciam simul detexerit, & exhorruerit, & quidquid vel timore, vel ignoratione peccaverat, cum aliis Episcopis, aperta constantique fidei Nicænæ confessione eluerit.

Duplex Synodus Ariana Sirmiensis; abfuit ab utraque Constantius. Ante Concilium Ariminense duplex Synodus Sirmiensis ab Arianis habita fuit; altera anno 351. altera anno 357. duplex itidem formula fidei composita, quæ cum fide Nicæna aut non congruebat, aut omnino discrepabat. Neutri Constantius interfuit, aut subscripsit. Post interitum Constantii Imperatoris, itemque Juliani Apostatæ, quorum alter sexagesimo primo, alter sexagesimo tertio hujus sæculi anno male periit; sub Joviano brevissimo Imperatore, & Valentiniano, res Christiana, & Catholica, maximis calamitatibus, & periculis perfuncta respiravit, posteaque prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt, maxime ubi Valentinianus imperabat. Verum ne biennium quidem Catholicis, præsertim in partibus Orientis, quietis esse licuit sub Imperio Valentis fratris Valentiniani. Hic siquidem anno 366. ab Eudoxio Ariano Episcopo baptizatus, cum Ariana impietate patrocinium Arianorum suscepit. Hinc vires animosque majores ad nefariam hæresim propagandam sumpserunt Valens & Ursacius, quibus potissimum auctoribus habita est Singiduni intra finem anni 366. Synodus, cui tum e Pannonia, tum e Mœsia Daciaque Episcopi Ariana labe infecti interfuerunt: nec solum fidem Nicænam, sed etiam dogma Semiarianum impugnare atque subvertere aggressi, purum putum Arianismum sanciverunt, & confirmarunt. Quocirca haud scio an magis etiam, quam antea, Constantio Episcopo Sisciensi a fraude & audacia Valentis & Ursacii gregi suo metuendum fuerit, majorique cura & vigilantia illorum insidiis & conatibus obsistendum;

Valens Imp. iterum Catholicis persecutionem indixit.

hi enim ut sinceræ fidei quod reliquum erat in Pannonia omnino labefactarent, omni studio operaque conniti non antea destiterunt, quam judicio gravissimo & maximo Concilii Romani, & Damasi Pontificis, adeo perculsi sunt obtritique anno 367., ut vel paullo post obierint, vel exilium sibi consciverint, inque latebras se occultaverint, unde numquam postea emergere, lucemque publicam aspicere sustinuerunt: nusquam enim postea in Conciliis & monumentis illorum temporum nominantur.

Photinus iterum a Catholicis damnatus. Atque a Photino quidem metum omnem Constantio & sollicitudinem exemerant ipsi Ariani. Hunc in Concilio Sardicensi, vel Mediolanensi jampridem damnatum, Episcopi occidentales, qui anno 349. Sirmium convenerant, ut Natalis ab Alexandro & alii tradunt, iterum suis sententiis confixerant, & Sacerdotio exuerant. Verum Episcopali sede tunc amoveri non potuit; quippe Sirmienses, apud quos magna erat in existimatione, plebis concitatione, & seditione facta, Concilii sententiæ intercesserunt. At vero Ariani Sirmium coeuntes an. 351. ut pii & Catholici viderentur, Photinum quidem condemnarunt, sed cum eam fidei formulam condidissent, a qua vox *Consubstantialis* aberat, se a fide Nicæna alienos esse prodiderunt. Photinus ad Constantium Imperatorem appellavit, impetravitque, ut alii sibi judices darentur, quibus doctrinæ suæ rationem redderet ac probaret. Coram his judicibus viris primariis, ex Curia Augustali delectis, Basilius Ancyranus Episcopus Photinum ambiguis verbis tegentem, & occultantem impia dogmata, & huc atque illuc tergiversantem manifestæ blasphemiæ convicit; & omnium judicio damnatus cum esset, pulsusque in exilium, meritas demum hæreseos impurissimæ pœnas dedit. Cæsar Baronius hanc Synodum Sirmiensem, & damnationem Photini rejecit in annum 357. cum in altero Sirmiensi Concilio secunda Sirmiensis formula composita fuit, plane Ariana, & omnino repugnans fidei Nicænæ, quam Hilarius nuncupavit *blasphemiam Hosii & Potamii*; hanc quippe Hosius Episcopus Cordubensis, egregius ille veritatis Catholicæ vindex, senio, exilio, verberibus, incussoque graviorum malorum metu fractus & debilitatus per summum sui nominis dedecus, una cum Potamio approbavit, suoque chirographo subscripsit. Sed de Conciliis, & formulis Sirmiensibus enucleatius, & copiosius in Historia Ecclesiæ Sirmiensis.

ab Arianis vero in exilium pulsus.

Photinianæ reliquiæ in Pannonia. Ceterum Photino expulso, adhuc Photinianæ pestis reliquiæ in visceribus Pannoniæ hærebant; multos siquidem discipulos, & nefariæ doctrinæ alumnos in Pannonia reliquerat, qui Photiniani cognominati sunt, & magistri errores in alias provincias, posterasque ætates propagarunt. Præterea qui Photinum e sede Sirmiensi dejecerant, ejus in locum substituerant Germinium e grege Semiarianorum, qui quamvis ab Ariana insania & impietate abhorrerent, cum Catholicis tamen in eo dissidebant, quod Patri similem quidem Filium esse ajebant, sed *Consubstantialem* appellare abnuebant. Ergo iisdem temporibus multi erant in Pannonia hostes Catholicæ religionis, qui Constantio Sisciensi Episcopo plurimum negotii facesserent; ac ne punctum quidem temporis solertiam ejus & vigilantiam quiescere, aut respirare sinebant, Photiniani videlicet, Valens & Ur-

Digitized by Google

& Ursacius, Germinius denique primarius Antistes Ecclesiæ Pannonicæ. Horum contagionem ut ab grege suo, Ecclesiaque arceret, nihil diligentiæ curæque prætermittere debuit. Verum anno 367. Valente & Ursacio damnatis, expulsis, longeque ab Occidente ablegatis, ut supra dictum est; extincto Germinio Sirmiensi Metropolita, cui Ambrosius Mediolanensis Episcopus anno circiter 380. substituendum curavit Anemium, virum orthodoxum & pium; Fides Catholica in Pannonia reflorescere cœpit sub Imperio Gratiani, qui post Valentem patruum a Gothis interfectum anno 378. nihil habuit antiquius quam ut Catholicis Episcopis ab exilio revocatis, sedataque Arianorum persecutione, pacem Ecclesiæ universæ ac tranquillitatem restitueret. Photiniani autem ne hiscere quidem audebant, recenti edicto perculsi; quo quidem quam quisque vellet sectam, excepta tamen Photiniana itemque Manichæa, sequendi potestas cuique fiebat; idem autem Gratianus anno 379. omnibus & singulis hæreticis sine ulla exceptione interdixit, ne uspiam conventus agerent; & quæ Valentinianus parens ad præsidium fidei Catholicæ graviter pieque decreverat, suo nomine & auctoritate interposita confirmavit. Ita Photinianis compressis, Arianis & Semiarianis Pannonia expulsis, securitas Ecclesiis Pannoniarum reddita Constantium, sollicitum de sua Ecclesia, metu, angore, curaque laboriosissima levavit.

Post mortem Valentis Imper. fides Catholica sub Gratiano in Pannonia & ubique floret.

Duo tamen restabant, longinqui illi quidem, etrusique in angulum Daciæ Ripensis, sed pervicacissimi hostes fidei Nicænæ, Palladius & Secundianus Episcopi Ariani, ad quorum coarguendam damnandamque impietatem, anno 381. Aquilejam convenerunt, jubente Gratiano Imperatore, duo & triginta Episcopi, haud doctrina, quam sanctitate illustriores, plerique ex Italia, aliqui ex Gallia, ex Illyrico tres, vel quatuor, itemque Legati Gallorum, & Afrorum. Inter Illyricos duo fuerunt ex Pannonia, *Anemius* Metropolita, idemque Primas Sirmiensis, & *Constantius Sciscianensis*, qui dicitur etiam fuisse Legatus Gallorum. Cum Pannonia & Siscia longissime absit a Gallia, non videtur verisimile ab Episcopis Gallicanis delectum fuisse Constantium, qui pro Ecclesiis & Episcopis Galliarum legatione fungeretur in Concilio Aquilejensi; præsertim cum Justus Episcopus Lugdunensis, itidem *Legatus Gallorum* appelletur; & huic Severinus Binius, in notis ad idem Concilium, duos alios Legatos adjungat e provincia Gallica Narbonensi, Constantium Arausicanum, & Proculum Massiliensem Episcopos. Hæc igitur Gallicana legatio non videtur mandata fuisse Constantio Episcopo Sisciensi ab Episcopis Galliæ sive Cisalpinæ, sive Transalpinæ; sed potius ab Episcopis utriusque Norici mediterranei, & Ripensis, quod Pannoniæ finitimum erat. Gallorum & Galliæ vocabulum latissime olim patebat; eoque apud Græcos & Romanos Scriptores non solum Galli, sed etiam Germani comprehendi solebant; quod a Celtis utrique originem ducerent, & Celtarum itidem nomen esset commune utrisque: *Germanos ad Scythiam usque diffusos a Romanis Gallos nuncupatos* ait Diodorus Siculus, & Pausanias de Germanis, *Galli ut appellarentur postremo denique receptum est*. Norici autem inter populos Germaniæ annumerantur;

Palladius & Secundianus Episc. Ariani, ad quos eliminandos Concilium Aquilejense habitum an. 381, cui Constantius interfuit.

& hi quoque Galli vocati sunt: hinc nihil frequentius apud veteres Historicos, quam *Boji Galli*, *Taurisci Galli*; æque autem hi, atque illi Noricum incolebant. Procopius lib 4. c. 5. de ædif. Justin. Vindelicos Noricis proximos, quorum e montibus Danubius oritur, olim Celtas, nunc Gallos appellari ait: *Ex montibus Celtarum, qui Galli nunc appellantur, natus fluvius Ister.* Quin etiam Japidia, quæ Norico subest a meridie, Gallia nominata est: id quod Socratis testimonio confirmari potest: *Theodosius*, inquit, *relictis ambobus filiis Constantinopoli, cum proficisceretur contra Eugenium Tyrannum, parvo tempore, maxima manu venit ad Gallias; illic enim parabat bellum, ubi multa millia habebat exercitus. Fit ergo congressus circa fluvium vocabulo Frigidum.* Hunc Socratis locum præclara animadversione illustravit Marcus Hansizius Tomo I. cap. 2. Germaniæ Sacræ: *Fluvius Frigidus est Vipacus ad pedem Alpium Juliarum, sive Japidiæ veteris. Galliæ, in quibus multa millia congregata Theodosius habebat, haud esse poterant aliæ, quam Noricum & Japidia; denique regio circa alpes Julias sita; nam easdem alpes Eugenius, teste Sozomeno, præoccupatas præsidio tenebat. Atque istæ sunt Galliæ, quo Theodosius parvo tempore pervenisse dicitur.* Idem Hansizius ibidem non aliam esse censet, nisi Japidiam & Noricum, *Galliam* illam, quam Evangelica prædicatione peragravit S. Lucas Evangelista, de quo Epiphanius: *Evangelium in Dalmatia, Gallia, Italia prædicavit*. Ex Dalmatia in Japidiam, & Noricum; hinc vero in Italiam iter suum apostolicum peregit. In Epistola Concilii Romani, quod Damasus anno circiter 370. convocavit, inscripta *Dilectis Fratribus Episcopis, qui sunt in Illyrio*, ajunt Episcopi ibidem congregati sibi *significatum esse a Fratribus, qui in Gallia, & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hæresim amplexandam omni studio incumbere*. De quorum propensione ad hæresim Arianam nuntiatum fuerat Sedi Apostolicæ, & Synodo Romanæ, eos Dalmatas fuisse existimo, ut conjectura non improbabili declaratum est Tomo II. Illyr. Sac. cap. 4. in Petro II. Episcopo Salonitano §. 1. Id autem Damasus & Patres Concilii Romani acceperant *a Fratribus, qui in Gallia & agro Venetorum habitant*; quos sane finitimos Dalmatis esse oportuit, cum ea renunciarent, quæ ipsimet de propinquo cognoverant, aut viderant, aut audierant, de quibus testes ipsi esse possent. Quapropter ut Veneti, sic etiam Galli illi, a quibus ejusmodi nuntii venerant, non longe a Dalmatis abessent necesse est. Hos igitur Gallos, neque cisalpinos, neque transalpinos procul a Dalmatis disjunctos; sed eos fuisse arbitror, qui aut Dalmatiæ proximi erant, aut non multum a Dalmatia distabant, videlicet Japides aut Noricos, quos olim Gallorum vocabulo appellatos fuisse ostendimus.

Sed jam ad id, unde digressi sumus, revertamur. Cum Gallos Noricos proximos habeamus, legationem Gallicam Constantio Episcopo Sisciano impositam non est necesse inde usque ab Gallia cisalpina, vel transalpina repetere. Itaque in Concilio Aquilejensi, non aliam, nisi decretam sibi ab Episcopis Norici legationem sustinuit, ac gessit. Extat epistola Patrum Aquilejensium ad Gratianum, Valentinianum juniorem, & Theodosium Imperatores in hanc fere sententiam: se Aquilejam ex eorum jussu

Constantius Ep. Sisciensis Legatus Episcoporum Galliæ, idest Norici.

& præ-

& præcepto ad Synodum convenisse, Palladium & Secundianum Episcopos Ariani flagitii compertos, pariter cum Attalo ejusdem impietatis socio & participe, damnatos, & episcopali dignitate exutos; curandum esse, ut in eorum locum probatæ fidei, & sanctitatis Episcopi substituantur; Photinianos licet occultos, præsertim Sirmii, omnino coerceri, eidemque interdici oportere, ne clandestinos conventus agerent. Ita sublatis, longeque a Pannonia, Mœsia, Dacia summotis Palladio, Secundiano, & eorum sociis; reliquiis Photinianorum si non extinctis, attamen compressis, nihil fere hostium superfuit, unde Constantius periculum aliquod Ecclesiæ suæ timere posset. Itaque in omne reliquum tempus, quoad vixit, Sisciensem Ecclesiam tranquille ac placide gubernavit. Sed quemadmodum suscepti, sic etiam depositi Episcopatus epocha certa ignota est. Marco in Ecclesiam Sisciensem suffectus anno, ut nobis videtur, quinquagesimo sæculi quarti, vitam usque ad Concilium Aquilejense perduxit, quod habitum fuit anno 381. ultra hoc tempus an alios in annos, & quamdiu, vitam prorogaverit, incompertum est. Si quis unum alterumve Episcopum inter Marcum & Constantium intercessisse existimet; annos illos amplius triginta, quos Constantio attribuimus, bipartito, vel tripartito divisos, & res eventusque illorum temporum, suos cuique adscribat. Post Constantium vetera monumenta nullum nobis Episcopum Sisciensem per annos centum, & quinquaginta suppeditant; quin alii deinceps, atque alii fuerint, dubitare non licet. Sed illorum nomina, & facta, omnemque memoriam vetustas oblitteravit.

Arianis expulsis, & Photinianis repressis, Ecclesiæ Pannonicæ & Sisciensi quies fuit & tranquillitas.

Post Constantium Episcoporum Sisciensium per memoria usque ad an. 530. evanuit.

Pannonia tum hoc sæculo quarto, tum eo, quod proxime sequitur, perpetuis barbarorum cujusque generis incursionibus, direptionibus, cladibus exposita & obnoxia fuit. Anno autem 441. Hunni, ductu auspicioque regum suorum Attilæ ac Bledæ fratrum, in Pannoniam effusi, cum alias civitates, tum vero Sirmium principem totius Illyrici Occidentalis urbem funditus diruerunt; an vero Siscia quoque eodem Hunnicæ tempestatis turbine perculsa corruerit, non constat; illud certe constat, aut ab ea clade intactam, aut postea restitutam fuisse; nam sæculo nono adhuc civitas illa extabat, & suis incolis referta, mœnibus & propugnaculis cincta, bellicis firmata præsidiis vigebat. Primaria dignitas sacerdotalis Ecclesiæ Sirmiensis alio migravit; nec vero ante sæculum decimum tertium hæc civitas Sedem Episcopalem recuperavit; neque umquam in sublimem illum Pontificalis Hierarchiæ gradum, quem amiserat, postea restituta est. Ejus exarchalem, sive primatialem jurisdictionem ad Primatem Thessalonicensem devolutam ferunt; potestas vero metropolitica tripartito divisa, partim Laureacensi, partim Aquilejensi, partim Salonitano Metropolitæ obtigisse dicitur: id ferme docet Carolus a S. Paullo lib. 3. Geograph. Sac. *Fatebor tamen Sirmio Attilæ temporibus deleto, auctoritatem metropolitanam aliò translatam fuisse, partimque Lauraco, partim Achridæ*, (potius Thessalonicæ, & postea Achridæ) *partim Salonæ datum mihi videri*; sed ne Thessalonicæ quidem sive Achridæ quidquam metropoliticæ Sirmiensis potestatis attributum fuit; sed dignitas & auctoritas primatialis Ecclesiæ Sirmiensis ad jurisdictionem Primatis Thes-

Sirmio ab Hunnis everso,

salonicensis, postea Achridani, amplificandam accessit. Tunc fines provinciæ Salonitanæ Ecclesiasticæ in Pannoniam ad Danubium usque prolatos fuisse monumenta posteriorum temporum declarant; veluti Episcopatus Barcensis in Pannonia inferiori ab Honorio III. Salonitano Metropolita institutus; & privilegium Tirpimiri Ducis Chrobatorum Ecclesiæ Spalatensi concessum. Sed de his in II. & III. Tomo Illyrici Sacri satis superque dictum est. Itaque post calamitatem Sirmiensem Ecclesia Sisciensis in jus ac ditionem Metropolitæ Salonitani concessit. Sed nullos habeo hujus Ecclesiæ Episcopos, quos ante annum tricesimum sæculi sexti proferre possim.

potestatis Metropoliticæ pars Salonitano Archiep. attributa;

cui etiam Ecclesia Sisciensis.

JOANNES & CONSTANTINUS
Episcopi Sisciani.

Alter primo, alter secundo Concilio provinciali Salonitano interfuit. Utramque Synodum Honorius III. Metropolita Salonitanus, unam anno 530. XVII. Kalendas Julii, alteram post biennium convocavit. De utraque Tomo II. Illyrici Sac. cap. I. §. 2. & 3. & cap. II. §. I. & 2. in Actis ejusdem Honorii. Ac primi quidem inter nomina & subscriptiones Episcoporum quarto loco subjicitur: *Joannes Episc. Sisciana subscripsi ut supra*; secundæ vero, eumdem quartum locum retinens, *Constantinus Episcopus Ecclesiæ Siscianæ bis gestis consentiens subscripsit*. Intra biennium, quod a primo Concilio intercessit, Joannes obiit, ejusque in locum suffectus fuit Constantinus. De his duobus Episcopis nihil habeo præterea, quod adjiciam. Post Constantinum vero, quamvis alii ex aliis Episcopi creari non desierint, qui administrationem Ecclesiæ Siscianæ susciperent; illorum tamen acta, & nomina vetustate interierunt. Episcopatus Sisciensis sæculo septimo vel restituti, vel adhuc superstitis vestigium aliquod non obscurum intueri licet in Historia Salonitana Thomæ Archidiaconi; ait siquidem cap. XIII. in illis regionibus, quas post Salonam ab Avaribus excisam Heraclius Imperator Slavis habitandas tradidit, unde Slavoniæ nomen acceperunt, ab Joanne primo Spalatensium Archiepiscopo, vel certe ab illis, qui deinceps in Sedem Spalatensem successerunt, aliquot Ecclesias Episcopales restitutas fuisse: *Postquam per prædicationem prædicti Joannis, & aliorum Præsulum Salonitanorum, Duces Gothorum*, (verius Serblorum) *& Croatorum ab Arianæ hæreseos* (ethnicæ superstitionis) *fuerant contagione purgati, præter Episcopos Dalmatiæ, in Sclavonia fuerunt aliquæ statutæ Ecclesiæ, videlicet ab Oriente fuit Episcopus Delmitanus, unde Dalmatia dicta est, ab Occidente fuit Episcopus Sciscitanus, ubi B. Quirinus Martyr quondam extitit Præsul*. Quibus verbis satis perspicue apparet sæculo septimo, & duobus sequentibus Ecclesiam Siscianam suos vel recuperasse vel habuisse Episcopos: postea vero de his, & Episcopatu Sisciensi littera in veterum libris nulla invenitur, perinde ac si hæc Sedes Episcopalis sublata omnino atque abolita fuisset. Ceterum numquam hæc civitas, quoad stetit, suis Episcopis caruit, ut ego existimo; stabat autem sæculo nono, eratque in ditione Lindeviti Ducis Pannoniæ Saviæ, qui eam ad Francos repellendos egregie munierat. Sed adven-

Joannes an. 530.

Constantinus an. 532. Episcopi Siscienses,

Sæculo septimo sui Ecclesiæ Sisciensi Episcopi non deerant;

neque defuerunt sæculo nono, quamdiu hæc civitas stetit.

Digitized by Google

tante exercitu Ludovici Gallorum regis, & Romanorum Imperatoris, quocum bellum gerebat; cum Sisciæ mœnibus, & munitionibus diffideret, urbem hostium arbitrio, ac direptioni relicta, ad Serblos, quos Annales Francorum Sorabos vocant, in Dalmatiam confugit, ut tradit Eginhertus: *Exercitus de Italia propter Lindiviticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est; ad cujus adventum Lindivitus, Siscia civitate relicta, ad Sorabos (quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur) fugiendo se contulit &c.* Exinde mentionem ac nomen Sisciæ apud Scriptores posteriorum ætatum raro vel numquam invenies.

Eversa fuit ab Hungaris Pannoniam vastantibus.

Quæ temporum calamitas, quæve conversio rerum publicarum nobilissimæ huic civitati exitium supremum attulerit, nullæ veterum Scriptorum litteræ nobis prodiderunt. Verisimile est intra finem sæculi noni, vel decimo ineunte Sisciam dirutam fuisse, atque subversam ab Hungaris, qui e Mœotica palude profecti, post alias regiones vastatas, Pannoniam universam cœdibus, rapinis, incendiis peragrarunt, ut docet Luitprandus: *Avares, qui dicuntur Hungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes multa miserabilia perpetrarunt. Nam homines, vetulas, matronas penitus occidendo, juvenculas tamen, ut jumenta pro libidine exercenda trahentes, totam Pannoniam usque ad internecionem deleverunt.* Calamitates, cladesque ab Hungaris, & Slavis Norico & Pannoniæ illatas conqueruntur, ac deplorant Episcopi illorum partium in suis ad Joannem Papam IX. litteris datis anno 900. *Alios*, inquiunt, *captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros exilio deputaverunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in servitium redigerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt; ita ut in tota Pannonia nostra, maxima provincia, tantum una non appareat Ecclesia.* Hoc sæculo decimo fere numquam regiones illæ, cis ultraque Danubium, ab Hungaris non infestæ fuerunt; quas identidem prædando, cædendo, urendo sic peragrabant, ut quacumque irruerent, calamitatem & exitium inferrent; neque antea quies his regionibus, & tranquillitas fuit, quam S. Stephanus primus rex Hungariæ gentem illam fere universam, suavi Christianæ legis jugo imposito, mansuefecit. Hungaris igitur excidium supremum Siscianæ urbis adscribendum censeo; de qua nihil superfuit, nisi vicus exiguus, atque ignobilis; ubi Episcopus & Canonici Zagrabienses, sæculo decimo sexto, concessu Ferdinandi I. Imperatoris, arcem extruendam curarunt, vallo, fossa, mœnibus, propugnaculis eximie munitam: *Sisseckum* appellant, veteri vocabulo paullum immutato, & paucarum litterarum adjunctione producto. Anno ejusdem sæculi 93. semel atque iterum a Turcis obsessa, omnes hostium conatus elusit; tertio ab eisdem, & arctiori obsidione cincta, & vehementius oppugnata, jugum Turcicæ servitutis subire coacta est: quo post annum, ne integrum quidem, depulso ad pristinos Dominos rediit. Nunc arcem, & agri quod circa est, Canonici Zagrabienses, præsidio ad eam tuendam idoneo imposito, in sua potestate retinent.

Siscia in vicum exiguum redacta; ibi arx postea extructa; quam frustra obsessam, & semel captam a Turcis nunc Canonici Zagrabienses possident.

Episcopatus Siscienses sæculo undecimo per S. Ladislavum regem Hungariæ restitutus, longo intervallo revixit in Ecclesia Zagrabiensi; & seipso longe amplior & augustior, magnitudine diœceseos, privilegiis, opibus, ac ceteris omnibus ornamentis auctior, magis magisque in dies efflorescit.

Episcopatus Sisciensis redivivus in Ecclesia Zagrabiensi.

ECCLESIA ZAGRABIENSIS.

Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ Zagrabiensis.

I. COmmentarios Ecclesiæ & Episcoporum Zagrabiensium litteris mandarunt F. Raphael Levacovichius ex Ordine Franciscano, Canonicus idem & Archidiaconus ædis cathedralis; Paullus Ritter Eques clarissimus, & doctissimus; Benedictus Vincovichius Episcopus Zagrabiensis; Thomas Kovachevichius Canonicus & Custos ejusdem Ecclesiæ; sed nemo illorum præclaras suas lucubrationes typis traditas in lucem protulit. Has ego magna ex parte, cura operaque P. Philippi Riceputi descriptas habeo, quæ selectam rerum & monumentorum copiam ad conficiendam Historiam Ecclesiasticam Zagrabiensem suppeditabunt. Hanc postremus & recentissimus omnium scribendam suscepit Balthasar Adamus Kereselichius *Abbas de Kaes, Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, & regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Tabulæ judiciariæ Assessor, & Protonotarius Apostolicus*. In duas partes, sive Tomos duos, eam divisit: *Priore Tomo*, ut ipse in suis ad me litteris, *ea, quæ generatim Ecclesiam hanc, hujusque speciatim Pontifices attingerent, ex monumentis ipsis, vel coætaneis describit; his Basilicæ adnexam historiam, diplomata ipsa, & meliorum veterum scripta adjungit. Altero Capitulorum, Religiosorum cœtuum, similiumque Sacræ Reipublicæ ornamentorum historia continetur, quæ videlicet in hodierna Sclavonia fuissent olim, aut nunc essent, cum appendice fragmentorum, vel memoriarum ad alios spectantium, ut adjumento esse valeant iis, qui ex instituto de talibus aliquando scriberent*. Ac primæ quidem partis folia typis impressa jam prælum subierunt omnino ad quatuor & septuaginta, quæ vir præclarissimus & eruditissimus pro sua singulari humanitate ad me transmisit; hæc seriem Antistitum, rerumque narrationem usque ad exitum sæculi decimi sexti perducunt. Sed eximio, laborioso, eruditoque operi neque charta, neque forma litterarum respondet, illudque menda typographica commaculant, quæ sane plurima, Auctore absente, irrepserunt; an vero quæ huic Tomo desunt, reliqua folia prælo subjecta fuerint, mihi non est compertum. Alium in Italia typographum sibi quærendum censebat, qui & chartam nitidiorem, & typos elegantiores adhiberet, & si qui subreperent errores, iis corrigendis diligentem operam navare posset

Historia Balthasaris Adami Kereselichii bipartito divisa.

Pars jam typis edita.

Digitized by Google

sic ut vellet. Nescio quid graviter queritur in litteris supra laudatis: *Cum vero*, inquit, *ex tabulariis opus meum proflueret, Historiarum Ecclesiæ Zagrabiensis nomen accepit, sui meique ruina. Nec est, ut mearum injuriarum reminiscar, operis jacturam doleo, non tam meo, quam aliorum consensu*. Quos autem spectet, quove pertineat hujusmodi querela, divinare non possum. Undecumque tamen id sive molestiæ, sive injuriæ obvenerit, nollem equidem ob eam caussam operis præstantissimi editionem prætermitti, aut retardari, hisque doctissimis commentariis rem litterariam ecclesiasticam defraudari. Tomus primus inscribitur *Historiarum Ecclesiæ Zagrabiensis Pars prima*. Capita omnino quatuordecim complectitur: I. *De Fundatore hujus Ecclesiæ*; II. *De loco fundationis*; III. *De tempore fineque fundationis Ecclesiæ Zagrabiensis*; IV. *De Episcopatibus, qui in Sclavonia fuerunt ante Episcopatum Zagrabiensem*; V. *Num ex præmissis Episcopatibus Zagrabiam translatus aliquis*; VI. *De amplitudine Episcopatus Zagrabiensis*; VII. *De residentia Episcoporum Zagrabiensium*; VIII. *De privilegiis Ecclesiæ Zagrabiensis*; IX. *De proventibus & bonis Mensæ Episcopalis dictis*; X. *De Ivanich, ejusque Curia*; XI. *De aliis bonis Episcoporum Zagrabiensium*. His expositis & explicitis, tria, quæ sequuntur, Capita sibi vindicant Episcopi, quorum Acta, & quæ ad cujusque Pontificatum pertinent, observatis notatisque temporibus, uberius ac fusius describit. Duodecimo Capite viginti, tertio decimo unus & viginti, decimo quarto duodecim Episcopi comprehenduntur, quorum postremus est Caspar Zankovachkius anno 1588. Pontificatum adeptus, in quem desinunt folia, Patavium mihi transmissa, Monumentis cujusque generis, & rebus cognitu dignissimis abundant; omnia sunt exquisitæ doctrinæ, & eruditionis referta, apte disposita, & digesta, prudentissima crisi discussa & probe stabilita. Mihi sane ad conscribendam Historiam Zagrabiensis Ecclesiæ maximo adjumento erunt, materiæ conquirendæ curam fere omnem adiment, præclaram & rerum & monumentorum copiam suppeditabunt; atque in eo solum laborandum erit, ut in pauciora conferam, quæ ille pro suo instituto fuse lateque descripsit; nam ipsemet Auctor, vir facillimus atque humanissimus, potestatem fecit sumendi e suis commentariis quidquid libuerit, atque in rem meam esse cognoverim. Ingentem præterea rerum & monumentorum Zagrabiensium segetem ac materiam collegit P. Philippus Riceputus, atque ad hanc historiam scribendam usui aliquando futuram sepofuit. Apud Scriptores rerum Zagrabiensium sæpe citatos invenio Joannem Archidiaconum Guerschensem, & Album Capitulare: qui codices mss. sæculum quartum decimum non antecedunt; eosdem nos quoque, ubi opus fuerit, rerum ac temporum testes citabimus.

Positio Zagrabiæ.

II. Zagrabia passuum millia amplius viginti ab Siscia in occasum distat; sita est in Pannonia Savia, sive Interamnensi, quæ nunc Slavonia, prope a finibus Norici mediterranei, nunc *Carnioliæ*, ultra Savum fluvium, a quo itinere brevissimo disjungitur. Hanc incolæ *Zagrob*, sive *Sagrab*, Germani *Agram* vocant. Krekvitzius nomen Zagrabiæ repetendum censet a Germanico vocabulo *Graben*, *quod nimirum aqua, qua intersecatur, defluente, fossa subinde spectabilis appareat*; Ratkajus ab hauriendo appellatam existimat, *quod nomen Slavonicum Zagrabi sonat*; Bonfinius vero a copia & abundantia rerum omnium, quas natura desiderat, summaque ubertate agrorum. Quamvis nomen Zagrabiæ sæculo decimo sit posterius, non desunt tamen qui antiquitatem urbis ad superiora sæcula referant, atque adeo Romanorum Imperio æqualem esse existiment; sed quo vocabulo apud veteres Geographos appellata fuerit, inter eos discrepat. Lazius *Soragam*, Moletius *Sisopam* ab Ptolemæo nominatam censent; utramque Ptolemæus inter civitates Pannoniæ annumerat. Ludovicus Schonlebius in Apparatu ad Annales Carnioliæ neutram opinionem omnino rejiciendam, suam tamen præferendam putat; & ubi nunc Zagrabia est, ibi olim fuisse ait *Quadratam*, oppidum illud, quod Antoninus, sive quis alius auctor fuerit Itinerarii Antoniniani, in eo, quod ab Hemonia, sive Æmona iter est Sirmium, inter Noviodunum & Sisciam collocavit, passuum millia unum & triginta ab Novioduno, duodetriginta ab Siscia disjunctum. Et sane Zagrabia Sisciam fere tantumdem viæ est, quantum spatii intermedii inter Quadratam & Sisciam esse docet ratio Itineris Antoniniani; quocum haud multum discrepat Tabula Peutingeriana, quæ itidem iter Æmona Sisciam describens, Novioduno & Sisciæ Quadratam interposuit; nisi quod Novioduno & Quadratæ *Romulam*, Quadratæ & Sisciæ oppidum *Ad fines* interjecit. Lambecius magis apte congruenterque ad similitudinem recentioris atque hodierni vocabuli, Zagrabiam sæculo nono, dum Carolus Magnus imperabat, *Sarabiam*, sive *Sariam* denominatam fuisse conjecit ex Annalibus Francorum, quos Pithœus primus in lucem protulit.

An eadem sit ac Soraga seu Sisopa Ptolemæi, vel Quadrata Antonini.

III. Post extinctos reges Chrobatiæ, quorum imperio suberat hæc civitas, qualiscumque, & ubicumque fuerit, cum tota Pannonia Savia, ab Slavis Slavoniæ nomen mutuata, sub dominatum regum Hungariæ concessit. Ladislavus Rex Hungariæ sive sororis suæ Lopæ, viduæ Svinimiri regis Chrobatiæ, invitatu, ut tradunt Scriptores Hungarici, sive rogatu quorumdam procerum Chrobatiæ, ut Thomas Archidiaconus docet, cum exercitu Dravum transgressus, Slavoniam omnem, & partem Chrobatiæ mediterraneæ, quam in Dalmatia Chrobati obtinebant, ad regnum Hungariæ adjunxit anno Christi 1091. ut declarant Tabulæ cœnobii Mariani Jadrensis, quæ huic anno adventum Ladislavi assignant: *Anno Incarnationis Jesu Christi D. N. 1091. Kiri Alexio Constantinopolitano imperante, tempore quo Uladislaus Pannoniorum rex Croatiæ invadens regnum, Dominum Almum suum nepotem in illo statuit regem, Jadrensi vero cathedræ Domno Andrea venerabiliter præsulante, meque Drago Domini Prastantii Episcopi Nepote, jam tertio priorante &c.* Sub imperio regum Hungariæ Slavonia omnis est divisa in partes octo, quas *Comitatus* vocant. Sunt autem Comitatus exiguæ provinciæ, quæ ex urbibus, castellis, oppidis, & pagis constant, suis quæque terminis definiuntur, suum quæque nomen a civitate, sive oppido cujusque primario mutuantur, suos habent magistratus, suis legibus utuntur. Qui singulis præest Comes, seu Vicebanus, qui omnibus, Banus sive Prorex Slavoniæ appellatur. Principem inter omnes locum digni-

S. Ladislavus rex Hungariæ Zagrabiam ad imperiũ adjunxit.

dignitatis & excellentiæ tenet Comitatus Zagrabiensis, vergens ad meridiem, ab urbe totius Slavoniæ primaria denominatus, cujus jurisdictio ultra & citra Savum protenditur. Reliqui septem Comitatus hi sunt, ab occasu Sagoriensis cis ultraque Dravum porrectus, Varasdinensis, Crisiensis; ab Oriente Verucensis, Valponensis, Sirmiensis; intermedius est Posegiensis. Slavonia ab Occidente finitima est Norico mediterraneo, nunc Styriæ seu Marchiæ Vindorum & Carnioliæ, a Septemtrione Dravo, ab ortu Danubio, a meridie Savo fluminibus circumscribitur. Tota regio partim assurgit in montes, & colles, partim vero in valles & planitiem extenditur; cælo miti & salubri fruitur, silvis, pascuis, pecoribus abundat, rerum omnium ferax, tritici, & frugum, atque olerum cujusque generis, ac præsertim vini optimi. De agro Sirmiensi Aloysius Ferdinandus Marsilius in Prodromo ad suos commentarios de Danubio, *hæc*, ait, *est beata illa & fertilissima regio, non solum vini toto Septemtrione laudatissimi, sed etiam rerum omnium, quæ ad usum humanum pertinent.*

S. Ladislavus conditor Episcopatus Zagrabiensis;

IV. S. Ladislavum Episcopatus & Ecclesiæ Zagrabiensis conditorem fuisse tum vetus & communis opinio tenet, ab illis usque deducta temporibus, tum vero antiqua monumenta declarant. Sed Tabulæ conditi Episcopatus non extant, siquidem vel nimia vetustate interierunt, vel cum Tartari sæculo decimo tertio Hungariam & Slavoniam ferro & igni vastarunt, eodem, quo cetera illarum regionum oppida, & tabularia, incendio conflagrarunt; aut cum Bela IV. hoc nomine rex Hungariæ, post cladem ingentem a Tartaris acceptam Zagrabiam se recepisset; codices Tabulasque ex utroque civili, & ecclesiastico Grammatophylacio raptim sublatas, una cum regiis thesauris, ne in hostium potestatem venirent, fugiens in Dalmatiam detulit; pleraque vero hujusmodi monumenta in illa præcipiti, ac tumultuosissima fuga perierunt, vel certe aut Spalati, aut Tragurii, aut in insulis proximis (rex enim his locis ex fuga salutem suam commendaverat) relicta sunt, blattis tineisque depascenda. Extant tamen vetera diplomata ante cladem Tartaricam confecta, quæ S. Ladislavo Episcopatus Zagrabiensis instituti laudem attribuunt. Felicianus Archiepiscopus Strigoniensis in ea sententia, quam tulit secundum Ecclesiam Zagrabiensem an. MCXXXVII. id plane diserteque testatur: *Prædictus rex* paullo ante *nominatus* (Ladislavus) *divina gratia inspirante, horum, cæterorumque nobilium consilio, Zagrabiensem constituit Episcopatum &c.* Idem confirmat Andreas II. rex Hungariæ in eo privilegio, quod Stephano Episcopo Zagrabiensi concessit anno 1217. *Cum essemus in exequenda itinere assumptæ Crucis . . . & venissemus ad Zagrabiensem Episcopatum, ac monasterium Zagrabiense a S. Ladislao rege sanctissimæ recordationis prædecessore nostro constructum &c.* item in alio ejusdem diplomate, cui privilegia Divi Ladislavi & superiorum regum collata Ecclesiæ Quinqueecclesiensi inseruit: *Quoniam ultra Dravi fluvium limes, seu terminus Quinqueecclesiensis Ecclesiæ nondum fuerat stabilitus, cum Sanctus rex Ladislavus primus transiens Dravæ fluvium, & partes sibi Sclavonicas regno primum occupavit, ubi & Sedem fundavit Episcopalem Zagrabiensem &c.* Post calamitatem Tartaricam non solum Bela IV. anno 1269. sed etiam Stephanus ejus filius anno 1272. in suo uterque diplomate, quo Ecclesiæ Zagrabiensis jura & privilegia, rogatu Timothei Episcopi, confirmavit, S. Ladislavum conditorem Episcopatus Zagrabiensis fuisse ajunt: *Nos itaque*, ait Stephanus, *illustrium progenitorum nostrorum regum Hungariæ vestigiis inhærendo, ipsam Zagrabiensem Ecclesiam ex benignitate celsitudinis regiæ prosequi volentes, præsertim ob devotionem Sancti regis Ladislai, qui eliminatis erroribus in Ducatu Sclavoniæ, Zagrabiensis Ecclesiæ institutor sanctissimus extitit, & fundator &c.* Sunt qui existimant auctorem hujus Episcopatus instituendi fuisse Ladislavum, sed cum morte præreptus præclara cogitata, & pium consilium perficere non potuisset, gloriosi operis, quod ipse moliebatur, exequendi curam reliquisse Almo, vel Colomano, filiis sui fratris Geysæ, quorum hic patruo in regnum Hungariæ successit, ille vero principatum Slavoniæ & Chrobatiæ obtinuit; alterutri autem primordia Ecclesiæ Zagrabiensis adscribenda censent. Sed nihil est caussæ, cur hujus Episcopatus non solum designati, sed etiam conditi gloria S. Ladislavo adimi debeat; cum is post Slavoniam, & Chrobatiam anno 1091. in suam potestatem redactam, annos quatuor vixerit; cui quemadmodum voluntas inerat, & facultas aderat, sic tempus rei perficiundæ non potuit deesse.

Non vero Almus neque Colomanus.

Triplex anachronismus co arguitur, & emendatur.

V. De anno conditi Episcopatus controversia est inter Scriptores. Joannes Tomcus Marnavitius, Benedictus Vincovichius Episc. Zagrabiensis, & alii ad annum 1085. ejusdem Episcopatus initia referunt. Hi siquidem hæc tria, primam sacram expeditionem ab Urbano II. decretam indictamque ad Hierosolymam Saracenis eripiendam, cui Ladislavum ipsum imperatorem supremum præpositum fuisse ajunt; mortem Svinimiri regis Chrobatiæ & Dalmatiæ; denique adventum S. Ladislavi in Dalmatiam ad ferendam opem sorori suæ viduæ Svinimiri, & Slavoniam, partemque Chrobatiæ mediterraneæ ab eo subactam, in eumdem annum 1085. conferunt; huic autem anno primordia Ecclesiæ Zagrabiensis innectunt; paucis verbis tria magna peccata chronologica. Urbanus II. neque ante annum 1088. Ecclesiæ universalis regimen suscepit, neque ante annum 1095. & mensem Novembrem apud Clarum Montem, Arverniæ oppidum, in frequentissimo Episcoporum & procerum conventu expeditionem Hierosolymitanam edixit, cum eodem anno ante tres menses S. Ladislavus obiisset. Svinimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ adhuc regnabat anno 1087. ut constat ex ejus privilegio apud Joannem Lucium anno eodem cœnobio Mariano Virginum Jadrensium concesso; neque hic postremus regum Chrobatorum fuit, ut vulgo creditum est; sed post illum regnum in Chrobatis obtinuit Stephanus II. ut docet ejusdem diploma, quo privilegium *Svinimiri nuper defuncti*, concessum cœnobio Benedictino Virginum Spalatensium, confirmavit: quod quidem diploma idem Joannes Lucius anno 1089. adscribendum putat. Denium adventus Ladislavi in Dalmatiam, cum totam Slavoniam, & partem Chrobatiæ mediterraneæ subjugavit, dimoveri nequit ab anno 1091. siquidem fides habenda est tabulis supra descriptis cœnobii S. Mariæ Virginum Jadrensium. Itaque

que

Digitized by Google

que illa tria; quæ illi simul conjungunt, diversorum annorum interstitiis separantur, neque in eumdem annum 1085. convenire possunt. Hoc autem anno S. Ladislavus nondum Slavonia & Chrobatia potitus fuerat, quam anno 1091. ut modo dictum est, subegit. Itaque ante hunc annum sicut in his regionibus nihil juris habuit, ita nulla erat Ladislavo potestas novi Episcopatus ibidem instituendi. Nec vero hujusmodi institutio in hunc annum 1091. cadere potuit, ut aliqui existimant; nam postquam Slavoniam inter Dravum & Savum nullo certamine in potestatem redegit, cum citra Savum Chrobatiam translalpinam, & cisalpinam, aliquot præliis commissis & oppidis captis, subjugare cœpisset; illi nuntiatum est de repentina Chunnorum in Hungariam irruptione, quæ ipsum cum exercitu ad sui regni defensionem statim revocavit. Itaque de fundando Episcopatu Zagrabiensi ne cogitandi quidem spatium habuit. *Uladislavus*, ut tradit Archidiaconus Hist. Salonit. cap. XVII. *coadunato exercitu copioso venit, & occupavit omnem terram a Dravo fluvio usque ad Alpes, quæ dicuntur ferreæ, nullo obviam resistente. Post hæc transivit alpes, & cœpit impugnare munitiones & castra, multaque prælia committere cum gentibus Chrobatiæ . . . sed audiens, quod quædam gens regni fines intraverat, in Pannoniam repedavit*. Chunnis victis, & expulsis, tum demum ad res publicas ordinandas Slavoniæ & Chrobatiæ, recenter imperio adjunctas, cogitationem curamque convertit. Utrique regioni præfecit Almum Geysæ fratris sui filium, quem ducem & regem Slavoniæ & Chrobatiæ nominavit. Sub idem vero tempus Episcopatum Zagrabiensem instituit, eique magnam partem tum Slavoniæ, tum Chrobatiæ subjecit: id quod perfecerit necesse est ante annum 1095. nam hoc ipso anno pie sancteque decessit tertio Kalendas Augusti; quem ob eximiam sanctitatem, & miracula post mortem edita, in Divorum numero Ecclesia reposuit, & veneratur. Itaque primordia Ecclesiæ Zagrabiensis post annum nonagesimum primum, & ante annum nonagesimum quintum sæculi undecimi collocentur oportet.

S. Ladislavus inter ann. 1091. & 1095. Episcopatum Zagrabiensem fundavit.

Sunt qui S. Ladislavum conditorem quidem Zagrabiensis Episcopatus fuisse affirmant, sed ubi nunc est, fundatum esse negant.

VI. Existit hoc loco quæstio subdifficilis, num S. Ladislavus Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis, ubi nunc extat, an vero alibi fundamenta jecerit. Paullus Ritter, Balthasar Adamus Kereslich, & alii Ladislavum auctorem quidem fuisse, conditoremque hujus Ecclesiæ & Episcopatus e communi fere omnium sententia affirmant; ibi vero, ubi nunc est, ab eo conditum fuisse negant. Quæ de Zagrabiensi Ecclesia per S. Ladislavum fundata vulgo traduntur, in eam sententiam accipienda esse Paullus Ritter existimat, ut non ille quidem Zagrabiæ Basilicam ædificaverit, & Sedem Episcopalem constituerit; sed cum in Slavonia multos reperisset adhuc inanium Deorum superstitionibus deditos; ex his ad Christi cultum traductis novam Ecclesiam, seu Congregationem Christianorum conflavit, eique Episcopum dedit, qui deinde apud Zagrabiam, Basilica ædificata, & pontificiis ædibus exstructis, cathedram episcopalem collocavit: *Quamvis*, inquit, *ex antiquissimo Capituli Strigoniensis testimonio, & ex Andreæ II. regis privilegio, Zagrabiensem Episcopatum, & monasterium Zagrabiense a Ladislao rege constructum esse dignoscatur, neutiquam tamen vel Basilicam ab eodem, vel Episcopatum Zagrabiæ erectum fuisse dignoscitur; quamquam Stephanus II. Ladislaum Zagrabiensis Ecclesiæ institutorem nuncupet; sed Ecclesiam universitatem fidelium, non Templi, aut oratorii fabricam, intelligit: siquidem Ladislaus terram Slavoniæ, seu Banatum ab errore idololatriæ ad Christianitatem convertit, ut ex eorum privilegiis in archivo Episcopi Zagrabiensis conservatis comperi*. Balthasar Adamus Kereslich censet initia, & fundamenta Episcopatus Zagrabiensis jacta fuisse apud Chasmam, quæ civitas erat Slavoniæ frequens ac nobilis non longe ab Dravo; Presbyterorum siquidem & procerum rogatu Episcopatum ibi instituisse ait, quem a loco, uti illum statuere decreverat, Zagrabiensem appellavit: *Cum ipse* (Ladislavus) *Dravum transivisset, Chasmam appulit, quæ trans Dravum respective ad Hungariam esset; ibidemque occupato castello, quod Sclavoniæ sive regum, sive ducum fuerit, a Chasmæ habitantibus Presbyteris, & illi inservientibus Ecclesiæ susceptus est; quos & solari sua volens clementia, & eorum uti fors, in neoccupato regno consiliis, suos constituit Capellanos, secumque in Hungariam duxit. Atque ideo non in loco, qui nunc est Zagrabia, Episcopatum, minus Ecclesiam erexit; sed Chasmæ potius, quem tamen Episcopatum Zagrabiensem nominavit a loco, ad quem eum destinaverat, quive in medio quasi fuerit Slavoniæ, ubi arx etiam fuerat, quæ, ut inferius dicemus, in residentiam episcopalem versa, hodiedum arcis nomen reservat*. Hæc ille, infra vero: *Postquam Ladislavus Dravæ transivisset fluvium, & ab universo clero populoque, virtutibus ejus ita exposcentibus, pro rege eorum habitus, ut sacræ has partes coronæ adjiceret, ad preces eorum Episcopum ipsis constituit, quem Zagrabiensem appellavit; quin idem Zagrabiæ eundem fundasset, sed ad summum fundare intenderat . . . hinc Ladislavum fundatorem quidem esse ajunt Episcopatus dicti Zagrabiensis, hunc tamen neutiquam Zagrabiæ fundavit*. Hic Auctor cur ita opinetur, quasdam conjecturas suæ opinioni subjecit, haud sane improbabiles, quæ tamen apud me tanti non valent, ut ab communi receptaque sententia discedendum putem. Quod plerique igitur, & fere omnes tradunt Episcopatum Zagrabiensem ibidem loci, ubi nunc est, fundatum fuisse, id mihi longe verisimilius esse videtur; præsertim cum Ladislavus in animo habuerit, ut ipsemet Balthasar docet, sedem pontificalem apud Zagrabiam constituere, & hunc ipsum locum novæ Ecclesiæ condendæ delegerit, a quo propterea Episcopum ipsum denominari voluit Zagrabiensem. Quid caussæ igitur excogitari potest, cur hujus fundamenta Chasmæ potius, quam Zagrabiæ collocare maluerit? An non æque utrumque oppidum, & quidquid terrarum ac gentium Dravo Savoque interjacet, seu jure belli, seu voluntaria deditione acquisitum in ejus erat potestate? Nec vero tum Basilicæ cathedralis, & *Monasterii*, idest domicilii episcopalis & capitularis apud Zagrabiam ædificandi, tum etiam Episcopi nominandi, tempus & facultas illi defuit; nam post Slavoniam & Chrobatiam ad regnum Hungariæ adjunctam anno 1091. annis ipsis quatuor superstes fuit, vitamque usque ad annum 1095., & Sextilem mensem perduxit. Quod vero pleraque veterum Episcoporum Zagrabiensium diplomata Chasmæ data

Standum communi sententiæ, quæ in eo ipso loco ubi nunc est, sedem Episcopalem constitutam esse docet.

Digitized by Google

data obsignataque reperiantur, ut idem Balthasar docet, id non satis argumenti est, cur initia conditi Episcopatus Zagrabiensis Chasmæ potius, quam Zagrabiæ attribui oporteat; siquidem salubritas aeris, amœnitas loci, celebritas oppidi, & arx episcopalis ibidem exstructa Episcopos illos allicere potuit, ut diutius Chasmæ, quam Zagrabiæ commorari mallent. *Erat Chasma oppidum*, ut scripsit Paullus Ritter, *situ, amœnitate, pluribusque ædibus celebre; & Arx Episcopalis; eam frequentius, quam Episcopium Zagrabiense, Antistites inhabitabant.*

Ex jurisdictione Ep. Tinniniensis Ladislavus plurimum detraxit & Episcopo Zagrabiensi attribuit.

VII. Dum reges Chrobatici generis in Dalmatia, Chrobatia, & Slavonia rerum potiebantur, Episcopus Tinniniensis, quem Cresimirus rex Chrobatiæ, & Dalmatiæ, permissu Metropolitæ Spalatensis instituerat, & honorificis titulis ac privilegiis cumulaverat, episcopalem jurisdictionem cis ultraque Savum, usque ad Dravum longe ac late proferebat; isque Episcopus regius, sive palatinus, quod regis aulam curiamque sequebatur; & Chrobatiensis appellari solebat, perinde quasi, ut erat primarius, sic universalis esset Chrobatorum Episcopus, de quo Thomas Archidiaconus cap. xv. *Voluerunt etiam Chroatorum reges quasi specialem habere Pontificem, petieruntque ab Archiepiscopo Spalatensi, & fecerunt Episcopum, qui Chroatensis appellabatur, posueruntque sedem ejus in Campo, in Ecclesia S. Mariæ Virginis, juxta castrum Tiniense. Hic multas obtinuit parochias, habuitque prædia & possessiones per totum pene regnum, quia regalis erat Episcopus, & regis curiam sequebatur; & sua jurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur.* Sed post regnum Chrobaticum extinctum, amplitudo ac dignitas Episcopi Tinniniensis vel plurimum imminuta fuit; omnemque ille jurisdictionem intra fines admodum angustos contraxit; & sæculo duodecimo ad exitum vergente, Synodus provincialis Spalatensis diœcesim illius exiguis terminis definivit: *Tinien. Episcopus habeat sedem suam in Tenin, & habeat has parochias Tenin, Campum, Verchreca, Pset.* Huic igitur Ladislavus quidquid jurisdictionis ultra Savum obtinebat in Slavonia, detraxit, itemque citra Savum in Chrobatia aliquot parœcias ademit. Ex his autem regionibus diœcesim Zagrabiensem conflavit, eamque ab diœcesi Quinqueecclesiensi sejunxit, & suis hanc terminis definivit.

Ut Episcopatum Zagrabiensem institueret, quid impulit Ladislavum?

VIII. Ecclesiæ Zagrabiensis fundandæ caussam sanctissimo regi hanc potissimum fuisse ajunt, quod in ea regione multos idolorum cultores reperisset, quos ad rectam in Deum fidem, & Christi cultum traducere miro studio cupiebat. Id siquidem tradunt Felicianus Archiepiscopus Strigoniensis, Andreas II. & Stephanus V. reges Hungariæ in suis diplomatibus. *Zagrabiensem constituit Episcopatum, videlicet ut quos error idololatriæ a Dei cultura extraneos fecerat, episcopalis cura ad viam veritatis reduceret.* Felicianus. *Qui terram Sclavoniæ, sive Banatum ab errore idololatriæ ad Christianitatem convertens, coronæ Hungariæ subjugavit.* Andreas II. *Qui eliminatis gentilitatis erroribus in Ducatu Sclavoniæ, Zagrabiensis Ecclesiæ institutor sanctissimus extitit, & fundator.* Stephanus V. Paullus Ritter existimat Slavoniam idololatris adeo refertam tunc fuisse, ut si paucos excipias, qui Christianam religionem, inde usque a temporibus apostolicis susceptam, ab omni labe intactam servabant; Ethnicorum superstitio ubique in oppidis pagisque dominaretur, cum S. Ladislavus provinciam illam sub imperium Hungariæ subjunxit: id quod nec verisimile, nec credibile videtur. Revexerat quidem in hanc regionem cultum inanium Deorum gens illa Chrobatica, quæ secessione facta, ut docet Constantinus Porphyrogenitus, a popularibus suis, quibus Heraclius Imperator septimo sæculo Dalmatiam mediterraneam habitandam tradidit, in Pannoniam Saviam migravit, quæ ab illis primum Chrobatia, deinde Slavonia communi totius gentis vocabulo appellata fuit; sed cum Chrobati Serblique omnes, qui Dalmatiam, Chrobatiam, Serbliam incolebant, alii citius, alii serius, suscepto baptismo, ad Ecclesiam aggregati fuissent; non est verisimile eos, qui secesserant in Pannoniam Saviam, oblatum veritatis Evangelicæ lumen pertinaciter ad ea usque tempora respuisse; præsertim cum reges Chrobatiæ, quorum imperio suberant, Christianam religionem colerent, ejusque tuendæ, & propagandæ mira cupiditate flagrarent. Certe Svinimirus proximus ante Stephanum II. postremum Chrobatiæ regem, titulo ac diademate regali ab Legatis Pontificii sibi tradito, regnum suum in fidem & clientelam Sedis Apostolicæ contulit, eique tributarium fecit. Adde quod sæculo nono, cum Tirpimirus principatum in Chrobatia obtinebat, regio illa Savo Dravoque interjecta, ad jus metropoliticum Archiepiscopi Spalatensis pertinebat, finibus provinciæ Ecclesiasticæ Spalatensis usque ad Danubium prolatis, ut ex ejusdem Tirpimiri diplomate perspici potest. Eamdem vero regionem fere totam Cresimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ ad jurisdictionem regii sui Episcopi Chrobatiensis, seu Tinniniensis adjunxerat, quam, ut Archidiaconus tradit, usque ad Dravum protendi voluit. Nec vero Metropolitas Spalatenses, & Episcopos Tinninienses officii sui adeo negligentes & immemores fuisse arbitror, ut in illa amplissima provinciæ, vel diœceseos suæ parte idololatriam tamdiu dominari paterentur; vel certe credibile non est parum eos, vel nihil profecisse, quamvis per annos fere quingentos ad illam eliminandam satis studii operæque adhibuerint. Quo igitur tempore S. Ladislavus Slavoniam in suam ditionem redegit, in villis agrisque vestigia quædam antiquæ superstitionis extitisse dixerim, quæ sanctissimus rex omnino aboleri volebat: siquidem apud agrestes ac rudes homines vanæ & commentitiæ de multiplici divinitate opiniones a majoribus acceptæ, horum animis erant adeo penitus insitæ, vel potius innatæ, ut nulla neque temporum diuturnitate, neque Antistitum industria evelli potuerint: nisi propius vero est Christianam sinceramque quorumdam simplicium agricolarum fidem depravatam fuisse ex contagione Hungariæ finitimæ, quæ non ante sæculum decimum e priscorum errorum caligine & tenebris lucem Evangelii respicere, & Christianam Religionem amplecti cœpit. Cum autem primum Geysa, deinde ejus filius S. Stephanus, & alii deinceps reges, atque ipsemet S. Ladislavus omni ope atque opera eniterentur, ut Hungaros omnes ad Christi cultum traducerent, & contumaces obfirmatosque in perfidia idololatrica, exilio, aliisque pœnis multarent; ex illis

Superstitio, cum S. Ladislavus Slavoniam subegit, in agris villisque apud agrestes & rudes homines vigebat,

Digitized by Google

illis haud pauci, quibus potior fuit avita superstitio, quam patria, solum vertere coacti, trans Dravum in Slavoniam migrarunt. His facile fuit genus hominum indoctum & agreste superstitiosis opinionibus imbuere, & a Christiana religione ad nefarios ritus abducere. Sed cum æque Slavonia atque Hungaria reges haberet, tum divinæ incorruptæque fidei vindices, tum idololatricæ impietatis ultores acerrimos, a quibus metuendum erat; in agris locisque desertis apud fontes & puteos impuris mysteriis ac cærimoniis operam dabant; nam certe in Hungaria id palam facere non audebant; quippe superstitio plane omnis ab urbibus, oppidis, cœtuque nobilium, & eruditorum repulsa, in silvas, devialque solitudines se abdiderat; & apud homines rusticanos & imperitos, clandestinis conventibus & sacrificiis coli solebat: id quod intelligi potest ex lege, quam tulit, & pœna, quam ipse Ladislavus in eos constituit, qui occultis illis ac nefandis sacris operarentur; quippe impium & sacrilegum facinus bovis unius mulctatione luendum esse decrevit: quæ quidem pœna non in alios, quam in homines rusticos, & agricolas cadere videtur: *Quicumque ritu gentilium juxta puteos sacrificaverint, vel ad arbores, & fontes, & lapides obtulerint, reatum suum bove luant*. Ex lib. 1. Decret. Ladisl. cap. 22. Si quos igitur in Slavonia cultores idolorum Ladislavus reperit, ii erant ex infima plebe, & agrestium hominum genere, fusi per agros, per silvas, & montes dispersi, qui magis stupiditate quadam, verique ignoratione, quam voluntate & malitia peccabant. Itaque doctore & magistro indigebant, qui ab eorum animis ignorantiæ tenebras dispelleret, & rudes hebetesque homines ad veram religionem, verique Dei cultum instrueret; ut præclare animadvertit Felicianus Archiepisc. Strigoniensis in eo, quod fecit secundum Ecclesiam Zagrabiensem decreto: *Ad instruendam hujus plebis ignorantiam, quemdam Bohemicum venerabilis vitæ virum nomine Duh idoneum reperit, quem eidem Ecclesiæ Pastorem per suum Capellanum Francicam delegavit*. Duo quidem erant ea tempestate Episcopi, qui reregionibus & locis inter se divisis, rei Christianæ in Slavonia præsidebant, Quinqueccleſiensis, & Chrobatiensis, sive Tininiensis; verum idololatria, in agris, silvis, montibus abdita, utriusque quamvis acrem vigilantiam, diligentemque inspectionem subterfugerat; ac prælertim Episcopi Chrobatiensis, qui longius aberat, & episcopalibus regalis aulæ & curiæ ministeriis addictus affixusque, partes ac populos Slavoniæ raro adibat, & lustrabat. Tantum vero abest, ut qui civitates ac frequentiora loca incolebant, virique nobiles & eruditi idolis cultum adhiberent, aut vel tenui veterum superstitionum afflatu contacti essent, ut de horum consilio potissimum Ladislavus ad Slavoniam ab omni idololatrica labe purgandam Episcopatum Zagrabiensem institueret: *Prædictus Rex*, ait Felicianus, *divina gratia inspirante, de horum, cæterorumque nobilium consilio Zagrabiensem constituit Episcopum, ut quos error idololatriæ a Dei cultura extraneos fecerat, episcopalis cura ad viam veritatis reduceret*. Ita Slavonia universa hoc singulare beneficium S. Ladislavo acceptum refert, quod nihil usquam loci antiquæ superstitioni relictum fuerit, deletisque omnibus nefarii cultus reliquiis, pura & incorrupta Religio ubique vigeret.

Quam neque Tininiensis neque Quinqueccleſienſis Episcopi omnino eliminare potuerant.

IX. Sunt qui existimant Episcopatum Sisciensem ab S. Ladislavo Zagrabiam translatum fuisse; sed ille jamdudum cum ipsa urbe a barbaris sæculo decimo funditus eversa interierat. Episcopatus autem, qui tunc nullus, & nusquam erat, qui transferri potuerit non video; eum potius Zagrabiæ quodammodo revixisse, & longo intervallo refloruisse dixerim; nam quidquid olim terrarum ac gentium Sisciensi suberat, id fere omne, & ipsius Sisciæ quod reliquum fecerat clades barbarica, atque injuria temporum, Episcopo Zagrabiensi Ladislavus attribuit; quin hujus diœcesim latius ac longius porrexit, & fortassis eidem adjunxit partes aliquot proximas Norici, quæ ad Celejensem, & Petroviensem Episcopatus jamdudum extinctos pertinebant. An vero S. Ladislavus illud spectaverit, ut Sedem Episcopalem Sisciensem Zagrabiæ restitueret, id affirmare vel negare non ausim: id consilii fuisse sanctissimo regi Scriptores tantummodo tradunt & vetera monumenta, cum Episcopatum Zagrabiensem fundavit, ut quidquid Ethnicæ superstitionis in ea regione supererat, prorsus aboleret, & novi Antistitis cura operaque adhibita, incolas omnes ad Christianam religionem colendam perduceret.

Episcopatus Siscianus non est translatus Zagrabiã, sed Zagrabiæ quodammodo revixit.

Antequam ultra progrediar, operæ pretium esse duxi perbreve quoddam S. Ladislavi parentis & conditoris Ecclesiæ Zagrabiensis huic loco intexere elogium. Decerptum est ex Breviario Hungarico Tyrnaviensi.

Elogium S. Ladislavi.

Ladislaus I. hujus nominis Ungariæ rex, Bela primo ex filia regis Poloniæ prognatus, cunctis animi & corporis dotibus fuit ornatissimus, regale solium invitus conscendit. Salamonem enim præferri optabat, cui, & postea sæpius cedere volens, a proceribus regni fuit prohibitus. Creatus in regem, omnia boni Principis officia explevit: beneficentia in egentes, comitate, justitia, ac liberalitate eminebat. Præsentissimis suæ vitæ periculis, subditos ab immani barbarorum gentium populatione vindicavit, fusis non una vice Cumanorum agminibus; Dalmatiam & Croatiam regno Ungarico adjunxit; volente id sorore ipsius, quæ rerum potiebatur, marito regnorum Domino vita functo. Regias virtutes, Christianæ pietatis opera excellebant. Posteaquam enim Dei monitu ad Chrysium fluvium Basilicam Dei Genitrici erexisset, oppidoque Varadino adjecto munivisset, totum se deinceps ad cultum religionis amplificandum convertit. Episcopatus amplissimos, monasteria Templaque magnifica construxit, regiaque munificentia dotata omnibus ornamentis auxit.

Divinarum rerum contemplationi Rex Sanctus deditus erat, ut interdum in aera sublimis raperetur, nimioque circumfusus splendore, Varadini in templo a suis quandoque consiceretur. Adversus Tartaros bellum gerens, cum fugientes barbari, ut milites S. Regis ab insequendo distinerent, ingentem pecuniæ vim dolose sparsissent, Ladislai precibus, pecunia omnis in lapidem commutari visa est. Exercitui suo, victus inopia laboranti, fusis ad Deum precibus, cervorum, & bubalorum gregem impetravit. Fontes etiam aquæ recentis e saxis, ad extinguendam suorum sitim, pari modo a Deo obtinuit. Voverat pius Rex profectionem cum validis copiis ad Terram Sanctam, a sævissimis Christiani nominis hostibus vin-

vindicandam, sed sancta mors pios conatus antevertit. Eum igitur anno salutis 1095. ex hac vita sublatum universa Ungaria integro triennio veste pulla, & squalida luxit: ludis, choreis, omnique musico instrumento per id tempus relegatis.

Locum sepulturæ in Ecclesia Varadinensi a se constructa, ipse sibi delegerat: quo cum sacrum corpus deveheretur, fessi labore ministri, ut somno vires reficerent substiterant. Vectoribus igitur dormientibus, currus, in quo collocatum erat sacrum pignus, sine ullius jumenti adminiculo, tam rapidis rotis Varadinum desert corpus, ut ab excitatis vectoribus assequi nequiverit. Ipso sepulturæ tempore, cum quidam ejus corpus fætere dixisset, os in tergum torquere repente sensit: sed pœnitentia ductus, S. Regis opem implorans, pristinæ sanitati restituitur. Multi præterea cæci, muti, ac morbis fatigati, ad sepulcrum S. Regis sanitatem exceperunt. Quibus rebus permotus Cælestinus III. ipsum in Sanctorum numerum adscripsit.

Nomen S. Ladislavi Regis Hungariæ in Martyrologio Romano adscriptum est ad diem vigesimam septimam Junii: *Varadini in Hungaria S. Ladislai Regis, qui clarissimis miraculis usque ad diem hodiernum coruscat*. Hunc, inquit Baronius in suis ad Martyrologium notis, Cælestinus Papa tertius recensuit inter Sanctos. Plura de eo legimus in Breviario Polonorum, & apud Bonfinium de Rebus Hungaricis lib. 4. Dec. 2.

Veteris Zagrabiæ positio, & descriptio, quam Tartari diruerunt.

X. Jam vero de loco urbis, ubi S. Ladislavus & Basilicam, & Monasterium, sive ædes pontificias, & capitulares construxit. Civitas erat plano in loco explicata, quam amnis Czircunicza interfluebat, inter duos colles facili molliqúe ascensu acclives; quorum alter ab oriente mons *Grech* dictus est, alter ab occasu mons *Zagreb*, unde nomen civitati obvenisse traditur, appellatus fuit. In hoc tum Ecclesiam cathedralem, tum ædes, in quibus Episcopus, & Canonici habitarent, conditas ferunt. Non desunt tamen qui domum Episcopi, & cellulas Canonicorum infra hunc collem *Zagreb* exstructas, Ecclesiam vero ædificatam fuisse existimant in fastigio ejusdem collis, ubi erat castrum regium, quod sæculo decimoquinto Matthias rex Hungariæ Episcopis donasse dicitur. Sed hæc ante irruptionem Tartarorum, qui anno 1242. urbem, & quæ circa erant, omnia ferro & incendio vastarunt; & si qua tectorum vestigia relicta fuerant, novis ædificiis superimpositis, dignosci nequeunt: ex quo factum est, ut de veteri certaque positione Templi, & episcopalis atque capitularis domicilii, non una sit omnium sententia. Post calamitatem Tartaricam, cum discessu Barbarorum omnia tranquilla & pacata essent, Bela IV. rex Hungariæ, e Dalmatia, quo profugerat, reversus, ad reficiendas urbes, quas furor barbaricus everterat, & damna, quæ passim intulerant, resarcienda, resque publicas ordinandas cogitationem curamque convertit. In monte Græcensi, cui Zagrabia suberat, oppidum ædificavit, & liberæ regiæque civitatis jure ac nomine donavit. Stephanus secundus hoc nomine Episcopus Zagrabiensis, vel ejus successor proximus Philippus, Basilicam, ædes pontificias, & capitulares dirutas restituere cœpit; quæ ædificia antequam ad fastigium perduci, & absolvi possent; immensos sumptus, plurium annorum labores, & curam operosam multorum Antistitum impendi oportuit. Idem vero Stephanus Episcopus in area civitatis ab Tartaris eversæ, mercatoribus Italis locum attribuit, quem pluribus domiciliis exstructis frequentarunt, atque incoluerunt; ab novis ex Italia incolis, quos indigenæ Latinos vocabant, *Vicus Latinorum* denominatus fuit.

Civitas bipartita, altera Regia, altera Capitularis civitas.

XI. Nunc Zagrabia bipartito divisa est; altera Regia, sive superior, quam ut diximus, Bela ædificavit, altera civitas inferior Episcopalis, sive Capitularis appellatur; utriusque forma fere quadrata est, & magnitudo propemodum æqualis; alteram ab altera Czircunicza fluvius disjungit. Urbem utramque ab occasu, & septentrione colles amœni circumdant vitibus consiti, unde egregii & optimi vini copia suppetit; a meridie planities ad Savum usque protenditur, pascuis & segetibus abundans; horti suburbani sane multi, non utilitatis solum, sed etiam deliciarum caussa eleganter descripti, & olerum cujusque generis admodum feraces. Cælo salubri & temperato incolæ utuntur. In urbe Regia, quæ loco editiori incumbit, quamque indigenæ *Gornyvaram*, alii *Montem Græcum* vocant, sedes est Prætoris, seu Vicebani, qui leges & judicia, resque publicas tum urbanas, tum totius provinciæ, sive Comitatus Zagrabiensis administrat. Hic Banus, seu Prorex totius Slavoniæ conventus inducere & habere solet; quod hæc civitas, omnibus ex quacumque regni parte juris petendi caussa adeuntibus commodiorem accessum præbeat, itemque commorationem, propter situs opportunitatem, ac rerum omnium venalium, quæ ad victum pertinent, abundantiam & copiam.

Civitatis Regiæ descriptio.

Gymnasium extat florentissimum, in quo lectissimi adolescentes non solum e Slavonia, sed etiam ex Hongaria & Chrobatia, ingenuis studiis & liberalibus disciplinis erudiuntur. Duo sunt collegia, alterum Virgines S. Claræ, alterum Clerici Societatis Jesu obtinent, qui juventuti bonis artibus & moribus excolendæ operam dant: his adde monasterium Fratrum familiæ Franciscanæ, quos Capucinos vocant; est itidem publicum Xenodochium S. Nicolai peregrinis excipiendis, & ægrotis pauperibus curandis perquam accommodatum. Muro undique septa & clausa est; domus partim ligneas, partim lapideas, partim lateritias fere ad trecentas complectitur. Forum habet sane amplum, in quo primarium urbis Templum in sublime assurgit, admodum capax & eleganter ornatum, sub titulo & auspiciis S. Marci Evangelistæ; cujus præfecturæ cultus & curatio animarum, Sacramentorum, reique Christianæ administratio annexa est.

Civitatis Capitularis descriptio.

XII. Civitas altera humiliori loco sita est. Hanc concessu regum Hungariæ mœnibus ac turribus claudendam & muniendam curarunt Episcopi Zagrabienses, ut propugnaculum esset ac præsidium ad repellendas arcendasque Turcarum incursiones; hæc dicta est Arx Episcopalis. Huic adjacent septa & claustra Canonicorum, quæ ex multis ædiculis constant, suis cuique Canonico attributis; ibidem sunt domicilia Presbyteris secundi ordinis, & clericis cultus divini, rerumque sacrarum administris assignata. In Arce media ceteris omnibus ædificiis sublimior eminet Basilica cathedralis, molitione ingenti, opere eleganti & magnifico exstructa, penes quam palatium episcopale assurgit, quod ante aliquot annos Georgius Braniug

Digitized by Google

niug Episcopus eo sumptu & ornatu, ea mole & magnificentia ædificavit, quæ nobilissimum inter Antistites regni Hungarici Præsulem maxime decebat. Prope aream Capitularem extabat olim cœnobium monachorum Cisterciensium, quod sæculo decimo quinto eversum cum fuisset ob metum Turcarum, ædes S. Mariæ eidem annexa cura ac potestate parochiali donata fuit, ex æde S. Emerici illuc translata. Ibidem extabat monasterium S. Nicolai, quod S. Augustinus Gazotus Episcopus Zagrabiensis Patribus Dominicanis exstruxit. His deinde, quod incursionibus Turcarum expositi essent, in urbem regiam migrare jussi, suum ibi domicilium ad S. Catharinæ collocarunt; quod cum plures annos retinuissent, illis abeuntibus, in eam vacuam sedem successerunt Presbyteri Societatis Jesu. Extat quoque in urbe Capitulari cœnobium Franciscanum severioris disciplinæ, itemque Seminarium clericorum, e præscripto & norma Concilii Tridentini sæculo decimo sexto institutum. Ædes cathedralis caret baptisterio, curaque animarum; hæc siquidem quatuor parochis commissa est, & Ecclesiis totidem annexa; utraque enim civitas in quatuor regiones divisa est, & sua cuique Curioni, & Ecclesiæ attributa. In civitate regia, seu Monte Græcensi, ædes S. Marci jure parochiali gaudet, & qui huic præsidet, in civitate regia omnia parochi munera, & officia exsequitur. Civitas Capitularis tres habet parochos, & Ecclesias parochiales; una est Ecclesia S. Mariæ in area Capitulari, quæ olim ad monachos Cistercienses pertinebat, altera in vico, cui Villæ novæ cognomen est, tertia demum S. Petri in Vico latinorum, qui nomine ex Italicis mercatoribus impositum etiamnum retinet.

Ædes Cathedralis sub nomine & auspiciis S. Stephani Regis Hungariæ consecrata.

XIII. Basilicam Zagrabiensem, quam S. Ladislavus ædificavit, & copiosis proventibus dotavit, simul conditam, & S. Stephani primi Hungarorum regis titulo & veneratione consecratam fuisse Scriptores Hungarici tradunt. Ab his dissentit Paullus Ritter, qui negat eam Basilicam ad colendam S. Stephani regis memoriam exstrui potuisse; cum nondum ille ex auctoritate Sedis Apostolicæ in numero Divorum habitus esset; neque enim, ait, antequam Chartuicius Monachus historiam de illius vita & miraculis, Colomano regi Hungariæ inscriptam, ineunte sæculo duodecimo vulgasset, publicus honos cultusque eidem haberi cœpit: *Ea tempestate, qua Ladislavus in Illyrico egisse prætenditur, publico sanctitatis præconio Stephanus in oratoriis necdum venerabatur; primo namque regnante Colomano prodiit Legenda de S. Stephano Rege, & patrono regni Hungariæ; idest historia vitæ ejusdem B. Regis a Chartuitio quodam monacho, cujus frequens meminit Baronius, ad Colomanum scripta*. Bonfinius, & alii tradunt Sanctissimi Regis corpus e subterraneo fornice eductum, & e loco eminenti publicæ venerationi expositum fuisse anno ab ejus obitu quinto & quadragesimo; obierat autem Idibus Augusti an. 1038. cui si annos quinque & quadraginta addideris, in annum sæculi undecimi octogesimum tertium sacratissimi corporis in sublimem locum translatio conferri debet. Cum autem S. Ladislavus anno altero & nonagesimo ejusdem sæculi, ut supra dictum est, Slavonia potitus fuerit, jam tum S. Stephanus Divorum numerum obtinebat, propterea que in ejus honorem biennio, vel triennio post Basilica Zagrabiensis exstrui, & consecrari potuit. Cæsar Baronius tradit anno 1079. ab Gregorio VII. Legatum Apostolicum missum fuisse in Hungariam, ut corpora illorum, qui Hungaris lucem evangelicam intulerant, & verbis & exemplis Christianam religionem propagaverant, e subterraneis sepulcris sublata in aras imponeret, & quibus digna erant honoribus afficeret: id quod ex veteri disciplina idem erat, atque illos rite ac legitime in Divorum numerum & catalogum referre. Atque eodem anno, ut S. Gerardi Episcopi Chanadiensis & Martyris, sic etiam S. Stephani corpus in locum sublimem atque honorificum ex decreto Legati Apostolici elatum fuisse idem Baronius censet. Cum igitur jampridem S. Stephano Regi Hungariæ iidem honores decreti fuissent, quos Cælitibus cum Christo regnantibus Religio Christiana tribuit; nihil caussæ est, cur Paullus Ritter eidem & Templum ædificari, & aram statui ab S. Ladislavo potuisse negaverit.

Basilicæ veteris nulla superfunt vestigia.

XIV. Quæ forma fuerit, quæ magnitudo, quæ descriptio veteris, & primævæ Basilicæ Zagrabiensis, cum eam Tartari funditus everterint, ex ejusdem vestigiis, quæ nulla supersunt, dignosci nequit. Novam Basilicam construere cœpit Stephanus II. vel Philippus proximus post Stephanum Episcopus; sed in ejus ædificationem plures deinde Episcopi pecuniam, atque operam contulerunt; nec vero ante sæculum decimum sextum omnino perfecta, & absoluta fuit. Opus multorum annorum, ingentis immanisque sumptus; Templum magnificum atque præclarum, quo vix alterum elegantius, sumptuosius, augustius in tota Hungaria reperies. Hujus formam, & descriptionem F. Raphael Levacovichius vir doctissimus ex Ordine Franciscano rigidioris disciplinæ, idemque Archidiaconus Ecclesiæ Zagrabiensis, in sua Historia Ms. Ecclesiæ Zagrabiensis Lectoribus ferme sub aspectum subjecit his verbis.

Basilica nova admodum magnifica.

Ejus descriptio & dimensio.

XV. *Tota Ecclesia ædificata est ex lapide secto & perpolito; longitudo ejusdem pedum 215. latitudo 98. altitudo 72. Altare majus situm ad Orientem; porta major cum frontispicio Occidentem spectat. Distincta est in tres naves, miro & proportionato modo fabricatas. Has discernunt columnæ lapideæ perpolitæ æquali numero æqualique distantia erectæ, apsidem navis sustentantes. Ad Aquilonem sive latus Evangelii sunt columnæ novem, a cornu Epistolæ sive ad Meridiem totidem. Medium Ecclesiæ secat chorus e regione altaris majoris, ad medietatem quartæ columnæ, recta ducto muro a latere ad latus deductus, & sustentatus; ex opposito vero columnis lapideis numero 8. suffultus, lapideus totus, columnellis exornatus. In medio ad Orientem, ut dixi, est altare majus, post conflagrationem a Rev. Francisco Erghelio constructum; distat a muro plus minus ad passum, sua altitudine absidem contingit. Ad latus ejusdem ex parte Evangelii erectum habet ad modum columnæ tabernaculum superbissime fabrefactum, & exornatum statuis SS. Macrini Sabariensis, Episcopi Turonensis, Stephani Regis, Emerici Ducis, & Ladislai Regis deauratis, & depictis; & inde paulo superius imagine sculpta Salvatoris plagati, posita inter duos Angelos, quorum dexter tres clavos, sinister lanceam & arundinem cum spongia tenet. Summitatem pellicanus rostro pectus feriens, pullosque sanguine vivificans. In hoc tabernaculo conservatur Venerab.*

Altare majus.

Digitized by Google

Sacramentum, lampade argentea ante pendente, perpetuoque ardente honoratum: conscenditur tribus gradibus lapideis; in pede insignia N. & N. Episcoporum habet. Erigitur ibidem, atque e regione opposita ad summitatem fornicis semicolumna, a qua ad aliam oppositam protracta est crates lapidea, communicantium commoditati extructa, & ferreis suffulta pessulis duobus a dextris, totidem a sinistris; in medio spatium est patens, per quod ad altare majus per quatuor gradus commode dispositos conscenditur. In cornu Epistolæ prope gradus est sepulchrum hujus inscriptionis: „ Illustrissimi, & Reverendissimi „ D.D. Joannis Erdeodii el. Episcopi Agriensis S. C. R. M. M. C., hæreditarii Comitis „ Montis Claudii, & Varasdiensis, qui obiit „ die 13. Augusti anno Domini 1626. ætatis „ suæ 27. tumulum hunc marmoreum exornavit Caspar Verbanovich Custos & Canonicus Zagrab. olim Cantor & Can. Agrien. & „ Præpositus S. Stephani Regis ibidem, suus „ vero in studiis Præfectus amoris ergo. *A cornu Evangelii prope Vener. Sacramentum extat effigies lapidi marmoreo insculpta, & sepulchro imposita Præsulem N. dictæ Ecclesiæ Pontificalibus indutum, pastoralemque virgam ad lævam habentem repræsentans, sine inscriptione.*

Altare Cœnæ Dominicæ.

XVI. *Infra memoratum tabernaculum & crates est altare Cœnam Dominicam depictam cum inscriptione exhibens:* „ O sacrum convivium, „ in quo Christus sumitur; *ejus in pede legitur inscriptio hujusmodi:* „ Ad laudem & gloriam „ Dei Altissimi, ad honorem gloriosissimæ V. „ M. admod. Rev. D. Ambrosius Jazkay Prot. „ Apost. Præpos. Chasm. & Can. Zagrab. f. f. „ 1633. Junii 25. *Ante hoc altare juxta parietem est monumentum marmoreum Osvaldi Præsulis pontificalibus induti effigiem repræsentans, & insignia super pedes exprimens, scutum videlicet duabus zonis præcinctum, in quarum medio stella est. Hinc & hinc duo Angeli alati, atque in fine legitur epitaphium hujusmodi:*

„ Zagrabiæ Osvaldus manet hic sub marmore Præsul,
„ Exemplum veræ qui probitatis erat.
„ Fama suum celebrat, ne pereat pulvere nomen;
„ Virtutum merito spiritus astra tenet.

Ad cubitum ab hoc est lapis sepulchralis, in quo ita legitur: „ Hic ossa Rever. D. Joannis „ Monoszlai Episcopi Zagr. requiescunt anno „ 1584. reposita.

Altare B. M. V.

Ad cornu Epistolæ altaris majoris est altare e regione, imaginem S. Lucæ depictam habens, & supra imaginem B. V. Christum infantem tenentis, sub qua legitur: „ Exaltata est S. Dei Genetrix super choros Angelorum ad cælestia „ regna. *In pede altaris sic habet:* „ Ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, gloriosissimæ V. M. ac S. Lucæ Evangel. honorem „ Ambrosius Jazkay Prot. Apost. Præp. Chasmen f. f. 1633.

Ante hoc altare penes parietem est monumentum e marmore rubeo Lucæ Antistitis, pontificalibus induti, atque pastoralem baculum sub læva tenentis effigiem exprimens; juxta pedem dextrum sunt insignia ejusdem ære conflata, in scuto Gryphum coronam pedibus calcantem exprimentia, cujus inscriptio est hujusmodi:

„ Hic situs est Lucas Præsul venerabil.....
„ Zagrabiæ Templi luxque decusque ....
„ Qui pietate parens, nulli virtute secundus
„ Accepit meritis astra parata suis.
„ Obiit anno 1510. x. Kal. Octobris.

Subsellia Canonic. & solium episcopale.

XVII. *Hinc descenditur tribus gradibus lapideis ab una columna fornicem sustentante ad aliam protractis, ante quos duo sunt interstitia columnarum, per quæ exitus patet, hinc ad dextram, inde ad lævam navim. Recta gradientibus occurrunt sedilia superbissima pro choro ad divinum officium persolvendum e ligno sculpta, a memorato Episcopo Osvaldo facta; nam ejusdem insigne ex utroque latere appositum pluribus in locis conspicitur. Ad latus Evangelii sunt sedilia superiora num. 17. totidemque a cornu Epistolæ, in quorum medio spatium est inclinatoriis ad commodius ascendendum. Inferiores sedes ex uno latere 13. totidemque ex altero, æque positæ ac distributæ. In medio juxta murum chorum substentantem jacet Sedes Episcopalis cum genuflexorio, ex lapide scissa, ad quam patet aditus ex utroque latere, qui duobus gradibus conscenditur, Episcopo in tertio sublimiore sedente. Baldachinum ligneum affabre incisum, quatuor columnis ligneis impositum. Pars a dorso Episcopi tabulis politis contecta, habens insignia Rev. Petri Demitrovich imposita anno 1608. In medio Baldachini nomen Jesus; superius quoque floribus ligneis pyramidaliter, insignibusque ejusdem Præsulis ornatum est. Hinc ad dexteram, & sinistram episcopalis sedis duæ fenestræ, & totidem portæ, per quas patet egressus, ferreisque cratibus, portarum instar, obserantur. In spatio ad quatuor passus a gradibus columnarum est unum pulpitum ad libros chori sustentandos; retro in æquali, vel paulo minori distantia sunt alia tria pulpita, medium majus libros antiphonarum, & graduales sustentans, duo alia psalteriis onerantur. Ad latus Epistolæ non procul a gradibus est monumentum marmoreum Frangipanorum insignia ostentans; nec non imaginem loricatam, acinace accinctam, genibus procumbentem, manibus complicatis; coram qua cassis jacet; in cujus capite hæc leguntur:*

Sepulcrum & Epitaphium Frangipanium.

„ Memoriæ

„ Spectab. ac Magnifici D. Francisci Zlunii „ de Frangep. Segn. Vegliæ, Modrusiæque Comitis, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavon. Bani „ fidelis & fortis. Anna soror relicta Magni „ Nicolai Elah Czasar ex Fr. cariss. posuit. „ Vixit annos xxxv. mort. xi. Decembris 1572. „ Varasdini.

Sub Casside eidem:

„ Zlunia stirps cecidit, Franciscus Martis alumnus
„ Infestus . . . terror eratque Getis.
„ Est proavis clarus, sed dextra promptior usque
„ Consilioque, infert damna cruenta Scythis.
„ Banus erat Dalmat, Sclavorum, tumque Croatæ,
„ Prælia commisit, fausta trophea tulit.
„ Sed quid Pannoniæ! vix spes est ulla salutis:
„ Ni Deus accurret, quid superesse velit!
„ Ergo Diis mixtus potiori parte triumphat;
„ Ossa tegit marmor, mens pia novit iter.

Super columnas primas muro sacrarii adjunctas visuntur insignia Osvaldi Episcopi, & Regni Hungariæ. In sacrario circumcirca altare sunt fenestræ altitudinis cubitorum circiter duodecim,

Digitized by Google

decim, num. quinque, singulæ in summitate acuminatim conclusæ, atque super se aliis orbiculari lapide ad formam duplicis Crucis adauctæ, quæ ad apsidem usque pertingunt.

De Capella S. Ladislai habente navim abside sanctuarii magis demissam.

Sacellum & altare S. Ladislavi.

XVIII. *Ad Orientem est altare sumptuosum, egregiis picturis auroque decoratum, atque S. Ladislao Regi dicatum, tabulæ marmoreæ rubri coloris superpositum; in cujus pede B. V. Salvatoris & S. Joannis imagines cernuntur. Supra in medio est imago B. V. Assumptæ, Angelorum millibus circumseptæ, dexteram S. Ladislaus, sinistram S. Emericus occupat. In tabula inferiori, qua clauditur altare ad cornu Evangelii, idem Ladislaus coronam in capite tenens, atque in sinu sororis quiescens jacet. In eadem ubi equum conscendit, hostem, qui sororem rapuerat, persecuturus. In superiori idem Ladislaus equo insidens scutum cruce insignitum sinistra tenens, securimque elevatam in dextera habens, cum Tartaro sororem gestante congreditur. In superiore ad latus Epistolæ, idem cum eodem luctans, & Tartari pedem securi feriens; in inferiore idem Ladislaus triumphans. In eadem a parte exteriori Christus crucifixus, adstantibus Virgine, & Joanne, in superiori ductio ad Pilatum, in opposita inferiori bajulatio crucis, in superiori captio. Inde ad latera oratio in horto, coronatio, flagellatio, & in summitate transfiguratio. Post idem altare sunt duæ fenestræ, structuræ & magnitudinis supradictarum. Ante gradum dicti altaris est transitus ex sacrario ad altare majus, & alia loca navis mediæ & meridionalis. Inter cornu Evangelii & murum Ecclesiæ est monumentum ostendens habitum antiquum . . .* „ Hic jacet generosa Domina Elisabeth filia Magnifici Valentini Comitis Zagrabiensis; obiit anno 1200. *Supra ejusdem monumentum extat statua lorica aurea, cæteris armis militaribus auro fulgentibus, gladium cum scuto in sinistra, securim in dextera tenens, S. Ladislao posita. Hinc porta sacristiæ, ad lævam ingredientibus vas aquæ benedictæ habens.*

Subsellia chori.

A porta sacristiæ ad columnam oppositam recta gradus protenditur, ubi jacent sedilia chori utraque in æquali . . . sita; hoc est num. 24. Clauduntur duobus altaribus, aquilonari omnium Sanctorum nuncupato, meridionali vero opposito S. Paulo dicato. A tergo altaris omnium Sanctorum sunt insignia Lucæ Præsulis cum inscriptione „ Luca „ Episcopo præsidente anno 1507. *In opposito insignia Osvaldi cum inscriptione:* „ Osvaldus „ Episc. obiit anno 1499.

In medio sedilium e regione sacrarii est spatium, quo conscenditur per duos gradus; atque instar armarii erecta habetur capsa area, in qua legitur:

„ Inclyto Uladislao Rege, Luca vero Pon-
„ tifice dignissimo Joannes de Marocha Archi-
„ diaconus Goricen. & Canonicus hujus almæ
„ Ecclesiæ, hunc Chorum Deo & Patriæ pro-
„ priis fecit fieri impensis 1507. *Ex opposito:*
„ Opus Magistri Joannis Niczæ Florentini 1507.

In medio ante gradus est lapis marmoreus hujus inscriptionis:

„ Andreas Ivanich Can. Cathedralis Zagra-
„ bien. artium, & juris Doctor, Patriæ Pater
„ olim obiit anno Domini 1510. 9. Januarii,
„ Pannoniæ Cæsar cum bello ceperat Albam.
„ Mole sub hac tegitur Pegasei fontis alumnus.

Paulo inferius est aliud monumentum Joannis Archid. Dubicensis 1383.

Penes altare S. Pauli stat monumentum rubei coloris, memorati Joannis Marocha cum hoc epitaphio: „ Joannes de Marocha Archid. Goricensis sibi, suoque fratri Blasio DD. Arch. Kemlek 1495. die S. Vincentii vita functo facere curavit.

Penes altare omnium Sanctorum in marmore legitur per gyrum: „ Vener. quondam Dom. Petrus de Myzolia Lector & Canonicus hujus Ecclesiæ Zagrabien. qui obiit in festo S. Regis Stephani hora vesperarum in medio fori, in oppido Teplicensi, illincque reductus, & hic tumulatus, cujus anima requiescat in sancta pace 1498.

Sacrarium.

Sacrarium porta ferrea occluditur, quod sub fornice miræ pervetustæque Sanctorum imagines depictæ exornant. Supra portam ipsam, qua itur ad Ecclesiam, in summitate imago S. Hieronymi; subtus SS. Stephani, Ladislai, Emerici. Sub alio arcu in eodem pariete imago S. Dominici, & S. Francisci cum stigmatibus; & aliæ præterea imagines, quas non describimus.

Ad latus occidentis est repositorium sacræ supellectilis, & archivum Capituli porta ferrea occlusum. Ad septentrionem porta parva excurrentium commoditati aptata, penes quam scala cochlearis, per quam super fornicem conscenditur. Habet sacrarium requisita, atque in eo Sanctorum Reliquiæ.

Sacellum & altare Concept. B. V. M.

Capella B. V. habet supra tabulam lapideam altaris B. V. in cujus medio est imago ejusdem sculpta instar Conceptionis, lunam sub pedibus tenens, a dextris statua S. Catharinæ V. M. & a læva S. Dorotheæ V. M. In tabulis, quibus altare clauditur, est pictura excellens. Ad latus Evangelii est statua marmorea stricata Com. Thomæ Erdeodii, & Crucifixi imago; super caput ejus: „ In Deo vici; *insignia, ejusdemque epitaphium:*

„ Illustrissimo Dom. Comiti Thomæ Erdeo-
„ dio de Moniorokk Montis Claudii, & Co-
„ mitatus Varasdinensis Comiti perpetuo, Sa-
„ cri Ordinis Redemptoris Equiti, Thaverni-
„ corum regalium magistri; S. C. R. M. C.,
„ ac Regnorum Dal. Cro., & Sclav. olim Ba-
„ no, qui 17. Januar. anno Dom. 1624. æta-
„ tis suæ anno 66. in Domino pie obiit. *Juxta hoc monumentum sunt scalæ ad conscendendum in apsidem.*

Subsellia Cap. Chasmensis.

Ad cornu epistolæ sunt sedilia lapidea, parieti inclusa, lapidi incisa num. septem; occluduntur Conservatorio Capit. Chasmensis. Inde Stalus ex utraque parte æquali sedilium num. 24. positus ab Erghelio, sumptibus Petri Domitrovich Præsulis factus. Clauditur duobus altaribus, dextro SS. Cosmæ & Damiani, in quo imago B. V. Christum in sinu tenentis; & S. Hieronymi a sinistris, & S. Ladislai a tergo; habet insignia Erghelii. Ante hoc jacet Georgius Ivanich Zagrabiensis, annus non poterat legi. Penes hunc lapis habens: „ Joannes Matkovich Cantor, „ & Canonicus Zagrabiensis 1610. *In medio ad Aquilonem inter alia sepulchra epitaphiis carentia, jacet Adm. R. D. Nicolaus Zalkochii Canonicus & Cantor cathedralis Ecclesiæ Zagrab. nec non Præpositus Demessien. obiit 1631.*

Altare S. Gervasii.

Ex opposito est altare S. Gervasii; in ejus pede lapis insignia habens Ven. quondam Michaelis Wites Præp. & Canon. Zagrabien. qui tabulam & stalos quatuor fecit anno 1499. Dicatum est

Digitized by Google

S. Gervasio, depicta Passio Salvatoris, in medio Crucifixio. Juxta est monumentum dicti Michaelis Wites cum epitaphio:

„ Clauditur hic Michael Witez de nomine
„ gentis
„ Præpositus Templi, Stephane Sancte, tui.
„ Juris divini prælato schemate Doctor,
„ Quem Sanctus Michael sumpsit ad astra
Poli.
„ Die 7. Mens. April. 1499.

XIX. Quæ in hac descriptione desunt, vel minus perspicue exposita sunt, suppleri atque intelligi possunt ex altera ejusdem Basilicæ descriptione, ad nos transmissa, quæ brevior quidem est, sed paullo dilucidior. Initium autem ducit a descriptione Arcis Episcopalis.

Arx Episcopalis. *Arx Episcopalis e regione urbis Græcensis habet ante se magnam aream. In facie habet tres turres rotundæ figuræ & cuspidatas, satis fortes. Inter secundam turrim ac tertiam est porta, supra quam insigne Cardinalis Erdeodi. Hanc Capitulares confectam dicunt impensis potiori ex parte Capituli; at vero Episcopus Vincovichius solis sumptibus Episcopi. Est hæc Arx quadratæ figuræ. Murus lateralis ad dextram claudit Curiam Episcopalem. In muro, qui est e regione prospectus, respicitque Vicum Italicum, est alia porta, per quam exitur ad fontem Zogreb, unde hæc Arx Zagrabiensis dicta est. In medio hujus Arcis sedet insulata Cathedralis.*

Ædes cathedralis. *Prospectus eminens Cathedralis unam tantum habet portam, cujus postes sunt elegantissimæ formæ & artificii præstantissimi. Portas minores hinc inde non habet, quia duæ turres sedent, ubi esse deberent. Dextera turris sublimis, fortis & ampla, multisque, iisque armonicis campanis instructa; est affatim completa. Altera vero elevatur quantum muri ipsius Ecclesiæ. Spatium quod interjacet inter duas turres, post ingressum, est veluti atrium quoddam, quod in faciem clauditur magno venustoque altari, non ita tamen, ut hinc inde non pateat amplus aditus ad corpus templi. Hoc in tres naves dividitur, quarum duæ laterales incipiunt a muro dictarum turrium, media vero a posteriori parte descripti altaris. Discriminantur columnæ a columnis, quibus octo arcus incumbunt, quorum primi quatuor a totidem succedentibus differunt altitudine; qui enim propiores sunt januæ, eminentiores sunt; qui vero ad summum altare accedunt, paulo demissiores, atque differentis structuræ; neque id aliquam parit deformitatem, quia alter* Chorus in Templo medio. *ordo ab altero dividitur per chorum, qui medium Templum secat, in quo est organum ex parte Evangelii; reliquum vero spatium inservit populo cultiori, cui placeat illuc conscendere per cochleam scalam marmoream, quæ e regione organi, innixa muro Templi laterali attollitur. Idem chorus aliquot columnellis a parte portæ sustentatur; ex parte vero sanctuarii muro innititur, cui quinque incumbunt altariola affabre exornata, medioque ex his altaribus, seu muri parti, cui hoc incumbit, adhæret magnificus Episcopi thronus, ad cujus latera sunt duæ portæ arcuatæ, quibus ad sanctuarium, e dicta portticu intratur. Duæ porro his longe majores intromittunt in interiores lateralium navium partes. Hæ ut ex parte januæ majoris, ita ex parte sanctuarii sunt breviores media navi; hæc enim alias excedit, quantum extenditur Capella sanctuarii, cincta marmoreis balaustris, quæ ipsam a choro cleri discriminant. Hic chorus habet eo, quo diximus, loco Sedem Episcopi; hinc inde vero stalla Canonicorum sublimiora, & aliorum inferiorum paulo demissiora. Viginti duæ aræ,* Aræ duæ & viginti. *eæque omnes pulcherrime instructæ assurgunt. Omnes, uti altare summum, ad Orientem respiciunt. Sex adhærent columnis trinis, & trinis, quæ arcus primi ordinis quatuor sustentant. Sex aliæ adhærent hemicolumnis, quæ his columnis correspondent, & muris Templi lateralibus sunt adjectæ. Decimum tertium altare est illud, quod diximus occurrere post aliquot passus intrantibus Templum; decimum octavum numerum explent eæ quinque, quæ transversalem chorum exornant: vigesimum primum, & secundum duo, quibus terminantur naves laterales. Hisque tria accedunt in intima parte sanctuarii, seu in sacrario ipso; maximum medium, illudque prorsus ingens; alia vero duo hinc inde exigua valde, sed honesti prospectus, & venustæ figuræ. Tribus vero aliisque totidem columnis partis interioris Templi adhærent Canonicorum stalla; neque in navibus lateralibus sunt aliæ aræ; quia illa duo spatia, quæ clauduntur altaribus, suntque in prospectu dictis stallis, muro laterali, & non transversali, sunt duo veluti amplæ Capellæ, ad quas Canonici, ad varia devotionis exercitia solent accedere; ibique sua hinc inde stalla habentur. Totum Templum est fornice obductum, & qui secundum ordinem obtegit, ut est paullo demissior, ita est aliquanto venustior &c.* Reliqua desunt.

XX. Insigniores Divorum Reliquias, quæ asservantur in sacrario Basilicæ cathedralis, hic describendas censeo ex catalogo Zagrabia transmisso. Divorum Reliquiæ.

Sacrum Corpus Infantis Innocentis integrum in decenti arca lignea inaurata conservatur. Benedictus Vinkovicius Episcopus Zagrabiensis existimat huic Ecclesiæ donatum ab Andrea Rege, dum Hierosolymis per Zagrabiam in Hungariam rediret.

Sacrum Cranium D. Stephani I. Regis Hungariæ in statua pectorali, argento, & cupro deaurato, decenter & affabre, impensis Francisci Barbarini Cardinalis elaborata, & donata anno 1635.

Crux aurea, cujus pes est argenteus deauratus, pretiosis lapidibus & unionibus ornata, in qua conservantur aliquot particulæ S. Crucis Dominicæ, quas creditur, ut Benedictus Winkovicius refert, huic Ecclesiæ donasse Macellinus Episcopus Zagrabien. qui ex Canonicatu Hierosolymitano ad hunc Episcopatum fuit vocatus.

Sacer digitus D. Joannis Baptistæ, quo Christum agnum demonstravit.

Sacrum Os de pede, vel ut Tomco Marnavitius scribit, integrum Brachium S. Petri Martyris Dominicani, a D. Augustino Episcopo Zagrabien. huic Ecclesiæ relictum.

Pallium S. Regis Ladislai, & Brachium dexterum.

Brachium S. Alexandri Martyris.

Costa S. Petri Martyr. Dominicani, & duo dentes a D. Augustino huic Ecclesiæ donati.

Particula Cranii S. Caji Papæ Martyris.

Amictus D. Augustini Episcopi Zagrabiensis.

XXI. Ecclesia Zagrabiensis in iis, quæ ad publicum Dei ac Divorum cultum pertinent, cærimoniis utitur ac ritibus paullum diversis ab Romanis, quos ex ejus libris ritualibus cognoscere non injucundum Lectoribus fore existimo. Ritus.

In

Digitized by Google

In Ecclesia cathedrali adhibetur color viridis in sequentibus solemnitatibus S. Ladislai Regis, S. Emerici Ducis, Elisabeth Reginæ, S. Mariæ Magdalenæ; Rubeus in festo omnium Sanctorum; Flavus in festis Abbatum. In reliquis festis ut ex ritu & præscripto Romano.

Tria Sacra quotidiana. *Singulis diebus ex antiqua consuetudine tria sacra, primum de B. Virgine, secundnm de S. Stephano Rege Hung. tertium de S. Cruce leguntur; & eodem quidem tempore ad diversa altaria. Ad summum altare de S. Stephano Patrono; de S. Cruce ad altare S. Crucis; de B. V. ad altare B. V. & cantui respondent alumni sive seminaristæ, & clerici sive præbendarii. Hæc autem sacra persolvuntur tempore hyemali, dum diescit; æstivo hora quinta post mediam noctem incipiunt, & ad horam sextam finiunt. Ad hæc omnes fere ex civitate confluunt, potissimum ex inferiore; dein pergunt ad labores.*

In Adventu loco soliti sacri de B. V. cantatur sacrum votivum Rorate *ad eamdem intentionem. Primum cantat Antistes, deinde successive secundum ordinem senii Dignitates & Canonici. Diebus vero festis celebratur sacrum de B. V. in ara S. Crucis; post elevationem fit concio, & post concionem legitur privatum sacrum de S. Cruce pro populo tardius adveniente. Hoc sacrum persolvitur ritu Zagrabiensi. In festis intra hebdomadam celebrat Capitularis, assistentibus duobus præbendariis. Diebus autem Dominicis, itemque non præceptis celebrat præbendarius sine assistentibus.*

Dicta tria sacra votiva fiunt quocumque festo excurrente, exceptis solemnitatibus & octavis Resurrectionis, Nativitatis Domini, & Pentecostes. Tunc enim celebrantur, & leguntur juxta rubricam Missalis Romani.

Concio matutina singulis diebus festis per Canonicos habenda. *Concionem matutinam habent per turnum singulis festis de præcepto Capitulares, exceptis Præposito majore, Lectore, Cantore, Custode, & Præposito Chasmensi; neque ulla prorsus festa dies concione vacat. Potest tamen unusquisque impeditus alterum sibi substituere.*

Ad Vesperas, & Matutinum Dom. Canonicus, qui cantat, induitur pluviali, & tegitur bireto quadrato Romano more. Unus præbendarius in pluviali assistit; procul tamen ab illo sedet; & accedit cum præbendus est liber celebranti; cui etiam assistunt duo acolythi in pluviali, qui stant vel flectunt ad gradus altaris.

Festa mobilia sicut in Calendario Romano celebrantur, cæterum ritus Zagrabiensis servatur, ut etiam in aliis.

Ordo Missæ celebrandæ.

Ordo Missæ ritu Zagrabiensi celebrandæ. XXII. *Post peractam præparationem Sacerdos, antequam induatur vestibus sacris, deponat mitram propriam aut pallium suum, vel aliam vestem superfluam dicendo:* „ Exue me Domine „ veterem hominem cum actibus suis; & in- „ due me novum hominem, qui secundum Deum „ creatus est in justitia & sanctitate veritatis „ per Christum Dominum nostrum Amen.

Deinde lavat manus dicendo: „ Lavabo inter „ innocentes manus meas, & circumdabo al- „ tare tuum Domine; amplius lava me ab in- „ justitia mea, & a peccato meo munda me. „ Domine exaudi orationem meam &c. Domi- „ nus vobiscum &c. Largire sensibus nostris „ omnipotens Deus, ut sicut hic exterius ab- „ luuntur inquinamenta manuum, sic a te mun- „ dentur interius pollutiones mentium, & cre- „ scat in me augmentum sanctarum virtutum, „ per Christum &c. *Postea extergat manus dicens:* „ Da Domine virtutem manibus meis &c. *uti in Missali Romano.*

Tandem humerale apponat capiti dicens: „ Po- „ ne Domine galeam salutis capiti meo ad ex- „ pugnandas diabolicas fraudes, & omnes ini- „ micorum versutias. Per Dom. nostrum &c.

Post hæc induat albam & dicat: „ Indue me „ Domine vestimento salutis, & tunica justi- „ tiæ, indumentoque lætitiæ indue me semper, „ per Christum Dom. nostrum.

Præcingat se cingulo dicens: „ Præcinge me „ Domine cingulo fidei, & constringe me di- „ lectione Dei, & proximi per Christum &c.

Ponat manipulum super manum sinistram dicens: „ Manipulum innocentiæ pone Domine „ super manum meam, & appone justitiam pro „ iniquitate mea. Per Christum &c.

Ponat stolam circa collum dicendo: „ Stola ju- „ stitiæ circumda Domine cervicem meam, & „ ab omni corruptione peccati purifica mentem „ meam. Per Christum &c.

Postremo sumat casulam dicens: „ Indue me „ Domine ornamento humilitatis, charitatis, „ & castitatis; & concede mihi protectionem „ contra hostem, & inimicum, ut valeam tibi „ puro corde, & corpore servire, & laudare „ nomen tuum sanctum, & gloriosum in sæ- „ cula sæculorum. Amen.

Tandem procedat ad altare, & dum appropinquat eidem, dicat psalmum „ Judica me Deus, „ & discerne &c. Gloria Patri &c. *quo finito psalmo, si fuerit tempore Adventus, flexis genibus ante altare incipiat & dicat Antiph.* „ Ga- „ briel Angelus locutus est Mariæ. ℣. Spiritus „ Sanctus superveniat in te; ℟. Et virtus Al- „ tissimi obumbrabit tibi. *Oratio:* Deus, qui „ de B. Mariæ Virginis utero &c. *Sed tempore Nativitatis usque ad festum Purific.*

Antiph. „ Maria intacta Virgo &c.

℣. „ Post partum &c. *Oratio:* Deus qui sa- „ lutis æternæ &c. *Tempore autem Paschali, Antiph.* „ Regina cæli lætare &c. ℣. Ora pro „ nobis Sanctissima &c. *Orat.* Deus, qui per „ resurrectionem filii tui &c.

Aliis vero temporibus, Antiph. „ Salve Re- „ gina &c. ℣. Post partum &c. *Orat.* Famulo- „ rum tuorum &c. *vel* Adjuvet nos quæsumus „ Domine &c.

Deinde prosequitur sic: „ Adjutorium nostrum „ in nomine Domini, qui fecit cælum & ter- „ ram; vias tuas Domine demonstra mihi, & „ semitas tuas edoce me; Et introibo ad alta- „ re Dei; Ad Deum qui lætificat juventutem „ meam. Confitemini Domino, quoniam bo- „ nus; Quoniam in sæculum misericordia ejus. *Postea.* „ Confiteor Deo omnipotenti, & B. „ M. V. & beatis Apostolis Petro & Paulo, „ & omnibus Sanctis, & vobis fratribus; quia „ ego peccator peccavi nimis contra legem Dei „ mei, cogitatione, locutione, delectatione, „ consensu, visu, auditu, verbo, & tactu, „ opere, & omissione, mea culpa. Ideo pre- „ cor B. V. M. beatos Apostolos Petrum & „ Paulum, omnes Sanctos, & vos fratres orare „ Deum pro me peccatore.

Et minister subjungat: „ Misereatur tui omni- „ potens Deus &c. *ac deinde dicat* „ Confiteor „ Deo &c. *quo finito Sacerdos dicat absolutionem:* „ Misereatur vestri Omnipotens, & di- „ mittat vobis omnia peccata vestra, liberet „ vos

„ vos ab omni malo, salvet & confirmet vos in „ omni bono, & perducat in vitam æternam. „ Amen. Indulgentiam & absolutionem omnium „ peccatorum nostrorum, & spatium veræ pœ- „ nitentiæ per gratiam Spiritus Sancti Paraclyti „ tribuat vobis omnipotens Pater, pius & mi- „ sericors Deus.

℟. „ Amen.

Deinde Sacerdos: „ Deus tu conversus vivi- „ ficabis nos.

℟. „ Et plebs tua lætabitur in te.

℣. „ Ostende nobis Domine misericordiam „ tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. „ Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. „ Et Sancti tui exultent.

℣. „ Hæc dies, quam fecit Dominus. ℟. „ Exultemus & lætemur in ea.

℣. „ Post partum Virgo &c. *vel simile, consideratione habita, de quo debet Missam celebrare*.

℣. „ Domine exaudi &c. ℟. Et clamor „ meus &c.

℣. „ Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiri- „ tu tuo.

His dictis accedat ad altare erigendo se, & dicat: „ Oremus. Aufer a nobis quæsumus Do- „ mine omnes iniquitates nostras &c.

Hic & immediate, si & quando expedierit, benedicat incensum hoc modo: „ In nomine Pa- „ tris, & Filii, & Spiritus Sancti, ben dica- „ tur incensum istud; & acceptabile fiat Omni- „ potenti Deo in odorem suavitatis. Per Do- „ minum nostrum &c.

Deinde incenset altare dicens: „ Accendat in „ nobis Dominus ignem sui amoris, & flam- „ mam æternæ charitatis. Per Christum Do- „ minum nostrum &c.

Antequam Sacerdos incipiat introitum Missæ, si ei placuerit, mittat vinum & aquam in calice, vel id facere poterit immediate ante Evangelium; aut tempore hyemali & frigoris immediate post offertorium, semper tamen dicendo ut sequitur: „ Ostende nobis Domine miseri- „ cordiam tuam. Et salutare tuum de nobis. „ Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. „ Deus qui humanæ substantiæ &c. *ut in Romano; deinde addat*: „ Ex latere Domini no- „ stri Jesu Christi sanguis & aqua exiisse per- „ hibetur: ideo utrumque dignetur benedicere, „ & in odorem suavitatis accipere. Per eum- „ dem Christum &c. Oremus: Fiat hæc com- „ mixtio vini & aquæ pariter in nomine Pa † „ tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti. A- „ men.

Deinde incipiat introitum, & dicto Kyrie eleyson *&c. dicendum est sequens* Gloria in excelsis *in Missis B. M. V.*

„ Gloria in excelsis *&c. usque ad* Domine Fili „ Unigenite Jesu Christe. *Additur*: Spiritus & „ Alme orphanorum Paraclyte. Domine Deus „ Agnus Dei Filius Patris, Primogenitus Ma- „ riæ Virginis Matris, qui tollis peccata mun- „ di miserere nobis, qui tollis peccata suscipe „ deprecationem nostram ad Mariæ gloriam &c. „ quoniam tu solus Sanctus Mariam sanctificans, „ tu solus Dominus Mariam gubernans, tu so- „ lus Altissimus Mariam coronans Jesu Christe *&c. In Missis autem aliis dicatur sine particulis interjectis*.

Cætera prosequatur Sacerdos ut moris Romani est.

Finito Evangelio Sacerdos dicat: „ Per istos „ sermones Sancti Evangelii filii sui Domini „ nostri Jesu Christi indulgeat nobis Dominus „ peccata nostra, & concedat nobis implere „ sua præcepta. Amen. *Et deosculatur Evangelium dicens*: „ Pax Christi, quam Dominus no- „ bis per Evangelium suum tradidit, conser- „ vet, & confirmet corda, & corpora nostra „ in vitam æternam. Amen.

Deinde immediate dicat, quando dicendum est, Symbolum.

Post hæc Sacerdos vertatur ad populum; & dicto „ Dominus vobiscum &c. *& facto offertorio, faciat crucem super panem & calicem dicens*: „ Sanctifica quæsumus Domine hanc oblatio- „ nem; ut nobis unigeniti filii tui Domini no- „ stri Jesu Christi corpus & sanguis fiat.

Hic accipit patenam cum pane, tenens ambabus manibus dicat: „ Suscipe &c. *ut in Miss. Romano; deinde calicem cum vino dicens*: „ Of- „ ferimus &c. *ut in Romano*: In spiritu humili- tatis, *&c. ut in Rom. deinde*: „ Veni sanctifi- „ cator omnipotens æterne Deus, & benedic † „ hoc sacrificium tuo sancto nomini prpara- „ tum: in nomine Domini nostri Jesu Chri- „ sti sit signatum & ordinatum, & a te Deo „ vivo & vero adunatum & benedictum.

Hic iterum inclinat se ante altare dicens: „ Su- „ scipe Sancta Trinitas &c. *ut in Rom.*

Convertens se ad populum dicat: „ Orate pro „ indigno fratres, & sorores, ad Dominum „ Deum Patrem omnipotentem, ut meum & „ vestrum sacrificium acceptabile sit omnipo- „ tenti Deo.

Circumstantes vero respondeant, si sint, qui intelligant: „ Suscipiat Dominus, *ut in Romano.*

His peractis, & dictis secretis, dicat Præfationem vel communem vel propriam; omnes concordant cum Romanis, nisi quod in Præfatione B. M. V. additur: „ Et te in . . . B. M. sem- „ per Virginis exultantibus animis collaudare.

In Canone omnia concordant cum Mis. Romano, excepto quod fit mentio Regis.

Ubi in Miss. Rom. dicitur: „ Hæc commix- „ tio &c. *in Zagrabien.* „ Fiat commixtio Cor- „ poris & Sanguinis Domini nostri Jesu Chri- „ sti omnibus nobis accipientibus salus animæ, „ & corporis in vitam æternam. Amen.

Quando datur pax, deosculato altari, Minister dat pacem dicendo: „ Pax tecum, & cum spi- „ ritu tuo. *Item Sacerdos dicat*: „ Habete vin- „ culum pacis & charitatis, ut apti sitis sa- „ crosanctis mysteriis. Amen.

Cætera ut in Missali Romano.

XXIII. Ecclesiam & Episcopos Zagrabienses tum copiosis vectigalibus, tum vero plurimis, & amplissimis privilegiis Reges Hungariæ cumularunt, quæ suis deinceps locis & temporibus inserenda erunt. Hæc diœcesis latissime patens, partem aliquam ultra Dravum, & Muram; citra Savum vero Chrobatiam fere totam intra montes Dalmatiæ complectitur. Ex dimensione Raphaelis Levacovichii centum & quinquaginta millia passuum in longitudinem, totidem in latitudinem protenditur. Ab occasu Norico mediterraneo, nunc Styria, & Carniolia, ab oriente Quinqueecclesiensi, & Sirmiensi diœcesi terminatur. Ad septemtrionem Jauriensi & Vesprimiensi, ad meridiem Tinniniensi, & Seniensi diœcesi finitima est. Particulam e Slavonia fere media eidem detractam obtinet Episcopus Bosnensis, sive Diacovensis. De Possega, Diœcesis Zagrabien. amplitudo & confinia.

sega, quæ civitas est in media fere Slavonia frequens ac nobilis, unde Comitatus Possegensis nomen accepit, ejusque territorio controversia fuit, utrum Quinqueecclesiensis, an Zagrabiensis diœceseos finibus includeretur; alias huic, alias illi Episcopo attributam fuisse invenio. Multos pagos, arces, & castella possident Episcopi Zagrabiæ, in quibus jure utroque ecclesiastico, & civili dominantur; atque uberrimos inde proventus ac decimas percipiunt. Tres non exiguas regiones huic Ecclesiæ ab ejus conditore S. Ladislavo attributas fuisse ajunt, Chasmam, Ivanichium, Dumbram, sive Dubravam. Quæ ad eas pertinent, loca præcipua Comes Nicolaus Eszterhasius Regni Hungariæ Palatinus nominatim percenset in ea sententia, quam secundum Ecclesiam Zagrabiensem anno 1628. in Comitiis Poloniensibus tulit: *Post copiosam litterarum, & litteralium Instrumentorum, privilegiorumque & parium documentorum, antiquiorum nempe, & ob ejusmodi antiquitatem venerandorum, omnique suspicione carentium, regestorum & urbariorum productionem; ad Episcopatum Zagrabiensem pertinent possessio sive districtus Dombro, sive Dubrava, cum pagis Behonin, aliter Bebolim, Verhoulian, aliter Marinkovo, Szello, Zekovecz, Parusſovecz, Markovcz, Koritno, Fuka, Zaberdiæ, Giurgievecz olim, nunc Gyurgick, aliter Szlovenczi, Tochenik, Veszelkovecz olim, nunc Venekorecz, aliter Dragichevo Szello, Hegen, Bolch, Kebel, Vuksincz Lubena, Lemes, Szent Gyorgii, vulgo Sz. Gyurgii, cum Czubinecz, & Lemeſſevo, Kapolna, vulgo Kapella; item altera Kapolna Habianovecz. Præterea possessio sive districtus Chasma, cum castro & oppido ejusmodi nominis, & castellis Garich, & Gyumenech, aliter Boszilievo, nec non Szerdahely, vulgo Szredicza, & Narth oppidis, & villis Szischan, Szloboda, Gradichna, Deves, Glogh, Remetincz, Poliana. Insuper tota insula Ivanich appellata, complectens in se pagos, partim de facto etiam per Episcopum Zagrabiensem possessos, partim vero per Valachos occupatos; nimirum oppidum S. Crucis in Obedt cum pagis numero 18. intra ambitum ejusdem insulæ adjacentes; denique tres villæ sive pagi Bregh, Szent, Laszolov, & Kamarnicza.*

Castrum Medved olim juris Episcopalis, deinde ad jus laicale devolutum.

Ad jus ac dominium episcopale pertinebat etiam castrum *Medvedar*, sive *Medved* in Comitatu Zagrabiensi, non longe ab Savo, quod Philippus Episcopus sæculo decimo tertio ædificavit, & Belæ IV. Regi pro thesauro regio custodiendo ad tempus commodavit. Illud Ladislavus IV. Rex nepos Belæ anno 1273. Episcopo & Capitulo restituit; sed postquam Joannes Episcopus cuidam Dynastæ jure fiduciario possidendum dedit, ex aliis deinde ad alios dominos libero ac pleno jure migravit; neque umquam sub potestatem Ecclesiæ rediit, quamvis ejus recuperandi caussa Episcopus & Canonici nullis litibus, aut sumptibus pepercerint. Alios præterea pagos & villas juris & ecclesiastici & episcopalis nominatim percenset Balthasar Adamus Kereselich Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis. Sunt autem *Buzie hodie in dominio Orabovicensi, Barova in dominio Vucbin, Brogiancza in dominio Valpo, Budanicza in Verocecensi, Chachinezi in dominio Orabovicensi, Chiagavicza in Valpo, Chernacz in Orahovicza, Dolczi sive Dolenzi in Orahovicza, Gachische seu Bachische in Vuchia, Kapelna in Orahovicza, Kapinczi in Veroviticensi, Koricze in Verocensi, Lipovecz, seu Lipoa in Verocensi, Lukaucz in Verocensi, Medinczi, Melani, Miholyancz, seu Miboliacz, Nahodoucz, Noskouczi, seu Viskouczi, Novakii, seu Novakovecz, Oreſſecz, Reidsalije, Szladojevecz, Sztarin, Turbina, nunc Bakichie, Verovecza, Vranoſſevecz;* & alia multa, quibus adde ex eodem *Vaſkam, Zopien, Slatinam in Comitatu Verocensi*, uno de octo Slavoniæ Comitatibus; quæ loca, inquit, *ad Episcopatum pertinentia esse Carolus ipse VI. per donationem suam 1728. emanatam, agnovit.* Sed nobilitas & amplitudo Ecclesiæ Zagrabiensis nusquam melius cognosci potest, quam ex numero, dignitate, jurisdictione Archidiaconorum, qui sunt pars primaria & illustrior Capituli Zagrabiensis. Hi autem sunt omnino quatuordecim: Zagrabiensis qui etiam Cathedralis vocari solet ab cathedra episcopali, Dubicensis, Camarcensis, Gorensis, Zagoriensis, Szinczensis, Guelchensis, Goricensis sive Guerchensis, Kemlekensis, Chasmensis, Valkensis, Bexinensis, Varasdinensis, Urboczensis. Hi præter oppidum & Ecclesiam primariam, unde cognomen traxerunt, subjectas sibi habent aliquot minores Ecclesias, sive Parœcias, alii plures, alii pauciores, quas Parochi, quos Plebanos vocant, suus cuique præpositus, administrant. Has Archidiaconi statis temporibus more quasi episcopali perlustrant, ex his partem decimarum percipiunt, in his jurisdictionem exercent, ac de omnibus controversiis, quæ ad curam animarum, remque ecclesiasticam pertinent, cognoscunt, & sententiam ferunt, a qua tamen ad Episcopum appellari licet; at si quæ graviores caussæ incidunt, eas, secluso quolibet intermedio Archidiaconorum judicio, ad tribunal Episcopi deferri oportet. Præterea jure Cathedratici æque gaudent, ut Episcopi. Est autem Cathedraticum tributum exiguum duorum solidorum, quod Parochi Episcopo, cum lustrat diœcesim, honoris caussa solvere consueverant, ad suam erga Cathedram Episcopalem reverentiam ac venerationem testificandam: quod quidem tributum Synodus Tridentina, ex declaratione Cardinalium interpretum, tum solum a Parochis pendendum esse decrevit, cum ad Synodum diœcesanam conveniunt; ex quo etiam Synodaticum appellari solet, quamvis antiquitus Synodaticum a Cathedratico distinguebatur, & utrumque usu vigebat, ut docet Ludovicus Thomassinus par. III. lib. 2. cap. 34.

Archidiaconi Eccl. Zagrabien. quatuordecim.

Extat codex pervetustus in sacrario Zagrabiensi, conscriptus anno 1334. ex quo jurisdictionem Archidiaconorum amplissimam fuisse constat, quam etiamnum, licet aliquot locorum & parœciarum detractione diminutam, retinent. De Archidiacono Zagrabiensi itemque aliis hæc ibi memoriæ prodita sunt: *Archidiaconus Ecclesiæ nostræ, qui dicitur Cathedralis, habet stallum in choro dextro circa cantorem, & vocem in Capitulo post Chasmensem Præpositum immediate. Idem autem Archidiaconus, & alii Archidiaconi singuli in nostra Ecclesia obtinent de consuetudine jurisdictionem in causis spiritualibus in suis Archidiaconatibus singulis; causæ hujusmodi ab eisdem per appellationem possunt deduci ad examen prælati nostri Zagrabiensis Episcopi, nisi aliquæ ex his a primo litis exordio, per citationem ad curiam Domini Episcopi deducantur, in quo casu locus præventioni datur, salvis arduis casibus, qui Episcopi dignitati semper*

Iura & proventus Archidiaconorum Zagrabien.

per

per deferuntur. Item Archidiaconus Cathedralis in Archidiaconatu suo habet ex præscripto in certis locis sui Archidiaconatus quartam ex decimis sibi provenientem; huic hodie subsunt parœciæ ad septem & quadraginta; in his quatuor urbanæ, reliquæ in territorio Zagrabiensi. Archidiacono *Camarcensi* in eo codice præter *cathedraticum* tribuitur *quarta pars decimarum in eodem Archidiaconatu ubique, & in omnibus rebus decimalibus præter illas, quæ de Comitatu Domini Episcopi apud S. Ladislaum de Komarcha existunt, quoniam ibi decimæ totaliter recipiuntur pro cellario Domini Episcopi in vino & blado*. Habet nunc parœcias viginti. Archidiaconi Goricensis sive Guerchensis proventus fuere *primo in cathedratico Sacerdotum, sicut in aliis Archidiaconatibus, item in muneribus, sive agnis præsentandis; secundum in hoc Archidiaconatu ex consuetudine est inductum, quod Vicarii ipsius Archidiaconi de singulis Ecclesiarum Rectoribus debent habere de quolibet agno & capra duos denarios, & sic Archidiacono cedunt tantum decem: Item duo denarii cedunt a quolibet Sacerdote. Rectores Ecclesiæ similiter, Vicario, quando colligit cathedraticum, & hi ultra denarios 50. qui ultimi duo denarii competunt cuilibet Archidiaconi Vicario cathedraticum congreganti. Quarta autem decimarum plena in omnibus rebus decimalibus cedit Archidiacono de Guerche in suo Archidiaconatu, cum aliis reditibus, qui Archidiacono Zagrabiensi debent provenire*. Hic latissime ditionem suam proferebat in tribus territoriis, quos *Districtus* vocant, scilicet Goricensi, Podgoriensi, Metlicensi. Primum habet tres & triginta parœcias, quas omnes, præter unam, partem Valachi ritus Græci, partim Turcæ occuparunt. In altero sunt parœciæ circiter viginti. Tertium magna ex parte ab Archidiaconatu Goricensi & Ecclesia Zagrabiensi avulsum, transivit sub jus & potestatem Ordinis Teutonici.

& parœciæ.

Kemlekensis 20. parœcias complectitur, quarum pleraque Rasciani schismatici invaserunt. Zagoriensi nunc viginti, Szinczensi viginti quatuor, Gueschensi undetriginta, Chasmensi triginta quinque, Gorensi quatuordecim, Dubicensi duæ solum parœciæ attribuuntur. Plures olim habebant, quas Valachi, vel Turcæ ademerunt.

De Vaskensi codex supra laudatus: *Reditus ac proventus ipsius consistunt, in quibus & superiores, præter tenuta Domini Episcopi*. Parœcias olim habuit triginta quatuor; nunc multo pauciores. De Bexinensi idem codex: *Reditus & proventus hujus Archidiaconatus consistunt in cathedratico, & jurisdictione, sicut aliorum, in quarta autem decimarum similiter*. Habet duo territoria, sive districtus; & alterum in insula Murana inter Muram & Dravum, alterum vero trans Muram; in utroque plures olim parœciæ, omnino ad quinquaginta. De Archidiacono Varasdinensi: *Reditus & proventus hujus Archidiaconi consistunt in cathedratico, & jurisdictione, & in plena quarta decimarum, præter illas, quæ pertinent ad cellarium Domini Episcopi Zagrabiensis*: Nunc ei subsunt parœciæ tredecim. De Urboczensi: *Officia ejusdem & jurisdictio, ac proventus iidem, qui superius proximi, cum omnibus decimis de suo Archidiaconatu, quæ modernis temporibus male solvuntur, & pejus percipiuntur*.

Numerum Archidiaconorum olim augebat decimus quintus Muracensis ab oppido Muraco denominatus, cujus jurisdictio Dravum transgressa haud paucas in proximo Norico, seu Marchia Vindorum, nunc Styria, parœcias complectebatur. Sed de his multæ & magnæ contentiones fuerunt Episcopis Zagrabiensibus cum Archiepiscopis Salisburgi. Quæ controversia sæpius agitata, cum numquam dirimi potuisset, Augustinus Gazzotus Episcopus Zagrabiensis relictis, quæ trans Dravum erant, ab occasu parœciis, citeriores retinuit, & Muracensis Archidiaconi titulo abolito, eas ad jurisdictionem finitimi Archidiaconi Bexinensis adjunxit. Ex hoc Archidiaconorum numero, & jurisdictione amplissima, dignitas & magnitudo diœcesis Zagrabiensis cognosci potest.

Muracensis olim erat Archidiaconus decimus quintus.

Nunc de Clero Basilicæ cathedralis, cujus triplex est ordo. Primum Canonici, secundum illi, quos Præbendarios vocant, tertium Alumni Seminarii Episcopalis constituunt. Collegium Canonicorum constat ex Archidiaconis, quos supra nominavi, ac tredecim aliis inferioris ordinis Canonicis, quos *Magistros* vocant. His adde tres alios Lectorem, Cantorem, & Custodem. Inter Archidiaconos septem majores, septem minores vocantur. Omnibus dignitate & loci primatu antecedit *Præpositus Major*, cui perpetuo annexi sunt duo Archidiaconatus Gorensis, & Zagoriensis, sic prorsus, ut idem sit *Præpositum Majorem* fieri, atque in possessionem mitti utriusque Archidiaconatus. Huic proxime accedit *Lector*, cujus est nomine & auctoritate Capituli litteras conficere, decreta componere, leges conscribere, atque indicere. Tertium locum tenet *Cantor*, qui choro & cærimoniis præest, idemque quotidianæ psalmodiæ, & liturgiæ rationem præscribit. Hæ sunt tres primariæ *Dignitates*, quas etiam *Columnas* vocant Capituli Zagrabiensis; quippe honoris locique primatu gaudent, & cum aliqua jurisdictione administrationem rerum ecclesiasticarum conjungunt. His proximus est Præpositus Chasmensis, qui duos itidem Archidiaconatus antiquo jure obtinet, Szinczensem, & Gueschensem; & jam inde ab sua primæva institutione ad Capitulum Zagrabiense aggregatus fuerat. Erat Chasmæ insigne Collegium Canonicorum; oppido a Turcis capto & direpto, Zagrabiam translatum est, & cum Capitulo & clero Zagrabiensi conjunctum. Post Præpositum Chasmensem, quintum subsellium tenet Archidiaconus Zagrabiensis, sive Cathedralis, qui præter cetera, quibus fungitur, munera, ordinem seriemque describit concionum, quæ festis diebus in æde cathedrali ab Canonicis haberi solent, & suas cuique assignat. Duo deinde sequuntur Archidiaconi majores itidem appellati, Dubicensis, & Camarcensis. Septem vero minores Archidiaconos, qui ad secundam ordinis archidiaconalis classem pertinent, hoc ordine nominatos invenio, Goricensem sive Guerchensem, Kemlekensem, Vaskensem, Chasmensem, Bexinensem, Varasdinensem, Urboczensem. Inter Archidiaconos & Canonicos postremi ordinis interjectus est Custos, his prælatus, illis postpositus, quem quartam Ecclesiæ Columnam vocant. Huic præfectura sacrarii, curatio supellectilis sacræ, & custodia tabularii capitularis concredita est. Præter Archidiaconos, & quatuor illos, quos nominavi Præpositum, Lectorem, Cantorem, Custodem, reliqui Canonici sunt tredecim, qui ulti-

Cleri Basilicæ cathedralis ordo triplex.

I. Capitulum constans ex Archidiaconis, & tredecim inferioris ordinis Canonicis.

Digitized by Google

ultimam Capituli partem conficiunt. Hos, ut dixi, *Magistros* appellant. Ex his duo titulos honorarios, sed inanes, & ab omni proventu vacuos gerunt, ab Episcopo utrique collatos. Alter *Præpositus S. Mariæ de Vaska inferiori*, alter *Præpositus S. Stephani de Alba* nominatur; hac honoris nota, sive insigni, uterque a ceteris ejusdem ordinis Canonicis distinguitur; quod hi dimidio tantum, illi vero integro cucullo & pallio induti sedent, sacrisque functionibus intersunt. Canonici omnes numerum duodetricesimum non excedunt; antiquitus fuisse ajunt duos & triginta. Potestas eligendi creandique Archidiaconos & Canonicos est penes Episcopum, jus vero nominandi Præpositi majoris Rex Hungariæ sibi vindicat.

Ita Capitulum Zagrabiense universum quadripartito divisum est, hoc prorsus ordine:

I. Dignitates.

Præpositus Major, Lector, Cantor, Præpositus Chasmensis, Custos.

II. Septem Archidiaconi Majores.

Cathedralis, Dubicensis, Camarcensis; quibus adde Gorensem & Zagoriensem, Szinczensem, & Gueschensem; sed hi quatuor numerum Canonicorum non augent; nam Archidiaconatus Gorensis & Zagoriensis Præposituræ Majori, Szinczensis & Guesschensis Præpositurae Chasmensi annexi sunt.

III. Septem Archidiaconi Minores.

Goricensis, sive Guerchensis, Kemlekensis, Vaskensis, Chasmensis, Bexinensis, Varasdinensis, Urboczensis.

IV. Canonici postremi ordinis omnino tredecim, quos Magistros appellant.

II. Cleri Zagrabiensis ordo sunt Mansionarii.

Ad secundum Cleri Zagrabiensis ordinem pertinent Presbyteri Canonicorum adjutores ad psallendum, & alia publicæ religionis officia peragenda, quos *Præbendarios* vocant, propterea quod e proventibus Ecclesiæ, sua cuique portio, seu pensio præbetur. Ab statione, sive mansione in choro dicuntur etiam Mansionarii. Canonici onus quotidianæ psalmodiæ nimis grave sibi esse ducebant, ob eamque caussam ad illud sustinendum, seque sublevandos vel eximendos, duodecim e clero delectos Sacerdotes subrogarunt. Sed post epistolam encyclicam Benedicti XIV. *Super Missa parochiali & conventuali;* si cantu neglecto, solam præsentiam choro exhibeant, vereor ut muneri suo satisfacere queant, nisi, ut Pontifex ait, privilegio aliquo apostolico & legitimo nitantur. His igitur sive *Præbendariis*, sive Mansionariis ædes attributæ sunt in Civitate Capitulari, & e fundis ac proventibus cujusque Canonici tantumdem detractum est, quantum in eorum victum cultumque satis foret. Sua cuique subsellia infra Canonicos assignata; ac primo ita constitutum fuerat, ut omnes singulis diebus in Odeum convenirent, & seni ex una, totidem ex altera parte divinas laudes alternis canerent. Sed postquam Georgius Draskovitius Episcopus Zagrabiensis Seminarium clericorum instituit, decretum fuit, ut hi quotidianum illorum laborem sublevarent; ac seni solum ex secundo Cleri Zagrabiensis ordine diebus profestis choro interessent, reliquorum absentium vicem implerent alumni; at vero Dominicis ac festis diebus illorum nemini abesse licet.

Canonici Chasmenses ad Capitulum, & clerum Zagrabiensem aggregati.

Canonici Chasmenses, qui post civitatem illam & Ecclesiam sub potestatem Turcarum redactam, proventibus ac rebus omnibus spoliati, Zagrabiam confugerunt, ad Clerum Zagrabiensem aggregati sunt; atque ut haberent, unde viverent, ut quisque vel e primo Canonicorum, vel e secundo Presbyterorum collegio e vita decederet, Episcopus unum de illis profugis in locum demortui subrogabat. Ita Canonici Chasmenses partim primum, partim secundum Cleri Zagrabiensis ordinem adepti sunt, vel etiam ad regendas parœcias destinati. Neque tamen post Ecclesiam illam & pristinam sedem amissam, collegium Canonicorum dissolutum fuit; nam quamvis intermisti sunt Canonicis, & Præbendariis Zagrabiensibus, ac distinctione duorum ordinum alii ab aliis sejuncti, vel etiam aliquo alio Sacerdotio præditi, unius tamen collegii corpus efficiunt; nomen, jura, privilegia, dignitates Capituli Chasmensis retinent; & sub proprio tum Præposito, tum Archidiacono inter se consociati, suis legibus utuntur, suos agunt conventus, & quæ pertinent ad consociationem communitatemque Capitularem, rite sanciunt ac decernunt.

III. Cleri Zagrabiensis ordo Seminarium Episcopale ab Georgio Draskovitio institutum.

Tertius & postremus ordo Cleri Zagrabiensis constatur ex alumnis Seminarii Episcopalis, qui præter domesticas litterarias exercitationes, choro & sacris inserviunt, Episcopo, Canonicis, ceterisque Presbyteris, cum ii ritu solemni rebus divinis operantur, aliasve ecclesiasticas cærimonias obeunt, ministerium præbent. Hujus Seminarii, quod Georgius Draskovitius, ut dictum est, fundavit e præscripto & norma Concilii Tridentini, exigua fuerunt initia, exiguus numerus alumnorum, propter tenuitatem vectigalium, quæ ad eorum victum e proventibus Mensæ Capitularis assignata fuerant. Qui alumnis præsideret eosque in officio ac disciplina contineret, *Sublector* Capituli constitutus est; is, qui Canonico Lectori, ad ejus munus fungendum vicariam operam navat, cuique ex mensa ejusdem Lectoris victus quotidianus præbetur, & præterea portiuncula quædam tritici, vini, & pecuniæ ex Mensa Capitulari. Idem vero & Rector, & Magister erat Clericorum, qui ab eo & bonis moribus imbui, & latinis litteris erudiri debebant. Sed postquam Petrus Domitrovichius Episcopus cœnobium Cisterciense B. Mariæ in area Capitulari situm, & desertum a monachis, cum proventibus eidem annexis anno 1621. Seminario attribuit, ac deinde ex Canonicorum, & piorum hominum liberalitate vectigalia Seminarii Zagrabiensis magis magisque aucta sunt, crevit quoque numerus alumnorum, & duo additi magistri, unus qui infimæ & inferioris, alter qui supremæ Grammaticæ, & construendæ orationis præcepta traderet. Sublector autem munus onusque Poeseos, & Rhetoricæ docendæ suscepit.

Series Chronologica Episcoporum Zagrabiensium.

Nunc series Episcoporum Zagrabiensium explicanda, atque in ordinem chronologicum redigenda.

I. Duh an. circ. 1093.
II. Bartholomæus an. circ. 1098.
III. Singidunus an. circ. 1101.
IV. Francica an. circ. 1112.
V. Macellinus an. 1131.
VI. Gothsaldus an. circ. 1150.
VII. Bernaldus an. circ. 1160.

VIII.

VIII. Job an. circ. 1166.
IX. Prodanus an. 1170.
X. Ugrinus electus an. 1175.
XI. Prodanus II. an. 1176.
XII. Timotheus an. 1186.
XIII. Dominicus an. 1190.
XIV. Gotthardus an. 1207.
XV. Stephanus an. 1215.
XVI. Stephanus II. an. 1225.
XVII. Philippus an. 1251.
XVIII. Timotheus II. an. 1266.
XIX. Antonius an. 1287.
XX. Joannes an. 1288.
XXI. Michael an. 1295.
XXII. S. Augustinus an. 1304.
XXIII. Stephanus III. an. 1319.
XXIV. Nicolaus an. 1321.
XXV. Jacobus an. 1322.
XXVI. Ladislavus an. 1324.
XXVII. Jacobus II. an. 1325.
XXVIII. Ladislavus II. an. 1326.
XXIX. Jacobus III. an. 1343.
XXX. Dionysius an. 1349.
XXXI. Nicolaus II. an. 1350.
XXXII. Stephanus IV. an. 1356.
XXXIII. Demetrius an. 1376.
XXXIV. Paullus an. 1379.
XXXV. Joannes II. an. 1388.
XXXVI. Joannes III. an. 1395.
XXXVII. Eberhardus an. 1398.
XXXVIII. Andreas an. 1408.
XXXIX. Eberhardus iterum an. 1410.
XL. Joannes IV. an. 1420.
Interregnum Episcopale an. 1433.
Matko five Matthias Gubernator, & Joannes Ep. Tinniniensis Administrator I. Episcopatus Zagrabiensis an. 1433.
Abel Episcopus Olmensis Administ. II. an. 1439.
Joannes Ep. Lydensis Administ. III. an. 1441.
XLI. Benedictus an. 1442.
XLII. Balthasar an. 1454.
XLIII. Demetrius II. an. 1458.
XLIV. Osvaldus an. 1466.
XLV. Lucas an. 1500.
Thomas Bakacsius Arch. Strig. & Card. Administ. Eccl. Zagrab. an. 1511.
XLVI. Joannes V. an. 1514.
XLVII. Simon an. 1518.
XLVIII. Nicolaus III. an. 1543.
XLIX. Volphangus an. 1548.
L. Paullus II. an. 1550.
LI. Matthias an. 1558.
LII. Georgius an. 1563.
LIII. Joannes VI. an. 1578.
LIV. Petrus an. 1585.
LV. Caspar an. 1589.
LVI. Nicolaus IV. an. 1600.
LVII. Simon II. an. 1604.
LVIII. Petrus II. an. 1613.
LIX. Franciscus an. 1628.
LX. Benedictus II. an. 1637.
LXI. Martinus an. 1643.
LXII. Petrus III. an. 1649.
LXIII. Martinus II. an. 1668.
LXIV. Alexander an. 1688.
LXV. Stephanus V. an. 1695.
LXVI. Martinus III. an. 1704.
LXVII. Emericus an. 1708.
LXVIII. Georgius II. an. 1728.
LXIX. Franciscus Xaverius an. 1749.
LXX. Franciscus II. an. 1751.
LXXI. Joannes Baptista an. 1770.
LXXII. Josephus an. 1772.

Præpositi Majores Ecclesiæ Zagrabiensis.

Præpositura prima est & summa Dignitas Capituli Zagrabiensis, cui sæculo decimo septimo Urbanus Papa VIII. mitræ gestandæ, Ferdinandus II. Imperator, idemque Rex Hungariæ, sententiæ dicendæ in Comitiis generalibus, & suffragii ferendi jus contulerunt. Hac dignitate qui præditi sunt, Præpositi majores appellantur. Horum Seriem Chronologicam, quamvis multis lacunis interruptam, ex tabulis Zagrabiensibus describere visum est. Nomina veterum Præpositorum proximi post conditam Ecclesiam Zagrabiensem sæculi vetustas & oblivio intercepit; neque ullum sæculo decimo tertio antiquiorem proferre possum.

Sub Stephano Episcopo inter annos 1215. & 1225.
Cyriacus Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis.
Phile seu Philippus, antea Præpositus Chasmensis.
Sub Timotheo II. Episcopo inter annos 1266. & 1287.
Joannes, postea Episcopus Zagrabiensis.
Sub Stephano III. Nicolao & Jacobo Episcopis inter an. 1319. & 1324.
Jacobus, postea Episc. Zagrabien.
Sub Jacobo II. Ladislavo II. & Jacobo III. Ep. inter an. 1325. & 1349.
Jacobus II. ex Capellano regio.
Sub Dionysio, Nicolao II. Stephano IV. Demetrio Episcopis inter annos 1349. & 1379.
Ladislavus ex Præposito Chasmensi.
Nicolaus.
Sub Paullo, Joanne II. Joanne III. Ep. inter annos 1379. & 1398.
Nicolaus II.
Ladislavus II.
Sub Eberhardo, Andrea, Eberhardo iterum, Joanne IV. & Benedicto Ep. inter annos 1398. & 1454.
Dominicus.
Matthias.
Vitus de Desew.
Michael Voightes.
Matthias II.
Sub Balthasare, Demetrio II. Osvaldo Episcop. inter annos 1454. & 1500.
Vitus Alemanus.
Michael II.
Alphonsus Thuz.
Andreas de Andreis.
Sub Luca, Joanne V. Simone, Nicolao III. Volphango Episc. inter annos 1500. & 1550.
Albertus de Capzno.
Thomas Barkacs.
Andreas II.
Paullus Gregorianczius.
Sub Paullo II. Matthia, Georgio, Joanne VI. Petro, Caspare Ep. inter annos 1550. & 1600.
Georgius Tompa.
Matthias Brumanus.

Paul-

Digitized by Google

Paullus Zondinus.
Joannes Monoszlavus.
Petrus Heresinczius.
Caspar Ztzankovachius.
Nicolaus Zelnicius.

Sub Nicolao IV. Simone II. Petro II. Francisco, Benedicto II. Martino, Petro III. Martino II. Alexandro, Stephano V. Episc. inter annos 1600. & 1700.

Franciscus Erghelius.
Petrus Domitrovichius.
Balthasar Napulius.
Benedictus Vinkovichius.
Nicolaus Dianezsevicius.
Martinus Bogdanus.
Alexander Mikulichius.
Stephanus Silisevicius.

Sub Martino III. & Emerico Episcopis.

Paullus Cheskovichius.

Archidiaconi Cathedrales Ecclesiæ Zagrabiensis.

Inter quatuordecim Archidiaconos, qui proximum post Dignitates Capituli locum tenent, Archidiaconus Ædis Cathedralis Zagrabiensis omnibus auctoritate, & subsellii primatu antecedit, & *Cathedralis* appellari solet. Multos e prioribus sæculis vetustas posteritati præripuit, paucos reliquos fecit, quorum primus

Sub Prodano utroque, Ugrino, & Timotheo Ep. inter annos 1170. & 1190.

Buranus Archidiaconus Cathedralis.

Sub Stephano II. Philippo, Timotheo II. Antonio Ep. inter annos 1225. & 1288.

Petrus.
Albertus.
Petrus II.

Sub S. Augustino, Stephano III. Nicolao, Jacobo, Ladislavo, Jacobo II. Ladislavo II. Jacobo III. Dionysio, Nicolao II. Stephano IV. Demetrio, Paullo, Joanne II. Joanne III. inter annos 1300. & 1398.

Georgius.
Joannes.
Nicolaus.
Joannes II.
Joannes III.

Sub Eberhardo, Andrea, Joanne IV. Benedicto, Balthasare, Demetrio II. Osvaldo Episc. inter annos 1400. & 1500.

Clemens.
Ladislavus.
Stephanus.
Demetrius.

Sub Luca, Joanne V. Simone, Nicolao III. Volphango, Paullo II. Matthia, Georgio, Joanne VI. Petro, Caspare Ep. inter annos 1500. & 1600.

Andreas.
Georgius II. Heresinczius.
Sebastianus Keresius.
Stephanus II. Bodouczius.

Sub Nicolao IV. Simone II. Petro II. Francisco, Benedicto II. Martino, Petro III. Martino II. Alexandro, Stephano V. Episc. inter annos 1600. & 1700.

Petrus III. Domitrovichius.
Benedictus Vinkovichius.
Joannes IV. Tomcus Marnavicius.
Martinus Bogdanus.
Ludovicus Bedecovichius.
Paullus Thuskar.

Bani Slavoniæ.

Banus idem est, ac Prorex. Reges Hungariæ Slavoniam, provinciam inter Savum & Dravum, ad regna cetera, quibus potiebantur, adjunctam regni titulo ac jure donaverant; & filios Regum, præsertim natu minores, primum Duces, deinde etiam Reges Slavoniæ interdum appellatos invenies. Itaque huic regioni qui præerat, Banus sive Prorex appellari solebat. Sæpe accidit, præsertim sub Ludovico, & sub aliis deinde regibus, ut iidem essent Bani Slavoniæ, & Dalmatiæ Chrobatiæque; cum unus idemque administrationi horum trium regnorum præficiebatur. Ceterum Banos Slavoniæ a Banis Dalmatiæ Chrobatiæque distinguendos esse docet Balthasar Kereselichius, qui ait nullum ab se in antiquis monumentis repertum esse, qui ante sæculum duodecimum titulo & imperio Banali Slavoniæ præfuerit. Hæc autem est eorum series.

Sub Bela II. Geysa II. Stephano III. Bela III. Emerico Regibus Hungariæ inter annos 1140. & 1200.

Belus seu Bela filius Vroicii Principis Serbliæ, & avunculus Geysæ II. Regis.
Ompod sive Ompudinus.
Boricius, sive Borichius, idem fortasse qui Banus erat Bosinæ, cum adhuc Bosina ad Reges Serbliæ pertinebat.
Subanus.
Calanus Episcopus Quinqueecclesiensis.
Nicolaus de Sala.

Sub Emerico, Andrea II. Bela IV. Stephano IV. Ladislavo II. Andrea III. inter annos 1200. & 1300.

Dominicus.
Bank, sive Bancus.
Bertholdus idem electus Archiepiscopus Colocensis.
Martinus.
Jula.
Benkus, idem Administrator regni Hungariæ, absente Andrea II. ad expeditionem sacram Hierosolymitanam profecto.
Ochucz.
Salamon.
Buzad.
Dionysius.
Benedictus.
Ladislavus.
Rolandus, idem Comes Posoniensis.
Stephanus.
Alexander.
Rolandus iterum.
Joachimus.
Henricus.
Joannes.
Ægidius.
Petrus.
Nicolaus II.
Radislavus.
Demetrius.

Sub Carolo, Ludovico, Maria Regina, Sigismundo Regibus Hungariæ inter annos 1300. & 1400.

Stephanus
Joannes II.) de Bobonoghiis.

Ni-

Nicolaus III. Comes Sopronienfis.
Michael Comes Simighienfis.
Nicolaus IV. Banus Slavoniæ & Chrobatiæ.

Nicolaus V. de Zeecs.
Paullus de Ugal.
Leuftachius.
Joannes III. Chuz.
Petrus II. Zudor.
Nicolaus VI. de Zeecs iterum.
Stephanus III. Haholt.
Ladislavus II. de Losocnez.
Joannes IV. Horvat.
Detricus de Bubek.

Bani Dalmatiæ, Chrobatiæ & Slavoniæ fere omnes.

Sub Sigismundo, Alberto, Uladislavo, Ladislavo III. Matthia, Uladislavo II. inter annos 1400. *&* 1500.

Paullus II. Biffenus.
Eberhardus Episc. Zagrabien.
Hermanus Comes Ciliæ.
Ladislavus III. de Gordova.
Joannes V. Biffenus.
Hermanus iterum.
Carolus Comes Corbaviæ.
Paullus III. Cupor.
Ladislavus IV. de Vyllach.
Joannes VI. de Alben.
David Lazch.
Dionyfius II. de Marchali.
Hermanus II. Comes Ciliæ & Zagoriæ.
Matko de Tallourz.
Fridericus Comes Ciliæ.
Joannes VII. Bithovecz.
Pribil Crefcentius.
Joannes VIII. Gereben.
Emericus de Zapolia.
Nicolaus VII. de Vylak.
Joannes IX. de Thuz.
Damianus Horvath.
Joannes X. Ernuft.
Andreas Banfius.
Ladislavus V. Egeroara.
Matthias Gereb.
Ladislavus VI. de Losoncz.
Ladislavus VII. de Kanifa.
Emericus II. Derenczenius.
Joannes XI. Corvinus.
Sigifmundus Hampus Episc. Quinqueecclefien.

Alii folius Slavoniæ, alii Dal. Chrob. & Slav. Bani; alii cum collega, alii fine collega.

Sub Uladislavo II. Ludovico II. Ferdinando I. Imp. Maximiliano Imp. Rodulpho Imp. inter annos 1500. *&* 1600.

Andreas Both.
Gregorius de Kanifa.
Petrus III. Berislavus Episc. Vefprimien.
Joannes XII. Torquatus Carlovich.
Francifcus Batthyanus.
Chriftophorus Frangipanius.
Joannes XIII. Banfius.
Simon Epifc. Zagrab.
Thomas de Nadaft.
Nicolaus VIII. Zrinius.
Petrus IV. Erdodius.
Georgius Draskovichius Ep. Zagrab.
Chriftophorus Ungnadus.
Thomas II. Erdodius.
Cafpar Zrankovachius Ep. Zagrab.

Hi quoque & reliqui pofterioris fæculi vel folius Slavon. vel Dal. Chrobat. & Slavoniæ Bani, vel cum, vel fine collega.

Sub Matthia Imp. & II. Rege Hung. Ferdinando II. Ferdinando III. Leopoldo Imp. & Regibus Hung. inter annos 1600. *&* 1700.

Joannes XIV. Draskovichius.
Nicolaus IX. Erdodius.
Georgius II. Zrinius.
Sigifmundus Erdodius.
Nicolaus X. Zrinius.

DUH EPISCOPUS ZAGRABIENSIS I.

Quem alii Duuh, alii Duch vocant, erat natione Bohemus, vir eximiæ fidei, doctrinæ, fanctitatis, dignus propterea, quem S. Ladislavus Ecclefiæ Zagrabienfis ab fe fundatæ primum Epifcopum præficeret, ut novam illam Sedem Epifcopalem præclaris inftitutis atque exemplis nobilitaret; præfertim cum unum inter omnes maxime idoneum effe judicaverit ad fuperftitionem idololatricam, quæ adhuc vigebat in aliquibus locis illorum partium, penitus extirpandam, & Chriftianam Religionem ubique ftabiliendam; cujus rei cauffa potiffimum Zagrabienfem Ecclefiam, & Epifcopatum inftituerat. Joannes Archidiaconus Guerchenfis, qui floruit fæculo decimo quarto, in fuo Codice Ms. videtur fubdubitare num is e gente Slavorum originem duxerit, cum ejus nomen Slavonicum fit, & eodem Archidiacono interprete *Spiritum* fignificet; ac certe admodum probabile eft eum genere Slavum fuiffe, cum Bohemia, unde oriundus, & accerfitus fuerat, ea tempeftate Slavorum referta effet: *Forfitan*, inquit, *fuit de linea Slavica; quod bene importat fuum nomen Duh, ideft Spiritus.* Ex mandato Ladislavi unus de Presbyteris regio facello præpofitis ei poffeffionem Ecclefiæ Zagrabienfis folemni ritu & formula dedit. Hanc Ecclefiam idem Rex ampliffimis fundis & vectigalibus dotavit, ac nominatim eidem donavit Dumbram oppidum Slavoniæ, & territorium ac populum ejufdem oppidi cum pafcuis, filvis, & agris omnibus; prætereaque trans Dravum *Officionarios de Semigienfi, & Zalenfi Comitatu*, ut eft in diplomate Feliciani Archiepifcopi Strigonienfis fæpius laudato; quod omnium, quæ adhuc extant, veterum monumentorum Zagrabienfium vetuftiffimum eft; fed annis fere quadraginta a primordio Ecclefiæ Zagrabienfis disjunctum; nam litteræ Ladislavi, quibus inftitutio Ecclefiæ ejufdem continetur, vetuftate interierunt. *Ad inftruendam ergo hujus plebis ignorantiam*, ut ait Felicianus in fuo diplomate, *quemdam Bohemicum venerabilis vitæ virum nomine Duh idoneum reperit, quem eidem Ecclefiæ Paftorem per fuum Capellanum Francicam delegavit; qui etiam eidem Ecclefiæ Officionarios de Semegienfi & Zalenfi Comitatu ordinavit. Præterea alter Capellanus, Cupan nomine, præcepto ejufdem Regis dedit eidem Ecclefiæ populum de Dumbra cum terra & filva appendente.* Duo infuper oppida, cum fuis utrumque agris pagifque, Chalmam & Ivanichium ex antiquis monumentis videntur pertinere ad eam dotem, quam ipfe Ladislavus Ecclefiæ Zagrabienfi confecit. Nec vero dubitari poteft, quin etiam fuum eidem collegium Presbyterorum & Clericorum conftituerit, atque idoneis vectigalibus utrofque inftruxerit; ne deeffent, qui ædem Cathe-

Primus Epifcopus Zagrabiæ Duh nomine, genere Slavus fortaffe.

Ladislavus conditor Ecclef. Zagrabienfis, eam locupletiffime dotavit.

Digitized by Google

cathedralem, sub nomine, & auspiciis S. Stephani primi Regis Hungariæ constructam, quotidiana psalmodia, & sacrificiis, ceterisque publicis religionis cærimoniis colerent; quique Episcopo vel ad rem divinam sollemni ritu peragendam ministerium præberent, vel ad plebem erudiendam, & sacris mysteriis impertiendam operam navarent. Nam ad constituendam Ecclesiasticam perfectamque Hierarchiam, cujus descriptione totius rei Christianæ administratio continetur, tum Episcopus, tum clerus utriusque ordinis requiritur.

De primo Zagrabiensium Episcopo nihil, præter nomen, memoriæ proditum est. Illud certe in primis curare debuit, ut tum per se ipse, tum per Evangelicos præcones, per totam Diœcesim quaquaversum dimissos, rudes & agrestes homines ab inanium Deorum superstitione ad rectam in Deum fidem, Christique cultum traduceret; & vel ipse, vel propiores ab eo Episcopi, omnia infandi ritus idololatrici vestigia deleverunt. Anno circiter 1093. Episcopatum suscepit; ante exitum hujus sæculi vel morte præreptus, vel alio translatus deposuit; nam quo anno sedem Episcopalem vacuam successori reliquerit, incompertum est.

BARTHOLOMÆUS EP. ZAGRAB. II.

Alter Ep. Bartholomæus Ecclesiam Zagrab gubernavit regnante Colomano.

De quo Joannes Archidiaconus & Album Capitulare: *Huic successit D. Bartholomæus, & forsan tempore ejusdem Ladislai regis gloriosi; non tamen nomen hujus in privilegiis, vel alias invenitur, & forsan pro eo, quia antiqua privilegia Ecclesiæ deperdita sunt sicut in principio dictum est*. Quod vero ejus nomen ab antiquis monumentis absit, hinc Balthasar Kereselichius caussam sumpsit illius Episcopatus in dubium revocandi. Sed auctoritas Joannis Archidiaconi, & Albi Capitularis satis argumenti est, ut cum Paullo Rittero, & Thoma Kovaschovichio Bartholomæum in catalogo Antistitum Zagrabiensium retineam. Ejus vero Episcopatum ad regnum Colomani, quam Ladislavi referre malim. Ladislavus pie sancteque decessit anno 1095. tertio Kalendas Augusti, & ob eximiam vitæ sanctitatem, & miracula post mortem edita, Divorum numerum cultumque obtinuit. Hic Almum Geysæ fratris sui filium regni hæredem instituerat, Colomano hujus fratre, quamvis natu maximo præterito; quod eum, ut erat insigni corporis deformitate, sic multo deformiorem animo, scilicet ingenio difficili, subdolo, arroganti, aspero atque immiti esse cognoverat. Sed cum in hunc procerum ac populi voluntas & studium propendere videretur; Almus patruo, quam fratri similior, ne quid discordiæ & seditionis oriretur, maluit dimittere, quam jus suum retinere, ac civili bello implicari, quod nisi multorum sanguine restingui non potuisset. Itaque regno sponte cessit, titulo ducis contentus, eaque regni portione, quam reges Hungariæ ex instituto majorum iis, qui regali stirpe orti essent, impertiri solebant. Regnante itaque Colomano, Bartholomæus Ecclesiam Zagrabiensem regebat; nec vero vitam & Pontificatum perduxit ultra initium sæculi duodecimi; nam anno 1102. jam in ejus locum successerat, & huic Ecclesiæ præsidebat

SINGIDUNUS EP. ZAGRAB. III.

Singidunus Ep. Zagrabien Chrobatis, qui a fide defecerant, Colomano reconciliavit,

Abest a catalogis Episcopalibus tum Paulli Ritteri, tum Thomæ Kovaschovichii; sed eum vetera monumenta eisdem inseri, ac retineri jubent. Colomanus anno 1096. cum exercitu Alpes Dalmaticas transgressus eam partem Chrobatiæ mediterraneæ & maritimæ, quam Ladislavus bello revocatus in Hungariam, suis armis & victoriis intactam reliquerat, sub potestatem redegit; & Belgradi anno 1097. filiam Rogerii Comitis Siciliæ sibi desponsam, illuc navibus advectam regio apparatu accepit, & nuptias insigni magnificentia, ingentique Episcoporum, procerum, populorum concursu celebravit. Post profectionem Colomani, cum huic bellum esset cum Almo fratre, Chrobati ab ejus imperio desciverunt, ut scriptum reliquit in sua synopsi chronologica Samuel Timon rerum Hungaricarum idoneus auctor: *Anno 1098. Colomanum inter & Almum dissidiorum origo; deficiunt a fide Hungarorum Croatæ*. Colomanus post redintegratam cum fratre concordiam, Chrobaticæ defectionis ulciscendæ caussa, ingentem exercitum conscripsit an. 1102. Vix Dravum copias trajecerat, cum obviam ei fit Singidunus Episcopus Zagrabiensis, regi charus in primis, qui blanda oratione iram Colomani placavit, & simul Chrobatis auctor fuit, ut voluntaria deditione sub imperium Colomani redirent. Itaque nullo tributo imposito, in fidem & clientelam recepti sunt; id solum illis imperatum fuit, ut suis militibus & sumptibus regni confinia usque ad Dravum tuerentur, ultra vero Dravum evocati si essent, regiis stipendiis militarent. Ut vero Singiduno deditionis Chrobaticæ auctori gratiam referret, multa Ecclesiæ Zagrabiensi donavit; eumque secum in Dalmatiam Belgradum duxit; qua in urbe titulum & insignia regis Dalmatiæ & Chrobatiæ sumpsit. Hæc ex codice Ms. perantiquo apud Balthasarem Kereselichium: *Singidunus Colomano regi charus Zagrabiensem rexisse Ecclesiam in privilegio Marmegnæ de gente Sabithorum* (hæc erat una ex duodecim principibus familiis Chrobatiæ) *a Colomano rege* 1102. *dato invenitur in archivo Zriniano. Qui cum rege Christum appellens, ita negotium temperavit, ut regi ultro armis positis Croatæ se subjicerent, & rex illos ut amicos tractaret; dato illis privilegio, quod sua pacifice possideant, neque teneantur umquam ullum censum regi solvere, sed suis impensis ad tuenda confinia regalia, & terram usque ad flumen Dravæ debeant cum decem armigeris equitum, de quavis generatione nobilium concurrere, & bellare. Trans Dravam autem vocati a rege non propriis, sed regalibus sumptibus, usquequo exercitus duraverit, permanere teneantur. Quod mediante Singiduno Episcopo factum ad Colomani complacentiam est; qui pro Ecclesia sua multa illi donavit, & Belgradum supra mare duxit; qua in urbe Colomanus in Dalmatiæ, & Croatiæ regem coronatus est; deditque multa privilegia tam Dalmatis, quam Croatis, & Ecclesiis, quorum aliqua extant*. His fere consentiunt quæ Thomas Archidiaconus memoriæ prodidit apud Joannem Lucium, in quodam additamento ad historiam Salonitanam, quod inscribitur: *Memoriale Dom. Thomæ q. Archidiaconi Ecclesiæ Spalat.* Ait quippe legatis ultro citroque missis Chrobatos iisdem plane

qui Ecclesiam Zagrabien. multis beneficiis & muneribus affecit:

quod cum Scriptore historiæ Salonitanæ cohæret.

Digitized by Google

plane conditionibus, quæ in eo codice memorantur, in fidem & potestatem Colomani rediisse; ceterum neque de Singiduno Episcopo mentionem fecit, neque de regia corona, quam Colomanus Belgradi suscepit. Deditionis Chrobaticæ annus idem apud Thomam Archidiaconum, qui in codice Zriniano: *Et sic ordinatum extitit de anno nostræ redempt. millesimo C. secundo*. Diademate, ac ceteris regalibus insignibus Belgradi se ornatum fuisse ipsemet Colomanus testatur in privilegio, quod collegio Mariano virginum Jadrensium concessit: *Anno Incarn. D. N. J. Christi 1102. Ego Colomanus Dei gratia rex Ungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ sano habito consilio, postquam coronatus fui Belgradi supra mare in urbe regia &c.* Huic autem privilegio cum Procopio Agriensi Episcopo, Singidunus testis approbatorque subscripsit: *Procopius Acriensis Episcopus laudavit, Singidunus Ragoriensis Episcopus laud. Isaac Comes laud. &c.* Cum nulla sit neque in Dalmatia, neque in regno Hungariæ Ecclesia *Ragoriensis*, dubium non est, quin librarii inconsiderantia vel inscitia *Ragoriensis* in locum *Zagrabiensis* irrepserit; cum siquidem utriusque vocabuli similitudo fefellit, & duabus litteris, priori Z cum R, quarta *a* cum *o* commutatis, unam intermediam *b* detraxit. Itaque quemadmodum pro *Acriensi Agriensem*, sic etiam pro *Ragoriensi* Zagrabiensem substitui oportet. Ante annum decimum tertium sæculi duodecimi e vita migravit,

Privilegio Colomani virginibus Jadertinis concesso nomen Singiduni Ragoriensis, idest Zagrabien. Episcopi subscriptū.

FRANCICA EP. ZAGRAB. IV.

Francica, seu Francita Episcop Zagrabien. Concilio Nationali Strigoniensi interfuit.

Natione Gallus, si standum sit conjecturæ Joannis Archidiaconi, qui ex ejus vocabulo conjecit cum e Francia originem traxisse: *forsan fuit Gallicus iste*. Alii Francitam vocant. Fuit regio sacello Ladislavi præpositus; & eodem jubente Ladislavo, in possessionem Ecclesiæ Zagrabiensis primum ejusdem Episcopum misit. Anno 1113. Laurentius Archiepiscopus Strigoniensis idemque Primas Hungariæ, Episcopos utriusque provinciæ Hungaricæ Strigoniensis & Colocensis, sive Bacsiensis ad Concilium Nationale convocavit, ut docet P. Nicolaus Schmitth Societ. Jesu in *Archiepiscopis Strigoniensibus compendio datis*, & Tyrnaviæ editis anno 1758. Hujus Concilii actis & decretis cum suo Metropolita Gregorio Archiepiscopo Bacsiensi, *Francita Zagrab.* subscripsit, ut est in *nova serie Archiepiscoporum Strigoniensium*, quam P. Alexander Szorenyius anno 1717. e typographia Tyrnaviensi emisit.

Anno 1114. Colomanus obiit, Stephano filio relicto, quem nondum imperio maturum alienæ fidei ac tutelæ commisit. S. Ladislavus Ecclesiæ Zagrabiensi Dumbroam, sive Dumbram oppidum, ejusque territorium cum silva eidem annexa donaverat. Hanc silvam vir quidam nobilis ac præpotens, nomine Sudengna, per vim aut fraudem abstulerat. Episcopo repetenti cum restituere nollet, hic de injuria sibi suæque Ecclesiæ illata conquestus est apud Stephanum II. regem Hungariæ, qui pupillari tutela exemptus jam rem publicam per se ipse administrare cœperat. Stephanus igitur ejus controversiæ caussæque cognitionem Feliciano Archiepiscopo Strigoniensi, & Primati Hungariæ delegavit, qui cum neque Sudengna, neque ejus procuratores ad tribunal archiepiscopale citari jussi, ad diem constitutum adessent, secundum Episcopum & Ecclesiam Zagrabiensem judicavit, ut est in diplomate ipsius Feliciani, sæpius laudato: *Transacto igitur non pauco tempore, regnante vero Stephano, prædicto vero Francica illius Ecclesiæ Episcopatum tenente, a quodam viro, nomine Sudengna de prædicta Silva injuria illata est. Quod Episcopus ægre ferens ad regis patrocinium confugit, qui totam caussam Feliciano Strigoniensi Archiepiscopo discutiendam commisit. Illius ergo Ecclesiæ adversarii ad judicium vocati cum ad determinatum diem venire noluissent, nec L. pensas secundum legem persolvere potuissent, Archiepiscopi judicio prædicta Silva per Trestaldum Isaac nomine, Ecclesiæ restituta est, ac quamdiu Francica illi Ecclesiæ præfuit, nullus ei aliquam injuriam inferre præsumpsit.*

Silvam Dumbræ Ecclesiæ & Ep Zagrabiæ Felicianus Archiepisc. Strigonien. restitui jussit.

Bela cognomento Cæcus, filius Almi fratris Colomani, Stephano vita functo, in regnum suffectus est anno 1131. & eodem tempore Francica Zagrabiensem Episcopatum cum Archiepiscopatu Colociensi, sive Bacsiensi commutavit; ut ex diplomate ipsius Feliciani: *Defuncto ergo rege Stephano, piissimus Bela, divina largiente gratia, Pannoniæ sceptra feliciter gubernanda suscepit; cujus gratia prædictus Francica ad Bacsiensem Archiepiscopatum translatus est.*

Francica e Zagrabien. ad Bacsiensem Ecclesiam migravit.

MACELLINUS EP. ZAGRAB. V.

Macellinus e Canonico Hierosolymitano Ep. Zagrabien.

Erat Canonicus Hierosolymitanus; nimirum regnante Colomano, ut est in codice Ms. Zagrabien. apud Kereselichium, cum genere Italus esset, & stirpe nobilissima ortus, cum sacra militia profectus est in Palæstinam; & post Hierosolymam anno 1099. Saracenis ereptam, sacrolanctæ illius basilicæ Canonicus creatus fuit. Reversus ex Oriente in Hungariam cum venisset, Belæ regis favore & gratia nixus, sedem Zagrabiensem obtinuit anno 1131. Hunc alii Marcellinum, Joannes Archidiaconus, nescio quo codice, cujusve auctoritate fretus Mathianum vocat, & Bernardo Episcopo postpositum, in hujus locum proxime substituit. In Concilio generali Varaldinensi proceres quidam cum Sudengna supra nominato rursus de Silva Dubravensi litem intendunt, quæ iterum de sententia Feliciani Archiepiscopi Strigoniensis, & totius Concilii adjudicata fuit Ecclesiæ & Episcopo Zagrabiensi, ex diplomate ejusdem Feliciani; cujus varias particulas superioribus locis pro re nata intexuimus; nunc vero integrum describi oportet; nam ad Episcopatum Macellini, & annum hujus sæculi tricesimum tertium pertinet. Hoc est antiquissimum omnium monumentorum Zagrabiensium, cujus auctoritate primordia Ecclesiæ Zagrabiensis ab S. Ladislavo fundatæ nituntur; nam si qua de illius institutione & conditore litteris prodita antea extabant, inter varias, quæ postea secutæ sunt, & multiplices communium rerum ac temporum conversiones calamitatesque perierunt.

Silva Dubravensis iterum in controversiam vocata, & Eccl. Zagrabien. adjudicata.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen. Regnante nobilissimo rege Ladislavo, Strigoniensis vero Ecclesiæ Primatum Acha gubernante, & Baaciensi Archiepiscopo Fabiano existente, Vesprimiensi Episcopo Cosma, Palatino Comite Jula, Semiginsi Comite Grab, prædictus rex, divina gratia inspirante, horum ceterorumque nobilium consilio, Zagrabiensem constituit Episcopatum, videlicet ut quos error idololatriæ a Dei cultura extraneos fecerat, Episcopalis

Sententia Feliciani Archiep. Strigonien. semel, atque iterum lata secundum Eccl. Zagrabien.

Digitized by Google

palis cura ad viam veritatis reduceret. Ad instruendam ergo hujus plebis ignorantiam, quemdam Bohemicum venerabilis vitæ virum, nomine Dub idoneum reperit, quem eidem Ecclesiæ pastorem per suum capellanum Francicam delegavit, qui etiam eidem Ecclesiæ officionarios de Semegiensi, & Zalensi Comitatu ordinavit. Præterea alter capellanus Cupan nomine, præcepto ejusdem regis dedit eidem Ecclesiæ populum de Dumbra, cum terra & Silva sibi appendente. Transacto igitur non parvo tempore, regnante vero Stephano, prædicto vero Francica illius Ecclesiæ Episcopatum tenente, a quodam viro nomine Sudengna, de prædicta Silva Ecclesiæ injuria illata est. Quod Episcopus ægre ferens ad regis patrocinium confugit, qui totam caussam Feliciano Strigoniensi Archiepiscopo discutiendam commisit. Illius ergo Ecclesiæ adversarii ad judicium vocati, cum ad determinatum diem venire noluissent, nec L. 50. pensas secundum legem terræ persolvere potuissent; Archiepiscopi judicio prædicta Silva per Præstaldum Isaac nomine, Ecclesiæ restituta est, & quamdiu Francica illi Ecclesiæ præfuit, nullus ei aliquam injuriam inferre præsumpsit. Defuncto ergo rege Stephano, piissimus Bela, divina gratia largiente, Pannoniæ sceptra feliciter gubernanda suscepit; cujus gratia prædictus Francica ad Baaciensem Archiepiscopatum translatus est; Zagrabiensi vero Ecclesiæ Macillinus, Hierosolymitanus Canonicus, Episcopus ordinatus est. Tertio ergo Episcopatus sui anno, Adilbert frater Kaladini Semigiensis, Comes una cum Clanisa, & Petro fratre ejus, & Sudengna, aliisque quam pluribus ejusdem terræ melioribus, de prædicta Silva in Concilio Varadinensi, tempore Valterii Episcopi, ante Felicianum Strigoniensem Archiepiscopum litigium renovavit. Cujus judicio duo Episcopi, videlicet Francica Baaciensis, & Macellinus Zagrabiensis, salva episcopali dignitate, pro justitia sanctæ Ecclesiæ veritatem dixerunt; tres vero de nobilioribus ejusdem Ecclesiæ scilicet Barchis, Mihal, Drsibna, super sacrum altare Varadinensis Ecclesiæ in præsentia Canonicorum juraverunt, Augustino Strigoniensis Ecclesiæ Canonico existente Præstaldo. Quod factum est Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIII. Epacta XXIII. VI. Kal. Maji. Archiepiscopus vero volens suum judicium immobile permanere, alterum ejus Præstaldum nomine Marcellum filium Cira Comitis dedit, qui priori Præstaldo, scilicet prædicto Isaac præmonstrante, singulas metas renovavit, & Ecclesiæ Silvam ea conditione restituit, ut nullus in ea omnino, sive consensu Episcopi quidquam agere præsumat vel venando, vel aliquid de ea auferendo, vel intromittendo. Hujus rei testes sunt, Archiepiscopi judicio assidentes Nicolaus Nitriensis Episcopus, Eucidinus Comes Desauniæ, Geuril filius Andreæ Comitis, Laurentius filius Salamonis Canonici Varadinensis Ecclesiæ, Benedictus Custos, Opus Decanus, Sebastianus.

Duas in hanc Feliciani sententiam animadversiones subjicere libet; altera ad Acham Strigoniensem Archiepiscopum, altera ad Fabianum Baaciensem, sive Bacsiensem Archiepiscopum pertinet. P. Nicolaus Schmitth in suis Commentariis de Archiepiscopis Strigoniensibus, quæ supra laudavimus, pontificatum Strigoniensem Achæ Archiepiscopi quadriennio definivit, ad annum scilicet undenonagesimum ab anno octogesimo quinto sæculi undecimi productum. Huic siquidem anno 1089. Seraphinum proxime subjecit; monuit tamen de anno suscepti a Seraphino Archiepiscopatus inter Scriptores controversiam esse. Verum si Acha Strigoniensem Primatum gerebat, cum S. Ladislavus Ecclesiam Zagrabiensem fundavit, ut in diplomate Feliciani diserte scriptum est, pontificatum Achæ ultra primum & nonagesimum ejusdem sæculi annum produci oportet; neque enim ante hunc annum S. Ladislavus Zagrabiensem Episcopatum in Slavonia condere potuit, cum nondum ea regione potiretur. Nec manifesti erroris, ut ille putat, coargui posse videntur, qui ex veteri catalogo Archiepiscoporum Strigoniensium, initia pontificalia Seraphini, proximi post Acham Archiepiscopi, in annum 1100. rejiciunt, eumque a Colomano tiara Strigoniensi donatum tradunt.

Achæ pontificatus Strigonien. ultra an. 1090. producendus usque ad conditam Ecclesiam Zagrabien.

Nunc vero investigandum cur Fabianus dictus sit Archiepiscopus *Baaciensis*; cum ceteroquin sedes Archiepiscopalis Colociæ ab initio constituta fuisset. Archiepiscopus Baaciensis, sive Bacsiensis idem est atque Colocensis. Utraque civitas Bacsia, sive Bachia, & Colocia sita est ultra Danubium, ejusque ripæ orientali adjacet, hæc superior ad septemtrionem, illa inferior ad meridiem. Initio sedes Archiepiscopalis constituta fuit Colociæ; hanc primus Archiepiscopali titulo initiavit ac tenuit Astricus, sive Anastasius, qui, cum esset Episcopus Colocensis, Sebastiano Archiepiscopo Strigoniensi II. oculis capto ex auctoritate, jussuque Romani Pontificis, metropolim Strigoniensem administrandam suscepit anno 1004. & biennio post, cum ab Henrico I. Imperatore invitatus fuisset ad Concilium Francofordiense, epistolæ Joannis XVIII. sive XIX. Episcopatum Bambergensem ab eodem Imperatore fundatum confirmantis, cum ceteris Episcopis subscribens, utitur *titulo Archiepiscopi Strigoniensis*, ut docet P. Alexander Szorenyius in *Nova serie Archiepiscoporum Strigoniensium*; quod fortasse Sebastianus Archiepiscopus spe visus recuperandi amissa, in Astricum dignitatem, & nomen munusque Archiepiscopale transtulerat. Verum in collectione Conciliorum Joannis Harduini, itemque Labbeana Venetiis edita, epistolæ pontificiæ subscriptus legitur *Anastasius Ungrorum Archiepiscopus*. Sed ut Anastasius idem est atque Astricus, utroque enim nomine appellabatur; sic nihil interest utrum dicatur *Ungrorum*, sive *Hungarorum*, an Strigoniensis Archiepiscopus. Nam præter Strigoniensem, alius non erat illis temporibus, qui vocari posset Archiepiscopus Hungarorum, nisi Strigoniensis. Intra finem ejusdem anni Sebastianus usu oculorum divinitus recepto, in sedem Strigoniensem, eodem Joanne Pontifice jubente, restitutus est: *Tertio cæcitatis anno*, ait Bonfinius, *instauratis luminibus, in pristinam is dignitatem a Romano Pontifice restitutus*. Astricus itaque ad Colocensem Ecclesiam remigravit; & nomen atque insignia Archiepiscopi, quibus ornatus fuerit, quibusque talem ac tantum Antistitem insigni doctrina, & sanctitate præditum spoliari, eumque in Episcoporum ordinem redigi non decebat, ex auctoritate & privilegio ejusdem Romani Pontificis retinuit, atque ad successores transmisit; præsertim cum Ecclesia Hungarica, post victam Transilvaniam, regnoque adjunctam, longe lateque propagata, duobus Metropolitis indigere videretur. Ita sedes Colocensis ad metro-

Astricus Ep. Colocensis, Sebastiano Archiep. Strigonien. oculis capto, jure ac titulo Archiepiscopali insignitus metropolim illam regendam suscepit.

Ad sedem Colocens. reversus nomen & insignia Archiepisc. retinuit, & Ecclesiam Colocens. metropolitica dignitate auxit.

Digitized by Google

tropoliticam dignitatem evecta est; ut praeclare sciteque conjecit Ludovicus Thomassinus Tomo I. lib. I. cap. 25. de veteri novaque Ecclesiæ disciplina: *Sebastianus, qui primus Strigoniensium Archiepiscopus ordinatus fuerat, aliquamdiu post oculis orbatus, successorem habuit Colocensem Episcopum, ita dispensante Papa: quo rursus similiter dispensante, Sebastianus, triennio post receptis oculis, abstersoque cæcitatis morbo, pristinæ restitutus est sedi; remigrante in suam quoque priorem Ecclesiam Episcopo Colocensi cum pallio, quo exornatus fuerat. Facile auguramur ea occasione factum esse, ut & Colocensis Ecclesia in metropolim assurgeret.* Quocirca primordia Colocensis Archiepiscopatus propemodum æqualia sunt initiis Archiepiscopatus Strigoniensis. Sed unde acciderit, ut post aliquot annos a Colocensi ad Bacsiensem urbem sedes illa metropolitica translata fuerit, nulla sunt, quæ doceant, temporum illorum monumenta.

Sedes Archiepiscopalis Colocensis Bacsiam translata.

Post obitum S. Stephani regis, Hungaria intestinis bellis ac seditionibus diu multumque conflictata fuit, de quibus Scriptores Hungarici. Ad hæc: plerique Hungarorum a fide Christiana cum defecissent, in avitas superstitiones relapsi, Ecclesias devastarunt, & Christi cultores sane multos interfecerunt, atque in his Gerardum Sagredum sanctissimum Episcopum Chanadiensem. In eo temporum motu, rerumque communium conversione ac perturbatione, fortasse Archiepiscopi Colocenses, cum omnia circa hostibus & periculis plena essent; nec satis tuta illis videretur statio Colocensis, ut suæ saluti & tranquillitati consulerent, Bacsiam in urbem munitiorem migrarunt, ibique sedem pontificalem statuerunt; nisi forte, cum hæc civitas, non solum aeris salubritate & civium frequentia, sed etiam dignitate & imperio Colociæ præstaret, siquidem hodie quoque caput est & princeps totius Comitatus Bacsiensis, eique Colocia subest, dignior visa fuit, quæ ut civilis, sic etiam ecclesiasticæ provinciæ principatum teneret. Neque illud vero absimile est has duas Ecclesias Colocensem, & Bacsiensem, sic a principio, ut nunc sunt, sub uno eodemque Antistite conjunctas fuisse; & cum priores illi Archiepiscopi Bachiæ, quam Colociæ, frequentius ac diutius commorari consuessent, hinc factum est ut vocabulo primævo posthabito, Archiepiscopi Bacsienses vulgo appellari solerent.

Cur Colocenses Archiep. olim appellati fuerint Bacsienses?

Quæcumque tamen caussa fuerit Colocensis cum Bacsiensi appellationis commutandæ, hac certe per annos non ita paucos, Archiepiscopos Colocenses usos fuisse vetera monumenta declarant, veluti sententia seu decretum Feliciani Archiepiscopi Strigoniensis supra descriptum, in quo nominatur *Fabianus Archiepiscopus Baaciensis*, Achæ Strigoniensi Archiepiscopo æqualis; itemque privilegium Stephani II. regis Hungariæ, anno 1124. *Traguriniis*, & *Spalatinis civibus* concessum, in quo subscriptus legitur *Gregorius Baacensis Archiepiscopus*. Nec vero per eos annos sedi Colocensi in ordinem episcopalium redactæ suus defuit Episcopus; quippe in privilegio Colomani, quod anno 1111. Ecclesiæ Arbensi concessit, *Tulbertum Episcopum Colocensem* nominatum invenio; itemque *Mikonem Antistitem Colocensem* apud Patrem Nicolaum Schmitth, qui anno 1149. ab Geysa rege Hungariæ diploma regium collegio Canonicorum Colocensium impetravit. Hic vero sedem Archiepiscopalem

Sedes Archiepiscopalis Colociam revecta.

Coloci am revexit, ut mihi videtur; nam in diplomate ejusdem regis Geysæ, qui anno 1156. jus percipiendi decimas rerum omnium ex villis septuaginta Capitulo Strigoniensi attribuit, subscriptus est post Martyrium Archiepiscopum Strigoniensem, *Miko Archiepiscopus Colocensis*. Ceterum idem Miko post novem annos in diplomate Stephani III. regis Hungariæ, qui privilegium patris sui Belæ Ecclesiæ Zagrabiensi concessum anno 1163. confirmavit, nominatur Bachiensis Archiepiscopus: *Coram principibus regni, Michone Bachiensi Archiepiscopo &c.* Hic itaque ab utraque urbe, alius ab una, alius ab altera cognominari voluit. His tamen temporibus Ecclesia Colocensis primævam dignitatem Archiepiscopalem recuperavit, quam deinde perpetuo retinuit.

Bacsiensi Eccles. in ordine Ecclesiarum Episcopalium revecta, & Colocensi annexa.

Bacsiensis vero Ecclesia in pristinum Ecclesiarum Episcopalium ordinem regressa cum esset, suæ metropoli sic annexa fuit, ut servato titulo atque honore Pontificiæ sedis eidem, atque Colocensis, Antistiti subesset; & unus idemque esset tum Archiepiscopus Colocensis, tum Episcopus Bacsiensis; nisi forte altera alteri sic fuerit conjuncta, ut titulum Archiepiscopalem utraque retineret. *De Archiepiscopo Bacsiensi*, ait P. Nicolaus Schmitth, *nulla diplomata, quæ quidem inspicere mihi licuit, fere ab anno 1149. meminere*: (excepto diplomate Stephani III. supra laudato an. 1163. in quo Micho diserte nominatus est *Archiepiscopus Bachiensis*) *opinari licet eam dignitatem iterum adhæsisse Colocensi, atque utramque Ecclesiam ab uno eodemque Archipræsule gubernatam*.

Ad Macellinum redeo. Hic annos circiter viginti Ecclesiæ Zagrabiensi præfuit; & curarum ac molestiarum, quibus conflictatus est in suo regimine, pertæsus, ut quidam tradunt, fugitans litium, & pacis studiosus, eidem nuncium remisit an. 1150. Romam profectus est, inde vero Hierosolymam reversus.

Macellinus Episcopatu Zagrabiensi se abdicavit.

GOTHSALDUS EP. ZAGRAB. VI.

Quem ex ordine S. Benedicti ad hanc Ecclesiam regendam assumptum fuisse docet Ritterus, nescio quo codice, quave auctoritate innixus. Episcopatus Zagrabiensis ab eo suscepti gestique testes sunt ejusdem subscriptiones, tabulis illius ætatis subjectæ. In privilegio Geysæ regis anno 1156. Canonicis Strigoniensibus concesso, cujus supra meminimus, postremus inter Episcopos nominatur *Gothsaldus Zagrabien.*, & apud Timonem in aliis tabulis anni 1158. idem inscriptus legitur. P. Nicolaus Schmitth æqualem facit Lucæ Banfio Archiepiscopo Strigoniensi, qui anno circiter 1160. hujus metropolis administrationem suscepit, & Stephano III. regi Hungariæ sacram coronam imposuit. Ceterum vel hoc eodem anno 1160. vel proximo Gothsaldus sedem episcopalem vacuam successori reliquit; quippe anno 1163. Ecclesiæ Zagrabiensi præsidebat

BERNALDUS EP. ZAGRAB. VII.

Bernaldus Ep. Zagrabien. Templarios in Slavoniam invexit.

Alii Bernardum vocant, & natione *Cathalaunum* fuisse auctor Albi capitularis confecti anno 1334. ex eo conjecit, *quod Cathalauni*, inquit, *abundant hoc nomine*, *& etiam Burgundi*. In veteri codice Ms. quem citat Balthasar

Ada-

Adamus Kerefelich, memoriæ proditum est Bernaldum inter Templarios vitam religiosam vixisse, antequam ad regimen Ecclesiæ Zagrabiensis accederet, & primum fuisse, qui Templarios in Slavoniam invexerit. Ex testimonio ejusdem codicis apud Stephanum III. Hungariæ regem auctoritate & gratia plurimum valuit, ab eoque plurima beneficia, latifundia, & privilegia, iisdem Templariis impetravit; quæ omnia Andreas II. regali diplomate confirmavit. Sunt qui Bernaldum ante Gothsaidum in serie episcopali locandum esse existimant; quorum opinionem refellit diploma ejusdem Stephani III. regis paullo post describendum. Silvam Dumbrensem, quam S. Ladislavus, ut supra dictum est, Ecclesiæ & Episcopo Zagrabiensi attribuerat, semel atque iterum eidem Ecclesiæ & Episcopo per vim ac fraudem ereptam, itemque ex sententia Feliciani Archiepiscopi Strigoniensis bis restitutam; tertio Nicolaus Comes filius Paulli Comitis Simigiensis, & Jobagiones, id est, interprete Kerefelichio, cives nobiles, seu coloni castri & Comitatus Simigiensis, temere ac violenter invaserant, & injuste, præfracteque retinebant. Bernaldus Episcopus diem illis dixit, citarique eos jussit ad tribunal Beli Bani Slavoniæ. Ut Episcopus verissime, sic illi fallacissime contendebant oppidum ac territorium Dumbrense cum Silva illa, de qua potissimum erat controversia, sibi ab Ladislavo rege donatum fuisse; & ab eo judice, quem Bela II. rex Hungariæ ad eam litem dirimendam constituerat, sibi datum fuisse Marcellum Pristaldum, qui se in pristinam ejus terræ ac Silvæ possessionem restitueret, pars utraque affirmabat. Sed cum iniqui raptores neutrum probare possent, contra vero Bernaldus pro se decretum Feliciani Archiepiscopi Strigoniensis protulisset; Banus secundum Ecclesiam & Episcopum judicavit, Stephanus vero III. rex Hungariæ, tum possessionem bonorum omnium, quæ Ladislavus, & Bela Ecclesiæ Zagrabiensi large effuseque donaverant, tum sententiam Bani Slavoniæ amplissimo diplomate confirmavit.

Silvam Dumbrensem rursus amissam

tertio recuperavit ex sententia Bani Slavoniæ

& ex diplomate Stephani III. regis Hungariæ.

Ego Stephanus inspirante divina gratia, paterna insignitus dignitate, præ cunctis negotiis, Ecclesiæ sanctæ Dei providens, quæ a sanctis Patribus statuta, a membris Sathanæ destructa reperio, emendare non differo. In nomine itaque sanctæ & individuæ Trinitatis, quæ prior Ladislaus rex gloriosissimus, & II. Bela rex felicis memoriæ pater meus & Dominus, Zagrabiensi Ecclesiæ contulerant, & coram principibus, suis sigillis confirmaverant, omnia prædictæ Ecclesiæ & Silvam Dombrensem, cum terra ei appendente, quam Sudengna auferre conatus fuit, concedo. Hujus litigii Belus Banus judex extitit; in quo litigio Bernaldus Episcopus prædictæ Ecclesiæ, suique Jobagiones, & Petrus Comes prædictam Silvam cum terra a Ladislao datam fuisse, & in tempore Belæ regis in litigio positi per Pristaldum Marcellum recuperavisse dicebant. Iterum autem tempore gloriosissimi regis Geysæ, Nicolaus Comes filius Paulli, & Jobagiones Simigiensis castri Cicigna, Joannes, Marasceiau, vim inferentes prædictæ Ecclesiæ, terram cum Silva ei abstulerunt, & violenter usque ad tempus Ladislai II. tenuerunt. Hanc injuriam passam Ecclesiam fuisse Bernaldus Episcopus, suique Jobagiones clamabant. Tunc Belus Banus rem quærens justificare, judicavit: si prænominati hostes Ecclesiæ Marcellum fuisse Pristaldum comprobare possent, eis terra cum Silva remaneret. Sed quoniam hoc probare non potuerunt, injusti remanserunt; & Ecclesiæ, ut justum erat, terra cum Silva reddita est. Insuper Episcopo Belus Banus dedit Pristaldum Leopoldum filium Petri, ut sicut tempore Belæ regis Marcellus Pristaldus prædictam terram cum Silva reddiderat, ita & iste per easdem metas circumiens, per pontem Colomani regis . . . . (hic metæ seu confinia describuntur) . . . *Ecclesiæ redderet. Tunc Stephanus rex piissimus rei veritate cognita, ut possessio Ecclesiæ firma stabilis maneret, privilegium inde fieri jussit, & sigillo suæ majestatis confirmari coram principibus regni, Michone Bachiensi Archiepiscopo, Macario Quinqueecclesiensi Episcopo, Nicolao Gradien.* (Varadiensi) *Episcopo. Stephano Sunadien.* (Chanadiensi) *Episcopo electo, Belo Bano ejusdem causæ judice, Thoma Palatino Comite, Bruccha curiali Comite, Boricio Bano, Adriano Comite, Henrico Brodugiensi Comite, Eula Sanadiensi Comite. Anno Domin. Incarnat. MCLXIII. Indict. XI. Epacta XIV. Stephano piissimo rege Hungariæ II. Belæ regis filio, primo anno regni sui. Hugone Notario, Thoma magistro capellæ Strigonii, hoc privilegium factum est. Quicumque vero æmulus & inimicus Ecclesiæ Dei huic decreto regis detrahere præsumpserit, gratiam regis irrecuperabiliter amittat, & æternis deputetur suppliciis.*

De Silva Dumbrensi, sive Dubravensi tria fuerunt litigia, quæ confector hujus diplomatis, rerum ac temporum superiorum memoria fallente, minus accurate, quam oportuit, distincteque exposuit. Primum anno circiter 1120. Sudengna quidem Francitæ, alterum anno 1133. Adilbertus Comes Simigiensis cum suis fratribus Clanisa & Petro, itemque cum eodem Sudengna Macellino Episcopis intulit. Utrumque Felicianus Archiepiscopus Strigoniensis, judex a Stephano II. & Bela II. regibus Hungariæ præpositus, secundum Ecclesiam & Episcopum Zagrabiensem diremit; Francitæ quidem Isaacum, Macellino autem Marcellum Præstaldos dedit, qui pravis & iniquis adversariis depulsis, in possessionem ejusdem terræ, & Silvæ Ecclesiam & Episcopos induceret. Hæc ex diplomate Feliciani Archiepiscopi supra descripto. Post aliquot annos, cum Bernaldus huic Ecclesiæ præesset, tertio Nicolaus e Comitibus Simigiensibus cum aliis sceleratis hominibus eamdem Silvam per vim occupavit, detinuitque usque ad Ladislavum II. regem Hungariæ filium Belæ II. fratrem & successorem proximum Geysæ II. Eos Bernaldus de injusta & violenta usurpatione in judicium vocavit, citarique jussit ad tribunal Beli Bani Slavoniæ, qui pro Ecclesia & Episcopo Zagrabiensi sententiam tulit, eamque Stephanus III. qui post brevissimum Ladislavi II. fratris regnum, anno 1162. vel sequenti regnare occepit, regali diplomate paullo ante descripto confirmavit. Ad hunc modum explicari intelligique oportet diploma Stephani III. ut cum diplomate Feliciani Archiepiscopi, & veritate historica cohæreat.

Triplex litigium de Silva Dumbrensi.

Præterea in eodem diplomate tria sunt animadvertenda, quæ videntur discrepare cum Synopsi chronologica regum Hungariæ, quam Martinus Szentivanius decadis 2. parte 3. contexuit. Hic siquidem Stephanum III. filium Geysæ II. fuisse ait; at vero Stephanus Belam patrem suum appellat: *& II. Bela rex felicis me-*

Stephanus III. non filius, sed frater Geysæ II. fuit, & Belæ II. filius.

memoriæ Pater meus, & Dominus; infra vero filius Belæ II. dicitur: *Stephano piissimo rege Hungariæ II. Belæ regis filio*. Bela II. cognomento cæcus quatuor filios habuisse traditur, Geysam, Ladislavum, Stephanum, & Almum. Itaque Stephanus non filius, sed frater Geylæ fuerit necesse est. Deinde idem Szentivanius anno 1161. Stephanum sumptis regalibus insignibus regnare cœpisse tradit; in diplomate autem paullo ante descripto primus annus ejus regni cum anno Christi 1163. conjungitur, ex quo fit, ut vel ad hunc annum, vel ad superiorem regni ejus primordia referri oporteat. Demum in serie & catalogo regum Hungariæ apud Szentivanium, Ladislavi II. regnum conjungitur cum anno 1172. vivente adhuc & regnante Stephano: *Ladislaus*, inquit, *regis Belæ II. Cæci filius, vivente adhuc Stephano III. rege, violenter regiam dignitatem sibi usurpat; sed intra sex menses regnum ejus cum vita expirat.* Verum Ladislavus natu major ante Stephanum fratrem regnum in Hungaria obtinuit, ut perspici potest ex eodem Stephani III. diplomate: *Iterum autem tempore gloriosissimi regis Geysæ Nicolaus Comes . . . vim inferentes prædictæ Ecclesiæ, terram & Silvam ei abstulerunt, & violenter usque ad tempus Ladislai II. tenuerunt*. Itaque inter Geysam & Stephanum interjiciendus est Ladislavus II. utriusque frater, cujus regnum brevissimum fuit. Belæ II. parenti Geyla II. natu maximus in regnum successit, huic vero Ladislavus II. frater, Ladislavo autem tertius frater Stephanus; Almus minimus natu jamdudum obierat.

Ladislavus II inter Geysam II. & Stephanum II. fratres suos, regnavit.

Post Dumbram sibi & Ecclesiæ suæ recuperatam quot annos Bernaldus vixerit, incompertum est. Chasmæ in primario ejus oppidi templo sepultus fuisse traditur.

JOB EP. ZAGRABIENSIS VIII.

Job primum Zagrabiensis, deinde Quinqueecclesiensis Ep. demum Strigoniensis metropolita.

Hujus nomen *in diversis regiorum diplomatum reperiri* affirmat Balthassar Adamus Kercselichius; ceterum abest ab omnibus catalogis Antistitum Zagrabiensium. A Zagrabiensi, ut codex vetus Ms. apud eumdem Balthassarem docet, ad Quinqueecclesiensem sedem, hinc vero ad metropolim Strigoniensem migravit, de quo auctor *Aurei castri Strigoniensis* apud P. Nicolaum Schmitth: *Job Quinque prius Ecclesiis præfuit, jam & quingentis (scilicet in Archiepiscopatu), ita crescit virtus honori, honor virtuti*. Neque suscepti, neque depositi Episcopatus Zagrabiensis annus memoriæ proditus est, & quid rerum gesserit, dum huic Ecclesiæ præsidebat, nemo scriptorum est, qui litteris tradiderit. Inter annos circiter 1166. & 1170. Jobi Episcopatum Zagrabiensem interjiciendum esse existimo; Pontificatum vero Strigoniensem ejusdem P. Nicolaus Schmitth ab anno 1184. ad 1204. perduxit.

PRODANUS EP. ZAGRAB. IX.

Prodanus Ep. Zagrab. erga Templarios munificus.

Æqualis fuit Belæ III. regi Hungariæ filio Geysæ II., qui Stephano III. patruo suo, quem aliqui fratrem vocant, in regnum successit anno circiter 1174. Prodani jam vita functi frequens & honorifica mentio est in privilegiis Belæ III. & hujus filiorum Emerici & Andreæ II. regum Hungariæ. Antequam ad sedem Episcopalem ascenderet, fratribus militiæ templi adscriptum fuisse nonnulli tradunt; certe erga hunc ordinem non benevolum modo, sed etiam liberalem se præbuit. Apud Zagrabiam, ubi nunc Villa nova, fratribus Templariis monasterium & Ecclesiam ædificavit, ut docet Joannes Archidiaconus de Querche; qui præterea scripsit, Prodanum ex antiqua, & perillustri familia Prodoicviczia oriundum fuisse, ad quam Nadasdiani Comites originem suam referunt. Hæc tum in Baraniensi ultra Danubium, tum in Crisiensi Slavoniæ Comitatu plurima & amplissima latifundia possidebat: ex his sane multa Prodanus, quæ sibi jure hereditario obvenerant, Ecclesiæ Zagrabiensi, & sodalitati Templariorum liberaliter attribuit. Gentilisne & familiæ, an personæ fuerit nomen Prodani, merito dubitari potest; nam in descriptione confinium diœcesis Quinqueecclesiensis, & Comitatus Baraniensis sub Bela III. confecta anno 1190. hæc leguntur: *Et ibi incœpit vicinitatem terræ tenere cum terris Prodanorum de Nadasd, adhuc de parte meridionali versus Occidentem procedendo, juxta terras nominatorum Prodanorum in via magna, quæ est in vertice montis &c.* Sed in alio codice legitur *Pr.tanorum de Nadasd*. Nihil certe obstat quo minus eadem gens & familia triplici cognomine, *Prodana*, *Prodoicviczia*, & *Nadasdiana* appellaretur; noster vero Prodanus nomen gentile sibi proprium fecerit; & fortassis erat ex hac familia Slavonica Grupcius ille Archidiaconus Spalatensis, quem Thomas Archidiaconus cap. 22. hist. Salonit. *filium Prodani* vocat. Fuit Prodanus vir summæ integritatis, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, & rei Ecclesiasticæ amplificandæ studiosissimus, quo magis magisque domus Dei decorem, servorum Dei numerum, & divini cultus splendorem augeret. Quare de suis bonis avitis multa, ut diximus, tum Ecclesiæ, tum Templariis donavit. Ex ejus liberalitate dominatum in villa *Szent Mihalii* Ecclesia Zagrabiensis acquisivit. Quod Ladislavus Ecclesiæ hujus parens & conditor e presbyteris & clericis ad ejusdem cultum & ministerium adscriptis, rudi quadam adumbratione designaverat, a Prodano perfecte constitutum, ac rite formatum ferunt collegium Canonicorum, quos magistratuum, & legum descriptione, communique vivendi & psallendi disciplina consociavit; eosdemque numero trium ac triginta definivit; siquidem in antiquis ante Prodanum monumentis nullam ajunt *Canonicorum & Capituli* mentionem reperiri. Tria prædia coemit *Glogouniczam*, *Zelinam*, & *Novum Prædium*; primum Templariis, reliqua duo Mensæ Capitulari donavit: quam donationem a sede Apostolica confirmandam Canonici curarunt, ut constat ex privilegio Belæ III. regis infra describendo. Ripam utramque amnis Glogouniczæ, seu Golgonisæ ponte superimposito junxit: qui *Pons Prodani* in quodam Emerici regis privilegio vocatur. Annos circiter quinque hanc Ecclesiam administravit, de qua egregie meritus migravit e vita tertio Nonas Majas anno 1175. & Zagrabiæ in æde majori sepultus sub lapide albo, ut scriptum reliquit Joannes Archidiaconus Querchensis.

Familia Prodani, ex qua Comites Nadasdiani, clara inprimis & opulenta.

Ecclesiæ & Templariis multa donavit.

Collegium Presbyterorum Zagrabiensium in formam capituli redegit.

UGRINUS EP. ZAGRAB. X. electus.

Ugrinus Ep. Zagrab. electus.

Quod ante approbationem Sedis Apostolicæ, & consecrationem episcopalem obierit, vel ad aliam Ecclesiam regendam transierit; iccirco ejus

Digitized by Google

ejus nomen in antiquis catalogis non reperitur. Ceterum licet hujus Ecclesiæ possessionem numquam adierit, attamen jus ad eam adeundam per electionem acquisierat. Illum igitur Raphael Levacovichius, Thomas Kovascevichius, Balthassar Adamus Kereselich catalogo Antistitum Zagrabiensium inseruerunt ex privilegio Belæ III. in quo semel atque iterum Ugrinus Zagrabiensis electus nominatur. Cum Alexander III. Pontifex Max. collegium Canonicorum Zagrabiensium a Prodano institutum, sive perfecte absolutum, & duo prædia eidem per eumdem Episcopum collata confirmasset; Canonici litteras Apostolicas ad Belam regem obtulerunt, orantes obsecrantesque, ut quod Pontifex ratum habuerat, ipse regiæ auctoritatis præsidio communiret. Rex annuit perbenigne, & decretum fecit in hæc verba.

Capitulum Zagrabien. & donationem eidem a Prodano factam Alexander III. & Bela III. confirmarunt.

Notum sit omnibus catholicæ fidei cultoribus, quod ego Bela III. secundi Geysæ regis filius, Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramaque rex, cum Albæ S. Stephani regis sollemnes agerem dies, Zagrabienses Canonici, cum Ugrino tunc temporis Zagrabiensi electo præsentiæ nostræ assistente devotas porrexerunt preces, simul & litteras Apostolicas præsentantes, quod Prodanus condam Episcopus Zagrabiensis tria emerit prædia Golgonisa, Zelina, & Novum prædium, in propriis distincta terminis; & Golgonisa Templariis tradidit, Zelina vero, & Novum prædium Ecclesiæ Zagrabiensi in usus Canonicorum perpetuo habendum instituit. Supradicti vero Canonici, secundum temporis qualitatem, & hominum malignitatem provida cautione sibi & Ecclesiæ suæ consulentes, jam dicta prædia per successores Episcopos, vel per alios nec ab ipsis possent alienari, ab Apostolica auctoritate litterarum confirmationem impetraverunt. Nostram etiam serenitatem, intervenientibus Domini Apostolici petitionibus, postulaverunt; ut institutionem prænominati Prodani Episcopi, & confirmationem Domini Apostolici regiæ celsitudinis privilegio communiremus. Ego vero, ut dignum erat, justis petentium desideriis facilem præbui consensum; & quia vota eorum a rationis tramite non discordabant, affectu volui prosequente complere. Concurrens ergo grato assensu, eorum postulationibus prænominata duo prædia, Zelina videlicet, & Novum prædium, quæ bonæ memoriæ Prodanus Episcopus emit, in perpetuo Zagrabiensibus Canonicis habendum regia auctoritate institui, & privilegii regalis patrocinio communivi; sigillo etiam meo, & annuli mei impressione roboravi: statuens ut nulli hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, regalis excellentiæ iram se noverit incursurum; & decem marchas auri persolvat. Factum autem hoc privilegium anno Dominicæ Incarnationis MCLXXV. regnante gloriosissimo rege Bela III. secundi Geysæ regis filio; Job Strigoniensi Archiepiscopo existente, Paullo Colocensi Archiepiscopo existente, Notario Adriano, Farcasio Palatino Comite, Sabano Bano, Ugrino Zagrabiensi electo, & aliis compluribus ejusdem regni principibus existentibus.

Decretum Belæ III. regis.

Ugrinus vix integrum annum Zagrabiensis electi nomen gesserat, cum aut morte sublatus, aut quod vero similius arbitror, ad aliam Ecclesiam translatus est. Nam hic, ut Thomas Kovascevichius censet, videtur esse ille idem Ugrinus, qui anno 1198. in privilegio Emerici regis, Episcopus Jaurinensis nominatur.

Ugrinus forrasse ad Jaurinensem Eccles. translatus.

PRODANUS II. EP. ZAGRAB. XI

Abest ab omnibus catalogis Episcopalibus, in quibus præter unum, de quo ante Ugrinum, neminem alium hujus nominis Episcopum reperies. Sed alterum nobis exhibent monumenta illorum temporum, quem a Prodano primo distingui oportet; hic quippe an. 1175. jam mortem obierat, ut ex privilegio Belæ III. paullo ante descripto satis perspicue intelligitur: ibi siquidem memoratur *Prodanus condam Episcopus Zagrabiensis;* itemque *bonæ memoriæ Prodanus Episcopus*. In his vero, quæ dixi, monumentis tum anno 1175. tum huic proximo, alter Prodanus Episcopus Zagrabiensis invenitur. Paullus Ritterus ex veteribus quibusdam tabulis, in Concilio quodam Hungarico ad controversias nescio quas dirimendas coram Cardinali Gentili sedis Apostolicæ Legato productis anno circiter 1310. hæc tradit, Gualterium Albanensem Episcopum ab Alexandro III. in Germaniam & Hungariam missum fuisse, & anno 1176. Jaurini cum esset, ibidem de finibus diœceseos Zagrabiensis disceptatum esse *coram Andrea Colocensi Archiepiscopo, Miculino Guerinensi* (Jaurinensi) *electo, Georgio præposito Albanensi, R. Abbate S. Martini, & PRODANO Zagrabiensi electo;* sed legatus Pontificius, cum quid liqueret, non habere sibi videretur, rem injudicatam reliquit. Baranus Archidiaconus Zagrabiensis, ut est apud Balthassarem Kereselichium, quosdam agros cum emisset; Bela III. emptionem illam anno 1177. regali diplomate confirmavit, in quo nominatur *Prodanus Episcopus Zagrabiensis*. Ita Ugrinus inter utrumque Prodanum seniorem & juniorem interjectus, alterum ab altero distinguendum esse demonstrat. Huic Ecclesiæ præfuit annos fere decem, eique successor datus est

Prodanus II. Ep. a Prodano I. distinguendus.

TIMOTHEUS EP. ZAGRAB. XII.

De quo Kereselichius modo laudatus: *Hunc non solum vetus Ms. ex archivo Frangipanio, sed & Ritterus ex Zagrabiensis Ecclesiæ monumentis refert, addens exiguo tempore Ecclesiam gubernasse*. Nihil præterea de Timotheo litteris traditum invenio.

DOMINICUS EP. ZAGRAB. XIII.

Anno circiter 1190. Pontificatum suscepit, gessitque bene ac feliciter, sub regibus Hungariæ, Bela III., Emerico, & Andrea II. e quorum pietate ac munificentia plurimum utilitatis Ecclesia Zagrabiensis percepit. Belæ parenti primum Emericus natu maximus anno 1196. deinde Andreas Emerici frater anno 1204. vel sequenti in regnum Hungaricum successit; nam Ladislavus III. filius Emerici, & regni paterni hæres vel eodem, quo parens anno, vel proximo extinctus est. Emericus rex, ut Dominici postulatis morem gereret, tria sane munica diplomata fecit secundum Ecclesiam Zagrabiensem: primum anno 1198.; privilegia & immunitates ab regibus Hungariæ eidem concessas sua etiam auctoritate communivit. Decimas quorumdam vectigalium, quæ de proventibus Martium,

Tria privilegia Emerici concessa Eccl. Zagrab.

tium, sive, ut vocant, Marturinarum, & suilium gregum, regibus pendi solebant ab incolis dioeceseos Zagrabiensis, Episcopo attribuit. Donationem oppidi & territorii Chasmensis, quod huic Ecclesiæ ab Ladislavo traditum fuisse ait, confirmavit. Hujus privilegii initium est

Primum. hujusmodi: *Inter cetera virtutum exercitia, hoc nobis ad proventum supernæ remunerationis conferre dignoscitur, quo Ecclesiarum Dei jura diligenter protegimus, & a calumniarum importunitatibus provida dispositione salubriter expedimus &c.* Anno sequenti alterum in eamdem fere sententiam privilegium Ecclesiæ & Episcopo Zagrabiensi concessit; utrumque, & dioecesim universam cujuscumque Bani jurisdictione, omnique tributo exemit; & ex regiis vectigalibus integras sine ulla diminutione decimas persolvi jubet.

Secundum. *In nomine sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis Emericus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Crovaciæ, Ramæque rex in perpetuum. Quanto excellentiori beneficiorum commoditate regia celsitudo cælitus perpenditur visitari, tanto divinæ gratitudini obligatior, ex eorum efficitur acceptione; ut eo amplius de bonorum affluentiis, quæ summi dispensatoris nutu ad usus temporales sibi suppeditata sunt, vice reciproca beneficam ipsius clementiam tum in Ecclesiarum indigentiis sublevandis, tum in aliis pietatis operibus, quoad poterit, exercendis compellatur honorare. Volentes igitur quod in futuræ exultationis patria cum multiplici ubertate, Domino largiente, fructum afferat, in præsentis exilii, & luctus loco studiosius seminare; destitutioni, & dispendio temporalium, quod per guerræ tempestatem Zagrabiensis Ecclesia, ob fidelitatis constantiam coronæ nostræ efficaciter exhibitam, perpessa est, pietatis intuitu duximus consulendum. Concedimus itaque ut nulli Bano populum Ecclesiæ memoratæ pro descensu, seu marturinarum, sive prabendæ liceat exactione molestare; sed in omnibus his, tum Chosmagenses, tum Dumbrovenses, tum etiam populi Ecclesiæ, suo tantum teneantur Episcopo. Sancimus etiam, & statu incolumi volumus in posterum perdurare, ut tam de marturinis nostris, vel proventibus, qui loco marturinarum exhibentur, quam etiam de porcis, qui in Episcopatu Zagrabiensi colliguntur, ejusdem loci Episcopi decimas integrales sine ullius contradictione percipiant. Ut autem hæc regiæ serenitatis nostræ institutio perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam imaginis nostræ sigillo communivimus. Datum per manus Desiderii aulæ nostræ cancellarii, Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXXIX. Venerabili Job Strigoniensi Archiepiscopo existente, Reverendo Saul Colocensi Archiepiscopo, Calano Quinquecclesiensi Episcopo, Ugrino Jauriensi Episcopo, Adriano Transilvano Episcopo, Dominico Zagrabiensi Episcopo, Catapano Agriensi Episcopo, Joanne Chanadiensi Episcopo, Kalenda Vesprimiensi Episcopo, Mag. Palatino, & eodem Comite Bachiensi, Nicolao Bano, & eodem Comite de Zala, Nika Comite de Bikor, Fulcone Comite de Badarg, Stephano Comite . . . Ampudino Comite de Zonogh, Dionysio Comite Wyar.*

Extat denique tertium privilegium anno 1201. confectum, quo Emericus rogatu Dominici Episcopi, quidquid terrarum ac prædiorum religiosa antiquitas *Monasterio*, sive collegio Canonicorum, & Ecclesiæ Zagrabiensi contulit, per Thomam Canonicum Albensem perlustrari, recognosci, & suos cuique limites certos ac stabiles constitui jussit; omnia illa & singula loca nominatim percenset, ex eisque quidquam decerpi aut detrahi severe interdixit.

In nomine sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis Emericus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Ramæque rex in perpetuum. Arduum nobis regni negotium debito gubernantibus moderamine, plurimum expedire dignoscitur ut inter officii nostri sollicitudines... Ecclesiarum Dei salubriter admittamus, & earum quieti tanto diligentius consulamus, quanto perversitatem hominum ad juris ipsarum detrimenta cognoscimus promptiorem. Ea propter ad instantiam precum fidelis, ac dilecti nostri Dominici venerabilis Zagrabien. Episcopi dignanter inducti terras, ac prædia, quæ monasterio Zagrabiensi devota contulit antiquitas, per fidelem nostrum Thomam Albensem Canonicum fecimus collustrari, & sub generali collectione regia munire decrevimus auctoritate (sequitur descriptio bonorum Ecclesiæ Zagrabien. cum designatione confinium, & metarum). *Datum per manus Desiderii aulæ regiæ cancellarii, & Scybinien. Propositi, Anno Dominicæ Incarnationis 1201. Venerabili Job Strigonien. Archiepiscopo existente, Reverendo Saul Colocen. Archiepisc. Calano Quinquecclesien. Ugrino Jeuriensi, Adriano Transylvano, Catapano Agrensi, Jobe Canadiensi Episcopis &c.* Tertium.

Nec vero Andreas frater Emerici, qui antequam regni potiretur, principatum obtinebat in Dalmatia, Chrobatia, & Chulmia, suam erga Dominicum ejusque Ecclesiam beneficentiam desiderari passus est; siquidem an. 1201. eidem Episcopo petenti insulam Cajaniam in flumine Savo donavit, ut constat ex ejus diplomate, cujus initium hoc est: *Juris ratio videtur consulere omnium pie petentium vota animo sedulo, attentisque auribus admittere. Verum earum precum certior specialiorque debet esse receptio, quas personæ venerabiles, & causæ, pro quibus fiunt, faciant esse commendabiles; dignum enim est, & rationi consentaneum, ut in remedium & salutem transeat animarum indubitanter, quidquid Deo datur, vel dicatur Ecclesiis &c.* De possessione cujusdam loci, cui nomen Grabor, controversia erat Dominico Episcopo cum Petro Zadur. *Andreas Dalmatiæ, Chroatiæ, Chulmæque dux perpetuus, frater Emerici regis*, possessionem Episcopo, & Ecclesiæ Zagrabiensi adjudicavit anno 1200. *Comperimus*, inquit, *esse terram supradicti Episcopi, prædicto Petro plurium testimonio in jure convicto*. Sub initium Episcopatus aliam litem habuit de Kamenia, quod prædium erat Ecclesiæ Zagrabiensis bene cultum & frugiferum, cum quibusdam nobilibus viris, qui illud sibi vindicabant, suumque esse ajebant. Delectus est arbiter Calanus Episcopus Quinquecclesiensis, idemque Banus sive gubernator totius Dalmatiæ & Croatiæ; qui ex testificatione duorum Canonicorum Zagrabiensium, & trium Comitum curialium secundum Episcopum judicavit. Andreæ ducis erga Dominicum, & Ecclesiam beneficentia.

Sæculo duodecimo, quod jam prætergressi sumus, reges Hungariæ in Chrobatia & in eo loco dioecesis Zagrabiensis, cui nomen est Topliczæ, sive Topolticzæ, inter duos fluvios Unnam & Colapim, Abbatiam Toplicensem longe celeberrimam fundarunt, & monachis Cisterciensibus a coenobio Clarevallensi accitis possidendam tradiderunt. Hanc pluribus villis, castellis, latissimis fundis, terrisque frugiferis, tum Abbatia Toplicensis ab regibus Hungariæ fundata & Cisterciensibus tradita.

Digitized by Google

tum ab initio, tum aliis deinceps, atque aliis dotatam, amplissimis insuper privilegiis atque immunitatibus cumularunt. Sunt qui hujus Abbatiæ primordia inde usque ab anno tricesimo quinto sæculi duodecimi repetenda esse existimant; plerique tamen in annos extremos ejusdem sæculi rejiciunt. Ejusdem territorium tam longe ac late patebat, ut intra quatriduum vix totum peragrari, & obiri posset. Tota hæc regio sæculo decimo sexto non semel ab Turcis, sed iterum ac sæpius pervastata fuit, Monachi alio atque alio fuga dilapsi, cœnobium ac templum eversum. Ex ejus terris ac prædiis, quæ supersunt, annuos fructus partim Episcopus, partim Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis percipiunt.

Interea fervebat adhuc Andreæ Slavoniæ ducis dissidium adversus Emericum regem, quem majorem natum Andreas frater ab avito, debitoque regni jure dejicere conabatur, & civilibus armis alter alterum oppugnare non desistebat. Cælestinus autem Romanus Pontifex hoc nomine tertius, cum Emerici, ceu legitimi regis, patrocinium suscepisset, eos omnes jam anathemate perculerat, qui Andreæ partibus faverent, vel quamvis cum illo aut rerum, aut litterarum communionem haberent: hoc tamen nihil obstitit, quominus plures etiam e principibus Hungariæ, Dalmatiæque viris Andreæ se se conjungerent, quos inter Bernardus Archiepiscopus Spalatensis apertam cum illo societatem inierat. Quare vita functo Cælestino, Innocentius in ejus dignitatem suffectus & ab Emerico stetit, ut par erat, & litteris ad Bertholdum Colocensem Archiepiscopum, tum ad Gevriensem Episcopum, & Dominicum nostrum scriptis jussit, ut rite, ac publice edicerent, Spalatensi, & Hydruntino Archiepiscopis nominatim interdictum esse sacris omnibus, quippe qui contra Cælestini decretum cum Andrea scientes, volentesque omnino communicaverant. Extant hæ litteræ in Tom. 3. operis nostri cap. 2. §. 4. de Bernardo Spalatensi Antistite, quas hic integras exibemus; datæ sunt Laterani III. Kal. Januarii anno 1198. qui primus est Pontificatus Innocentii III.

B. Colocensi Archiepiscopo. V. Geurien. & D. Zagrabien. Episcopis.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum omnes communicantes in aliquo Andreæ fratri charissimi in Christo filii nostri Hungarorum regis illustris, qui scilicet, vel litteras sibi dirigerent, aut ab eo reciperent destinatas, vel eidem aliquod consilium, vel auxilium exhiberent, vel ei in aliquo communicare præsumerent, de mandato bonæ memoriæ Cælestini prædecessoris nostri excommunicationis fuerint vinculo innodati N. & A. post excommunicationem, & inhibitionem apostolicam eidem communicare scienter, consilium, & auxilium impertiri, & divina etiam præsumpserunt celebrare. Unde propter hoc in N. Hidruntin. & N. Spalatin. Archiepiscopos quamvis & illi excommunicationi subjaceant, ab eodem loco remunerationis contra juris ordinem sunt promoti. Quia vero tantæ præsumptionis audaciam in injuriam Dei, & contemptum sedis Apostolicæ attentatam impunitam relinquere non possumus, nec debemus, fraternitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus super præmissis inquirentes diligentius veritatem si rem ita noveritis se habere, præfatos N. & A. eorum illectionibus, immo verius intrusionibus penitus irritatis, excommunicatos publice nuncietis: & usque ad condignam satisfactionem faciatis ab omnibus arctius evitari; districtius inhibentes, ne quis ab eis obtentu electionum fidelitatem, obedientiam, vel reverentiam audeant exhibere. Nullis litteris &c. Quod si omnes &c. Datum Laterani III. Cal. Januarii.

Atque dubium sane nullum est, quin littera D Pontificiæ epistolæ titulo inscripta, a qua Zagrabiensis Episcopi nomen initium ducit, Dominicum designet; utrum vero quæ Innocentius scribit, ad Bernardum Spalatensem Archiepiscopum certo referenda sint, vide, quæ citato superius in loco hac de re disseruimus. Civilis Andreæ contra Emericum discordia quatuor circiter annos aut quinque adhuc tenuit; cum Emerico primum rege, postea Ladislavo Emerici filio at impuberi intra paucos menses exstincto, Andreas Hungariæ regnum adeptus est anno 1204. vel sequenti; cujus plura deinde, & eximia in Ecclesiam Zagrabiensem merita fuerunt. Dominicus vitam & Pontificatum usque ad annum hujus sæculi septimum perduxit. In æde cathedrali ante aram S. Michaelis humatum, & lapide rubeo marmoreo contectum tradit Joannes Archidiaconus; sed lapide jam inde antiquitus amoto, nullum ejus sepulchri vestigium extare ait.

GOTTHARDUS EP. ZAGRAB. XIV.

Cujus nomen tabulis archivi capitularis inscriptum reperitur anno 1209. itemque anno 1211. teste Rittero. Sed jam huic Ecclesiæ præsidebat anno 1207.; nominatur quippe in diplomate Andreæ II. regis, qui hoc anno eximiam suam pietatem ac beneficentiam declaravit erga Canonicos regulares S. Sepulchri Hierosolymitani, quorum ordo per Poloniam & Hungariam longe lateque propagatus cum multa in utroque regno domicilia, tum etiam in Slavonia domum S. Mariæ de Glogonicza obtinebant. Hanc siquidem septem villis & amplissima immunitate donavit, dum titulum Ducis gerebat; postea vero regni potitus eamdem donationem confirmavit; idque testatum esse voluit litteris publicis, tum omnium fere Antistitum Hungariæ, tum Gotthardi Episcopi Zagrabiensis nomine subscriptis. Sunt autem hujusmodi.

Diploma Andreæ II. bona & immunitates Canonicorum regularium S. Sepulchri regali auctoritate confirmantis.

In nomine S. Trinitatis & individuæ unitatis Andreas Dei Gr. Ung. Dalm. Ramæ, Croatiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ rex in perp. Pia & fidelis, & sancta devotio, qua peccata delinquentium eleemosynarum largitione redimi posse quivis Catholicus non desperat, ut ea, quæ humanæ conditionis fragilitate contra divina præcepta committuntur, benignitas indulgeat Conditoris, dum suis pauperibus misericorditer erogantur quæ ipsius misericordia ad sustentationem vitæ præsentis humano generi contulit possidenda. Hac igitur consideratione inducti pro salute animarum, & maxime progenitorum nostrorum, septem villas cum omnibus pertinentiis suis domui S. Sepulchri possidendas, tempore Ducatus nostri in Slavonia jure perpetuo contulimus, & in manibus præpositi Nicolai, qui tunc temporis eidem domui tam in Polonia, quam in regno Hungariæ præerat, per Presaldum nostrum, nomine Osen de villa Pagh, fecimus assignari. Postmodum vero in regni solium, solius Dei miseratione sublimati, tam a nobis, quam ab antecesso-

ribus

Digitized by Google

ribus nostris eidem domui in regno Hungariæ, collata auctoritate regia duximus confirmanda. Prædictarum vero septem villarum sunt super Glogoniczam tres, videlicet villa Cosmen, villa Poren, villa Uyssumeni; in Staliza villæ duæ, scilicet villa Predlanicza, & villa Sidovina; & ibi prope est villa Durte supra Resina fluvium; septima villa, videlicet Druse . . . Præterea eamdem domum tanta donavimus prærogativa libertatis, ut nullus eam aliquo exactionis genere audeat aggravare, neque de rebus, vel vineis ejus exigere tributum, vel aliam pensionem; omnibus etiam liberis hominibus, sive hospitibus, sive indigenis supra terram domus supradictæ habitare volentibus, liberam ibi sub potestate regia commorandi tribuimus facultatem: Domum quoque ejusdem Dominici Sepulchri in Marchia simili privilegio duximus muniendam; ut vero cujuslibet tributi sit exactione immunis, neque de rebus ipsius aliqua pensio, neque de vineis exigatur de cetero, contribuimus. Hanc enim libertatem sibi quondam concesserat recolendæ memoriæ frater noster, ut in authentico ipsius nobis constat, quod Magister ejusdem domus nostro conspectui præsentavit. Ut autem hæc a nobis facta concessio nullis umquam temporibus valeat retractari, præsenti eam pagina in notitiam deduci posterorum, & regiæ auctoritatis sigillo jussimus roborari. Datum per manus Roberti Albensis præpositi, & aulæ regiæ cancellarii, anno Dom. Incarnationis 1207. Joanne Strigoniensi Archiepiscopo, Bertholdo Colocensi electo; Calano Quinqueeclesiensem, Boleslao Vaciensem, Catepano Agriensem, Simone Varadinensem, Desiderio Chanadiensem, Kalenda Vesprimiensem, Wilhelmo Ultrasilvanam, Gothardo Zagrabiensem, Petro Sirmiensem Ecclesias feliciter gubernantibus. Copano filio Battyon, & Palatino curiæ, Chepano filio Michæ Bano, & Semigiensi Comite existentibus.

Quod auctoritate Apostolica postea communivit.

Donationem Andreæ regis post annos sex & quadraginta Innocentius IV. auctoritate Apostolica corroboravit.

Innocentius Episc. servus servorum Dei. Dilectis filiis FF. Dominici Sepulchri in Ungaria, & Sclavonia constitutis sal. & Ap. bened. Dum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigore æquitatis, quam ordo exigit, ratum habemus; & per sollicitudinem officii nostri justis postulationibus grato concurrentes assensu, septem villas cum suis omnibus appertinentiis, immo etiam subditis, & alia jura seu bona, quæ claræ memoriæ Andreas rex Ung. provida vobis pietate concessit, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, ut in ipsius regis scripto authentico continetur, vobis, & per vos Domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti testimonio communimus. Nulli ergo hominum liceat &c. Dat. Idib. Octob. Pontific. nostri anno undecimo, id est 1253.

Mortem Gotthardi Ritterus ad annum 1212. affixit, Kerchelichius in annum tertium vel quartum supra decimum hujus sæculi rejecit. Penes Dominicum sub lapide albo sepulchrum obtinuit, ut docet Joannes Archidiaconus.

STEPHANUS EP. ZAGRABIENSIS XV.

Vir eximiæ doctrinæ, prudentiæ, integritatis, tum Andreæ regi, tum ejus filio Belæ totius Slavoniæ Duci acceptus in primis & gratiosus; cujus initia episcopalia referri possunt ad annum circiter decimum quintum hujus sæculi. Andreas rex Hungariæ, ut voti paterni religione parentem, seque ipsum exsolveret, ac potissimum Innocentii III. & Honorii III. monitis atque hortationibus impulsus, ut quam Bela III. pater voverat, & morte præreptus assequi non potuerat, Hierosolymitanam expeditionem ipse susciperet (quippe eum pater moriens illius voti reum constituerat), ingentem ex Hungaria, & florentissimum exercitum collegit anno 1217. Profecturus in Dalmatiam, unde in Palæstinam, militibus, omnique bellico apparatu in eas naves imposito, quas a Venetis conduxerat, itinere maritimo trajiceret, Zagrabiam venit. Eum civitas propemodum tota obviam effusa, Episcopus, clerus, populusque perquam honorifice excepit. In ea civitate dies aliquot commoratus, Ecclesiam illam atque urbem plurimis & maximis beneficiis cumulavit. Ac primum quidem ædem cathedralem ab S. Ladislavo constructam sub nomine & auspiciis S. Stephani regis, sollemni ritu & cærimonia consecrari jussit. Deinde Episcopi & Capituli rogatu & vetera confirmavit, & novis insuper Ecclesiam, Episcopum, collegium Canonicorum privilegiis auxit; nec solum decimam quarumcumque rerum Ecclesiæ persolvi, sed etiam populos illos, qui vel Episcopo, vel Capitulo subjecti essent, ab omni tributo, & cujuscumque Bani, ac Dynastæ jurisdictione liberos atque immunes esse jussit: quæ omnia diplomate amplissimo, quæ *Bulla aurea* dicitur, & regiæ auctoritatis validissimo præsidio communivit.

Andreas rex in Palæstinam profecturus Zagrabiam venit,

Ecclesiam, Episcopos, Capitulum novis privilegiis auxit, & vetera confirmavit.

Andreæ regis diploma, sive Bulla aurea.

In nomine sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis amen. Andreas Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæque rex in perpetuum. Venerandi regiæ stirpis successores, tam diligentem, tam circumspectam in suorum antecessorum donationibus, & institutis, & in his maxime, quæ ad Dei cultum, & honorem deputata sunt, debent habere providentiam, ut si qua parte vel annosa temporum canicie, vel importuno malignantium impetu vacillare viderint, non tantum in melius immutare, verum etiam immutata suæ auctoritatis munimine studeant in perpetuum roborare. Hujus itaque regiæ circumspectionis eruditione moniti, præsentium, atque posterorum notitiæ clarescere volumus: Quod cum essemus in exequendo itinere assumptæ crucis, injuriam Crucifixi ulcisci volentes, ad sanctam terram proficiscendo; & venissemus ad Zagrabiensem Episcopatum ac monasterium Zagrabiense a S. Ladislao rege sanctissimæ recordationis prædecessore nostro constructum, qui terram Sclavoniæ sive Banatum ab errore idololatriæ ad Christi unitatem convertens, coronæ Hungariæ subjugavit, qui etiam in eodem Banatu Episcopatum instituit & monasterium in honorem S. Stephani regis construxit, & Ecclesiam per venerabiles Episcopos dedicari fecissemus; Episcopus, & Capitulum ejusdem loci nobis humiliter supplicando postularunt, ut nos omnia privilegia super prædiis, possessionibus, & libertatibus, aliisque redditibus, tam a S. Ladislao rege primo fundatore Ecclesiæ, tam etiam a prædecessoribus nostris, præsertim a fratre nostro felicis recordationis Henrico rege, quam etiam pie a nobis collata, secretioris, & solemnioris sigilli nostri, videlicet aureæ Bullæ munimine confirmaremus. Nos igi-

igitur eorum justis petitionibus inclinati, grato volentes occurrere assensu, habito consilio magnatum nostrorum, omnia privilegia prædictæ Ecclesiæ in medium fecimus deduci, & per Cancellarium nostrum Ugolinum de verbo ad verbum coram multitudine perlegi, & cum nihil contradictione dignum poterat inveniri, in eisdem omnia privilegia nostra, & prædecessorum nostrorum renovando, secundum quod in eisdem singulis continetur, aureo sigillo nostro confirmamus & etiam auctoritate nostra adjungendo firmiter statuimus, ut de cetero nullus Banus, sive sit de regali progenie, sive de magnatibus Hungariæ præsumat populos prædictæ Ecclesiæ coram se aliqua occasione in judicium trahere, aut alicujus rei occasione descendere, aut etiam marturinas, seu quamcumque collectam quocumque nomine nuncupatam exigere; sed potius firmiter injungendo Bano, sive Duci loco, & tempore constituto, præcipimus, quod decimas marturinarum omnium, seu omnium collectarum quocumque nomine nuncupatarum, Episcopo plenario & sine contradictione aliqua & dilatione, quantum limes Episcopalis concludit, persolvat, decimam etiam omnium tributorum forensium, sive decimas, proventus pontium, quorum sunt, si illi solvere noluerint, cogendo eos cum gravi judicio, ut ceteris metus in similibus incutiatur, solvere compellat. Statuimus etiam firmiter, ut populus Ecclesiæ sive sit Episcopi, sive sit Capituli, in nullius foro tributum solvere cogatur, nec etiam tributarii vel salinarii regis, causa exercendæ suæ negotiationis, contra Episcopi voluntatem vel officialium suorum, ad aliquod forum Episcopi accedere præsumant; & si inventi fuerint, capti, in carcere quadraginta diebus detineantur, omnes res suas, quas tunc erga se habent, amittentes. Istud specialius adjiciendo, statuimus, quod licet nunquam moneta regalis in regno Banatus sive Ducatus fuerit ab aliquo rege facta, tamen a successoribus nostris si fieri contingat, quod non credimus, populus Ecclesiæ, tam Episcopi, quam capituli mercimonia sua vendendo, vel emendo, dare non compellatur pro eadem; nec etiam monetarii ad aliquod forum Episcopi caussa exercendæ monetæ accedere aliquo modo præsumant; & si inventi fuerint per 40. dies capti ab officialibus Episcopi in carcere detineantur, omnes res, quas tunc erga se habent, amittentes. Hæc igitur omnia prædicta a nobis, & a prædecessoribus nostris statuta, quæ ab eis, & a nobis usque nunc sunt observata, sic firmiter in perpetuum a filiis, & hæredibus nostris volumus observari, ut in nullo excedere videantur, acceptando aliquid contra jura prædicta, quæ tam a nobis, quam a fratre nostro felicis recordationis rege Emerico, quam etiam a fundatore prædictæ Ecclesiæ sanctissimo rege Ladislao, vel etiam ab aliis regibus, sive ducibus sunt concessa & collata; & si aliquis Banus sive dux aliquid contra prædicta jura attentare præsumpserit, quod non credimus, si fuerit de regali progenie, paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percutiatur, & nunquam ad coronam, quam hæreditario jure habere debebat, possit pertingere; sed toto tempore vitæ suæ sit vagus, & profugus suisque satiari non valens, sed semper aliena mendicans. Si autem fuerit de nobilibus Hungariæ, & citatus fuerit ab Episcopo ad regis præsentiam, antequam Episcopo respondeat, quinquaginta marcas fisco regio & alias quinquaginta Episcopo, rege eodem fortius compellente, persolvat. Ut igitur hæc omnia, quæ a nobis, & ab omnibus prædecessoribus nostris sunt collata, & concessa, nostris nostrorumque successorum temporibus irrefragabiliter salva semper, & inconcussa in perpetuum possint permanere, sigilli nostri, videlicet Aureæ Bullæ munimine fecimus roborari. Datum per manus magistri Ugolini aulæ regiæ cancellarii Anno ab Incarnatione Domini MCCXVII. Venerabilibus Joanne Archiepiscopo Strigonien. Rev. Roberto Archiep. Colocen. existentibus Calano Quinqueecclesien. Episcopo, Villelmo Transilvan. Episcopo, Simeone Varadien. Episcopo, Roberto Vesprimien. Episcopo, Desiderio Chanadien. Episcopo, Jacobo Vacien. Episcopo, Petro Jaurien. Episcopo, Stephano Zagrabien. Episcopo, Thoma Agrien. electo, Episcopis Ecclesias feliciter gubernantibus; Jula Palatino Comite existente, Dionysio Tavernicorum Magistro, & Comite Novi Castri, Debud curiali Comite, Banvo Bano, Ropboyn Vaivoda, ceterisque Comitibus Comitatum tenentibus. Regni nostri Anno XIII.

Erat tunc Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis Cyriacus vir singularis fidei, & probitatis, qui ab rege petiit, interpositis etiam suorum collegarum precibus, impetravitque, ut prædia & omnia bona Ecclesiæ Zagrabiensis ex regum & piorum hominum liberalitate acquisita, suis quæque & nominibus distincta, & terminis definita, regio diplomate sigillatim exprimeret, ne umquam in oblivionem abirent; atque ut illorum huic Ecclesiæ permaneret stabilis & certa possessio, regali auctoritate decerneret. Diploma describimus, ut est apud Kerselichium, cum ejus notis hac parenthesi ( ) inclusis. Alterum rogatu Cyriaci Præpositi majoris privilegium Ecclesiæ Zagrab. concessit.

In nomine sanctæ Unitatis, & individuæ Trinitatis. Andreas Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæque rex in perpetuum. Quod accedens in nostram præsentiam Cyriacus Zagrabiensis Ecclesiæ Præpositus, cum suis Concanonicis, quæ tam propter diversitatem voluminum, quam propter diuturnam temporum annositatem, seu etiam propter donationis recentiam, si quæ nullius auctoritatis suffulta fuerant testimonio, & non adeo bene conservari poterant, verbo ad verbum rescripta, cum in susceptæ peregrinationis essemus procinctu, sub hac serie nostræ præsentarunt audientiæ. 1. Terram Zagrabiensis Ecclesiæ donatione nostri patris Belæ inclytæ memoriæ, jure perpetuo suscepit possidendam (Hæc terra in Comitatu Crisiensi creditur, fors data a Prodano Episcopo, ob Corusca, quæ in metis ponitur; ubi fit mentio Clavigerorum, ad metam Clavigerorum; item Crucigerorum, & Templariorum)

2. Terra, quam Totar quidam donavit in Comitatu Crisiensi, a porta lapidea ad Bogasceva &c.

Item Toplicza, quam Alexius condam Banus contulit (Metæ &c.)

Item Rabuch, quam pater noster Bela contulit (Metæ &c.)

Item Premba, quam quidam nobilis nomine Petrus contulit; quæ ad hoc, ut Ecclesiæ pluries dictæ ceram solveret, deputata est (uti dicitur): & ibi est meta populorum regii, (item) ab Oriente dividit Terram cum populo regis.

Item Terra Zaversya, quam Joannes Præpositi Cyriaci avunculus contulit.

Item Opor, quam Blasius vir felicis memoriæ, condam Abbas S. Martini contulit, incipit versus Orientem a via regis &c.

Item

Item Opor, quam Blasius vir felicis memoriæ, condam Ablas S. Martini contulit; incipit versus Orientem a via regis &c.

Item Cassina, quam quidam nomine Utha cum suis fratribus contulit (ubi commetatur cum terra Templariorum, & sub iisdem continetur Kralievez, et Zvibilia)

Item Meta Podogoriensis Prædii, quam Martinus Banus fidelis noster indigentiam Zagrabiensis Ecclesiæ considerans contulit, dicta S. Petri de Volavia, aliter Petrovin.

Item Terra, quam quidam nomine Zamar filius Dalai contulit (cum metis).

Item Terra, quam Nadizlaus contulit a rivo, qui dicitur Cosnicza, (ubi fit mentio cujusdam Hualk).

Item Blata, quam Endus contulit, (post cujus metas &c.)

Insuper ut Ecclesia sæpedicta contra cujuslibet falsæ cavillationis seminarium, quod emergere posset in posterum, terras, quas Baran Decanus, Reznich videlicet, Zepnicza, Brezt, terras Szibench, Wthe, Tarnova, cum terra Cocani, & Dals, quam Nues Bachachiensis Præpositus eidem Ecclesiæ contulit, prout in nostris earum veritas continetur privilegiis, cum quadam insula nomine Prevlaka, cum tribus clausuris piscaturæ, quas memoratus Baran decanus eidem Ecclesiæ contulerat, sed occupatus morte, nondum super hoc impetrare potuerat privilegium... tranquilla pace possideat in perpetuum, præsentium serie censuimus annotare: in his omnibus nostro fideli, & dilecto Bezad Comite, auctoritate, & præcepto nostro, Procuratore hujus negotii existente.

Item cum ea, quæ Deo dicata sunt, firma sint, & irrevocabilia, præsentium atque posterorum notitiæ commendamus. Quod cum Stephanus Zagrabiensis Episcopus, quasdam terras Pribeseu, Odra, Zzik eidem Ecclesiæ contulit, sed cum postea falsa suggestione donationem duarum terrarum Odra & Zzik molitus esset retractare; sed nostra pace, nec non consilio, ad plenam pacem, & jurisdictionem quievisset Ecclesiæ, prout in authentico summi Pontificis, & Colocensis Archiepiscopi chirographo continetur; Nos etiam præsenti privilegio dignum duximus confirmare. Cæterum sicut supra meminimus, cum Ecclesiam sæpe nominatam, annuente Domino, quod jamdudum desideravimus, dedicari fecimus, & eam in majori dotare non possimus, suis competenter necessitatibus, & maxime quia sitam in regni nostri confinio sicut de aliis Ecclesiis fecimus, hanc nostram rarissime visitare possimus; juxta tenorem privilegii fratris nostri Henrici regis præclaræ memoriæ, has sibi libertates concessimus; quatenus universi populi, qui ad eam pertinent, nec Bano nec Vicebano, nec alicui in victualibus, & descensibus, vel in marturinis, vel in judiciis, vel ullius umquam occasione rei, respondere teneantur. Quin etiam, ut de jure memoratæ Ecclesiæ, ante nostræ circumspectionis oculos nihil indiscussum remaneat, supra memoratus Cyriacus Præpositus Zagrabiensis, vir discretus, in agendis providus, terras suas, & suorum fratrum Quintiani & Bucchan, Cassina, & Blagussa, cum insula juxta rivum Zava, cum quadam terra nomine Tupal, quam nos sibi dedimus, & novo prædio Dolsicza, cum his etiam, quæ in territorio Kemlek ad eos pertinent, in protectionem & jurisdictionem Zagrabiensis Capituli contulit... (eximendo iterum a Bani, & Vicebani judicatu; addendo): Si vero memoratum Buccham super aliqua causa tam ardua, quæ per Zagrabiensis Ecclesiæ conventum, & ejus ministeria ad plenum definiri non posset, contingeret impeti, tam eum, quam alios ab omnium exemptos judicio, regiæ solummodo potestatis discussioni volumus reservari.

Prima vero meta terræ Cassina incipit &c. (referendo metas Cassinæ, Tupal, Dolsicza: quibus positis prosequitur)

Sane quia sæpe nominatam Ecclesiam omnimoda volumus libertate perfrui, donationem quam quidam Ægidius nomine, quem a jurisdictione Banatus per nostrum privilegium cum suis terris ad petitionem nostri fidelis Cyriaci Zagrabiensis Præpositi eximimus, factam confirmavimus.... Verum quia facili lapsu rei gestæ memoria mentes mortalium deserit, ut hujus negotii, deliberatione legitima, per nos pertractata ratio, contra quodlibet privilegium in hujus paginæ præjudicium, per Bankonem, vel Ochuz Comitem, vel per quempiam alium, nobis ignorantibus impetratum, quod in respectu præsentis privilegii cassum esse debet penitus, & inutile, salva semper & inconcussa permaneat; præsentem chartulam nostris successoribus, jurejurando commendavimus illibate conservandam, autoritatis nostræ charactere in perpetuum roboratam. Datum per manus magistri Ugrini aulæ regiæ Cancellarii; Anno ab Incarnatione Domini MCCXVII. Venerab. Joanne Archiepiscopo Strigoniensi, Rever. Bertholdo Archiepiscopo Colocensi existentibus, Calano Quinqueeclesien. Episcopo, Vilelmo Ultrasilvano Episcopo, Simone Varadien. Episcopo, Roberto Vesprimien. Episcopo, Desiderio Chanadien. Episcopo, Jacobo Bacsiensi Episcopo, Petro Jaurien. Episcopo, Stephano Zagrabien. Episcopo, Thoma Agrien. electo, Episcopis Ecclesias feliciter gubernantibus; Jula Palatino Comite existente, Dionysio magistro Tavernicorum, & Comite Novi Castri, Ochuz curiali Comite, Bakone Bano, Rosoin Vaivoda, cæterisque Comitibus, Comitatus tenentibus. Regni nostri Anno XIII.

Anno 1221. Andreas voto paterno persoluto, & sacra expeditione perfunctus, ex qua cognomen Hierosolymitani adeptus est, in Pannoniam redit; & cum Zagrabiam iterum adiisset, corpus unius de illis sanctissimis infantibus, quos Herodes Christi caussa interfici jussit, e Palæstina delatum in sacrario ædis cathedralis deposuit, ut auctor est Benedictus Vinkovichius Episcopus, quod etiam loculo ligneo inaurato inclusum ibidem asservatur, & festo die Sanctorum Innocentium publicæ venerationi expositum summa civium frequentia & religione colitur. Tertium privilegium Ecclesiæ Zagrabiensi concessit, ex quo Balthasar Adamus Kereselich pauca fragmenta decerpsit: *Aliud Andreæ II. privilegium*, inquit, *vel donatio recitius: De nostris terris propriis (ut ibidem loquitur) scilicet de terris castri Zagrabiensis, terras videlicet, Rodus, Vidasse, Kupuk, & Brachbe, a castro Zagrabiensi exceptas, Ecclesiæ perpetuo possidendas contulit; & per Reynolt certis limitibus undique distingui præcepit, metas ordine recensendo; ubi meminit terræ populorum regis. Dicit item: Et medietas aquæ Zavæ pertinet ad Ecclesiam, concludens: Datum per manus Cleti aulæ regiæ Cancellarii, & Agriensis Præpositi Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI. Venerab. Joanne Strigoniensi, Rev. Ugrino Colocensi Archiepiscopis existentibus, Desiderio Chana-*

Andreas rex e Palæstina reversus iterum adiit Zagrabiam,

& terras quasdam eidem Ecclesiæ attribuit.

nadiensi, Vilelmo Ultrasilvano, Roberto Vesprimiensi, Thoma Agriensi, Stephano Zagrabiensi, Alexandro Varadinensi, Bartholomæo Quinqueccclesiensi, & aliis Episcopis Ecclesias feliciter gubernantibus. Nicolao Palatino, & Comite Soproniensi, Ochuz Bano, Paulo Vayvoda, Jula curiali Comite Reginæ & Comite Rindrugiensi, Dionysio magistro Tavernicorum, & Comite Bacsien., Bunkone curiali Comite regis, & Comite Alben. Demetrio Senescalco & Comite Vasvariensi, Laurentio filio Ochuz magistro Pincernarum, & Comite Kevien. existentibus. Regni nostri Anno XVIII.

Stephanus Belam filiū Andreæ parenti conciliavit.

Bela filius Andreæ regis, Dux totius Slavoniæ, ipse quoque aliquid suæ liberalitatis ac beneficentiæ in Stephanum derivare voluit, ut meritam ei gratiam referret, quod perniciosas & exitiales, quæ sibi erant cum parente, discordias mira dexteritate, & prudentia sedavit, cum eas componere multi & primarii proceres nequidquam conati fuissent, & filium cum patre in pristinam gratiam restituit. Villam siquidem *Pzeram* nomine detractam ex territorio regali castri Zagrabiensis, Stephano ejusque successoribus in perpetuum possidendam tradidit anno 1222. *cujus* (id est Stephani) *discretione procurante* (ut est in ejus diplomate), *præ cæteris regni primatibus, discordia inter Patrem nostrum, & nos olim exorta, & ad inæstimabile regni detrimentum succrescens, est ad concordiam revocata, & universa gens variis perturbationum procellis in pace collocata &c.*

Iste Stephanus, ait Balthasar sæpe laudatus, *pacis studiosus fuit; hinc amicis & benefactoribus pluribus gaudebat Ecclesia. Summo omnium dolore, & perenni sui desiderio MCCXXVII. obiit mense Januario.* Sed Paulus Ritter ad quintum & vicesimum hujus sæculi annum, itemque Thomas Kovascevichius revocavit.

An idem ille, quem apud Honorium III. P. accusavit Capitulum Ceretinense?

Vereor ne hic Stephanus videatur esse ille idem Episcopus Zagrabiensis, quem tacito nomine commemoratum invenies in epistola Honorii III. anno 1223. Ille vero enormium flagitiorum infamia laborabat, quem Magister Primogenitus, Præpositus, & Capitulum Ecclesiæ *Ceretinensis*, de sacra æde flammis devastata, de homicidio, de manibus in quosdam Canonicos violenter injectis, de mysteriis divinis, dum anathemati suberat, temere celebratis, & indigne perceptis, atque aliis de criminibus ad Pontificem detulerant. Ecclesia *Ceretinensis* ubinam loci sita esset in diœcesi Zagrabiensi, & quænam fuerit, mihi non est compertum. Hoc vocabulo Ecclesiam Zagrabiensem designari mihi quidem non fit verisimile; Chasmensem potius fuisse dixerim; & licet plerique primordia Capituli Chasmensis referenda censeant ad Stephanum II., qui Stephano primo proxime successit, hic tamen verius restitutor, & amplificator fuit, quam auctor & conditor ejusdem Capituli, cui longe ante Stephanum II. suus erat Præpositus, & sub eo collegium Presbyterorum, sive Canonicorum, qui diurnæ nocturnæque Psalmodiæ operam dabant, ut postea dicemus. Epistolæ Honorianæ deest inscriptio; sed inscriptam fuisse Patribus Dominicanis Bzovius tradit in Annalibus Prædicatorum: *Is ipse*, inquit, *Pontifex Honorius fratribus ordinis Prædicatorum commisit executionem quamdam hoc anno (1223.) contra Episcopum Zagrabiensem multorum gravissimorum criminum reum, a Canonicis ejus Ecclesiæ accusatum.* Hanc ipsam epistolam Honorii lectoribus exhibeo ex supplemento Bullarii Dominicani pag. 5.

Honorii III. P. Epistola.

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Insinuantibus olim nobis dilectis filiis Magistro Primogenito subdito nostro, Præposito, & Capitulo Ecclesiæ dictæ Ceretinensis, quod Venerabilis frater noster Zagrabiensis Episcopus, loci diœcesanus, Ecclesiam ipsam incendio vastarat, homicidium perpetraverat, & pro injectione manuum in quosdam ejusdem Ecclesiæ Canonicos violenta, vinculo excommunicationis adstrictus, divina temere celebraverat absolutionis beneficio non obtento, multisque erat aliis criminibus irretitus; nos ad clamorosam insinuationem vobis ... inquisitionem sub certa forma duximus committendam. Sed sicut nuper dictus Præpositus exposuit coram nobis, licet vos ... diligenter in commisso vobis inquisitionis negotio procedentes quæ invenistis, nobis juxta mandati nostri tenorem sub vestris sigillis remiseritis fideliter interclusa, præfigentes partibus terminum competentem, in quo nostro se conspectui præsentarent, eodem Præposito cum quibusdam suis Canonicis, in præfixo eis termino propter hoc ad Sedem Apostolicam accedente; memoratus tamen Episcopus, utpote sibi conscius, nec venit, nec misit aliquem responsalem. Ne igitur idem Episcopus de sua contumacia videatur commodum reportare, discretioni vestræ per Apostolica scripta iterum mandamus, quatenus ipsum in festo Nativitatis Dominicæ proxime futuro, quod ei, & parti alteri pro peremptorio termino assignamus, per se, vel responsalem idoneum, nostro se propter hoc conspectui repræsentet, auctoritate nostra, cessante appellatione, cogatis. Datum Signiæ V. Idus Julii, Pontificatus nostri anno septimo, idest 1223.

Epocha epistolaris congruit cum Episcopatu Stephani I. qui ab anno circiter 1215. usque ad annum quintum vel septimum supra vicesimum hujus sæculi Ecclesiæ Zagrabiensi præfuit, ut docent Scriptores supra laudati. Verum enimvero in actis Stephani, cunctisque annis ejus Episcopatus, tot ac tam enormium scelerum ne vestigium quidem reperitur. Quapropter nisi si quis alius Episcopus, cujus nomen interciderit, inter Stephanum utrumque interjectus fuerit, cui annos aliquot Stephano primo detractos, & præsertim annum 1223. attribui oporteat, ego sane ad quem spectet epistola Honorii, & quem feriat, plane ignoro.

STEPHANUS II. EP. ZAGRAB. XVI.

Nobilissima & opulentissima familia ortus; quippe, ut ait Thomas Archidiaconus cap. 41. Historiæ Salonit. *erat in auro & argento locuples valde, & aliis etiam divitiis opulentus*; sed rebus præclare gestis, & præsertim plurimis, & maximis in Ecclesiam Zagrabiensem meritis, quam genere & opulentia, longe illustrior; nec minori, quam decessor, apud Andream regem, & hujus filios Belam & Colomanum gratia præpollens. Thomas Kovascevichius primordia Stephani II. Episcopi repetenda censet ab anno 1225. *ut plures*, inquit, *ejus litteræ docent*; nec sane ab eo anno dimoveri possunt; quippe quibusdam suis litteris, infra suo loco describendis, hanc duplicem chronologicam notam subjecit: *Anno Domini 1235. Pontificatus nostri anno X.* Prima ei cura fuit, ut de communi habitatione Canonicis accommodaret; cum enim inter se diversi & disjuncti,

Ædes communes prope basilicā Cathedralem Canonicis assignavit.

Digitized by Google

cti, alii propius, alii longius ab æde cathedrali habitarent, sæpe fiebat, ut eorum aliqui choro abessent, vel in tempore non adessent: *Curiam suam, & domos in ea extructas pro inhabitatione illis contulit, ut amplius distantia locorum voluntati ipsorum occasionem impedimenti nequeat ministrare, sed in unum convenientes valeant salubriter quotidianum officium Domino decantare*. Hæc Kovalcevichius ex ejusdem Stephani litteris. Idem confirmat Kereselichius: *Curiam vicinam Ecclesiæ, cum piscina juxta eam existente, quæ prius, ut idem Stephanus ait, a fundatione Ecclesiæ, Capituli fuit, eidem restituit; sesque sponte sua ad paranda ædificia pro habitatione communi necessaria obligavit ... An hæc perfecerit Stephanus non constat; ob bella, ac Tartarorum incursiones, vix effectum res sortita est*. Ambitus ædium Canonicorum, & quod spatii ante conspectum ædium extenditur, dicta est *Area Capitularis*.

Mensæ capitularis inopiæ consuluit. Cum mensa capitularis proventibus admodum exiguis instructa esset, ejus egestatem sibi sublevandam esse putavit: *Considerantes diligenter*, inquit, *nostri Capituli nimiam paupertatem & inopiam, videlicet, quod unusquisque fratrum nostrorum in reditibus non possit habere plus in anno, nisi valens marcam & dimidiam, & nos, immo Episcopatus noster per omnipotentis Dei gratiam abundaret in omnibus bonis &c*. Ac primo quidem Toplicam, terram non exiguam & satis frugiferam a mensa Episcopali avulsam Capitulo restituit; hanc siquidem antea possidebat clerus Zagrabiensis, sed cum alio quodam prædio commutata in jus Episcopale transierat; nec vero prædium illud, quo cum facta fuerat commutatio, Canonicis ademptum recepit. Jus exigendi duas marchas a Capitulo, itemque hospitandi apud Canonicos, quod Episcopi habebant, vel usurpabant, remisit. Decimas omnes, quas e parœcia castri Zagrabiensis, itemque ex Archidiaconatu Goricensi, sive Guerchensi percipiebant Episcopi, Canonicis donavit; & alia præterea multa contulit ad proventus mensæ capitularis augendos; item quidquid Canonici ex Episcoporum, & piorum hominum liberalitate possidebant, ab Gregorio IX. diplomate Pontificio muniendum firmandumque curavit. Ad hæc: suis Canonicis potestatem fecit testamenti condendi, & quæ quisque possidet, cuicumque vellet, legandi; si quis autem intestato mortuus esset, decrevit, ut ejus bona non ad Episcopum, sed ad Capitulum devolverentur: *Item*, inquit, *fratres nostri decedentes plenam habeant facultatem de rebus suis disponendi &c*. Antea siquidem Canonici Zagrabienses hujusmodi facultate carebant, quam sæpe postulaverant, numquam tamen impetrare potuerant ab Episcopis superiorum temporum; in jus autem & arbitrium Episcopi bona omnium Canonicorum e vita decedentium, quasi caduca, & fisco addicta perveniebant.

Canonicis potestatem fecit testamenti condendi.

Nihilo minorem Ecclesiæ, quam Capituli commodis utilitatibusque augendis curam impendit. Prædium quoddam inter fluvios Dravum & Muram centum & quinquaginta marchis emptum, itemque Villam territorii Simigiensis a Bela filio regis Andreæ, ob fidelem operam ac perutilem eidem præstitam, sibi donatam, Ecclesiæ suæ perpetuo possidendam ac fruendam tradidit. Ab Andrea rege privilegium impetravit, quo statutum est ac decretum, ut vel decimæ omnium frugum, itemque vini Episcopo solverentur, vel pro decimis tantum unusquisque contribueret, non quantum quidem Episcopus vellet, sed quantum rex ipse ex æquo & bono decerneret.

Jus percipiendi decimas sibi ab Andrea rege confirmandum curavit.

Diploma regium. *Andreas Dei gratia Hungariæ rex omnibus, quibus scriptum patuerit, salutem, & omne bonum. Ad universorum notitiam volumus pervenire; quod constitutus in nostra præsentia, & nostrorum Jobagionum in curia tunc existentium, noster dilectus Stephanus, & fidelis, Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopus Venerabilis cum magna instantia a nobis postulavit, asserens hoc de jure sibi competere, ut aut secundum instituta Veteris Testamenti, per totam suam diœcesim justas decimas omnium frugum in specie, videlicet frumenti, siliginis, hordei, avenæ, milii, melis, & omnium leguminum, & etiam vini, integraliter ac plenarie sibi, aut secundum antiquam bonam, & approbatam consuetudinem totius Hungariæ, quæ vim legis obtinet, singula pondera pro singulis capetiis persolvere faceremus. Nos vero tam Episcopo prædicto juste deferentes, quam diœcesariis eisdem misericordiam facientes, licet eidem Episcopo grave videretur, habita super hoc non modica deliberatione, communi omnium Jobagionum nostrorum consilio provide statuimus, ut justas decimas omnium frugum in specie, sicut prædiximus, aut pro duabus capetiis unum pondus persolvatur: ita tamen, quod quicumque aut de duabus capetiis unum pondus, aut in specie solvere noluerit, & Episcopus propter hoc secundum formam Ecclesiæ in ipsum contumacem excommunicationis sententiam intulerit, nos merito & juste excommunicationem illatam firmam servabimus, & ratam habemus. Et ne Episcopus ipsos populos super hoc iterato possit infestare, formam rei instantis, præsentem paginam duplici sigillo nostro per manus Bulchu Gennensis Præpositi, & aulæ nostræ Cancellarii fecimus roborari. Anno Dominicæ Incarnationis 1229.*

Controversia de Pago Rassecha, quæ Episcopo & Canonicis erat cum Templariis, per transactionem composita. De pago quodam Rassecha nomine, ejusque territorio, Stephanus & Canonici, Magistro, & fratribus Militiæ templi Hungaricæ litem intulerant; quæ coram Colomano filio regis Andreæ, eodemque rege Galiciæ & Slavoniæ, diu multumque variis contentionibus agitata cum fuisset, componi tamen nequiverat. Ugrinus Archiepiscopus Colocensis permissu regis delectus est arbiter, qui monuit eos, si saperent, ut transigerent, nam ex tabulis & testibus utrinque productis, unde jus staret, non apparebat. Res igitur per compositionem sic transacta est, ut Episcopus & Canonici Rassecham Magistro & fratribus Templariis possidendam relinquerent; hi vero aliud territorium, quod prope Dravum, & Vaschæ terræ Episcopali finitimum possidebant, illis traderent. In hanc compositionem pars utraque consensit, & fidem suam interposuit, polliciti neutros alteris super ea re in posterum quidquam litigii aut molestiæ illaturos; qui promissis non starent, iis centum marcharum argenti mulctam subeundam esse: quæ omnia publicis litteris testata esse voluerunt; sed cum in illis nomen Colomani unica littera C. expressum esset, qui exemplum indidem sumpsit, per summam inconsiderantiam pro *Colomano rege* exscripsit *Carolum regem*, qui ætate longe posterior fuit. Andreas duos habuit filios, Belam natu maximum, quem regni Hungariæ heredem designavit, & Colomanum, cui principatum Slavoniæ Belæ ademptum, & Haliciæ sive Galiciæ (quæ

Digitized by Google

(quæ regio est in Valachia, ut Æneas Silvius, vel in Russia Rubra citra Tyram, ut alii tradunt), itemque Bosnæ, cum regali titulo impertiit: quare in tabulis illorum temporum alias *rex Galitiæ & Sclavoniæ*, alias *Dux Sclavoniæ & rex Bosniæ* appellatur. En tabulas compositionis.

Tabulæ compositionis.

Ugrinus Dei gratia Colocensis Archiepiscopus universis tam præsentibus, quam posteris præsentes litteras inspecturis, salutem in vero salutari. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod cum inter Venerabilem Patrem Stephanum Dei gratia Zagrabiensem Episcopum, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ ex parte una, ac viros Venerabiles, ac Religiosos, Magistrum, & fratres domus Militiæ templi per regnum Hungariæ, & Sclavoniæ exorta super quadam terra dicta Rassecha coram illustri Carolo (Colomano) rege quæstio diutius verteretur, tandem partibus in nostra præsentia constitutis, de prudentum virorum consilio, pro bono pacis inter partes amicabilis compositio coram nobis intercessit; talis videlicet: quod dicti Magister, & fratres totam terram illam quam habent ultra Dravum versus Sclavoniam terræ dicti Domini Zagrabiensis Episcopi, quæ Vasca dicitur, contiguam, quam terram Benedictus quondam Banus dictæ Domui templi in salutem animæ suæ in puram contulit eleemosynam, Zagrabiensi Ecclesiæ contulerunt perpetuo possidendam, tali siquidem conditione subjuncta, quod dictus Zagrabiensis Episcopus, & suum Capitulum nomine suo, necnon & successorum suorum nomine interveniente, stipulatione solemni, bona fide coram nobis firmiter permiserunt, quod super dicta Rassecha nihil omnino reclamabunt: renunciantes in hoc facto omni juri, & actioni reali, & personali, si quid haberent, vel habere viderentur in dicta terra, tam canonico, quam civili, privilegio fori, rescriptis omnibus, tam impetratis, quam impetrandis, & omnibus, quæcumque sunt inter partes acta. Renunciantes iterum privilegiis omnibus prius, vel posterius impetratis, nec non & omnibus, quæ possunt dictis Episcopo Zagrabiensi, & suo Capitulo prodesse, & dictis Domus templi fratribus obesse; promittentes etiam sub præmissa stipulatione solemni, quod si prædictæ formæ pacis præsumerent contraire, ipsius in posterum suscitando litigium, in foro Ecclesiastico, seu etiam seculari, de cætero nullatenus audirentur. Cæterum ad majorem roboris firmitatem partes ambæ coram nobis firmiter promiserunt, sub pœna centum marcarum argenti, quod si partium aliqua, ducta temeritate qualibet, a compositione præmissa resiliret, pars illa, quæ præsumeret a compositione præscripta recedere, vel litem de cætero suscitare, parti alteri formæ præmissæ compositionis innitenti, ac tenenti, dictam pœnam centum marcarum sine conditione, seu contradictione qualibet teneretur solvere; & pœna soluta nihilominus compositio præmissa firma semper, & stabilis penitus habeatur. Suprascriptis etiam duximus advertendum, quod præfatus Zagrabiensis Episcopus, & Capitulum pro parte sua ad hoc se coram nobis obligaverunt spontanee, quod si aliquis dictos fratres Templares super terra Massecha vellet impetere, vel inquietare, præfatus Zagrabiensis Episcopus, & Capitulum, dictos fratres contra omnes molestantes protegere pariter ac defendere tenerentur, & ipsos super hoc indemnes in omnibus conservare, juxta suæ possibilitatem facultatis. Ad hoc item etiam viceversa dicti Fratres sub præmissis conditionibus obligaverunt se, & domum suam, quod ipsi dictam terram suam supra Dravam, quam Ecclesiæ Zagrabiensi pro pace contulerint, contra omnes molestantes defendere tenebuntur. Ut igitur præmissa compositio, prout superius est expressa, firma semper & stabilis, perpetuis temporibus observetur, ad petitionem partium, ac de voluntate ipsarum, præsentem paginam super hoc conscriptam, nostro, ac nostri sigillo Capituli Colocensis fecimus communiri. Cæterum ad majoris roboris firmitatem, memoratus Zagrabiensis Episcopus, & Capitulum suum, & Magister domus templi præsens scriptum sigillorum suorum appensione confirmarunt. Datum est hoc Colociæ in Ecclesia Majori Beati Pauli Colocensis, & a partibus utrinque coram nobis approbatum. Anno Dominicæ Incarnationis 1230. mense Majo.

Chasma oppidum Slavoniæ.

Chasma oppidum & territorium erat Comitatus Zagrabiensis, ab amne interfluo denominatum; utrumque S. Ladislavus Episcopo & Ecclesiæ Zagrabiensi donaverat. Aeris salubritate, locique amœnitate illecti Episcopi Chasmensem Zagrabiensi commorationem prætulerunt. Arcem itaque ædificarunt, ubi satis commode, & pro dignitate habitabant; statis vero & sollemnibus anni temporibus Zagrabiam ad functiones episcopales obeundas se conferebant. Cum ibi Stephanus more superiorum Antistitum domicilium haberet, oppidum sacris profanisque ædificiis, & frequentia incolarum augere statuit. Templum ingenti mole sumptuque sub titulo S. Mariæ Magdalenæ extruxit. Ante oppidum planities erat longe lateque explicata, quam pluribus ædificiis & colonis illuc deductis frequentavit, appellavitque *Chasmam novam*. Hic templum S. Spiritus ædificavit, & collegium Canonicorum de consensu Capituli Zagrabiensis novum instituit, aut vetus e veteri Chasma illuc traduxit, quibus domicilia tradidit, quæ prope templum construxerat. Duodecim esse voluit, jure ac potestate illos eligendi sibi, & successoribus reservata, quos prædiis, vineis, aliisque terris frugiferis, ac decimis locupletavit. Proventus illis collatos itemque privilegia iisdem concessa descripsit Balthasar Adamus Kercselich his verbis: *Capitulo autem Chasmensi, quod ex XII. constare voluit, donavit terram de veteri Chasma cum metallibus; decimas de nova Chasma; decimas de Monozlo omnes, excepto vino, ex quo 200. tantum cubulos eis concessit; medietatem tellonii de nova Chasma; tres vineas; molendinum de Grabronza cum sufficienti terra pro cultura; item mancipia aliquot; item duas capellas S. Joannis Baptistæ, & S. Martini, in eorum prædiis ad usum mensæ communis; salvo Archidiaconi jure, quo ad præsentatorum per Canonicos confirmationem; reditus parochiæ de nova Chasma, cum auctoritate judiciorum spiritualium in eadem nova Chasma. Subditos autem ab omni exactione, censu, aut servitute Episcopo, aut Præpositis etiam Chasmensibus præstanda exemit; sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, inhibens Præposito, ne ullam molestiam inferat Capituli subditis: quibus glandinationem, pascuationem in episcopalibus silvis ea ratione indulget, ut de porcis suo Capitulo decimam solvant. Lectori, cantori, & custodi, de portionibus, quæ dividi solent inter Canonicos, duas portiones designat; & insuper*

Stephanus novam Chasmam ædificavit & collegium Canonicorum ibidem collocavit.

Ecclesiam S. Crucis de Kyris Cantoriæ contulit. Hæc Capituli Chasmensis restauratio (sive institutio) *fuit a Stephano II. facta, ab Andrea rege Hungariæ, & Colomano Galiciæ & Sclavorum rege approbata, & Gregorio Papa IX. confirmata.*

Præpositū Chasmen. instituit, eique duos Archidiaconatus in perpetuum annexos esse voluit.

Sacerdotium Chasmense primarium instituit, quem Chasmensis quidem Capituli Præpositum vocavit, sed eum tamen aggregatum esse voluit ad collegium Canonicorum Zagrabiensium, inter quos quartum honoris, ac dignitatis locum tenere jussit, cum eoque unum vel duos Archidiaconatus Guefchensem, & Szinczensem, cum quarta parte decimarum ex utroque, in perpetuum conjunxit; de quo idem Kerefclich: *Præpositus Chasmensis unus ex Zagrabiensi Capitulo, quem ex tribus vel quatuor Zagrabiensibus Canonicis ipsi Chasmenses eligerent, ut Episcopus confirmaret, semper esset. Præpositus iste dignitas est, ob quod Archidiaconatum Guesche, & Szincze ipsi perpetuo, cum quarta abinde decimarum conjunxit, aliisque Archidiaconalibus proventibus; prædium item Biienik attribuit; & sic eum seorsim a Capitulo dotavit; ob quæ, usque ad hæc tempora, separatus a Capitulo, eorum est Præpositus.*

Sunt qui existimant neque Capituli, neque Præpositi Chasmensis primordia referenda esse ad Stephanum II. Episcopum; sed utrumque ab eo restitutum vel reformatum esse, ac præsertim uberrimis proventibus dotatum & auctum fuisse ajunt. Nam cum S. Ladislavus vel a sorore vidua Svinimiri regis, vel a proceribus Chrobatiæ, ad regnum illud occupandum invitatus, copias Dravum flumen traduxit, apud Chasmam collegium Presbyterorum reperit, inter quos duo nominantur *Laurentius & Timotheus Capellani;* quos autem nunc Canonicos dicimus, eos antiquitus *Capellanos* appellatos fuisse opinantur; & collegia presbyterorum quid aliud erant, nisi concilia & cœtus virorum ecclesiasticorum jure canonico sociati, quæ nunc Capitula vocantur. Itaque Chasmæ jam tum erat Capituli cujusdam si non perfectio, at rudis tamen quædam imago atque adumbratio. Ajunt præterea sub Emerico rege quædam statuta & decreta coram *Capitulo Chasmensi* in tabulis illorum temporum reperiri. Quid quod ante Stephanum II. suus erat Chasmensis *Præpositus;* nam ex monumentis superiorum annorum constat quemdam nomine Philen fuisse Præpositum Chasmensem, qui deinde in locum Cyriaci vita functi suffectus, fuit Præpositus major Zagrabiensis. Sed utcumque, sive auctor fuerit Stephanus sive restitutor Capituli & Præpositi Chasmensis; utriusque certe absoluta & perfecta conformatio Stephano attribui debet; qui & novam Chasmam condidit, & duodecim Canonicos ibidem collocavit, & templum S. Spiritus exstruxit, in quo illi quotidianæ psalmodiæ, ac liturgiæ operam darent; & quod caput est, tum Canonicis, tum Præposito Chasmensibus annuos proventus assignavit, ac leges vitæ socialis & canonicæ descripsit. Habeo equidem tabulas sive instituti sive reformati Capituli & Præpositi Chasmensis, sed non integras: in his ait Stephanus se reperisse in illis partibus circa Chasmam gentes silvestres, indomitas, æque humanarum ac divinarum legum ignaras, quas a fera illa agrestique vita ad humanitatem, & Christianæ disciplinæ mores, laboriosissima cura, & industria revocavit. Ex illis plerosque in Chasmam Novam colonos deduxit, ibique Canonicos collocavit, qui eos sacrarum functionum & cærimoniarum varietate ac majestate illectos, ad Deum pie riteque colendum excitarent. In his privilegia illis collata, & fundos assignatos, & suis terminis circumscriptos enumerat.

Ante Stephanum erat Chasmæ collegium Presbyterorum.

Diploma fundati a Stephano vel restituti auctique Capituli Chasmensis.

Stephanus II. Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis. Universis paginam præsentem inspecturis salutem in vero salutari. Cum salubribus exhortationibus divinæ pietatis, suaviter cuncta disponentis, regnum cælorum, quo nobis omnia subjiciuntur, prius, & principalius quærere doceamur; utique spretis oblectationibus vitæ, & rerum transitoriarum, Dominicam admonitionem exequentes, qui membra summi & principalis sumus capitis, imitari eum, cui connectimur, debemus. Quoniam quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, consideratione perpetuæ beatitudinis vilescit, & sordescit. Sed quia multa foventur in cassum præsentis etiam vitæ longa desideria, cum brevis sit, qua pergitur, & stricta via; non desistit increpare, ut relictis inanibus, & incertis, semper Deum, & finem nostrum præ oculis nostris habentes, mercari debeamus æterna. Tandem cum juxta vocem Apostolicam spectaculum facti sumus huic Mundo, & hominibus; juxta talentum unicuique divinitus administratum, aliis condescendendo, & compatiendo erga charitatis custodiam desudare debemus; ut hac consideratione cæteri ducti ad veritatis appetitum, gloriæque consecutionem animum ferventius applicare conentur, ut exemplo virtutum assumpto, in æterna felicitate justis socientur. Cæterum quia mundus deceptivus & senescens, simul cum incerti temporis labilitate vacillatur, & dilabitur; ne processu temporum, vel hominum memoria dilabi possint, vel alienari, ea quæ cauta, & discreta deliberatione disponuntur; litterarum testimonio debent perennari, & posterorum memoriæ diligenter recommendari; Universitati igitur omnium volumus declarare, quod dum nos, divina favente gratia regimen in Ecclesia Dei recipere meruimus pastorale, licet inter silvestres, & indomitas gentes positi, in primo introitu nostro salubri meditatione quædam bonæ spei principia, Deo dante, incæpimus inchoare, nec tamen decrevimus terrori supradicti populi cedere. Quos licet per multos labores Christi fides jam suscepit diligendos, ubi enim humanum posse non adfuit, divinum adjutorium nostro proposito vires ministravit. Opitulante siquidem gratia Spiritus Sancti construximus Ecclesiam in Nova Chasma, in villa videlicet, quam nos fecimus congregari; in qua creavimus, & stabilivimus Præposituram, & Capitulum ex duodecim Canonicis; tamen ex voluntate, & consensu dilectorum in Christo fratrum nostrorum Capituli Zagrabiensis, ea videlicet intentione, ut quanto plus nomen divinæ magnitudinis debet extolli, tanto plures suis servitiis salubriter adeptentur. Auctoritatem autem instituendi Præpositum nobis, & nostris successoribus reservavimus. Illud etiam sciendum, quod auctoritatem constituendi, & destituendi Canonicos, & cætera spiritualia in eadem Ecclesia exercendi, nobis, & nostris successoribus pleno jure reservavimus. Sed quia in Ecclesia supradicta ad laudem Dei constituti sustentationibus, & necessariis hujus vitæ transitoriæ carere non possunt, propter tenuitatem

red-

redditium, anneximus præposituræ supradictæ Archidiaconatum de Guetcha pleno jure Archidiaconatus cum quarta videlicet omnium decimarum & cæteris redditibus Archidiaconatui provenientibus. Contulimus etiam jam dictæ præposituræ quoddam prædium, quod Byenik vocatur cum omnibus redditibus, & pertinentiis suis, videlicet Marturinis, & omnibus decimationibus Jobagionum suorum, nec non aliis redditibus de ipsis provenientibus pleno jure perpetuo possidendum. Ita tamen supradicta, quæ præposituræ statuimus, & anneximus, Præpositus pro tempore constitutus sine Capitulo possidebit; ne, quod absit, per seminatorem zizaniæ controversia inter eos seminetur. Præterea dilectis in Christo Fratribus Nostris Capitulo videlicet supradictæ Ecclesiæ Spiritus Sancti, statuimus, & contulimus, sine parte Præpositi, pleno jure, & perpetuo terram de veteri Chiasma cum omnibus redditibus, & pertinentiis suis, marturinis videlicet, & omnibus &c. Cujus terræ metæ hoc modo continentur. Prima meta incipit a ponte, qui est super fluvium Maxawcha, per viam quæ ducit ad Sanctam Elisabeth, inde vadit descendens per eumdem fluvium versum Meridiem, & declinat de eodem fluvio ad arborem, scilsa cruce signatum, inde tendit superius ad parvum fluvium, qui potok dicitur, itur, & vadit ad finem ejusdem potok, & ibi est meta terrea inter dumos avellanarum, inde vadit ad aliam metam terream eam, quæ est juxta viam, inde vadit versus occidentem ad quendam fluvium, qui dicitur Katren. ad arborem tiliæ, & est ibidem meta terrea, inde transit dictum fluvium versus occidentem, & vadit per planitiem montis ad metas terreas quæ sunt juxta viam, inde tendit versus Ecclesiam sanctæ Crucis inferius, & cadit in potok, qui dicitur Bachapotoka, et est ibi meta terrea; inde tendit superius per dictum potok & ascendit superius ad viam, & sunt ibi metæ terræ, & inde per viam eundo transit versus septentrionem.

Præterea concessimus, & statuimus lectoriæ, cantoriæ, custodiæ ejusdem Ecclesiæ in omnibus victualibus, quæ dividi solent in duas partes: Illud tamen universitati omnium innotescimus, quod licet auctoritate instituendi Præpositum nobis, & nostris successoribus, prout supradictum est, pleno jure reservaverimus, tamen jus, & voluntatem eligendi Præpositum suum supradicto Capitulo Chasmen. pleno jure concessimus. Ita tamen quod de dilectis in Christo fratribus nostris, Capitulo Zagrab. de tribus videlicet, & quatuor fratribus, quos nos, vel nostri successores præsentabimus, unum eligent, juxta suæ voluntatis beneplacitum. Et sic per ipsos de Præpositi ipsorum electione celebrata, Episcopus pro tempore constitutus, electum Præpositum confirmabit. Subjungimus etiam, quod omnia supradicta capitula statuta, & collata sine parte, & auctoritate Præpositi, pleno jure, quiete, & pacifice Capitulum possidebit: si vero Præpositus Capitulum, vel ipsorum populos de sensu, vel aliquo facto molestaverit, seu juri ipsorum derogaverit, ipso facto sententiam excommunicationis se noverit incurrisse. Cum igitur juxta coadjutorium divinum cuncta prædicta divino honori, & servitio convenientia, habito salubri, & perfectiori consilio rite, & discrete disposuerimus, præ labente temporum curriculo, vel Mundi statu varietate, ea, quæ digne, & salubriter ordinavimus, & stabilivimus, infringi possint, vel alienari, præsentes litteras nostras sigilli nostri, nec non Capituli Zagrab. munimine roboratas contulimus, confirmationem, & robur hujus nostri facti, & dispositionis perpetuæ. Ita quod, nec nostri successores, nec alii præsentem nostram dispositionem poterint infringere, vel revocare. Si quis tamen huic nostræ dispositioni attemptare, vel contraire præsumpserit, indignationem Dei, & S. Spiritus, cujus Ecclesiam persequitur, se sentiat incurrisse. Si quis vero circa eadem statuta bonus, & fidelis extiterit, in examine districti judicii ad dexteram Dominicam collocatus justi judicis dulci levamine mereatur confoveri. Anno Domini 1232.

Post restitutum sive restauratum ac reformatum Capitulum Chasmense, primum Præpositum eidem præfecit Ugrinum virum eximiæ nobilitatis & doctrinæ, filium fratris Ugrini Archiepiscopi Colocensis; de quo Thomas Archidiaconus cap. 47. hist. Salonit. *Fuerat vir litteratus, & naturali facundia præditus, & maxime in divina pagina eruditus. Studuerat enim Parisiis annis fere duodecim in Theologica facultate, subministrante sibi Scholasticos sumptus Ugrino Colocensi Archiepiscopo patruo suo.* Huic autem, cum Archiepiscopus Spalatensis electus ac designatus fuisset anno 1244., alterum Zoiim nomine substituit. Post aliquot annos Innocentius IV., rogatu Præpositi & Capituli Chasmensis, quæ Stephanus utrisque large effuseque donaverat, auctoritate Apostolica communivit. (Ugrinus primus Præpositus Chasmensis.)

Innocentius Papa IV. Præposito, & Capitulo Chasmen. Ecclesiæ Zagrabien. Diœcesis. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ex parte siquidem vestra petitio nobis exhibita continebat, quod Venerabilis Frater noster Zagrabiensis Episcopus, Ecclesiæ vestræ, quam propriis, ut asseritis, fundavit sumptibus, de dote competenti providere intendens, terras, possessiones, redditus & alia bona de rebus Ecclesiæ Zagrabien., prout ei licuit juxta canonicas sanctiones, ejusdem Ecclesiæ Capituli Zagrabien. accedente consensu, contulit; cum alias donationem de bonis Ecclesiæ Zagrabiensis aliquam non fecisset. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo provide factum est, in hac parte ratum habentes, terras, possessiones, & alias res prædictas, sicut eas juste & pacifice possidetis, & hoc in grave detrimentum Ecclesiæ Zagrabiensis non redundat, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere &c. (Innocentii IV. Epistola ad Præpositum & Capitulum Chasmense.)

Dat. Lugduni Id. Apr. Anno IV., id est 1247.

De decimis tum Comitatus Simigiensis trans Dravum, tum quarumdam Ecclesiarum cis Dravum in diœcesi Vesprimiensi, vetus erat controversia Episcopo & Canonicis Zagrabiensibus cum cœnobiarcha & monachis S. Martini. Cœnobium S. Martini S. Stephanus primus rex Hungariæ anno 1002. in sacro monte Pannoniæ fundaverat, & optimis vectigalibus instructum monachis Benedictinis tradiderat; cujus cœnobii primus Abbas fuit S. Astricus sive Anastasius, deinde primus itidem Archiepiscopus Colocensis. Utrinque decimas exigebant & colligebant Episcopus & Canonici; repetebant, & sibi eas deberi cœnobiarcha & monachi contendebant. Horum missu jussuque Procurator (Controversia de decimis, quæ Episcopo & Canonicis erat cum Abbate & Monachis S. Martini.)

Digitized by Google

cœnobii, Romam profectus, apud Innocentium III. actionem repetundarum instituit, & pro jure monasterii obtinendo privilegium S. Stephani regis suprema trium Romanorum Pontificum auctoritate confirmatum proferebat. Aderat etiam Procurator Episcopi & Capituli, qui caussam utriusque tuebatur; ajebatque ex illis sive regiis, sive pontificiis privilegiis non effici quod Abbas proposuerat, & volebat. De consensu partis utriusque dati sunt judices, qui ex allatis in utramque partem rationibus, tabulis, testimoniis controversiam dirimerent, ac sententiam ferrent. Interea dum lis erat sub judicio, utrique varia tum Innocentii III. & Honorii III., tum Gregorii IX. rescripta, quæ provisionalia vocant, impetrarunt. Cum judices delegati alias ex aliis sententiæ ferendæ moras interponerent, res iterum delata est ad tribunal curiæ Romanæ. Stephanum Episcopum Romam ad suam caussam agendam adiisse videtur colligi posse ex quodam ejus diplomate, in quo ait se villam Custosiam Capitulo donasse, non solum ut Canonicorum egestati subveniret, sed etiam ut eidem gratiam referret pro centum, & viginti marchis argenteis, quas illi ad sumptus, quos in eam litem iterque Romanum fieri oportebat, contribuerant. *Cum*, inquit, *Fratres nostri suæ paupertati parcere nolentes juvissent nos, cum laboraremus in curia Romana pro deliberanda Ecclesia nostra contra Abbatem S. Martini in centum & viginti marchis argenti.* Sed cum apud Romanam curiam nec rite, nec legitime ex juris formula lis contestata fuisset; alterutrum enim, vel utrumque defuit, quod ad petitionem, & inficiationem legitimam pertinebat; idcirco ne institui quidem cognitio caussæ, nedum finis huic controversiæ imponi potuit. Diuturni certaminis contentione defessi, ut forensibus concertationibus, & gravioribus impensis parcerent, tandem ad hanc utrique compositionem devenerunt, ut Abbas & Monachi decimas omnes Comitatus Simigiensis Episcopo & Canonicis colligendas relinquerent; hi vero jus exigendi decimas ab illis, quæ cis Dravum erant Ecclesiis dimitterent, illudque Abbati & Monachis integrum vel traderent, vel restituerent; & insuper Episcopus Abbati pro sumptibus, quos in eam litem fecerat, marchas argenti quinquaginta solveret. Gregorius Papa IX. rogatu utriusque partis eam compositionem approbavit, & Apostolicæ auctoritatis præsidio communivit.

per compositionem dirimitur.

Gregorius IX compositionem approbavit.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo, & dilectis filiis Capitulo Zagrabien. salutem, & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane tempore felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri dilectus Abbas S. Martini de Pannonia pro se, ac conventu suo petiit a te, frater Episcope, ac Canonicis Zagrabiensis Ecclesiæ, quorum procurator ad hoc in judicio comparebat, decimas omnium frugum, & aliarum rerum partis Comitatus Simigien. quæ est ultra fluvium Dravum, nec non & capellarum S. Barnabæ, S. Crucis, & S. Trinitatis existentium in Vesprimien. diœcesi citra Dravam, cum fructibus perceptis ex ipsis, & omne jus suum in judicium circa præmissa deducens, privilegium S. Stephani regis, & confirmationes piæ memoriæ Alexandri, Urbani, & Clementis Romanorum Pontificum, ad intentionem suam fundandam super principali produxit. Ad quæ procurator vester utcumque respondit, & tam receptio testium, quam causæ cognitio, fuit certis judicibus de partium voluntate commissa. Verum post longi temporis tractum, post diversa rescripta a prædecessoribus nostris, & nobis obtenta, tandem ad Apostolicæ Sedis examen negotium est reductum. Cui finem sententia dare non potuit, eo quod litis contestationem legitimam acta judicii non habebant. Quia vero litis protractio nonnunquam dispendia gravia post se trahit, sumptibus, atque laboribus litigantes atterere consueta; inter te, ac præfatum Abbatem concordi tractatu præhabito hujusmodi compositio intervenit; videlicet quod dictus Abbas pro se, & monasterio suo decimas, & omnia alia, quæcunque comprehendere poterat ejus petitio, ultra fluvium Dravam infra Zagrabien. Diœcesim versus Sclavoniam, tibi, & Ecclesiæ Zagrabien. ex toto pacifice, ac quiete dimisit, promittens pro se, ac monasterio suo, quod super præmissis te, ac successores tuos, vel tuam Ecclesiam judicio, vel extra judicium, nullo unquam tempore molestabit. Tu vero pro te, ac Ecclesia tua decimas quatuor capellarum scilicet S. Mariæ, S. Trinitatis, S. Barnabæ, & S. Crucis versus Ungariam, & quidquid juris in eisdem capellis habebas, Abbati, & monasterio memoratis dimisisti pacifice, & quiete. Ceterum pro quibusdam fructibus, & expensis quinquaginta marchas argenti, ad pondus Ungariæ bonorum, & electorum frisatricorum vendentium, & ementium, tam pro possessionibus, quam rebus aliis commercio competentium, prout vendi consuevit, & emi apud castrum, quod Alba communi vocabulo nuncupatur, te soluturum Abbati, aut ejus certo nuntio promisisti, ita quod medietatem summæ prædictæ usque ad festum proximum Purificationis B. M. ad aliam medietatem usque ad Kalendas Augusti proximo tunc futuri, absque diminutione aliqua persolves. Denique compositionem hujusmodi proprio juramento firmatam, tu, & idem Abbas postulatis humiliter Apostolicæ Sedis munimine roborari. Cum igitur finem litibus desideremus imponi, & litigantium concordiam amplectamur, compositionem prædictam gratam, ac ratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ejus se noverit incursurum.

Datum Reatæ XI. Kalendas Augusti Pontificatus nostri anno VI. idest 1232.

In eamdem sententiam, & iisdem verbis, litteras dedit ad cœnobiarcham, & monachos S. Martini; itemque ad duos alios ejusdem ordinis Abbates, atque ad Archidiaconum Vesprimiensis & Jauriniensis Ecclesiæ. His autem mandavit, ut sedulo curarent, ne alterutra pars eam compositionem violaret; atque ad eam accurate servandam utrosque compellerent. Inscriptio his tertiis litteris præposita est hæc: *Gregorius Papa IX. . . . de Bochon, & . . . de Tichon Abbatibus . . . & . . . Archidiacono de Roba Vesprimien. & Jaurien. diœc. &c.* Initium vero non absimile a prioribus litteris: *Tem-*

In eamdem sententiam scripsit tum ad Abbatem & monachos S. Martini, tum ad duos alios Abbates, atque ad Archid. Vesprim.

Digitized by Google

Tempore felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri dilectus filius Abbas S. Martini de Pannonia pro se & conventu suo petiit ab . . . Episcopo & Canonicis Zagrabiensis Ecclesiæ, quorum procurator &c. Cetera ut in litteris supra descriptis usque ad verba illa *gratam habentes*, quibus hæc subjicit: *Nostri favorem impertimur assensus; & volentes ut observationis plenarie sortiatur effectum, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus compositionem ipsam faciatis inviolabiliter observari, contradictores &c. Quod si non omnes &c.*

Datum Reate x. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno VI.

Proventus Capituli Zagrabiensis duabus villis auxit.

Stephanus, ut proventus Capituli augeret, duas suæ, & episcopali mensæ villas ac terras frugiferas detraxit; unam nomine Custosiam Capitulo donavit, sed tabulas donationis non habemus, alteram Pancratio Canonico Custodi, qui eam, ut ad mensam Capitularem adjungeret, emere voluit, & viginti marchis vendidit; quam quidem pecuniam non in suam, sed in Ecclesiæ utilitatem convertit: tabulas venditionis, & pretii accepti confecit in hæc verba:

Stephanus Dei gratia Zagrabiensis Episcopus litteras præsentes nostras inspecturis salutem in Domino. Agnoscant præsentes & futuri hanc paginam inspecturi: Quod Magister Pancratius Cantor Zagrabiensis curam gerens animæ suæ, utpote vir spiritualis, & homo totius religionis, ac honestatis, quamdam terram Zagrabiensem significatam Crogh, quæ ad nostra aratra pertinebat, nobis quidem non necessariam, propter amplitudinem possessionum, & copiosam aratrorum, quæ in locis plurimis, & diversis divino adjutorio acquisivimus, ordinavimus, multiplicavimus abundanter; Capitulo vero Zagrabiensi perutilem, & valde necessariam, tanquam juxta ipsos existentem, eos omnino angustantem, & qua ipsi plurimum indigebant, & de qua guerra frequentissima, & discordia oriebatur inter nostram familiam, & Capituli supradicti, pro 20. marcarum pretio sibi vendi postulavit, ut emptam ad utilitatem & proprietatem transferret Capituli sæpefati, perpetuo possidendam. Nos igitur piam dicti cantoris intentionem benigno favore prosequentes, & nostrorum fratrum utilitati, procurata solicitudine juxta nostram consuetudinem providentes, petitioni condescendentes cantoris sæpefati, præmemoratam terram vendidimus eidem pro pretio prætaxato in jus & possessionem Zagrabiensis Capituli sine aliqua occasione, & dilatione devolvendam; & pretium recepimus integraliter ad utilitatem nostræ Ecclesiæ illud totaliter erogantes. Ut autem præfata venditio perpetuam habeat, & irrefragabilem firmitatem, præsentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno Domini 1235., *Pontificatus nostri anno decimo.*

Mors Andreæ II. regis Hungariæ: duos reliquit filios, quos ante obitum reges appellaverat.

Hoc eodem anno 1235. Andreas II. rex Hungariæ mortuus est; duos filios reliquit Belam & Colomanum, utrumque, dum viveret, regio titulo decoravit. Extat privilegium Belæ, datum anno 1230. in quo se ipse appellat regem: *Ego Bela Dei gratia rex primogenitus regni Hungariæ . . . Cum voluntate Patris nostri, & maturo principum terræ nostræ consilio perpetuitatem donationum inutiliter factarum revocaremus, obtulit nobis &c.* Colomanus vero in tabulis illorum temporum, superstite parente, alias, ut supra diximus, *rex Galliciæ & Sclavoniæ*, alias *rex Croatiæ & Bosniæ* appellatur. Et hic quidem dominatum earum provinciarum, quas a patre acceperat, post hujus obitum cum titulo regio obtinuit; Bela vero natu maximus hoc nomine IV. in regnum totius Hungariæ parenti successit. Stephanus Episcopus in magna gratia erat, atque existimatione apud Belam & Colomanum; quorum patrocinio, & benevolentia fretus, cum mire cupidus esset augendæ dignitatis & suæ, & Ecclesiæ Zagrabiensis, id moliri cœpit, ut simul atque diem suum obiisset Guncellus Spalatensis Archiepiscopus, Spalatensem cum Ecclesia Zagrabiensi conjungeret, jure ac titulo metropolitæ itemque Primatis ad hanc sedem translato. Ut quod volebat, & conabatur, assequeretur, preces Belæ & Colomani, qui ejus optatis & conatibus favebant, apud Sedem Apostolicam interposuit. Sed obstabat Matthias Archiepiscopus Strigoniensis, idemque Primas totius regni Hungariæ, qui suam primatialem potestatem diminui ægre ferebat, & duos in eodem regno Primates esse posse negabat; obstabat Ugrinus Archiepiscopus Colocensis, qui Ecclesiam Zagrabiensem ab sua provincia divelli nolebat; obstabant in primis Spalatenses, qui nullo prorsus modo adduci poterant, ut Ecclesiam suam dignitate ac potestate Primatiali & metropolitica spoliare paterentur. Itaque justa horum expostulatio & repugnantia plùs valuit apud Gregorium IX. quam gratiosa duorum illorum regum petitio. Ne tamen videretur nihil dare omnino velle regiis postulatis, rem hujusmodi usque ad obitum Guncelli Archiepiscopi Spalatensis differendam esse respondit. Interea clades Tartarica non multo post secuta Stephani cogitata & consilia discussit, alioque avertit. Hæc Paullus Ritterus ex antiquis monumentis se accepisse testatur apud Balthasarem Adamum Kerselichium.

Stephanus Ep. Spalatens. cum Zagrabiensi Ecclesia conjungere conatur.

Remetensis cœnobii initia prope Zagrabiam.

Andreas Eggererius religiosæ S. Paulli familiæ alumnus, ac Sacerdos hoc anno 1240. initia consignat Remetensis cœnobii, & cultus originem per idem ferme tempus Deiparæ, quam Remetensem appellant, exibiti. Locus haud a Zagrabia procul, invius tamen, atque desertus Hungarica lingua *Remete* dictus est, unde cœnobio, & Marianæ ædi cognomen inditum, quippe eremi speciem intra duorum collium abditum, incultumque recessum exibeat. Hic Isquirino cuidam ex eadem D. Paulli familia a Capitulo Zagrabiensi donatus coli subinde, frequentarique cœpit, cum quædam ibidem Virginis statua miraculorum fama, ac celebritate inclaruit, quibus quodcumque hominum genus juvari se sensit præsenti Deiparæ numine: quare & cœnobium ipsum pia Hungaricorum regum, & Zagrabiensis Capituli munificentia auctum est, prædiisque locupletatum, & Mariana ædes inter celebriora Slavonici olim regni templa populorum concursu, atque veneratione hactenus habetur. Rei hujusce narrationem ita Eggererius exposuit in proœmio opusculi de statua Remetensi ab se conscripti, pag. 1. *Statua hæc sacra, Natales suos facile a 400. & amplius annis commemorat, ab anno videlicet 1240.; eadem illi fere ætas cum suo cœnobio; quamvis oratorium eo tempore tantum fuisse constet. Devotus & simplex Eremita Frater Isquirinus nomine a B. Stephano altero Ordinis nostri post B. Eusebium moderatore, eo cum obedientia missus locum illum desertum non difficulter a Venerabili Capitulo Zagrabiensi impetra-*

tra-

travit, quem & successu temporis, fundis quibusdam liberalitate dicti Capituli, postea vero amplius munificentia Regum Hungariæ, possessionibus pro paupertate, & numero exili religiosorum locupletavit. Remetensis hujusce ædis nobilitatem, & decus extulit etiam Laurentius Chrysogonus in altero mundi Mariani Tom. dissert. 6. num. 39. hisce verbis: *Certe in hoc Croatiæ regno (cujus pars Slavonia fuit) olim potentissimo, nunc vero nimium quantum Turcarum potentia acciso, atque oppresso, plura visuntur honori Virginis dicata templa, inter quæ præ cæteris gloria miraculorum coruscat illud RR. PP. Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, quod S. Mariæ de Eremo prope Zagrabiam vulgo nuncupatur, in quo Virgo ea, qua divinitus pollet vi, ac virtute, quotannis non pauca edit miracula ad afflictissimi hujus regni consolationem.* Et sane ingens jam tum præsidium Slavonicæ genti divina numinis providentia parabatur in Remetensi recessu adversus impendentes tum Slavoniæ, tum Hungariæ calamitates, quibus seu propulsandis, seu imminuendis ope sua præsto adesset Deipara Virgo: cum enim Hungaria finibus regni longe, lateque amplificatis, & multitudine incolarum, frequentia civitatum atque oppidorum, fertilitate agrorum, commercio, divitiis, rerum omnium abundantia & copia vel cum maxime floreret, magnam huic genti & regioni cladem ac vastitatem intulit annus hujus sæculi alter & quadragesimus. Tartari gens Scythica inter Russiam sive Moschoviam, & Persidem immensum terrarum obtinens post Russos sive Ruthenos subactos multitudine propemodum infinita infestis agminibus in Hungariam effusa terrorem, quacumque ceu turbo violentus pervasit, ac stragem hominum, locorumque vastationem circumtulit. Cum his fortiter ultra Danubium animoseque pugnarunt Colomanus rex, Ugrinus Archiepiscopus Colocensis, & Magister militiæ templi, Ductores exercitus Hungarici. Sed oppressi obrutique hostium numero Magister quidem Templarium in acie cecidit, Colomanus & Ugrinus, vulneribus acceptis, vix ad suos evadere potuerunt. Castra Hungarorum, quæ haud longe aberant, hostes circumfusi undique adoriuntur, & omni telorum genere, flammisque injectis expugnant. Tunc duces, milites, incolæ, incerti quam in partem intenderent iter, in fugam omnes consternantur, Tartaris insequentibus, & omnia ferro ignique vastantibus. Plurimos, dum fugerent, obvia palus absorbuit, inter quos Matthiam Strigoniensem, Ugrinum Colocensem Archiepiscopos, & alios Præsules, clericos, proceresque Hungaricos. Hæc fuse Thomas Archidiaconus cap. XXXVI. Historiæ Salonitanæ. M. Rogerius Spectator Hungaricæ cladis, idemque ab hostibus captus, sed clandestina & solerti fuga elapsus in eo libro, qui inscribitur: *Lamentabile Carmen super destructione regni Hungarici per Tartaros facta* cap. XXX. tradit Archiepiscopum utrumque cum aliis Episcopis periisse: *Majores de clericis occidere, Matthias Strigoniensis Archiepiscopus, quem rex tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutritii erant, magis diligebat, & ejus consiliis magna sub confidentia, in rebus arduis utebatur; Ugolinus Colocensis Archiepiscopus, nobilissima ortus prosapia, & ardua mundi negotia, omissis minimis, disponens; hic erat, sub cujus fiducia nobiles Hungariæ respirabant ... Georgius Episcopus Jaurinensis, qui & nobilis fuit moribus, & peritus scientia litterarum; Reynoldus Ultrasilvanus Episcopus, & Ecclesiæ Nitriensis Episcopus, qui fuerat laudabilis vitæ, & morum honestate præclarus, Nicolaus Scibinien. Præpositus, regis Vicecancellarius nobilibus natalibus ortus, &c.* Colomanus in suum regnum Slavoniæ regressus Chasmam se recepit, quo in oppido sedem regni sui constituerat, & ibidem paucis post mensibus e vita migravit; de cujus obitu & sepulchro Thomas Archidiaconus cap. XXXVIII. *Eo tempore Colomanus rex ad Dominum feliciter de hac vita migravit; fuit enim vir pietate magis ac religione præditus, quam in administrandis publicis rebus intentus. Sepultus est autem in loco Fratrum Prædicatorum* (id est ubi postea domicilium ac templum nacti sunt Patres Prædicatores) *apud Chasmam, latenti mausoleo infossus. Etenim gens nefandissima Tartarorum sepulchra Christianorum, & maxime principum sceleratis manibus violantes confringebant, ossaque spargebantur.* Idem Archidiaconus Tartarorum immanem sævitiam, inauditæ crudelitatis exempla, urbium eversiones, incendia, depopulationes, innumerabiles cædes, ingentesque hominum & locorum strages copiose lateque persequitur cap. 37. 38. 39. 40. historiæ Salonitanæ.

Florens Hungariæ status.

Clades Tartarica.

Bela in Austriam profugit; inde regressus cum omni regia familia, & comitatu aulico Zagrabiam venit. *Tunc rex Bela*, ait Thomas Archidiaconus, *de Austria reversus venit cum omni familia sua, & demoratus est partibus Zagrabiæ.* Ibi cum esset, Albam misit, qui corpus S. Stephani, ac thesauros Ecclesiarum direptionibus ac sacrilegiis barbarorum præriperent, ad seque transferrent. Hæc omnia, itemque Mariam conjugem suam cum Stephano filio admodum puero, & duabus filiis Margarita & Catharina præmisit in Dalmatiam, & Spalatensibus commendavit: *Misit omnia cum Domina Maria uxore sua, & cum parvo filio Stephano adhuc bimulo ad maritimas regiones, rogans & mandans Spalatensibus, ut hæc servanda susciperent:* idem, qui supra, Archidiaconus. Nec multo post cum Belæ nunciatum esset, hostes Danubium transgressos appropinquare, antequam Dravum trajicerent, sublatis raptim ex ærario, & archivo tum Ecclesiæ, tum civitatis thesauris, & tabulis, ac divorum reliquiis, ne prædæ hostibus forent, properavit ipse quoque in Dalmatiam confugere, quem prosecutus est Stephanus Episcopus Zagrabiensis cum aliis regni præsulibus & proceribus, & universa propemodum nobilitate Hungarica, infinitaque hominum multitudine; primum Spalatum, inde vero Tragurium se recepit: *Itaque antequam Dravi fluvii gurgitem transmearent*, ut tradit Archidiaconus Salonitanus, *rex præsentiens eorum adventum, relictis stationibus Zagrabiensium partium, cum omni comitatu suo ad mare descendit. Tunc diversi diversa quærentes diffugia, per omnes civitates maritimas, quæ propiores videbantur ad fugam, dispersi sunt. Rex vero & totus flos reliquorum Hungarorum ad Spalati partes devenit. Erant autem in comitatu regio multi ecclesiarum prælati, plures principes, & Barones, reliquum vero vulgus utriusque sexus, & ætatis pene innumerabile erat. Appropinquante D. Rege ad introitum*

Bela Zagrabiam venit.

in Dalmatiam profugit cum Stephano Episcopo & aliis Præsulibus ac Proceribus.

Digitized by Google

tum civitatis; universus clerus & populus processionaliter exeuntes, debito venerationis obsequio susceperunt eum, dantes ei hospitia infra muros, quotquot voluit ipse. Venerunt etiam isti magnates cum eo, Stephanus Episcopus Zagrabiensis, & alter Stephanus Vaciensis, & idem in Strigoniensem Archiepiscopum postulatus, Benedictus Præpositus Albensis, aulæ regiæ Cancellarius, & idem ad sedem Colocensem electus, Bartholomæus Quinqueecclesiensis Episcopus, & quidam alii Episcopi. Affuerunt nihilominus Hugrinus Præpositus Chasmensis, Achilles Præpos. Vincentius Præpos. Thomas Præpos. & alii quamplures prælati, quos enumerare supervacuum duximus. Proceres quoque curiæ isti erant, Dionysius Banus, Uladislaus Comes curialis, Matthias magister Tavernicorum, Rolandus magister Agazonum, Demetrius, Mauritius, & alii multi illustres viri, omnes cum dominabus, & familiis suis. Deinde Spalato relicto, Tragurium discessit.

Tartaris abeuntibus, Bela in Hungariam rediit. Post regis discessum Tartari totam Slavoniam cœdibus, depopulationibus, incendiis pervagati, Zagrabiam omni præsidio nudatam, & ab incolis vacuam desolarunt, eversis atque incensis tum basilica cathedrali, tum plerisque aliis sacris & profanis, publicis & privatis ædificiis. Deinde regem insecuti post Chrobatiam devastatam irruunt in Dalmatiam mense Martio appetente anno 1242. ingentem populis illis, præsertim Spalatensibus terrorem injecerunt, Clissæ & Tragurii expugnationem frustra tentarunt; rex Bela cum uxore & liberis, gazaque regia ad insulas transfugit. Sub exitum Martii abierunt Tartari; Bela rex in Hungariam rediit, Maria regina cum liberis Clissæ substitit, ibique duas filias morte præreptas amisit. Hæc fusius & distinctius Thomas Archidiaconus.

Stephanus Episcopus Zagrabiensis vel Spalati mansit, vel certe illuc rediit post obitum Guncelli Archiepiscopi Spalatensis, qui anno eodem pridie Kalendas Junias e vita decessit. Ex hujus morte occasionem sibi oblatam censuit tum Archiepiscopatus, tum Primatus Spalatensis obtinendi, transferendique ad Ecclesiam Zagrabiensem. Dum Spalati cum rege Bela, & post hujus discessum ex Dalmatia, commorabatur, ut erat homo dives, liberalis, comis erga omnes & affabilis, gratiam & benevolentiam Spalatensium, ac præsertim Gorgani, qui tum erat rector civitatis, sibi facile conciliaverat. Horum favore & commendatione nixus suffragia capituli & cleri, qui ad novum Archiepiscopum eligendum convenerant, captavit, in seque unum convertit. Sed cum per ea tempora vacaret sedes Romana, ob defectum approbationis Pontificiæ possessionem Archiepiscopatus sibi traditi adire non potuit. Anno superiori XII. Kal. Septembris Gregorius IX. obierat. Huic suffectus est Cælestinus IV., qui duodevicesimo post susceptum pontificatum die rursus viduam reliquit Ecclesiam. Exinde interregnum pontificium menses tenuit circiter duodeviginti: *In illis diebus*, ut est apud Thomam Archidiaconum capite 41., *coadunato Capitulo & clero Ecclesiæ Spalatensis factus est tractatus de Pontifice subrogando. Tunc laicali importunitate, & maximo Gorgani annisu, modesto tamen & discreto, facta est electio de Domino Stephano Zagrabiensi Episcopo in Archiepiscopum Spalatensem postulandum, qui tunc temporis Spalati morabatur. Erat autem Episcopus ipse in auro & argento locuples, mundana pompositate largus, & curialis, benignum se omnibus & affabilem exhibebat. Totus enim extolli favoribus, & efferri auris popularibus cupiebat. Regressus Zagrabiam misit ad Romanam sedem pro suæ postulationis expetendo assensu. Sed tunc temporis, mortuo bonæ memoriæ Gregorio Papa, facta est dissensio inter Cardinales, ita ut subrogatio Pontificis foret ferme biennium protelata. Sic ergo caussa electionis ipsius toto illo tempore indeterminata permansit.* In tabulis cœnobii Spalatensis S. Stephani an. 1242. Indict. XV. mense Julio confectis nominatur Stephanus *Archielectus Spalatensis*. Jus & nomen Archielecti usque ad mensem sextilem anni proximi 1343. retinuit, ut ex aliis tabulis ejusdem cœnobii intelligi potest. Post diuturnius, quam esse consueverat, interregnum creatus est Pontifex Innocentius IV., quem Stephanus per litteras rogavit, ut Archiepiscopatus Spalatensis ad se delati auctor approbatorque esse vellet, sed petitioni quædam subjunxit, videlicet ut liceret sibi utriusque Ecclesiæ regimen retinere, & Spalatensem Archiepiscopatum ac Primatum Zagrabiam transferre. Pontifex utrumque postulatum rejecit: *Episcopus prædictus* (idest Stephanus, ut scripsit Archidiaconus cap. XLV.) *missa relatione ad Romanam Sedem nitebatur obtinere suæ postulationis assensum, cum quibusdam conditionibus, quas admittere noluit D. Innocentius, nuper ad Sedem Apostolicam sublimatus. Quamobrem dictus Episcopus misit Spalatum, & renunciavit postulationi de se factæ, dans licentiam de persona alia providendi.* Cupiditas juris titulique metropolitici ac primatialis adipiscendi ab Stephano derivata est in alios, atque alios ejusdem successores, qui, ut assequerentur, quod ille conari cœperat, sæpe multa tentarunt, præsertim post civitatem Archiepiscopalem Colocensem eversam. Non desunt scripta & monumenta, in quibus Antistes Zagrabiensis tum Archiepiscopus, tum Primas appellatur; *& a suis*, inquit Balthassar Adamus Kercselich, *Primatis Croatiæ nomine decoratur, haud aliunde, quam quod olim Croatensi Episcopo credunt convenisse.* Et sane Episcopus ille Chrobatiensis, sive Tininiensis, cum sub imperio regum Chrobatiæ esset veluti universalis Chrobatorum Episcopus, & jurisdictionem suam ad Dravum usque protenderet, nomen jusque Archiepiscopi usurpare conabatur, & Primas Chrobatiæ dici volebat, ut declaratum est in historia tum Spalatensis metropolis, tum Ecclesiæ Tininiensis. Hujus autem diœcesis longe porrecta, & latissime patens magna ex parte attributa fuit Episcopo Zagrabiensi, quem in eamdem, qua gaudebat Chrobatiensis, potestatem ac dignitatem successisse aliqui existimant.

Stephanus Ep. Zagrab. in locum Guncelli Archiep. Spalatensis subrogatus, Sedis Apostolicæ approbatione ob interregnum pontificium caruit: ejus postulata ab Innocentio IV. rejecta.

Stephanus basilicam cathedralem ex Tartaris eversam reædificare cœpit. Ergo Stephanus, cogitatione curaque suæ dignitatis honorificis & amplioribus titulis augendæ posthabita, studium omne atque operam ad basilicam cathedralem & pontificias ædes reficiendas convertit. Huic siquidem attribuuntur initia ejusdem basilicæ reædificatæ, cujus structura & descriptio ab eo designata longe magnificentior, quam vetus, & augustior fuit; quocirca antequam absolvi, perducique ad fastigium posset, & plures annos, & multorum Antistitum curas, & immanes sumptus impendi oportuit. Nihilo segnius cives in patriam reversi allaborabant in publica, & privata ædificia instauranda intenti. Episcopus ut pristinam

nam urbi frequentiam restitueret, atque insimul communes ac familiares opes commercio amplificaret, spatii quod interjacet inter duos colles Grecs, & Zagreb, ubi fuerat civitas a Tartaris destructa, negotiatoribus Italis habitandum tradidit, in quo domos, officinas, apothecas ædificarent; inde locus dictus est *Vicus Latinorum*. Canonici Zagrabienses recenti memoria cladis Tartaricæ admoniti, locum aliquem perfugii ab rege Bela petierunt, ad quem se reciperent, resque suas in tutum deferrent, si quid periculi rursus & calamitatis, vel ab ipsis Tartaris, vel aliunde ingrueret. Æquum postulare visi sunt; & villam in monte Gradicz, haud procul Zagrabia, rex illis donavit, quam communibus impensis communirent. Extat regium diploma hujus donationis, ex quo Thomas Kovascevichius hanc particulam decerpsit, & Balthasar Adamus kereselich actis Stephani II. intexuit: *Quod cum formido, quæ specialiter ex terribili sævitia Tartarorum, seu aliorum hostili incursu, ipsis, id est Capitulo, in futurum imminere timebatur, munitionem aliquam pro recipiendis, tuendis, & defensandis suis, & suorum personis, ipsos quærere, seu condere impellat; montem quemdam, nomine Gradicz in Comitatu Zagrabiensi juxta Zagrabiam existentem, cujus partem quamdam ad villam hospitum de Grecz, quamdam vero ad Vangelum novimus pertinere, eis conferre, & tradere dignaremur: cum non habeant in tanto vento turbinis, imo tam generali metu mortis, ubi sua & suorum capita valeant declinare, vel bona Ecclesiæ ac sua tuto munimine defensare. Nos igitur . . . dictum montem, cum terra circumjacente, sufficienti usui & commoditati unius magnæ villæ, eidem Capitulo in perpetuum dedimus & contulimus pleno jure &c.* Tum hæc addidit ex eodem diplomate: *Dein concedit Capitulo, ut communibus expensis, in aliqua parte talis terreni, exstruat sibi munimentum quodpiam, sive Castrum. In residua autem portione, ut capitulares pro se ipsis, & suo famulitio domos ædificent, data legandi, donandi, vendendi facultate. Et in possessionem villæ illius per Abrahamum Comitem de Maroucsa Capitulum fuit introductum.* Hactenus Thomas Kovascevichius.

Vicus Latinorum ab eo conditus.

Canonici ab rege petunt obtinentque villam in monte Gradicz, quam munire decreverunt.

Stephanus obiit egregie de sua Ecclesia, & Capitulo meritus.

Stephanus annos duos & viginti Ecclesiam Zagrabiensem æque sapienter atque utiliter gubernavit; de qua, itemque de collegio Canonicorum, ob plurima beneficia utrique collata, egregie meritus, apud Chasmam diem supremum obiit anno 1247., incredibili sui desiderio apud omnes relicto. Fuit vir magni animi, & ingenii, & consilii; magnificus, liberalis, tenax justitiæ, apud reges & omnes civium ordines gratiosus, cultor sinceræ ac germanæ virtutis, osor acerrimus adulatorum, quos pati non poterat; ejusque præclara illa sententia fuisse fertur, *adulationem summum justitiæ esse impedimentum*. De quo Joannes Archidiaconus: *Fuit solemnis homo, & plures in Episcopatu fecit ædificare Ecclesias, specialiter & ipsam Ecclesiam* (idest Cathedralem, cujus initia ei debentur), *& aliam Ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ in Chasma; & plurima alia meritoria opera fecit, uti specialiter Capitulum Chasmense, & Præposituram Chasmensem ipse dotavit.*

PHILIPPUS EP. ZAGRAB. XVII.

Philippus Cancellarius Mariæ Reginæ, vitiose electus.

Post mortem Stephani convenerunt de more ad comitia episcopalia Canonici; inter quos esse aliquos majoris anathematis vinculo constrictos, ac propterea jure suffragii ferendi potestate privatos denunciavit Albertus Archidiaconus Zagrabiensis, commonuitque etiam atque etiam, ut illi a comitiis excluderentur, vel sponte secederent: alioqui electionem vitiosam atque irritam fore. Hac denunciatione, & commonitione contempta, ejectoque Archidiacono, nihilo minus, quam si rite ac legitime congregati essent, ad suffragia ventum est; quæ fere omnia in unum convenerunt, Philippum nomine, Cancellarium Mariæ reginæ, uxoris Belæ IV., virum nobilem, potentem, divitem, tum apud regni proceres, tum apud omnes cives, æque summi, atque infimi ordinis, maxime gratiosum. Hujus electioni oberat etiam ætas nondum matura, neque ad episcopatum suscipiendum e præscripto sacrorum Canonum idonea; nec vero abfuit suspicio largitionis simoniacæ; & ab laicis hominibus, Philippi fautoribus, coempta suffragia dicebantur. Reclamavit Archidiaconus, appellavitque ad Sedem Apostolicam, primum quidem ante suam expulsionem coram Capitulo, deinde vero post electionem coram Benedicto Metropolita Colocensi; quem tamen ab imponendis Episcopo non legitime electo manibus absterrere non potuit. Romam profectus de iis, quæ contra canones perpetrata, & malitiose acta fuissent in comitiis Zagrabiensibus, deque illicita consecratione Philippi Innocentium IV. certiorem fecit. Pontifex litteris datis ad Chanadiensem, & Sirmiensem Episcopos, atque ad Abbatem Ordinis Cisterciensis, primum exposuit quæ sibi ab Archidiacono Zagrabiensi delata fuerant, deinde imperavit, ut tres simul ipsi, vel duo ex ipsis de re tota diligenter riteque cognoscerent; & sublata omni appellatione, quod justum & canonicum esset, ex auctoritate Apostolica sibi delegata decernerent. Si vero illorum judicio ac sententiæ stare abnuerent, caussam integram idoneis testibus & monumentis instructam ad curiam Romanam remitterent; ad quam intra tempus ab illis præfinitum, ii, quorum intererat, vel per se ipsi, vel per suos procuratores adirent. Extat epistola Innocentii apud Stephanum Baluzium lib. 7. Miscellaneorum.

Innocentius &c. Chanadiensi & Sirmiensi Episcopis, & Abbati de Pel. Cisterciensis Ordinis, Vesprimien. Diœcesis, salutem &c.

Epistola Innocentii IV. ad Episcopos Chanadiensem & Sirmiensem, & Abb. Cisterciensé de electione Philippi.

Dilectus filius Albertus Archidiaconus Zagrabiensis Ecclesiæ, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum Capitulum ejusdem Ecclesiæ pastore vacantis haberet de Pontificis substitutione tractatum, idem Archidiaconus sciens nonnullos de Capitulo fore majoris excommunicationis sententia innodatos, & considerans quod propter eos scienter ad eligendum admissos, fieret electio vitiosa, in ipsius Ecclesiæ non modicum impedimentum, eos in commune diligenter admonuit; ne idem excommunicati deberent ad eligendum admitti, aut ipsi electioni se ingererent sic ligati. Sed ipsi hujusmodi admonitione contempta, illicitis illecti promissionibus, non sine labe simoniacæ pravitatis, ipsum Archidiaconum de Capitulo turpiter ejecerunt, eoque contempto, post appellationem ipsius ex præmissis cau-

causis ad Sedem Apostolicam interjectam, Philippum carissimæ in Christo filiæ illustris reginæ Hungariæ Cancellarium, patientem in ætate defectum, per laicæ præsumptionis abusum contra libertatem canonicam in Episcopum eligere ac recipere præsumpserunt, absolutionis beneficio non obtento, qui cum hujusmodi eorum processum a Ven. Fratre Nostro Colocensi Archiepiscopo loci Metropolitano peterent confirmari, dictus Archidiaconus proposuit coram ipso, quod cum iidem excommunicati & Simoniaci, eo contempto qui volebat, debebat, & poterat eis non impedientibus, interesse ad electionem hujusmodi, post appellationem tandem temere processissent, ipsa confirmari de jure non poterat, nec debebat, sed potius irritari, tamquam contra sanctiones canonicas attentata, ut ne ad confirmationem procederetur hujusmodi, præfatus Archidiaconus iterato duxit ad nostram audientiam appellandum, cujus appellatione contempta dictus Archiepiscopus & talem electionem confirmare, & eidem Philippo sic intruso consecrationis munus impendere propria voluntate præsumpsit. Quare dictus Archidiaconus providere super iis a nobis ex circumspectione Apostolica postulavit. Cum igitur nostrum sit prava dirigere, ac directa fovere, mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, & inquisita super præmissis, & cognita plenius veritate, quod Canonicum fuerit, si de partium voluntate processerit, infra quatuor menses post susceptionem præsentium, appellatione postposita, decernatis; facientes quod decreveritis auctoritate Apostolica firmiter observari. Alioquin causam sufficienter instructam ad Apostolicæ sedis remittatis examen, præfigentes partibus peremptorium terminum competentem, quo per se, vel per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c.

Datum Lugduni Kal. Octobris an. 6. idest an. 1248.

Dubitari non potest, quin pontificia mandata illi, ad quos data fuerant, exceperint, & confecerint; sed desunt monumenta, ex quibus, quemadmodum res gesta sit, & quem habuerit exitum, cognosci possit. Certo tamen constat Philippum & Sedem Zagrabiensem plures annos tenuisse, & Episcopum legitimum habitum fuisse; sive quod depulsæ fuerint criminationes in eum, ejusque electionem intentæ; sive quod Pontifex, aut Judices ab eo delegati, quidquid vitii, aut labis inerat suffragiis in eum collatis, auctoritate Apostolica absterserint, & ejusdem electionem ex irrita ratam fecerint; ac proinde traditum illi Sacerdotium confirmarunt. Cum ante annum 1250. non inveniatur nomen Philippi tabulis Zagrabiensibus inscriptum, hinc fit verisimile interregnum Episcopale duos tresve annos tenuisse.

Philippus Sedem Zagrabiensē obtinuit;

Ergo Philippus Episcopatum Zagrabiensem adeptus an. 1251., nihil prius sibi curandum censuit, quam ut suæ, Canonicorum, civiumque securitati consuleret, & commune perfugium pararet, quo se, resque suas ab hostilibus incursionibus ac direptionibus tueretur. Erant ea tempora Hungariæ infesta, nec solum a Tartaris, qui non longe abscesserant, sed etiam a Styris finitimis imperii Hungarici pertæsis pericula imminebant. Haud procul Zagrabia locus erat, cui nomen *Medued*, sive *Meduedar* prælato jugo e terra eminens ad Castrum munitissimum inædificandum opportunus. Cum in eo munimento, quod in monte Gradicz exstruxerant Canonici, non satis præsidii ad communem salutem ac defensionem esse videretur, eum, quem dixi locum, a Bela rege postulavit; qui cum in id maxime intentus esset, ut damna recentia, quæ Tartari intulerant, resarciret, dirutas arces ad ea præcavenda restitueret, & nova excitaret, haud libentius, quam promptius, quod Philippus petebat, concessit. Episcopus & Canonici pecuniam sumptusque omnes ad Castri ædificationem contulerunt. Operi perficiundo qui præesset, delectus e Capitulo Benedictus Decanus. Hujus vigilantia & solertia intra spatium unius anni opus absolutum fuit iis mœnibus, turribus, propugnaculis septum, ut nulla esset arx in tota Slavonia situ atque arte munitior & validior ad sustinendas, & repellendas hostium oppugnationes. *Castrum Episcopi* dictum est; ejusque donationem ab rege factam Philippus ab Innocentio Papa confirmandam curavit.

Castrum Medued ad commune perfugium prope Zagrabiam ædificavit.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Zagrabiensi salutem, & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est præbere consensum; & vota, quæ a rationis tramite non discedant, effectu prosequente complere. Lecta quidem coram nobis tua petitio continebat, quod charissimus in Christo filius noster Bela Ungariæ rex illustris quamdam possessionem prope Zagrabiam ad se pertinentem, quæ nunc castrum Episcopi appellatur, Zagrabiensi Ecclesiæ pia liberalitate donavit prout in ipsius litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, donationem ipsam, sicut pie, ac provide facta est, ratam habentes, & gratiam illam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Perusii X. Kal. Martii Pontificatus nostri anno nono, idest 1252.

Innocentius IV. donationem regiam confirmavit.

Philippus anno 1254. ad curiam Romanam profectus missu ac nomine regis legatione honorifica apud Innocentium functus est, & reipublicæ, atque Ecclesiæ suæ negotia e sententia confecit. Romanæ legationis eidem ab rege injunctæ testis est epistola Innocentii IV. ad Electum Neapolitanum Sedis Apostolicæ in Hungaria Legatum.

Philippus legatione regia apud Sedē Apost functus, & Zagrab. reversus

Electo Neapolitano Apostolicæ Sedis legato.

Venerabilis frater noster Zagrabien. Episcopus, & dilectus filius Fr. . . . de Ordine Minorum, postquam discessisti a nobis, ad Sedem Apostolicam accedentes, ex parte carissimi in Christo filii nostri regis Hungariæ illustris, nobis exponere curaverunt, quod rex ipse, occasione discordiæ inter eum, & carissimum in Christo filium nostrum regem Bohemiæ illustrem exortæ, auctoritate nostra citatus exstiterat, ut in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ proximo præterito, per responsalem idoneum in nostra compareret præsentia, propter quod eosdem Episcopum & fratrem ad prætactam sedem in ipso termino destinarat; quodque rex idem nostræ super hoc ordinationi stare volebat, & ad firmitatem & securita-

vitatem majorem paratus erat castra & munitiones, & alia, quæ tenet in locis, & terris, de quibus inter ipsum, & prætactum regem Bohemiæ, prætacta intervenit discordia, ejusque sedis Nunciis assignare per ipsos interim retinenda, dummodo dictus rex Bohemiæ, de iis, quæ ipse tenet, similem propter hoc assignationem duceret faciendam. Et hæc eadem frater Velascus de Ordine Minorum, quem pro hujusmodi negotio in Hungariam misimus, similiter dixit nobis &c. Licet igitur te ad ipsius Hungariæ partes, commisso in illis tibi legationis officio, pro eodem negotio duxerimus destinandum, quia tamen tunc ista ignorabamus; & quod ipse rex Hungariæ talem in his gereret voluntatem, volumus, & præsentium tibi tenore mandamus, quatenus prætactæ legationis officio supersedere procures; & si ejus prætextu circa præmissa forsan in aliquo processisti, processum tuum studeas revocare.

Datum Anagniæ III. *Id. Julii anno* XII. id est 1254.

Ecclesiasticum patrimonium auget;

Zagrabiam reversus ad patrimonium Ecclesiæ augendum nihilo minus pecuniæ, quam sedulitatis impendit. Erat prope Vascham in confiniis diœcesis Quinqueecclesiensis territorium S. Martini satis amplum & frugiferum, quod Bartholomæus Episcopus Quinqueecclesiarum donaverat fratribus hospitalis Hierosolymitani, qui multas in Hungaria, & Slavonia domos obtinebant. Illud Philippus a F. Rembaldo majore Præceptore ejusdem ordinis in utraque provincia Hungarica & Slavonica pecunia numerata coemit, atque ad mensam episcopalem adjunxit. Hanc emptionem confirmandam curavit diplomate regio, in quo coloni & habitatores ejusdem territorii eadem immunitate donantur, qua gaudebant alii coloni & habitatores terrarum episcopalium, præsertim apud Vascham; *Eodem jure, & libertate*, ut est in eodem diplomate, utantur *tam in judiciis, quam in ceteris, quo alii Jubagiones, & populi ipsius Episcopatus, & specialiter ad Vascham pertinentes censentur uti, juxta consuetudinem approbatam, cum & isti sint uniti eidem; & ad Curtem supradictam Vascham pertinentes, sicut illi, qui sunt ultra; hoc adjuncto quod si præfatus Episcopus remissus fuerit cuiquam de iisdem in justitia facienda, non ille, contra quem agitur, sed Episcopus memoratus, vel ejus officialis ad nostram præsentiam debeat evocari. In cujus rei &c. Datum apud Vascha anno Domini* 1255. XVI. *Kal. April. Regni autem nostri vigesimo.* Post annos fere quattuor pacatam territorii Martiniani possessionem interturbavit Paulus filius Borichii olim Bani; quippe hæreditario jure illam ad se pertinere contendebat, & prolatis quibusdam regiis litteris, sed adulteratis, quas ipse corruperat, litem Philippo intendit. Delata res est ad tribunal Belæ regis, qui caussam Episcopo adjudicavit. Hæc est regalis secundum Episcopum sententia.

emptionem villæ S. Martini a rege confirmandam curavit.

Sententia Belæ IV. regis de eadem villa.

Bela Dei gratia Ungariæ &c. Rex. omnibus præsentium inspecturis salutem in Domino. Ne rerum veritas gestorum erroribus occultetur, & ut notitiam præsentium transcursu temporum absorbeat oblivio; nostræ regiæ interest sollicitudinis, ut ea quæ coram nobis in figura judicii actitantur, ad perpetuam rei memoriam scriptis authenticis comendemus. Proinde ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire. Quod cum venerabilis Pater Philippus Episcopus Zagrabiensis dilectus, & fidelis noster super terra S. Martini a Paulo filio quondam Borich Bani coram nobis tractus fuisset in caussam; Idem Paulus prædictam terram utpote hæreditariam sibi cum instantia restitui postulavit. Zagrabiensis vero Episcopus prædictam terram titulo emptionis dixit se habere, & etiam possidere & venditorem seu actorem religiosum virum fratrem Rembaldum domorum hospitalis Hierosolymitani per Ungariam, & Sclavoniam tunc majorem præceptorem nominavit, & litteris authenticis ejusdem fratris Rembaldi super hoc confectis legitime comprobavit. Cumque super hoc in nostræ majestatis præsentia fuisset diutius litigatum, tandem eidem Zagrabiensi Episcopo, & fratri Arnoldo domorum majore præceptore per Ungariam, & Sclavoniam, qui eidem fratri Rembaldo immediate successit ex una parte, & Paulo præfato Borich Bani coram nobis constitutis ex altera; Cum de meritis caussæ ipsius, præsentibus nostris Baronibus, cognosceremus, in ipsa instantia judicii prædictus Paulus deprehensus est, nostras regias litteras falsavisse. Cum igitur & si aliquid juris in prædicta terra Sancti Martini prædictus Paulus haberet, propter vitium compertæ falsitatis, ipsa terra S. Martini sicut & alia bona sua ad nostras manus essent merito devolvenda. Nos deliberato omnium Baronum nostrorum, qui tunc aderant consilio, prædictum Zagrabiensem Episcopum super ipsa terra S. Martini ab impetitione ipsius Pauli, & omnium, qui nomine, jure seu occasione ipsius Pauli, ipsum impeterent, vel impetere possent, sententialiter duximus absolvendum. Adjudicantes eidem Episcopo per eandem sententiam prædictam terram S. Martini perpetuo, & pacifice possidendam. In cujus rei firmitatem, & robur præsentes litteras nostras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum, & actum Albæ quinta feria post festum S. Michaelis Anno Domini MCCLIX.

Incolæ Petrinensis villæ ob negatam decimarum solutionem excommunicati, ac deinde absoluti.

Incolas villæ Petrinæ solutionem decimarum contumaciter abnuentes Philippus Episcopus anathemate perculsos sacrorum omnium communione privavit. Conciliatorem se interposuit Columbanus Episcopus Traguri, & Petrinensibus irreligiosæ pertinaciæ increpitis, ac legis divinæ, atque ecclesiasticæ admonitis facile persuasit, ut veniam peterent, & jurejurando obstricti sponderent se tum neglectas superiorum, tum annorum deinceps consequentium decimas in perpetuum soluturos. Itaque supplices humique abjectos *apud S. Clementem in nova Villa Episcopali in Gora* anathematum vinculis Philippus exsolvit, & sibi atque Ecclesiæ reconciliavit anno 1260. Patrimonium Ecclesiæ Zagrabiensis tribus prædiis admodum fertilibus auxit, uno apud Varasdinum nomine *Gag*, pro quo quinquaginta, altero *Berzenze* vocato, pro quo quindecim marchas argenteas solvit, tertio demum *Obrys* dicto; tabulæ emptionis extant in archivo Capituli Zagrabiensis. Anno 1262. ab Ecclesia Zagrabiensi ad metropolim Strigoniensem translatus pacem inter Belam regem & Stephanum filium post longa dissidia conciliavit, ut testatur idem Stephanus in suo Diplomate quod confecit anno 1262. IX. Idus Decembris: *Significamus*, inquit, *omnibus præsentium per tenorem, quod ad habendam, redintegrandamque & conservandam nuper in Posonio habitam anno Domini MCCLXII. Kalend.* . . . . *inter Dominum regem carissimum Patrem no-*

Philippus translatus ad sedem Strigoniensem pacem inter Belam regem,

no-

& Stephanum filium conciliavit. *nostrum & nos pacis & concordiæ unionem, mediantibus Venerabilibus Patribus Philippo Dei gratia Strigoniensi, aulæ charissimi patris nostri Cancellario, & Smaragdo Colocensi, aulæ nostræ Cancellario Archiepiscopis &c. Datum anno Domini 1262. IX. Idus Decemb.* Joannes Archidiaconus Gueschensis de Philippo scriptum reliquit: *Philippus, de quo plures recordantur & fuit solemnis persona. Hic bono zelo ductus ædificavit Castrum Medue pro conservando thesauro Ecclesiæ metu Tartarorum, quia adhuc non erat murata civitas, seu Castrum Græcense. Sed ex ædificatione Castri Medue male fuit provisum Ecclesiæ Zagrabiensi, & pertinentibus ad eam, sicut experientia docuit, & docet.* Siquidem id Castrum Belæ traditum, ab Ladislavo rege restitutum, iterum abalienatum, nunquam postea Zagrabiensis Ecclesia recuperare potuit. Vix Castrum Medue, sive Medued absolutum, egregieque munitum fuerat, cum illud Bela sibi necessarium esse duxit ad regios thesauros tuendos, & limites Slavoniæ firmandos: nam sibi, regnoque metuebat, tum a Tartaris, qui in omnem occasionem iterum invadendæ vastandæque Hungariæ imminebant, tum a Styris finitimis per ea tempora identidem Slavoniæ & Hungariæ infestis, tum denique a Stephano filio, quo cum non solum apertas inimicitias, sed etiam civile bellum gerebat. Itaque petiit a Philippo Episcopo impetravitque, ut sibi Castrum illud ad tempus commodaret, pollicitus Ecclesiæ redditum iri, statim atque iis periculis, in quibus versabatur, perfunctus fuisset.

Castrum Medued ab se constructum regi ad thesauros regios custodiendos commodavit.

TIMOTHEUS II. EP. ZAGRAB. XVIII.

Timotheus Episc. Zagrab. ab Urbano IV. designatus, Humili loco natus, qui tamen generis obscuritatem egregiis virtutibus & factibus illustravit. Erat Archidiaconus de *Zala*, quod oppidum est diœcesis Vesprimiensis in Hungaria; & Romæ versabatur, cum esset Subdiaconus, & præpositus sacello pontificio; carus in primis & gratiosus apud Urbanum IV., qui Timotheum, cum plurimi faceret, & valde diligeret, Sacerdotio nobilissimo, atque opulentissimo donavit, & non requisito neque regis Hungariæ, neque Capituli consensu, pro suprema sua potestate, Ecclesiam Zagrabiensem ei decrevit. Quod cum ægre tulisset Bela IV. rex, decreto pontificio intercessit, & regali auctoritate interposita obstitit, ne illi possessio collati sacerdotii daretur; hanc potissimum suæ intercessioni caussam prætexens, quod propter ignobilitatem generis, nomen & personam Episcopatus Zagrabiensis longe amplissimi pro dignitate tueri ac sustinere non posset. Itaque noluit admitti nuncios, & procuratores Timothei, qui nomine ipsius possessionem adirent, & res ecclesiasticas, dum ille veniret, administrarent. Hi repulsi cum essent, Timotheus eamdem procurationem demandavit F. Gualtero ex Ordine Fratrum Minorum, quam litteris ac præceptis pontificiis instruendam ac muniendam curavit.

a Bela rege non admissus.

Duæ Epistolæ Urbani IV. Duas in hanc rem Epistolas habeo Urbani IV. ex Tomo 2. Bullarii Franciscani, quod P. Hyacinthus Sbaralea ex Ordine Minorum collegit, suisque notis illustravit. Altera est ad Præpositum & Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis, altera vero ad ipsum Gualterum, quem suum nuncium Zagrabiam misit.

Urbanus IV. Dilectis filiis . . . Præposito, & Capitulo Zagrabien. Sal. & Apostolicam benedictionem.

Gratiæ divinæ præmium, & præconium humanæ laudis acquiritur, si reverendis patribus a devotis filiis plenitudo impendatur honoris. Sane Zagrabien. Ecclesia Pastoris solatio destituta, nos Venerabilem Fratrem nostrum Timotheum Zagrabien. Episcopum, nunc Archidiaconum de Zala (1) in Ecclesia Vesprimien., Subdiaconum, & Capellanum nostrum, virum utique providum, & honestum, ac morum nobilitate præclarum de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis præfecimus ipsi Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem. Et licet prædictus Episcopus, sicut accepimus, quosdam Procuratores, & Nuntios suos ad eandem Ecclesiam destinavit, qui usque ad adventum ipsius Episcopi Ecclesiæ prædictæ curam gererent diligentem; tamen ipsi non fuerunt admissi (2). Quia vero idem Episcopus factura nostra existit; in ipso, cui consecrationis munus duximus impendendum, nostram cupimus honorari personam; & in desideriis nostris geritur facere ipsum Episcopatus Zagrabien. pacifica possessione gaudere. Quocirca universitatem vestram rogamus, & hortamur attente in virtute obedientiæ per Apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus eundem Episcopum, tanquam Patrem, & Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes ei obedientiam, & reverentiam debitam impendatis; ipsius mandatis, & monitis salubribus humiliter intendendo; ac nihilominus dilecto filio Fratri Gualtero Pœnitentiario, & Capellano nostro, cui idem Episcopus, & nos etiam usque ad ipsius beneplacitum curam prædictæ Ecclesiæ circa spiritualia & temporalia duximus committendam; exhibeatis consilium, auxilium, & favorem in iis, super quibus vos duxerit requirendos. Alioquin sententiam, quam idem Episcopus, vel præfatus Pœnitentiarius rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Prima.

Dat. apud Urbem veterem XV. Kal. Februarii Pontificatus nostri an. III.

Notæ Sbaraleæ.

1 (1) *Zala, vulgo Zalawar, antiquitus vero Sala ad fluvium cognominem in Hungaria Comitatus titulo decorata, parva tamen civitas 3. mil. pas. Germanicis a Canisia distans in ortum, non longe a Stiria Provincia ad occasum, & Dravum fluvium ad meridiem.*

2 (2) *Non fuerunt admissi. Causa esse potuit* Originalis servitus, *seu natalium obscuritas, quam memorat Pontifex epist. regi Hungariæ, qui ei molestus erat, apud Raynaldum ad an. 1266. n. 37. scripta.*

Urbanus IV. Dilecto filio Fratri Gualtero (1) de Ordine FF. Minorum Pœnitentiario, Cappellano, & Nuntio nostro Sal. & Ap. Ben. Epistola secunda. 1

Inter alias sollicitudines, quibus assidue premimur, cogitare nos convenit, ut Ecclesiæ, ac illæ præcipue, quæ sunt Episcopali dignitate præditæ, in statu tranquillo, & prospero conserventur. Sane, Ecclesia Zagrab. Pastoris solatio destituta, nos Venerabilem Fratrem nostrum Timotheum Zagrabien. Episcopum, tunc Archidiaconum de Zala in Ecclesia Vesprimien., Subdiaconum, & Cappellanum nostrum, Canonicum Zagrabien. Ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio, & plenitudine Apostolicæ potestatis præfecimus ipsi

Digitized by Google

ipsi Zagrabien. Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem, ac ei consecrationis munus duximus impendendum, injuncto Capitulo ipsius Ecclesiæ, & Clero Zagrabien. civitatis, & diœcesis per
2 *litteras nostras* (2), *ut ipsi prædicto Episcopo, tunc electo tanquam Patri & Pastori animarum suarum devote intendere procurarent. Et licet prædictus Episcopus, sicut accepimus, quosdam Nuntios, & Procuratores suos ad eandem Ecclesiam destinarit, qui usque ad adventum ipsius Episcopi ejusdem Ecclesiæ curam gererent diligentem; tamen ipsi non fuerunt admissi. Nos itaque cupientes, ut eadem Ecclesia salubribus proficiat incrementis, de tua circumspectione, quam in multis & arduis sumus experti, confisi te pro ejusdem Ecclesiæ, & ipsius Episcopi procurandis & expediendis negotiis ad partes Ungariæ duximus destinandum, & procurationis officium ab eodem Episcopo tibi, ut asseritur, circa curam in spiritualibus, & temporalibus dictæ Ecclesiæ commissum ipsius inclinati supplicationibus Episcopi approbantes eandem curam circa spiritualia & temporalia usque ad beneplacitum ipsius Episcopi tibi auctoritate præsentium duximus committendam. Quocirca discretionem tuam rogamus, & hortamur attente mandantes, quatenus ad prædictas partes, & Ecclesiam personaliter cum gratia nostræ benedictionis accedens ejusdem Ecclesiæ sollicitam curam geras: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Cæterum Castrum, villas, possessiones, redditus, & alia bona Episcopalia tibi facias exhiberi, detentores eorum, & illos, quorum nomine detinentur, cujuscumque dignitatis, ordinis, seu conditionis existant, ad eorum exhibitionem monitione præmissa per censuram eandem, sublato appellationis obstaculo compellendo. Non obstante, si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, quæ de indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem; sive qualibet alia indulgentia Sedis ejusdem, de qua, cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam, & expressam mentionem fieri; & per quam effectus præsentium impediri valeat, vel differri. Preces autem, & mandatum nostrum sic adimpleat tua devotio, quod tibi proinde præter divinæ retributionis præmium a nobis digne proveniat actio gratiarum.*

Dat. apud Urbem veterem x. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno tertio.

Notæ Sbaraleæ.

(1) *Gualtero, nunc primum in nostram notitiam emergenti.*

(2) *Per litteras nostras, nempe præcedentes ad Capitulum; ad Clerum vero datas desideramus.*

Bela abrogandum curat Episcopatum Timothei, datis litteris ad Clementem IV.

Sed nihilo felicius Gualterus, qua Procuratores antea missi, rem gessit, Bela rege repugnante, qui ad Clementem IV., Urbano suffectum an. 1265., cum suis litteris duos Oratores misit, cum de aliis negotiis, tum potissimum de abrogando Episcopatu, quem Urbanus Timotheo contulerat: has vero litteras, quas subjicimus, idem Sbaralea in Tom. 2. Bullarii Franciscani edidit ex Archivo Castri S. Angeli capsa 7. Q., notisque inseruit adjectis superiori epistolæ scriptæ ad Gualterum.

Sanctissimo in Christo Patri C. divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici B. Dei gratia rex Hungariæ desiderata pedum oscula beatorum.

Cum Magistrum Demetrium Archidiaconum Borsien. clarissimæ nurus nostræ Ducissæ Cancellarium dilectum, & fidelem nostrum, & virum religiosum Fratrem Paulum Ordinis Fratrum Minorum Confessorem nostrum reverendum super nostris, & regni nostri negotiis, & specialiter pro facto Ecclesiæ Zagrabien., quod præcipuum reputamus, ad vestram Beatitudinem duxerimus dirigendos: Sanctitatem vestram humiliter petimus, & rogamus, quatenus eisdem benignam præbentes audientiam petitiones nostras admittere dignemini cum effectu; verbis, quæ ex parte nostra Beatitudini (vestræ) dicent, & præsertim nostrum negotium contingentibus fidem credulam nostri intuitu adhibentes.

Datum in Castro Visagrad III. *Idus Octobris Anno Domini MCCLXV.*

Timotheus tandem Clemente IV. monente ac jubente admissus.

At Pontifex regiæ voluntati minime indulgendum censuit, ac Belæ rescribens institit, quantum potuit, non solum rationibus & precibus, sed admonitionibus etiam atque minis adhibitis, ut Timotheum in Sedem Zagrabiensem reciperet, atque admitteret; id quod Spondanus ex litteris ejusdem Papæ ad Belam Perusii datis XII. Kalen. Februarii anno 1266. tradit: *Quod rex admittere recusaret Timotheum creatum ab Urbano Episcopum Zagrabiensem, eo prætextu quod vilis esset originis, redargutum eum severe fuisse*, ait Spondanus, *ab eodem Clemente, egregie docente, cum natura omnes homines æquales sint, aliquos postea cæteris regendis necessario eligi: ac propterea non debere ratione originis contemptui esse, cum ob virtutum merita principatus vel præsulatus in alios confertur, nec decere potentem persequi pauperem; additisque denuo precibus ac monitionibus pro eodem Timotheo admittendo, demum minatur, nisi his acquiescat, se, inhærendo vestigiis ejus, qui pro Christis suis corripuit reges, causam pauperis persecuturum*. Pontificiis monitis ac mandatis tandem Bela morem gessit; præsertim postquam idem Pontifex, ut est apud Spondanum, eodem anno 1266. x. Kal. Julii, cum esset Viterbii, pacem & concordiam, inter eumdem regem & filium redintegratam, verbis amplissimis laudavit, atque ut perpetua esset, auctoritate Apostolica confirmavit.

Beneficia & privilegia in Timotheum & Ecclesiam Zagrab. per Belam collata.

Timotheus in gratiam Belæ receptus eximiis, quibus præditus erat, virtutibus ita sibi regis animum devinxit, ut nihil ab eo peteret, quin impetraret. Ejus rogatu privilegia Andreæ parentis collata Ecclesiæ Zagrabiensi confirmavit; populos Comitatus Urbaczensis, qui suberant eidem Ecclesiæ, exemit jurisdictioni Comitis Urbaczii; itemque villam quamdam episcopalem in Comitatu Simigiensi amplissimis immunitatibus donavit. Alterius villæ apud Vascham, pro qua Timotheus Urbano Prodbat triginta marchas argenteas solverat, emptionem confirmavit. Quidquid terrarum ac gentium ad Ecclesiam Zagrabiensem pertinebat, nullius Bani, sive Comitis potestati subjectum esse declaravit, ob eam caussam, inquit, *quod Episcopi semper regibus fideles fuerint*. Exactionem cujusdam tributi populis ejusdem Ecclesiæ pro nuptiis Belæ filii sui junioris, Ducis Slavoniæ, Dalmatiæ & Chrobatiæ, impositi abrogavit, quod ait se fecisse conscientiæ stimulis impulsum, cum numquam id genus tributi populis illis

im-

Digitized by Google

imperari consueverat. Idem vero Bela IV. anno 1266. Civitatem montis Græcensis ab se conditam, ut supra dictum est, liberam esse, ac regiam appellari jussit, & plurimis maximisque privilegiis cumulavit. Extat diploma Belæ regis, quo Privilegium, seu Bullam auream Andreæ II. patris sui confirmavit.

Privilegia Belæ auream bullam Andreæ II. confirmantis.

Bela Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæque rex omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod Ven. P. D. Timotheus Episcopus Zagrab. dilectus & fidelis noster ad nostram accedens præsentiam, obtulit, & exhibuit nobis privilegium felic. recordat. Domini regis Andreæ carissimi patris nostri, sub Bulla aurea super prædiis, possessionibus, terris, & libertatibus, quæ vel quas Ecclesia sua Zagrabiensis ex antiqua & devota collatione prædecessorum nostrorum possidere dinoscitur, confectum, petendo cum instantia, ut ipsum privilegium ratificare, approbare, & nostro privilegio confirmare de benignitate regia dignaremur; cujus tenor talis: In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis &c. Hic inserta est Bulla aureæ Andreæ II., quam supra exhibuimus in actis Stephani I. Episc. Zagrab.

Nos igitur privilegium ipsius carissimi patris nostri, sub bulla aurea super hujusmodi salubribus donationibus, possessionibus, & libertatibus confectum, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, ratum habentes, & acceptum, de verbo ad verbum præsentibus insertum, auctoritate præsentium, & certa nostra scientia duximus confirmandum. Concedimus etiam ad instar prædecessorum nostrorum; quod Banus pro tempore constitutus, in nullo casu populos Ecclesiæ in Banatu constitutos, ratione descensus, vel alicujus jurisdictionis occasione, præsumat molestare; cum nostris & carissimi patris nostri, ac prædecessorum nostrorum temporibus Bani pro tempore constituti nullam habuerunt jurisdictionem in populis Ecclesiæ supra dictæ, pro eo maxime, quia Episcopi, qui pro tempore Ecclesiam Zagrabiensem gubernarunt, semper fideles regiæ coronæ extiterunt. Unde nos de speciali gratia omnes populos ipsius Ecclesiæ Zagrab. tam in Banatu, quam in aliis Comitatibus constitutos, ab ipsius Bani, & Comitum jurisdictione omnino eximimus, ut iidem populi de aliis gravaminibus expediti debita servitia, & consueta facilius possint, & valeant ipsi Episcopo exhibere; & in omnibus, tam in judiciis, maleficiis, & excessibus, quam in aliis servitiis, & redditibus, quocumque nomine nuncupatis, suo tantum Episcopo Zagrab. & ipsius judicibus, seu officialibus respondere teneantur. Adjicientes, quod si Episcopus, vel ejus judex, vel officialis in reddenda justitia querelantibus contra ipsos populos, negligens fuerit, vel remissus, non is, contra quem agitur, sed Episcopus, vel ejus judex ad nostram citabitur præsentiam ad terminum competentem. Volumus etiam, quod nullus Baronum nostrorum in populis Ecclesiæ audeat descensum violentum recipere, qui vero contra præsumpserit, indignationem regiam exinde incurret; & ipse Episcopus contra hujusmodi præsumptores per censuram ecclesiasticam procedat, prout meruerit protervitas præsumptoris, nisi super injuria illata recognoscat. Ceterum cum in populis Ecclesiæ, etiam temporibus retroactis, nulla collecta facta fuerit; & nos tempore nuptiarum carissimi filii nostri felic. record. Belæ Ducis, collectam septem denariorum exigi fecissemus, & postmodum aliquot annis recepissemus; tandem revertentes ad conscientiam, ob reverentiam S. Ladislai regis, qui est fundator ipsius Ecclesiæ, & pro remedio animæ carissimi filii nostri Belæ Ducis, ipsam collectam septem denariorum dicto Episcopo in populis Ecclesiæ relaxamus. Ut igitur hæc omnia, quæ a nobis, & carissimo patre nostro, & prædecessoribus nostris sunt concessa, nostris, successorumque nostrorum temporibus irrefragabiliter salva semper & inconcussa in perpetuum valeant permanere; duplicis sigilli nostri munimine, & ex certa nostra scientia fecimus roborari. Datum per manus magistri Demetrii, Alben. Ecclesiæ Præpositi, Aulæ nostræ Vicecancellari, dilecti & fidelis nostri. Anno Dominicæ Incarnat. 1269. XI. Kal. Januarii, regni nostri anno 34.

Belæ IV. succedit Stephanus V. filius.

Anno 1270. Bela IV. e vivis excessit. Stephanus V. filius Belæ solus regnare cœpit, quem parens ante aliquot annos regio titulo donatum in regni societatem receperat, principatu Dalmatiæ, Slavoniæ, & Chrobatiæ, quem Stephanus obtinebat, in Belam filium minorem translato, qui ante parentem anno 1260. vita migravit. Nec suam Stephanus erga Ecclesiam Zagrabiensem beneficentiam desiderari passus est. Jure hospitandi apud populos vectigales Ecclesiæ, Episcopi, Capituli Zagrabiensis Banos & Proceres, quoscumque privavit, in quo identidem sumptus non exiguos fieri oportebat. Id ante plures annos edicto caverat rex Emericus; ejus sanctionem paullatim antiquatam Stephanus renovavit, atque in perpetuum valere jussit: *Satis sublimitatis nostræ fastigia*, inquit, *curamus prudenter attollere, si unicuique quod suum est tribuentes, oppressos relevemus, & relevatos in eorum juribus, seu libertatibus consuetis & antiquis conservemus.* Dat. an. 1271. Ut vero egregias virtutes, & eximia merita Timothei Episcopi remuneraretur, præsertim quod plurimum curæ, operæ, pecuniæque ad Basilicam Cathedralem reædificandam contulisset, privilegium Belæ parentis paullo ante descriptum, & insertam eidem Bullam auream Andreæ avi sui amplissimo diplomate confirmavit.

Privilegia Stephani regis privilegia Avi & Patris confirmans.

In nomine S. Trinitatis & individuæ Unitatis. Amen. Stephanus Dei gratia Ung. Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex in perpetuum. Omnibus præsentem paginam inspecturis salutem in eo, qui regibus dat salutem. Summa est devotio regiæ majestatis, quæ pro religione facit, & Ecclesiæ libertate; hanc enim Salvator noster sibi Sponsam elegit, quæ ex vivis constructa lapidibus, foret habitaculum fidelium animarum, per hanc reges regnant, & Principes dominantur, quæ sola cum fiducia sub integritate fidei & innocentia vitæ, Deo Creatori nostro animas repræsentat; quidque huic impertitum fuerit, & largitum, in æternitatis sæculo gloriosæ retributionis præmio compensat. Perinde devotas preces & instantiam Ven. Patris Timothei Episcopi Zagrabiensis Ecclesiæ, dilecti & fidelis nostri, & Capituli ejusdem recipimus continentes, ut privilegium Andreæ regis

gis

gis illustris Avi nostri sub bulla aurea habitum, & obtentum, accedente ad idem privilegio confirmationis D. Belæ regis Serenissimi Patris nostri claræ memoriæ, super immunitate libertatis Zagrabiensis Ecclesiæ, & populorum spectantium ad eamdem, in nostra, & nostrorum Baronum præsentia seriatim exhibita, & perlecta, in signum gratiæ specialis dignaremur aureæ nostræ Bullæ charactere communire; quorum quidem privilegiorum tenor insertus talis est: Bela Dei gratia Ung. Dalm. &c. Hic utrumque Belæ & Andreæ privilegium describitur.

Nos itaque illustrium Progenitorum nostrorum regum Hungariæ vestigiis inhærendo, ipsam Zagrab. Ecclesiam ea benignitate celsitudinis regiæ persequi cupientes, præsertim ob devotionem Sancti regis Ladislai, qui eliminatis gentilitatis erroribus in Ducatu Sclavoniæ, Zagrabiensis Ecclesiæ institutor sanctissimus extitit, & fundator; attendentes nihilominus considerationis oculis devotionem Venerab. Patris Timothei Episcopi Zagrabiensis, opere mirifico, & plurimum sumptuoso, dissolutam in sui corpore a primo fundamento, ipsam Zagrabiensem Ecclesiam reparantis, atque in eo innocentiam vitæ, amorem domus Dei, & dispensationem in rebus Ecclesiasticis providam, ut ipsius Ecclesiæ sibi creditæ restauratio fatetur; præfata privilegia Avi scilicet nostri sub aurea Bulla, & Patris nostri subsequenter, de verbo ad verbum inserta præsentibus, concessæ in singulis articulis, & traditæ libertatis, ex certa scientia, rata & grata habentes, ex regali munificentia confirmamus, aureæ Bullæ nostræ characterem præsentibus in æternam rei memoriam propriis manibus inserentes, sub interminatione majestatis regiæ interdicentes omnino, ne cuiquam Bano pro tempore constituto, etiam de stirpe regia descendenti, vel cuilibet Comiti, seu Judici, cujusquam status, vel dignitatis existat, liceat populos ipsius Episcopi, & Capituli Zagrabiensis in aliqua causa, vel maleficio seu excessu quolibet judicare, vel jurisdictionem in eis aliquam vindicare; sed solius Episcopi, & Officialium suorum in præmissis omnibus subjaceant potestati; nec collectam marturinarum, vel quamlibet aliam, aut descensum violentum exigere ab eisdem populis Banus, vel Officiales ejus præsumant contra indultam, & traditam toties libertatem; pœnas divini judicii, & acrimoniæ debitæ subituros superius annotatas, si quis præsumptione temeraria contravenire præsumpserit in aliquo præmissorum. Datum per manus Venerabilis Patris Stephani Archiepiscopi Colocensis Aulæ nostræ supremi Cancellarii, dilecti & fidelis nostri, anno Dominicæ Incarnationis 1272. XV. Kal. Julii, Indict. XV., regni nostri anno secundo. Venerabilibus Patribus Philippo Strigoniensi, & perpetuo Comite loci ejusdem, Fratre Joanne de genere Buzad Spalaten. Archiepiscopis, Lamperto Agrien., Brictio Chanadien., Job Quinqueecclesien., & Comite Musamen., Philippo Vacien. Aulæ Dominæ reginæ Cancellario, Paulo Vesprimien., Timotheo Zagrabien., Lodomerio Varadien. Dionysio Jaurien., & Petro Transilvano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magistro Benedicto Præposito Orodien. Aulæ nostræ Vicecancellario, Magistro Andrea Comite Capellæ nostræ, ... Præposito Jaurien. . . . . Palatino Comite Sopronien. Judice Cumanorum, Nicolao Judice Curiæ nostræ Comite Simigien., Aegidio Magistro Tavernicorum nostrorum, & Comite Posonien., Joachimo Bano totius Slavoniæ, Matthæo Vayvoda Transilvano, & Comite de Zounut, Laurentio Bano de Szeurino, & Comite de Doboba, Domino Anselmo Comite de Berroe, & de Trascu, Rolando Bano perpetuo Comite de Bemluk, Petro Magistro Dapiferorum, & Comite de Guetka, Alberto Magistro Agasonum nostrorum, & Comite de Szibino, Philippo Magistro Pincernarum nostrorum, Paulo Bano Comite Bathien., Irneo Bano, Comite Varasdien., Gregorio Magistro Tavernicorum Dominæ Reginæ, & Comite Castri ferrei, Zonich Bano & Comite Zeladien., Petro Comite Alben., Selta Comite Jaurien., Michaele Comite Nitrien., Michaele de genere Chaz Comite Vesprimien., Erdeu Comite de Tolam, Alexandro Comite de Bagana, & Armigerorum nostrorum, Stephano Magistro Agasonum Dominæ Reginæ, & Comite Tychnen., Demetrio Comite de Zotmare, & de Tarasna; & aliis quam pluribus, Comitatus regni tenentibus, & honores.

Idem Stephanus, litteris ad Capitulum Albense, sive Albæ regiæ datis, jusserat illinc remitti Zagrabiam tabulas, & diplomata regalia, quæ ad Ecclesiam Zagrabiensem pertinebant; illuc enim, dum Slavonia externis, atque intestinis bellis ardebat, ne perirent, transmissa fuerant, & Canonicorum Albensium tutelæ commendata.

Tabulas & monumenta Eccl. Zagrab. Albam translata Zagrabiam referri jubet Stephanus.

Stephanus Dei gratia rex Hungariæ, fidelibus suis Capitulo Albensi salutem, & gratiam. Mandamus fidelitati vestræ præcipiendo, quatenus rescripta, seu transumpta privilegiorum Venerabilis Patris Timothei Episcopi Zagrabiensis dilecti ac fidelis nostri, quæcumque, & quandocumque eidem placuerit, sive pro se, sive pro sua Ecclesia Zagrabiensi, sub vestro sigillo autentico dare, seu assignare debeatis, aliud non facturi.

Datum Budæ feria secunda proxima post Dominicam Reminiscere.

Stephanus anno tertio, quam regnare cœperat, Christi 1272. moriens regni hæredem ac successorem Ladislavum filium admodum adolescentem reliquit, apud quem auctoritate & gratia plurimum valuit Timotheus Episcopus, ab eoque multa beneficia & sibi & Ecclesiæ suæ perutilia accepit. Ac primum castrum Medvedar, seu Medved, quod Philippus Episcopus de bonis & proventibus Ecclesiasticis extruxerat, ac Belæ regi petenti ad regios thesauros custodiendos commodaverat, Ecclesiæ restituit cum eximia testificatione illustrium Timothei erga rem publicam & Ecclesiasticam meritorum.

Ladislavus IV. Stephano parenti in regnum suffectus Timotheum & Ecclesiam Zagrab. beneficiis, & privilegiis cumulavit.

Ladislaus Dei gratia Ungariæ &c. Rex omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in vero salutari. Ad universorum notitiam tam præsentium, quam futurorum harum serie volumus pervenire. Quod cum olim charissimus Avus noster D. Bela rex felicis recordationis Castrum quoddam juxta Zagrabiam, quod Meduedar nuncupatur, tempore translationis Domini Philippi tunc Episcopi Zagrabiensis ad Ecclesiam seu Archiepiscopatum Strigoniensem, pro conservando thesauro regio ad tempus ab Ecclesia Zagrabiensi recepisset, & licet postmodum ipsum Castrum taliter a jam dicta Ecclesia alienatum extitisset, & per Banos Ducatus Sclavoniæ successive pro tem-

Digitized by Google

tempore constitutus, eo quod dictum Castrum in confinio regni Sclavoniæ est constructum, guerra inter Dominum Stephanum regem charissimum Patrem nostrum claræ memoriæ, & regnum Bohemiæ perdurante, ad conservationem illius provinciæ retentum fuisset, & conservatum; tamen quia certo certius constat vobis per Barones, & nobiles regni nostri, quod jam dictum Castrum de bonis, & sumptibus Ecclesiæ nostræ Zagrabiensis, per præfatum Venerabilem Patrem tunc Episcopum ipsius Ecclesiæ constructum fuerat, & munitum; Nos nolentes cuipiam, & specialiter juri Ecclesiastico derogare, attendentes maxime, quod Venerabilis Pater Timotheus Episcopus prædictæ Ecclesiæ Zagrabiensis, dilectus, & fidelis noster, qui ne dum, quod suum, & Ecclesiæ suæ jus attingit, de regali munificentia meretur; verum & propter suæ immensæ fidelitatis, & servitiorum merita, majora, & ampliora sibi, & Ecclesiæ suæ in perpetuitatibus, seu donationibus perpetuis debuisset promereri; prædictum Castrum Medvedar cum omnibus pertinentiis, & utilitatibus universis restituimus, & reddimus præfato Venerabili Patri, & Capitulo Ecclesiæ suæ, perpetuo possidendum pariter, & habendum. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus litteras, duplici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti Orodiensis Ecclesiæ Præpositi, aulæ nostræ Vice-Cancellarii dilecti & fidelis nostri. Anno Domini 1273. regni autem nostri secundo.

Nullus fere annus effluxit, quin Ladislavus aliquid ad decus & ornamentum, ad præsidium, atque utilitatem Ecclesiæ Zagrabiensis conferret ac decerneret. Anno 1274. quidquid privilegiorum sive immunitatum populis, Episcopo & Capitulo Zagrabiensi subjectis, reges Hungariæ concesserant, regali diplomate confirmavit.

Alterum Ladislavi decretum privilegia & immunitates Ecclesiæ Zagrabien. confirmans.

Ladislavus &c. omnibus tam præsentibus, quam futuris, & specialiter collectoribus Marturinarum, undecim & septem denariorum, per Sclavoniam constitutis, salutem in omnium Salvatore. Cum populi Zagrabiensis Ecclesiæ, tam Episcopi videlicet, quam Capituli loci ejusdem ab omni collecta, seu exactione qualibet, marturinarum videlicet, & aliarum exactionum quarumcumque juxta antiquam consuetam ejusdem Ecclesiæ libertatem, vallatam multis prædecessorum nostrorum privilegiis, & specialiter privilegio Domini Stephani Serenissimi regis, claræ recordationis Patris nostri, liberi sint penitus & exempti; Nosque eamdem Ecclesiam, & populos ipsius in prioribus velimus libertatibus indemniter conservare; Universitati vestræ præsenti edictione perpetuo duratura specialiter inhibemus, ne quis populos prædicti Episcopi & Capituli Zagrabiensis, nomine, ratione, occasione collectæ cujuslibet, & specialiter collectæ undecim & septem denariorum, præsumat aliquatenus molestare, aut aliquam collectam exigere ab eisdem; Non obstantibus litteris nostris, si quæ contra tenorem privilegiorum eorumdem, seu contra formam libertatis Ecclesiæ memoratæ emanassent, vel deinceps quomodolibet contingeret emanare. Cum prædictam Ecclesiam, sicut præmisimus, ob reverentiam Sanctorum Prædecessorum nostrorum Stephani, & Ladislai regum Hungariæ: nec non & approbatam fidelitatem Venerabilis Patris Timothei Episcopi ejusdem Ecclesiæ, dictam Ecclesiam, & populos, ac jura ejus velimus, intendamus manutenere ac conservare in eorum consuetis & antiquis libertatibus inconcusse. In cujus rei memoriam, & perpetuam firmitatem præsentes dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Benedicti S. Strigoniensis Ecclesiæ electi, ejusdemque loci Comitis perpetui, Aulæ nostræ Vicecancellarii, & Præpositi Budensis dilecti & fidelis nostri. Anno Domini 1274., pridie Kalend. Junii Indict. II., regni autem nostri anno 2. Venerabilibus PP. Stephano Colocensi, & Joanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Brictio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Vaciensi, Aulæ Dominæ Reginæ consortis nostræ carissimæ Cancellario, Paulo Vesprimiensi aulæ nostræ Cancellario, Timotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadinen., Dionysio Jaurinensi, & Petro Transilvano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Dionysio Palatino Comite de Zolnok, & Judice Cumanorum, Nicolao Judice curiæ nostræ Comite de Svecke, Henrico Bano Comite totius Sclavoniæ, Nicolao Vaivoda Transilvano, & Comite de Zolnok, Paulo Bano de Zevrino, Joachimo Magistro Tavernicorum Comite de Plis, & Reynaldo Magistro Dapiferorum, Nicolao Magistro Pincernarum, Herberto Magistro Agazonum nostrarum Comite de Baransia, Mois Magistro Tavernicorum Dominæ Reginæ consortis nostræ carissimæ Comite Simigiensi, Joanne Comite Nitriensi, & aliis pluribus Comitatus regni tenentibus & honores.

Anno sequenti 1275. immunitatem populis Villæ Episcopalis S. Martini prope Valcham jampridem concessam, firmam ac perpetuam esse jussit litteris datis ad Jacinum Comitem de Bona, & Magistrum Tavernicorum, quem ab incolis ejusdem villæ decimas quascumque exigere vetuit; itemque eodem anno Villam Polanam prope Varasdinum contiguam terræ episcopali S. Mariæ per Timotheum emptam *ab omni servitio Castri Varasdensis* liberavit. Anno autem 1277. Comitatum Gersenczem, omni Banorum, & Comitum jurisdictione exemptum, Episcopo & Ecclesiæ Zagrabiensi perpetuo possidendum dedit; idque amplissimo diplomate testatum esse voluit.

Alia Ladislavi beneficia.

Ladislaus Dei gratia Ungariæ &c. Rex omnibus Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis salutem in vero salutari. Etsi quibuslibet coronæ regiæ fidelibus & devotis aperire debeamus munificentiæ nostræ manus, illis tamen & maxime Prælatis Ecclesiarum tenemur ardentius & specialius respondere, quos videmus nostris, & regni nostri negotiis insistere fideliter, & devote. Præsertim quia per hoc, & honor accrescit regius, & salus attenditur animarum. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod gratam, & commendabilem fidelitatem, & meritoria ac multiplicia obsequia Venerabilis Patris Timothei miseratione divina Episcopi Zagrabiensis dilecti, ac fidelis nostri, quibus idem in regni nostri negotiis, & coram nostræ majestatis oculis, absque aliquo offensionis scrupulo studuit multipliciter complacere, attendentes, volentesque ob hoc eidem digna remunerationis beneficio respondere: licet respectu ejus, quod ad præsens sibi conferimus, po-

Comitatum Gersenczem ab omni onere immunem Episcopo & Eccl. Zagrab. donavit.

potiora mereretur: in aliqualem tamen recompensationem fidelium obsequiorum, ejusdem Episcopi, & Banorum nostrorum consilio & assensu contulimus sibi, & per eum Episcopatui Zagrabiensi Comitatum de Gersencze cum collecta marturinarum, & septem denariorum, tenendum, habendum, & possidendum, perpetuo, & irrevocabiliter, pacifice, & quiete cum illa, ac eadem libertate, qua possessiones, & dicti populi Episcopatus Zagrabiensis, a temporibus Sanctorum Prædecessorum nostrorum illustrium regum Ungariæ gratulantur; statuentes, quod nec Banus Sclavoniæ ratione collectæ Marturinarum, ac Zulusinarum septem denariorum, similiter nec Magister Tavernicorum nostrorum, ratione ejusdem collectæ septem denariorum de ipso Comitatu de Gersencze provenientium prædictum Episcopum, & successores suos præsumant, vel debeant molestare. Et insuper universi populi in eodem Comitatu de Gersencze existentes, nec Bani nec judicum suorum judicio in quovis articulo debeant subjacere; cum ipsum Comitatum, non ut honorem, sed in possessionem perpetuam Episcopatui Zagrabiensi contulerimus, irrevocabiliter possidere. In cujus rei memoriam, & perpetuam firmitatem præsentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Præpositi Albensis Aulæ Nostræ Vice Cancellarii dilecti, & fidelis nostri anno Domini 1277. Regni autem nostri anno quinto.

Hoc regnum Diploma & Mandatum Banus Slavoniæ omnibus ejusdem provinciæ magistratibus per litteras significavit, eique obtemperari ab omnibus jussit: *Cum*, inquit, *Dominus noster Ladislaus illustris rex Hungariæ Comitatum de Gersencze cum præmissis cunctis Marturinis, septem denariorum Zalusinis, judiciis, jurisdictionibus, & aliis reditibus provenientibus ejusdem, Venerabili P. Timotheo Dei gratia Episcopo Zagrabiensi perpetualiter duxerit conferendum, prouti per privilegium ipsum Domini nostri regis patuit evidenter, vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de hujusmodi collectis & judiciis vos nullomodo intromittere præsumetis; imo volumus quod omnino & expresse manus vestras retrahatis, aliud facere nullatenus præsumatis. Datum Zagrab. die Dominico proximo post festum omnium Sanctorum. Anno Domini 1277.*

Litteræ Bani Slavoniæ ad Magistratus Provinciæ, ne quidquam jurisdictionis suæ in Comitatû Gersenczê intrudant.

Ladislavi depravatio ex flagitiosa cum Cumanis consuetudine.

Ac Ladislavus quidem antea tum a perenni, contestataque virtute majorum suorum, tum a se ipso, suisque præclaris initiis degeneravit; & Cumanorum finitimæ gentis ac flagitiosissimæ consuetudine & contagione depravatus, atque in omnem libidinem effusus, spreto ac violato legitimo conjugali thoro, plures ex ea gente concubinas duxit. Ex eo libidinoso commercio, quod cum probro privato conjungeret imperii dedecus, *Chuni* cognomen traxit. Interdum quidem sive Romani Pontificis, sive Episcoporum gravi severaque admonitione resipiscere visus est; sed brevi ad ingenium rediit; neque antea ab hujusmodi flagitiis omnino abstinuit, quam ab ipsis Cumanis, a quibus illa contraxerat, victus in prælio, cæsusque vitam amisit. Ceterum in tanta, & tam obscœna vivendi licentia Timotheo Episcopo & Ecclesiæ Zagrabiensi benefacere numquam destitit.

Nicolaus Papa III. Legatum in Hungariam misit Philippum Episcopũ Firmanum.

Nicolaus III. Pont. Max. statim, atque regimen universalis Ecclesiæ suscepit, nihil habuit antiquius, quam ut rebus Hungariæ tum civilibus tum Ecclesiasticis ob nefarias Ladislavi regis impuritates, ceteraque ejus flagitia in magnam perturbationem & magnum discrimen adductis consuleret, ipsumque regem graviter admonitum increpitumque ab illa scelerata mulierum alienigenarum consuetudine ad legitimum thalamum revocaret; & quoniam Patres Franciscani semina fidei Christianæ apud Cumanos jecerant, & plurimos ex illis ad Christi cultum traduxerant, universæ illius gentis ad Christum conversioni suam auctoritatem operamque impendere statuit. Utriusque rei caussa Philippum Episcopum Firmi in Piceno legatum in Hungariam misit anno 1279. Hic regem Budæ convenit, quem gravissimis verbis admonitum flagitiorum suorum pœnituit ac puduit, seque omnia, quæ legatus imperasset, facturum pollicitus est. Tum de convertendis Cumanis, & expellendis hæreticis actum est; ad rem utramque conficiendam rex omne studium suum, auctoritatem, atque operam prolixe detulit. Aderant legati seu Procuratores Cumanorum, qui propensos illius populi animos ad Christianam religionem amplectendam declararunt, & omnia, quæ Christianis eripuerant, injusteque detinebant, monasteria, Ecclesias, possessiones ab Cumanis restitutum iri promiserunt. Rex vero in quosdam articulos juravit, qui ad conversionem, Christianamque institutionem Cumanorum, & expulsionem hæreticorum pertinebant. Præterea Budæ Episcopis, & Proceribus regni conventum edixit, in quo Philippus Legatus Apostolicus ea præscriberet, quæ ad Christianæ religionis amplificationem, Ecclesiasticæ jurisdictionis & libertatis præsidium ac tutelam, totiusque regni tranquillitatem utiliora esse viderentur. In hanc ferme, quam exposui, sententiam extat Ladislavi Decretum eximiæ adversus Sedem Apostolicam observantiæ, & demissionis, & obsequii plenum.

Conventus Budensis Episcoporum & Procerum indictus.

Præclarum edictum, & jusjurandum Ladislavi.

Ladislavus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex, omnibus Christi fidelibus præsentibus inspecturis salutem, in auctore salutis. Divinæ visitationis exordium, quo nos Dominus verus Oriens visitavit ex alto, quo sanctæ Matris Ecclesiæ visceribus adunamur, lumine Catholicæ fidei illustrati, in progenitore nostro Sancto rege Stephano, a sacrosancta Romana Ecclesia recognoscimus, ut debemus. In ipso enim Orthodoxæ fidei, divina afflante clementia, sacrum redolevit unguentum; in ipso, alluvione cælestis gratiæ pullulante, una cum reliquis Serenissimis regibus Hungariæ, claro germine descendentibus, ab eadem regni gubernaculum suscepimus, & coronam. Et ut principatum fidei in sacrosancta Romana Ecclesia consistere, eamdemque Christi Thalamum, & Trinitatis hospitium luculentius demonstraret, non a se, vel ab alio, sed ab eadem Ecclesia Romana, matre omnium, & magistra, regni diadema, revelatione divina meruit obtinere; ut ab ea, quasi quodam capite principali; dona sua in omne corpus effunderet lux divina; & exortem se ministerii intelligeret esse divini, qui a Petri soliditate recederet deviando. Et quia nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam in Principe recta fides, cupientes toto mentis annisu tentorium fidei Dominicæ ampliare, ejusdem Sanctissimi regis Stephani Progenitoris nostri vestigiis pro modulo inhærentes, ut in arcam Domini sub unita-

te

Digitized by Google

te fidei inter cæteros, Cumanorum multitudinem, pro parte charactere Dominico insignitam, suscepto Baptismatis Sacramento; quamvis adhuc in via morum errantem, reliquam etiam partem a ritu Paganismi ad agnitionem Christianæ fidei, mediante Venerabili, & Sanctissimo Patre Domino Philippo, Dei gratia Episcopo Firmano, Apostolicæ Sedis Legato, ejusque sancto ministerio, Domini cooperante clementia, producamus, quatenus cæleste regnum proficiat per terrenum, sollemniter promisimus, & juravimus ad sacrosancta Dei Evangelia in præsentia ejusdem Venerabilis Patris Domini Legati, & omnium prælatorum, & religiosorum virorum, & satraparum nostrorum, qui aderant tunc præsentes. Primo quidem juravimus; quod fidem catholicam, & ecclesiasticam libertatem servaremus, & teneremus, ac teneri faceremus, & servari in regno nostro, & terris nobis subjectis; quodque constitutiones, & decreta Sanctorum regum progenitorum nostrorum, & bonas consuetudines eorumdem nec non omnia alia, & singula, quæ nostri progenitores in sua consueverunt coronatione jurare, inviolabiliter servaremus; Venerabilique Patri Domino Philippo Apostolicæ Sedis legato, & aliis, quibus ex officio competeret, assisteremus debito cum effectu, jurisdictionis, & potestatis nostræ brachio, ad comprimendos, & expellendos hæreticos de regno, & terris nobis subjectis. Secundo juravimus in præsentia prædictorum, quod novem alios articulos, qui quidem catholicam, & ecclesiasticam libertatem, nec non christianorum, & Cumanorum statum tangunt, effectualiter impleremus, eo modo simili servaremus, ac servari a nostris subditis faceremus. Demum promisimus, & juravimus Venerabili Patri Domino legato præfato attendere, servari facere articulos infrascriptos, quos pro cultu justitiæ, & unitate fidei observanda Uzaeus, & Tolon Principales Cumanorum, quorum vicem, & consensum se habere dicebant, in præsentia ejusdem Domini legati, & nostram sollemniter, & publice se facturos, servaturos, sine refragatione qualibet assumpserunt. Et modis omnibus curabimus, ac in nostrum suscipimus officium, & ministerium regiæ majestatis, sub obligatione regni nostri, & nostra, eosdem principales Cumanorum, & universos Cumanos, articulos infrascriptos fideliter observaturos, omnem ad hoc, quantum ad nostrum spectat officium, curam, & operam impendendo. Qui quidem articuli hoc ordine declarantur, ut scilicet universi Cumani, & singuli cujuscunque ætatis, & sexus, qui nondum sunt baptizati, volunt, & desiderant recipere baptismatis sacramentum, & suscipere, & tenere omnia ecclesiastica sacramenta, & quæcunque alia servanda docet, tenet, & prædicat Romana Ecclesia sacrosancta; & idolorum cultura, ac omnibus & singulis Paganorum ritibus dimissis; & prorsus relictis, servare catholicæ fidei unitatem; & quod descendent, & recedent a tabernaculis suis, & domibus filtrinis, & habitare & morari in villis Christiano more, in ædificiis, & domibus solo fixis, expressius assumpserunt, & conformare se in omnibus moribus, & ritibus christianis promiserunt expresse. Præterea in regno, & terris nostro dominio subjectis ab omnibus insolentiis, & homicidiis faciendis, ac interfectione christianorum, & eorundem sanguinem effundendo, retrahent penitus manus suas, & in antea nullo unquam tempore facient, nec patientur fieri hujusmodi, aliquatenus per suos famulos, & subjectos. Præter hæc, iidem procuratores Cumanorum eidem Domino legato humiliter supplicarunt, quod ipse Dominus legatus procuret ordinare inquisitores aliquos fide dignos, qui per singulas generationes eorum, & generationum gradus, ibi invicem quacunque linea attinentes, & per omnes alios subjectos eorum inquirant, & sciant super præmissis omnibus, & singulis veritatem, quam Domino legato, & nobis referre, & exponere teneantur; ut is, qui in aliquo præmissorum transgressor inventus fuerit, pœnam ecclesiasticam, quam meretur, ab eodem Venerabili Patre, & Ecclesia ipsa recipiat; & per nos temporalis vindictæ debitam sentiat ultionem. Cæteri sex prædicti procuratores, nomine Cumanorum procuratorio pro se, & pro eisdem Cumanis renunciaverunt, & abdicaverunt omnia monasteria, Ecclesias, & possessiones monasteriorum, ecclesiarum, & omnium nobilium, & cæterorum christianorum, quæ, & quas hactenus injuste, & minus debite occucuparunt, ac etiam tenuerunt; asserentes eosdem Cumanos, & se, esse paratos ad remittenda, & restituenda, juxta mandatum ejusdem Domini legati, omnia, & singula supradicta. Promittimus etiam sub sponsione fidei, præstiti juramenti, ac obligationibus supradictis, quod ut præmissa omnia, & quæcunque alia pro ampliatione fidei christianæ, & ecclesiasticæ libertatis, ac sublimatione regalis solii, & statu pacifico regni nostri idem Pater venerandus Apostolicæ Sedis legatus in convocatione publica regni nostri facienda vicesimo die post festum B. Joannis Baptistæ duxerit ordinanda, acceptabimus, servabimus, & attendi, & servari ab omnibus nostræ ditionis subditis firmiter faciemus. Quæ omnia videlicet tam articulos prænotatos, quam alia quæ in præfatam convocationem per ipsum Dominum legatum fuerint ordinata, & sollemniter publicata, ad æternam rei memoriam in nostris scriptis publicis, sub Bulla aurea seriatim redigi faciemus; ac sic redacta, & bullata legato trademus, & tradi faciemus præfato. Quod si præfatos Cumanos ad prædicta & singula observanda, & implenda exhortationibus, persuasionibus, rationibus & precibus forsan inducere non possemus; recepimus, promisimus, & juravimus, quod in Congregatione prædicta contra dictos Cumanos indicemus, & faciemus exercitum generalem de regno, & terris nobis subjectis, ad quem nostros, & regni nostri invitabimus, ac invitari faciemus amicos, ad compellendum eos, per dictum exercitum, & alios quoslibet utiles modos, brachio regiæ potestatis, ad recipienda, facienda, ac etiam observanda omnia, & singula supradicta. Si vero præfati Cumani per nos de plano induci poterunt ad recipienda, & servanda omnia, & singula supradicta, promittimus sub obligationibus supradictis, quod eos faciemus dare necessarios obsides custodiendos, & tenendos juxta regnum, & terram nostram, ad mandatum, & preceptum præfati Domini legati in loco, seu locis per illum, seu illos, de quo, vel quibus eidem Domino legato videbitur expedire. In quorum omnium testimonium, memoriam, & notitiam pleniorem, nec non perpetui roboris firmitatem, præsentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri appensione, & munimine roboratas. Datum Budæ, per manus magistri Nicolai aulæ nostræ Vice-Cancellarii dilecti,

Digitized by Google

Eti, *& fidelis nostri: Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono. Nono Kal. Julii. Regni autem nostri anno septimo &c.*

Aderat tunc Budæ Timotheus Episcopus Zagrabiensis, legatum pontificium honoris erga prosecutus; qui ab eo petiit impetravitque, ut donationem Comitatus Gersenczsis auctoritate, qua præditus erat, Apostolica confirmaret, suoque diplomati regium diploma Ladislavi attexeret.

Rogatu Timothei Philippus Legatus Ap. confirmavit donationem Comitatus Gerczensis.

Venerabili in Christo Patri Dei gratia Episcopo Zagrabiensi Philippus miseratione divina Firmanus Episcopus Apostolicæ Sedis legatus salutem, & sinceram in Domino charitatem. Cum a nobis petatur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod Dominus Ladislaus Ungariæ rex illustris ex devotionis ardore, quam ad Zagrabiensem Ecclesiam gerit, vobis, & per vos ipsi Zagrabiensi Ecclesiæ Comitatum de Gersence cum collecta Marturinarum, & septem denariorum, tenendum, habendum, & possidendum libere contulit, prout in ejusdem regiis litteris, ipsiusque sigillo duplici sigillatis, quas de verbo ad verbum fecimus præsentibus adnotari, plenius continetur ut supra. Quare humiliter petiistis a nobis, ut collationem dignaremur per nostras litteras confirmare. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, collationem prædictam, sicut provide, juste, ac rationabiliter facta est, ratam, & gratam habentes, ipsam auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ confirmationis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Tenor autem prædictarum litterarum inferius annotatur, qui talis est *Ladislaus Dei gratia Ungariæ &c. rex*, ut supra pag. 377.

Datum in castro Budensi III. *Idus Julii Indictione septima anno Domini* 1279. *Pontificatus Domini Nicolai III. Anno secundo.*

Ladislavus & Cumani fidem datam fefellerunt.

Verum neque Ladislavus, neque Cumani promissis steterunt: hi siquidem adeo se ab Christiana religione alienos ostenderunt, ut biennio post, ingenti conflato exercitu, Hungariam invaserint, cœnobia, templa, arasque divorum diruerint. Sed victi, cæsi, fugatique meritas perfidiæ pœnas dederunt. Ladislavus vero in pristinos mores relapsus, concubinas Cumanas revocavit; iterum quidem ac sæpius vel Martini IV. vel legati Apostolici, vel Episcoporum admonitu resipere videbatur; numquam tamen resipuit, quin paullo post ad ingenium redierit; neque unquam effrenatæ libidini, quoad vixit, probrosæque turpitudini modum, nisi per intervalla, finemque imposuit. Legatum ipsum Pontificium injoriose tractavit; qui demum regem fidei non semel datæ violatorem, nec semel in eadem, unde ad breve tempus emerserat, flagitia relapsum, anathemate perculit, atque ab Ecclesia segregavit. Interea tamen Timotheo Episcopo, & Ecclesiæ Zagrabiensi beneficia conferre non desiit, per ea fortassis intervalla, cum se ad bonam frugem recipiebat. Cum Ladislavus sub initium suscepti regni castrum Garich, itemque Comitatum Gerferczem Episcopo, & Ecclesiæ pleno jure possidendum tradidisset; utramque donationem, ne quis in dubium revocaret, duplici diplomate anno 1284. confirmavit.

Ladislavus donationē Castri Garich

Ladislaus Dei gratia Ungariæ &c. rex omnibus Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis salutem in omnium Salvatore. Regiæ liberalitatis gloriosa munificentia ante omnia, erga ecclesiarum Dei sublimationes, ac defensiones, propter quas regnum regnantium roboratur, & magnificatur, & triumphat, se debet exhibere pervigilem, sollicitam, & intentam. Hinc est, quod nos attendentes plurimas fidelitates, ac bene merita servitia Venerab. Patris Timothei Episcopi Zagrabiensis dilecti & fidelis nostri, castrum nostrum de Garich, quod a tempore coronationis nostræ conservationi ejusdem commiseramus, cujus quidem conservationis omnes sumptus & labores idem Episcopus de propriis suis bonis fideliter supportavit, eidem Episcopo, & successoribus suis, de Baronum nostrorum consilio, & assensu, cum montibus, silvis, aquis fanetis, & aliis utilitatibus suis & pertinentiis perpetuo, & irrevocabiliter dedimus, donavimus, & contulimus de regia munificentia possidendum. In cujus donationis memoriam perpetuamque firmitatem præsentes contulimus litteras &c.

Alteri diplomati, rogatu Timothei, præposuit integrum illud diploma supra descriptum, quod ætate adolescente confecerat, & in quo continebatur donatio Comitatus Gersenczis; tum hæc subjecit: *Nos itaque regalis circumspecti officii solemni ac diligenti tractatu, cum nostris Baronibus præhabito, ac maturitate debita observata, jam ex divinæ propitiationis gratia ad legitimos seu ad rationis annos feliciter pervenientes, præfati Venerabilis Patris Domini Timothei Episcopi dilecti, & fidelis nostri justis petitionibus inclinati; considerantes præscriptam donationem (Comitatus Gersenczis) fore licitam, justam, salutiferam, honestam; præmissum privilegium præsentibus de verbo ad verbum insertum, & collationem, seu donationem, immunitates, exemptiones, libertates in eo contentas, universas & singulas innovamus, approbamus, laudamus, & auctoritate regia irrevocabiliter, & stabilitate perpetua confirmamus. Imo, ut jam prætactum est, in annis legitimis constituti, ut cujuslibet dubietatis seu mutabilitatis de medio scrupulus auferatur; omnes donationes, collationes, quibuscumque temporibus, Baronibus, seu regni nostri nobilibus quibuscumque, per importunitatem petentium, per nos factas, & litteras, privilegia, vel monumenta quocumque ingenio vel tempore impetratas, vel concessas, revocamus, irritamus, annullamus, vel pronunciamus nullius fore efficaciæ vel momenti; & eisdem uti volentes, tamquam falsarios, & calumniæ vitio notatos decernimus condemnandos. Et ipsum Comitatum cum exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus, reditibus, & conditionibus supra scriptis, ut ex nunc, & de novo in perpetuam eleemosynam conferimus, concedimus, & donamus prædicto Ven. Patri Timotheo Episcopo Zagrabiensi, propter fidelitatem, & ipsius grata obsequia nobis exhibita indefesse, ac suæ merita probitatis, & per eum suis successoribus ac Episcopatui Zagrabiensi jure perenni habendum, tenendum ac irrefragabiliter possidendum. In cujus rei memoriam, perpetuam firmitatem atque robur, præsentes adinstan-*

& Comitatus Gerezensis confirmavit.

Digitized by Google

flantiam, & justam petitionem superius memorati Domini Timothei Episcopi, concessimus, duplicis sigilli nostri appensione seu munimine roboratas. Datum per manus Vener. Patris Thomæ Dei gratia Episcopi Vaciensis, aulæ nostræ Cancellarii dilecti, & fidelis nostri. Anno Domini 1284. *septimo Idus Junii. Anni autem regni nostri duodecimo.*

Litteræ Ladislavi ad Gercsenzes, ut Timotheo, ejusque administris debita officia præstent.

Huic diplomati litteras adjecit ad incolas Comitatus Gercsenzis, quibus imperabat, ut Præfecto, quem ad regimen ejusdem Comitatus Timotheus constituisset, omnia illa præstarent, quæ magistratibus a Bela Duce fratre suo præpositis præstare consueverant.

Ladislavus Dei gratia Ungariæ &c. rex fidelibus suis universis, nobilibus, & aliis omnibus cujuslibet conditionis hominibus in Gersencze existentibus salutem, & gratiam. Cum nos Comitatum de Gersencze Vener. Patri Timotheo Dei gratia Episcopo Zagrabiensi, dilecto & fideli nostro, sicut primitus, sic & nunc eidem cum plenitudine nostræ gratiæ reliquerimus; fidelitati vestræ firmiter, & districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia jura, & proventus ex parte vestri Comiti de Gersencze debitos & consuetos, officiali ipsius Ven. Patris, sine diminutione & fraude dari faciatis; & persolvi plenarie, & integre, eo modo, & ea plenitudine, quemadmodum tempore Domini Belæ Ducis claræ memoriæ (si Bela Dux frater erat Ladislavi, distinguendus est a Bela seniore itidem Duce, filio Belæ IV. & patruo Ladislavi) *fratris nostri prædilecti, officialibus ipsius Belæ Ducis consueveratis ministrare, aliud facere nullatenus præsumentes; quia si secus feceritis indignationem nostram graviter sentietis incurrisse; & nihilominus eidem Vener. Patri auctoritatem dedimus vos ad hæc cum vestro gravamine atque damno compellendi. Datum in Zegned in octava nativitatis Virginis gloriosæ. Anno Domini* 1284.

Timotheus nihilo segnius ad jura vindicanda, quam ad patrimonium Ecclesiæ suæ augendum, & regalium diplomatum præsidio tuendum operam & auctoritatem episcopalem adhibuit. Tres nobiles viros de Kamercza, itemque incolas & habitatores villæ Petrinæ, quod decimarum solutionem rursus detrectarent, gravissimo iterum anathemate perculit, & sacrorum omnium communione privavit; neque antea prolatam in eos sententiam revocavit, quam veniam suppliciter peterent, & mensæ episcopali, quod debebant, se in posterum soluturos promitterent. Gravius & periculosius Timotheo cum viris principibus, & cum ipsa regina vidua matre Ladislavi certamen fuit; cui tamen sustinendo neque consilium illi, neque animus defuit. Nicolaus Banus totius Slavoniæ cum fratribus suis Joanne, & Henrico in Vascham possessionem episcopalem temere irruerant, & plurimis damnis, atque injuriis colonos episcopales affecerant. Præterea Comitatum Gersenczem Ecclesiæ Zagrabiensi ab Ladislavo donatum tradere nolebant, & decimas quasdam episcopales interverterant. Hos, cum semel, iterum, tertio admoniti ab iniquis cœptis nollent desistere, publico & sollemni anathemate feriit. Sententiam excommunicationis in eos latam ad Lodemerium Archiepiscopum & Primatem Hungariæ misit, qui eam approbavit; ejusque exempla ad omnes Hungariæ & Slavoniæ Episcopos, itemque ad cœnobiarchas perferri, ab hisque Nicolaum & ejus fratres ecclesiastica communione privatos, vitandosque ab omnibus declarari jussit. Illorum temeritas & audacia potissimum nitebatur patrocinio Elisabethæ reginæ viduæ matris Ladislavi; nam hæc quoque haud leve negotium Timotheo facessit, & magnam molestiam exhibuit. Vereucze, nunc Verocza, & Lipoa, erant duo principatus, quos ex antiqua regum Hungariæ donatione uxores illorum reginæ viduæ pleno quidem jure possidebant; sed exempti non erant onere decimarum Episcopo solvendarum. Porro Elisabetha falsis quorumdam aulicorum ejus cupiditati assentantium suasionibus decepta jus exigendi decimas ex utraque illa regione ademptum Episcopo usurpavit, ac præterea Vascham terram episcopalem in suam potestatem redegit. Timotheus reginæ quidem nomini ac dignitati parcendum censuit, ut sua eum prudentia, & debitus illi honos admonebat; sed in colonos, & habitatores utriusque terræ, qui, decimas reginæ solvere cum jussi fuissent, debitam Episcopo solutionem abnuebant, censuris pœnisque ecclesiasticis animadverti oportere existimavit; ac ne ipse quidem eas infligere voluit, ne in offensionem reginæ incurreret, sed auctoritatem Philippi Legati Apostolici, opemque imploravit. Hic autem rogatu Timothei auctoritatem suam delegavit Præposito Chasmensi, & litteris ad eum datis imperavit, ut populos illos nomine suo, & pœnarum Ecclesiasticarum comminatione interposita, moneret, atque ad solvendas Episcopo decimas compelleret. Cum igitur post trinam admonitionem imperata facere noluissent, Præpositus Chasmensis sacris vestibus indutus in templo ejus oppidi primario ipso festo die omnium Sanctorum inter sollemne sacrificium, sub Evangelium candelis extinctis, æreis tintinnabulis concrepantibus, populos & nominatim 24. Primores utriusque gentis extorres Ecclesia, communione sacrorum omnium, & congressu Christianorum elata voce declaravit, terram vero utramque interdicto Ecclesiastico supposuit. Sed cum ne his quidem terroribus injectis, pœnisque inflictis, jus suum obtinere Timotheus posset, regem supplex adiit; de interversis decimis Episcopalibus, de Vascha regione sibi, ecclesiæque adempta, de censuris Ecclesiasticis contemptis graviter conquestus est; reginam seniorem, non sua quidem, sed quorumdam pravorum consiliariorum culpa hujusmodi malorum caussam esse docuit, quamvis præter ipsius voluntatem & cognitionem: ad extremum multis & supplicibus verbis oravit, ut, quæ ipse, quæ ipsius Pater, Avus, & Majores ejus reges Hungariæ large effuseque donarunt Ecclesiæ Zagrabiensi, ea ut salva, & perpetua esse velit, suaque & illorum beneficia in eam collata tueatur. Audiit Timotheum Ladislavus perbenigne, ut solebat; & collaudata ejus erga se, & Ecclesiam ei commissam fide, integritate, vigilantia, bono animo esse jussit; quæ postulaverat, se libenter facturum promisit. Sed cum reginam matrem sæpius admonuisset, atque adeo orasset, ut quæ abstulerat, Ecclesiæ restitueret, & pro damnis eisdem illatis satisfaceret, nihil tamen impetrare potuit. Itaque litteras ad eam graves illas quidem, & pene objurgatorias, sed plenas observantiæ ac reverentiæ dedit his verbis.

Timotheus jurium & bonorum ecclesiasticorum vindex acerrimus.

Elisabetha mater Ladislavi decimas e suis terris Episcopo solvere vetuit.

Timotheus implorat auctoritatem, opemque Ladislavi,

qui reginam matrem, ut, quæ abstulerat, Ecclesiæ restitueret, gravissimis, & modestissimis litteris admonuit.

Ladislavus Dei gratia rex Ungariæ carissimæ matri suæ Dominæ Elisabethæ reginæ salutem, quam

quam sibi intimo cordis affectu. Cum nos regnum nostrum, & coronam, ac regiminis nostri processum, suffragantibus meritis Sanctorum progenitorum nostrorum, & praesertim Sanctissimi Stephani regis patrocinio suffulti, indubitanter credamus propensius gubernari; admiratione vehementi, mater carissima, cor nostrum concuti non immerito compellitur; quod cum in quibuslibet nostris agendis, ac praesertim in spiritualibus, vestrae discretionis consilio & regimine, etiam nostri juveniles actus esset expediens emendare; unde hoc proveniat, ut in persona vestrae dilectionis, jam urgente deorsum virtute corporea, accendatur & invalescat possessionum ecclesiasticarum invasio, & desolatio, & occupatio indebita contra Deum & justitiam attentata. Cum etenim per nostros frequentes nuncios, & litteras nostri sinceri amoris desideratam unionem saepius requisissemus, ut possessionem Ecclesiae sanctissimi regis Stephani de Zagrabia, Vascha vocatam, occupatam contra Deum & justitiam, relinqueretis, & restitueretis, nullum effectum tam timor Domini, quam nostra precamina sunt consecuta; sed potius, ut refertur, & nobis constat per nuncios nostros, ipsa possessio ad exinanitionem extremam severius, & miserabilius est deducta. Quapropter adhuc petimus affectione, qua possumus, quatenus relinquatis, & remittatis possessionem praefatam Ecclesiae memoratae; & de injuriis, & damnis illatis satisfieri faciatis ad plenum. Alioquin si praefatus Ven. Pater tam evidenti necessitate compulsus, contra personam vestram, & vestros, ecclesiasticam processerit per censuram; nec nobis, quando saepius vos requisiverimus, nec eidem poteritis imputare. Nos etenim ex regali debito officii, eidem Domino Episcopo deesse non possumus; nec post tot admonitiones iteratas, licentiam in prosecutione juris sui aliquatenus denegare. Datum in Potok in festo S. Dominici Confessoris.

Elisabetha nisi admonitionibus obsecuta, quae abstulerat, Ecclesiae restituit.

Elisabetha, his litteris acceptis, demum oculos aperuit, ac vereri coepit, ne quid injustitiae ac fraudis suae ceteroquin bonae fidei subesset, & juris ecclesiastici essent, quae ad jus suum pertinere per ignorantiam existimabat. Quocirca conscientiae aculeis perurgentibus, viros religiosos, & ecclesiasticos, itemque ex ordine laicorum doctissimos quosque, & integerrimae fidei consuluit: quorum omnium una sententia fuit, tum Vascham regionem, tum decimas, de quibus disceptatio erat, juris esse ac ditionis episcopalis. Illa itaque, ut erat femina religiosa & pia, nihil morae interposuit, quin statim omnia, quae abstulerat, Ecclesiae reddiderit; idque suis litteris testatum esse voluit anno 1284. *Elisabeth Dei gratia major regina Ungariae &c. Quia tamen perquisita diligentius, & comperta omnimoda veritate nobis luce clarius constitit, tam per viros religiosos & alias personas ecclesiasticas, quam etiam laicos fide dignos, omni exceptione majores, ipsas decimas ad jus, & proprietatem dicti Ven. Patris Timothei Episcopi Zagrabiensis, ac ejus Ecclesiae procul dubio ac veraciter pertinere; volentes nostrae conscientiae consulere ac saluti; easdem decimas, videlicet frugum, vini, marturinarum, tributorum, fororum, ac portuum praedictarum villarum, ac totius Comitatus villae de Vereucze praefato Vener. Patri Timotheo Episcopo, & successoribus, & Ecclesiae suae reddidimus, & restituimus pure, & simpliciter, sine contradictione, ac pleno jure &c.* Nec vero dubitari potest, quin etiam possessione Vaschensis villae decesserit, eamque Ecclesiae restituerit, quamvis nulla sit ejus villae mentio in litteris modo descriptis.

Ladislavus matris litteras suo regali diplomati inseruit, & regiae auctoritatis praesidio communivit; atque haec subjecit: *Volumus*, inquit, *& decernendo mandamus, quatenus nec praedicta reverenda domina mater nostra, nec quavis alia persona eidem ex regia majestatis gratia succedens, processu temporum, de decimis, & juribus supradictis, contra voluntatem praedicti Episcopi Zagrabiensis, & ejus successorum, in gravamen, & praejudicium Ecclesiae Zagrabien. ulterius intromittere se praesumat.* Cum autem possessio utriusque terrae Vereuczae & Lipoae post mortem Elisabethae senioris perventura esset ad Elisabetham juniorem conjugem Ladislavi, haec quoque, Timotheo postulante, tum litteras socrus suae, tum regis viri sui diploma approbavit, suoque chirographo subsignavit: *Eodem die & anno Elisabeth regina Ungariae consors Ladislai, ad petitionem Timothei Episcopi, insertas ejusdem litteras Elisabeth socrus suae, & restitutionem per dictam. D. Elisabeth factam, in quantum ad illam spectare dignoscitur, cum idem Comitatus de Vereucze sit de praediis ac curtibus reginalibus approbavit.*

Fundus infra arcem episcopalem a Ladislavo, petente Timotheo, restitutus Ecclesiae.

Ad radices illius collis, quem insidet arx episcopalis, erat quaedam area juris ecclesiastici, quam ex indulgentia Episcoporum Bani Slavoniae occupaverant; ibique domicilium sibi aedificarunt. Hanc Ladislavus rogatu Timothei potestati Banorum exemit, & Ecclesiae reddidit, ut ibidem aedes Canonicorum exstruerentur: ex quo dicta est *Area Capitularis*. Diploma confectum est anno 1284. VII. Idus Junii. Haec Balthassar Adamus Kerselichius his verbis: *Anno nempe 1284. VII. Idus Junii regni sui anno XII. Ladislaus rex super fundo, qui nunc area Capitularis dicitur, dedit privilegium, in quo refert, qualiter ex Episcoporum indulgentia Bani Sclavoniae in eo fundo domos & hospitium suum habuerint, isque fundus ita ab Ecclesia abalienatus sit: cum autem a fundatione Ecclesiae ad eam pertinuisse, plane edoctum se fateatur, ait, quod ad preces Timothei Ep. Zagrabien. eum Ecclesiae restituat ita, ut Episcopus eum munire pro fratribus Ecclesiae suae debeat, nempe Canonicis, ne cum vacuus hactenus, & desertus a decem circiter annis fuerit, si deinceps etiam ita maneret, aditus illuc Teutonicis, aut aliis hostibus contra Zagrabiam nocendi pateat. Mandat demum, ne Banus, aut ullus alter Episcopum, vel Capitulum ratione ejus fundi molestet.*

Sacrum Marianum votivum in aede cathedrali Zagrabien. singulis diebus celebrari solebat.

Ex instituto Stephani primi sanctissimi regis Hungariae, qui regnum universum in fidem & clientelam beatissimae Virginis Deiparae contulerat, in omnibus basilicis, aedibusque cathedralibus regni Hungarici sacrificium quotidianum votivum in honorem ejusdem sacratissimae Dei genetricis fieri solebat. Hic mos sane laudabilis in Ecclesiam quoque Zagrabiensem jam inde ab condito Episcopatu receptus fuerat. Sed hujus, & aliarum missarum, & quotidianae psalmodiae oneribus plus nimio se gravatos esse querebantur Canonici, & praesertim Archidiaconi Capituli Zagrabiensis, qui Ecclesias sibi commissas lustrandi visendique necessitate compulsi saepe abesse cogebantur. Erant quidem alii presbyteri & clerici, qui illorum

lorum absentiam supplerent; sed hi neque hujusmodi onera subeundi lege tenebantur, neque ullos ob præstitum Capitulo ministerium proventus percipiebant. Itaque cogitari cœptum est de Clero Zagrabiensi augendo, addendisque ad Capitulum *Præbendariis*, ut vocant, sive *Mansionariis*, qui ad divinas laudes canendas, & missarum onera sustinenda Canonicis adjumento essent, atque in horum locum munusque succederent, si quando illi justis de caussis abessent.

Collegium duodecim Presbyterorum secundi ordinis institutum in Ecclesia Zagrabiensi a Clemente IV. confirmatum.

Constituti sunt omnino duodecim, & sua singulis annua pensio attributa, partim ex fundis, & proventibus Capituli, partim ex piis legatis, partim ex liberali piorum hominum largitione. Ex his conflatum est collegium Presbyterorum secundi ordinis; quod Bela IV. approbante, Philippo Strigoniensi, Stephano Colocensi Archiepiscopis postulantibus, Clemens IV. confirmavit, ut apparet ex ejus litteris datis apud Viterbium anno 1269., quas Kereselichius citat. Anno 1272. Canonicus quidam, nomine Busan, idemque cantor Ecclesiæ Zagrabiensis, pro singulari sua erga sanctissimam Virginem Deiparam religione, constituit, ut sacrum illud Marianum votivum, quod ritu vulgari, & submissa voce recitari quotidie solebat, in posterum solemni cærimonia & cantu, sub auroram singulis diebus peragaretur; duos ad id Sacerdotes destinari voluit, quibus e suo avito patrimonio proventus satis copiosos assignavit. Obstiterat quidem Timotheus institutioni Mansionariorum; ac nisi potestas conferendi hæc minora sacerdotia sibi permitteretur, negabat suum in id consensum umquam se præbiturum. Sed tum regiæ, tum pontificiæ approbationi parendum illi fuit. Porro jus illud & arbitrium nominandi eligendique Mansionarios, quod sine ulla controversia pertinebat ad Canonicos, cum e bonis mensæ Capitulari detractis potissimum constarent proventus illis assignati, paullatim ad se pertrahere cœpit; ac demum, seclusis Canonicorum suffragiis, quoad vixit, pro potestate usurpavit: nec vero Canonici repugnare ausi sunt: quippe summam, qua Episcopus apud regem valebat, auctoritatem & gratiam verebantur.

Timotheus obiit egregie de Ecclesia Zagrabiensi meritus.

Timotheus annos circiter viginti huic Ecclesiæ præfuit, & rem ecclesiasticam ex regum liberalitate, & munificentia, multis opibus, privilegiis, beneficiis auxit. In ædificationem basilicæ cathedralis plurimum operæ, & pecuniæ contulit; eamque copiosa supellectili serica, aurea, argentea instruxit, ut docet Tomcus Marnavitius in Vita S. Augustini Episcopi Zagrabiensis: *Timotheus attamen ejus* (Philippi) *successor ingenti conatu intermissum opus* (ædis cathedralis) *quamdiu vixit, ad summam altitudinem promoverat . . . nec solum muris exstruendis laudabilem operam navaverat; sed & diversis aureis, argenteis, & aliis pretiosis ornamentis sacram supellectilem instruxerat, prout vetera Zagrabiensis sacrarii monumenta testantur*. De Timotheo Auctor Albi Capitularis hæc breviter: *D. Timotheus per provisionem summi Pontificis; qui laudabiliter præfuit Ecclesiæ, quam in diversis ornamentis, & vasis argenteis dotavit. Hic post multa meritoria opera obiit 4. die mensis Aprilis, anno 1287.; cujus sepulchrum apparet ante aram B. V. in Ecclesia majori*.

ANTONIUS EP. ZAGRAB. XIX.

Antonius Ep. ius eligendi Mansionarios Canonicis restituit.

Præpositus Ecclesiæ Albensis, eodem anno, quo Timotheus decessit, in ejus locum, sedemque episcopalem suffectus. Nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Canonicos, quos decessor ab se abalienatos reliquerat, sibi conciliaret. Itaque jus ademptum & arbitrium eligendi Mansionarios illis restituit, cum amplissima potestate non solum eos instituendi, sed etiam exauctorandi, si forte muneri & officio deessent; id quod etiam necessarium esse duxit ad Mansionarios in obsequio, debitaque Canonicis obedientia continendos: cum enim illos neque beneficium electionis, neque metus ejus amittendi cohiberet, nihilque a collegio Canonicorum vel sperarent, vel metuerent, adversus Capitulum superbe & insolenter se gerere cœperunt; nullaque in re subjectos se illi, & obsequentes præbebant. Jus & potestatem Canonicis collatam his litteris confirmavit.

Decretum restitutionis.

Antonius divina miseratione Episcopus Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod cum in Ecclesia nostra Zagrabiensi more aliarum ecclesiarum, mansionariorum, seu præbendariorum Sacerdotum esset raritas seu defectus; tempore piæ memoriæ Domini Timothei prædecessoris nostri, nonnulli ex fratribus .... dum viverent, aliqui etiam in sua ultima voluntate volentes & prospicientes pie hujusmodi defectui providere, affectantes cultum divini Numinis salubriter augmentari, etiam bonis a Deo sibi collatis, Præbendarios seu Mansionarios Sacerdotes ad continuum officium chori, & missæ B. Virginis, disposuerunt & ordinaverunt . . . . . in possessionibus, & vineis, curiis, ac aliis bonis, ad sustentationem prædictorum Sacerdotum præbendæ nomine ordinantes; & hujusmodi Præbendariis, seu Mansionariis . . . . . . decedentibus ipsas præbendas vacantes fratres nostri de Capitulo ab initio contulerunt, ex debito sibi jure competente; & interdum Vener. Pater Episcopus Prædecessor conditione prædictarum præbendarum decedentium Sacerdotum usus fuerit aliquo tempore. Ex qua etiam collatione dicti fratres nostri turbabantur, & interdum . . . . per Sacerdotes . . . . . quorum aliqui pro eo, quod fratres nostri in collatione præfatarum præbendarum nihil juris habere dicebantur, prouti iidem Sacerdotes propter eorum elationem fratribus nostris insultantes frequenter allegabant ipsos in eos nihil juris habere. Propter quod etiam ipsi Sacerdotes fratribus nostris etiam in ipsis divinis exequendis obtemperare interdum pertinaciter denegabant, prout ex ipsorum fratrum audita relatione didicimus, & querela. Nos itaque officio curæ pastoralis nobis divinitus commissæ, præfatorum fratrum nostrorum carissimorum, ut tenemur, remediis invigilare cupientes, volentesque ipsorum scandala removere; nam dum eorum onera excutimus, dum scandala removemus, nos in eorum quiete quiescimus, & fovemur in pace; ad justam petitionem fratrum nostrorum, & quia fuit æquitati proximum, & consonum rationi, voluimus, & decrevimus in pleno Capitulo, una cum ipsis fratribus nostris, ut deinceps, sicut prius usi fuerunt in collatione . . . . . Præbendarum perpetuo, & libere utantur pleno jure, maxime cum hujusmodi

Digitized by Google

modi reditus præbendales, prouti est prædictum, de bonis fratrum nostrorum Canonicorum processisse . . . . . dignoscantur; & quod hujusmodi præbendæ nonnisi personis constitutis in Sacerdotio, non tamen Canonicis, & in Ecclesia continue residere volentibus, per Capitulum conferantur. Quorum etiam Præbendariorum, seu Mansionariorum Sacerdotum, sicut institutio ut prædiximus, sic & destitutio ad Capitulum plene pertineat; si forte in sacrificiis adeo extiterint negligentes, vel alius ipsorum excessus, quod non optamus, & protervitas mereretur. Et ut hæc nostra ordinatio, seu decretum inconcussa stabilitate, seu perpetua firmitate in posterum inviolabiliter perseverent, præsentes nostras litteras exinde concessimus, sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum Zagrabiæ in Octavis S. Michaelis Archangeli. Anno Domini 1287.

Antonius vix sextum a suscepto Pontificatu mense expleverat, cum eum mors immatura præripuit; de quo in Albo Episcopali: *D. Antonius ex præpositura Albensi per electionem factus Episcopus, sex mensibus vixit; obiit anno Domini* 1287., *in die B. Emerici Ducis Sclavoniæ*; idest die 4. Novembris. Tomcus huic Antonio notam inurit abalienati Ecclesiæ patrimonii, hæc scribens; *Antonius, & Joannes unus post alium successores, optimi Timothei utinam instituissent vestigiis, & non potius paratis dilapidandis, ipsoque Meduensi Castro beneficio dicam, an verius maleficio suorum consanguineorum, & animæ propriæ alienando obnoxii fuissent*: quæ in Antonium nullo prorsus modo cadere queunt; *nec reperta hactenus ullibi*, subdit Kerselichius, *quæpiam bonorum Ecclesiæ ab Antonio alienatio, nec tam exiguo gesti Episcopatus tempore fieri potuit. Præterea quæ supra de Antonio allata sunt, pastorem charitatis fuisse loquuntur.*

JOANNES EPISC. ZAGRAB. XX.

Erat Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis. Initio Canonicos obsequio & charitate sibi devinctos retinuit; atque, ut eorum animos arctius sibi obstringeret, insulam quamdam inter Savum, & Szaviczam, quam sub Timotheo Episcopo Andreas Judex Curiæ episcopalis ad Episcopum pertinere contendens Canonicis eripuerat, illis adjudicavit, & restituit. Sed postea quæ caussa Hungaros in contrarias partes distraxit, eadem Episcopum a Capitulo disjunxit. Anno 1290. Ladislavus a Cumenis, quos Hungaris ipsis benevolentia & beneficentia præferebat, quorumque flagitiosa consuetudine depravatus fuerat, per summam perfidiam interfectus occubuit, nullis ex se liberis relictis. Hungari regnum Andreæ, qui nepos erat Andreæ II. regis Hungariæ cognomento Venetus, summo consensu detulerunt; eique Lodomerius Archiepiscopus Strigoniensis die decima tertia ab interitu Ladislavi regium diadema imposuit. Andreas II. moriens an. 1235. Beatricem Aldobrandini Ducis Estensis filiam, quam post obitum Gertrudis primæ uxoris senex duxerat, ex se gravidam reliquit. Hæc, Andrea mortuo, cum sibi a Bela IV. rege privigno metueret, ad parentem in Germaniam confugit, ibique Stephanum Andreæ posthumum peperit. Hic vero, ætate adolescente, cum a Bela fratre suo nihil impetrare potuisset, ne exiguam quidem regni particulam, Venetias se contulit, & Thomasinam Maurocenam lectissimam e primaria Veneta nobilitate feminam in matrimonium duxit, ex eaque Andream filium suscepit. Post pueritiam & adolescentiam Venetiis exactam jam imperio maturum plerique Hungarorum Proceres in Hungariam spemque regni evocarunt; quippe cum nullus esset alius e regali familia, qui Ladislavo succederet; nam is Andream fratrem suum per summam impietatem occidi jusserat. Itaque, Ladislavo interfecto, omnes Andream Venetum una voce regem salutarunt. Hæc tradunt Scriptores Hungarici, & Micha Madius æqualis temporum illorum cap. 1. ad an. 1290.: *Eodem tempore rex Uladis. Ung. a Cumanis occiditur, & Andreas de Moresinis de Venet. per matrem in regem Ung. coronatur*. Sed Andreas duos habuit regni Hungarici competitores, Albertum Ducem Austriæ filium Rodulphi regis Romanorum Imperatoris designati, & Carolum Martellum filium Caroli II. regis utriusque Siciliæ, & Mariæ sororis Ladislavi regis Hungariæ. Ac Rodulphus quidem regnum Hungariæ, Ladislavo sine liberis extincto, quasi vacuum & caducum, in potestatem imperii Romani rediisse censebat; huic enim jure, ut vocant, feudali obnoxium esse contendebat. Itaque Alberto filio fiduciarium id regnum dare decreverat. Sed post aliquot prælia commissa, & Austriam superiorem ab Hungaris devastatam, & mortem Rodulphi anno 1291. extincti Andreas cum Alberto rem composuit, hujus filia in matrimonium ducta. Major illi & diuturnior contentio fuit cum Carolo Martello, qui jure consanguinitatis propius, quam Andreas, Ladislavum attingebat. Erat enim filius Mariæ sororis Ladislavi, quæ Carolo II. regi Siciliæ nupserat. Huic favebat Nicolaus Papa IV., qui, cum Hungariam ex constitutis & actis S. Stephani primi Hungarorum regis vectigalem Apostolicæ Sedis esse affirmaret, Carolo Martello per suum Legatum Neapolim missum anno 1391. possessionem ejus regni dedit, simulque regium diadema imposuit: quin etiam ab eodem Pontifice Rodulphum absterritum fuisse ajunt ab regno Ecclesiæ Romanæ tributario invadendo.

Mortuo Ladislavo Hungari regem appellant Andream cognomento Venetum.

Duo regni Hungarici competitores, Albertus Dux Austriæ,

& Carolus Martellus filius Caroli II. regis Sicil.

Auctoritas Pontificis non paucos ex Hungaria, plures e Slavonia ab Andrea rege disjunxit, inter quos Joannem Episcopum Zagrabiensem, qui ab Carolo Martello contra Andream constantissime stetit. Sed Canonici tum Zagrabienses, tum Chasmenses cum plerisque Episcopis, & proceribus Hungariæ fidem Andreæ regi datam juratamque non minus acriter, & constanter servarunt; a qua cum nullis Episcopi suasionibus abduci possent, utrosque Joannes hostilem in modum persequi, & vexare cœpit; & perinde ac si omnia sibi ex episcopali potestate licerent, in illis, atque in illorum & Ecclesiæ bonis dominari voluit, ac Paullum Canonicum Cantorem, quod acrius vehementiusque caussam ageret regis Andreæ, eique, quoscumque posset, fautores adjungeret, in carcerem detrusit; alios etiam sibi adversantes ac repugnantes pessime habuit, multisque molestiis affecit. Cum Andreas anno 1292. Zagrabiam venisset, ut dissidia illa componeret, & Episcopum sibi conciliaret, ille regis vitandi caussa se ex urbe proripuit. Porro Andreas col-

D[illegible] inte[illegible] nem [illegible] & Canonicos, cum hi Andreæ, ille Carolo Martello studeret.

Andreas rex tributum fori Zagrabiensis donavit.

Digitized by Google

collaudata Canonicorum fide, tributum fori Zagrabiensis integrum illis concessit, *pro anima sua, & Capituli fidelitate; cum post obitum exitialem sine herede Ladislai regis* (ut est in ejus diplomate) *quasi ab avitis laribus, & regali solio quodammodo peregrinus, & diutius fastiditus, tandem ad thronum a Deo sublimatus esset &c. Datum Zagrabiæ 1292. IV. Kalendas Junii*. Post regis discessum Joannes in urbem rediit, longe ferocior, quam antea, & Canonicis infensior. Doctissimos quosque Canonicorum, & maximæ auctoritatis, qui sibi obsistere poterant, Sacerdotio & omni proventu privatos e Capitulo ejecit; eos retinuit, & in expulsorum locum quosdam extraneos, ac præsertim ex natione italica, subrogavit, quos suæ voluntati obsequentes futuros existimabat. Goganum quemdam Canonicum lectorem creavit, eique custodiendum tradidit sigillum capitulare, quo ad arbitrium nutumque Episcopi uteretur. Ut vero ex ordine laicorum defensores, atque ad ea, quæ cœperat, perficienda adjutores haberet; hos bonorum ecclesiasticorum alienatione, & largitione sibi adjungendos putavit. Multa itaque castra, & territoria episcopalia abalienavit; atque in primis castrum Medve impensis Ecclesiæ ædificatum, quod rex Ladislavus Timotheo reddiderat; deinde castrum Garich, itemque terras episcopales in Comitatu Ivanicensi, Gardino cuidam nobili viro triginta marchis argenteis vendidit, seu potius donavit. Sunt tamen qui non ipsum castrum Medve, sed ejus præfecturam sive administrationem Gardino in perpetuum demandatam fuisse docent. Is vero a fide deficiens jus plenum & integrum dominium ejusdem castri usurpavit. Sed postea ob ejus enormia scelera captus, & regi Andreæ traditus, trudique in carcerem jussus; ut justis se meritisque pœnis eximeret, atque in libertatem vindicaret, castrum Medue regiæ potestati permisit. Præfecturam ac tutelam hujus castri Andreas Nicolao Torustio Veneto, is moriens fratri suo Janino mandavit; quo interempto, in ejusdem castri possessionem invasit Marcus frater Nicolai & Janini, idemque Canonicus Zagrabiensis; ac tantum abfuit, ut Marcus Ecclesiæ illud restitueret, ut per summam injustitiam tribus fratribus Stephano, Joanni, Radoslavo, cognomine Bobanoghiis vendiderit. Ita castrum Medue ab Joanne alienatum, & ex aliis ad alios dominos deinceps devolutum, nequidquam Episcopo & Canonicis reclamantibus, in potestatem Ecclesiæ numquam redivit. Præterea idem Joannes Episcopus terram Guelchensem prope Vascham, aliasque terras juris ecclesiastici, cum aliis emolumentis tum ex portorio Dravi, tum aliunde provenientibus, Nicolao, & Oliverio filiis Petri Comitis de Szille, & Comitatum Gersenczem filiis Henrici Bani donavit. Nec vero a bonis & prædiis Capituli abstinuit, atque ut benevolentiam civium urbis Græcensis caperet, illis undecim ipsas villas capitulares, itemque duas alias Herzellio civi Græcensi cognato suo, jure perpetuo possidendas tradidit: quæ traditio & donatio ut legitima esset, Canonicos facile perpulit, ut eamdem approbarent, signoque Capitulari obsignari juberent: Canonici quippe omnes ex ejus arbitrio nutuque pendebant; alios enim beneficio electionis sibi devinctos habebat, alios autem vel sua auctoritate metuque, vel fortassis etiam munerum largitione sibi obsequentes reddiderat. Id solum utilitatis Joannes præstitisse dicitur Ecclesiæ suæ, quod in solo ac ditione episcopali oppidum Ivanichium ædificaverit, egregieque munierit adversus Ugrinum, qui cum Andrea rege stabat, & cum alias terras Episcopatus Zagrabiensis, tum Chasmensem Comitatum itidem episcopalem, incolis vel occisis, vel captis, villis direptis, agris incensis fœdum in modum devastasse fertur. Sed Michael proximus Joannis successor Ugrinum non solum omni culpa pœnaque liberavit, sed etiam ob ejus in regem Andream, in Ecclesiam, in Capitulum merita, honoribus, & præmiis affecit. Sunt qui ab Joanne conditore, vel certe ab æde S. Joannis Baptistæ ibi exstructa, Ivanichium oppidum ac territorium appellatum existimant. Nam *Ivan* apud Slavos idem est, atque apud Latinos *Joannes*. Ex litteris posteriorum Antistitum Ovanichii datis obsignatisque colligi potest ibidem interdum sedem & curiam episcopalem fuisse.

Joannes ecclesiastica bona episcopalis & Capitularis mensæ alienavit.

Castrum Ivanichii exstruxit.

Joannes suos & laudatores habuit, & vituperatores, sed hos multo plures. Quod auctoritati & voluntati Pontificis ut obsequeretur, Caroli Martelli partes secutus fuerit; id laude aliqua dignum videtur; quod vero Canonicos suos indignum in modum vexaverit, & optimos quosque ejectos e Capitulo exulare coegerit, & quod gravissimum fuit, bona Ecclesiæ alienaverit, id sempiternam illi notam infamiæ inussit; & moriens anno 1295. apud plerosque & fere omnes odiosam sui nominis memoriam reliquit; de quo Joannes Archidiaconus: *Joannes ex Præposito Zagrabiensi factus Episcopus abalienavit multa, Ecclesiam ad persecutionem posuit, maxime vero Capitula; nullo sui desiderio relicto obiit 13. Octobris 1295.* Vulgo tradunt eum ignominiæ caussa extra Ecclesiam sepultum fuisse, & lapidi sepulchrali aures asininas insculptas. Vulgarem fabellam explodit Balthasar Adamus Kereselichius; itemque Thomas Kovalcevichius, qui eum conditum fuisse censet in basilica cathedrali ad latus aræ maximæ, infra solium episcopale.

Pauca laudabilia fecit, longe plura deprehensione digna.

MICHAEL EP. ZAGRAB. XXI.

Vix Joannes obierat, cum Andreas rex de consilio Stephani Archiepiscopi Colocensis, Michaelem Episcopum Zagrabiæ nominare festinavit, ne Bonifacius VIII. Pontifex præoccuparet dare Zagrabiensibus Antistitem, qui animos civium & incolarum, ab imperio regis Andreæ abductos, ad partes Caroli Roberti adjungeret. Nam Carolus Martellus rex Hungariæ per Pontificem designatus, e vita decedens anno eodem, quo Joannes Episcopus 1295. Carolo Roberto filio suo, undecim annos nato, regnum Hungariæ jure hæreditario reliquerat, eique itidem, ut parenti auctoritas Romani Pontificis favebat; & jam non pauci erant in civitate, totaque Slavonia & Hungaria, non minus Roberti filii, quam Martelli parentis, cupidi ac studiosi, qui Episcopatum Zagrabiensem Michaeli collatum ægerrime ferebant, eique urbem ingredienti vi atque armis obstituri videbantur. Itaque regio exercitu opus fuit, quo Michael stipatus & communitus civitatem, & sedis episcopalis possessionem iniret. Suscepto Episcopatu nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut quæ decessor perperam egerat, atque decre-

Michael vi armisque urbem ingressus.

Digitized by Google

decreverat, emendaret atque rescinderet, Canonicos ejectos e Capitulo in pristinum dignitatis locum restituit; summotis omnibus, quos Joannes contra jus fasque in ejectorum subsellia intruserat; neque enim hæc legitime vacabant, cum neque illi voluntaria abdicatione decessissent, neque ulla fuerit justa caussa, cur expelli debuissent; & præterea ex antiqua lege & consuetudine, tum Italis, tum omnibus extraneis hominibus aditus ad collegium Canonicorum Zagrabiensium obstructus erat. Gaufredinus quidam Canonicus, quo consiliario, auctore, administro Joannem ad omnia, quæ perperam gesserat, usum fuisse constabat, ut meritam pœnam subterfugeret, fugam sibi, & exsilium conscivit. Gorganum vero illum, quem Joannes e scriba, sive notario episcopali Canonicum lectorem creaverat, eique custodiam sigilli Capitularis tradiderat, ad suum tribunal per præconem citari jussit; & convictum infidelitatis, quod injussu Capituli eo sigillo ad plures litteras nomine Capituli obsignandas abusus fuerit, e collegio Canonicorum amovit, & omni sacerdotio privavit; in ejus locum substituit, & Canonicum lectorem fecit Dominicum quemdam, eximiæ fidei atque integritatis virum; simulque protoscribæ, sive protonotarii episcopalis munus eidem contulit. Decrevit autem ne in posterum penes lectorem esset signum capitulare; sed ejus custodia, ejusque utendi potestas ad publicas tabulas, nomine Capituli, jussuque obsignandas ei traderetur, quem ipsi Canonici e numero & collegio suo deligerent; præterea sancivit ne ratæ haberentur ac legitimæ quæcumque ab Episcopo donationes fierent, nisi eas Canonici approbarent, & tabulæ donationum utriusque episcopalis & capitularis [illegible] auctoritate munirentur. Deinde Canoni[illegible] [illegible]avit, ut omnia Joannis Episcopi acta, [illegible]taque colligerent, sibique afferrent; & [illegible] justitia & æquitate aliena esse compe[illegible] omnia, quæ non tam sua sponte & vo[illegible], quam malevolorum consilio, & im[illegible] Joannem fecisse, & decrevisse ait, irrita [illegible] omninoque abrogavit.

quæ decessor perperam egerat, vel decreverat, emendavit, & abrogavit,

[illegible]is [illegible]ite sapienterque constitutis & peractis, [illegible]ona Ecclesiæ recuperanda, quæ decessor [illegible]naverat, omni studio & contentione in[illegible]it. Sed cum hæc e manibus illustrium ac [illegible]potentium virorum extorquenda essent, ar[illegible] & milites adhibere necesse habuit. Castrum [illegible] Comitatum Gerlenczem filiis Henrici Ba[illegible] item castrum Garich Gardino, cum redde[illegible]llent, armatis militibus ereptum recepit, [illegible]e hunc titulum usurpare, suisque decre[illegible] consuevit; *Michael Dei gratia Epi[illegible]pus Zagrabiensis, & Comes de Gersencze & [illegible]ich*; G[illegible]inus vero qui traditam sibi ab Jo[illegible] post [illegible] castri Medued adhuc retinebat, ob Garich amissum, graviter exarsit; & cum Episcopum ulcisci non posset, Canonicis Zagrabiensibus molestus esse cœpit; quibus ad suos milites alendos eadem tributa, & cibaria imperavit, & per potestatem exigere volebat, quæ solebant Episcopo solvere, cum castrum illud erat sub ditione episcopali. At Michael nolens Ecclesiam suam cuiquam tributariam esse, vetuit Canonicos quidquam contribuere; si autem vim pararet, vim vi repellere decrevit. Extat ejus ad Canonicos epistola his verbis scripta: *Michael Dei gratia Episcopus Zagrabiensis & Comes de Gersencze, & Garich. Honorabilibus viris fratribus suis in Christo charissimis, Capitulo Zagrabiensi sinceræ charitatis augmentum cum benedictione paterna. Relatum est nobis quod Gardinus Castellanus de Medved a vobis peteret victualia; unde cum Ecclesiam nostram sibi, vel cuiquam alteri tributari non velimus; devotioni vestræ universitatis mandamus in præsentibus scriptis, quatenus dicto Castellano de Medved de victualibus breviter nihil detis, nec dari faciatis.*

Gardinus odio iraque efferatus ob denegatum tributum, Zagrabiam cum manu magna suorum satellitum repente advolat; & plebe adversus Episcopum & Canonicos concitata, illectaque ad spem ingentis prædæ, in basilicam irruit, quam sacro thesauro ablato expilavit; tum furorem impetumque omnem in ædes Canonicorum convertit, quas non solum diripuit, sed etiam evertit, aut labefactavit: Dominicum lectorem male mulctavit, & Canonicos, quos fuga repentinæ irruptionis non subtraxerat, captivos abduxit: quod cum nunciatum fuisset Michaeli Episcopo, qui tum forte aberat, copiis auxiliaribus ab utroque Bano Slavoniæ & Dalmatiæ acceptis, statim accurrit, Gardinum cum præda abeuntem insecutus assequitur, undique suis militibus circumsessum oppugnat, victum captumque Andreæ regi puniendum dedit. Ille tradito regiæ potestati castro Medved, quod de Joanne Episcopo emerat, non solum impunitatem assecutus est, sed etiam libertatem redemit. Quos suis bonis spoliaverat Joannes, ob criminationes seu veras, seu falsas eisdem illatas, eoque, quem tenebant, dignitatis loco dejecerat, omni culpa pœnaque liberatos in integrum Michael restituit, honoribus ac præmiis affecit, veluti Ugrinum Comitem, quem, ob ejus erga regem & Ecclesiam fidelitatem, summis laudibus extulit, villaque ac possessione Gulynchi donavit, quam per sententiam judicialem Gardino ademerat; qua quidem in sententia Gardinum *hostem & tyrannum notorium, Dei & Ecclesiæ Zagrabiensis gravissimum persecutorem* vocat; Ugrino autem præclarum fidei atque integritatis testimonium dedit his verbis: *Quod cum nobilis vir Comes Ugrinus filius Andreæ, in omnibus operibus supremæ fidelitatis ab antiquo S. Matri Zagrabiensi Ecclesiæ, ac nostris prædecessoribus, demumque nostræ assistens personæ studuerit laborare; cujus nos fidelissimis servitiis gratuitæ retributionis præmio respondere volentes, quamdam possessionem Gulynchi vocatam, in Comitatu nostro de Ivang existentem, quam videlicet quondam Comes Gardinus hostis & tyrannus notorius Dei, & prædictæ S. Matris Ecclesiæ Zagrabiensis gravissimus persecutor, per collationem D. Joannis prædecessoris nostri .... dignoscitur possedisse, pro nefandis excessibus digne ablatam, sub metis & terminis infrascriptis, cum utilitatibus, & pertinentiis &c. dedimus, donavimus, contulimus &c. Datum Chasmæ in festo B. Georgii, per manus discreti viri magistri Dominici lectoris Ecclesiæ Zagrabien. tunc protonotarii nostri. Anno Domini* 1299. Henricus olim Banus, cum Georgio & Matthæo Grubessa fratribus, terræ Chasmensi & Episcopi atque Capituli agris plurima & maxima damna intulerant. Utrumque fratrem Michaelis Episcopi admonitu & reprehensione compunctos facti pœnituit; atque ut illata maleficia compensarent, villam Mergereuchem *Episcopo & Ecclesiæ in recompensationem damnorum suo-*

Gardinus basilicam, & ædes Canonicorum diripuit,

& quosdam Canonicos captivos abduxit.

Quos Joannes bonis spoliaverat, Michael in integrum restituit.

suorum & hujusmodi excessuum emendationem, libera & spontanea voluntate sua tradiderunt, & dederunt, ac assignarunt jure perpetuo possidendam. Hæc in tabulis donationis eodem anno 1299. confectis.

Fautores Caroli a Bonifacio Papa eum sibi regem deposcunt.

Cum hæc in Slavonia & Zagrabiæ gererentur; nec deessent in Hungaria, Slavonia, & Dalmatia, qui aversis ab Andrea rege animis, Carolo Roberto studerent; ab his nuncii Romam venerunt, qui a Bonifacio VIII. Carolum regem deposcerent, & expeterent. Hac postulatione nihil gratius Pontifici esse poterat; nam cum Nicolaus IV. & Cælestinus V. regnum Hungariæ, Ladislavi morte vacuum, jure hæreditario ad Carolum Martellum devolutum esse decrevissent; acta & decreta decessorum suorum rata habenda esse censebat, & omni ope operaque sibi enitendum, ut Carolus Robertus, Martelli demortui filius hæresque, illius regni potiretur. Itaque Nicolaum Boccasinum Cardinalem & Episcopum Ostiensem, virum doctrinæ, prudentiæ, sanctitatis eximiæ, legatum in Hungariam misit, ejusque legationi Dalmatiam, Chrobatiam, & Poloniam etiam adjecit. Caput legationis erat, ut animos illarum gentium Carolo conciliaret; eumque ut omnes pro legitimo rege haberent ac reciperent, omne studium curamque adhiberet. Ubique tam in Dalmatia, quam in Hungaria honorificentissime acceptus est, pro eo ac decebat legatum Sedis Apostolicæ; sed non ita multos reperit, qui se Caroli fautores palam aperteque profiterentur. Episcopos fere omnes cum universo clero, & plerosque regni proceres Andreæ sic addictos, deditos, obstrictos invenit, ut ab eo nulla ratione abduci posse viderentur. Zagrabiam accessit; nullum honoris erga illum, debitæque observantiæ officium Michael Episcopus prætermisit; tantum vero abfuit, ut legati suasionibus a fide, quam dederat Andreæ, se divelli pateretur, ut potius Caroli ne nominandi quidem suasor ei fuerit, nisi vellet in odium offensionemque illorum populorum incurrere. Ceteri etiam Episcopi, ac præsertim Colocensis, salva erga regem fide, perhonorificos se legato præbuerunt; quin rex ipse, pro sua adversus Romanam Ecclesiam reverentia, eum muneribus coluit, & delectis e sua prætoria cohorte militibus usque ad confinia regni comitatum dimisit. Ita multa ille quidem variis in locis salubriter pieque decrevit, quæ necessitas atque utilitas rei christianæ & ecclesiasticæ postulabat; sed re infecta, cujus caussa potissimum venerat, in Poloniam discessit.

Bonifacius per Gregorium ab se creatum Archiepiscopum Strigonii Carolum regem Hungariæ inauguravit.

Interea dum Nicolaus legatione Hungarica fungebatur, Bonifacius Papa, ut Carolus Robertus regnum sibi ab Sede Apostolica decretum atque adjudicatum adipisceretur, nihil curæ operæque prætermittebat. Cum Lodomerius Archiepiscopus Strigoniensis anno 1299. diem extremum obiisset; jus illius Archiepiscopi nominandi creandique pro suprema sua potestate ad se revocavit; & quemdam nomine Gregorium Metropolitam Strigoniensibus, & Primatem Ecclesiis Hungariæ dedit; isque ex mandato Pontificis Carolum, sacra unctione adhibita, regem Hungariæ inauguravit; quod jus & munus regum Hungariæ inaugurandorum erat proprium Antistitum Strigoniensium; sed regiam coronam, quæ Albæ asservabatur, imponere non potuit; cum cæteroquin ad reges rite initiandos, & civitatem illam requiri, & coronam illam necessariam esse, seu lege, seu consuetudine sancitum fuisset.

Comites Breberienses ab Andrea ad Carolum deficiunt.

Magno adjumento ad regnum Hungariæ obtinendum Carolo futuri esse videbantur Comites Breberienses, ea tempestate magnis opibus, & copiis præpollentes, qui longe lateque in Dalmatia, Chrobatia, Bosina imperabant. Hi autem ab Andrea ad Carolum desciverant. Georgius Comes Almissi, & maritimorum civitatum, filius Paulli Bani Chrobatiæ & Dalmatiæ, itemque Domini Bosinæ, in Italiam trajecerat, Neapolim & Romam adierat; utque a Bonifacio Sedem Episcopalem Sibenicensibus, Mariæ Reginæ, Caroli aviæ, precibus interpositis, impetraret, utrique operam suam, & Paulli Bani patris sui, ac totius familiæ Breberiensis, ad Carolum in possessionem regni Hungarici inducendum detulerat. Quod suo & communi Comitum Breberiensium nomine pollicebatur, quantum in ipso fuit, egregie præstitit. Itaque Carolum suæ fidei commissum, impositumque in suum navigium, & aliquot Neapolitanis triremibus honoris & præsidii caussa comitatum, in Dalmatiam traduxit. Spalatum appulit; quem Spalatenses regio apparatu acceptum, pro eo ac talis & tanti hospitis nobilitas poscebat, munifice lauteque tractarunt. Sed quamvis Petri Archiepiscopi hortationibus ac precibus, & insuper Comitum Breberiensium imperio, metuque urgerentur; fidem tamen Andreæ datam servarunt; neque ulla ratione adduci potuerunt, ut alium ab Andrea regem agnoscerent; in ejusque verba jurarent: id quod ex tabulis Spalatensibus perspici potest, in quibus nomen Andreæ regis, quoad vixit, semper inscriptum reperitur. Profectionem Dalmaticam & Hungaricam Caroli, plerique in annum extremum sæculi decimi tertii conjiciunt. Sed mihi pluris est auctoritas Michæ Madii Spalatensis, æqualis temporum illorum, & fortassis etiam, ut Joannes Lucius censet, testis oculati, qui Caroli adventum in Dalmatiam ad initium sæculi revocavit: *Anno Domini MCCC., mense Augusti, tempore Bonifacii Papæ, D. Carolus nepos Caroli II. regis Siciliæ per mare cum galeis Spalatum applicuit, ubi per mensem, vel fere duos stetit.* Ergo Carolus Spalato discessit, multis ille quidem, maximisque honoribus, & muneribus cumulatus, sed neque a Spalatensibus, neque a cæteris Dalmatis pro legitimo rege ac domino habitus; eumque Paullus Banus parens Georgii, a quo Spalatum perductus fuerat, cum suis equis & copiis, conjunctis cum exercitu, quem Neapoli advexerat, Zagrabiam deduxit: *Egrediensque de civitate Spalati*, ait Madius, *in comitatu Pauli Bani versus Hungariam ad usurpandum regnum prædictum de manu Andreæ regis, venit Zagrabiam, & ibi in manibus Hugrini traditur.* Extant litteræ Bonifacii ad Clerum populumque Hungariæ, in quibus Pontifex Carolum regem legitimum Hungariæ, Andream vero illius regni *Administratorem* vocat; huic tamen obtemperare Hungaros jubet interea, quoad Carolus in Hungariam veniret. Michael Episcopus ne Pontifici minus obsequens, & in Carolum inofficiosus videretur, Zagrabia secesserat. Sunt qui Carolum Zagrabiæ ab Gregorio, Archiepiscopo Strigoniensi per Pontificem declarato, diadema regium, cæteraque insignia regalia iterum accepisse tradunt. Ex adventu Caroli Andreas tantum mœroris hausit, ut

Digitized by Google

ut paucos intra menses Budæ moreretur, scilicet anno 1301., xix. Kalendas Januarii. Nec vero mors Andreæ Carolo profuit, ad ejusque partes Hungarorum accessionem attulit; negabant siquidem juris esse Pontificis Romani, ut regem suo arbitratu eligeret, & Hungariæ daret; atque ob eamdem caussam Gregorium a Bonifacio creatum Archiepiscopum Strigonii recipere nolebant; cum hujus nominandi potestatem ad reges Hungariæ, illius vero electionem ad Proceres atque Antistites Hungariæ pertinere affirmarent. Itaque utrumque repudiabant. Qui Carolum regem a Bonifacio postulaverant, manebant illi quidem in ejus fide atque obsequio, sed qui Carolo & Pontifici adversabantur, numero, auctoritate, viribus longe superiores erant; neque illos de proposito susceptaque sententia deducere potuit Nicolaus Legatus Pontificius, quem post obitum Andreæ spes rei bene gerendæ in Hungariam e Polonia revocaverat. Hi ergo regnum Venceslavo regi Bohemiæ detulerunt. Regnum oblatum ipse quidem recipere noluit; sed Venceslavum filium adhuc impuberem Hungaris non invitis regem dedit. Ita duo erant eodem tempore ejusdem regni competitores; neuter annum ætatis undecimum excedebat.

Joannes Arch. ep. Colocen. Venceslavo filio regis Bohemiæ Albæ coronam S. Stephani imposuit.

Joannes Archiepiscopus Colocensis Venceslavum Albam deductum regali corona imposita, ceterisque insignibus regiis ornavit: *Joannes Archiepiscopus Colocensis* (ut Part. 2. Chronic. scriptum reliquit Thuroctius) *cum Episcopis aliis supra nominatis honorifice coronarunt* (Venceslavum); *Sedes namque tunc & Archiepiscopatus Strigoniensis vacabat*. Incredibile dictu est, quantam ea res indignationem Pontifici commoverit, *tum quod*, ait Spondanus, *Caroberto* (idest Carolo Roberto) *jus propinquitatis magis, quam Venceslao competeret, tum denique quod non ad Colocensem, sed ad Strigoniensem Archiepiscopum potestas renunciandi, & inaugurandi regem pertineret*. Verum Archiepiscopus Colocensis ex antiqua lege & consuetudine munus regis inaugurandi usurpaverat, quod tunc sedes Strigoniensis vacare censebatur; quippe Gregorium a Bonifacio electum neque Antistites, neque Proceres Hungariæ recipere voluerant. Utcumque res esset, Bonifacius, litteris datis ad Nicolaum Legatum Sedis Apostolicæ, Joannem Metropolitam Colocensem, itemque Michaelem Zagrabiensem, Benedictum Vesprimiensem, T. Jaurinensem Episcopos, & alios Primores Ecclesiæ Hungaricæ, quod Joanni Venceslavum inauguranti assensum & ministerium præbuissent, Romam ad tribunal pontificium citari jussit, ut facti sui rationem redderent. Idem Bonifacius controversiam, quæ de regno erat inter Carolum & Venceslavum, ad se revocavit; & utrique per eumdem suum legatum imperavit, ut sepositis armis, per se, vel per procuratores, Romam adiret ad suam quisque caussam agendam; se, momentis rationum, quæ utrique parti faverent, vel officerent, diligentissime perpensis, pro eo, ac jus & veritas postulat, sententiam laturum. Adamus Balthassar Kercselichius tradit omnes, qui partis Venceslavi erant, adversæque Carolo factionis, a Bonifacio generali anathemate confixos fuisse: id quod Hungarorum animos adeo exacerbavit, ut parum abfuerit, quin violentas in ipsum legatum pontificium manus injicerent; sed præsidio illi fuit Michael Episcopus; qui eum ab omni injuria prohibuit, eique tutum ab omni periculo reditum in Italiam patefecit: *In summo discrimine*, inquit, *Legatus Papæ fuerat; at Michaelis Episcopi servatus beneficio fuit, ut summam postea cum eodem Boccasinus amicitiam coluerit*. Interea Carolus, cum fautorum suorum paucitati diffideret, una cum Gregorio Strigoniensi Archiepiscopo in Italiam rediit. Carolus in Italiam redit.

Cum Joannes Archiepiscopus Colocensis diem obiisset, Stephanus in ejus locum suffectus paruit mandato Pontificis, qui Joannem ad se purgandum Romam accersierat. Cum Stephano venerunt Michael Zagrabiensis, & ceteri Episcopi, quos idem Pontifex per suum Legatum ad curiam Romanam citari jusserat. Per idem tempus a Maria Regina Siciliæ, tum a Carolo Roberto procuratores venerunt, qui aviæ & nepotis caussam defenderent, & jus utriusque hereditarium regni Hungarici obtinendi probarent. At Venceslavus rex Bohemiæ veritus judicium Pontificis, & caussæ suæ diffidens per internuncios varias excusationes attulit, cur nullos miserit procuratores ad suam & filii caussam tuendam; quæ cum futiles essent, & commentitiæ, damnatus est contumaciæ; & pridie Kalendas Junii an. 1303. Anagniæ in conventu frequentissimo Cardinalium & Præsulum, Mariæ, & Carolo regnum Hungariæ Pontifex adjudicavit; & quicumque illorum imperia detrectarent, suamque illis fidem solemni sacramento obstringere nollent, eos anathemate feriit. Vetuit regem Bohemiæ, vel ejus filium regem Hungariæ nominari; & quicumque in utriusque leges ac verba jurassent, eos hujusmodi sacramenti vinculo exsolvit. Ex sententia Bonifacii quasdam particulas decerpere libet: *De plenitudine potestatis in apertam contumaciam eorumdem Bohemiæ regis, & filii, in præsentia Prælatorum, & plurium Capellanorum familiarium nostrorum, & aliorum in consistorio vocatorum, præsentibus eorumdem Bohemiæ regis & filii nunciis ac excusatoribus suprascriptis, de fratrum nostrorum Consilio decernimus, definimus, declaramus, & volumus, quod prædicta Maria in toto ipso regno Hungariæ, & pertinentiis suis omnibus, ac ubique terrarum Regina Hungariæ, & dictus Carolus rex nuncupentur apertis labiis, scriptionibus vulgatis, & in documentis publicis titulentur; quodque prælati, clerici cujusque dignitatis &c. religiosi, & alii cujuscumque Ordinis, nec non Comites, sive Bani &c. dictis regni Hungariæ reginæ & regi nepoti, tamquam ejusdem regni Hungariæ reginæ ac regi legitimis parere & intendere &c. procurent*. Antea vero de regibus & Episcopis per Legatum citatis ad Curiam Romanam hæc præfatus fuerat: *Eodem legato prædictos regem & filium, ac Carolum legitime citante, sicut per ipsius litteras & verbum postea nobis evidenter innotuit: ac adveniente peremptorio termino, in ipsa citatione statuto, præfata Regina Siciliæ intimato jam sibi ex parte nostra per alium, quod ipsa etiam, si sua interesse putabat, in memorato termino compareret; & jam dictus Carolus per procuratores idoneos sufficienter instructos, tamquam devotionis, & obedientiæ filii comparuerunt cum debita reverentia coram Nobis; Venerabilibus fratribus nostris S. Archiepiscopo Colocensi, M. Zagrabiensi, T. Jeurien., & B. Vesprien. Episcopis, ac dilectis filiis nonnullis Archidiaconis,* Regnum Hungariæ Carolo adjudicatum.

& Præpositis de ipso regno Hungariæ ex præfatæ citationis vigore comparentibus similiter cum eisdem. Jam dicti vero Bohemiæ rex & Natus non comparuerunt per se, vel per alium in termino præfinito, nec postea; sed sub cujusdam palliationis astutia excusatores miserunt &c.

Datum Anagniæ secundo Kalendas Junii, pontificatus nostri anno IX. *idest* 1303.

Ad Curiam Romanam igitur in judicium vocati fuerunt tum Carolus & Venceslavus, tum Antistites in litteris pontificiis nominati, & alii Proceres ecclesiastici, sed non ob eamdem caussam, hi quidem, ut regiæ coronæ Venceslavo impositæ rationem redderent, illi autem, ut jus Hungarici regni potiundi, quod ab se stare uterque volebat, quibus rationibus niteretur, exponerent. Ac Pontifex quidem, ut dictum est, secundum Carolum judicavit. Sed de illis Episcopis Hungariæ quid statuerit ac decreverit Bonifacius, litteris proditum non invenio. Verisimile est Stephanum Colocensem Archiepiscopum absolutum esse, cum Venceslavi regis inaugurati culpam omnem, si qua erat, in Joannem decessorem contulisset, reliquos vero, cum suam fidelitatem atque obedientiam Carolo regi professi ac polliciti essent, venia donatos, atque in gratiam Pontificis receptos fuisse. Odoricus Raynaldus tradit Stephanum Archiepiscopum Colocensem, & Michaelem Zagrabiensem Bonifacii sententiam, quam tulerat secundum Carolum, in Hungaria, & Bohemia promulgare jussos fuisse.

Stephanus Colocensis Archiep. absolutus; reliqui Episcopi fidem regi Carolo polliciti in gratiam recepti.

Eodem anno 1303. VI. Id. Septemb. Sarra Columnensis, instinctu Philippi regis Galliæ, cui gravissimæ erant cum Bonifacio & acerbæ dissensiones, ingenti satellitio stipatus Anagniam irrupit, & concitata plebis seditione palatium pontificale invasit, ac Bonifacium captum, ignominioseque tractatum in carcerem condidit. Inter hunc tumultum Gregorius electus Strigoniensis interfectus fuisse traditur: *Per idem tempus*, ut Micha Madius scripsit, *D. Papa Bonifacius Ananiæ a familia regis Franciæ, & Columnensibus fuit captus; & D. electus Strigoniensis Gregorius nomine occiditur a filiis Nicolai de Columna*. Sed postea ipse populus Anagninus facti pœnitens, Columnensibus expulsis, Pontificem vinculis exemptum summo cum honore Romam perduxit. Verum ille ex mœrore ignominiæ injuriæque acceptæ intra paucos dies decessit. Huic in Sedem Romanam suffectus est Nicolaus Boccasinus Episcopus Cardinalis Ostiensis legatione Hungarica jampridem perfunctus, qui Benedicti XI. nomen assumpsit.

Benedictus XI. Papa Archiepiscopatum Strigonii collatum Michaeli Ep. Zagrab. confirmat. Augustinum Gazottum Dominicanum Ecclesiæ Zagrab. præficit.

Cum de nece Gregorii in Hungariam allatum esset, Episcopi, Proceres, & clerus universus Hungariæ auctores fuerunt Venceslavo, ut, nulla mora interposita, Metropolitam Strigoniensem nominaret, ne videlicet novus Pontifex Benedictus exemplo decessoris, suoque arbitratu Hungaris vel invitis Archiepiscopum obtruderet; simulque regem rogarunt, ut summum illud Hungariæ Sacerdotium Michaeli Episcopo Zagrabiensi viro eximiæ virtutis, & doctrinæ conferret. Venceslavus, ut fidelitatem erga se, & benevolentiam Hungarorum magis sibi, magisque adstringeret, eorum voluntati ac precibus morem gessit, quamvis fortasse non ignoraret Michaelem, postquam Roma redierat, non eodem erga se animo esse, atque antea fuerat. De Archiepiscopatu sibi tradito cum Benedictum per litteras certiorem fecisset, Pontifex maximopere gavisus est, electionem approbavit, eique in Sedem Zagrabiensem Augustinum Gazottum virum sanctissimum ex Ordine Dominicano substituit; & rescribens ad Michaelem tum novum Episcopum, tum Carolum regem ei commendavit, huic quidem ut quamplurimos posset fautores adjungeret, illum vero in Sedem Zagrabiensem, omni obstaculo remoto, admittendum curaret. De Michaele Episcopo Zagrabiensi scriptum reliquit Joannes Archidiaconus: *Armis providebat, quantum potuit Ecclesiam suam, postmodum per provisionem Benedicti* (mallem confirmationem dixisset) *translatus fuit ad Archiepiscopatum Strigonii*; (quem unum & quatuor menses tenuit vita functus anno 1305.). *Hic possedit Castrum de Gersencze, & de Garich*. Paullus Ritterus testatur ab se lectum esse diploma Michaelis Episcopi *datum Chasmæ in Dominica Reminiscere per manus discreti viri Magistri Puch Lectoris de Possega Protonotarii nostri anno Domini MCCC.*; ex quo colligitur, inquit, *Possegam ad Episcopatum Zagrabiensem pertinuisse*. Ceterum de oppido & Comitatu Possegensi multæ, ut supra diximus, Episcopo Zagrabiensi, & graves contentiones fuerunt cum Episcopo Quinqueecclesiensi.

Post discessum Michaelis, ante adventum Augustini Henricus & Joannes Henrici olim Bani Slavoniæ filii, cum Castrum Gersencze sibi a Michaele ereptum acerbissime ferrent, illatæ sibi, ut putabant, injuriæ ulciscendæ caussa, villicos Ecclesiæ, & colonos agrorum Episcopalium, spe ingentis prædæ oblata, ad rebellionem concitarunt. His alii atque alii eadem spe illecti se adjungunt; ex quibus exercitu haud exiguo conflato urbem & Ecclesiam Zagrabiensem invadere ac diripere parant. Servorum agrestium rusticana concitatione ac seditione nunciata, Pancratius Cantor, idemque Vicarius Capitularis undique auxilia cogit, clericos ipsos & religiosos viros ad communem defensionem armat; cum his magistratus & cives urbis Græcensis, & quidquid militum præsidiariorum erat in civitate regia, se conjungunt. In ea planitie, quæ civitatem Capitularem & urbem regiam interjacet, commissum est prælium sane cruentum ad pontem Circuniczæ fluvio impositum, unde *Pons sanguineus* appellatus est; magna utrinque cædes facta est. Hostes cum suis ducibus repulsi sunt; qui, vastatis agris, & opulenta præda pecorum, & aliorum cujusque generis abducta, Strigonium ire contendunt; & aliis facinorosis hominibus ac prædonibus in itinere collectis, in urbem irrumpunt, ærarium & archivum Ecclesiæ Strigoniensis expilant, templa diripiunt, clericos cædunt, virginibus sacris vim inferunt, nemine tam enormia sacrilegia & latrocinia ulciscente; quippe sub rege incerto inter factiones, civilesque discordias omnia pessum ierant, judicia & leges silebant, atrocissima quæque scelera impunitate gaudebant.

Henricus & Joannes Fratres, concitata plebe rusticana, Zagrabiam invadere constituunt.

S. AUGUSTINUS EP. ZAGRAB. XXII.

Hujus vitam omnibus sanctimoniæ notis insignem latine descripsit Joannes Tomcus Marnavitius Archidiaconus Zagrabiensis, ac deinde Episcopus Bosnensis, eamque Sigismundus Ferrarius in appendicem ad historiam provin-

Digitized by Google

ciæ Hungaricæ Dominicanæ, Guilielmus Cuperus in Acta Sanctorum, & tomum primum, diemque tertiam mensis Augusti transtulit: ex qua nos non pauca decerpsimus. Augustinus illustri prosapia natus est Tragurii anno circiter 1260., quem alii Gazottum, vel Gazothum, alii Cassotum, vel Cassiothum cognominant; neque audiendus est Leander Albertus, qui eum natione Hungarum fuisse scripsit. Parentes habuit Nicolaum Gazothum patritium Traguriensem, & Dragoslavam ex familia Dragævia inter Sibenicenses primaria haud generis nobilitate, quam virtutum splendore clariores, quorum piis præceptis & exemplis educatus pueritiam egit ex eorumdem sanctissima disciplina. Vix e pueris excesserat, cum, relicta paterna domo, & mortalibus rebus nuncio remisso, dedit nomen in laudatissima D. Dominici sodalitate annos natus fere septemdecim. In ea tam solida religiosæ vitæ, & præclara fundamenta jecit, ut adolescens senibus, tyro veteranis, tamquam absolutum humilitatis, obedientiæ, omnium denique virtutum exemplar proponeretur. Vestigiis S. Patris Dominici sedulo insistens ejus sanctitatem ita in seipso expressit, ut alter Dominicus appellari soleret. Post exactum tyrocinium, & Philosophiæ curriculum confectum Parisiis Teodogiæ operam dedit. Sunt, qui tradunt in hisce Theologicis studiis magistrum habuisse D. Thomam Aquinatem. Sed si fides habenda est Codici Carcassonensi Bernardi Guidonis, Augustinus in familiam Dominicanam aggregatus fuit anno 1277., vel sequenti, cum Divus Thomas ante triennium, vel quadriennium, videlicet anno 1274. ad superos migrasset; hoc enim in eo Codice Bernardus ex Soegio Dominicano scriptum reliquit: *Oriundus de Traguria civitate, quæ est in Dalmatia, in lingua Sclavonica; intravit in ordinem anno MCCLXXVII. vel MCCLXXVIII.* Quare Echardus de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum Tom. I. ex auctoritati Codicis Carcassonensis, Augustinum numero Auditorum S. Thomæ merito expunxit: *S. Thomæ Auditorem fuisse quidam comminiscuntur, quod ex anno, quo nomen dedit Ordini, omnino evertitur.* Joannes Michael Pius, qui latine citari solet sub nomine Plodii, in opere Italico de viris illustribus Ordinis Dominicani, tradit Augustinum anno 1286., idest duodecimo post obitum S. Thomæ Parisios studiorum caussa cum Fratre Jacobo Ursino missum fuisse. *Quæ ratio temporis a Plodio ex multis gravibus auctoribus assignata,* (ut ait Sigismundus Ferrarius part. 2. lib. 1. cap. 12. de Rebus Hungaricæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum) *si vera est, non video quomodo B. Augustinus potuerit esse S. Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris auditor, ut non semel asserunt viri eximii, cum S. Doctor mortalitatem jam exuisset anno Christi 1274., nimirum ante annos duodecim.* Hinc per conjecturam elici ac designari potest annus natalis B. Augustini; nam si *a pueritia*, ut lectiones Breviarii Lucerini, vel *adolescens*, ut lectiones Dominicani Breviarii docent, *Ordinem Fratrum Prædicatorum intravit*; decimum sextum, vel septimum ætatis annum agebat, cum institutum S. Dominici amplexus est. Anno autem 1277., vel 1278., ad quem codex Carcassonensis initia vitæ religiose ab Augustino susceptæ alligavit, annis sexdecim, vel septemdecim detractis, ejus ortus in annum sexagesimum, vel alterum & sexagesimum sæculi decimi tertii incidat necesse est. Augustini autem obitus cum nequeat dimoveri ab anno 1323., ut postea demonstrandum erit, vixerit oportet annos circiter tres & sexaginta, nec parum aberat a septuagesimo ætatis anno, cui scriptores aliqui ejus mortem affigunt, cum eum prope septuagenarium obiisse affirmant.

Augustinus Gazotus nobili genere natus Tragurii.

Ad Familiam Dominicanam adscriptus eximiis virtutibus floruit.

Ejus annus natalis,

& emortualis.

Annos fere sex & viginti in ea religiosæ vitæ ac disciplinæ Dominicanæ palæstra, unde innumerabiles viri Doctrina & Sanctitate præstantes prodierunt, ita transegit, ut jam inde a tyrocinio ad sublimem perfectionis Evangelicæ apicem pervenisse visus esset; ipse tamen quotidie se ipso melior, & perfectior fieri videretur. Refert Echardus dignam Augustino sententiam ex Anonymo Ordinis Dominicani scriptore quam in Cod. Colbert. 2104. *Collectio exemplorum* inscripto reperiit, quamque prolatam puto ad quempiam Zagrabiensis Cœnobii fratrem Dominicanæ familiæ: *respondit*, inquit anonymus, *B. Augustinus nostri ordinis Episcopus Gacabriensis Fratribus dicentibus, ut rogaret quemdam baronem, ut eis daret tantam pecuniæ quantitatem, quam sibi legaverat talis dominus, putantes quod daret propter reverentiam ampliorem quam ad ipsum habebat, non enim per duos annos eis solverat: Pater meus (S. Dominicus) mihi reliquit in testamento, ut possessiones temporales non haberem, & pater illius (nempe baronis, a quo petebant) reliquit, ut haberem. Prius volo, & obligor servare jura testamenti patris mei quam sui. Et petere noluit*: nec sibi tantum bonus esse, sed omnibus, quacumque posset ratione, prodesse studuit. Magistri nomen & lauream adeptus juniores sui ordinis alumnos Philosophiam, ac Theologiam docuit, id potissimum spectans, ut eos tum præceptis doctrinarum imbueret, tum vero suis cohortationibus & exemplis ad perfectionem religiosæ vitæ instrueret, atque excitaret. Utroque magisterio summa cum laude perfunctus totum se contulit ad juvandos homines, eosque ad rectum salutis iter omni ratione reducendos. Nec solum Italiam, sed etiam Dalmatiam, & Bosinam potissimum ea tempestate Manichæorum refertam concionibus, & excursionibus Apostolicis peragravit. Ubicumque verbum divinum disseminavit, quamplurimos vel a vitiis ad virtutem, & vitam Christiano homine dignam, vel ab hæresi, & schismate ad rectam in Deum fidem, & sinum Ecclesiæ Catholicæ revocavit. Sunt, qui Augustinum a Bonifacio VIII. Romam accersitum fuisse tradunt, ut in palatio Pontificio Concionatoris Apostolici munere fungeretur.

Ejus vita religiosa & perfecta.

Benedictus XI. ex Ordine Prædicatorum ad supremum totius Ecclesiæ Regimen evectus anno 1303. XII. Kalen. Novembris Augustinum ejusdem disciplinæ Dominicanæ alumnum propter singularem ejus doctrinam & virtutem sibi cognitam ac perspectam summopere amabat, & plurimi faciebat. Cum ergo Michael e Zagrabiensi ad Strigoniensem Ecclesiam migrasset, neminem Augustino aptiorem invenit, cujus fidei, prudentiæ, & sanctitati Ecclesiam ab illo relictam temporibus illis difficillimis regendam traderet. Episcopum rite consecratum, suisque monitis & mandatis instructum in Hungariam misit, & pallium eidem cum litteris commendatitiis deferendum dedit ad Metropolitanum-

A Benedicto XI Episcopus Zagrabiensis electus, & consecratus.

Digitized by Google

utrumque Michaelem Strigoniensem, & Stephanum Colocensem. Sigismundus Ferrarius, & Joannes Tomcus Marnavitius referunt duplex miraculum ab Augustinum editum, antequam ex urbe discederet; alterum hoc est: cum Pontifex chiragra laboraret, Augustinus prius, quam se in viam daret, faustam ab eo precationem petiit, & pio ejus manibus osculo impresso, omnem articulorum dolorem in perpetuum dispulit; alterum vero, cum ad mensam Pontificiam invitatus fuisset, aves eidem appositas, quibus vesci per leges Dominicani instituti ei non licebat, in pisces convertit; vel avolasse, & in earum locum pisces divinitus substitutos fuisse ajunt. Utrumque miraculum, cum ab antiquis Scriptoribus tacitum ac prætermissum sit, neutri fidem adjungere, vel derogare ausim. Sane Benedictus æque, atque Augustinus, disciplinæ Dominicanæ tenax, & observantissimus erat, nec passus fuisset, opinor, ad suam mensam carnes adhiberi.

Duo miracula, antequam ex urbe discederet, ab eo patrata dicuntur.

Ergo Augustinus in Hungariam profectus anno 1304. utrique Metropolitæ pallium detulit, & Pontificia mandata exposuit, in quibus illud erat præcipuum, ut Carolo Roberto Hungariæ regi ab Sede Apostolico declarato ad regnum illud obtinendum auctoritatem suam operamque conferrent. Jampridem multi tum in Hungaria & Slavonia, tum prælertim in Dalmatia inclinatione voluntatum propendere in Carolum cœperant; & plures quotidie, relicto Venceslavo, ad ejus partes accedebant. Dalmatia fere omnis imperium Caroli acceperat; & *Caroli regis Hungariæ* nomen publicis tabulis tum Tragurinis *anno* 1303. 20. *Octobris*, tum Spalatensibus *anno* 1304., *penultimo Aprilis* inscriptum reperitur. Plerique vero Episcopi, & proceres Hungariæ, ac præsertim duo Metropolitæ Strigoniensis & Colocensis, pallii accepti beneficio deliniti, suasore Augustino, auctoritatem Romani Pontificis secuti, ejusque tum adhortationibus impulsi, tum comminationibus perterriti se se Carolo adjunxerant. Nec tamen deerant ex nobilitate & plebe, iique numero ac viribus propemodum pares, qui pro Venceslavo starent, atque in ejus fide & obsequio constanter manerent. Quare Hungaria tota in duas factiones divisa, cum alteri pro Carolo, alteri pro Venceslavo ad pugnandum parati obstinassent animis vincere, aut mori, ad bellum civile idemque cruentissimum spectabat. At Venceslavus rex Bohemiæ, cum fidei, aut viribus Hungarorum, qui suarum partium erant, diffidere, ac Venceslavo filio metueret; cum exercitu in Hungariam profectus anno 1304. filium Hungaris ereptum cum Regia Corona in Bohemiam reduxit. Anno autem proximo moriens regnum suum filio reliquit. Mors Venceslavi voluntates Hungarorum ab Carolo aversas non immutavit; & cum spes omnis tum regis e Bohemia recipiendi, tum auxilii indidem sibi ferendi eos deseruisset, Othoni Bavariæ duci regnum Hungariæ detulerunt. Hic regnum oblatum avidius, quam cautius accepit; & cum a Venceslavo impetrasset, ut sibi cederet quidquid juris ad regnum Hungaricum obtinendum consanguinitas cum regibus Hungariæ illi dabat, simulque regalem coronam avectam ex Hungaria traderet, statim profectus est in Hungariam; & honorifice acceptum ab illis, qui eum e Bavaria evocaverant, deductumque Albam Benedictus Vesprimiensis Episcopus immemor fidei Carolo coram Pontifice obstrictæ, & Antonius Episcopus Chanadiensis jus, quod erat Primatis Strigoniensis, sibi usurpantes regem consecrarunt, corona S. Stephani, quam secum detulerat, eidem imposita VIII. Idus Decembris anno 1304., vel proxime sequenti. Ceteri Episcopi, & multi Proceres, qui aderant, ne factum illud, quod nequibant impedire, sua præsentia approbare viderentur, alii alio abierunt. Horum ab Othone alienatio eidem maxime obstitit, quo minus delatum sibi regnum assequeretur, ut postea dicemus. Nunc ad Augustinum revertamur.

Pontificis nomine, & jussu hortatur duos Metropolitas, ut Carolo faveant.

Vénceslavo abeunte, qui Carolo adversabantur, Othonem ducem Bavariæ evocarunt.

Michael Archiepiscopus Strigoniensis, ad quem Augustinus Pallium, & mandata Pontificis detulerat, eximiæ sanctitatis specimem ex ejus aspectu, & sermone cum cœpisset, virum summa laude dignum omni officio atque honore coluit, Ecclesiam ab se relictam ei magnopere commendavit, multis beneficiis ac muneribus cumulatum dimisit. Zagrabiam regressus primum omnium illud sibi curandum censuit, ut forma gregis factus ex animo, non tam verbis, quam exemplis Clerum populumque ad honestatem, religionem, pietatem colendam excitaret. Nihil de pristina religiosæ vitæ ratione immutavit, eamdem in victu cultuque parsimoniam retinuit, eadem jejunia erant, & perpetua a carnibus abstinentia, idem corporis affligandi studium, eadem orandi assiduitas, idem rerum humanarum contemptus, eadem animi submissio, & comitas erga omnes, ac benignitas. Ut vero perfugium sibi pararet, quo sui colligendi caussa statis temporibus se reciperet, & ab hominum frequentia segregatus rerum cælestium contemplationi vacaret, Patribus sui Ordinis prope palatium Episcopale domicilium & Templum S. Nicolai ædificavit. Ad eos identidem secedere solebat, ut dissipatas in varias occupationes & negotia vires animi colligeret, & quidquid temporis ab curis Episcopalibus vacui nancisci poterat, ibidem partim precationi ac meditationi, partim vitæ Monachalis exercitationibus tribuebat. *Aliquando a quodam e suo Clero interrogatus*, (ut est apud Marnavitium) *cur ita frequenter ad monasteria se reciperet Episcopus, cujus esset in medio populorum semper inveniri, respondit .... Sicut viator itineris labore fessus, divertit recreandus ad publica hospitia, ita pastor animarum ad religiosa receptacula*. Alterum Patribus Dominicanis Cænobium apud Chasmam fundasse, dicitur a Rittero: at subdit Kovacevichius; *obsistunt monimenta Ecclesiæ Zagrabiensis, quæ familiam Dominicanam ante Augustinum Chasmæ stetisse testantur, signanter fassio quædam coram capitulo Chasmensi, & conventu eorundem religiosorum super possessione Mergereuche Episcopo Michaeli celebrata anno* 1299. vero tamen similius est, idem Cœnobium agris, & vineis fuisse dotatum ab Augustino. Horum egregiam operam ad gregem sibi commissum tum verbis divinis, tum Sacramentorum pabulo alendum adhibuit. His quoque negotium dedit, ut clerum ad rectam sacrorum rituum, & cantus ecclesiastici rationem instruerent. Hinc factum fuisse arbitror, ut liturgiæ Zagrabiensis, quæ paullulum a Romana differt, sit Dominicanæ persimilis. Collegium Canonicorum in ordines classesque descripsit: ut quisque dignitate antecedit, ita sedere ex ordine jussit.

Ejus vita Episcopalis ad omnem sanctimoniam composita.

Zagrabiense Cœnobium Patribus Dominicanis fundavit.

Tra-

Digitized by Google

Præposito majori, *lectori*, *cantori*, quæ *Columnæ* Capituli vocantur, & *Præposito Chasmensi* primatum loci attribuit; his proxima subsellia Archidiaconis decrevit; post hos *Sedem* Custodis, quæ quarta est *Columna* Capituli, constituit; reliquos Canonicos in postremum locum rejecit. Sunt qui *Præbendarios*, sive *Mansionarios* ab Augustino Canonicis additos fuisse existimant; sed horum institutionem ad Timotheum Episcopum referendam esse ostendimus; restitutos potius fuisse dixerim, cum ob superiorum temporum calamitates, rerumque publicarum perturbationem id collegium prope dissolutum fuisset. At vero dubitari non potest, quin ipse Clerum Chasmensem *Præbendariis*, sive presbyteris secundi ordinis auxerit, quos adjutores Capitulo Chasmensi adjunxit.

Collegium Canonicorum in tres classes divisit, & Præbendarios Chasmenses instituit.

In ædificationem Basilicæ Cathedralis a suis decessoribus inchoatam, plurimum operæ pecuniæque contulit; dilexitque in primis decorem domus Dei, quam ad divinum ministerium pro dignitate peragendum, itemque ad ornatum altarium, sacra supellectili & pretiosa, & copiosa donavit; atque sacrarium ejusdem Basilicæ, cum aliis Divorum reliquiis, tum S. Petri Martyris Dominicani coxendice, & integro brachio locupletavit. *Non defuit interim fabricæ Ecclesiæ cathedralis* (ut Joannes Marnavitius in ejus Vita), *a Timotheo*, *ut diximus*, *promotæ*, *quam licet ad suum fere culmen perduxisset*, *nullibi tamen insignia gentilitia*, *aliorum more sculpi*, *sicut nec sacræ supellectili*, *altariumque ornamentis*, *quibus omnibus munificentissime prospexit*, *incidi vel assui permisit*. Idem confirmat Balthasar Kerelelich. *Basilicam reparat*, *& præteritis tumultibus* sacra *spoliatam supellectile ornat*, *instruit*, *sacris reliquiis providet*.

Ædem cathedralem fere ad fastigiis perduxit.

Omnes in eo virtutes, quæ dignitatem episcopalem ornant, utilemque humano generi faciunt, maximæ minimæque elucebant. Sed singularis, ac prorsus eximia erat ejus erga homines cujusque generis charitas & benignitas; ipse tenui victu cultuque contentus, quicquid parsimonia domesticis sumptibus, vel necessariis, detrahebat, large effuseque in pauperes erogabat. Tria Xenodochia, unum ad S. Petrum, alterum in Villa nova, tertium ad S. Elisabeth ab eo condita & dotata feruntur, ad ægrotos curandos, & peregrinos excipiendos alendosque. *Viscera charitatis erga omnes indigentes habuit effusissima perpetuo*, ut scripsit Marnavitius, *neque enim nisi necessariis sustentationi suæ*, *& familiolæ admodum exiguæ*, *servitio suo dicatæ*, *retentis ex effluentissimo sacro proventu*, *reliqua omnia Christi pauperibus*, *hospitibus*, *& peregrinis volebat esse communia* . . . . *Occurrebant illi pauperum*, *debilium*, *infirmorum turbæ; aibi ex pastorali benedictione incolumitatem*, *illi ex largitate piæ dexteræ vitæ subsidia imploraturi; quos omnes mira charitate exceptos*, *& sermonibus*, *& factis expediebat paternis; observatumque fuit*, *innumeri licet ad eum egentes accederent*, *neminem ferme umquam ab eo sine necessario recessisse subsidio*. *Illud quoque pro certo habitum est*, *cum tantæ profusioni redditus Episcopales*, *amplissimi licet*, *minime responderent*, *illius providentia nihil illi defuisse*, *cujus ope millia turbarum ex paucis panibus*, *& piscibus*, *in desertis locis abunde quondam satiari consuevere*.

Ejus charitas, & effusa in miseros & egentes beneficentia.

Juris ecclesiastici vindex acerrimus fuit; atque ut bona ecclesiarum sive per incuriam amissa, sive per fraudem interversa recuperaret, nullis impensis, & incommodis parcebat. Quamvis suapte natura mitissimus esset; ubi tamen res ac tempus posceret, severitatem adhibebat, illudque, ut præclare scripsit Balthasar Kereselich, *optime implevit*: *Irascimini*, *& nolite peccare*, *dum in reos animadvertit*. *Marcum Torustium*, inquit, *privavit beneficiis*, *ob calumniam Capitulo impactam*, *quo Capituli consiliis fratres sui in Arce Medue a rusticis interempti fuerint*. *Propter infidelitatem possessionem quamdam in Urbaz a Comitibus Ladiba per sententiam aufert*, *eamque in prædium Petro Cantori Vicario suo contulit* 1312. *Possessiones Blagussa & Podgoria quondam impigneratas pro Ecclesia reluit*. *Capituli bona a Petro Nepren coram Stephano Bano de dato Salin.* 31. *Decembris vindicat*, *& a filiis Meneslai Miren. prædium prope Savam Capitulo per sententiam ejusdem Bani obtinet*.

In reis puniendis severitas, in bonis ecclesiasticis recuperandis cura impensa.

Cum e suggestu de vitiis ac virtutibus ad populum sæpissime verba faceret; in eo potissimum argumento versabatur, quod tempora illa factionum & discordiarum plena postulabant, ut omnes ad pacem, mutuamque charitatem colendam adhortaretur. Ipse vero mira dexteritate, qua plurimum valebat, & blanda oratione, nonnullos proceres tam sæculares, quam ecclesiasticos in pristinam concordiam reduxit. *Extant hodie*, inquit Marnavitius, *plura documenta conciliatarum invicem plurimarum nobilissimarum familiarum*, *opera sancti viri*, *apud aliquos regnorum Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *atque Sclavoniæ nobiles*, *præsertim vero apud nobilissimos totius orbis christiani Comites Frangipanicos*, *sobolem vetustissimæ gentis Aniciæ Romanæ*, *ut diximus*. *Apud cujus heroicum germen Nicolaum vidi nuper nobile monumentum compositionis mediatore Augustino factæ inter magnificos viros Stephanum Banum Sclavoniæ*, *Joannem*, *& Radoslaum Comites fratres*, *super tricesimarum quarumdam perceptione*, *& abolitione*, *nec non super divisione tributorum*, *provenientium in Ztenisnizk*, *& Zanobor*.

Studiosus pacis & concordiæ.

Omnia, quæ sunt Pontificis, munera & officia accuratissime exsequebatur; nullos defugiebat labores, nullaque in re sibi parcebat, ut gregis sibi concrediti commodis consuleret, & utilitati, salutique serviret. Diœcesim sæpe lustravit; ter synodum diœcesanam coegit, annis scilicet 1307. 1314. 1318. ut tradit Balthasar Kereselich, & præclare decreta in illis & constituta contineri ait in *libro Statutorum Capituli*; in quibus præcellens Augustini religio, doctrina, prudentia, & singulare disciplinæ & sanctitatis ecclesiasticæ tuendæ, augendæque studium elucet. Ex his fortasse Joannes Tomcus Marnavitius argumentum & materiam sumpsit illius orationis, quam in consessu parochorum ab Augustino habitam fuisse ait, quamque ipse Marnavitius suis verbis expressit & composuit: *Aliquando*, inquit, *congregata diœcesana synodo*, *ubi multa circa sacras leges observanda proposuisset*, *ex illo Evangelii themate*, *Vos estis lux mundi*, *ita fertur clerum suum allocutus*.

Diœcesim lustravit, ter Synodum Diœcesanam convocat.

Quoniam fratres carissimi, *divina adjuvante gratia*, *nequaquam ad eos est mihi sermo*, *quorum viæ tenebræ & lubricum*, *ut divinus occinit psaltes; sed cælesti favore*, *& Spiritu sancto assistente*, *vos alloquor*, *qui tanquam stella per-*

Ejus præclara ad Parochos qui ad synodum convenerant oratio.

perpetuæ æternitatis inter procellas turbatissimi maris hujus vitæ prælucetis, ut luce vestra, nulla eclypsi tenebrarum offusa, naufrago peccatori ad portum salutis iter ostendatis, dum ex hodierno Evangelio nobis omnibus Christi Sacerdotibus insinuantur illa verba: Vos estis lux mundi, & luceat lux vestra coram hominibus; expedit ut breviter inquiramus ex consideratione materialis cerei, luci præstandæ præparati, qualem esse conveniat evangelici Sacerdotis conditionem, ut illa evitare possimus, quæ lampadi ardenti, & irreprehensibili, per Sacerdotem vobis in fonte baptismali consignatæ possent obesse, & Christo jubenti, ut luceat lux nostra coram hominibus, satisfacere valeamus.

Lampas itaque quod cerea materia conflētur certum est. Hæc porro materies nequaquam ex mineralibus, vel aliis subterraneis fodinis obscurissimorum fœtentissimorumque lacuum, inferno proximorum colligitur, sed ex speciosissimis æque, ac nobilissimis floribus, quos amplissimo sinu bilari pompa tellus ostentat. Hinc Sacerdos evangelicus nequaquam ex quolibet sexu, membrorumque deformitate, sed ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, religione catholica, omni labe carens infamiæ, nulla morum deformitate compaginatus, exemplo Danielis & sociorum puerorum ex semine regio, in quibus nulla esset macula, cælestibus mysteriis tractandis efformatur. Nec satis habetur, ut cera colligatur ex iis, quos diximus, speciosissimis, nobilissimisque exhilaratæ terræ floribus in eum finem, ut fiat apta lampadi conficiendæ; sed nobilitati & speciei florum suavitas accedat necesse est. Pari ratione non sufficit, ut ex nobiliore sexu, legitimis natalibus, religione catholica, omni labe nefaria carens, morum nulla deformitate compaginata efformetur sacerdotalis lampas; sed iis omnibus accedat est necesse suavitas mansuetæ naturæ, piæ educationis fragrantia, ut Christi bonus odor esse possimus; etenim ipsemet Daniel cum sociis, quamvis ex genere regio, & sine macula cognoscerentur, ad ministerium regis admissi fuissent nequaquam, nisi omni sapientia, & disciplina fuissent edocti.

Et quamvis ex nobilissimis, speciosissimis, ac demum suavissimis floribus materia ceræ decerpatur, non tamen lampadi componendæ fit apta, nisi prius & lingua apum purgetur, stillantiumque labellorum ejusdem animantis proficiatur industria; animantis, inquam, natura castissimi, occupatione operosissimi, legum & disciplinæ tenacissimi: sic & Sacerdos, non quia natalibus præstat & moribus, lampadi evangelicæ concinnandæ censetur idoneus, sed testimonio vitæ excellat, exquiritur. Etenim cum nequaquam inter ministros Babilonicæ aulæ, sed inter aulicos immaculati agni sit adscribendus, ejusmodi virtute debet insigniri, cum de talibus scribatur: „Hi „sunt, qui cum mulieribus non sunt coinqui„nati; virgines enim sunt, & sequuntur agnum „quocumque ierit. Et quoniam is debet esse Sacerdos, qui facie ad faciem negotium omnium maximum, salutem nempe humani generis tractaturus est cum Deo, hac puritate polleat necessum est; ipsa enim Veritate testante, mundi solummodo corde Deum possunt intueri. Cujus rei præstantiam penetravit qualicumque modo cæcutiens olim gentilitas, quæ curam succendendorum turium ad aram Deæ, ut appellabant, Vestæ, decreto Romani Senatus, virginitate præstantibus puellis censuit committendam.

Industria item apis post puritatem mentis, & corporis imitandæ est Sacerdoti otii evitandi gratia; nam juxta illud tritum innumera mala docuit otiositas; hinc maximus Doctorum noster Hieronymus Rustico monacho normam religiose vivendi perscribens: „semper, inquit, aliquid fa„cias, ut te Diabolus occupatum inveniat. Nimium indecens est videre hominem ecclesiastico muneri adscriptum, sacro charactere insignitum otiose per plateas spatiantem, meliorem partem diei in domibus magnatum, in tribunalibus litigantium, & quod pejus est, inter greges compotantium dies integros traducere, suppresso talentò virtutis sibi a Deo communicatæ, sed &, quod pessimum est, abliguriendo, prodigendoque proventus ecclesiasticos sibi pietate fidelium legatos, sæpius imminutione proprii patrimonii, præjudicio prolis & posteritatis, qua nihil carius in humanis. Revocate vobis in memoriam, fratres mei, Apostolos primos christianæ scholæ Doctores labore manuum victitasse, unde Paulus, quamvis omnium ecclesiarum sollicitudinibus occupatus totus, non erubescit id fateri; quinetiam, ut habemus in Actis Apostolicis, gloriatur coram Ephesina Ecclesia talis industriæ exercitio, dum ait: „Argentum & aurum aut vestem „nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad „ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum „sunt, ministraverunt manus istæ. Et mox exemplo suo præcipit idem a reliquis fidelibus factitandum, dum subjungit: „Omnia ostendi vobis, „quoniam sic laborantes oportet suscipere infir„mos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam „ipse dixit, beatius est magis dare, quam accipere. Nec audiendi qui dicunt, sat bene provisus & ditatus sacris proventibus non eget, ut labore manuum sibi consulet; etenim Apostolus expresse id faciendum præcipit, ut habeamus, unde tribuamus necessitatem patienti; tribuimus ex bonis ecclesiasticis, ut ajunt; at istud est officii, respondet Apostolus, imo & debiti; cum ait ad Corinthios: „Sic nos existimet homo, ut ministros „Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic „jam quæritur, ut inter dispensatores fidelis „quis inveniatur: id est juxta Patrum interpretationem ut ita fideliter utamur proventibus Ecclesiæ, quatenus quidquid necessitati nostræ (necessitati dico, non opulentiæ, non prodigalitati, non luxui, non popinis, non scortis) superest, totum teneamur Christi fidelibus, nostris fratribus, tanquam ejusdem corporis membris, utpote egentibus erogare; tum quia æqua ratione pertinent ad illos sicuti ad nos; tum potissime, ut refrigerio, & saluti illorum piorum, a quibus tales proventus instituti fuere, sit consultum. Fur alioquin habendus quilibet nostrum, & patrimonii Christi fraudator, æternisque cruciatibus mancipandus, donec minimum quadrantem solvat ibi, ubi nullus, nisi per mortalitatis pœnas, invenitur solvendi modus. Iccirco, ut eleemosyna sacerdoti prosit, sacerdotali manu parandam illam requirit Apostolus. Quam ob rem Hieronymus noster, ditissimi alioquin hæres patrimonii, ad Marcum Celedensem scribens exactissime a se Pauli præceptum executum testatur cum ait: „Nihil alieni præripui, nihil otiosus „accipio, manu quotidie, & proprio sudore „quærimus cibum, scientes ab Apostolo scri„ptum esse: Qui autem non operatur, nec man„ducet. Hæc Hieronymus. At, inquiet aliquis, omnium artium ignarus habeor; respondeo: scribere, legere quicunque novit Ecclesiasticus, satis

Digitized by Google

tis gnarus habetur, unde tali labore, atque industria tam publico, quam privato bono consulat. Veteres illi monachi, eodem Hieronymo teste, neminem intra suum consortium operis alicujus ignarum admittebant.

Penes castimoniam, & industriam tertia dos naturalis apum sequitur legum observantia, & disciplinæ tenacitas; quibus apes unicum suum principem prosequuntur, venerantur, & colunt; cujus imperio ita sunt addictæ, ut pro illo vitam prodigere minime timeant, & qua sui principis hostem justum credunt ferire, inde sibi honestum, ac necessarium putant perire, prout ipse Maro de iisdem cecinit.

„ Pulchramque petunt per vulnera mortem.

Et vir servitio, cultuique Regi Regum dicatus operæ pretium censebit, postquam mille sophisticis excogitationibus prælati sui ejusdem Regis Regum præsentiam exhibentis leges, & jussa pro sua libidine distorserit, & interpretatus fuerit, expresso legum, & legis latoris manifesto contemptu, innumeris inventionibus exceptionum, & appellationum, ut vocant, contumacis, & refractarii capitis sui obstinationem fulcire? quid quod jubeat Apostolus: „ obedien„ dum Dominis, & præpositis etiam discolis? *Pudeat Christianum sacerdotem, inter Ethnicos eam fuisse erga unius Pythagoræ dogmata æstimationem, & reverentiam, ut sola responsione,* Magister dixit, *illius mandatis contra quorumcumque aliter suadentium auctoritatem acquiescerent. Pudeat nos discipulos illius Magistri, qui gloriam suam in eo collocatam voluit, dum scholam inter homines exercuit, ut obediens ad mortem usque cognosceretur, pudeat inquam nos prælatis nostris per fas, & nefas velle præesse. Mitto hic clericos caussarum sollicitatores, litium immortalium incentores, eos denique etiam sæpe judices litigantibus patrocinantes, cum apud Ethnicos advocatorum patrocinium creditum fuerit permissum latrocinium; clericos inquam, qui suæ vocationis obliti turpis lucri gratia gratiam æterni, & nunquam deficientis lucri sponte, utpote satis ab Ecclesia ditati, remittunt, & respuunt frustra sacris Canonibus, & ecclesiasticis statutis reclamantibus.*

Jam satis apis studium circa materiam ceræ cognovimus; non tamen hanc ideo adhuc aptatam lampadi ceræ formandæ invenimus, cum requiratur ulterius, ut ab apum industria ad purgationem ignis & roris aerei pruinarum accedat temperamentum. Quæ in Sacerdote nihil aliud sunt, quam passionum veteris hominis mortificationes juxta ejuscemodi experientiæ magnum Doctorem regium Vatem dicentem: „ Transivi„ mus per ignem, & aquam. *Unde & ipse Ethnicus Poeta de heroe virtutibus omnibus exculto cecinit.*

„ Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit.

Perfecta jam cera sit licet, eo quo vidimus modo, necdum tamen in ceream lampadem, nisi per novum ignem conflatur. Pari modo sacerdos Evangelicus, nequaquam unica mortificatione veteris Adæ in lampadem sacro altari adhibendam coalescet, nisi mortificationum artibus iteratis, & nunquam depositis.

Hinc laudatus hujus artis Magister ajebat; „ propter te mortificamur tota die, æstimati „ sumus, quasi oves occisionis. *Et ille alius Sacerdotum Doctor:* „ Mortificationem Jesu Chri„ sti jugiter in corpore nostro portare, *nos jubet. Quod penitus introspexit Ethnicus Poeta a Hieronymo nostro relatus illis verbis:* „ tantum „ profeceris, quantum tibi vim intuleris.

Et ut cera perfectionem suam per ignes assequatur, non tamen luci præstandæ sufficit per se sola, nisi ex candida bombice lychnus intercedat, id est purissimæ orationis studio sacerdotale cor instruatur; ut enim trini fili intorsione lychnus pro lampade cerea instruitur; ita Sacerdotis oratio tunc vero lumini adaptatur evangelico, cum ad mentalem orationem vocalis, & utrique spectatæ vitæ decus accedit, de qua sancti Patres illud; „ oportet semper orare, & „ nunquam deficere, *jure merito interpretantur.*

Notandum tamen est, hæc tria fila, nisi arcte intorqueantur, lychnum nequaquam perfici; quare hæc intorsio triplicis orationis censetur Sacerdotalis instructio, & sapientia, & illa quidem non facilis alicujus eruditionis, aut doctrinæ superficialis, sed diutina tortione labiorum quæsita, cum juxta sacrum illud scripturæ dogma: „ Labia Sacerdotis custodiunt sapien„ tiam, & legem requirent ex ore ejus: *Sane ex cujus ore requirenda est lex, singulari prudentia, & scientia debet insigniri præcavendo, ne contra se latam illam sententiam experiatur:* „ quia tu repulisti sapientiam, & scientiam, „ & ego te repellam, ne Sacerdotio mihi „ fungaris.

Denique quam vim ad tenebras expellendas, lucemque præferendam cerea lampas numeris omnibus absoluta obtinebit, nisi ignea flamma accendatur? ita quid Sacerdoti omnes enumeratæ dotes, earumque præstantia conferre poterunt, nisi charitatis accendantur ardore? qua in re diligenter observandum est, charitatem affectivæ exerceri posse minime absque proprii incommodi sensu, eodem prorsus modo, quo cerea lampas accensa non nisi suimet imminutione splendescit. Sed, eheu! quam pauci non quidem cum Sacerdote, sed cum simplici Diacono Laurentio possunt exclamare, & prorumpere in illud Davidicum: „ Igne me examinasti! *Quare?* „ quia disperserat, & dederat pauperibus, *non solum suarum rerum erogatione, sed etiam propriæ vitæ incommodo; idcirco audacter, & tutus subjunxit.* „ Et non est inventa in me „ iniquitas. *Immittere manum in crumenam, ut disperdamus nostra propter pauperes, adurit manus, humano more loquendo; non nego, non inficior. At per ejusmodi ignem examinatus est Laurentius, & introductus in refrigerium. Detractis propriis vestibus in ipsa hyemis asperitate, ut nudus operiatur, urit, & adurit sæculare malum: sed ex tali adustione Martinus noster Catechumenus adhuc Christum loquentem audit:* „ Martinus, adhuc Ca„ techumenus, hac me veste contexit. *Urit, & adurit nuditas Franciscum, ut egenis succurrat; sed ejusmodi corpusculo modo stigmata gemmis, & auro pretiosiora impressa spectacula sunt DEO, Angelis, & hominibus.*

Adurit manum largitas effusissima, qua Stephanus Ungarorum rex, & Apostolus post innummeras Ecclesias a fundamentis excitatas, & munificentissime ditatas, ut populos ad caulam Christi perductos contineret in Christianitatis officio, nulli petenti opem denegavit unquam, sed illam liberalissime die, noctuque habuit, ut aliquando, irruente egenorum turba inter tenebras in regem pientissimum, barbam ipsi quoque evellerent stipem rapide pro innata importunitate, & impatientia erepturi; sed eandem

Digitized by Google

dem dexteram, reliquo toto corpore in cineres recidente, integram adhuc extare, amplissimoque templo ab ipsa dextera denominato, universæ Ungariæ cultui, & venerationi haberi, ipsiusque sanctissimi regis gloriæ amplissimum hoc omnium Hungaricarum partium templum, in quo consedimus, attolli, pretium est nequaquam manus adustæ, sed illius Herois dexteræ, de quo regius vates intonat: „ In memoria æterna erit justus: *& illud:* „ Corona aurea super caput ejus, *&c. Hinc & regale caput ejus auro, gemmisque fulgidum, memoria eximiæ sanctitatis, gloriæ, & honoris, augustius tutelare Numen universi Hungarici regni patriæ hujusce nostræ præsentaneum decus insidet aræ sacrosanctæ, sicut videtis.*

Vidimus itaque Fratres amantissimi qualitates sacerdotalis lampadis, quæ, „ quia non sub „ modio, sed super candelabrum, *ut ait Salvator noster, ponitur, etiam, atque etiam cavendum moneo, ne splendor ejus a vento, vel ab aquis, quibus tantummodo extingui potest, aliquam patiatur injuriam, sed juxta ejusdem Salvatoris præceptum:* „ Luceat omnibus, qui „ in domo magni Patrisfamilias existunt.

Est autem ventus, cujus injuriis sacerdotalis lampas potest labefactari, terrenarum rerum sollicitudo; cui cum renuntiaverimus adscribendi ecclesiasticæ militiæ, eo tempore capillorum nostrorum præcisorum Episcopali manu terrena omnia rejecimus, & sollemniter Dominum partem hereditatis nostræ, & calicis nostri adoptavimus; absque periculo splendoris nostræ lampadis ad curas terrenas redire nobis non licet. Etenim, sicut Hieronymus noster in hanc rem ad Nepotianum Clericum loquitur, „ *propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt* „ *Domini, vel Dominus sors ipse, id est pars* „ *Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Do-* „ *mini est, vel Dominum partem habet, talem* „ *se exhibere debet, & ut ipse possideat Domi-* „ *num, & possideatur a Domino. Qui Domi-* „ *num possidet, & cum Propheta dicit,* Pars „ mea Dominus, *nihil extra Dominum habere po-* „ *test. Quod si quidpiam aliud habere potest præ-* „ *ter Dominum, pars ejus non erit Dominus;* „ *verbi gratia si aurum, si argentum, si pos-* „ *sessiones, si variam supellectilem, cum istis par-* „ *tibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Ita ille. Qui mox subjungit:* „ *Obsecro itaque* „ *te, & repetens iterumque moneo, ne offi-* „ *cium Clericatus genus aliquid militiæ putes,* „ *id est, ne lucra sæculi in Christi quæras mi-* „ *litia; ne plus habeas, quam quando clericus* „ *esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorum non* „ *proderunt eis.* „ *Et paullo post (nisi ipse diceret, forte subticerem) ita prosequitur.* „ *Igno-* „ *minia sacerdotis est propriis studere divitiis.* „ *Natus in paupere domo, & in tugurio rustica-* „ *no, qui vix milio, & in cibario pane ru-* „ *gientem saturare ventrem poteram, nunc simi-* „ *lam, & mella fastidio. Novi & genera, &* „ *nomina piscium, in quo litore concha lecta* „ *sit, calleo, saporibus avium discerno provin-* „ *cias, & ciborum me raritas, ac novissime da-* „ *mna ipsa delectant.* „ *Ita ille; ad cujus integram epistolam vos brevitatis gratia libenter remitto, cum tota de re clericali habeatur. Et ut adhuc melius nobis innotescat, quanto & nostro, & omnium aliorum præjudicio talibus ventorum injuriis, splendorem sacerdotalis lampadis imminui permittimus, Romanus Pontifex Gregorius (& eo nomine noster etiam, quo illustrissimos ejus nepotes Frangipanicos Dynastas, qui nuper virtute fastis æternis celebranda regnum Ungaricum regi suo, regemque regno impia Tartarica feritate prope extincto vindicantes cives nostri esse voluerunt) homilia 17. in Lucam, quid deploret, audiamus.* „ *Nullum, ait, puto, Fratres charissimi* „ *ab aliis majus præjudicium, quam a Sacer-* „ *dotibus tolerat Deus; quando, quos ad alio-* „ *rum correctionem posuit, dare de se exempla* „ *pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui* „ *compescere peccata debuimus: nulla animarum* „ *lucra quærimus, ad nostra quotidie studia va-* „ *camus, terrena concupiscimus, humanam glo-* „ *riam intenta mente captamus: & quia eo ipso,* „ *quo ceteris prælati sumus, ad agenda quæ-* „ *libet majorem licentiam habemus, susceptæ* „ *benedictionis ministerium vertimus ad ambitio-* „ *nis argumentum, Dei causas relinquimus, ad* „ *terrena negotia vacamus, locum sanctitatis* „ *accepimus, & terrenis artibus implicamur. Hæc Gregorius.*

Nec vento curarum terrenarum, sed & aquis voluptatum carnalium funestatur Sacerdotalis lampas, & miserandum in modum extinguitur, ut merito Sacerdotali nomine inclamet regius vates: „ Salvum me fac Deus, quoniam intra- „ verunt aquæ usque ad animam, infixus „ sum in limo profundi, & non est substantia. *Etenim Sacerdos voluptatibus carnis immersus tanquam in luto aquarum multarum, non habet aliquam splendoris substantiam; amissa quippe puritate, qua sola divino dignatur intuitu, volutabrum immunditiarum efficitur; certum enim est, teste Apostolo,* „ Cum quis adhæ- „ ret meretrici, unum corpus fieri cum me- „ retrice; *at si unum corpus fit cum meretrice, ergo nulla remanet substantiæ Sacerdotalis eminentia, cum femina incapax habeatur sacerdotii evangelici: quin imo simpliciter etiam polluta Vestalium Romanarum exemplo ab aris repellebatur æternum, & crudelissimo mortis genere extinguebatur.*

Sed ne vobis sermone meo tædium pariam, Hieronymum nostratem ex eadem epistola audiatis. „ *Hospitiolum, inquit, tuum aut raro, aut* „ *nunquam mulierum pedes terant; omnes puel-* „ *las, & Virgines Christi aut æqualiter igno-* „ *ra, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem* „ *tecto mansites, nec in præterita castitate con-* „ *fidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone* „ *fortior, nec Salomone potes esse sapientior.* „ *Memento semper, quod paradisi colonum de* „ *possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi* „ *quilibet frater assistat, & germana vel ma-* „ *ter, aut probatæ qualibet apud omnes fidei.* „ *Quod si hujusmodi non fuerint consanguinita-* „ *tis, castimoniæque personæ, multas anus nu-* „ *trit Ecclesia, quæ officium præbeant, & be-* „ *neficium accipiant in ministrando, ut infirmi-* „ *tas quoque tua fructum habeat eleemosynæ.* „ *Scio quosdam convaluisse corpore, & animo* „ *ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat,* „ *cujus vultum frequenter attendis. Si pro-* „ *pter officium Clericatus aut vidua visitatur,* „ *aut virgo, nunquam domum solus introeas.* „ *Tales habeto socios, quorum contubernio non* „ *infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psal-* „ *tes te sequitur, non ornentur veste, sed mo-* „ *ribus, nec calamistro crispent comas, sed pu-* „ *dicitia habitum polliceantur. Solus cum sola*

„ *se-*

„ *secreto, & absque arbitro, vel teste non* „ *sedeas. Caveto omnes suspiciones, & quid-* „ *quid probabiliter fingi potest, ne fingatur an-* „ *te, devita. Si familiarius est aliquid loquen-* „ *dum, habet nutricem, majorem domus, virgi-* „ *nem, viduam, vel maritatam; non est tam in-* „ *humana, ut nullum præter te habeat, cui se au-* „ *deat credere.* „ *Hæc conterraneus nobis, & pre-sbyter Hieronymus; post quem, parentem meum Augustinum, tanquam proprio malo gnarum, quid periculorum feminea habeant commercia, vobis in exemplum adduco: ille enim feminarum omnium, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque constantissime evitavit, quippe qui diceret.* „ Et si propinquæ „ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad „ eas ventitarent, posse suspicionem efficere.

Et ut sermoni finem imponamus, illud identidem cum veritatis Magistro ex Evangelio inculco: „ Vide, sacerdos, ne lumen, quod in te est, „ tenebræ fiant. *Judas Sacerdos, Apostolus, quin etiam Episcopus fuit, avaritiæ tamen vento lampade extincta, Episcopatum, Apostolatum, Sacerdotium, & animam ipsam perdidit. Tertullianus Doctor antiquissimus, & doctissimus, levissimo vento invidiæ Romani cleri afflatus, tanquam stipula ante faciem venti extincta lampade, tenebris occidit æternis. Arius Sacerdos Alexandrinæ Ecclesiæ, vanitatis vento agitatus, quam pestilenti fumo post extinctam lampadem evangelicam orbem christianum infecerit, plurium seculorum ruinæ testantur. Sergius Monachus, idemque Sacerdos, luto aquarum multarum obruta lampade, deterrimum fœtorem impurissimum Mahometem tot regnorum & imperiorum eversorem (quod nulla terrarum pars ignorat) in orbem christianum intulit. Hugonem totius Germaniæ Primatem, Magdeburgensis Ecclesia diu sanctissimum præsulem habuit; quem tandem ludo carnis illudentem Deo sibique lutum infernalium aquarum, maxime terribili in omne ævum modo ingurgitavit. Et quod non absque lachrymis experimur, vastitatem nuperrimam Hungariæ divinæ justitiæ vigor, ex fœtore trium impurissimorum præsulum, testimonio sancti viri pluribus adhuc viventibus cogniti, maturavit. Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Ita tamen, ut qui stat, videat ne cadat.*

Ita suos allocutus traditur, ait Marnavitius, & hæc subjecit. *Decreta porro synodalia mira dexteritate in mores induci curabat, jugum Domini suave esse probans innata sibi discretione, & affabilitate, pretiosissimis dotibus majestatis episcopalis; adeo ut neminem asperioribus verbis turbatum a se recedere, quantum fieri poterat, pateretur; & si aliquando desperatam alias humano judicio emendationem in melius acrioribus verbis perstringere cogebatur; id ea benignitate, & verborum placiditate statim condiebat, ut desperatis etiam morbis medelam adinvenirent.*

Concilii Nationalis Budensis Epistola ad Clementem V. pro recuperatione castri Medved.

Ex Concilio nationali Budensi, quod habitum est anno 1308. Thomas Strigoniensis, Petrus Spalatensis, Vincentius Colocensis Archiepiscopi cum aliis Hungariæ Episcopis litteras supplices miserunt ad Clementem V. ut vellet ac juberet castrum Medved ab manibus ac potestate laicorum vindicari, & Ecclesiæ Zagrabiensi restitui.

Sanctissimo Patri ac Domino suo, Domino Clementi Dei gratia sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici; Thomas Strigoniensis, Petrus Spalatensis, Vincentius Colocensis Ecclesiarum Archiepiscopi, Benedictus Vesprimiensis, Haabam Vaciensis, Emericus Varadiensis, Joannes Nitriensis, Ladislaus S. Irenei, Petrus Quinqueecclesiensis, Martinus Agriensis, Benedictus Chanadiensis, & F. Gregorius Bosnensis Ecclesiarum Episcopi, cum omni obedientia pedum oscula beatorum. Detrimentum unius Ecclesiæ, velut ejusdem membri capitis, proprium singuli incommodum reparantes, suggerente charitatis affectu, vestræ Beatitudini scribimus, quod castrum vocatum Medved, per Philippum quondam Zagrabiensem Episcopum, de rebus Ecclesiæ, & pro Ecclesia constructum, de regis Belæ beneplacito & assensu, Zagrabiensis Episcopi & Ecclesiæ fore dignoscitur pleno jure. Quod a quibusdam temporibus per manum laicalem transiens, tandem ad Marcum Sacerdotem de Venetiis, ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis Canonicum existit devolutum. Dictus vero Marcus Dei timore postposito, victus cupiditate, idem castrum accepta pecunia potestati tradidit sæculari, in ejusdem Ecclesiæ magnum præjudicium & gravamen. Cum igitur his in partibus ea, quæ diximus, manifesta veritate pateant, ut eis contradici non possint, oppressæ per hoc ingenti servitute Ecclesiæ, quæ cunctis invigilat, vestra dignetur pietas providere. Datum Budæ VIII. Kal. Julii, Pontificatus D. Clementis Papæ V. Anno IV. idest 1308.

Castrum Medved Philippus Episcopus, ære sumptuque Ecclesiæ constructum, Belæ regi petenti ad regios thesauros custodiendos commodaverat. Ladislavus III. Belæ nepos Ecclesiæ restituit. Sed Joannes Episcopus Gardino cuidam viro nobili ac præpotenti aut vendidit, aut jure fiduciario possidendum dedit; is ob quædam nefaria delicta ab Andrea III. captus, atque in carcerem contrusus, libertatem traditione ejusdem Castri redemit. Andreas rex dominatum hujus Castri vel plenum atque integrum, vel utilem tantummodo & fructuosum tradidit Nicolao Torustio Veneto; quo mortuo ad Janinum ejus fratrem jure veluti hereditario pervenit. Hic ab rusticana plebe interemptus cum esset; Marcus Presbyter, Nicolai & Janini frater, idemque Canonicus Zagrabiensis, in ejusdem Castri possessionem invasit; & necis fraternæ auctores fuisse Canonicos falso criminatus est. Calumniæ convictum Augustinus Episcopus movit Collegio Canonicorum, & omnibus, quæ obtinebat, Sacerdotiis, & proventibus privavit. Marcus itaque, cum se & bonis ecclesiasticis spoliatum, & odio esse omnibus videret, ob eamque caussam abscedere, atque in patriam reverti decrevisset; Castrum Medved Stephano Bano Slavoniæ, ejusque fratribus Joanni & Ladislavo de Bobonighiis magno pretio vendidit, ac Venetias redivit.

At vero Stephanus Banus sive Clementis Papæ, cujus fidem & auctoritatem Canonici Zagrabienses per litteras imploraverant, gravi severaque admonitione, sive possessionis ecclesiasticæ per injuriam retentæ conscientia perculsus, Castrum illud Ecclesiæ sub quibusdam conditionibus reddere statuit. Per eos dies aberat Augustinus Episcopus. Anno igitur 1313. inter Banum & Canonicos ita convenit, ut Banus possessionem & dominatum, non suo, sed Ecclesiæ nomine, tamdiu retineret, quoad sibi summa illa pecuniæ integra redderetur, quam ipse

De castro Ecclesiæ reddendo conventa inter Stephanum & Canonicos.

ipse pro redemptione ejusdem Castri Marco Torustio solverat; & recepta, nisi statim illud traderet, se quidem reum perjurii, & pœnis ecclesiasticis obnoxium, Ecclesiam vero absolutione illius pecuniæ liberam fore, & castri nullo pretio dato recuperandi jus habituram. Interea vero, dum Castrum in fide ac potestate Stephani maneret, pro sumptibus in custodiam & defensionem illius necessario faciendis, numerum certum frumenti ac vini, & marchas argenti quadragenas singulis annis Ecclesia ipsi contribueret. Quæ quidem omnia ita recepta & approbata sunt, si consensus Episcopi absentis accederet. Porro Canonici Zagrabienses per litteras rogarunt Canonicos Quinqueecclesienses, ut quæ inter ipsos & Stephanum Banum convenerant, ipsaque ejusdem Bani pacta & promissa, quo plus firmitatis haberent, suarum litterarum testificatione, & signi capitularis auctoritate communirent. Hæc autem est testificatio Capituli Quinqueecclesiensis.

Tabulæ & conditiones conventorum.

Nos Capitulum Quinqueecclesiensis Ecclesiæ memoriæ commendamus, significantes quibus expedit præsentium per tenorem: Quod anno Domini 1313. v. Kalendas Julii Reverendus & discretus vir, magister Dominicus custos Ecclesiæ Zagrabiensis, nuncius & procurator Capituli ejusdem Ecclesiæ, exhibuit nobis litteram ipsius Capituli in hæc verba: Viris discretis & honestis Capitulo Quinqueecclesiensi, Capitulum Zagrabiensis Ecclesiæ, omnimodam reverentiam cum honore. Discretioni vestræ notum facimus in præsentibus protestando; quod pactum sive conventionem super conservatione castri Ecclesiæ Zagrabiensis Medve vocati, inter magnificum virum Stephanum Banum totius Sclavoniæ, & procuratores nostros, habitam, pacti sumus quantum in nobis est, ratum habere & firmitus observare; dummodo Domini nostri Augustini Dei gratia Zagrabiensis Episcopi interveniat consensus legitimus & expressus, tum quia arduum negotium est, cum etiam quia castrum est Episcopale, ad nos autem ex eo solummodo pertinet turris una. Petimus insuper discretionem vestram instantissime per præsentes, quatenus super protestatione nostra, coram vobis facta litteras vestras memoriales, cum pendenti sigillo concedere dignemini; formam autem pactionis seu conventionis, prout e litteris ipsius Stephani Bani, coram vobis exhibitis, videbitis, inserentes. Datum in vigilia S. Joannis Baptistæ. Exhibuit etiam alias litteras magnifici viri Stephani Bani totius Sclavoniæ cum pendenti sigillo tenorem hujusmodi continentes. Nos Stephanus Banus Sclavoniæ significamus universis, quibus expedit præsentium per tenorem; quod nos considerantes animæ nostræ detrimentum, quod ex detentione castri Ecclesiæ Zagrabiensis Medve vocati, incurrere possemus, volentes huic remedium præbere, assumpsimus ipsum castrum more Castellani ex parte ejusdem Ecclesiæ tenere & conservare; Ecclesiæ supra dictæ promittentes, firma & bona fide nostra mediante, reddere, & restituere, habita tantum ipsius pecunia, quam pro redemptione ipsius castri, nomine & vice Ecclesiæ præfatæ, magistro Marco fratri condam Janini persolvimus plenarie & integre, ab Ecclesia memorata. Si vero aliquo casu interveniente, vel quomodocumque, seu qualitercumque jam dictum castrum Ecclesiæ prædictæ non reddidimus, vel reddemus, aut alienavimus ab eadem; pœnam perjurii in transgrediendo assumptam incurramus; & etiam Ecclesia præfata a solutione totius pecuniæ, quam pro redemptione castri prædicti nobis tenetur, ut debet, sit penitus libera & expedita ipso facto; & nullo umquam tempore nobis, & nostris hæredibus in toto, vel in aliqua sui parte teneatur pro eodem. Insuper D. Episcopus Zagrabiensis Ecclesiæ contra nos, & nostros successores detentores prædicti castri, auctoritatem habeat per censuram Ecclesiasticam procedendi. Ad conservationem vero ejusdem castri totalem, quolibet anno ... ab eadem Ecclesia mille cubulos vini, & quingentos cubulos de blado, numero quadraginta marcas in denariis, pro aliis necessariis & opportunis, quæ ad conservationem castri præfati dignoscuntur pertinere ... D. Episcopus, quæ inter nos & Ecclesiam suam sunt ordinata super facto castri prædicti, habito consilio cum fratribus suis, si acceptare, vel accedere voluerit, nobis litteras suas secundum formam præsentium dare teneatur; alioquin præsentes nobis remittere debeat intra mensem; negotio castri inter nos & D. Episcopum & Ecclesiam suam in priori statu permanente. Datum in Toplika in octavis Pentecostes; anno Dom. 1313. Nos igitur ad justam, & legitimam petitionem ejusdem honorabilis Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis, tenores prædictarum litterarum de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, & sigillo nostro majori communiri. Datum die & anno prænotatis.

F. Gentilis Cardinalis legatus Apostolicus in Hungariam venit.

In id vero Augustinus jam inde a suscepto Episcopatu maximopere incubuit, ut mandatum, quod a Pontifice habuerat, exsequeretur, ut scilicet ad partes Caroli Roberti quam plurimos posset, præsertim ex Clero & nobilitate, adjungeret. Anno 1308. F. Gentilis Presbyter Cardinalis *tit. S. Martini in montibus* a Clemente V. missus in Hungariam legatus, postquam præcipuas Dalmatiæ civitates obiisset, mense Julio pervenit, ut inter gentes illas studio partium distractas pacem conciliaret, easque sub imperium Caroli subjungeret. Nihil jam metuendum erat ab duobus illis regni Hungarici competitoribus, non ab Othone Bavariæ duce, qui anno 1305. vel sequenti ab Ladislavo Vaivoda, sive Dynasta Transilvaniæ, captus fuerat, neque antea dimissus, quam regno cederet, & coronam regiam a Venceslavo acceptam in manus ipsi Vaivodæ traderet; non a Venceslavo juniore, cui post captum effugatumque Othonem iterum Hungari regnum detulerant; is quippe, ante quam post interitum parentis insignia regalia sumeret, per insidias interfectus fuit anno 1306. Restabat, ut qui adhuc animos ab Carolo rege alienos aversosque habebant, eos Legatus Apostolicus Carolo conciliaret. Quamvis enim utrumque, quem sibi in regem elegerant, amisissent, Othonem quidem victum fugatumque, Venceslavum vita privatum; tamen in proposito susceptoque consilio Caroli repudiandi permanebant, ob eam caussam potissimum, quod jus regis eligendi ad se spectare existimabant, sibique adimi nolebant; at vero ejus, quem elegissent, approbandi confirmandique potestatem Pontifici Romano, aut ejus Legato, non inviti permittebant. Hæc Raynaldus ad annum 1308. *Nolebant*, inquit, *nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod Ecclesia Romana, vel ipse D. Legatus ejus nomine, de rege ullatenus provideret; sed placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo & approbato ejusdem regni more vocarant, & in regem assumpserant, præfatus D. Legatus, ejusdem Ecclesiæ nomine in verum regem Hungariæ confirmaret.* Hoc in statu erant res

Cur Hungari Carolum respuerent?

Hungaricæ, cum Clemens V. Legationem Dalmaticam & Hungaricam Gentili Cardinali demandavit. Hic in illis partibus circiter tres annos commoratus, omnium suorum itinerum socium, consiliorum participem, rerum gerendarum adjutorem habuit Augustinum Episcopum Zagrabiensem, qui fere numquam ab ejus comitatu & latere discessit. De legatione Cardinalis Gentilis, assiduaque opera eidem ab Augustino navata hæc tradit Georgius Ratkajus Lector & Canonicus Zagrabiensis: *Cardinalis Gentilis e familia FF. Minorum, vir sanctitatis & prudentiæ opinione eximius, & Clementi V. Papæ ad Hungaros legatus in Croatiam progreditur; mox Zagrabiam adeundo Augustinum, ut laborum comitem, & consiliorum directorem, & Hungarici negotii cooperatorem futurum, Budam regni sedem abduxit secum, ubi anno integro sedandis Optimatum animis absumpto, indicto denique Statuum omnium sollemni conventu, veteri gentis instituto, jussu Legati, facunda sua eloquentia sic turbæ submovit turbas, Procerum ac populi universi inflexit animos, ut omnium voces in Carolum fausta precantes coiverint, anno salutis 1310.*

Augustinus socius adjutorque legati Apostolici ad rem bene gerendam.

Sub adventum Cardinalis Gentilis Carolus Robertus vel ex Italia, vel e Slavonia arcessitus in Hungariam rediit, & Budam ad Legatum se contulit, quo plerique Episcopi, & Primores Cleri populique convenerant. In ea civitate, ut tradit Spondanus, anno 1309., rex Hungariæ inauguratus est regali corona, quam secum Gentilis attulerat, suscepta. Sed idem Legatus, cum per præconem edici ac denunciari jussisset, omnes, & singulos, qui Carolo contumaciter adversari pergerent, anathemate plectendos, aliisque tum Ecclesiasticis, tum civilibus pœnis puniendos esse, mirum quantum animos offenderit, quamque illud edictum studiosissimis etiam Caroli, non solum eidem infensis, displicuerit; præsertim autem Matthæo Palatino Comiti Trenchiniensi, quem nominatim sacrorum communione privavit, quod unus omnium pertinacissime Carolo repugnaret, & Ladislavo Vaivodæ Transilvaniæ, quem jussit, anathematis pœna proposita, regiam S. Stephani Coronam restituere, quam Othoni Bavariæ duci ereptam apud se retinebat; quamvis in edicto suo diserte addidisset, ea corona opus non esse ad reges Hungariæ legitime riteque inaugurandos; & si quis eam necessario requiri existimaret, id superstitioni potius, quam religioni tribuendum esse. Thomas Archiepiscopus Strigoniensis, itemque Augustinus Zagrabiensis Episcopus in eo maxime laborarunt, ut offensos Hungarorum animos placarent; simulque Legato auctores fuerunt, ut edictum illud revocaret. Præterea Strigoniensis Antistes in Transilvaniam profectus, qua muneribus, qua precibus Vaivodam demum perpulit, ut regalem Coronam sibi traderet ad Legatum deferendam. Tunc Episcopis, Optimatibus, Clero, & populo dies dicta ad conveniendum in campum Rakos, *ubi sub antiquis Hungariæ regibus* (ut docet Topographus magni regni Hungariæ) *Generales totius regni Conventus, affluente maxima incolarum multitudine, militum more, sub tentoriis habebantur, quæ conveniendi ratio variis de caussis in eam postea formam, quæ modo observatur, commutata est, reliquis, præter statutos quatuor Ordines, Antistitum videlicet, Procerum, Nobilium, ac Civitatum liberarum, omnibus amandatis.* Campus Rakos ad ripam Danubii adjacet prope Pestum, sive Pestrinum; quæ civitas sita est e regione Budæ, a qua Danubio interfluo sejungitur. Hæc comitia habita sunt anno 1310.; in quibus gravem & eruditam orationem habuisse dicitur Augustinus Episcopus Zagrabiensis ad gentes illas tum inter se, tum Carolo regi conciliandas, quam quidem orationem Joannes Tomcus Marnavitius, cum ejus exemplar nullum extaret, suis ipse verbis & sententiis ad veri similitudinem concinnavit, & Augustino affinxit. Haud ab re nostra alienum arbitror eam huic loco intexere.

In conventu Budensi Carolus rex Hungariæ inauguratus.

Comitia in campo Rakos ad Danubium in quibus Augustinus caussam Caroli egregie peroravit.

Postquam Dei gratia, Legati auctoritate, afflictissimæ patriæ consulturi, in hunc locum, ab exordio regni Hungarici publicis negotiis agendis adoptatum, convenimus; cumque mihi omnium aliorum minus apto, sed qui nihilominus in promovendo publicæ rei nostræ bono, ardore, & studio nulli facile cesserim, dicendi provincia demandetur, nequaquam diserta, sed fortia sectando, juxta sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi sententiam, postbabita omni verbositate, & omni eloquentiæ lenocinio, ut Episcopum decet, brevibus demandatam provinciam expediam: præsertim, quia in conspectu sanctissimorum Antistitum, sapientissimorum universi regni procerum, nec non lectissima Regnicolarum nobilitate, perstrinxisse potius quam exaggerasse rem; satis superque exposuisse illam, persuasum jam mihi habeo. Quod me præstiturum existimo, si prius aliqua de plebis petulantia, cujus impetu regnum distrahitur amplissimum, tum de auctoritate Romanæ Sedis in ejusmodi occasionibus, denique de jure optimo Caroli regis in sacram nostram coronam Hungaricam delibavero. Et quidem quo ad primam partem, satis exploratum est omnibus, annum jam nonum ab eo tempore, quo Bonifacius octavus Romanorum Pontificum sapientissimus, legatum ad hasce partes, ad instantiam sanioris partis regnicolarum, post mortem Andreæ ultimi regis, ex regum nostrorum stemmate superstitis, misit, communem hanc nostram patriam, ad instar oceani, adversis ventorum procellis ab imo agitari, turbarique. Caussam quoque rei non est cur refricem, tamquam omnibus apertissimam, cum nempe bonus Cardinalis, sacrorum præsulum, & optimatum, nec non melioris nobilitatis voto sollicitatus, nullum modum conciliandi animos aliquorum clericulorum, & Hungaricæ plebeculæ potuisset invenire, censuris ecclesiasticis, potius quam armata vi, ut ecclesiasticum ministrum decebat, interdicto sacrorum usu, ad sanam mentem reducere conatum fuisse. Nec novo quidem exemplo, sed per universum Christianum orbem, ejuscemodi malo, aliisque similibus sanandis, ab Apostolica Sede semper usitato. Verum talis medicina salutis loco phrænesim inauditam excitavit; ut observatum est a medicis in iis corporibus, quæ malo congruentes medicinas vel non admittunt, vel eo, quo deberent modo, iis non utuntur. Nam, ut paucis concludam, quod longo tempore mirabundi suspeximus, & suspiravimus, clericulorum turba, plebis armata furore, pestilens virus in medicum eructando, Apostolicam sedem, quæ a nemine judicatur in terris, (1) anathemate se percussisse strepitu campanarum censuit, efficta caussa, quasi Romanus Pontifex electionem regis Hun-

Oratio Augustini Episcopi.

1

Hungariæ, statibus reipublicæ Hungaricæ perpetuo liberam, violenta, ut jactabant, intrusione Caroli Andegavensis, violasset. Atque talis insania eo usque processit, ut diversis aliis principibus in regnum hoc ad sacram coronam evocatis, octo annis integris Pannonicæ reipublicæ viscera suorum gladiis foderentur. At quæso, paullulum mecum, sapientissimi auditores, recogitate, an ullo unquam tempore turbæ, nisi turbis excitandis, rebusque publicis, & quietis turbandis, & festæ pacis centro exturbandis, potuerunt esse aptiores, vel ex eo, quia turbarum, & turbulentiarum infaustissimarum nomina ab iisdem turbis emanarunt. Quippe ad res agendas nihil ineptius turbis, quæ, si aliquando veritatis ipsius, Christi videlicet Servatoris nostri, monitis audiendis allecta ad illum voluit accedere, non nisi compressione, & offensione cælestis Magistri id tentavit, irruendo nempe in illum, ut tradit Evangelista. Et si idem alias omnipotens, verum ut homo, ne ab illa penitus opprimeretur, alium medum non censuit expeditiorem, quam ut se in naviculam, quæ erat Simonis Petri, inter multas alias in litore Genezareno existentes reciperet, & rogaret per eundem Petrum paullulum a terra abduci. Etenim nec ipsam pietatem absque irreverentia, & vitio inhumanitatis turba novit exercere. Unde Matth. 9. scribitur Dominus noster aliquando „ miseratus turbam. *Sed qualem? jacentem, inquit Evangelista,* „ & tanquam oves sine Pa„ store. *Cogitate, qualis sit turba præstantiæ, quæ ovibus sine pastore huc illuc dispersis æquiparetur. Quod si impia in Christum, & jacens, tanquam oves sine pastore, turba describitur in Evangelio, non mirum, si in ejusdem Christi Vicarium, & in navicula Petri successorem, pastoris abjecta reverentia, tali phrœnesi, qualis a Christi monarchia fundata nunquam fuit audita, sævierit, ut nostis. Nostis autem pro vestra singulari eruditione, auditores sapientissimi, ex Eusebio in vita Constantini:* „ Multiplex im„ perium, quo omnibus hominibus datur æqua„ lis dignitas, æquale suffragium, quodque cum „ monarchia ex adverso pugnat, confusionis, „ ac seditionis potius, quam regni nomen me„ reri. *Hinc vetustissimum decus Philosophorum, præstantissimus Aristoteles Ethicorum libro octavo capite primo censuit:* „ Populi potentiæ „ transgressionem pejorem esse tyrannide; *nam, ut idem ait, pejus est, si multi, quam si unus, vel pauci dominantur. Seneca,* „ Populum vi„ tiorum suasorem, auctoremque, *testatur; Plato,* „ ventrem ignavum, *Plutarchus,* „ effrænem & „ præcipitem equum, *Cicero,* „ turbam, fervens „ & æstuans mare. *Aliquando cum interrogaretur Diogenes, quid esset esse sapientem, respondit:* „ a vulgi sententia discedere. *Chrysippus porro ita argumentatur, & quidem ad rem nostram sapientissime:* „ Si, *inquit,* populus philosopha„ ri non potest, quanto magis rebus divinis, „ sacrisque legibus tractandis erit ineptus. *Et sicut scripsit Laertius libro 7. capite 2.* „ Puta„ bimus, plebem Theologiæ sacrum dogma „ posse moderari? *Quamobrem, si jure merito Anacharsis indignabatur, in Græcia* „ Popu„ lum canendi inscium in theatro de musicis „ judicare; *nos, ut Laertius idem libro primo capite nono ait, nos, inquam,* „ plebem sacra„ rum litterarum rudem de sanctissimis reli„ gionibus judicium facere pateremur? *Si Appius Claudius Romanos inter senatores sapientissimus indigne ferebat, Scipionem Æmilianum a laniis, & tonsoribus in censuram promoveri, quanto magis indigne ferendum, si sacerdotia, si magistratus, si sacer ordo, si regnorum dispositiones, & sanctissimarum legum discussiones sordidæ turbæ exponantur censuræ? Immo* „ si quos „ seorsim evocatos, *ut Cato major ajebat,* in „ consilium rei suæ nemo sanus adhiberet, ab „ iis in turbam coactis responsa religionum „ dari quis mente sanus admittet? *Idem, qui supra, Seneca capite secundo de beata vita,* „ argumentum pessimum turbam, *pronunciavit. Et ut ad nostræ philosophiæ magis facto, quam dicto illustratorem accedamus, Polycarpus martyr, idemque Joannis Apostoli discipulus, aliquando jussus a Proconsule, ut narrat Eusebius lib. 4. hist. cap. 15., rationem sui populo dare, Prætori se dixit daturum, nam* „ populo frustra „ dari, quem negaret duci posse ratione. *Addamus nostræ religionis philosopho, innumeris aliis brevitati condonatis, nostræ gentis non insipientissimum principem, quamquam revera crudelioris animi nota merito ab omnibus perstrictum, Diocletianum: is cum Senatus Romanus decrevisset persecutionem contra christianos penultimo ipsius imperii, hoc est undevigesimo anno, acclamante populo in circo, ut christiani bestiis subjicerentur, pronunciavit,* „ Vanas po„ puli voces minime audiendas. *Sed rem, ut cœpimus, Christi claudamus exemplo. Ipse Dei filius, cum minime dedignaretur Nazareno computari populo, & unus Nazarenorum civium haberi, essetque in omne commodum, & beneficium civium suorum intentus, attamen quale precium pro tali gratia a civibus ipsis recepit? Furore populari ducitur ad supercilium montis ex eo præcipitandus, Evangelista teste. Et mirabimur, turbam Ungaricam brutorum more in Christi sæviisse Vicarium? Turbæ autem facinus contra pia sensa sacrorum Antistitum, illustrissimorum procerum, & sapientissimæ nobilitatis sacrilegium absolute fuisse, cum certo certius cognoverimus quotquot hic adsumus, vel ex eo nihil immorandum suadet ratio, ut turbarum turbulentas vanitates, & falsas insanias proturbando nos de nostra republica, immo de salute nostra libere sancteque deliberemus, & a vulgi sententia recedamus, nos sapientes esse ostendamus.*

Jam de auctoritate Romanæ sedis, cum coram iis loquar, quos ne quidem susurrus ab obedientia, & illius reverentia ausus est pertentare non solum ab eo tempore, quo gens Ungarica adeo stricte ipsius venerationi adhæsit, ut inter omnes christiani orbis reges solus Ungaricus Apostolicus, & Sedis Apostolicæ a latere, ut ajunt, Legatus singulari prærogativa per Sanctum Stephanum in omnes successores perpetuo transfusa dicatur, & habeatur; sed ab ipso ortu christianæ reipublicæ, quo Paullus Apostolus Illyricæ nationi evangelica face præluxit, relicto in Pannoniis nepote ex sorore Andronico Episcopo, unde & Primatus ecclesiarum amplissimæ gentis Illyricæ per plura sæcula in Sirmiensi stetit Ecclesia; superfluum ducerem omnino quidquam effari, nisi cælum hoc turbine turbantis omnia turbæ aliquando infectum pertimescerem. Quamobrem consueta brevitate aliquot sacræ Scripturæ loca vobis ignota minime attingam, quibus constans omnium Sanctorum Patrum sensus, & consensus, auctoritatem ecclesiasticam superiorem potestate sæculari in Ecclesia Dei

Dei stetisse semper, subscripsit, Hinc nullus eorum, quorum nomina studio brevitatis, tanquam vobis notissima, prætereo, dubitavit unquam, de Ecclesia intelligenda esse illa verba Jeremiæ: „ Domina gentium, & princeps provinciarum; *Et Ezechielis:* „ Suscitabo pastorem unum; *Apocalypsis:* „ Qui vicerit, & custodierit o- „ pera mea, in finem, dabo illi potestatem „ super gentes, & reget eos in virga ferrea, „ & tanquam vas figuli confringentur, sicut „ & ego accepi a Patre meo. *Isaiæ:* „ Gens, „ *ait, &* regnum, (*alloquendo Ecclesiam*) quod „ non servierit tibi, peribit. *Davidis:* „ Gla- „ dii, *inquit*, ancipites in manibus eorum, „ ad jaciendam vindictam in nationibus, in- „ crepationes in populis. Ad alligandos re- „ ges eorum in compedibus, & nobiles eo- „ rum in manibus ferreis, ut faciant in eis „ judicium conscriptum, gloria hæc est omni- „ bus Sanctis ejus. *Inde apud Lucam in Collegio Apostolico duo gladii approbantur. Et ut missas faciamus alias veteris paginæ auctoritates, Hieronymus noster, quem in explicandis sacræ Scripturæ sensibus Doctorem maximum a Deo sibi provisum profitetur Ecclesia, illa verba Jeremiæ,* „ Ecce constitui te hodie super „ gentes, & super regna, ut evellas & de- „ struas, & disperdas, & dissipes, & ædifices „ & plantes, *ad Christum, & Ecclesiam pertinere, disertis verbis explicat. Quamobrem Christus ipsemet præcipit Petro:* „ Pasce oves meas, *id est universum gregem ecclesiasticum; &* „ Pa- „ sce agnos meos, *id est principes gregis ecclesiastici, juxta Patrum explicationem. Novimus quidem a Christo* „ fundatam Ecclesiam supra „ fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, *quando tam Petro, quam reliquis omnibus Apostolis æquam ligandi, solvendique potestatem dedit ante passionem, & resurrectionem suam, sicuti resurgens a mortuis, iisdem omnibus Spiritum Sanctum inspiravit, eos denique cum omnimoda potestate sine ulla differentia inter Petrum, & alios, ad baptizandas omnes gentes per orbem terrarum destinavit. Attamen supremam potestatem pascendi* Oves, *qui sunt Christi fideles, &* Agnos, *qui sunt Principes fidelium, ut diximus, absque multitudine aliorum Apostolorum, præsentibus tantummodo Thoma, Nathanaele, duobus filiis Zebedei, & aliis duobus ex discipulis, quinque nempe testibus, & Joanne sexto, uno ex filiis Zebedei, tanquam loco scribæ adscito, soli Petro voluit demandatam. Hinc Paullus scribens ad Corinthios;* „ Spiritualis ho- „ mo judicat omnia, ipse autem a nemine ju- „ dicatur. *Ad Romanos vero.* „ Omnis ani- „ ma potestatibus sublimioribus subjecta est. *Et alibi:* „ Si Angelos judicabimus, quanto „ magis sæcularia? „ *Ipse porro Petrus in sua Canonica:* „ Vos, *inquit*, estis regale Sacer- „ dotium. *Item:* „ Gratia vobis, & pax ad- „ impleatur in cognitione Dei, & Christi Je- „ su, Domini nostri, quomodo omnia nobis „ divinæ virtutis suæ, (*græcus textus habet* „ *potestatis suæ*) quæ ad vitam, & pietatem „ donata sunt. *Sed & Patres sanctissimi, a Christo ad nostra usque tempora constanter tenuerunt, & docuerunt, Episcopis, & summo Romano Pontifici competere, & esse, in omnia temporalia regiam, & supremam potestatem: quod tamen ita intellexerim, ut non directe habeat jurisdictionem temporalem in illa, sed indirecte; quatenus nimirum est necessarium ad finem spiritualem, & salutem animarum, sicuti plane nunc contigit in hoc nostro regno. Ita Dionysius ad Demophilum cap. 8. de Ecclesiastica Hierarchia, Ignatius ad Philadelphienses, ad Smyrnenses, & ad Trallianos. Irenæus lib. 4. cap. 44. Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum, Cyprianus epistola 69. ad Ruffinianum, Arnobius in psalmum 139. Athanasius oratione secunda contra Arianos, Nazianzenus oratione 18. Ambrosius 1. ad Corinthios cap. 3. Hieronymus in Isaiam cap. 60. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, Epiphanius hæresi 29. Cyrillus Alexandrinus in libr. Thesauri, Augustinus in Apocalypsim prope finem, Paulinus ad Citerium, Cassiodorus Epistola 4. libro 1. Gregorius Magnus in quartum Psalmum Pœnitentialium, Angelomus lib. Regum 1. cap. 2. Rabanus de institutione Clericorum, Anselmus super Epistolam 1. ad Corinthios 3. Ottho Frisingensis lib. 5. cap. 36. Bernardus lib. 3. cap. 8. ad Eugenium. Idem docuere ii omnes, quos Scholasticos appellamus, imprimis autem (2) Magister meus Thomas de Aquino, & Bonaventura de Balneo regio. Concilia Nationalia, ut Toletana, & Rhemensia, clarissime super hoc decrevere. Sed quid, quod tot Scripturis, Patribus, & Doctoribus accedunt facta ipsa Scripturas explicantia? Etenim habemus apud Zonaram Anastasium Imperatorem non ante fuisse coronatum ab Euthymio Patriarcha, quam scripto polliceretur, se in fide Catholica permansurum. Clodovæus Francus, occupatis Galliis, auctoritate Romani Pontificis Hormisdæ a Remigio Rhemensi Præsule coronatus ex ipsis Francorum scriptoribus habetur; sicut ex Hispanicis, Isidoro præsertim, Roderico, Visigothos reges, qui regnarant apud illos, per Episcopos ad regna assumptos, ac etiam solio deturbatos. Chilpericum regem Francorum ob stupiditatem a Zacharia Romano Pontifice gubernaculo regni submotum, Pipinumque regem suffectum, ejusdem gentis scriptores fatentur. Et quod maximi momenti in hoc genere cognoscitur, certissimum est, plurimorum scriptorum testimonio, Eginarti autem omnia spectantis imprimis, a Leone tertio Romano Pontifice Pipini filium Carolum Imperatorem Romanum creatum, a quo ad nunc imperantem Henricum nostis neminem pro Imperatore legitimo habitum, qui manu Papali non sit consecratus, sed quousque coronaretur, Imperator electus dictus & habitus est. Scitis autem Henricum tertium a Gregorio septimo privatum imperio, ab omnibus derelictum, privatum, & insepultum jacuisse. Otthonem quartum ab Innocentio tertio depositum, sicuti & Fridericum secundum a quarto Innocentio, a quo Portugalliæ regi curator est assignatus: regnum enim Portugalliæ, sicuti & Scotorum, & plurima alia, beneficiaria Sedis Apostolicæ dignoscuntur. Sed ad nostra veniamus. Quamdiu reges Dalmatiæ, & Croatiæ, per sexcentos ferme annos regnarunt, ab Heraclii Imperatoris temporibus ad nostrum sanctissimum regem Ladislaum, semper beneficiarii, semper tributarii Sedis Apostolicæ fuerunt, sicuti & Bani Bosnenses, tanquam dictorum regnorum membrum idem adhuc usque exequuntur. Patrum nostrorum memoria Dynasta Serbliæ, & Rassiæ, rex ab Honorio tertio nominatus, & titulum regium, & regnum ipsum ad præsentes posteros feliciter transmisit, &, ut finem huic rei faciam, ipse sanctissimus Apostolus Ungariæ Stephanus, de cujus successore agimus,*

2

mus, a Romano Pontifice Sylvestro secundo rex est declaratus, & perpetua legatione Apostolica decoratus. Quod si fatemur in fonte, cur non admittemus in rivulo? ita tamen ut inde libertati illi perpetuæ, qua Ungari suos principes eligunt, independenter a qualibet alia potestate, nullum præjudicium oriri profitear. Nulla itaque dubitandi superest occasio, quo jure Romanus Pontifex Ungaricæ dissidia miseratus, sanioribus & potioribus etiam Ungaris id exposcentibus, Carolum, auctoritate sua, tanquam universalis Pater & Judex supremus, tuendum in regno, jure sanguinis sibi debito susceperit. Jure autem sanguinis, eoque optimo, super alios competitores, Carolo deberi diadema aviticum, sole meridiano clarius est; cum (3) matrem habuerit Mariam Stephani V. Ungarorum regis filiam, sororem Ladislai Tertii, & ultimæ ex Bela propaginis sacræ masculæ Ungaricæ. Venceslai Bohemi conditionem longe diversam esse, non est cur ambigamus, quippe quem ex filia filiæ Belæ Quarti natum agnoscamus. Bavarus Ottho, quo glutine stemmati nostrorum regum possit agglutinari, (4) nequaquam mihi probatur. Sed Caroli juribus illud quoque, idque rarum in terris additur, quod ipsius stemma, cælo teste, ex sanctissimis regibus nostris profluere comprobatur. Ut enim Bela Quartus ipsius proavus Elisabetham sororem (5), Germaniæ, aliam Elisabetham (6) ex alia sorore neptem, Hispaniæ, Margaretam filiam (7), Dalmatiæ (tanquam concivem meam, Tragurii nempe editam,) Cunegundem aliam filiam, Poloniæ, sanctitatis gloriæ syderibus insertas, produxisse lætatur; ita ex Maria nepote (8) mater Caroli nostri, Ludovicum sanctissimum Tolosæ Præsulem, primo Italiæ, in qua vitales hausit auras, demum Galliæ, ex qua ad æternitatis evolavit præmia, Caroli nostri fratrem, stirpem agnoscit suam. Perinde sicut cælo, terræque acceptissimus, Francorum regum præstantissimus Ludovicus Nonus, qui ab adolescentia sua ad ultimum usque spiritum, nunquam sibi, sed Christo militavit, regem nostrum Carolum; per fratrem Carolum (9) pronepotem suum, statibus inclyti regni Ungarici sceptris sacratissimis tractandis natum, posteritatem suam fatetur, sic & commendat. Addo præterea, quod omnibus est liquidum, Carolum regem nostrum nunquam se Ungarico regno obtrusisse, quippe cui tanquam primogenitæ proli parentis sui Caroli Secundi, felicissimum totius orbis regnum Siciliæ naturali prærogativa destinabatur: sed (unde ipsi immortales gratias habere debemus, & agere,) ab melioribus Senatoribus sollicitatum, jussu Romani Pontificis, labanti Ungariæ & alienis nationibus in prædam concedenti præsto futurum, posthabito nobilissimo & ditissimo Siciliæ regno, adcurrisse. Quæ ut bene nota omnibus, sicuti initio sum præfatus, fortioribus, quam disertioribus argumentis, quemadmodum decet Episcopum, cum hactenus innuerim, bonorum omnium votis, bono patriæ, justitiæ ipsi, Romani summi Pontificis, ejusque bic adstantis legati monitis fecisse satis non dubitaverim.

Margin note numbers beside the lines above: 3 (at "ridiano clarius est; cum (3) matrem"), 4 (at "possit agglutinari, (4)"), 5 (at "psius proavus Elisabetham sororem (5)"), 6 (at "maniæ, aliam Elisabetham (6)"), 7 (at "re neptem, Hispaniæ, Margaretam filiam (7)"), 8 (at "duxisse lætatur; ita ex Maria nepote (8)"), 9 (at "trem Carolum (9)").

Notæ.

(1) Thuroczius in *Chronico* de rebus Hungaricis cap. 16. agens de legatione Hungarica Nicolai Boccasini Cardinalis, qui ob detrectatum Caroli imperium, Hungariam interdicto ecclesiastico supposuit; hanc detestandam quorumdam audaciam commemorat his verbis: *Interdictum religiosis, & plebanis stricte servantibus, surrexerunt pseudo-Sacerdotes, & perfidi, qui manifeste divina populo celebrabant, & sacramenta ecclesiastica ministrabant publice interdictis. Insuper malum malo cumulantes, perniciosius convocato populo, accensis lucernis summum Pontificem Christi vicarium, Archiepiscopos & Episcopos universos regni Hungariæ ac viros religiosos communiter excommunicatos altis vocibus pronunciant.*

(2) Hoc Tomcus Marnavitius de suo addidit. Augustinus nec fuit, nec esse potuit auditor D. Thomæ Aquinatis, si ratio temporum habenda est.

(3) Aviam, non matrem; erat enim filius Caroli Martelli, qui Caroli II. regis utriusque Siciliæ, & Mariæ sororis Ladislavi filius fuit.

(4) Otho erat filius Elisabethæ sororis Stephani IV.

(5) S. Elisabetha filia fuit Andreæ II., & nupta duci Thuringiæ, quæ colitur XIX. Novembris.

(6) Illa fuit fortasse, quæ nupsit Dionysio regi Lusitaniæ; sed an hæc ex filia sororis Belæ IV. orta fuerit, mihi non liquet.

(7) De utraque filia Belæ IV. Hagiologi Antuerpienses die 28. Januarii, & 24. Julii.

(8) Avia, ut supra dictum est.

(9) Carolus rex Hungariæ nepos fuit Caroli II., pronepos Caroli I. regis Siciliæ, qui frater fuit S. Ludovici regis Galliæ.

Augustini oratio, qualiscumque fuerit, plurimum momenti habuisse dicitur ad flectendos illarum gentium animos, convertendosque ad Carolum; quem corona S. Stephani, cæterisque regalibus insignibus ornatum, una omnes voce & acclamatione regem appellarunt. Unus restabat infensus illi atque inimicus Matthæus Palatinus, qui suis opibus & copiis fretus pacatam regni possessionem habere non sinebat. Hunc demum anno 1312. commisso apud Cassoviam prælio fregit ac superavit; sed multorum sanguine, & vulneribus ea victoria Carolo stetit. *Carolus rex Hungariæ ab omnibus receptus habitusque.*

Dum Cardinalis Gentilis legatione Apostolica fungebatur in Hungaria, non solum ad civiles discordias componendas, sed etiam ad rem, & disciplinam Ecclesiasticam restituendam & stabiliendam sedulo incubuit. Budam, & Posonium Episcopos Hungariæ ad Concilium Nationale convocavit. Multa præclare constituit, quæ ad splendorem ac dignitatem cultus divini, ad honestatem & sanctitatem ordinis Ecclesiastici pertinent. Si quæ inter Episcopos erant controversiæ, eas diremit, vel composuit. Ordinem Fratrum S. Paulli primi Eremitæ, quem anno 1215. Eusebius Canonicus Strigoniensis instituerat, nomine & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmavit. Utrique Concilio interfuit Augustinus Episcopus, qui tum Liturgiam Ecclesiæ Zagrabiensis, tum ritum quotidiani, & votivi sacri faciendi ad honorem D. iparæ Virginis in æde cathedrali, *quocumque festo occurrente, exceptis sollemnitatibus, & octavis Resurrectionis, & Nativitatis Domini, & Pentecostes,* tum denique quæ ipse in Synodo Diœcesana anni 1307. decreverat, ab Legato Pontificio approbanda curavit. Auctor est Paullus Ritterus in Concilio Nationali *Duo concilia Nationalia Budæ, & Posonii, quibus interfuit Augustinus.*

nali Posoniensi ad Cardinalem Gentilem delatam fuisse controversiam de archidiaconatu Muracensi, quæ jam inde a sæculo superiori inter Salisburgensem Metropolitam, & Episcopos Zagrabienses exorta, & sæpe agitata in conventibus Ecclesiasticis numquam dirimi, aut componi potuerat. Maracum oppidum erat Diæcesis Zagrabiensis fortasse inter fluvium Muram, unde videtur nomen accepisse, & Dravum, vel certe non longe ab ripa citeriori Dravi fluminis situm. Ab eo denominatus est archidiaconus Muracensis, cujus jurisdictio Dravum transgressa Paræcias haud sane paucas in proximo Norico, sive Styria complectebatur. Sæculo decimo tertio reges Hungariæ multa cum Styris Slavoniæ finitimis bella gesserant; quibus sub imperium redactis, *Duces Styriæ* se appellarunt, uti Bela IV. in privilegio, quod Monachis Cistercienfibus concessit anno 1257.: *Bela Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Cumanieque rex, & dux Styriæ.* Idem Stefanum Banum Slavoniæ *Capitaneum*, sive rectorem Styris dedit. Ut porro imperii Hungarici, sic etiam diæcesis Zagrabiensis fines in Styriam conterminam prolatos fuisse ajunt, & si non omnis, certe illius provinciæ pars proxima sub potestatem Episcopi Zagrabiensis concessit, atque ad jurisdictionem archidiaconi Muracensis adjuncta fuit. Quamvis autem Styri adjuti copiis auxiliaribus Ottocari regis Bohemiæ dominatum Hungaricum depulerint, & Styria ejusdem regis imperium subierit, Episcopus tamen Zagrabiensis, & archidiaconus Muracensis veterem jujurisdictionem, hic archidiaconalem, ille episcopalem in aliquot Paræciis Slavoniæ vicinioribus retinebant. Harum detractione diœcesim suam, seu potius provinciam mutilatam ac diminutam fuisse querebantur Archiepiscopi Salisburgenses, quas repetere ac persequi liti atque judicio numquam destiterunt. Caussa Zagrabiensium Antistitum hoc potissimum argumento niti videbatur, quod Pannonia antiquitus fines suos in Occidentem protendebat usque ad montem Cetium, cujus interjectu sejungebatur a Norico; postea vero Norici sive Styri, finibus ultra Cetium prolatis, particulam Occidentalem Pannoniæ cis ultraque Dravum occuparunt, ubi erant Paræciæ illæ archidiaconatus Maracensis, & diæcesis Zagrabiensis, de quibus erat controversia; quidquid autem terrarum vetus Pannonia complectebatur, quamvis ab regno Hungariæ divulsum esset, id tamen jure antiquo Ecclesiastico ad jurisdictionem antistitum regni Hungarici pertinere ajebant. Itaque ad hanc controversiam dirimendam Cardinalem Gentilem sumpsere arbitrum: hic post cognita diligenterque perpensa momenta rationum, quæ utrimque afferebantur, cum sibi non videretur liquere unde jus staret, rem injudicatam reliquit; interea dum clariora monumenta sive Zagrabiensis, sive Salisburgensis antistites in judicium producerent, neuter archidiaconatum Muracensem sibi, suæque Ecclesiæ vindicaret. Quare Augustinus in alterutra ex duabus Synodis diœcesanis, quas post discessum Gentilis legati anno 1314., & 1318. convocasse diximus, de communi omnium sententia, relictis Salisburgensi, quæ trans Dravum erant in Styria, Paræciis, citeriores retinuit; & Muracensis Archidiaconi titulo abolito, eas ad jurisdictionem archidiaconi Bexinensis adjunxit. Hæc ferme Paullus Ritterus his verbis: *Ut Salisburgensis . . . . jus Ecclesiæ suæ Salisburgen. Dravo terminari probabat, sic Stephanus Episcopus Zagrabiensis Pannoniæ veteris urgebat terminos Belam regem interpellans, qui per Stephanum* Comitem *Zagrabiæ Styriam occupavit ex pacis cum Ottocaro rege articulis. Anno 1260. die S. Margaritæ sacro Ottocaro obtigit Styria. Denuo lis inter Episcopos. Tandem sub Apostolicæ Sedis legato Cardinali Gentili lis non definita, sed hac lege sopita, ut quoad prætore judice definiatur, nec Zagrabiensis illorum partium Archidiaconatum vocatum Muracensem, nec Salisburgensis habeat. Hinc synodaliter Augustinus Parochias Cisdravianas penes Styriam Archidiacono Bexin. commisit, transdravianis pro interim Styris relictis; & ita Archidiaconum Muracensem cum Bexin. conjunxit.*

Controversia de Archidiaconatu Muracensi inter Salisburgenses Archiepiscopos & Zagrabienses Episcopos.

Archidiaconatum Muracensem Augustinus abolevit.

Concilium generale Viennense Clemens V. anno 1308. indixerat per litteras encyclicas Pictavis datas prid. id. Augusti tum ad reges omnes tum ad omnes christiani orbis antistites; ut ad ceteros, sic etiam ad Metropolitam, & Episcopos provinciæ Colocensis, & nominatim ad *Zagrabiensem Episcopum: In eodem modo*, ut est in Collectionibus Conciliorum, *Archiepiscopo Colocensi & Episcopis &c. mandamus quatenus vos Fratres, Archiepiscope, & Zagrabiensis, & Ultrasilvensis Episcopi, reliquis vestorum Episcoporum in vestra provinvincia remanentibus ad ea, quæ pontificale officium exigunt &c. omni negligentia relegata, cunctis, prout talis, & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis sic vos medio tempore accingatis ad iter &c.* Diem vero ad conveniendum Viennam in Galliam edixit affixam Kalendis Octobris post biennium ab hisce litteris exactum, anno scilicet 1310. Sed cum aliæ ex aliis caussæ intercessissent, ob quas Concilium in tertium annum differri oportuit, id significavit per alteras litteras datas pridie nonas Aprilis anno quinto pontificatus, idest 1310., inscriptasque singulis *Archiepiscopis, & in eodem modo Archiepiscopo Colocensi, & ejus suffraganeis.* Augustinum Concilio Viennensi interfuisse Kerecselichius quidem compertum sibi non esse ait; at vero affirmat Georgius Rattkajus: *His absolutis Legatus* (Gentilis) *cum Augustino Viennam urbem Gallicam ad generale Concilium a Clemente V. indictum proficiscitur; quo absoluto Augustinus ad Ecclesiam suam Zagrabiensem se recepit.* In eo Concilio abolitus & extinctus est ordo Templariorum, qui a vetere disciplina & sanctimonia ad summam morum corruptelam, & prorsus nefanda, ut ferebatur, flagitia desciverant. Illorum opes & possessiones, quæ præter modum excreverant, Hospitalariis S. Joannis attributæ, qui sedem in Rhodo insula Saracenis erepta posuerunt. Inde Rhodii Equites appellati, qui nunc Melitenses. Exemplar sententiæ in Templarios prolatæ quaquaversus missum est ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, in quorum provincia, vel diæcesi, vel ditione domos, Ecclesias, prædia Templarii possidebant, simulque illis imperatum, ut in hujusmodi bonorum possessionem mitterent Hospitalarios S. Joannis, expulsis Templariis, qui eo nomine atque ordine indignos se præbuerant. Ut ceteris, sic etiam mandatum fuit *in eodem modo Strigoniensi, & Colocensi Archiepiscopis, & Episcopo* Quin-

Concilio generali Viennensi Augustinus interfuit.

Ordo Templariorum extinctus.

Quinqueecclesiensi &c. Praeterea, ut tradit Spondanus, *quod ad personas Templariorum attinet, decretum est in Synodo Viennensi notabiliores ordinationi speciali Romani Pontificis reservari, ceteras synodis provincialibus ita committi, ut sontibus, qui judicium detrectassent, pro ratione criminum supplicia irrogarentur; in omnes, & qui leviter deliquissent, vel ultro confessi vere attriti apparerent, detracto habitu, in iisdem domibus, in quibus professi essent, vel etiam in aliis religionibus a Sede Apostolica approbatis, quas ipsi eligerent, de bonis, quæ fuerant Templariorum, usque ad finem vitæ alerentur, prohibitis omnibus ad sæculum reverti.* Cum in Hungaria, tum vero in Slavonia plura erant domicilia Templariorum, veluti Zagrabiæ ad S. Joannem, Bustakovina, Glogonza, & aliis in locis. Horum omnium curam, & bonorum, quæ possidebant, administrationem suscepit Augustinus; neque antea dimisit, quam eorum possessio ex præscripto Concilii Fratribus Hospitalariis traderetur. E Templariis, quos nullius culpæ affines esse, aut leviter deliquisse, aut quæ admiserant flagitia, rite confessos, & labes vitæ anteactæ salutari pœnitentia eluere paratos esse comperiit, iis apud Zagrabiam domum S. Joannis habitandam dedit, in qua, vetere habitu deposito, sub potestate Episcopi ad normam disciplinæ religiosæ vitam caste pieque degerent; iisdemque ex annuis proventibus Templariorum in victum cultumque, quod satis esset, assignavit. Ut vero constaret ex bonis & redditibus ordinis extincti nihil in se vel in alios derivatum esse, singulis annis publice ac palam e suggestu rationem susceptæ administrationis reddere solebat.

Horum domicilia & latifundia in Slavonia, quorum curam & administrationem suscepit Augustinus.

Erat insula quædam in Savo fluvio, ut opinor, nomine Zasca, quæ cum æde S. Jacobi ibidem sita ad jus ditionemque pertinebat Ecclesiæ & Capituli Zagrabiensis. Hanc P. Archidiaconus tam Ecclesiæ, quam Capituli nomine fiduciariam dederat Monachis Cisterciensibus S. Mariæ Zagrabiensis sub his conditionibus, ut Ecclesiam Zagrabiensem tamquam dominam & patronam agnoscerent, annuisque tributis colerent; tres videlicet Marchas turis die festo S. Stephani regis, itemque fructuum ex ea perceptorum decumas, & duas partes Marturinarum singulis annis Capitulo persolverent. Hanc insulam Monachi Cistercienses Virginibus Deo sacratis ejusdem, opinor, Ordinis Cisterciensis tradiderunt, & litteras super hujusmodi traditione, & pactionibus, quæ inter Monachos & Monachas convenerant, confectas ut approbarent, Augustinum Episcopum & Canonicos ædis cathedralis rogarunt. Sed illas potius improbandas, quam approbandas esse censuerunt; quippe cum in eisdem neque jus, & dominium supremum Episcopi, & Capituli, neque tributum annuum illis debitum expressum fuisset. Itaque reformatæ sunt, & jus patronatus Ecclesiæ diserte additum fuit; & quid Monachi, quidve Monachæ, & coloni, cultoresque illius insulæ Capitulo contribuere deberent, præscriptum est: quæ omnia Augustinus ad memoriam posteritatis suis litteris testata, suoque annulo Episcopali obsignata esse voluit.

Insula Zasca Ecclesiæ & Capit. Zagrabien. tradita Monachis Cisterciensibus, ab his vero Virginibus ejusdem Ordinis.

Nos frater Augustinus miseratione divina Episcopus Zagrabien. Significamus quibus expedit universis memoriæ commendantes, quod Perculeus Abbas, & Monachi in capella Sanctæ Mariæ Zagrabiæ residentes, litteras suas inter ipsos, & inter Dominam, N. monialem, & alias moniales, super insula Sancti Jacobi confectas petierunt, nostris, & Capituli Zagrabien. confirmari; Sed Alexander Archidiaconus de Kemlek, & Archidiaconus Zagrabien. Ecclesiæ cathedralis pro Capitulo responderunt, quod Ecclesia S. Jacobi in insula Zasca & ipsa insula monachis Cistercien. ordinis per P. quondam Archidiaconum cathedralem, & per Ecclesiam Zagrabiensem non simpliciter, sed sub certis conditionibus, sive modis datæ fuerunt vel donatæ, ita ut religiosi vel monachi illam insulam pro beneficio Zagrabien. Ecclesiæ in perpetuum recognoscant, & tres marcas thuris ad cameram Capituli dare in festo sancti regis Stephani annis singulis teneantur, & ex culturis, quas laboribus suis propriis, vel eorum rustici fecerint, ad duas partes Marturinarum rusticorum suorum in eadem insula manentium Capitulo dare, & solvere teneantur. Insuper Ecclesia S. Jacobi Episcopum Zagrabien. & Capitulum recognoscere debeat pro patronis; quæ conditiones, & modi a sexaginta annis, vel supra usque hodie per monachos sunt servati. Cum igitur in littera, quæ confirmari petitur, nihil ex prædictis juribus sit expressum, non videtur confirmanda, sed infirmanda, licet ante in hac disceptatione prædictus Abbas, & Capitulum fuerint aliquandiu immorati: ad ultimum tamen Abbas, & Monachi consenserunt, ut tres marcas thuris prædictas, ratione illius insulæ debitas, non monialibus, sed ipsimet Capitulo dare debeant annuatim, quamvis ipsam insulam ad usum monialium converterint, vel convertant. Monialibus vero cetera honoraria, seu debita insulæ supportabunt, videlicet decimas de cultura super propria, & rusticorum suorum, ac duas partes marturinarum de suis rusticis provenientium, annuatim solvent Capitulo, prout usque hodie observatum extitit per Monachos, & solutum. Jus etiam patronatus in Ecclesia S. Jacobi apud Ecclesiam Zagrabien. remanebit pacificum, & quietum. In cujus rei memoriam præsentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabiæ in festo S. Michaelis Anno Domini MCCCXV.

Decretum Augustini Ep.

Carolus regnum Hungaricum adeptus Augustinum magnopere dilexit, nullumque ab se grati erga illum animi ac benefici officium desiderari passus est: sciebat quippe hujus opera potissimum Episcopos, Proceres, & populos Hungariæ sibi conciliatos esse, atque ab utroque regni competitore Venceslavo, & Othone ad suas partes abductos. Multa itaque beneficia & privilegia Augustino & Ecclesiæ contulit. Augustino petente, tum quæ ipse per emptionem sibi, suæque Ecclesiæ acquisierat, tum nominatim jus exigendi decimas ab Villis Vereveche & Lipoi, quod Ladislavus rex Timotheo Episcopo adjudicaverat, regali auctoritate confirmavit. Ne vero videretur beneficiis alienis in Ecclesiam Zagrabiensem collatis de suo nihil addere, populos Castri Zagrabiensis eidem Ecclesiæ in perpetuum donavit, *ob reverentiam*, inquit, *Dei & Sancti regis, & merita Augustini sibi indefesse exhibita*; quam quidem donationem, eodem Augustino postulante, anno 1314. confirmavit, atque insuper populos illos *ab omni jurisdictione Ducis, & Bani Sclavoniæ, & quacumque temporalis Domini servitute eximit; quia*, inquit, *indignum* ne-

Caroli regis Hungariæ benevolentia erga Augustinū & beneficentia.

nobis videtur, ut sacularis potentia molestiam inferat his, quos duximus Deo famulantium usibus applicare. Anno demum 1318. veterum regum Hungariæ privilegia & beneficia in Ecclesiam, & Episcopos Zagrabienses congesta non solum confirmavit, sed novis etiam cumulavit, amplissimo diplomate in hæc verba confecto.

Privilegium Caroli regis Ep. & Ecclesiæ Zagrabien. concessum.

Regiæ majestatis honor divinarum rerum exercitio decoratur, ut actionis suæ gratitudinis studio, illic aciem imprimat, unde se novit munus celsitudinis recepisse, tantoque in suæ dignitatis gloria clarior permanet, quanto in deitatis cultu sollicitior invenitur. Qua nos consideratione permoti, noctes insomnes ducimus, ut divinum cultum subditorum animis venerabilius commendemus. Inter cetera vero religiosæ considerationis studia ad Zagrabiensem Ecclesiam, quam felicis recordationis sanctissimi Ladislai regis progenitoris nostri commendat fundatio, specialis affectionis gratia mentis aciem intendentes, comperimus eam pia majorum nostrorum diligentia, uberioris dignitatis gratia decoratam: ut ejus ministri tanto deberent pleniori cura divino cultui deservire, quanto se cernerent principum diligentia, copiosiore libertatis gratia decorari. Quorum nos affectu gratuito vestigiis inhærentes, hac in perpetuum valitura definitione sancimus: omnes ejusdem Ecclesiæ possessiones vel terras, quas seu regum munifica largitione, seu alias justo titulo, regiæ majestatis accedente consensu obtinet in præsenti, vel etiam in posterum obtinebit, cum omnibus incolis suis, soli præfatæ Ecclesiæ id est Episcopi, vel Capituli jurisdictioni fore subjectas, ac ab omni cujuslibet secularis potestatis dominio, vel subjectione liberas penitus & exemptas; ita videlicet, ut earumdem possessionum incolæ in omnibus judiciis, maleficiis, & excessibus ad nullius tribunal, quam ad ipsius Ecclesiæ, vel officialium Ecclesiæ valeant vocari. Quod si Episcopus in reddenda justitia negligens fuerit aut remissus, non is, contra quem agitur, sed ipse Episcopus citatus, in nostra præsentia facti sui rationem reddere teneatur. Praterea iidem populi Marturinas, descensus, servitia, annonas, collectas undecim denariorum, & collectas septem denariorum, ac alias prabitiones quocumque nomine occupatas, nulli alteri, quam præfatæ Ecclesiæ reddere teneantur. Adjicimus etiam, ut tributarii, vel salinarii, seu etiam monetarii regis, vel quorumcumque aliorum, nisi ad ipsius, seu officialium ejus voluntatem, caussa exercendæ suæ negotiationis accedere non præsumant; quod si fecerint, per officiales ejusdem Ecclesiæ capti, quadraginta diebus in carcere teneantur, omnes res, quas tunc erga se habuerint, amissuri. Decrevimus etiam, ut nec Dux, nec Banus, nec Comes quilibet, etiamsi de latere nostro missus fuerit, in ejusdem Ecclesiæ populis descensum, aut aliquod aliud obsequium, vel munus extorquere valeat absque ipsius Ecclesiæ consensu, vel ejus officialium voluntate. Ejusdem quoque Ecclesiæ populis, ut in nullius foro tributum solvere compellantur, majorum nostrorum sequentes vestigia, concedimus de gratia speciali. Volumus autem ut Dux, aut Banus, qui pro tempore fuerit, omnium Marturinarum, seu collectarum, quocumque nomine nuncupatarum, omnium quoque tributorum forensium, vel proventuum, portuum decimas intra diœcesim Zagrabiensem, Episcopo faciant cum omni integritate persolvi; contradictores & rebelles gravi judicio compellendo. Hæc igitur, quæ nobis pia sollicitudine vel innovata sunt, vel statuta, sic per nos, nostrosque successores, at alios illibata volumus conservari; ut si quis Dux, Banus, Comes, aut alius quilibet contra prædicta attentare præsumpserit, si de regali stirpe fuerit, paterna maledictione habeatur percellendus; si autem fuerit de nobilibus Hungariæ, & citatus fuerit ab Episcopo ad regis præsentiam, antequam Episcopo respondeat, quinquaginta marchas fisco regio, & alias quinquaginta marchas Episcopo, rege eumdem fortius compellente, persolvat. Præter hæc, ecclesiasticæ censuræ rigorem, & pro transgressionis merito, decreto Antistitis sacri subiturus. Omnia vero privilegia, seu litteras majorum nostrorum regum Hungariæ super gratiis, possessionibus, ac juribus quibuscumque munifica largitione concessas, acceptamus, approbamus, atque præsentis scripti patrocinio confirmamus. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præsentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Joannis Albensis Ecclesiæ præpositi, aulæ nostræ vicecancellarii, & Episcopi Kukoliensis, dilecti & fidelis nostri. Anno Domini 1318. IV Idus Martii, regni autem nostri anno similiter decimo octavo. Venerabilibus in Christo Patribus Thoma Strigonien. locique ejusdem Comite perpetuo, Ladislao Colocensis aulæ nostræ Cancellario, Petro Spalatensis Ecclesiarum Archiepiscopis, Augustino Zagrabiensis, Joanne Nitrien., Stephano Vesprimien., Benedicto Chanadien., Martino Agrien. Benedicto Transilv. Nicolao Jaurinen. Ladislao Quinqueecclesien. Georgio Sirmien., & Ivanka Varadien., ac Petro Bosnen. ecclesiarum Episc. Dominico Palatino, Demetrio, magistro Tavernicorum nostrorum; Joanne Bano totius Sclavoniæ, magistro Lamperto judice curiæ nostræ, & Comite Chanadiensi; aliisque nobilibus, regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.

Diplomati Carolino hanc notam subjecit Balthassar Adamus Kercselich. *Quo ex privilegio magnam vides Caroli in Ecclesiam Zagrabiensem pietatem. Quod privilegium a Ludovico Sigismundo, Matthia, aliisque regibus sæpius confirmatum, ut in Episcoporum serie fit mentio. Sed quæres. Ubi Episcopatus ille Kukoliensis, cujus Joannes Albensis præpositus scribitur superius fuisse Episcopus? Respondeo. Credo eum in Cumania fuisse, aut certe Moldavia, quæ tunc regibus Hungariæ paruit. Nam reperitur etiam Joannes Archidiaconus de Kukollo scriptor Synchronus rerum a Ludovico I. rege Hungariæ gestarum. Sed nec nostri est muneris designare locum; quippe scribendam nostræ Ecclesiæ Zagrabiensis historiam suscepimus.*

Annos fere quatuordecim Augustinus huic Ecclesiæ sanctissime præfuit, quam non solum egregiis virtutibus, sed etiam miraculis illustravit. Præter morbos divinitus depulsos, & ægros suo contactu sanatos duo insignia ab eo patrata miracula Joannes Marnavitius refert: *Quoniam* inquit, *gratia curationum, quam ex illius dexteræ tactu, sive benedictione populi experiebantur, omnia passim, etiam remotiora pervadebat, ipse humilitatis eximius cultor, talem declinandæ auræ popularis modum excogitavit, ut, in meditullio ferme suæ ditionis arbore Tilia manu sua plantata, & fusis ad Deum precibus benedicta, suaderet populis, ejusdem arboris foliis pro remedio morborum uterentur. Et suasioni respondit ad preces sanctissimi Patris misericordiarum* Pa-

Digitized by Google

Patris annuentia; eadem arbore integra viridique supra trecentos annos inter assiduas ferme impiorum per ea loca excursiones ramos saluberrimos expandente, & folia toties, quoties decussa fuerunt, pietati incolarum sufficiente: a quibus S. Augustini Tilia denominatur. Quo nomine in Ugrociensi Parochia vocitatur adhuc ad parochialem Ecclesiam deducens semita, vel quia manu ipsius forte fuerit aperta, vel ipsius jussu commoditati populorum directa. Stetit arbor sacra per trecentos annos, ut diximus, perpetuo revirescens ad oppidum a centum annis a Turcis occupatum, Cernik appellatum, *ipsis hostibus fidei veneranda, a quibus cum ingentes faces ad imum truncum votorum assequendorum gratia perpetuo accenderentur, igneo fervore radicibus emorientibus, ante viginti annos corruit, ita tamen, ut ex radicibus ipsius, antequam penitus arescerent, nova tilia succresceret pari veneratione Turcis æque ac Christianis assidue cum adhuc proxime adjacenti trunco culta; prope quam Christiani sacellum quoque, minime contradicentibus terræ Dominis Mahometanis, excitarunt, illudque Franciscanis ex proxima Bosna eo adventantibus curæ demandarunt.*

Alterum miraculum enarravit Cap. II. his verbis: *Quam porro Deo hæc Augustini consilia probarentur, facile patuit; cum enim locus, in quo prope Cathedralem monasterium Dominicanum extruxerat, aquis salubrioribus indigeret, quod fluviolus præterlabens mineralibus qualitatibus inficeretur, positis aliquando genibus, & simul cum fratribus implorato divino subsidio, manu sua effossa exigua scrobe, in latere proximi tumuli saluberrimæ aquæ fonticulum elicuit, qui ad hodiernum usque diem a fidelibus avide potatus ob salubritatem æque animæ, atque corporis Augustini nomen retinet.*

A Zagrabiensi ad Lucerinam Ecclesiam transfertur.

Intra finem anni 1318., Roberto rege utriusque Siciliæ postulante, & Joanne XXII. jubente, ab Zagrabiensi ad Lucerinam in Apulia Ecclesiam regendam Augustinus migravit. De Augustino hæc breviter Joannes Archidiaconus: *D. Augustinus de Tragurio Ordinis Fratrum Prædicatorum vitæ sanctitate præfulgens, prout suus ex tus docet, per provisionem D. PP. Benedicti; & licet temporibus impacatis, tamen utiliter, & laudabiliter præfuit Ecclesiæ, tempore D. Caroli regis Hungariæ; & demum per D. Joannem Papam XXII. translatus fuit in Episcopum civitatis de Rutenia* (Luceria), *ibique obiit die 3. men. Augusti, anno Domini 1323., qui usque hodie miraculis coruscat.* Micha vero Madius, qui Augustino æqualis fuit, in historia de Gestis Rom. Imper., & Summ. Pontific. cap. IV. *Benedictus XI. Romæ eligitur in Papam . . . . . ordinansque Augustinum de Tragurio Episcopum Sagrabiæ;* & cap. 27. *Item supradictis annis Augustinus olim Zagrabien. Episcopus, qui fuit per D. Joannem Papam a dicto Episcopatu remotus ad petitionem R. Ung. & collocatus in Ecclesia Nuceriæ in Apulia in Episcop. ad instantiam D. R. Roberti Apuliæ; & sic abiit ad Christum de MCCCXXIX. (1323.) cujus corpus multa miracula ostendit super iis, qui cum devotione ad ipsum accedunt. Hic fuit oriundus de Dalm. de Civ. Trag., & fuit Frater Prædicator. Ordinis S. Dominici humilis.*

Translationis caussæ alii aliæ.

Augustini ad Sedem Episcopalem Luceriæ translati caussas alii alias afferunt. Sunt, qui tradunt Augustinum graviter offendisse apud quosdam optimates, cum eos ob jura violata, & bona ecclesiastica per vim aut fraudem erepta severius, quam pati possent, acerbiusque arguisset; præsertim vero apud Mladinum Comitem Breberiensem, qui & proventus ecclesiarum interverterat, & jus conferendi Episcopatus ac Sacerdotia sibi vindicabat. Huic opinioni favet auctor *Ungaricæ sanctitatis*, qui scripsit *factiosorum hominum æmulationes declinaturus Italiam repetiit.* Hi ergo in Augustinum incitati, infensique cum essent, nullum ei adversandi, & qualcumque possent molestias inferendi finem faciebant; quorum vexationibus ut eximeretur, ab Joanne Papa ad Ecclesiam Lucerinam translatum fuisse ajunt: sed quod attinet ad Mladinum, nulla huic concertatio, nullum cum Augustino dissidium esse potuit. Erat ille quidem Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Bosinæ Banus, de cujus flagitiis, sacrilegiis, & dominatu tyrannico plura Madius cap. XVIII. Sed ejus potestate atque imperio, dum Augustinus Ecclesiæ Zagrabiensi præsidebat, Slavonia exempta fuit. Hanc siquidem provinciam per eos annos alii, atque alii Bani administrarunt, quos Balthassar Kerefelichius nominatim percenset. Aliqui existimant Carolum regem Hungariæ propter offensiones nescio quas interpositas ab Augustino alienatum fuisse, atque Joannem Papam rogasse, ut eum ab Ecclesia Zagrabiensi removeret; idque colligi posse existimant ex verbis illis supra laudatis Michæ Madii, *qui fuit per D. Joannem Papam a dicto Episcopatu remotus ad petitionem regis Hungariæ &c.* Sed non est verisimile Augustinum vel in aliqua offensa fuisse, vel quidquam pristinæ gratiæ amisisse apud Carolum regem, a quo ante aliquanto, quam Pontificatum Zagrabiensem dimitteret, amplissimum sibi, & Ecclesiæ suæ privilegium impetraverat. Hujus translationis caussam paullo altius repetendam censeo.

Necessitas expurgandæ civitatis & Ecclesiæ Luceriæ Robertum regem utriusque Siciliæ impulit, ut Augustinū a Carolo rege Hungariæ posceret ad purgandā regendamque Ecclesiam Lucerinam.

Fridericus Secundus hoc nomine Imperator, qui in utraque Sicilia dominabatur, coloniam Saracenorum ex Africa in Apuliam deduxerat, hisque Luceriam habitandam dedit, quæ civitas ab novis incolis *Luceria Saracenorum* cognominata est, & Nuceria etiam apud Scriptores interdum appellari solet. Hos Carolus Andegavensis frater S. Ludovici regis Galliarum ex tradito sibi a Clemente IV. regno vectigali Romanæ Sedi rex utriusque Siciliæ pluribus præliis attritos & Luceriæ obsessos ad deditionem compulit. Sed Carolus II. ejus filius anno 1295. eos non solum Luceria, sed ex tota Apulia expulit; illis tantum in urbe & provincia remanendi potestatem fecit, qui suscepto baptismate christianæ religioni nomen darent. Verum multa Luceriæ reliquerant Mahometicæ superstitionis, & impuritatis vestigia; Lucerini quippe ex diuturna cum Saracenis consuetudine multas labes contraxerant, quæ fidei ac legi Christianæ magno dedecori erant. E Saracenis vero ad Christum conversis plerique cum religione, quam susceperant, avitos & patrios mores ritusque retinebant. Robertus filius Caroli II. paternum regnum adeptus anno 1309. illud maxime sibi curandum putavit, ut civitatem & Ecclesiam Lucerinam ab omnibus Saracenicæ superstitionis, & fœditatis reliquiis purgaret. Sed homine sibi opus esse intelligebat eximia sanctitate prædito, & spi-

ritus

ritus Apostolici pleno, qui superstitiosos errores, & pravas consuetudines funditus evelleret, civesque illos ad honestam & piam vivendi rationem revocaret. Ad hanc rem conficiendam neminem aptiorem esse censuit Augustino Episcopo Zagrabiensi, de cujus doctrina, sanctimonia, illustribus & Apostolicis factis magna & praeclara fama erat longe lateque vulgata. Anno igitur 1318., vita functo Luceriae Episcopo, per suos internuncios, & litteras a Carolo rege Hungariae Caroli Martelli fratris sui filio postulavit, ut Augustinum sibi ad eam Ecclesiam reformandam ac regendam traderet. Carolus Patrui voluntati morem gessit; uterque vero Joannem XXII. rogavit, ut vellet juberetque Augustinum a Zagrabiensi ad Lucerinam Ecclesiam migrare. Ita Roberto petente, Carolo annuente, Pontifice Maximo jubente, Augustinus, relicto Zagrabiensi, Lucerinum Episcopatum suscepit. In hanc sententiam velim accipias, quae Madius scripsit, videlicet *Augustinum fuisse per D. Joannem Papam a dicto Episcopatu remotum ad petitionem regis Hungariae, & collocatum in Ecclesia Nuceriae in Apulia ad instantiam D. R. Roberti*. Hanc fere interpretationem Joannes Tomcus Marnavitius adhibuit, & eamdem hujusce translationis caussam attulit: *Cum de Augustini Apostolico zelo fama late volitaret, Robertus cum Carolo consanguineo ita egit per Legatos, ut annuente Joanne XXII. Summo Pontifice, Augustinus & vinculo Zagrabiensis Ecclesiae absolveretur, & Lucerinae civitati Mahometico delirio expurgandae praeficeretur*. Idem confirmant lectiones Breviarii Dominicani, Lucerini, Zagrabiensis.

Ingenti omnium moerore Zagrabia discessit. Ergo Augustinus, ut regis utriusque voluntati obsequeretur, & summo Pontifici jubenti pareret, Ecclesiae Zagrabiensi sponsae sibi carissimae, quamvis aegre admodum, prompto tamen submissoque animo nuncium remisit. Ex jactura & discessu talis ac tanti Praesulis maestitia incredibilis universam civitatem affecit; cunctique ex omni civium ordine abeuntem lacrimis votisque prosecuti sunt. E Zagrabia profectus in Dalmatiam venit, ut inde in Apuliam trajiceret. Tragurium adiit patriam ultimum revisurus. Male acceptum a suis civibus fuisse oportet, cum discedens haec in eos verba protulisse dicatur: *Ingrata patria numquam videbis ossa mea*. Tragurienses siquidem Augustinum gravi eos oratione a civilibus dissidiis, quae inter eos erant, a vitiis ac flagitiis deterrentem, adhortantemque ad pacem & concordiam, ad virtutem ac pietatem colendam aversis auribus animisque audierant, & ejus monita salutaria respuerant. Merito igitur illis subiratus discessit, ingratos erga civem patriae amantissimum utilia atque optima suadentem homines incusavit, suam ab illis perpetuam absentiam denunciavit, ac praedixit fore, ut se numquam amplius nec vivum, nec mortuum viderent: & praedictioni respondit eventus. Joannes Marnavitius Tragurienses idcirco ab Augustino reprehensos fuisse ait, quod *invenisset cives suos Mladini partibus adhaerentes ejusdem impietatem cooperari*. Sed tantum aberat, ut Mladino studerent, ejusque flagitiorum participes essent, ut tyrannicum illius imperium, acerbissimasque exactiones intolerantissime ferrent; & anno 1315. cum Mladinus direptionem & excidium urbis denunciasset, ut patriam redimerent, decem millia librarum persolvere coacti fuerunt, ut est in tabulis Traguriensibus. Nulla igitur erat Traguriensibus cum Mladino scelerum societas, ob quam reprehendi deberent, sed potius ab illo summa voluntatum atque animorum distractio; quam demum anno 1322. Traguriensium ab imperio Mladini ad Venetos aperta defectio declaravit. Sunt, qui tradunt Augustinum ab Carolo Hungariae rege ad Joannem Pontificem, & Robertum regem Neapolitanum de gravissimis rebus Legatum venisse, & per occasionem ejus legationis fungendae, Roberto postulante, Carolo annuente, ab Joanne XXII. ad Ecclesiam Luceriae translatum esse. Ecclesiam Lucerinam Augustinus annos circiter quinque sanctissime gubernavit: *In nostro grege moderando*, ait Ughelius, *supra modum ejus erga pauperes misericordia, & charitas, zelus in ecclesiastica disciplina conservanda, atque in omnibus pastoralis amor, & pietas ita eluxit, ut inter praestantiores sui saeculi Praesules merito numeraretur. Hic sui Ordinis Fratres intra urbem suscepit, quibus coenobium, & Ecclesiam D. Dominici titulo insignem condidit. Cum per annos plus minusve sex sancte praefuisset, clarus miraculis septuagenario major obdormivit in Domino, ipso pervigilio Sancti Dominici, tertio nempe Augusti MCCCXXIII.* Annum aetatis circiter sexagesimum tertium agebat, cum ad superos migravit, ut ex calculis chronologicis supra dictum est. Micha Madius B. Augustini mortem anno undetricesimo hujus saeculi decimi quarti affixit: *& sic abiit ad Christum de MCCCXXIX. &c.* Dubitari non potest, quin amanuensium, vel typographorum incuria error in eas notas chronologicas irrepserit; qui certe attribui nequit Michae Madio aequali temporum illorum, cui annus emortualis Augustini ignotus esse non potuit. Obitum sanctissimi viri contigisse ante annum 1325. declarat epistola Caroli Ducis Calabriae data *Neapoli anno Domini* 1325. ad Joannem XXII., a quo suppliciter petit, ut Augustinum aeque virtutibus ac miraculis clarum in catalogo ac numero divorum reponat. Codex Carcassonensis supra laudatus ejus mortem cum anno 1323. conjunxit. Hunc ejus annum emortualem Joannes Marnavitius, Ughellus, Guillelmus Cuperus, & ceteri fere omnes retinendum esse existimant.

Ejus virtutes & praeclare facta in Ecclesia Lucerina regenda.

Obitus.

Joannes Dominus Mansius tomo tertio supplementi Conciliorum collectionis Labbeanae col. 407. Concilium Avenionense, *in quo Nicolaus V. Antipapa damnatus, & quaestio, utrum Christus & Apostoli proprium aliquid habuerint, discussa*, ad annum Christi 1327. affixit; & existimasse videtur huic Concilio Augustinum Episcopum Zagrabiensem interfuisse, & sententiam dixisse, quam ex *codice* 3140. *membranacco* Bibliothecae Vaticanae descripsit. Atqui Augustinus ante quadriennium obierat, ut scriptores supra laudati tradunt, uno dissentiente Micha Madio, qui ejus mortem in annum hujus saeculi undetricesimum rejecit. Anno autem 1318. Zagrabiensem cum Lucerino Episcopatu commutaverat. Itaque anno 1327., cum habitum est Concilium Avenionense, neque Episcopus Lucerinus erat, & jamdudum e vivis excesserat. Rem ita se habuisse arbitror. Celebris illa controversia, *utrum Christus & Apostoli aliquid commune, sive in communi*

Augustinus interesse non potuit Concilio Avenionensi.

Digitized by Google

muni jure proprietatis possiderent, multis contentionibus agitata, cum jam inde ab exitu sæculi superioris exorta esset, sub initium hujus sæculi decimi quarti vehementius efferbuerat: alii affirmabant, alii negabant; & Theologi illius ætatis inter se discrepantes, ut fit, in utramque partem disserebant; & quod quisque sentiebat, id tum rationibus & argumentis confirmabant, tum etiam aliqui scriptis tradebant. Augustinus, dum adhuc Ecclesiam Zagrabiensem regebat, ab ea sententia stabat, quæ Christo Domino & Apostolis rerum omnium ad victum cultumque pertinentium, quas vel precario acquisierant, vel quoquo modo habebant, non usum tantummodo, sed etiam dominium ac veram possessionem attribuit. Hanc ille sententiam plurimis exemplis ex Evangelio, & historia Apostolica depromptis, multisque argumentis validissime propugnavit; quæ contra afferri poterant, invictissime refellit; & sub nomine *Fratris Augustini Episcopi Zagrabiensis* litteris consignatam reliquit; quæ deinde post ejus obitum inventa cum esset, vel in Synodo Avenionensi coram Joanne XXII., & Patribus Avenionensibus recitata fuit, vel certe relata in codicem Vaticanum supra laudatum, & cum aliis aliorum in eamdem sententiam scriptis conjuncta. Joannes Pontifex secundum sententiam Augustini, & aliorum idem, atque ille, sentientium judicavit; eos vero, qui contra sentirent, atque assererent, damnavit. Integram Augustini disputationem, sive sententiam habes Tomo tertio supplementi Conciliorum Collect. Labbeanæ a columna 407.

Sepulchro in æde sacra cœnobii Dominicani Lucerini. usque ad colum. 413. De ejus obitu & sepulchro hæc in codice Carcassonensi: *Obiit tertio die mensis Augusti in festo Inventionis S. Stephani, fuitque sepultus in vigilia S. Dominici in conventu FF. Prædicatorum in Luceria anno Domini MCCCXXIII., ubi miraculis cæpit ejus sanctitas declarari.*

Miracula post mortem edita. B. Augustini corpus, templum dum viveret Spiritus Sancti, ejusque sepulchrum plurimis Deus illustribusque adornavit miraculis ad testificandam insignem illius sanctimoniam, cælestemque felicitatem. Intra primum ab ejus obitu annum multa ac prorsus admiranda beneficia Beati viri imploratione, ejusque meritis, & precibus apud Deum interpositis divinitus accepta, veluti morborum insanabilium curationes, Dæmonum ab obsessis corporibus expulsiones, cæcis videndi, surdis audiendi facultatem restitutam, declarant novem lectiones antiqui Breviarii Lucerini, quas Joannes XXII. approbasse dicitur, easque die festo Sanctissimi Præsulis inter sollemnes nocturnas preces recitandi potestatem Clero Ecclesiæ Lucerinæ fecisse. Extant apud Sigismundum Ferrarium, quas Guilielmus Cuperus Tom. I. Augusti Actis S. Augustini subtexuit. Easdem cum hymnis & antiphonis, ex historia sacra Zagrabiensi Balthassaris Adami Kereselichii descriptas, paullo post exhibebimus.

Carolus Dux Calabriæ de illius Apotheosi per litteras agit cum Joanne XXII. Cum fama de sanctitate & miraculis Augustini in dies percrebresceret ac latius vulgaretur; Carolus dux Calabriæ, frater Roberti regis, altero post ejus obitum anno, per supplices litteras Joannem Pontificem Maximum oravit, ut juberet tum de vita ejus ac virtutibus, deque rebus omnibus ab eo ad hominum salutem, & exemplum laudabiliter gestis, tum vero de iis, quæ divinitus ille, supra vim atque efficientiam naturalem, vivus patravit & mortuus, quæstiones haberi; & post diligentem ac legitimam inquisitionem adhibitam, si ei videretur, viro sanctimonia & miraculis inclyto cultus & honores, qui cælitibus haberi solent, rite decerneret. Sigismundus Ferrarius in Appendice ad Commentarios de rebus Provinciæ Dominicanæ Hungaricæ testatur exemplum epistolæ Carolinæ, quod hic subjicit, desumptum fuisse ex autographo, quod asservatur in tabulario magnæ curiæ regiæ Neapolitanæ.

Epistola Caroli ad Joannem Pontificé. *Sanctissimo in Christo Patri, & clementissimo Domino Joanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Carolus Dux Calabriæ recommendationem humilem, & devota pedum oscula beatorum. Ne multiloquio alme Pater & Domine occupatissimas aures sanctitatis vestræ fatigem, desistendum vidi præsenti pagina pandere plurimam in partibus istis laudem, quam sibi beatus Pater Augustinus, quondam Episcopus civitatis S. Mariæ, dudum vocatæ Luceriæ, ex miraculorum affluentia, quam post ejus obitum divina clementia, veluti copiosa in misericordia, & in retributione munifica, jam meritis ejus ostendit, & quotidie dignatur ostendere, vindicavit. Credo equidem illorum aliqua jam esse ad notitiam vestram ex relatu divulgantis famæ perducta; & expecto ac etiam cupio, quod singulariter singula, quæ profecto magna esse noscuntur, ad ipsam notionem vestram, etiam & in publicum per opportunæ indagationis seriem deducantur: sicut enim fide digna relatio me nuper instruxit; non ignotum beatitudini vestræ fuit, cum adhuc ipse esset in hoc sæculo constitutus, quam mirabili sinceritate vitæ micabat, pollebat claritate scientiæ, ac mirificis operibus coruscabat. Ego quoque mi Domine Reverende, teste Deo, & in conscientia bona loquor, quod eo mecum, cum primum petiit partes istas, per vices aliquas colloquente, concepi & vidi tam in ejus verbo, & facie, quam in gestu, quod valde amabilis ejus conversatio esset, quamquam omnia, quæ in eo erant, non nisi notabilia, & eruditio ad virtutes, & ad salutem ædificatio viderentur; quodque post ejus migrationem ad Dominum, ex devotione magna, qua ad illum afficior, cum ejus limina visitassem, magna mibi fides facta est de nonnullis miraculis per ejus excellentia merita ibidem perpetratis. Cum itaque ad instruendum de his certius beatitudinis vestræ scientiam, ac devote petendum, de ipsis beati Patris vita & miraculis pariter inquiri, secundum morem Ecclesiæ in talibus consuetum, Latores præsentium sanctitatis vestræ pedes cum reverentia debita, & fiducia magna petant; devotus postulo, supplex quæso, ut alma & perspicax providentia vestra, benigna, si placet, petitionem ipsam consideratione discutiens, & ad eam exaudiendam mentis aciem dignanter inflectens, inquisitionem ipsam jubere fieri, ut moris & juris est, gratiose dignetur: quæ ubi patrata fuerit, vestroque conspectui præsentata, si effectus ejus suadeat; & vestra benignitas id decernat; præfatum Patrem, in illius reverentiam & honorem, qui eum veluti laudabilis retributor sanctificare dignatus est, in Sanctorum, si placet, matricula, eam sonoræ canonizationis præconio, ne ipsius merita grandia, operaque magnifica debito præmio careant, adscribatis; per quod S. Mater Ecclesia de tanto novæ aggregationis consortio*

Digitized by Google

tio, vestri tempore Præsidatus, jubilet; & exsultet civitas, in qua ipse feliciter obiit, & felicius in Domino requiescit. Scriptum Neapoli Anno Domini 1325., die 20. Octobris, nona Indictione, sumpto ex veteri more initio Indictionum ab initio Septembris.

Ab Joanne XXII. Divorum fastis adscriptus, eique cultus anniversarius decretus.

Insignem omnibus sanctimoniæ notis virum post quæstiones de illius virtutibus & miraculis legitime habitas, & post comperta haud dubiis auctoribus & jurejurando adactis plurima per eum & in vita, & post mortem vel sanctissime gesta, vel patrata divinitus ab Joanne XXII. Divorum fastis adscriptum, eique anniversariam psalmodiam cum lectionibus, hymnis, & antiphonis propriis decretam fuisse tradunt Joannes Tomcus Marnavitius, Sigismundus Ferrarius, & alii; quorum consentiens nec dubia opinio est, cultum divi Augustini antiquissimum esse, & fere statim post ejus ex hac vita decessum in numero divorum haberi colique cœpisse. Nunc lectiones, hymnos, antiphonas describi oportet, quibus olim in ejus anniversaria sollemnique commemoratione, ac inter statas & canonicas preces uti solebat Ecclesia Lucerina, atque adeo etiam Zagrabiensis, si fides habenda est Kereselichio, ut certe haberi debet, qui omnia, quæ proprie ad eam diem tertiam Augusti pertinent, ejusdem actis subjecit sub hoc titulo: *Officium in festo B. Augustini Luceriæ & Zagrabiæ decantari solitum, Joannis XXII. indulto,* cujus quidem Officii antiquitatem Sigismundus Ferrarius his verbis declaravit: *Exemplar hujus officii extractum ex vetusto originali, quod in antiquo pergameno servatur in archivo conventus S. Dominici urbis Luceriæ, fideliter collationatum per Abbatem Carolum Strangiam ordinarium Actuatium, & publicum Apostolica auctoritate Notarium Episcopalis curiæ Lucerinæ obtinuit, & transmisit mihi Reverendus Pater F. Dominicus Gravina sacræ Theologiæ Magister, regiæ cathedræ Theologiæ in Universitate Neapolitana Moderator, Archiepiscopalis curiæ Theologus, & S. Officii Consultor anno 1636.*

Ad Vesperas super Psal. Antiph.

Felix civitas Lucerina, continens thesaurum pretiosum, clarificata est doctrina per novæ lucis radium; gaude plebs, quam Deus tanti Patris meritis decoravit.

Capitulum.

Quasi Stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis, & quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei.

Responsorium.

Augustinus Præsul Lucerinus impetret nobis gratiam, & per ejus merita ipse Deus donet reis veniam, ut omnes ad illum perducamur; & Cæli gaudiis perfrui mereamur.

℣. Intercede pro nobis Præsul Lucerine fons pietatis,

Ut omnes ad illum &c. Gloria Patri &c. Et cæli gaudii &c.

Hymnus.

Æternæ regni gloriæ
Decreta laudum cantica
Fideles solvant hodie
Pro Augustini gloria
Prædicatorum Ordinis
Præsul namque almificus
Mundi jam fulget terminis
Civis effectus cælicus
Carnis liber ergastulo
Poli potitur gloria
Pontificali cingulo
Stola donatur regia
Fragrans odor de tumulo
Cum gestorum frequentia
Clamat pro Christi famulo
Alti regis magnalia
Nitamur totis viribus
Nectamus preces precibus
Ut Augustini meritis
Cæli fruamur gaudiis
Præsta Pater ingenite,
Jesu cum Sancto Flamine
Ut Augustini precibus
Cæli jungamur civibus.

Ora pro nobis beate Pater Augustine, ut digni efficiamur &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude felix parens Dalmatia, novæ prolis dans mundo gaudia, sed tu magis plaude Luceria, tanti Patris dotata gloria: lauda tota mater Ecclesia, novæ laudis agens sollemnia, Alleluja. Magnificat.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Augustinum, de Dalmatia, Ordinis Prædicatorum, in verum Præsulem Lucerinum eligere voluisti, quique ei Dæmones expellendi, & cunctorum morborum languores sanandi gratiam contulisti; concede quæsumus, ut qui ejus festa percolimus ipsius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Salvatori nostro laudes decantemus: qui regni cælestis præmium Sancto contulit Præsuli Augustino. Venite.

Ad Matutinum, Hymnus.

Christe Salvator omnium
Rector, spes, & præmium,
Exaudi vota cordium
Pro sancto, gemma Præsulum.
Præsul in fide claruit
Malorum carens nebula,
Christo servire studuit
Sub paupertatis regula.
Corpus afflixit fortiter
In sudore multiplici,
Iter spectans humiliter
Sui Patris Dominici.
Jesum Christum se induit,
Adorans, laudans extulit,
Mentem divinis imbuit,
Cuncta caduca respuit.
Laus sit parenti Domino
Laudem canamus unico,
Laus sit amborum flamini,
Per tempora laudabili. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Iste Sanctus gloriosus, tamquam bona arbor secus aquarum decursus plantata, dedit fructum suum in tempore suo. Ps. Beatus vir, qui.

Ant. Dominus Jesus Christus, dixit beato Præsuli Augustino, servus meus es, a me postula: postulavit, & dedit plebem Lucerinam in custodiam sibi. Ps. Quare fremuerunt.

Ant. Sanctus Præsul Augustinus, voce mirifica ad suum clamavit Dominum, & exaudivit de monte sancto suo. Ps. Quid multiplicati.

℣. Amavit eum Dominus.

Lectio I.

Augustinus, civis Traguriæ urbis, ex nobilibus, & piis parentibus originem duxit: qui a pue-

pueritia ordinem Fratrum prædicatorum intrans, & litterarum studiis traditus, gemina scientia, philosophica, & theologica efficacissime claruit. Adeo etiam fuit purus, innocens, Deum timens, verax, pius, mitis, & ab omni pravo opere abstinens, ut civitatis Lucerinæ, defuncto priori Episcopo, tempore Pontificatus Sanctiss. Pat. Dom. Joannis XXII. Divina inspirante gratia, fuerit electus, & confirmatus Episcopus. Infinita vero miracula, quæ Deus per merita ipsius tam in vita, quam post mortem ostendit, nemo posset lingua referare. Ex iis tamen, quæ post ejus mortem facta sunt, nonnulla narrabimus. Die tertio Augusti, quo B. Augustinus obiit, tota Ecclesia Fratrum Prædicatorum plena existente hominibus, qui ad illius corpus venerandum convenerant, Paschalis de Quarato, Comestabulus Capitanei Luceriæ, ne præ nimia multitudine & compressione periculum aliquod emergeret, cum, ut homines contineret, propius ad foveam, quæ pro tumulo parata fuerat, accessisset, fortiter impulsus, in eam cecidit. Quo casu ensis, quo erat accinctus, de vagina egressus est, & pomo ipsius terræ infixo, erectus mucro bene acutus Paschalem recte per pectus excepit omnino transfigendum: sed Beati Augustini auxilio, mucrone ad pomum curvato, ab omni læsione liber evasit. Tu autem.

℟. Die mensis Augusti tertia, cum tota Prædicatorum Ecclesia hominibus esset plena, Paschalis de Quarato ex magna impulsione cecidit in foveam, ense suo perimendus: Quem Deus Beati Augustini meritis servavit illæsum. ℣. Hoc primum signum fecit Dominus, post tempus servi sui obitus. Quem Deus.

Lectio II.

Die vigesimo ejusdem mensis, mulier nomine Odina, cujusdam de Bononia uxor, cum ex morsu canis haberet tibiam corrosam, rubeam, & tumefactam, concepta devotione erga B. Augustinum, ad ejus sepulcrum accedens, & super ipsum aliquantulum requiescens statim perfecte surrexit curata, remanentibus solis foraminibus dentium canis, ad miraculum ostendendum. Eodem die Philippus de Florentia, patiens rigores febriles, cum ad idem sepulcrum accessisset, & devotius ibi quievisset, statim curatus ab omni infirmitate surrexit. Ipsamet die Isolda, uxor Nicolai apothecarii de civitate S. Mariæ, patiens tumorem maximum in gutture, ita ut vix comedere posset, cum ad sepulcrum veniens ibi devote procubuisset, illico tumor evanuit, ipsaque perfectam sanitatem adepta. Die 26. ejusdem Auribella de Fogia, longo tempore a Dæmone vexata, ut vix per horam valeret quiescere, ad sepulcrum cum devotione delata perfecte fuit protinus liberata. Tu autem Domine.

℟. Auribella de Fogia, jam diu a Dæmone adeo vexata, ut non valeret per horam quiescere, ad sepulcrum cum devotione delata, perfecte fuit protinus liberata. ℣. Laudetur Deus gloriæ, qui Augustini meritis, mira fecit mulieri. Perfecte fuit.

Lectio III.

Die 27. quidam Guillelmus de civitate prædicta, cum multos annos passus fuisset febrem quartanam, concepta devotione ad merita Venerabilis Episcopi, emissoque voto, accessit ad ejus sepulcrum, ubi devote orans ex eo tempore se sensit a febre curatum. Eodem die Raynaldus de Barulo, cum per biennium passus fuisset gravem dolorem lumborum, ita ut de loco in alium locum se movere non posset, concepta devotione, ad sepulcrum cum reverentia veniens, cum ibi devote orasset, statim ab omni dolore, & infirmitate curatus est. Die 28. ejusdem Marcus, filius Angelæ de civitate S. Mariæ, habens a nativitate sua brachium dextrum aridum, & sine ullo usu naturali, ad sepulcrum cum devotione delatus, & supra ipsum parumper procumbens, illico cum sanato brachio surrexit. Eodem die Guillelmus, filius Philippæ de Luceria, cum a mense Maji sextæ Indictionis, tunc currentis, ex quadam infirmitate superveniente loquendi usum prorsus amisisset, ita ut nec verbum unicum posset proferre, ad sepulcrum cum devotione accedens, ibique devote procumbens, continuo pristinam loquendi facultatem recepit. Tu autem.

℟. Romualda de S. Severo, quendam habens filium, morbo caduco laborantem, Devote Beatum exoravit Augustinum, Ut illum sibi donaret sanum ac liberum. ℣. Qui ad ejus sepulcrum portatus, protinus surrexit curatus. Devote. Gloria. Ut illum.

In II. Nocturno.

Ant. O populi fideles, scitote, quia omnium Creator sanctum suum mirificavit, & ideo lumen vultus sui signavit super eum, dando lætitiam magnam in corde illius. Ps. Cum invoc.

Ant. Domine Deus, omnes, qui spem habent in te, gloriabuntur, quoniam tu benedices eis, scuto bonæ voluntatis tuæ coronans eos. Ps. Verba mea.

Ant. O Domine Dominus noster, quam est laudabile nomen sanctum tuum in toto orbe universo, quia paullo minus gloriosum sanctum tuum ab Angelis minuisti, honore eum decorasti, & super opera manuum tuarum constituisti. Ps. Domine Dominus noster.

℣. Justum deduxit Dominus.

Lectio IV.

Eodem die Margarita, soror Romanellæ de civitate S. Mariæ, cæca a nativitate, & corpore ita contracto, & curvo, ut nullo modo posset erecta incedere, sed quasi ventrem in terram protraheret, ad B. Augustini sepulcrum cum devotione portata, cum super ipsum paullulum orasset, & de sepulcri pulvere oculos abstersisset, statim plene illuminata, extensaque & erecta surrexit ab utraque infirmitate curata. Eodem die Joanna de civitate etiam S. Mariæ, prorsus contracta, & curva, ut recta ambulare non posset, & omnino surda, quæ nihil audiret, devote ad sepulcrum accedens, ibique orans ab omni sua infirmitate liberata est. Eodem die Gregorius privignus Joannis de Citraria, ex civitate S. Mariæ, qui videndi facultatem totaliter amiserat, emisso voto, quod ad honorem B. Augustini sex missas cantari, & cereum super illius sepulcrum accendi curaret, continuo restituta sibi videndi facultate, vidit. Tu autem Domine.

℟. Herricus de septem Fratribus, civitatis S. Mariæ habitator, magnis oppressus doloribus, & raro valens aliquo pergere, Quod esset toto corpore contractus, ℣. Juxta Beati viri sepulcrum positus, incolumis rediit ad propria suis pedibus. Quod.

Lectio V.

Ipsamet die filius Bartholomæi Macii de Apicio, qui septem mensibus ambulare non poterat, habens crura omnino contracta, per parentes ad sepulcrum devote portatus, pristinæ statim sanitati restitutus fuit, & ambulavit ut sanus. Eo-

Digitized by Google

Eodem die Joannes de Sanctorello, & Ballictus Macteleonis, patientes febrem acutissimam, concepta devotione ad B. Augustinum, dixerunt: o utinam haberemus paullulum pulveris sepulcri B. Augustini, quem aquæ respersum biberemus, sicque sanitatem consequeremur: & statim, his dictis febre cessante, perfecte senserunt, se, a qua affligebantur infirmitate, sanatos. Eodem die Romualda de S. Severo, filium morbo caduco laborantem, qui nullis poterat remediis liberari, ad B. Augustini sepulcrum cum devotione portavit; qui super illud positus, post modicum surrexit perfecte curatus. Tu autem Domine.

℟. Nobilis Helena de Casali novo, vexata semper a dæmone, qui sive hiemali, sive æstivo tempore, raro sinebat ipsam quiescere: Non aliquo remedio potuit liberari, donec ad sacrum tumulum fecit se portari. ℣. Mirum, & magnum prodigium, factum per Augustini suffragium. Non aliquo.

Lectio VI.

Eodem die Joannutius, filius Joannis Hypoliti Bucerii de dicta S. Mariæ civitate, cum semper a nativitate usque visu caruisset, ductus a Patre maxima cum devotione ad sepulcrum, dum pergeret, clamavit, Pater dimitte me, quia bene, & clare video, & absque duce per me pergere possum; sicque miraculose redditus est sanitati. Eodem die, Flos, uxor Nicolai de Aqua nigra ex civitate S. Mariæ, singultu gravissimo laborans, cum nullo posset remedio liberari, ad sepulcrum cum devotione profecta, ibique morans per horulam, statim est a sua infirmitate sanata. Eodem die Leo de Longobuco ex prædicta civitate, qui a Majo anni sextæ Indictionis auditum ambarum aurium prorsus amiserat, cum emisso voto ad idem sepulcrum orasset, auditum perfecte recuperavit. Tu autem Domine.

℟. Praeciosa filia Guarnatæ, patiens in gutture dolorem maximum, amissa loquendi potestate, appropinquabat ad mortem, sed cum ad sanctum sepulcrum venisset, & de ipsius terra bibisset. ℣. Statim gutturis tumor evanuit, & ipsam Dei gratia sanavit. Cum ad gloria. Cum ad.

In III. Nocturno.

Ant. Beatus Augustinus, requiescit in monte sancto Dei, quia vixit in hoc seculo absque macula, & veritatem semper habuit in ore suo. Ps. Domine quis habit.

Ant. Sublimare, Domine, in potentia tua, quia gloria, & honore decorasti Beatum Præsulem Augustinum, quoniam speravit in te, & a gratia tua nunquam est separatus. Ps. Domine in virtute tua.

Ant. Accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo B. Augustinus, qui fuit innocens manibus & mundo corde, nec in vano animam suam a Deo recepit. Ps. Domini est terra.

℣. Justus ut palma florebit.

Lectio VII.

Eodem die, Notarius Odorisius de monte Odori, ex civitate prædicta, cum longo tempore ex dextera auricula nihil potuisset audire, accedens cum devotione ad B. Augustini sepulcrum & nonnihil pulveris, qui erat super illud, eidem auriculæ imponens, statim Beati viri meritis recuperavit auditum. Die penultimo ejusdem mensis, Henricus de septem Fratribus, incola civitatis S. Mariæ, qui per triennium, graves, & vario dolores passus fuerat in toto corpore, itaut esset omnino contractus: curavit se ad sepulcrum deferri, ubi ab omni sua infirmitate curatus, sanus ad propria pedibus suis redivit. Eodem die Angela, uxor Malafolii de civitate S. Mariæ, per quadriennium male a dæmonio vexata, ad idem sepulcrum perfecte est liberata. Tu autem Domine.

℟. Bartholomæa de Alesina, filia Severi, quæ fuerat surda, atque muta toto vitæ suæ tempore, devotione concepta, per Patrem suum delata est ad Beati Præsulis sepulcrum. ℣. Postquam in Ecclesia sacri Antistitis stetit, loquens, & audiens, inde recessit. Devotione.

Lectio VIII.

Eodem die, Matthæus Maccaronus de civitate prædicta, cum pateretur duplicem tertianam, hausto devote pulvere sepulcri cum aqua, protinus ab omni infirmitate curatus est. Eodem die Raynaldus, filius Francisci Leonis de civitate prædicta, calculo laborans itaut multo tempore libere & sine dolore urinam emittere non posset, ductus a matre sua, cum ingenti devotione ad sepulcrum, ibi demissa urina absque dolore in magna quantitate totaliter est ab infirmitate curatus. Eodem die Dopreria Helena de Casali novo, per viginti annos a Dæmone vexata, itaut nec requiescere, nec aliquo remedio posset liberari, cum ad sepulcrum fuisset deportata, statim fuit ab omni vexatione liberata. Die ultimo ejusdem mensis, Philippa, filia Nicolai de S. Germano Lucerini, cum ex uno oculo nihil videret, ad sepulcrum per matrem suam cum devotione perducta, statim plene visum recepit. Tu autem.

℟. Nicolaus Calaber, civitatis S. Mariæ incola, tristabatur graviter, quod filio infirmo, ac desperato nullum esset remedium, Qui in B. Augustinum fisus, persensit auxilium.

℣. Nam de sepulcro arripiens pulverem, ori infundens, erexit eum sospitem. Qui in B. Augustinum.

Lectio IX.

Die primo Septembris, VII. Indictionis, Mansella de Casali novo, per multos annos graviter a Dæmonibus vexata, nullis potuit mediis liberari. Cum vero semel a viro suo ad Ecclesiam B. Mariæ de monte Oliveto, vivente adhuc Beato Augustino, in suo Lucerino Episcopatu morante, duceretur, cœperunt Dæmones altis vocibus clamare, & dicere, faciet nos hinc exire Augustinus, ignorantibus, qui audierant, de quo Augustino dixissent. Mortuo deinde Beato Episcopo, & multa faciente miracula, eadem mulier a viro suo ad Beati viri sepulcrum cum fide, & devotione est ducta. Illis igitur pergentibus, duo ex Dæmonibus ad sepulcrum non præsumentes accedere, in itinere de obsessæ corpore recesserunt, bovem, qui in campo pascebatur, mactantes. Cum vero ad sepulcri locum pervenissent, tertius etiam Dæmon cum maximo ululatu exiens, mulierem liberam dimisit. Tu autem Domine.

℟. Simon de Barulo, percussus cæcitate, poposcit a filio suo Nicolao, ut se per manum duceret ad Ecclesiam, in qua Sancti Episcopi erant reliquiæ, Ut iis ad oculos positis, Lumen mereretur accipere. ℣. Respiciensque S. Præsul ejus fidem, ac pietatem, ad reliquiarum contactum præstitit sanitatem. Ut iis ad oculos. Gloria. Lumen.

Ad

Digitized by Google

Ad Laudes, Antiph.

Testimonia tua, Jesu benigne, credibilia facta sunt nimis, & ideo sancti tui meritis, Ecclesiam tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Ps. Dominus regnavit. Cum reliquis.

Fideles populi gaudete in Domino, ac in lætitia magna toto cordis affectu ei servite, quia tam preciosum thesaurum civitati præbuit Lucerinæ.

Benedicamus Deo cæli in vita nostra, & semper in nomine sancto suo nostras manus levemus, qui labiis exultationis concedat nobis laudare nomen sui Præsulis gloriosi.

Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu toto corde laudemus, qui corpus tam mirificum residere facit in Ecclesia B. Dominici Lucerina.

Novum canticum cantate Domino, quia semper infinita laus ejus in Ecclesia suorum sanctorum a cunctis fidelibus animo valenti decantatur.

Capitulum, ut supra.

Hymnus.

O venerande Pontifex,
Augustine dulcissime,
Audi rogantes servulos,
Quærentes in periculo.
Aufer necis dispendia,
Confer vitæ stipendia,
Quo post carnis exilia,
Tecum simus in gloria.
Te nostra sonant carmina,
Et Angelorum agmina:
Infernus tibi ululat,
Fretumque maris intonat:
O Sidus maris fulgidum,
Absolve nexus criminum;
Et fletus quoque supplicum
Immuta, dando gaudium.
Laus sit parenti Domino,
Laudem canamus unico,
Laus sit amborum flamini,
Per tempora laudabili. Amen.

℣. *Justus germinabit &c.*

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedictus Deus, rex cælestis, qui per Beati Augustini Antistitis Lucerini merita, tot in terris operatus est mirabilia: unde lætantur Angeli, exultant Archangeli, & omnes electi, una voce canentes, semper dicunt, gloria tibi Domine.

Oremus.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut qui Beati Augustini Episcopi Lucerini gloriosi sollemnitatem devotissimo celebramus officio, & temporalem nobis suis precibus tranquillitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per Dominum nostrum &c.

Prosa, sive cantus, qui in cathedrali Ecclesia Zagrabiensi die III. *Augusti, die nempe S. Augustini sacra, post Graduale solet in choro decantari.*

Eja plaude, laudes pange, corde gaude, voce clange magno tuo Præsuli,
Tuo Duci, nunc ad aras tua luci redde claras gentes, urbs Zagrabia:
Nam millenis te coronat, & amœnis adhuc ornat infulas splendoribus.
Illas Præsul olim rexit, isthinc exul non neglexit, translatus Lucerniam.
Augustine clarum lumen, quem divinæ magnum numen ornat sol justitiæ,
Ad amictum tuum stamus, cor invictum, te rogamus, da tuis clientibus
Fide una, Dei cultu, velut luna pleno vultu, regnum nostrum fulgeat.
Dei cultor vires reddis, stygis ultor mira edis in cunctis prodigia.
Cum vis dira Papæ manum vexat, mira res! mox sanum facis tuo basio;
Hic perdices ponit suaves, tu in pisces mutas aves, Præsul tunc Zagrabiæ;
Hic aquarum adhuc fontes, Tiliarum illic frondes, tuæ rerum colunt gentes trophæum potentiæ.
Cæli flamma, Augustine, pelle damna, cessent minæ, nos inflamma Seraphine caritatis ignibus;
Tua virtus fac nos sanet. Deum orbis totus amet, echo cordis mille clamet laudes summo Numini.
Almo Patri, qui creavit, Nato, qui nos reparavit, Spiritui, qui sacravit, laus honor in sæcula. Amen.

Cum de miraculis D. Augustini, & plurimis maximisque beneficiis per eum in Apulos, & Lucerinos collatis Tragurium constanti fama perlatum esset, Tragurienses simul prætertæ erga civem olim suum ore omnium atque laudibus celebratum contumaciæ pœnituit, simul sanctissimi ejus corporis apud se habendi colendique ingens cupiditas cepit, ut quem vivum non sine aliqua injuria dimiserant, mortuum summo cum honore exciperent, & perpetua colendum veneratione retinerent. Itaque certos homines in Apuliam transmittere decreverunt, qui Luceriam progressi sacrum illud corpus furtim sublatum in patriam reportarent. Sed desiderium ac spem Traguriensium admirabilis quidam eventus fefellit. Rem omnem narravit Joannes Marnavitius his plane verbis: *Aliquot annis ab ejus obitu fama miraculorum ejus percrebescens concives olim ejus Tragurienses excitavit, ut, transmisso Adriatico, accederent Luceriam furto sancti Viri reliquias ablaturi; & iis exhumatis profundæ noctis beneficio, reliquias civis sui, quocumque modo auferre possent, terrenæ patriæ restituerent. Navim itaque conscendunt, prosperoque vento Ferforium incolis portum appellatum tenentes, relicta in eo navi, ad Lucerinam civitatem brevi itinere contendunt, profundæque noctis beneficio corpus sublatum læti successu rei ad navim deferunt. Quiete itaque ex labore præcedentis diei, & sequentis noctis capta, dum summo mane portum egredi volunt, animadvertunt dolose partum evanuisse thesaurum. Mœrentes itaque in littus egressi omnia tam regiæ viæ, quam aliorum recessuum secreta rimantur; audiunt a pertranseuntibus viatoribus sacra ossa illo ipso mane, quo marinis fluctibus committere se se cum opima præda paraverant, ante Ecclesiam S. Dominici in urbe Luceria ab incolis inventa esse. Quibus auditis, Deo & ejus Sancto rapinam minime fuisse acceptam experti, quanta maxima celeritate licuit, fraudati desiderio suo repedarunt in patriam eventu rei mœstissimam memores vaticinii S. Viri de ossibus ejus per patriam non possidendis.*

Tragurienses cupidi potiundi corporis B. Augustini.

Lucerinorum, Traguriensium, & Zagrabiensium religio & pietas erga Augustinum adeo numquam deferbuit, ut potius magis magisque in dies effloruerit; quam non vetera solum, sed nova quotidie confirmarunt miracula. B. Augustini virtus potissimum valet ad Dæmones e corporibus obsessis expellendos, ut tradit

Lucerinorum, Traguriensium, Zagrabiensium eximia adversus B. Augustinum religio.

dit Sigismundus Ferrarius in Hist. Hungaricæ provinciæ Dominicanæ parte 2. qui nonnullos per eum superiori sæculo ab hac diabolica obsessione & vexatione liberatos, & sanitatem multis restitutam fuisse scripsit. Joannes Marnavitius narrat Luceriam, cum anno 1634. magni terræmotus in Apulia, totoque regno Neapolitano facti essent, & multa oppida corruerint, incolumem stetisse suffultam patrocinio Deiparæ Virginis, & B. Augustini, quorum opem Lucerini suppliciter imploraverant: *Apparente, inquit, omnibus inspectantibus, supra civitatem Matrona candidissimis vestimentis refulgente, & penes illam quodam episcopali ornamento induto illa ipsa proportione & aspectu, quo imago S. Præsulis Luceriæ colitur: quæ visio tam diu inspectantium oculos tenuit, quo ad effectus iræ divinæ in circumcirca sitis terris debacchata est. Hinc certa fides tenuit Deiparam, cujus nomine civitas denominatur, & S. Augustinum plebi invigilasse suæ, & a ruina imminenti illam præservasse.* Quamobrem Lucerini ad memoriam sempiternam beneficii tam insignis B. Augustinum sibi ac civitati suæ patronum adoptarunt; & senatusconsulto decreta est anniversaria supplicatio ad Ecclesiam S. Dominici, in qua ejus corpus asservatur. *Urbs Luceriensis,* ut Ferrarius scriptum reliquit, *ingentia & innumera beneficia, quæ a Deo illius meritis & intercessione accepit, de eo in peculiarem advocatum ac protectorem deligendo peculiari consultatione ad annum 1634. tractabat... Porro dies tertia Augusti, qua B. Augustinus decessit, Luceriæ instar Paschalis festivitatis sollemnis habetur maxima incolarum omnium, nobilium, vulgarium, rusticorum, ac cujusque hominum conditionis frequentia, precibus, & sacro propriis Joannis XXII. indulto, concionibus, & laudum præconiis celebratur &c.*

Clemens XI cultum B. Augustini

Sub initium hujus sæculi ad preces Rever. Patris Antonini Cloche Magistri generalis ordinis Prædicatorum Congregatio sacrorum rituum censuit constare de cultu immemorabili S. Augustini, &, si sanctissimo Patri visum esset, concedi seu confirmari posse facultatem ejus colendi venerandique anniversaria psalmodia & liturgia singulis annis eo die, quo ad beatam immortalitatem migravit, eamque facultatem extendi tum ad Ordinem universum S. Dominici, tum ad provinciam Beneventanam, & nominatim ad civitates ac diœceses Lucerinam, Spalatensem, Traguriensem, atque Zagrabiensem: id siquidem ut impetrarent Archiepiscopi duo Beneventanus, & Spalatensis, Episcopi Lucerinus, & Traguriensis Clementem XI. per litteras supplices rogaverant. Annuit Pontifex, & decretum in hæc verba fieri jussit.

Clemens Papa XI. ad futuram rei memoriam. Nuper ad supplicationem dilecti filii Antonini Cloche Magistri generalis ordinis fratrum Prædicatorum emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Lucerina Canonizationis B. Augustini Dalmatæ Ordinis Prædicatorum Episcopi Zagrabiensis, & demum Lucerini. Cum sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Petrucci sub die XIX. Junii MDCC. cum subsecuta approbatione Sanctissimi censuerit constare de cultu immemorabili B. Augustino prædicto præstito, P. Antoninus Cloche Ordinis Prædicatorum Magister generalis humiliter sacrorum Rituum Congregationi supplicavit, ut in civitate Lucerina continuari possit in celebratione festi dicti B. Augustini cum officio, & Missa propriis ejusdem Beati, prout asserebatur fuisse hactenus recitatum, nec non, ut idem indultum ad totum Ordinem Prædicatorum, ad propriam Beneventanam provinciam, in qua sita est civitas Lucerina, ad civitatem & diœcesim Traguriensem patriam ejusdem Beati, nec non ad civitatem & diœcesim Spalatinam benigne extendere dignaretur. Et sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Gabrielli tam in voce, quam in scriptis, Reverend. Archiepiscopo Myrensi fidei promotore audito, accedentibus piis supplicationibus Eminentiss. & Rever. Dom. Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani, Archiepiscopi Spalatini, Episcopi Lucerini, & aliorum Episcoporum totius provinciæ Beneventanæ, & Episcopi Traguriensis sanctissimo Domino nostro porrectis, & ad eamdem sacrorum Rituum Congregationem remissis, officium cum Missa de B. Augustino prædicto pro civitatibus Lucerina, Zagrabiensi, & Traguriensi, nec non earumdem diœcesibus, & pro Ordine Prædicatorum, de communi tamen Pontificum posse concedi censuit, si sanctissimo Domino nostro visum fuerit, die prima Octobris MDCCI. Et facta deinde de prædictis per me secretarium sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XIX. ejusdem mensis Octobris, & anni MDCCI. G. Cardinalis Carpineus. Loco † sigilli.

a Sacra Rituum Congregatione approbatum

Cum autem, sicut dictus Antoninus Magister generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos ipsum Antoninum Magistrum generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam caussarum palatii apostolici auditores judicari, ac definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IV. Aprilis MDCCII. Pontificatus nostri anno secundo.

auctoritate sua confirmavit

Ternas lectiones proprias cum oratione itidem propria approbatas a sacra Congregatione, & Patribus Dominicanis, provinciæ Beneventanæ, Ecclesiis Lucerinæ, Spalatensi, Traguriensi concessas, clerus diœcesis Zagrabiensis adoptavit. In has tamen duos errores irrepsisse

Lectiones propriæ concessæ Patribus Dominicanis, & aliis, a clero diœcesis Za-

Digitized by Google

grabiensis receptæ. se animadversum est, videlicet B. Augustinum auditorem fuisse D. Thomæ Aquinatis: idquod rectæ Chronologiæ repugnat, ut supra ostendimus; itemque eodem Augustino auctore, Luceriæ cognomen ab S. Maria impositum, & *civitatem S. Mariæ* appellatam esse. Marnavitius etiam Mariani cognominis impositionem D. Augustino attribuit. Hoc autem, nisi aliqua explicatione adhibita, cum veritate historica cohærere non posse demonstrat Guillelmus Cuperus in actis ejusdem B. Augustini: *Si hæc acta*, inquit, *aut lectiones istæ significare velint, primum ab hoc beato Præsule S. Mariæ nomen civitati Lucerinæ fuisse impositum, antiquis monumentis manifeste contradicunt; nam cognomen istud jam erat usitatum tempore Benedicti XI. Papæ, qui Carolo regi Siciliæ apud Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1303. num. 55. inter alia hæc scribit: Sane tu dudum pie considerans, quod ex mora, quam faciebant Saraceni in civitate sanctæ Mariæ, tunc vocata Luceria, derogabatur plurimum fidei prælibatæ, ab ea Saracenos prædictos, ut ex tunc inhabitarent inibi libere Christiani, exterminari fecisti Spiritu Dei ductus &c.. Deinde Præsul istius civitatis ibidem ab eodem Pontifice „Venerabilis Frater noster Episcopus S. Mariæ „appellatur . . . . Quandoquidem tamen Acta Sanctorum, & lectiones Breviariorum tamdiu tueri conamur, quamdiu manifesta veritas nos ab his non cogit recedere, dici hic posset, quod forsan tempore B. Augustini antiquum Luceriæ nomen rursus apud cives invaluerit; atque idcirco beatus Antistes civitatem illam nomine S. Mariæ appellari præceperit.*

Cultus Zagrabiensis S. Augustini. De Zagrabiensi vetustissimo cultu B. Augustini hæc tradit Balthassar Adamus Kereselichius: *Perennis præcipue in Capitulo ob edita statuta & officia ad hæc usque tempora in choro & missis servari solita Augustini memoria est, magnaque devotio, ut testatur Levakovich. Profecto Ladislaus Episcopus ejusdem 1327. successor universas Augustini constitutiones firmavit, observarique voluit; nec in suis aliter litteris ejus mentionem facit, quam venerabilis, sanctæ memoriæ, magni Episcopi, viri sancti &c. Quod & successores fecerunt, præcipue Nicolaus, Eberardus, Osvaldus, Lucas &c. Post Dominicanorum tamen Patrum Zagrabia abitum ejus apud paucos fuit memoria. Joannes Tomcus Marnavikius Canonicus Cathedralis, Lector, ac demum Bosnensis Episcopus vitæ Augustini editione multos Augustino devotos procuravit. Martinus Braikovich Episcopus Zagrabiensis ejus in diœcesim totam die 3. Augusti induxit Officium. Anno tandem 1747. Stephanus Putz Abbas S. Spiritus de Hrapko Custos & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, nunc vero ejusdem Ecclesiæ Capituli Lector, Episcopus Belgradensis, sive Samandriensis, & Tabulæ Banalis Prælatus ac Assessor pro sua in S. Augustinum devotione, ut vitam S. Augustini vulgari lingua ederemus, suasor, auctor, Typi patronus fuerat. Dicta eodem anno de S. Augustino Panegyris, Statua marmorea, & elegans quidem ad aram S. Georgii collocata, ipsaque ara Deo sub SS. Augustini, & Georgii sacrata patrocinio, imagines binæ, Viennæ Austriaca alia, alia Neapoli a celebrioribus pictoribus procuratæ; quarum prior ad interiorem sacristiam, Neapolitana perelegans ad aram B. V. Mariæ, cujus cultu ardebat Augustinus, & quotidianas de Virgine Missas confirmari procuravit, posita. Tandem, ut major haberetur memoria, 1749. Viennæ Augustini, Calcographo Miller, exhibitæ imagines. Demum 1750. Illustrissimus D. Comes Antonius Klobusiczkii de Zetthenii supremus Comes comitatus Zempliniensis, & suæ majestatis sacratissimæ Camerarius cum sua conjuge Theresia Szaparii Biskupiczii ad Varasdinum, cum parochialis Ecclesiæ illius benefactores magni essent, inter reliqua elegantem aram, vereque nobilem S. Augustino Zagrabiensi Episcopo pro sua in eum devotione posuerunt aliam S. Antonio Paduano erigentes. Plura nobis de S. hoc Episcopo scribenda forent; sed de religiosa ejus vita, & miraculis cum plures hactenus scripserint, lectores eo relegamus. Concives autem nostri frui possunt, quam 1747. dedimus, notitia vitæ Augustini.*

Ex eodem Kereselichio describi placet *Officium in festo B. Augustini a clero Zagrabiensis diœcesis absolvi solitum. Die 3. Augusti in festo S. Augustini Episcopi Zagrabiensis. Duplex.* Oratio prop. & lectiones prop.

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in B. Augustino Confessore tuo atque Pontifice boni pastoris exemplum providere dignatus es, concede propitius, ut ejus intercessione in loco pascuæ tuæ perpetuo collocari mereamur P. Dominum nostrum &c.

Deinde fit commemoratio præcedent.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo &c. ex Commun. 1. loc.

In II. Noct. Lect. IV.

Augustinus Tragurii in Dalmatia sub Spalatensi Archiepiscopatu parentibus nobilitate, ac orthodoxæ fidei pietate illustribus natus est. Adolescens, ut totum se Deo manciparet, sæculari patrimonio dimisso, sacræ Prædicatorum familiæ nomen dedit; ibique in sectandis Sancti Dominici, quem sibi Patrem elegerat, vestigiis adeo incubuit, ut adhuc juvenis tanquam Regularis Observantiæ exemplar omnibus proponeretur. Exacto tyrocinio, Parisios una cum Fratre Jacobo Ursini studiorum caussa missus Sanctum Thomam Aquinatem Magistrum habuit, sub quo mirum est, quantum in scientia, pietate, ceterisque virtutibus profecerit.

Lectio V.

In patriam reversus superiorum jussu prædicationi divini verbi addictus est: maximo interim salutis animarum studio inardescens nihil unquam omisit, quo infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam revocaret. In oratione assiduus, cui incumbens plures noctes ducebat insomnes, illud Sancti Doctoris Augustini frequenter usurpabat; Recte novit vivere, qui recte novit orare. Ne vero sub modio virtutum ejus lucerna delitesceret, a Benedicto XI. ad Zagrabiensem Episcopatum promotus fuit. Quo in munere humilitatis, patientiæ, misericordiæ erga pauperes laude, & præcipue indefessis in custodiendo grege sibi commisso laboribus adeo enituit, ut Robertus rex Neapolis, audita ejus fama, summis precibus a Joanne XXII. impetravit, pastorem illum præfici Ecclesiæ Lucerinæ, ut eam a Saracenorum erroribus, quibus infecta fuerat, expurgaret.

Lectio VI.

Ad Lucerinam Ecclesiam profectus novæ Sponsæ suæ maculas a Saracenorum labe expurgaturus, mirum, quas ærumnas, quos labores perpessus sit: donec orationis fervore, prædicationis

nis efficacia, morum sanctitate universum ovile suum Catholicum videre meruit, utque illud a quolibet futuro inquinamento servaret immune, Deiparæ Virginis potenti patrocinio submisit totam Diœcesim, ac præcipue urbem Lucerinam, quam, mutato nomine, civitatem Sanctæ Mariæ appellari voluit: qua nomenclatura nostris etiam temporibus dicta civitas decoratur. Tandem meritis plenus, & miraculorum fama illustris, animam reddidit Creatori die tertia Augusti circa annum salutis millesimum trecentesimum vigesimum tertium, ætatis vero suæ septuagesimum; cujus corpus in Ecclesia, quam suo Ordini ædificaverat, honorifice conditum tot prodigiis a Deo insignitum ferunt, ut paucis post ejus obitum annis Carolus Dux Calabriæ supplices dederit litteras Joanni XXII. Pontifici Maximo, ut Augustinum Beatorum fastis adscribere dignaretur. Clemens vero XI., ut in toto Prædicatorum Ordine ejus festum cum Officio & Missa de Communi unius Confessoris Pontificis celebraretur, benigne concessit.

Lect. III. Noct. Homo peregre &c. 1. loco.

Alia S. Augustini Vita. Vita S. Augustini Episcopi Zagrabiensis breviter & summatim descripta reperitur apud Zagrabienses in codice quodam MS. perquam vetusto *de Sanctis Illyriis*, quam veluti quamdam ejus præclare factorum epitomen hic subnectendam censui. Si ex stylo conjecturam fieri liceat, non valde antiqua videtur esse.

Augustinus civis Traguriensis urbis, ex nobilibus, & piis parentibus originem duxit. A pueritia Ordinem Prædicatorum intrans, talemse exhibuit alumnum, ut cum juvenis ad studia mitteretur, mirabiliter a Deo servatus a Prædonibus fuerit. Scientia Philosophiæ & Theologiæ efficacissime instructus claruit. Cumque lectionibus ad discipulos, & ad populos concionibus annos aliquot non sine ingenti profectu desudasset; cum Benedictus XI. ex Ordine Prædicatorum, qui virtutem ejus, regularem cum primis observantiam & sanctitatem, optime sibi perspectas, plurimi faciebat, Romam evocatum, Zagrabiensi Ecclesiæ anno 1304. præfecit. In ejus accessu ad beatorum pedum oscula, Pontifex manum dexteram chiragra laborantem ad osculum ipsi oblatam, post Augustini osculum, sanam retraxit. Pontificiæ mensæ jussu accumbere perdices sibi oblatas (cui alioquin carnes ex suæ religionis instituto comedere non licebat) in pisces convertit. Inde ad Michaelem Strigoniensem missus, suum nempe immediatum antecessorem, res cum eodem nomine Papæ composuit, sibi reddens amicissimum; & ad Zagrabiensem Ecclesiam veniens, eam sanctissime, vigilantissimeque administravit. Templum ruinatum a Tartaris inveniens, & post Timotheum neglectam reparationem continuavit. Supellectili sacra providit, ornavit, S. Petri Martyris insigni reliquia decoravit. Clerum exemplo sermonibus clero reddidit; eidemque ritum divini Officii, juxta Fratrum Prædicatorum normam servandum præscripsit; quem ad hæc usque tempora eadem servat Ecclesia. Canonicis Zagrabiæ, Chasmæ normam præscripsit, & ordinem posuit. Fratres Prædicatores ad S. Nicolaum posuit, apud eos morari solitus, Episcopum cum religioso mire exhibens. Post templariorum sententiam in Sclavonia eorumdem administer, annis singulis de Ambone toti populo computum rationesque dare solebat, ut nemo posset detrahere. Hospitalia pauperum plura constituit ad S. Petrum pro Leprosis, in nova villa pro ægrotis ad S. Elisabeth, & S. Antonium aliud. Jurium Ecclesiæ vindex: Marcum enim quendam de calumnia convicit. Castrum Medvedvar oblato pretio pro Ecclesia recuperare laboravit. Et complura pro eadem Ecclesia prædia, possessiones comparavit. Tanta autem servi Dei virtus fuerat, ut testata miraculis perhibeatur. Aquam salutarem precibus a Deo obtinuit, dum siti populus premeretur, ex quo confluebant ad S. Episcopum omnes, & ex benedictione, vel tactu illius dexteræ, sanabantur. Mirabilia Dei diffusa per alios, ad S. Virum, & Servum Dei concursus undique. At is Tiliam benedixit, cujus foliis ægroti sanabantur, & illa, Tilia S. Episcopi dicta est. Multa a Carolo rege obtinuit, & pro Ecclesia impetravit. Ejus sæpe legationibus fungens, & 1319. ad Pontificem, Dalmatiam, & Robertum missus, primum viarum compendio usus, Tragurium natale solum accessit, ibidemque Concives suos dissidentes conciliare studebat; non auditus excessit, subdens ingratam patriam, ejus ossa non habituram. In Apuliam transfretavit, sed Robertus rex Neapolitani regni, Lucerinam civitatem Mahometico delirio per Fridericum Imperatorem, & Siciliæ regem, intra aliquas civitates Neapolitani regni, expurgari cupiens, Augustinum fama de apostolico ejus zelo late volitante, a vinculo Zagrabiensis Ecclesiæ auctoritate Joannis XXII. summi Pontificis absolutum, Luceriæ præficiendum postulavit. Lucerinæ deinde Ecclesiæ postquam annis aliquot insigni pietate, sanctitatisque & miraculorum splendore præsedisset; anno Christi 1323. die III. Augusti prope septuagenarius migravit in cælum. Ejus corpus Concives ejus Tragurienses, noctis beneficio clam auferentes, de portu ac navi, in quo illud, in Crastinum fessi, somnum capturi, de præda vero tam opima, jam ut illi rebantur securi, deposuerant; Luceriam, unde sublatum fuerat, divinitus remeavit.

STEPHANUS III. EP. ZAGRAB. XXIII.

Stephanus III. ex Ordine Præd. Episc. Zagrab. Egregius disciplinæ Dominicanæ alumnus, eratque a confessionibus Clementiæ viduæ Ludovici Hutini regis Galliæ & Navarræ, quam ex alio quidem patre, sed ex eadem matre, ex qua natus & Carolus rex Hungariæ, genitum ferunt. Hæc apud Carolum fratrem instititit, ut Sedem Zagrabiensem B. Augustini discessu vacuam Stephano traderet. Sorori morem gessit, & Stephanum Episcopum Zagrabiensem nominavit anno 1319., deditque operam, ut Episcopatus ab se in Stephanum collati auctor fieret approbatorque Joannes XXII. Vix duos annos huic Ecclesiæ præfuerat, cum idem Pontifex eum ad Ecclesiam Corisopricensem in Galliam transtulit. Ecclesia Consopricensis eadem opinor est, atque *Corisopotensis*, quæ apud Ferrarium in provincia Turonensi collocatur; & Corisopitum vulgo *Cornovaille* civitas est Britanniæ minoris, eodem Ferrario teste. Paullus Ritterus unicum privilegium citat, in quo Stephanus sui nominis & Episcopatus memoriam posteris reliquit. Extat diploma Caroli regis, quo vetat magistratus, & Dynastas locorum diœcesis Zagrabiensis quidquam pecuniæ ab illis exigere, qui decimis episcopalibus colligendis præsunt. His temporibus plerique tum e laicali, tum e monastico, tum e clericali Ordine, quondam veluti con- Translatus est ad Ecclesiam Corisopricensem in Galliam.

spi-

Digitized by Google

Direptores bonorum Ecclesiæ Zagrab. Joannes XII. compesci, cogique jubet, ut ablata restituant.

spiratione facta, jurisdictiones, & possessiones Ecclesiæ Zagrabiensis invadere, prædari, diripere audebant; nec vero a cædibus abstinebant, siqui obsistere ac defendere conarentur. Episcopus & Canonici auctoritatem opemque implorarunt Joannis Papæ, ut raptores iniquos & sacrilegos compesceret, & quæ ablata fuerant, Ecclesiæ restitui juberet. *In tantis persecutionibus*, ut scriptum reliquit Thomas Kovascevichius, *& calamitatibus fuit Episcopus, & Capitulum, ut fere totus mundus contra Ecclesiam Zagrabiensem visus fuerit conspirasse; & qui innumeris malis præsens adferret remedium, cum alter speravi non possit, ipsius plane summi Pontificis Joannis XXII. assistentia per exmissos imploranda erat*. Pontifex per litteras tribus Episcopis Quinqueecclesiensi, Bosnensi, Tinniniensi imperavit, ut direptores bonorum Ecclesiæ Zagrabiensis, quæ abstulerant, anathematum, & aliarum pœnarum metu injecto, restituere cogerent. Epistola Pontificia data est Avenione Kalendis Decembris an. 1319. *Sane venerabilis fratris nostri, & dilectorum filiorum Capituli Zagrabiensis conquestione percepimus; quod nonnulli clerici, & ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ, quam sæculares, nec non Duces, Comites, Barones, advocati, milites, nobiles, & universitas civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, & alii laici Zagrabiensis civitatis, & diœcesis, & partium vicinarum; usurpaverint, & occupari fecerint Ecclesias, Dominia, Castra, terras, villas, vineas, possessiones, Pedagia, Molendina, reditus & proventus, jura, jurisdictiones, ac nonnulla alia bona immobilia, & mobilia ad eos, & Ecclesiam Zagrabiensem spectantia ...... Clericos quoque ac Vassallos, homines & Colonos in terris & locis ad ipsos & eamdem Ecclesiam pertinentibus, invadere, interficere, capere, carcerationi mancipare, equos etiam, boves, & nonnulla alia sua & hominum, & Vasallorum ipsorum in prædam abducere, ac domos ipsorum incendio concremare præsumpserunt &c.*

Stephanus vel absens profuit Ecclesiæ Zagrab.

Cum scriptor Albi Capitularis *Stephanum modico tempore Ecclesiæ Zagrabiensi præfuisse tradat*, Balthassar Kerselichius dubitavit, adieritne Zagrabiam, an non adierit; attamen vel absens Ecclesiæ suæ prodesse studuit; nam, ut ipse ait, & diploma supra laudatum a Carolo rege, &, Avenione cum esset, suas cum precibus, & querelis Capituli conjungens litteras modo descriptas ab Joanne Pontifice impetravit. De Stephano III. in Albo Capitulari hæc memoriæ prodita sunt: *Huic* (idest Augustino) *successit D. Stephanus III. de eodem Ordine* (Prædicatorum) *provisionem D. Joannis Papæ* (& postulationem Caroli regis), *existens Confessor D. Clementiæ reginæ Franciæ & Navarræ, sororis uterinæ Caroli regis. Hic per eumdem D. Summum Pontificem fuit translatus in Episcopum Ecclesiæ Corisopricensis in regno Franciæ, qui modico tempore præfuit Ecclesiæ Zagrabiensi.*

Plodius duos Augustinos Ep. Zagrabienses confinxit.

Joannes Michael, qui & Plodius appellari solet, ex ordine Dominicano in Commentario italico de illustribus viribus ordinis Prædicatorum auctor est duos eodem nomine Augustinos ex eadem B. Patris Dominici sodalitate Ecclesiæ Zagrabiensi alterum proxime post alterum præfuisse, primum patria Traguriensem cognomento Gazzotum ex concionatore sacri palatii Apostolici, secundum ex præside, seu priore cœnobii Veneti Dominicani Episcopos creatos fuisse, & hunc quidem ad Nucerinam, illum ad Lucerinam Ecclesiam translatum esse, utrumque beatorum fastis adscriptum, & alterius quidem die tertia, alterius autem memoriam die octava Augusti anniversario cultu celebrari. Duos Augustinos comminiscendi hanc potissimum caussam Plodio fuisse opinor, quod non animadverterit Luceriam urbem Apuliæ apud Scriptores interdum appellari Nuceriam: cum igitur Augustinus post dimissum Episcopatum Zagrabiensem apud alios Lucerinæ, apud alios Nucerinæ Ecclesiæ præpositum fuisse legisset, duobus ejusdem civitatis vocabulis duas itidem civitates designari putavit alteram in Apulia, ad quam Augustinus Gazzotus, alteram vel in Umbria vel in Campania, ad quam alter Augustinus, quem ipse confinxit, translatus fuerit. Nam præter Luceriam, sive Nuceriam Apuliæ, duæ Nuceriæ apud veteres & juniores geographos reperiuntur; una est in Umbria, quæ nulli metropolitæ, præterquam Romano Pontifici, altera in Campania felici, quæ Salernitano metropolitæ subest; harum alterutri suum Augustinum, ejusque commentitium Episcopatum Plodius affinxerit necesse est; sed neutra inter suos Episcopos sæculi decimi quarti ullum annumerat Episcopum, cui Augustino nomen fuerit. Apud Ughellum Tom. I. Ital. Sacr. Franciscus Antonius ex Comitibus Antignani Ecclesiam Nuceriæ in Umbriam ab anno 1288. usque ad annum 1327. administravit, cui successit B. Alexander Vinceolus Perusinus, qui vitam & Pontificatum usque ad ann. 1363. perduxit. Tomo autem ... tradit N.N. Episcopum Nucerinum provinciæ Salernitanæ a civibus anno 1260. interfectum; & huic civitati ob necem illam sacrilegam ab Alexandro IV. sedem ac dignitatem Episcopalem ademptam, neque ante annum 1386. restitutam fuisse ajunt; quo quidem anno Urbanus VI. F. Franciscum ex ordine Minorum illi Ecclesiæ Nucerinæ Episcopum præfecit. Itaque nihil loci inter Episcopos utriusque Nuceriæ relictum est Augustino, quem Plodius per errorem intrusit. Duos Episcopos confingendi occasionem ex eo etiam fortasse sumpsit, quod idem B. Augustinus primum Zagrabiensis in Slavonia, deinde Lucerinus in Apulia Episcopus die tertio Augusti, quem ejus ad Superos transitus consecravit, apud Zagrabienses, Dalmatas, & Beneventanos, die autem octava ejusdem mensis apud Patres Dominicanos anniversaria sollemnique veneratione colitur, ut docet Guillelmus Cuperus Tom. I. die tertia Augusti. *Quamvis*, inquit, *B. Augustinus die III. Augusti ex hac vita decesserit, nihilominus Patres Prædicatores annuam illius festivitatem, quam Clemens XI. Pontifex ad totum Ordinem extendit, propter alios dies impeditos* (veluti tertium Augusti, in quem incidit pervigilium S. Patris Dominici) *nunc celebrant die octava ejusdem mensis, ut patet ex proprio eorum officio*. Plodius autem videtur existimasse sollemnem duorum dierum cultum non ad unum eumdemque Augustinum, sed ad duos ejusdem nominis Episcopos referri, quorum uterque primum Zagrabiensi, deinde alter Nucerinæ in Apulia, alter Nucerinæ in Umbria, vel Campania Ecclesiis præfuerint. Ex his satis constare arbitror, unde Plodius in eum errorem inductus fuerit, ut putaverit duos ex ordine Domini-

nica-

Digitized by Google

nicano Augustinos, alterum alteri proximum, Sedem Zagrabiensem obtinuisse; & secundum, quem in catalogum Antistitum Zagrabiensium invexit, omnino expungendum esse existimo.

NICOLAUS EP. ZAGRAB. XXIV.

Hunc ab auctore Albi Capitularis, a Martino Szentivanio, a Balthassare Kereselichio prætermissum, Paullus Ritterus in numero Antistitum Zagrabiensium reposuit, nixus auctoritate diplomatis Caroli regis Hungariæ; in quo Nicolaus *& Episcopus Zagrabiensis*, & *Vicecancellarius* Aulæ regiæ nominatur; datum esse ait anno 1325. Verum anno 1324, XI. Kalendas Junii, Ladislavus I. Ecclesiam Zagrabiensem regebat, ut ex alio Caroli regis diplomate apparet; eique subrogatus Jacobus II. anno 1325. IV. Nonas Julii adhuc *Electi* nomen gerebat. Si Nicolaus retinendus est in catalogo Episcoporum Zagrabiensium, vitiatam esse oportet notam chronologicam illius Carolini diplomatis, quod Ritterus testem citat Episcopatus Nicolai; & anno 1325. expuncto, annum 1321., vel annum 1322. ante mensem Novembrem substitui oportet. Cum Stephanus III. anno 1319. hanc sedem adeptus, *modico tempore præfuerit*, ut est in Albo Capitulari, initia pontificalia Nicolai conjungi debent cum anno primo & vicesimo sæculi decimi quarti; sed vix annum integrum huic Ecclesiæ præfuit.

JACOBUS EP. ZAGRAB. XXV.

Jacobus I. cum Jacobo II. confusus apud Thomam Kovacevichium.

Thomas Kovascevichius Nicolao Jacobum Episcopum proxime subjecit, quem ab omnibus catalogis abesse testatur; sed cum eum Episcopum fuisse ait anno 1325. IV. Nonas Julii, satis ostendit ex duobus Episcopis, quibus Jacobi nomen fuit, unum ab se conflatum esse; cum ea nota chronologica non in hunc, de quo agimus, sed in alterum Jacobum conveniat, qui Ladislavo I. successit. Unum itidem Ladislavum fecit; & deceptus Albo Episcopali non animadvertit duos itidem fuisse Ladislavos, & Jacobum II. inter utrumque interjectum fuisse. Quare inter Stephanum III. & Ladislavum I. intermedii sunt Nicolaus I. & Jacobus itidem I. De hujus Episcopatu Zagrabiensi dubitari non sinunt Tabulæ Consistoriales, in quibus Jacobo fit potestas suscipiendæ consecrationis Episcopalis a quocumque velit Antistite: *Facultas Jacobo electo Episcopo Zagrabiensi concessa accipiendi consecrationis munus a quocumque maluerit Antistite. Dat. Aven. IV. Id. Novemb. anno VII. Joannis Papæ XXII.*, qui congruit cum anno æræ vulgaris 1322. Hoc itaque anno Episcopatum suscepit, & post biennium nondum elapsum deposuit, vel morte præreptus, vel ad aliam Ecclesiam translatus.

LADISLAVUS EP. ZAGRAB. XXVI.

Anno 1324. XI. Kalendas Junii Ecclesiam Zagrabiensem gubernabat; idque constat ex diplomate Caroli regis, qui Nisiderium oppidum Boleslao Archiepiscopo Strigoniensi restituit, eodem anno dieque confecto; cui nomen Ladislavi Episcopi Zagrabien. subjectum est: *Datum per manus discreti viri Magistri Andreæ, Lectoris Ecclesiæ Quinqueecclesiensis, Aulæ nostræ Vicecancellarii, dilecti fidelis nostri; Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, undecimo Kalendas Junii, regni autem nostri similiter vigesimo quarto, Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Boleslao Strigoniensi, Ladislao Colocensi Archiepiscopis; Joanne Nitriensi, Georgio Sirmiensi . . . . . . Ladislao Zagrabiensi.* Ladislavus postremo loco nominatur; quod argumento est recentissimum fuisse omnium Episcoporum regni Hungarici, & fortasse hoc ipso anno 1324. Episcopali consecratione initiatum. Carolus confirmavit privilegium Andreæ II. regis, qui Capitulo Zagrabiensi salem gratuito contribui jusserat, ut docet Kereselichius. Fratres hospitalarii, qui successerant in sedes ac possessiones Templariorum, novem domicilia obtinebant in diœcesi Zagrabiensi. Inter eos & Capitulum ita convenerat, ut solutionem decimarum annuo quodam tributo redimerent. Sex ipsos annos pactum tributum solvere neglexerant. Cum pactis & conventis non stetissent, jus remissum decimarum Canonici repetebant. *F. Philippus de Granana Sanctæ domus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani prioratuum almæ urbis & Ungariæ Prior*, Fratrum suorum culpam, quam inficiari non poterat, aperte atque ingenue confessus, Capitulum exoravit, ut recepto sex præteritorum annorum tributo, in easdem, de quibus antea convenerant, conditiones cum Fratribus hospitalariis pacisceretur; simulque præscripsit quid & quantum singulis annis unaquæque domus hospitalis pro decimis contribuere deberet. Itaque eadem, quæ ante sex annos, pactio & stipulatio renovata est; illud diserte additum fuit, ut si Fratres a conventis atque pactis deficerent, jus exigendi ab illis decimas ad Capitulum rediret. Hæc ex tabulis archivi Capitularis, quas hic subjicio.

Privilegium Caroli Capitulo Zag. concessum.

Conventa inter Capitulum & Fratres hospitalarios renovata.

Nos Frater Philippus de Granana sanctæ domus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani prioratuum almæ urbis & Ungariæ Prior humilis, significamus quibus expedit, quod cum ex debito nostri officii ad partes regni Ungariæ Zagrabiensis diœcesis venissemus, gravem discordiam exortam inter Capitulum Zagrabiense, & nostros Fratres Commendatores, & Præceptores domorum in ipsa diœcesi existentes, ratione decimarum invenimus, quas ipsi a dictis fratribus repetebant, & quoniam ipsos Fratres nostros contra dictum Capitulum in solutione censuum annuorum, ratione decimarum, per pacta olim inita debitorum, non de modico tempore cessasse reperimus, & propter hoc multum excessisse, ad compensationem, & quietudinem remediis opportunis cœpimus sollicitare Capitulum antedictum; & tandem, volente Domino, ad plenam concordiam cum iisdem devenimus, ut in litteris eorum sigillo consignatis, quas penes dictos fratres nostros conservari fecimus, plenius continetur; quarum quidem tenor dignoscitur esse talis.

Nos Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis universis præsentium notitiam habituris salutem in Domino. Sicut dicit B. Augustinus: Decimæ sunt tributa egentium animarum, quæ ex debito requiruntur, & qui eas dare nolunt, res dicuntur invadere alienas; quas quidem Deus in signum universalis dominii suas esse asseverans, pro suo cultu concessit usibus Ecclesiasticorum. Ecclesiasticos autem, pro quibus hujusmodi decimæ in Zagrabiensibus exiguntur Dyotis, suo modo consueto, antiqua consuetudo, a jure etiam ap-

Digitized by Google

approbata, intelligere voluit Dominum nostrum Zagrab. Episcopum, & Capitulum nostrum, & Archidiaconatus habentes in Ecclesia antedicta. Et quoniam nequaquam a jure inhibitum reperitur, quod inter personas ecclesiasticas, jure ecclesiastico fungentes, pacta in hujusmodi percipiendis decimis intervenire valeant, pro annua pensione; hac consideratione olim nostri antiquiores ducti, cum Priore regni Ungariæ, & fratribus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani ad pacta hujusmodi devenerunt. Quod videlicet ipsi fratres de novem domibus seu cellariis earumdem domorum, quas in Zagrabiensi diœcesi habere noscuntur, pro decimis nostro Capitulo ratione præmissa debitis, novem fercones, singulos per sexaginta Banales denarios computatos, annuatim scilicet Kalendis Octobris plenarie persolvi facerent per Præceptorem de S. Martino prope Zelmam, alias si solutionem hujusmodi facere in dicto termino omitterent, ipso jure nos ad precipiendas decimas, de quibus præmittitur, in specie essemus restituti, pactis non obstantibus quibuscumque. Cum igitur a solutione hujusmodi census vel pensionis a dictis fratribus, vel eorum nomine facienda, fere per sex annos præteritos cessatum omnino extitisset, nosque rigore pactorum initorum repetere ab iisdem fratribus omnes decimas illius temporis in specie, & decreto eos poni ad perceptionem decimarum omnium, de quibus prædicitur, procurari cœpissemus; tandem vir religiosus, & Deo amabilis F. Philippus de Granana, sanctæ domus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Prioratuum almæ urbis, & Ungariæ Prior humilis ad nostram accedens præsentiam supplicavit, ut vigore hujusmodi temperata habita solutione totius census, & præterito tempore per negligentiam suorum fratrum, omissis eisdem pactis, olim factis, quæ superius exprimuntur, contenti esse dignaremur; Nos igitur devota instantia inclinati, ob personæ ejusdem reverentiam, & sui Ordinis, ad quem specialiter afficimur, recepto censu totali, pro tempore in solutione omisso, pacta olim inita voluimus valida reputare, ad majorem certitudinem ea iterum exprimentes; ut videlicet nobis annuatim, sexto Kal. Octob.; novem fercones per 60. denarios ferconem quemlibet computando, in bonis denariis banalibus pro duodecim parvulis banali danario computando per Præceptorem de S. Martino solvere teneantur fratres domorum superius expressarum. Quod si in solvendo præmissa aliquando negligentes extiterint, eo ipso rupta pacta intelligantur; & nos ex tunc liberc percipiendi decimas in specie ante dictas habebimus facultatem. Datum fer. 3. post Ascensionem Domini. Anno ejusdem millesimo, trecentesimo, vigesimo quarto.

Nos vero considerantes quietum statum fratrum nostrorum, & jus prædicti Capituli illæsum servari, facta omnia præmissa per pacta in forma litterarum superius expositarum, rata & firma volentes habere auctoritatem, quæ in talibus, & etiam majorem plenam habere dignoscimus, confirmamus; & in hujusmodi confirmationis & approbationis certitudinem, sigillum nostri prioratus Ungariæ, & proprium præsentibus duximus appendendum. Datum Zagrabiæ anno Domini millesimo trecensimo, vigesimo quarto.

Duo Episcopi, quibus Ladislavi nomen fuit, distincti.

Auctor Albi Capitularis, Paullus Ritterus, & Thomas Kovascevichius episcopatum Ladislavi usque ad annum 1343. perducunt, Sed Balthassar Kercselichius scite animadvertit duos Episcopos fuisse, quibus Ladislavi nomen fuit; eosque interjectu Jacobi II., quem idem Kercselichius, Nicolao I. & Jacobo I. prætermissis, Stephano III. substituit, distingui oportet. Ladislavum hoc nomine primum, itemque Nicolaum, & Jacobum utrumque primum & secundo idcirco commemoratos non esse opinor in albo episcopali, quod episcopatus illorum brevissimus fuerit, & nulla re gesta memorabilis. His igitur quattuor Episcopis Nicolao, Jacobo, Ladislavo I., & altero Jacobo silentio prætcritis, post Stephanum III. in albo episcopali Ladislavus II. statim subjicitur, qui pontificatum non diuturnum modo, sed multis præclare institutis ab eo, actisque, & multis itidem Caroli regis privilegiis insignem gessit. Porro Ladislavus I. altero post susceptum Episcopatum anno vix inito e vita migravit.

JACOBUS II. EP. ZAGRAB. XI.

Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis, antea *Cantor* Ecclesiæ Strigoniensis, ut intelligi potest ex tabulis Consistorialibus: *Gratia expectativa facta cantoriæ Ecclesiæ Strigoniensis per assecutionem a Jacobo faciendam de præpositura Ecclesiæ Zagrabiensis ipsi per Pontificem collata, in brevi vacaturæ pro Dominico Benedicti Canonico Bosnensi. Dat. Aven. 16. Cal. Martii, Joannis XXII. anno VII.*, qui congruit cum anno æræ vulgaris 1323. E subsellio Præpositi majoris post biennium ad sedem episcopalem ascendit. E comitiis generalibus Slavoniæ semel atque iterum legatus de rebus gravissimis ad regem missus negotia publica, quorum caussa venerat, e sententia confecit. Erat in primis gratiosus apud Carolum, a quo ad rem ecclesiasticam tuendam, atque amplificandam plures litteras impetravit, plures itidem sententias a magistratibus pro decimis interversis recuperandis, & ecclesiastica immunitate radicanda. Longius ætate jam provectus erat, ut Kercselichius tradit, cum electus est Episcopus Zagrabiensis anno 1325. Duo sunt privilegia Caroli regis, in quibus *Jacobus electus Zagrabiensis* nominatur; altero donationem villæ, cui nomen *Vertus*, quam Bela rex Ecclesiæ attribuerat, altero beneficia, & immunitates ab eodem Bela populis ejusdem villæ concessas confirmavit; utrumque datum est anno 1325. IV. Nonas Julii. Hoc anno cultores agrorum mensæ Capitularis subalpini seditionem fecerunt, & jussa Capituli detrectarunt. Cum tumultuari pergerent, nullisque suasionibus sive blandis, sive asperis placari, revocarique ad officium possent, vis & auctoritas magistratuum adhibenda fuit. Anno proximo in judicium vocati, cum nullam caussam nec speciosam, nec probabilem suæ rebellioni prætenderent, jussi sunt, denunciatione interposita gravissimarum pœnarum, nisi parerent, ad pristinam erga Capitulum fidem, obedientiam, & obsequium redire. Ne quid tale in posterum auderent, visum & populos illos, & præsertim primarios seditionis auctores alios ab aliis segregare, & pagos illos subalpinos in binas, ternas, pluresve portiones dividere, &, colonis prædiorum Capitularium inter se disjunctis, alios aliis assignare. Hæc divisio & distributio in tabulis descripta est ad hunc modum: *Villa Bachua divisa est in portiones quinque, quarum singulæ quattuor ses-* sio-

Jacobus ex Præposito Majori Episcopus Zagrab.

Duo Caroli decreta secundum Ecclesiam Zagrab.

Coloni Capitulares contra Capitulum tumultuantes.

Digitized by Google

ſiones colonorum Sereb vocatas continent; S. Simeonis in portiones ſex, adjuncta una ſeſſione in villa dicta Nigri Stephani, & altera in Deſchevez, ac tertia in Godegojie; Deſchevez in duas portiones, ſecluſa ſeſſione una ſupra dicta. Critanovez in portiones tres, addita una ſeſſione in ſuperiori Ternava. Ternava ipſa in 4. portiones, ſuperſunt in illa ſeſſiones duæ aliæ; Bidragh in portiones duas, præter prædialem ibidem; Nigri Stephani in portiones duas, ſuperſunt ſeſſiones duæ, præter ſupra nominatam, quæ juncta aliis duabus de Ternava faciunt portionem tertiam; Vidoviz in portiones tres. His tabulis Balthaſſar Kerſelichius hanc notam appoſuit: *Hanc diviſionem Georgius Marcellevich autumat factam an. 1306. occaſione ſupra memorati ruſticorum tumultus dicens errorem in anno ſe credere irrepſiſſe. At nobis veriſimilius eſt, diviſionem hanc anno hoc 1326., quemadmodum & in litteris notatur, accidiſſe, potiſſimum ex contextu inſtrumenti, in quo Capitulum ſæpius jam rebellione Villæ Communis de ſub montibus exagitatum fuiſſe exprimitur, hinc ad coercendos ſubditos, diviſionem inſtitui oportuiſſe.*

Jacobus eodem ſere anno electus Ep. & mortuus, vel potius translatus fuit.

Jacobus integrum fere annum *Electi* nomen geſſit; & antequam vel a Romano Pontifice epiſcopatus ei traditus approbaretur, vel conſecrationem epiſcopalem ſuſciperet, anno 1326. tertio Nonas Julii vivere deſiit, ut tradit Kerſelichius; ſed tabulæ Conſiſtoriales infra deſcribendæ docent eum vel ſub initium anni 1326., vel intra finem anni ſuperioris translatum fuiſſe ad Eccleſiam Coriſopotenſem. Ex domo Præpoſiti majoris, unde nondum ad palatium epiſcopale migraverat, funebri pompa delatus eſt ad baſilicam cathedralem, & in communi Epiſcoporum ſepulchro tumulatus. Hæc fere omnia ex Adamo Kerſelichio.

LADISLAVUS II. EP. ZAGRAB. XXVIII.

Ladislavus II. de Kobol ab Joanne XXII. datus Epiſc. Eccl. Zagr.

Cui de Kobol cognomen fuit. Hunc Joannes Papa XXII. pro poteſtate Epiſcopum Zagrabienſibus dedit, ut docet Album capitulare: *D. Ladislaus de Kobol de Præpoſitura Titulenſi per proviſionem ejuſdem Dom. ſummi Pontificis Joannis, tempore D. Caroli regis I. dicti.* Hic primus Antiſtitum Zagrabienſium, ut ſcite animadvertit Thomas Kovaſcevichius, tum in ſuis, tum in regiis litteris inſcribi cœpit *Dei & S dis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Zagrabienſis;* cum ſuperiores ante illum Epiſcopi his verbis uſi, *Dei gratia*, dumtaxat, vel *miſeratione divina*, ſuum Epiſcopatum, omni humana poteſtate ſecluſa, ſoli Deo acceptum referebant. Anno igitur 1326. menſe Martio Joannes XXII. Ladislavo Eccleſiam Zagrabienſem decrevit, eumque Jacobo II. in ejus adminiſtrationem ſubſtituit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: *Promotio Ladislai Præpoſiti Eccleſiæ Titulenſis, Colocenſis diœceſis ad Epiſcopatum Zagrabienſem, per translationem Jacobi ad Epiſcopatum Coriſopitenſem, apud Sedem Apoſtolicam prævia reſervatione vacantem. Dat. Aven. 3. Id. Mart. anno Joannis X.* qui congruit cum anno 1326. æræ Chriſtianæ. Sed Epiſcopatus eidem collati nuncius in Hungariam & Zagrabiam menſe Quinctili ejuſdem anni nondum pervenerat, & adhuc ſedem epiſcopalem vacare vulgo putabatur; idque apparet ex diplomate Caroli regis, qui *anno 1326. IV. Kalendas Auguſti, Zagrabienſi ſede vacante*, omnia privilegia ſuperiorum regum collata Epiſcopo, Eccleſiæ, Capitulo Zagrabienſi confirmavit, & quidquid vel ſcriptis traditum, vel conſuetudine receptum illis obeſſet, irritum haberi juſſit. Nec vero ante menſem Majum anni proximi Epiſcopus conſecratus fuit. In tabulis Zagrabienſibus *anno 1326. feria v. poſt* feſtum S. Andreæ confectis inſcriptus invenitur *Demetrius Archid. Vaſchen. Capell. regius, Canonicus Zagrabien. & Ladislai electi Epiſcopi Zagrabienſis vicarius.* Intra finem ejuſdem anni 1326. idem Pontifex Ladislavo poteſtatem fecit ſuſcipiendæ conſecrationis Epiſcopalis a quocumque vellet catholico Epiſcopo: *Facultas Ladislao electo Zagrabienſi conceſſa recipiendi munus conſecrationis a quovis maluerit Antiſtite. Dat. Aven. 4. Non. Decembris an. Joannis XI.* id eſt 1326. Sed antequam ſacro oleo ungeretur, & manuum Epiſcopalium impoſitionem ſubiret, eum excommunicationis vinculo exſolvi oportuit, quo jamdudum illigatus fuerat ob manus violentas olim, cum junior eſſet, in clericos injectas: qua de re poſt decretum illi Epiſcopatum Pontifex admonitus mandatum dedit Archiepiſcopo Colocenſi, ut Ladislavum ea culpa pœnaque liberaret: *Mandatum Archiepiſcopo Colocenſi, quatenus Ladislaum electum Zagrabienſem abſolvat ab excommunicationum ſententiis, propter violentam in clericos manuum injectionem, olim per ipſum in juvenili ætate conſtitutum incurſis. Dat. Aven. 16. Cal. Maji anno Joannis Papæ XI.*, quo cum cohæret annus æræ vulgaris 1327.

Conſecratur Epiſcopus.

Singularis & eximia regū Hungariæ erga Eccleſias beneficentia.

Ladislavus, cum in maxima gratia eſſet apud Carolum, regiam erga ſe benevolentiam in commodum utilitatemque Eccleſiæ Zagrabienſis convertit. Fuit ſane iſta perpetua & ſingularis veterum regum Hungariæ religio & pietas, ut ſimul cum adminiſtratione regni patrocinium ac defenſionem Eccleſiarum Dei ſuſciperent, earum immunitatibus & privilegiis diligentiſſime caverent, eaſque ampliſſimis beneficiis, proventibus, muneribus certatim omnes cumularent. Itaque cognomen Apoſtolicum ab Romanis Pontificibus cum poteſtate crucis præferendæ ſibi traditum & pro dignitate ſuſtinuerunt, & egregiis factis meritiſque exæquarunt. Ab hac perenni conteſtataque majorum ſuorum religione non modo non degeneravit Carolus, ſed præclaris illorum veſtigiis inſiſtens omnem juris & patrimonii Eccleſiaſtici tuendi & augendi occaſionem ſive alieno rogatu, ſive ſua ſponte libenter arripuit. Vel in ipſa præfatione regalium diplomatum eximia ejus religio & pietas elucet. Ac primum quidem omnia privilegia, jura, & immunitates Eccleſiæ Zagrabienſis ampliſſimo diplomate confirmavit, vacante adhuc ſede Epiſcopali poſt mortem Jacobi.

Ampliſſimum diploma Caroli regis, æque honorificū ac perutile Eccl. Zagrabienſi.

Carolus Dei gratia Ung. Dal. Croat. Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex, princeps Salernitanus, & honoris ac montis S. Angeli Dominus. Omnibus Chriſti fidelibus præſentibus, & futuris, notitiam præſentium habituris ſalutem, in quo reſident ſempiternæ ſalutis incrementa. Exardeſcens ad æterna regalis diadematis, exuberanſque devotio, eo ſaluti ſuæ proſpicit utilius, quo priſtinas libertates piis locis devote collatas, ſolidioris firmitatis fulcimento roborat, & confirmat. Perinde cunctorum notitiæ harum ſerie volumus pervenire; quod, quia cordi debet eſſe regibus atque curæ, ut ea, quæ Eccleſiarum conſervatio-

ni

Digitized by Google

ni sunt disposita, nec regum dissimulatio negligat, nec aliorum plectibilis possit præsumptio perturbare; ideo nos Zagrabiensem Ecclesiam, quam inter cæteras regni nostri Ecclesias affectione non minori veneramur, in omnibus suis juribus, munitionibus, tributis, possessionibus, prædiis, terris, libertatibus, quantumcumque magnis, & gratiosis reditibus, proventibus, ac omni dominio, pacificam, indemnem, & illæsam cupientes perpetuo conservare, & per nostros conservari; ut ejus ministri ex hoc in ea divino cultui possint quietius & devotius famulari; omnia & singula jura ejusdem Ecclesiæ Zagrabien., videlicet tenutas, districtus, possessiones, prædia, villas, & libertatum prærogativas, quæ & quas dicta Ecclesia seu Episcopus ejusdem pro tempore constitutus, & Capitulum ipsius, quovis justo titulo acquisierunt, invenerunt, & obtinuerunt, excelsique principes suis temporibus sibi statuerunt, & contulerunt, sive quondam reges Ungariæ nostri progenitores, sive Duces, sive Barones, sicuti Banus, & alii Comites, nobiles, & cujusvis status, seu dignitatis homines, in vita vel in morte donaverunt, legaverunt, & dederunt, specialiter, quas nos sibi fecimus donationes quantascumque eidem Ecclesiæ Zagrabien., ad quam devotionem habemus singularem, per eamque Episcopo ejusdem pro tempore constituto, & Capitulo ipsius, ut perpetuo stabilire, inviolabiliter permanere, & valeat possidere, tenere, & habere, de consilio Prælatorum, & Baronum regni nostri, præsentis scripti patrocinio sancientes confirmamus; eaque omnia, si quæ, vel quid de possessionibus, terris, & villis, prædiis, & eorum utilitatibus, seu quibuslibet juribus dictæ Ecclesiæ per quoscumque, vel quemcumque fuissent indebite occupata, vel alienata, de plenitudine regiæ potestatis revocamus, eidem ea restituentes pleno jure. Cunctis itaque Ducibus, Banis, Comitibus, Castellanis, Judicibus, nobilibus, & hominibus qualicumque officio seu honore fungentibus nunc, & pro tempore in regno nostro constitutis, eorumque vices gerentibus hoc præsenti regio edicto præcipientes firmiter mandamus, quatenus dictam Ecclesiam Zagrabien. Episcopum, & Capitulum ejusdem, in omnium jurium, tenutarum, possessionum, redituum, tributorum, & libertatum ipsius Ecclesiæ plenitudine, & integritate, absque aliquali diminutione, inquietatione, & perturbatione mittant perpetuo, & relinquant pacifice permanere, ac pro omnium salute Christo quiete famulari. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem præsentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine, novi & autentici roboratas. Dat. per manus discreti viri Magistri N. Albensis Ecclesiæ Præpositi aulæ nostræ Vicecancellarii dilecti, & fidelis nostri anno Domini 1326., IV. Kal. Augusti, regni nostri anno similiter 26.; Ven. in Christo Patribus Dominis Boleslao Strigoniensi, Ladislao Colocensi, aulæque nostræ Cancellario Archiepiscopis, Joanne Nitrien., Benedicto Chanadien., Nicolao Javrien., Georgio Sirmien., Ladislao Quinqueecclesien., Juvanka Varadien., Fratri Petro Bosnen., Laurentio Vacien., Andrea Transilvano, Henrico Vesprimien., aulæque Dominæ Reginæ Cancellario, & Chanadino Agrien. Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Zagrabiensi Sede vacante. Magnificis Baronibus, Philippus Palatino Comite Scepusien. . . . . Demetrio Magistro Tavernicorum Bachien., & Tinbyen. Comite, Alexandro Judice curiæ nostræ, Thoma Voyvoda Transilvano, & Comite de Zonub, Mikch Bano totius Sclavoniæ, Comite Simigien. & de Sarus, Paulo de Mathou Comite Sirmien. de Wolbou, & de Bodrug, Dionysio Magistro Dapiferorum, Blasio Magistro Agasonum nostrorum, Nicolao . . . . Comite Posonien., & aliis quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

Ladislavus apud Carolum graviter conquestus est, quod incolæ territorii & civitatis Græcensis ex perceptis agrorum, & aliarum rerum fructibus, vel non integras, vel non ejusdem naturæ, & speciei decimas Ecclesiæ solverent; se vero tuerentur prava quadam consuetudine, quam usu diuturno invaluisse affirmabant. Sed hujusmodi consuetudine jus ecclesiasticum violari ajebat Ladislavus; neque usum sed abusum esse, qui nulla temporum diuturnitate, vel legitima præscriptione defendi poterat. Episcopi querimonias & preces rex perbenigne excepit, datisque litteris ad Magistratus & incolas civitatis Græcensis velle se ait, & pro sua regali auctoritate imperare, ut cives omnes, cultoresque agri Græcensis, decimas integras, nulla detractione diminutas, neque a perceptis fructibus specie diversas, Episcopo & Ecclesiæ solverent, Bekem virum expertæ fidei atque integritatis ab suo latere missum esse, cui alterum e fidis, & familiaribus hominibus Bani Slavoniæ adjungi jussit, ut ad exigendas & colligendas decimas Episcopo sive ejus administris auxilium atque operam uterque navaret. Præterea Michaeli Slavoniæ Bano severissime imperavit, ut e suis satellitibus tot adjungeret utrique, quot necessarios esse duceret ad regia mandata exsequenda. Ladislavi querimonia apud Carolum de civibus Græcensibus. Carolus plenam atque integram decimarum solutionem imperat suis ad Græcenses litteris.

Carolus Dei gratia rex Ungariæ, fidelibus suis, Judici, Juratis, civibus, & universis hospitibus cujusvis status, seu conditionis hominibus, in civitate Græcensi constitutis, salutem & gratiam: Licet cuncta fidelis crucifixi familia juxta Canonum statuta paternorum, & sanctiones salutiferas in omni totius Mundi parte, ubi religio Christiana profitetur, non varia, sed æquali sorte, decimas omnium rerum suarum in specie, more Abel justi, Sanctis Dei Ecclesiis, sanguine Christi dedicatis, dare debeat, & solvere teneatur; cum enim ipsas creator universorum Deus decimas in signum universalis dominii pro tribubus animarum egentium, sibi reservaverit, & ejus nomine ministris Ecclesiarum offerri voluerit; vos tamen, sicuti relatibus cunctis cognovimus, contra hæc quadam abusiva consuetudine, quæ non consuetudo, immo potius corruptela, & salutis vestræ dispendium dici potest; non de omnibus rebus vestris decimalibus, sed de quibusdam, etiam non in specie, verum datis aliquibus dinariis, in expeditionem vestram damnabilem solveretis, Censuram Ecclesiasticam, si quam propter hujusmodi negligentiam vestram Ministri Christi, volentes animas vestras Domino lucrari, super vos imponerent, parvi pendentes; & penitus sicut filii contumaciæ, & inobedientiæ, ac Sathanæ Alumni, pro nullo reputantes; non advertentes, quod decimas & primitias omnium rerum, a Deo attributarum, ipsi Creatori nostro pro suo speciali dominio reservatas offerre, suisque Vicariis, & Ministris, nostrarumve animarum sacro Baptismate renovatarum custodibus, & tutoribus specialibus negligentes in specie ministrare, & ipsorum Vicariorum

rum Christi monitionibus salutiferis, & doctrinis, nec non ecclesiasticis correctoribus cordibus induratis, & animis obstinatis . . . . reluctantes, in sinum Jesu Christi Redemptoris nostri minime valeant aggregari, & in consortium fidelium nunquam collocari. Et cum nos, quem rex regum in solio hujus regni per ineffabilem ejus clementiam feliciter constituit, erga sanctam Matrem Ecclesiam, cujus precum suffragio omne, quod habemus, venisse nobis reputamus, cura solicita invigilare debeamus . . . . dignum una cum prælatis ecclesiarum, & aliis regni nostri Baronibus fore decrevimus: ut, si vos timor Dei ab hujusmodi erratica consuetudine ad solvendas justas decimas non revocat, nos auctoritate regia revocamus; ne contingat nostræ, & vestris animabus detrimentum exinde generari.

Quapropter fidelitati vestræ præcipimus regio edicto per præsentes firmiter, & districte, quatenus præsentibus Beke Tavernico homine fideli de latere ad hoc nostro transmisso, ac homine magnifici viri Mikch totius Sclavoniæ Bani, fidelis, & familiaris nostri, ad hoc deputando, Venerabili in Christo Patri D. Ladislao Dei & Apostolicæ Sedis gratia Zagrabiensis Diœcesis Episcopo vestro, nobis dilecto & fideli, ejusve procuratoribus, in omnibus rebus vestris, & Jobagionum vestrorum, decimalibus, in specie ita, ut in frugibus, morreis; in vino autem, in vestris Cellariis, & aliis, in horis, & terminis, quibus alias in regno vestro exiguntur, justas decimas vestras, & vestrorum, prout in aliorum Archiepiscoporum regni Hungariæ diœcesibus dari decimæ consueverunt, absque omni difficultate detis, & dari plene absque ulla diminutione faciatis: sicut nostram indignationem, quæ culpam quamque puniet excedentis graviter, incurrere formidatis, aliud facere in nullum eventum præsumentes. Tibi vero, Mikch Bano firmissime præcipimus, ut ad dictum hominem nostrum, & alios nostros homines, quocumque nomine vocentur, homines tuos tot, quot ad exequenda præmissa sufficere judicabuntur, dare debeas, qui dictas decimas per homines præscriptos prælibato Domino Ladislao Episcopo, & nomine suo procuratoribus suis, ac ipsius Ecclesiæ procuratoribus, de omnibus rebus a Deo collatis in specie, secundum consuetudinem aliarum Ecclesiarum, in regno Hungariæ existentium, non obstante eorum præscripta consuetudine, & corruptela erratica, dari faciatis plene, & absque aliqua diminutione nostra regia auctoritate persolvi. Aliud, sicut nos graviter offendere pertimescis, facere non ausurus. Datum in alto lapide in festo B. Margaritæ V. M. Domini 1327.

Idem suum de decimis solvendis mandatum gravius urget.

His regiis litteris ac mandatis, cum majus, quam ferre possent, onus sibi imponi vulgo quererentur, & tergiversantes moras præscriptæ decimarum solutioni alias ex aliis innecterent; eodem anno sub exitum mensis Septembris alteras in eamdem sententiam, sed multo graviores, & severiores litteras dedit ad *Universos Comites, Nobiles, Castellanos, Judices, & Rectores Civitatum ac Villicos;* & nisi imperata facerent, in eos, non secus atque in perduelles animadversum iri; alioquin, inquit, *contra vos tamquam rebelles auctoritate regia procedemus*. Nihilo magis secundis, quam primis litteris obtemperatum fuit. Ut vero se gravissimis, quas rex denunciaverat, pœnis eximerent, Dynastæ, & viri nobiles, cives, & agricolæ per suos Internuncios pro diminutione, & permutatione decimarum, Episcopo, & Capitulo supplicaverunt. Ecclesiasticæ benignitati & clementiæ contentaneum visum est eorum precibus indulgere; & Episcopus & Canonici satius esse duxerunt aliquid de jure suo remittere, quam supplices illos repellere; præsertim cum periculum esset, ne pertinacius regiæ voluntati obsistentes, justam regis animadversionem sibi consciscerent. Itaque res per compositionem, Carolo rege approbante, transacta est. Quod unusquisque, & quantum pro decimis solvere deberet, Mikch, seu Michael Banus totius Slavoniæ his litteris declaravit.

Controversia de decimis per compositionem transacta.

Mikch Banus totius Sclavoniæ universis nobilibus, civibus liberarum Villarum, & aliis cujuscunque status, et conditionis hominibus in Diœcesi Zagrabiensi constitutis, quibus præsentes ostendentur, salutem cum honore. Quamvis juxta regium præceptum ad solvendas decimas omnium in specie Venerabili in Christo Domino Ladislao Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Zagrabiensi Episcopo, & ejus Ecclesiæ vos compellere teneamur, sicut etiam alio anno vobis innotuit, ipse tamen Dominus Episcopus cum suo Capitulo ad supplicationem vestram volens mite agere vobiscum, secundum infrascriptam taxationem ipsas decimas solvendas per vos consensit, & admisit; ut videlicet de singulis capetiis frumenti, siliginis, hordei, avenæ, milii, & alterius milii borkules vulgariter dicti, ac surgonis, usque festum beati Martini Confessoris persolvantur sex denarii boni banales, quorum singuli valeant duodecim parvulos bagatinos; & pro singulis cubulis vini decimalibus denarii itidem, prout vinum in novo in Villis majoribus communiter valebit. Quicumque autem primam solutionem usque dictum festum non fecerit, ut prædicitur, ex tunc quamlibet capetiam, & cubulum vini cum augmento duorum denariorum solvere teneantur, cum ex tunc bladum, & vinum majoris efficiatur valoris, experientia hoc probante. Decimas autem porcorum annualium & infra, qui videlicet alias decimati non fuerint, in specie vel cum denariis, secundum quod tempore dicationis valet, decrevit persolvendas. De troncis vero apum, & de agnis singulos denarios, vel decimum, ubi tot fuerint; & de hædis medium denarium, vel eodem modo decimum, sicut fuit & alias consuetum. Ille autem qui nihil in messe habuit, duobus denariis fumalibus tantummodo teneatur: & de aliis rebus prædictis, si quas habet, decimas plene persolvat, hoc salvo, quod in Villis liberis majoribus, ubi hoc decimatoribus videbitur, omnes res decimales, videlicet vinum in cellariis, & bladum in horreis, in specie persolvantur. Quapropter vobis universis, & singulis damus firmiter in mandatis, quatenus decimas vestras secundum taxationem præmissam, vel in specie, juxta mandatum regium, persolvatis; alioquin per nostros Comites, Judices Castellanos, & Officiales ad hoc compellemini perficiendum, non sine vestro gravamine, sicut experientia vos docebit. Hoc etiam vobis constet, quod de consensu dicti Domini Episcopi, & ejus Zagrabiensis Capituli, extitit definitum: quod Castellani de decimis castrensium in tenutis castrorum ipsorum, sextam decimam decimarum habeant, pro qua ipsas decimas plene faciant persolvi per subditos eorumdem: & eo-

dem

Digitized by Google

dem modo & ratione singuli nobiles de suis habeant subditis, & villicis civium decimas quibuscumque, nec aliquam aliam quoquam audeant petere, vel recipere quicumque de præmissis; sed ea parte pro suis servitiis sint contenti, hoc expresso, quod si vos nobiles, vel villici non solveritis, & non feceritis solvi decimas per vestros tempestive, ex tunc ipsa sexta decima, quæ pro vobis extiterit deputata in comitatu Crisiensi, eo ipso eidem Comiti Crisiensi, & eodem modo in comitatu Zagrabiensi Comiti ejusdem, & sic aliis Comitibus in comitatibus eorumdem, qui Comites ex tunc teneantur compellere nobiles & cives ad solvendas decimas integre decimatoribus eorumdem; & nihilominus possint pro se judicia recipere, prout in aliis nostris litteris plenius continetur. Datum Zagrabiæ feria tertia ante festum Simonis, & Judæ Apostolorum, Anno Domini MCCCXXVIII.

Decimas Ecclesiæ solvere, & ablata restituere abnuentes litteris regiis iterum ac sæpius urgentur.

Verum plerique e nobilitate Slavonica, qui terras & oppida diœcesis, velut Goram, Dubiczam, & alia loca præcipua incolebant, atque illi ipsi, qui Michaelis Bani vectigales erant, Episcopi & Canonicorum indulgentia abutentes ne illis quidem pactis & conventis, quæ, ipsis non consentientibus modo, sed etiam petentibus, præscripta fuerant, stare voluerunt; & tum solutionem decimarum, tum restitutionem quarumdam possessionum Ecclesiæ pertinaciter detrectabant. Itaque aliis super alias litteris regiis urgendi cogendique fuerunt. Rex mirari se ait in suis ad Banum litteris, quod ad ea præstanda, quæ sui muneris erant, expectet, dum regalibus mandatis compellatur: *admiramur*, inquit, *cur vos ad ista præceptum nostrum requiratis &c.* In epistola vero inscripta viris nobilibus *de Gamarcha*, *Gastche*, *Verbaz*, *Kemlek &c.*, nisi imperata fecerint, illos juris alieni, & quidem ecclesiastici, usurpati ac retenti reos esse declarat, & quibus digni sunt, pœnis afficiendos denunciat: *quod si non feceritis, quod non credimus, ex tunc per præsentes jura aliena denunciamus vos indebite retinere &c.*

Ladislavus regem orat, ut Castrum Medved Ecclesiæ restitui jubeat.

Ladislavo egregia erga se Caroli voluntas, & eximium juris ecclesiastici tuendi studium, spem injecit recuperandi Castri Medved, quod tunc tres fratres Bobonogii Stephanus, Joannes, Radislavus a Marco Torustio sibi venditum possidebant. Ab rege igitur suppliciter petiit, ut Castrum illud Ecclesiæ restitui juberet. Quid juris esset Ecclesiæ in ejusmodi Castrum cum regem lateret, antea doceri voluit, quam Episcopi precibus indulgeret. Itaque dat litteras ad Canonicos Ecclesiæ Albensis: virum idoneum, & perspectæ in primis integritatis & fidei deligere jubet, qui cum homine ab se misso adeat Zagrabiam, & diligenter inquirat, quo jure, quibusve rationibus nitatur postulatio, quam sibi ab Ladislavo exhibitam exposuit. Quod compertum habuerint, illi ad Capitulum Albense, Capitulum ad se referat. Extat responsio ejusdem Capituli ad regem in hæc verba.

Litteræ Capituli Albensis ad regē de jure legitimo Ecclesiæ Zagrabiensis recuperandi Castri Medved.

Excellentissimo Domino suo, Domino Carolo Dei gratia illustri regi Hungariæ Capitulum Albensis Ecclesiæ, orationes in Domino salutares. Litteras excellentiæ vestræ cum reverentia qua decuit, recepimus, hunc tenorem continentes: Carolus Dei gratia rex Hungariæ fidelibus suis Capitulo Albensis Ecclesiæ &c. Nos igitur mandatis vestræ excellentiæ obtemperare volentes pariter & præceptis unum ex nostris discretum virum Magistrum Blasium subcustodem Ecclesiæ nostræ, cum Joachino filio Thomæ Beridoy homine vestro, ad Ven. Patrem Dominum Ladislaum loci ejusdem Episcopum pro faciendis inquisitionibus duximus transmittendum; qui demum ad nos redeuntes concorditer, & pari voce retulerunt; quod facta inquisitione, tam apud nobiles regni, cives civitatum regalium, communes populos, divites & pauperes, quam apud Religiosos, Sacerdotes, & clericos regni Sclavoniæ, ex confessione & relatione eorumdem resciverunt; quod Vener. Pater Dominus Philippus olim Episcopus Zagrabiensis, & demum Archiepiscopus Strigoniensis, Castrum Medve, una cum Capitulo Zagrabiensi in terra ipsorum, propriis sumptibus suis, & suorum construxerant, & per multos annos pacifice possederunt. Tandem tempore Joannis Episcopi dictæ Ecclesiæ per Gardinum, cui Castellanatum ipsius Castri idem Joannes Episcopus tradiderat, redditum non fuit, assumendo scrupulum infidelitatis & malitiæ. Postmodum ad manus Andreæ regis, & suam liberationem, per quem detentus fuerat, est devolutum. Qui quidem Andreas rex tradidit Castellanatum dicti Castri cuidam Veneto Nicole Torusto; quo mortuo ad manus Janini fratris ejusdem devenit; ipso etiam interempto, Marcus Presbyter Canonicus dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis, frater ipsorum Nicole, & Janini, qui tunc in eodem Castro morabatur, habuit Castrum memoratum. Et per eumdem Marcum Stephano, Joanni, & Radislao filiis Bobonegh fuit traditum, quamvis Dominus Augustinus etiam Zagrabiensis Episcopus, Marcum prædictum de alienatione, & filios Bobonogh de receptione legitime, personaliter, & per idoneas personas ac sententias latas inhibuisset. Datum quarto die B. Joannis Baptistæ. Anno Domini 1328.

Cur Castrum Medve non redditum Ecclesiæ?

Quod Carolus, his litteris Capituli Albensis de jure Ecclesiæ Zagrabiensis edoctus, Castrum illud restitui non juberet; id caussæ fuisse arbitror, quod Episcopus & Canonici Zagrabienses nondum summam illam pecuniæ Stephano & ejus fratribus reddiderant, quam ii pro redemptione ejus Castri Marco Torustio solverant, neque cæteris conditionibus satisfecerant, de quibus ante annos quindecim inter fratres illos & Canonicos convenerat, ut in Augustino Episcopo expositum fuit. Quare possessio Castri penes Stephanum, & ejus fratres permansit; post illos vero, & illorum familiam extinctam, ad alios atque alios dominos transivit.

Ladislavus decreta B. Augustini confirmavit.

Quæ ad cultum divinum rite peragendum B. Augustinus sapienter pieque decrevit, accurate ab omnibus servari jussit Ladislavus, imperavitque omnibus presbyteris & clericis, ut ejus, quem quisque adeptus esset, ordinis ac sacerdotii muneribus fungatur; & si quis officio suo desit, vel choro absit, ei multam irrogavit. Hoc est ejus edictum.

Edictum Ladislavi.

Ladislaus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis, discretis viris fratribus suis Canonicis singulis suæ Zagrabiensis Ecclesiæ, & procuratoribus absentium ab eisdem salutem, & paternam benedictionem. Juxta ordinationem, & constitutionem Venerabilis Patris Domini Fratris Augustini, sanctæ memoriæ prædecessoris nostri in ipsa nostra Ecclesia, secundum ordinem dignitatum, & personarum ac aliorum, ex quovis, quidam in sacerdotali, qui-

dam

dam in Diaconatus, & aliqui in Subdiaconatus ordinibus, prout patet superius, suorum teneantur officiorum exsolvere debita, quæ ut percepimus, interdum negliguntur in quibusdam, & male; cum beneficia propter officia concedantur, secundum canonica instituta. Quare vobis damus firmiter in præceptis, quatenus vestra efficia eo modo, sicut prædecessor prædictus constituit, & præcepit, per vos ipsos, & quandoque causa rationabili excusante, per alios idoneos, studeatis solicite adimplere, nec exinde defectus appareat aliqualis. Et ut cultus divinus in eadem nostra Ecclesia, operante Domino, augeatur; volumus, & firmiter in virtute sanctæ obedientiæ injungimus, statuendo, ut vestrum singuli, qui in sollemnitatibus consuetis in nostra Ecclesia inservire solent, vel alias quicumque per cantorem, vel ejus succentorem inscripti fuerint, ut est moris, ad chorum regendum, seu explendum aliud officium, aut ejus actum qualemcumque diurnum, vel nocturnum, horis competentibus teneantur perficere, sicut decet, sollicite, & devote. Quicunque autem ex vobis non impeditus rationabiliter, de quo impedimento se teneatur excusare humiliter, secus fecerit, pro cujuslibet officii hujusmodi omissione, & specialiter Missæ, & Vesperarum, die quolibet unum cubulum vini, vel ejus valorem, eo ipso solvere obligetur, ad manus cantoris, vel ejus succentoris; quæ soluta distribuantur, prout opus fuerit, pauperibus clericis frequentantibus horas canonicas in nostra Ecclesia majori, quasi defectum supplentibus præmissorum. Et singula præmissorum executioni mandanda, quoties necesse fuerit. Ad quæ omnia cantor vel ejus succentor, invocet auxilium Vicarii in Spiritualibus generalis, qui ad hoc fortius obligetur; salvo, & expresso si aliquis ex vobis non impeditus rationabiliter, ut prædicitur, sed contumaciter cum scandalo se inobedientem ostenderet in præmissis; contra talem ipse Vicarius procedat ad pœnas graviores, sua considerata contumacia, pro ut sibi videbitur expedire. Datum Zagrabiæ Kalendis Januarii, Anno Domini MCCCXXIX.

Quæ ipse sapienter ac provide decrevit. Cum omnia B. Augustini decreta confirmasset, his quædam adjecit providentissime ab se, non iisdem quidem, sed alia aliis annis constituta, quæ Balthassar Krcselichius his verbis expressit: *Anno 1331. constituit eum conductorem in majoribus rebus potiorem esse, qui duas marchas plus aliis promitteret, in minoribus unum saltem Fertonem: anno 1336. desolari vineas beneficiorum prohibet; si quis desolaverit, damnum persolvat: anno 1340. colonos ex terris Ecclesiæ profugos vineas acquisitas eo ipso amittere constituit, & determinavit insuper divisionum, ut vocamus, decanalium pro neo-electis Canonicis terminum, videlicet festum S. Georgii pro blado, Assumptionis pro vino, Martini pro porcis, Thomæ Apostoli pro arendis decimarum; idque usque officium vespertinum & Completorium cum Salve Regina, vel alia Antiphona B. V. in Ecclesia Cathedrali: ex quo tritum illud emanasse arbitramur: Georgius metit: bibit Assumptio: Martinus mactat: & numerat Thomas.* Aliud decretum sive statutum Ladislavi anno 1336. apud Thomam Kovacsevichium invenio his plane verbis compositum: *Statuimus decernendo, ut quicumque ex vobis sua canonicali vinea deserta, vel alienata, decedet, vel decesserit; ante omnia de bonis suis pro suo in canonicatu successore canonicalis vinea comparetur, vel de suis emptitiis vineis pro suo canonicali præsidio per generalem Vicarium annectatur. Quicumque autem suum Colonum de eodem prædio injuste oppresserit, vel spoliaverit bonis suis in toto, vel in parte, & hoc per aliquos ex vobis Vicario nostro innotuerit, ipse Vicarius teneatur talem compellere ad restituendum ablata, & alias punire de vestro consilio, prout videbitur expedire. Dat. Chasmæ feria quarta proxime ante festum SS. Cosmæ & Damiani. Anno 1336.*

Duo Caroli privilegia concessa Ecclesiæ, Capitulo, Episcopo Zagrab. Extat duplex privilegium Caroli regis in gratiam utilitatemque Episcopi & Ecclesiæ Zagrabiensis eodem anno, loco, dieque confectum; ac primum Michaeli Bano totius Slavoniæ, ejusque successoribus inscriptum est. Priore autem confirmat possessionem duarum villarum nomine *Vinodol*, quarum altera ad Capitulum pertinebat, alteram Episcopus marchis sexaginta denariorum Banalium ab Stephano de Davo emerat; & præterea eodem diplomate duas alias villas Peck, & Berezd appellatas, sitasque ultra Dravum in Comitatu Zagrabiensi, vel potius fortasse in diœcesi Zagrabiensi, quas Cœnobiarcha monasterii Topliccensis jure fiduciario possidendas Episcopo tradiderat, depulsis iniquis possessoribus, qui eas per vim aut fraudem occupaverant, ac detinebant, Episcopo restituit: ab illis & Banus ipse manus removeat atque abstineat, & alios quoscumque ab iisdem repellat arceatque. Altero privilegio Ecclesiæ & Episcopo vectigal omne concessit nomine portorii sive transitus illis pontibus impositum, qui vel ad insulam Ivang, sive Ivanichium, vel per eamdem insulam transitum præbebant.

Primum privilegis. *Carolus Dei gratia rex Ungariæ. Fidelibus suis magnificis viris Mikch Bano totius Sclavoniæ, & aliis quibuslibet Banis pro tempore constituendis, quibus præsentes ostendentur, salutem & gratiam. Noveritis, quod nos quasdam possessiones, unam Ecclesiæ Zagrabiensis, sive Capituli, aliam emptitiam Vinodol vocatas, per Venerabilem in Christo Patrem D. Ladislaum eadem gratia Episcopum Zagrabiensem emptam, vigore præsentium, quemadmodum prius concesseramus, sic & nunc consentimus & nostrum consensum concedimus pro dicta sua Ecclesia perpetuo possidendas. Item alias possessiones, scilicet Peck, & Berezd nominatas in Comitatu Zagrabiensi ultra Dravam existentes, quas idem Dominus Episcopus ab Abbate, & conventu monasterii Teplicensis, in feudum prius tenuit, & nunc in futurum legitime debet tenere, quæ possessiones violente occupatæ detinentur, remotis ipsarum detentoribus quibuslibet illicitis, eidem Domino Episcopo & suæ Ecclesiæ pleno jure reddidimus, & restituimus perpetuo possidendas, pariter & habendas. Quare fidelitati vestræ præcipientes mandamus, quatenus mox receptis præsentibus, manus vestras de eisdem possessionibus retrahatis, & quorumlibet manus ad vos pertinentium retrahi facientes; quia nos ipsas Domino Episcopo prædicto, pro sustentatione, & conservatione suorum castrorum Dobrastica commisimus conservandas: secus per nullum casum facere præsumentes, sicut nostram dilectionem charam habere intenditis. Datum in Wissegrad in festo Beati Andreæ Apostoli, Anno Domini MCCCXXXV.*

Alterum privilegis. *Nos Carolus Dei gratia rex Hungariæ memoriæ commendantes, tenore præsentium significamus*

Digitized by Google

mus quibus expedit universis. Quia, vocante Domino, de mundo scimus nos procul dubio transituros, deliberavimus decernentes diem extremæ nostræ messionis, misericordiæ operibus debere prævenienndum, præsertim in eo, ut ministrorum Christi sustentationibus regias manus porrigamus adjutrices, ut per ea quæ agimus in terris, multiplicatum fructum cum Domino recolligamus in cælis. Igitur tam pia, tamque salubri intentione moti, volentes Ecclesiam cathedralem sanctissimi Stephani regis de Zagrabia, ad instar aliorum regum, felicium recordationum, piorum progenitorum nostrorum ipsam dotantium, possessionum & diversorum bonorum prærogativis eas ditantium, speciali nostra concessione gratiosa mediante, prosequi regio cum favore, redditus, & facultates ejusdem ampliantes; ut Episcopalis venerabilis dignitas ex hoc se sentiat magis consolatam, & ejusdem Ecclesiæ ministri in ipsa jugiter Deo famulantes, pro hac nostra pia elargitione memoriam nominis nostri, semper in benedictione habentes, venerentur. Ad petitionem & instantem supplicationem Venerabilis in Christo Patris Domini Ladislai, Dei, & Apostolica gratia dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopi, nostri perdilecti, Prælatorum & Baronum regni nostri consilio præmaturo, de speciali gratia regiæ pietatis, pro æternæ salutis nostræ remedio, eidem Ecclesiæ, ac ipsius prælatis præsentibus & futuris, in quibuslibet ac singulis pontibus secundum diversas vias, diversos introitus, vel exitus habentibus, seu facientibus in Ivang, in Episcopatu prædicto & ad ipsam insulam Ivang in Episcopatu prædicto pertinentibus, & ejus confinia tangentibus, factis & fiendis, præsertim pro custodia, & refectione pontium eorumdem, & pro reparatione, gubernatione, & conservatione fortalitiorum inibi existentium, & nostro jussu, & beneplacito factorum, & faciendorum super quosvis transeuntes, etiam excepto nullo penitus, vigore præsentium donantes concedimus in perpetuum tributum exigendum. Ita tamen ut quemadmodum nunc in S. Martino super firmam terram exigitur, sic eodem numero, & quantitate, in quibuslibet & singulis pontibus prædictis factis, & fiendis secundum modum supradictum, a quibuslibet exigatur. Datum in Vissegrad in festo B. Andreæ Apostoli. Anno Domini MCCCXXXV.

Seditio contra Episcopum conflata. Hactenus satis tranquille Ladislavus Caroli gratia nixus, & præsidio munitus Ecclesiam & diœcesim gubernaverat; cum ingens motus, ac seditio repente exorta in magnam eum sollicitudinem, ac perturbationem conjecit. Chalmensi Hungarum quemdam nomine Laurentium, Dombrensi oppido, ac territorio Joannem filium Marcelli, utrumque nobili genere ortum, gubernatorem præfecerat. Cum populos acerbissimis exactionibus divexarent, eos ab regimine amovit. Administrationis sibi ademptæ ignominia & dolore perciti incredibili adversus Episcopum odio iraque exardescunt. Confestim Michaelem Banum adeunt, quem Ladislavo iratum esse sciebant, propterea quod semel atque iterum ab rege admonendum & arguendum curaverat, cum mandata regis jubentis compellere populos illos ad decimas solvendas sive per incuriam, sive per malitiam negligeret. Huic rabiem doloremque suum impertiunt etiam atque etiam obtestantes, ut si minus aperte & palam, clam tamen & dissimulanter sibi adjumento esse velit, vel non sit impedimento ad Episcopum ulciscendum. Nec vero ille abnuit. Tum illi quam plurimos possunt ex vectigalibus & colonis Episcopalibus, ipso Bano cum filiis eos ad defectionem sollicitante, contra Episcopum concitarunt; ex his ingenti seditiosorum hominum manu conflata, domos eorum invadunt, qui in fide Episcopi & obsequio manserant, alias diripiunt, alias evertunt, alias incendunt. Tum in possessiones Ecclesiæ irruunt, arbores exscindunt, vineas demoliuntur, omnia devastant; deinde vectigalia, decimas, proventus Ecclesiasticos intervertunt; vicarios, judices, ceterosque administros curiæ episcopalis expellunt; eo denique furor & rabies processit, ut ipsi Episcopo insidias ac necem molirentur, qui e castello Ivanichii, cum ipsi parum tutus sibi locus ille videretur, clanculum excedere, & fuga saluti consulere necesse habuit. Postquam ferendi rapiendique libido exsatiata quiescere visa est, Ladislavus sub ferias Paschales anno 1336. vectigales, stipendiarios, cultoresque prædiorum Episcopalium, qui Chasmam, Dombram, Ivanichium incolebant, in oppidum Chalmæ convocavit; in eoque frequentissimo conventu auctores, socios, participes omnes sceleratæ illius coitionis ad suum tribunal citari jussit; & qui adesse abnuerunt, eos ad communi omnium sententia sollemni anathemate confixos bonis omnibus spoliavit, quæ in ditione Episcopali possidebant. Ceteri autem, qui peccatum suum, quod excusari non poterat, sponte confessi supplices nuncios ad Episcopum miserunt, ita veniam impunitatemque impetrarunt, ut si quid tale auderent in posterum, aut jus Episcopi & Ecclesiæ quoquo modo violarent, eo ipso facto absque ulla alia judiciali sententia, omnium bonorum suorum possessione deciderent. ab Episcopo anathemate confixi seditiosi

Regem appellant. Verum antesignani, & principes nefariæ conspirationis regem appellarunt multa de Episcopo questi; quod videlicet superbe avareque imperaret, & populos sibi subjectos, contra quam antiqua illorum jura & privilegia vetabant, gravi servitute opprimeret, & bonis avitis mulctaret; orare se atque obsecrare, ut nimiam, qua Episcopus in eos abutebatur, potestatem coerceret. Eorum dictis & querimoniis fidem habere, & precibus annuere Carolus visus est. Cum suis litteris suum internuncium ad Episcopum misit magnopere hortans, rogansque, ut cum populis illis ne summo jure agere velit, ad ea, quæ debent, præstanda facilius allici benignitate, quam severitate compelli; si quid reprehensione pœnave dignum admiserint, remittat illis & condonet, ademptasque possessiones restituat. Hæc regis erga perduelles lenitas & indulgentia mirum quantos illis attulit spiritus, quantamque audaciam injecit ad quælibet adversus Episcopum audenda. Cum autem cognitum esset, ab Ladislavo litteris regiis ita responsum fuisse, ut negaret se debere aut posse, quam in homines rebelles & contumaces tulerat, sententiam rescindere, antequam coram rege & eorum flagitia exponeret, & sui facti rationem redderet, tum vero illi rabie ac furore inflammati alios atque alios ad rebellionem pelliciunt, iterum arma capiunt, viros ecclesiasticos cædunt, possessiones Episcopi, & eorum, qui fidem Episcopo servaverant, invadunt, occupatasque inter se partiuntur; ipsi & magistratus & judices ubique constituunt,

tributa imperant, exiguntque acerbissime; denique ad vim & manus Episcopo inferendas conspirant. Quæ cum ad regem delata essent, ut erat suapte natura mitissimus, maluit rem ceteroqui atrocissimam per compositionem sedari, quam in judicium adduci, & quibus digna erat, pœnis gravissimis vindicari. Demetrio Præposito Budensi negotium dedit, ut populos illos de magnitudine & atrocitate scelerum, quæ commiserant, doceret & commonefaceret, gravi & blanda oratione castigaret simul & leniret; ut ablata restituerent, veniam ab Episcopo peterent, non hortatione solum, sed precibus etiam compelleret. Sed cum illi plura & majora postularent, quam, salva dignitate & jurisdictione episcopali, concedi possent; rem integram relinquendam, ac regiæ auctoritati reservandam Demetrius putavit. Rex vero, cum aliis curis, gravissimisque negotiis distineretur; quatuor viros eximiæ fidei atque integritatis huic caussæ cognoscendæ, dirimendæque controversiæ delegavit, Petrum Episcopum Sirmiensem, Thatamerum Præpositum Albensem, Thomam Vaivodam Transilvaniæ, & Paullum judicem curiæ regalis: qui omnes anno 1340., intra diem octavum post Pentecostem Visegradum convenerunt. Auctores & antesignani conflatæ adversus Episcopum seditionis, jussi per præconem citari, cum adfuissent, imperatum est illis, ut diplomata proferrent, quorum auctoritate niterentur privilegia illa, atque immunitates, quibus se præditos esse ad episcopalem jurisdictionem eludendam munitosque ajebant. Non alia se habere responderunt, nisi ea, quæ sibi, Episcopo, Ecclesiæ communia erant; in his jus suum, suamque libertatem contineri, & nimiam illam, quam in eos usurpabat Episcopus, potestatem coerceri. Duo diplomata protulit Ladislavus, alterum Andreæ II. alterum Belæ IV. regis; quæ cum inspecta essent, & lecta diligentissime, nihil in iis repertum est, quod illorum caussæ faveret; contra vero animadversum est amplissimam in populos sibi subjectos jurisdictionem Episcopo tribui, & nullis fere terminis circumscriptam. Præterea in disquisitionem ac judicium omnia vocata sunt, quæ illi ingrate, perfidiose, inique, furenter, & crudeliter gesserant. Quare judices delegati adjuncto sibi ad ejus caussæ cognitionem Nicolao Episcopo Agriensi, cum aliis optimatibus, tulerunt sententiam secundum Episcopum; eique homines illos rebelles & pervicaces, sive præsentes, sive absentes, bonis omnibus exutos, quæ intra fines diœcesis Zagrabiensis possidebant, puniendos tradiderunt: ideo, ajunt, *una cum Venerabili in Christo Patre Domino Nicolao Agriensi Ecclesiæ Episcopo &c. & aliis quam pluribus baronibus & nobilibus regni nobiscum in judicio assidentibus, eosdem populos universos se liberos prædiales fore persingentes, pro præmissis eorum enormitatibus, maleficiis, indebitis litigiis, & actionibus, tamquam calumniosos, falsos, rebelles, & infideles præfatis Domino Episcopo, & suæ Ecclesiæ Zagrabiensi esse, & fore, definitive sententiando, sufficienti tractatu, & plenissimo consilio, ac matura deliberatione ventilante, denunciavimus; & etiam nunc denunciamus in his scriptis, universos populos hujusmodi litem ingredientes, tam principaliter nunc adhærentes, tam etiam præscriptos absentes, ubicumque inventi fuerint, cum omnibus bonis & rebus eorum, mobilibus, & immobilibus, prædiis & possessionariis particulis quibuslibet intra metas possessionum dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis, ficto titulo & nomine possessionatorum prædialium hactenus possessis, & habitis, perpetuo ex nunc ab eisdem ablatis propter prædicta demerita ipsorum, & infidelitates, ad manus ipsius D. Episcopi Zagrabien. dedimus, tradidimus, ac assignavimus, prout demerentur, per ipsum Episcopum & suos officiales corrigendos.* Hanc sententiam Carolus rex anno eodem 1340. confirmavit. Multi ex conductoribus prædiorum episcopalium, præsertim principes nefariæ conspirationis, cum suæ caussæ diffiderent, sibique metuerent, judicium subterfugerunt, & exsilium sibi consciverunt; ceteri post latam sententiam comprehensi sunt, traditique in potestatem Episcopi; neque antea libertatem recuperare potuerunt, quam polliciti fuissent, datis coram rege prædibus, neque se, neque heredes suos umquam in terras episcopales regressuros; ad quas si forte accederent, eos capiendi, & puniendi per satellites & magistratus Episcopi potestas esset plenissima. Ita post seditiosas, ac turbulentas illas factiones, quæ Ladislavum per annos fere quatuor anxium & sollicitum habuerunt, pax & tranquillitas Ecclesiæ restituta est.

Præpositus Budensis eos placare jussus ab rege nihil proficit.

Quatuor judices ab rege delegati, sententiam ferunt secundum Episcopum.

Sententia quam [illegible] rex confirmavit.

Per eosdem annos Capitulo Zagrabiensi cum F. Henrico *Commendatore* de *Chernomel*, rectore, seu præceptore domus hospitalis S. Mariæ Ordinis Teutonici Cruciferorum, de decimis territorii Metlikensis controversia fuit. Oppidum ac territorium Metlichæ situm in ipsis confiniis Carnioliæ & Slavoniæ, intra terminos diœcesis Zagrabiensis inde usque a primordiis hujus Episcopatus continebatur; eratque tertia pars Archidiaconatus Goricensis, sive Guerchensis, cui codex pervetustus anno 1334. conscriptus has parœcias attribuit. *In Metlicka Ecclesia B. Virginis circa castellum Matrix, hujus filiæ sunt S. Nicolai de foro; Item Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi, S. Viti, & S. Trinitatis. Item Ecclesia S. Petri de Chernomel Matrix; hujus filiæ S. Joannis Baptistæ de Doblich, & S. Irenæi &c.* Cetera prætermitto. Post Templarios extinctos, vel sæculo superiori post calamitatem Tartaricam, Fratribus Teutonicis ob fidelem operam ac perutilem Belæ IV. regi navatam tradita fuit Ecclesia S. Petri de *Chernomel*, cum Ecclesiis ei subjectis, & earumdem proventibus, salva jurisdictione Zagrabiensis Episcopi, itemque solutione decimarum, quas Stephanus II. Episcopus Zagrabiensis, ut supra diximus, cum reliquis omnibus decimis Archidiaconatus Guerchensis, quæ quidem omnia præter quartum Archidiacono debitum ad Episcopum spectabant, Capitulo Zagrabiensi donaverat. Dum Ladislavus huic Ecclesiæ præsidebat, F. Henricus Rector domus hospitalis S. Mariæ erat Commendator Ecclesiæ S. Petri de *Chernomel*. Is non solum ex agris Sacerdotii Chernomelensis sibi commendati, sed ex universo propemodum territorio Metlikensi decimas percipiendi jus sibi vindicabat; & parochos illorum locorum, ut sibi suæque caussæ faverent, tertiam partem decimarum se daturum spoponderat. Decimas suas repetere, & persequi lite atque judicio apud Ladislavum Canonici decreverunt; sed cum Henricus negaret se, & fratres sui Ordinis Episcopo subjectos esse, quos pontificia diplomata jurisdictioni episco-

Lis gravis & diuturna Capitulo fuit cum Henrico & fratribus Cruciferis de decimis territorii Metlikensis.

pali

pali eximebant; necesse fuit controversiam illam ad Sedem Apostolicam deferri. Itaque Avenionem duo ex Capitulo missi sunt Jacobus lector & vicarius generalis Episcopi, & Joannes Archidiaconus Goricensis, sive Guerchensis, cujus præcipue intererat caussa cadere Henricum, quippe cum ei quarta pars decimarum e suo Archidiaconatu obveniret. Benedictus XII. Internuncios Capituli Zagrabiensis perhumaniter accepit, & auditis illorum postulatis & querimoniis, illius caussæ cognitionem delegavit Joanni cœnobiarchæ S. Mariæ de Toplica, Ordinis Cisterciensis, his ad eum litteris datis.

Benedicti XII. ad Joannem Ab. Cister. Epistola.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Abbati monasterii S. Mariæ de Toplica Zagrabiensis diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius Ecclesiæ alienata inveneris illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Ecclesiæ legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes vero, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avenione IV. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno IV. idest, anno æræ vulgaris 1338.

F. Henricus semel atque iterum citatus, demum cum Joanne Archid. procuratore Capituli secundo vocatus adfuit.

Nescio quid caussæ interfuerit, cur Joannes Abbas Cisterciensis cognitionem hujus caussæ sibi a Pontifice delegatam in annum proximum distulerit. Anno igitur 1339. Joannes F. Henricum citari jussit, eique diem decimum quintum Septembris ad comparendum edixit. Nec vero ille comparuit; & Joanne Archidiacono Guerchensi non abnuente, prorogata est illi dies ad v. Idus Novembris, & simul locus utrique parti ad conveniendum designatus fuit Zagrabiæ in cœnobio fratrum Cisterciensium S. Mariæ anno v. Benedicti XII., qui congruit cum anno Christi 1339. Die, & loco statuto adfuit Henricus; adfuit etiam Joannes Archidiaconus nomine jussuque Capituli Zagrabiensis, qui contra Henricum actionem his verbis instituit.

Lis ab Archidiacono contestata, seu libellus ab eo productus corā judice delegato.

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem 1339. *Pontificatus Sanctissimi Pat. D. Benedicti divina providentia, sanctissimæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Summi Pontificis anno quinto. Coram vobis D. F. Joanne Abbate conventus Ecclesiæ & monasterii S. Mariæ de Toplica Zagrabiensis diœcesis judice a Sede Apostolica delegato; Ego Joannes Archidiaconus de Guerche, procurator Capituli Zagrabiensis Ecclesiæ, dico nomine ejusdem Ecclesiæ, & proprio: quod cum decimæ, sive reditus decimales provinciæ Metlikæ, sicut & aliæ decimæ in Archidiaconatu de Guerche, ex institutione, & ordinatione antiqua, ratione quartæ de rebus, sive bonis episcopalibus Ecclesiæ Zagrabiensis, ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ pertineant, de cujus Ecclesiæ diœcesi existunt, frater Henricus Ordinis Cruciferorum domus Teutonicæ, præceptor, seu commendator de Chernomel in Metlika, ipsas decimas cum suis participibus laicis, & aliquibus suis prædecessoribus, tempore manifestarum guerrarum in regno Hungariæ, contra Deum, & justitiam, in grave detrimentum & præjudicium ipsius Capituli usurpatas percipiunt, & hucusque perceperunt. Quare nomine procuratorio ipsius Capituli, peto compelli eumdem F. Henricum præceptorem, & fratres suos desistere a perceptione eorumdem redituum, seu proventuum decimalium in provinciola de Metlika, & ibi locis adhærentibus, & ab impositione, sive molestatione hujusmodi compesci; & eidem Zagrabiensi Capitulo dictos reditus, sive proventus decimales in eadem provinciola & locis ibi adhærentibus esse de pertinentiis decimationis Capituli supra dicti, tamquam de existentibus infra limites diœcesis Zagrabiensis, usque Ecclesiam Beatiss. Stephani regis de Zemch inclusive. Quæ ecclesia cum sua parochia & capellis, circa, & extra limites Aquilejensis diœcesis existit, parte in illa; & abhinc limes protenditur ad cacumen montium versus Aquilonem directe, Ecclesias de Sibistiam, de Silemberg, & ad Gracham, ad Zagrabiensis Ecclesiæ diœcesim includendo; salvo jure mihi semper addendi, minuendi, vel mutandi præmissa, vel ex iis aliqua, prout videbitur expedire. Actum in claustro S. Mariæ de Zagrabia; anno & die prænotatis.*

Henricus ad ea nihil respondenti dies ad respondendū tertio prorogata.

Ad ea, quæ Archidiaconus exposuerat, litemque contestatam nihil reposuit Henricus, sed postulavit, ut dies sibi ad respondendum prorogaretur. Dilata illi fuit dies in annum proximum, & constituta prima Julii, quæ octava erat post sollemnem natalem diem S. Joannis Baptistæ: qua quidem die cum ad judicium neque Henricus, neque ullus, qui ejus caussam ageret, ab eo missus procurator non fuisset, eum Joannes contumaciæ damnavit; & Capitulo jus exigendi decimas aliosque proventus ex territorio Metlikensi, totoque Archidiaconatu Guerchensi adjudicavit; suæ tamen sententiæ hanc clausulam addere voluit, videlicet integrum esse Henrico, si vellet, tabulas ac testes, quibus suam caussam tueretur, in judicium proferre atque adducere. Hæc omnia ex ipsis actis judicialibus, quæ hic subjicio.

Acta in caussa decimarum Metlichensium.

In nomine Domini amen. Anno ejus millesimo, tercentesimo, quadragesimo, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Dom. Benedicti duodecimi, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summi Pontificis anno sexto, F. Joannes Ordinis Cisterciensis Abbas conventus, Ecclesiæ & monasterii S. Mariæ de Toplica Zagrabiensis diœcesis, judex unicus ad infrascripta a Sede Apostolica delegatus, universis præsentium notitiam habituris salutem in Domino. Litteras Sanctissimi Patris Dom. Benedicti Papæ supradicti, ejus Bulla plumbea in filo canapis, more Romanæ curiæ bullatas, veras, & integras, ac omni suspicione carentes, pro parte Ecclesiæ Zagrabiensis, & Venerabilium virorum Capituli ejusdem Ecclesiæ per Reverendum Virum D. Jacobum lectorem generalem vicarium Venerabilis in Christo Patris D. Ladislai Dei, & Apostolicæ Sedis gratia ejusdem Zagrab. Ecclesiæ Episcopi exhibitas, nos percepisse noveritis in hæc verba: Benedictus &c, ut supra.

Quibus quidem litteris Apostolicis per nos cum ea, qua decuit, reverentia receptis, idem D. Jacobus Vicarius nomine ejusdem Capituli Zagrab. Ecclesiæ graviter est conquestus: quod religiosus vir F. Henricus Ordinis Cruciferorum, Domus Teutonicæ Commendator, seu Præceptor domus ejusdem de Chernomel in Metlika, & Fratres ejus, decimas ibidem, & circumquaque, ad ipsum Capitulum pertinentes, indebite occupatas percipiebant; quas petebat ad jus & proprietatem Ecclesiæ Zagrabiensis, & per consequens Capituli ejusdem reduci, sicut habebamus

mus per Apostolicas litteras in mandatis. Nos vero ordine juris procedentes dictum F. Henricum, & Fratres suos contra dictum Capitulum citari fecimus, octavum diem festi nativitatis Beatæ Virginis eisdem coram nobis comparendi pro termino assignantes. Et quoniam eodem termino adveniente, idem F. Henricus, & Fratres sui non curarunt comparere contra Capitulum supra dictum; Venerabili vero Domino Joanne Archidiacono de Querche procuratore ejusdem Capituli legitimo, ipsorum contumacia accusante. Ideo eosdem F. Henricum & suos Fratres secundario & peremptorie fecimus ad nostram præsentiam evocari, & citari contra idem Capitulum, eis octavum diem post festum omnium Sanctorum ex tunc coram nobis comparendi pro termino assignando. Quo termino occurrente, & nobis in Claustro S. Mariæ nostri Ordinis existentibus Zagrabiæ propter copiam peritorum, prædictus F. Henricus Præceptor, sive Commendator de Chernomel in Metlika comparuit in judicio coram nobis. Cui quidem per prædictum D. Joannem Procuratorem sæpe dicti Capituli oblatus fuit libellus in hæc verba.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem 1339. &c. ut supra.

Tandem ad petitionem ejusdem F. Henrici pro se, & suis Fratribus, de consensu sæpe dicti D. Joannis Archidiaconi procuratoris Capituli ante dicti, cum F. Henrico, & suis fratribus ad respondendum peremptorie ad prædictum libellum, & in contentis concessimus pro termino octavum diem nativitatis B. Joannis Baptistæ proxime venturum, ipso F. Henrico pro se, & suis fratribus consentiente, & acceptante dictum terminum ad hunc finem, & in Claustro prædicto. Demum adveniente prædicto termino, scilicet octavo die festi S. Joannis Baptistæ, idem Frater Henricus non comparuit, nec aliquis ex fratribus suis; imo nec misit aliquem nuncium simplicem, saltem ad aliquam excusationem allegandam, nobis ipsum ex tunc quatuor diebus immediate sequentibus ad reverentiam sui ordinis expectantibus; ipso Joanne Archidiacono comparente semper, & ejusdem F. Henrici, & suorum fratrum contumaciam fortius accusante, petenteque se nomine ejusdem Capituli mitti in possessionem decimationis supradictæ juxta formam oblati libelli. Quare non volentes ulterius in offensam juris, & præjudicium dicti Capituli, sæpe dicti F. Henrici, & suorum fratrum contumaciam manifestam sustinere, utpote qui ad peremptoriam responsionem sponte assumptam, sicut superius exprimitur, non curarunt comparere, vel saltem aliquem excusatorem mittere; eumdem D. Joannem Archidiaconum procuratorem sæpe dicti Capituli, & nomine ejusdem in possessionem omnium percipiendorum redituum, seu proventuum decimalium in provinciola Metlikæ de Stbeslain, de Sibenberg, & de Gracham cum suis pertinentiis, tamquam infra limites diœcesis Zagrabiensis existentium, juxta tenorem petitionis ejusdem Archidiaconi superius contentæ, de consilio peritorum, & proborum, tunc nobis assidentium causa rei servandæ, auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa induximus, & inducimus in his scriptis. Per hoc tamen nolumus ipsi F. Henrico, suis fratribus, & suo ordini aliquod præjudicium generare; quin possint, si voluerint, recuperare possessionem omnium præmissorum, in quantum a jure permissum reperitur. Actum in Claustro S. Mariæ supradicto die quinto post octavam B. Joannis Baptistæ, anno prænotato. In præmissorum autem omnium testimonio nostrum sigillum præsentibus duximus appendendum.

Sententia Joannis Cœnobiarchæ To piceni secundum Canonicos Zagrabienses.

Henricus, & fratres domus hospitalis S. Mariæ ob contumaciam anathemate confixi.

Cum Henricus neque huic sententiæ parere, neque a decimis, unde prohibitus fuerat, exigendis abstinere, neque iterum ac sæpius monitus & citatus ad suam caussam agendam adesse vellet, Joannes ea, qua præditus erat, Apostolica auctoritate illum veluti contumacem, itemque Fratres domus hospitalis S. Mariæ anathemate ferit. Hanc sententiam, censuramque Henrico inflictam confirmavit Clemens VI. proximus Benedicti XII. successor. Pontificium Clementis diploma proferemus in Jacobo II., proximo itidem post Ladislavum Episcopo Zagrabiensi.

Mors Caroli regis Hungariæ. Ludovicus filius regni heres, & successor.

Anno 1342. Carolus rex Hungariæ de regno universo, de Episcopo, & Ecclesia Zagrabiensi eximie meritus ingenti omnium mærore decessit. Tres filios reliquit, Ludovicum, ad quem utpote natu maximum Hungariæ regnum pervenit, Andream, quem septentem Parens anno 1333. Neapolim duxerat, & Roberto regi Patruo suo in tutelam tradiderat, huic successorem regnique heredem futurum, denique Stephanum jure donatum ac titulo Ducis Chrobatiæ. Anno proximo Robertus itidem mortuus est. Huic in regnum Neapolitanum successit Andreas filius Caroli, & frater Ludovici regis Hungariæ, cui desponsa fuerat Joanna neptis Roberti ex hujus filio Carolo Duce Calabriæ præmortuo, ex qua regnum illud pro dote obvenit. Verum Joanna, ut erat femina ambitiosa, præterito & secluso Andrea viro suo, sibi uni & regium diadema ab Legato Pontificio imponi voluit, & plenam totius regni administrationem vindicavit. At Ludovicus Clementem Pontificem per litteras & oratores rogare & urgere non antea destitit, quam is Legatum Apostolicum Neapolim mitteret, ut regis titulum & insignia Andreæ fratri traderet, juberetque Joannam virum suum in regni societatem admittere; id quod Andreæ paullo post exitio fuit; nam a sceleratis hominibus per summam perfidiam & immanitatem interfectus est anno 1345. Huic tam execrando facinori Joannam ejus uxorem conscium fuisse vehemens suspicio fuit, cum alias ob caussas, tum vero ob quæstiones de viri nece leviter, & negligenter habitas, itemque ob statim expetitas nuptias Ludovici Tarentini consanguinei sui, quem permissu Pontificis matrimonio sibi copulavit.

Ludovici erga Ladislavum Episc. & Ecclesiam Zagrabien. beneficentia.

Ludovicus ergo natus annos septem & decem eximia spe summæ virtutis magnique animi adolescens regni paterni administrationem suscepit ingenti omnium lætitia & expectatione, quam non implevit modo, sed etiam superavit. Hic nihilo minus, quam ejus Parens, benevolum & beneficum Ecclesiæ & Ladislavo Episcopo Zagrabiensi se præbuit. Rogatu Ladislavi duo diplomata fecit; altero privilegia, & jura omnia, atque immunitates ejusdem Ecclesiæ confirmavit anno 1342., altero jussit Michaelem Banum Slavoniæ sedulo curare, ac vim etiam adhibere, ut omnes Episcopo & Ecclesiæ Zagrabiensi decimas persolverent. Ad innumerabilia Ladislavi in hanc Ecclesiam merita postremus, duobus hisce beneficiis ab Ludovico impetratis, veluti cumulus

ac-

Digitized by Google

accessit: anno siquidem 1343. Zagrabiensem cum Sede Archiepiscopali Colocensi commutavit.

Ladislavus ad Sedem Colocensem translatus,

Ad cetera ejus praeclare facta, utiliterque ad praesidium, decus, & incrementum rei Christianae, & Ecclesiasticae haec addi possunt. Homines litteratos summopere amavit, & coluit. Auctor fuit Joanni Archidiacono Guerchensi, ut nomina & acta Episcoporum Zagrabiensium summatim describeret, atque ad suam usque aetatem perduceret. Item *Capitula*, *privilegia statuta* Ecclesiae Zagrabiensis, in plures libros, servatis temporum ordinibus, dispertienda, atque in unum volumen colligenda curavit. In oppido Ivanichi Sedem & curiam Episcopalem colli peramaeno impositam extruxit, & ornavit; Chasmensem quoque restaurasse dicitur; ejusque Litteras Pontificales plerasque Chasmae, aliquot etiam in *Castro novo de Ivanich* datas fuisse tradit Kereselichius. Possessiones Vinodali, Peeghi, & Bresci, quas jure fiduciario sibi traditas obtinebat Abbas Toplicensis, repetiit ac revocavit in potestatem utilitatemque Mensae Episcopalis. Portorium & vectigal singulis pontibus ditionis Episcopalis impositum in refectionem & munitionem tum Castri novi, tum arcis Ivanichii converti impendique jussit. Fratres Eremitas S. Paulli parentis & magistri vitae anachoriticae ac solitariae eximia benevolentia, & beneficentia prosecutus eorum possessiones decimarum onere exemptas & immunes per sententiam Tatemeri Praepositi Chasmensis declarari jussit; & Canonici Zagrabienses, ut Ladislavi voluntati ac postulatis morem gererent, Fratribus Paullinis Remetensibus quasdam terras mensae Capituli detractas, eorumque agris contiguas donarunt.

alia ejusdem insignia in Eccles. Zagrab. promerita.

JACOBUS III. EP. ZAGRAB. XXIX.

Jacobus Placentinus ex Chanadiensi Episcopus Zagrabiensis.

Oriundus e Placentia, urbe nobilissima Galliae togatae, *Physicus*, idest Medicus Caroli regis Hungariae. Aula regia relicta, ecclesiasticae militiae nomen dedit. Anno 1333. Episcopatum Chanadiensem obtinuit. Post Ladislavum ad Colocensem Sedem translatum Clemens VI. Jacobum Chanadiensibus ademptum Zagrabiensi Ecclesiae Episcopum praefecit an. 1343., ut docet album Capitulare: *D. Jacobus de Placentia, qui fuit primo Physicus dicti Caroli regis, postea Episcopus Chanad; & hinc translatus in Episcopum Zagrab. per eumdem D. Clementem*. Joannes Canonicus Quinqueecclesiensis, ut est apud Ritterum, jubente rege Ludovico, Jacobum in possessionem sedis, & bonorum episcopalium ex juris formula misit. Stephanus, & Akus filii Michaelis quondam Bani Slavoniae post mortem parentis, instigantibus iniquis hominibus, qui ob caussam decimarum inimici erant, infensique Capitulo, terras sane multas, vineasque ad mensam Capitularem spectantes temere ac violenter invaserant, vi atque armis retinebant; ac praeterea decimas territorii Kemlekensis interverterant. In jus vocati ad regium tribunal, cum injustae, & violentae usurpationis nullam caussam probabilem reddere possent, & se aliena instigatione impulsos fecisse dicerent, injuste ablata dimittere coacti sunt. Rex vero per litteras anno 1343. *feria sexta ante festum S. Georgii* scriptas Capitulo Quinqueecclesiensi mandatum dedit, ut e suo collegio duos, tresve perspectae integritatis & fidei viros deligerent, qui cum Nicolao Thelech administro curiae Banalis possessiones illas Canonicis Zagrabiensibus restitutas lustrarent, recognoscerent, circuirent, & veteres terminos renovarent ac statuerent, quibus olim definitas fuisse ex testificatione seniorum hominum comperissent. Regiis mandatis obtemperatum fuit; & rege approbante, Capitulum Zagrabiense antiquam bonorum ac proventuum suorum possessionem recuperavit.

Filii Michaelis Bani terras, & decimas Capitulo ereptas ex regio mandato restituere,

Vix Jacobus hujus Ecclesiae regimen susceperat, cum aeque illi, atque ejus decessori Ladislavo, pravi quidam homines, & contumaces solutionem decimarum detrectantes veterem curam molestiamque renovarunt. Sed Episcopo ad jus suum, & Ecclesiae obtinendum praesto fuit auctoritas Ludovici regis, & severissimum de solvendis decimis mandatum; ad quod exsequendum nihilo segniorem se praebuit Nicolaus Banus Slavoniae, qui Episcopum summopere amabat & reverebatur ob cognationem spiritualem, qua Jacobus Banum, hujus filio e sacro fonte Baptismatis suscepto, sibi devinxerat. Neque enim solum edictum regium ubique promulgandum curavit, eique suas litteras plenas minarum ac terroris adjunxit, sed etiam exactoribus decimarum Episcopalium homines de sua curia, & satellites adjunxit, qui nolentes, & pertinaces ad solutionem decimarum compellerent: *quibus*, inquit, *dedimus, & contulimus auctoritatem nostram, vos, & quemlibet vestrum compellendi, si secus, quod absit, in praemissis, vel aliquo praemissorum feceritis*. Verum ipsemet Nicolaus non scienter ille quidem, sed per ignorantiam in eo peccavit, unde alios metu poenarum absterrebat, & ipsam, cujus vindicem acerrimum se profitebatur, immunitatem ac libertatem ecclesiasticam imprudens violavit. Civitatem Capitularem, & Episcopalem, in qua Vicus olim Latinorum, veluti sacram, reges Hungariae omni regiorum Praefectorum jurisdictione exemptam esse voluerant, & multis privilegiis atque immunitatibus donaverant, quarum ignarus cum esset Nicolaus, Villae, seu Vico Latinorum tributum imposuit. Sed Jacobi admonitu, jussuque regis statim illud removit ac sustulit, & suam ipse ignorantiam suis litteris declaravit: *Cum nos*, inquit, *ex gratia excellentissimi principis D. Ludovici Dei gratia regis Hungariae, dignitatem Banatus Sclavoniae fuissemus adepti; adhibuissemusque curam diligentem unumquemque, & maxime Matrem S. Ecclesiam conservare in suo jure, juxta ejusdem principis mandatum hac de re speciale; quia tamen subito nequiveramus omnia nobis incumbentia pensare ad plenum, contigit quod inductione quorumdam, quae nobis justa videbatur tributum exigendi, & locum tributi ordinavimus, & ordinari fecimus in Villa, Vicus Latinorum vocata, apud Ecclesiam S. Antonii Zagrabiae, in civitate videlicet Ven. in Christo Patris & D. Jacobi Episcopi Zagrabiensis, & Ecclesiae suae. Tandem quia per privilegia Ecclesiae ipsius, & informationes proborum virorum nobis constitit evidenter, quod dictum tributum ibi positum erat contra privilegia ipsius Ecclesiae, & nostram conscientiam; ideo nolentes contra libertatem ecclesiasticam procedere, de dicta Villa Domini Episcopi, praefatum tributum tenore praesentium, & per praesentes removemus, & duximus removendum; & specialiter quia Dominus rex noster per suas*

& solutionem decimarum Episcopali solvere coguntur.

Digitized by Google

suas litteras speciales nobis mandavit, quod de dicta villa præfatum tributum removere deberemus. ***Datum Zagrabiæ III, die post octavas Paschæ, Anno Domini 1344.***

Capitulum tres villas sibi a civibus Græcensibus ademptas recuperavit.

De tribus villis Kobilia, Zviblian, & Narth sibi ademptis Capitulum Civitati regiæ litem intendit apud Laurentium Tavernicum Judicem ab rege datum, Res diu multumque agitata fuit. Demum Canonici tum antiquis monumentis, tum potissimum recentiori Caroli regis privilegio, quod Ludovicus confirmaverat, suffulti nixique caussam obtinuerunt.

Sententiam & censuram Abbatis Toplicensis in Henricum, & Fratres domus S. Mariæ latam Clemens VI. confirmat;

Sententiam Joannis Abbatis Toplicensis, censuramque F. Henrico Rectori domus hospitalis S. Mariæ, & Fratribus Cruciferis ejusdem domus ante quinquennium inflictam, cum ei parere abnuerent, & obluctari pergerent, Clemens VI. rogatu Canonicorum Zagrabiensium confirmavit; & litteris datis ad Joannem Abbatem cœnobii Zagrabiensis ex Ordine Cisterciensium, atque ad Ladislavum Rectorem cœnobii Dominicani Zagrabiensis, itemque ad quemdam Administrum curiæ Episcopalis, imperavit, ut sententiam Joannis Cœnobiarchæ Toplicensis contra F. Henricum prolatam, interposita auctoritate Apostolica, exsequendam omnino curarent.

Litteris datis ad Joannem Abbatem Cisterciensem S. Mariæ, Ladislavum Præsidem Cœnobii Dominicani, & Administrum curiæ Episcopalis.

Clemens Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati Monasterii S. Mariæ, & Priori Fratrum Ordinis Prædicatorum Zagrabien., ac Officiali Zagrabien. Salut. & Ap. Benedict. Sua nobis dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Zagrab. petitione monstrarunt, quod olim ipsi ad Abbatem S. Mariæ monasteri de Toplica Zagrab. Diœc. Apostolicas sub ea forma litteras impetrarunt, & ea, quæ de bonis ipsius Ecclesiæ idem Abbas alienata inveniret illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Ecclesiæ legitime revocare curaret; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; ac Henricum Commendatorem ac Fratres domus hospitalis S. Mariæ Teutonicorum de Chernomel dictæ Diœcesis, fecerunt coram eodem Abbate, auctoritate dictarum litterarum ad judicium evocari, quodam oblato libello, in quo proposuerant, quod licet perceptio decimarum provenientium ex fructibus terrarum, possessionum, & aliorum bonorum consistentium in loco, dicto Provinciola de Metlika, & ejus adhærentiis dictæ Diœcesis, ad eosdem Capitulum de antiqua & approbata, & hactenus pacifice observata consuetudine pertineret; & tam ipsi, quam prædecessores eorum fuissent in pacifica possessione vel quasi jure percipiendi dictas decimas a tempore, cujus contrarii memoria non extabat; tamen Henricus Commendator, & Fratres prædicti, decimas ipsas, & possessionem percipiendi easdem temere contra justitiam usurparunt, & occuparunt, dictasque decimas perceperant, & percipiebant, ac alienatas & distractas indebite retinuerant, & retinebant. Quare petebant eosdem Commendatorem, & fratres compelli desistere ab occupatione, usurpatione, & perceptione dictarum decimarum; dictasque decimas, & possessionem percipiendi easdem ad jus & proprietatem ejusdem Ecclesiæ revocari, ipsosque Commendatorem & fratres ab hujusmodi impedimento compesci; dictusque Abbas ad instantiam dictorum Capituli, eisdem Commendatori & fratribus ad respondendum dicto libello, vel dicendum caussam rationabilem, quare ei respondere non deberent, certum competentem peremptorium terminum assignavit; in quo præfatis Capitulo, coram eodem Abbate, in judicio comparentibus, & prædictorum commendatoris & fratrum non comparentium contumaciam accusantibus; & propter hujusmodi eorum contumaciam, se in possessione percipiendi dictas decimas in eodem libello petitas, causa rei servandæ, mitti petentibus, præfatus Abbas eosdem commendatorem, & fratres ad dicendum causam rationabilem, si quam haberent, quare hujusmodi missio fieri non deberet, coram se citari fecit ad competentem peremptorium certum diem; in qua prædictis Capitulo coram eodem Abbate in judicio comparentibus, & prædictorum commendatoris, & fratrum non comparentium contumaciam accusantibus; & in eorum contumaciam non comparendo ad respondendum dicto libello, in eamdem possessionem se mitti petentibus; præfatus Abbas reputans eosdem commendatorem & fratres, quod hic prout . . . . . exigente justitia contumaces, propter hujusmodi eorum contumaciam in non comparendo ad respondendum dicto libello, recepta prius informatione summaria, præfatos Capitulum, in possessione percipiendi dictas decimas in eodem libello petitas, caussa rei servandæ, mittendos fore decrevit, & misit. Et tamen cum ab hujusmodi decreto, & . . . . . non fuisset infra tempus legitimum appellatum, ac præfatus Henricus Commendator, infra tempus a jure statutum, non curans super præmissis juri parere, easdem decimas pro se, & aliis percipere præsumeret, dictosque Capitulum in possessione percipiendi eas decimas contra justitiam impediret; præfatus Abbas, cum præmissa adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, eumdem commendatorem canonice moneri fecit, ut infra certum alium peremptorium terminum competentem ab hujusmodi perceptione & impedimento desisteret, vel interim coram eo caussam, si quam haberet, rationabilem allegaret, cur monitioni hujusmodi minime parere deberet: pro qua prædictus Commendator infra prædictum ultimum terminum, vel post, eidem monitioni parere contumaciter non curans, nullam proponens caussam rationabilem, pro qua ei parere minime teneretur; prædictus Abbas in eumdem Henricum Commendatorem excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit. Quare prædicti Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut eamdem excommunicationis sententiam robur faceremus firmitatis debitæ obtinere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam excommunicationis, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra, appellatione remota, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: non obstante indulgentia, quam sibi Prior Ordini suo a Sede Apostolica dicit esse concessam, quod ipsius Ordinis Fratres non teneantur se intromittere de quibuscumque negotiis, quæ eis per ejusdem sedis litteras committuntur, nisi in eisdem litteris de concessione hujusmodi plena, & expressa mentio habeatur. Quod si non omnes his exsequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Avenione Kal. Decembris, Pontific. nostri anno quarto, idest an. 1345.

Pontificiis mandatis obtemperatum quidem est, sed serius, quam oportuit; nec mihi compertum est, quæ caussa eorum executionem in annum 1349. distulerit, cum Sedes Zagrabiensis, Jacobo Episcopo vita functo, vacabat; ac pro-

propterea nullus ex administris curiæ Episcopalis adfuit, qui cum cœnobiarcha sanctæ Mariæ, & Præside cœnobii Dominicani in contumaces sententiam ferret, ut infra dicemus.

Canonici Zagrabienses fratribus Paullinis Remetensibus fundos quosdam donarunt.

Anno 1346. Canonici Zagrabienses quasdam terras frugiferas cum vineis, agris, pascuis, silvis Ecclesiæ B. Virginis, & cœnobio Paullino Remetensi donarunt. In tabulis donationis diserte additum est, ut ex omnibus fundis eidem traditis decimas Capitulum perciperet, præterquam ex illis, quos fratres ipsi suis manibus & laboribus colerent; itemque ut fratres non alios, nisi Canonicos Zagrabienses, tamquam patronos sui monasterii, suæque Ecclesiæ agnoscerent, eisque omnia, quæ clientes solent, officia præstarent. Delecti sunt e Capitulo Nicolaus Camarcensis, Joannes Guerchensis Archidiaconi, & tres alii Canonici, qui terras fratribus Paullinis traditas certis & fixis limitibus circumscriberent; idque firmatum est publicis litteris utroque signo tum Capituli, tum monasterii obsignatis.

Ludovicus rex Hungariæ regni Neapolitani potitur.

Anno Christi 1347, altero post infandam necem Andreæ regi Neapolitano Joannæ uxoris, ut suspicio fuit, machinatione illatam, Ludovicus, tum fraternæ cædis ulciscendæ, tum regni Neapolitani potiundi cupidine stimulante, illuc suos duces cum aliquot copiis præmisit, quas ipse cum exercitu subsecutus est itinere terrestri, nam maritimum a Venetis sibi interclusum iri existimabat. Hujus adventum fuga præverterat Joanna, & cum Ludovico Tarentino viro suo ad partes Galliæ contendens in provinciam, quæ juris sui erat, se recepit. Ludovicus regnum Neapolitanum fere sine ullo certamine subegit, & Carolum Ducem Dyrrhachii, ceterosque fraternæ cædis participes, quo digni habiti sunt, supplicio affecit. Hungaricis præsidiis regno firmato, & magistratibus item Hungaricis regimini civitatum præpositis, anno 1348. in Hungariam rediit. Sub reditum ad proceres & nobiles viros Slavoniæ de solvendis Ecclesiæ decimis severissimum mandatum dedit, & Nicolao Bano, aliisque inferioribus magistratibus, ut eos ad solvendum compelleret, imperavit. Hoc eodem anno 1348. Jacobus Episcopus tertio Idus Maji, ut concordiæ & tranquillitati utriusque Capituli Zagrabiensis, & Chasmensis consuleret, & caussam omnem discordiarum præcideret, edicto cavit, ne alter alterum verbis contumeliosis offenderet, & siquis aliquem conviciis, probris, maledictis incesseret, eum tribus marchis in usus Ecclesiæ convertendis mulctari jussit; & qui convicio læsus injuriam patienter tulerit, huic totidem marchas ab eo, qui læsit, solvendas esse decrevit. Item eodem anno *feria proxima ante festum S. Caciliæ* recognitionem terrarum Episcopalium, quam ante biennium fieri jusserat per Joannem Cantorem, Bartholomæum Custodem, & Thomam Decanum Capituli Chasmensis, & descriptionem finium, quos ipsi constituerant, suis litteris episcopali signo obsignatis approbavit.

Decretum Jacobi Episcopi.

Episcopus Corbaviæ de septem Villis litem intendit Capitulo Zagrabiensi.

Ut diœcesis Zagrabiensis, sic etiam jurisdictio Archidiaconatus Guerchensis ultra Savum in Chrobatiam producta Corbaviam, finesque diœcesis Corbaviensis attingebat. Septem erant villæ positæ in ipsis confiniis utriusque diœcesis, de quibus Radozlavus Episcopus Corbaviæ litem intendit tum Joanni Archidiacono Guerchensi, tum Capitulo Zagrabiensi, questusque est apud Nicolaum Banum Slavoniæ & Chrobatiæ injuriam sibi fieri tum ab Archidiacono, tum a Canonicis Zagrabiensibus, quod villas, jusque decimas ex illis exigendi sibi præripuissent. Banus diem utrisque ad suam caussam agendam constituit, qui erat octavus post sollemnia S. Stephani regis: quo quidem præstituto die Radozlavus neque per se ipse, neque per procuratorem adfuit. Joannes Archidiaconus & suo, & Capituli nomine cum protulisset recentem sententiam Joannis Abbatis Toplicensis, quæ caussæ Zagrabiensi satis perspicue favebat, Banus secundum Canonicos, & Archidiaconum judicavit.

Sententia Nicolai Bani Slavoniæ & Chrobatiæ.

Nos Nicolaus totius Sclavoniæ, & Croatiæ Banus tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis: quod cum Vener. Pater D. F. Radozlaus Dei gratia Corbaviensis Episcopus nobis deposuisset querelam contra Venerabiles viros Capitulum Zagrabien., & D. Joannem Archidiaconum Guerche dicens, quod ipsi decimas de Kladussa, & quarumdam aliarum villarum indebite, & potentialiter occupassent, & jam a plurimis annis percepissent: petens ut ipsas decimas sibi restitueremus: quas quidem decimas ad instantiam dicti Domini Episcopi fecimus prohibere, ne darentur Capitulo, & etiam ipsi Episcopo, donec jura utriusque partis super his videremus. Tandem mandavimus prædictis Capitulo & Archidiacono, ac etiam eidem Episcopo, ut sua jura nobis exhiberent, quibus mediantibus dicunt ad se ipsas decimas pertinere, assignantes ad hæc pro termino octavas B. Regis Stephani primo vacaturas. Quo adveniente termino idem D. Episcopus non comparuit, nec misit, nec sua jura curavit exhibere, per ipsos Capitulum Zagrabiense, & Joannem Archidiaconum ipso termino, & sex diebus sequentibus legitime expectatis. Demum ipsi Capitulum & D. Joannes Archidiaconus, exhibuerunt nobis litteras F. Joannis Abbatis Toplicensis monasterii, judicis a Sede Apostolica delegati, in quibus inter cetera vidimus contineri, quod prædicti Capitulum, & D. Joannes Archidiaconus decimas de Kladussa, & parochiæ B. Martini de eadem, & parochiæ B. Virg. Gradecz, & etiam villarum Chezca, Tremisch, Messzib, Hebethke, & Moztische vocatarum, non occupaverant indebite, & potentialiter, sed juris ordine acquisierant, coram ipso Sedis Apostolicæ delegato. Quare nos ipsas decimas, non ad ipsum Episcopum, sed ad prædictum Capitulum Zagrabiense, & Archidiaconum de Guerche invenimus juridice pertinere. Et ideo de cetero ipsas decimas parochiarum, & villarum prædictarum pacifice percipiant, sicut debent, Capitulum Zagrabien. & Archidiaconus de Guerche supradicti. Datum feria tertia proxima post prædictas Octavas festi B. Regis Stephani anno Domini 1348.

Mors Jacobi Episcopi.

Anno itidem 1348. Jacobus Episcopus, cum se Budam ad regem Ludovicum contulisset, ut suas ei victorias, & regni Neapolitani adeptionem gratularetur, ibidem obiit XVII. Kalendas Novembris *in festo S. Galli Abbatis*, ut docet Album Capitulare.

Judices delegati Sedis Apostolicæ jubent F. Henricum, & fratres domus hospitalis S. Mariæ ex-

Sub initium anni 1349., dum adhuc sedes Zagrabiensis vacabat, Joannes Abbas S. Mariæ & Ladislavus rector cœnobii Dominicani, mandata Clementis VI. ut tandem aliquando exsequerentur, litteris ad quosdam parochos territorii, seu provinciæ Metlikensis nominatim datis tertio Kalendas Martias, & speciatim ad

sex

communicatos declarari. sex parochos, *Jacobum S. Mariæ de foro Metlike*, *Stephanum S. Petri de Chernomel*, *Radoslaum S. Crucis de Vinnitza*, *Marcum S. Stephani regis Hungariæ de Zemk*, *Detricum S. Nicolai de Siembergh*, & *Lipoldum S. Georgii de Vivodina*, qui se fautores F. Henrici palam aperteque declaraverant; his omnibus graviter severeque imperarunt, ut *F. Henricum & fratres domus hospitalis S. Mariæ* Teutonicorum de Chernomel, qui obstinatis animis sententiam, & censuram Joannis Toplicensis cœnobiarchæ judicis Apostolici spreverant, & adhuc in sua pertinacia perstabant, singulis Dominicis, & festis diebus in sua quisque æde primaria, quoad resipiscerent, sacrorum omnium communione privatos, & ab omnibus vitandos esse consueta formula, & cærimonia denunciarent: imperata nisi facerent, anathematis pœnam denuntiant illis, infliguntque.

Illorum mandatum ad parochos Metlikenses. *Nos frater Joannes Ordinis Cisterciensis Abbas monasterii S. Mariæ, ac frater Ladislaus prior fratrum Ordinis Prædicatorum de Zagrabia, una cum officiali Zagrabiensi cum clausula*, „quod si non omnes, duo vestrum, ad infra„scripta a Sede Apostolica specialiter deputati, *Dilectis nobis in Christo, Andreæ S. Nicolai de Jastrebarzka, Lucachio S. Petri Volaula, Leonardo omnium Sanctorum, ac Ivan S. Viti de Ozal, Matthiæ S. Eliæ de Ribnik, Jacobo S. Mariæ de foro Metlicæ, Stephano S. Petri de Chernomel, Radoslao S. Crucis de Vinnicza, Marco S. Stephani regis Hungariæ de Zemch, Jacobo S. Martini, Detrico S. Nicolai de Sihembergh, & Lipoldo S. Georgii de Vivodina, Ecclesiarum, & plebium rectoribus, & ministris, ac aliis Ecclesiasticis personis, ad quos præsentes pervenerint, salutem in Domino, & mandatis nostris, immo vero Apostolicis firmiter obedire. Noveritis nos litteras Sanctissimi in Christo Patris, & Domini D. Clementis divina providentia Sanctissimæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Papæ VI. ejus vera bulla plumbea filo canapis inserta, solito more bullatas, non abolitas, non abrasas, non vitiatas in aliqua sui parte, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, præsentatas nobis ex parte honorabilium virorum D. D. videlicet Capituli Zagrabiensis Ecclesiæ, cum ea, qua decuit, reverentia recepisse, quarum tenor dignoscitur esse talis: Clemens Episcopus &c.*; ut supra in Jacobo Episcopo.

• *Post quam præsentationem ex parte præfati Capituli Zagrabien. fuimus requisiti cum instantia, ut ad executionem præfati mandati Apostolici nobis in hac parte directi, procedere deberemus juxta traditam a Sede Apostolica nobis formam. Cum igitur nunc, Zagrabiensis Ecclesiæ sede vacante, officialis ipsius Ecclesiæ ad præsens ad hoc, ut deberet, competens non existat; & sic ad nos duos infrascripta pertineant, vigore Apostolicarum litterarum prædictarum. Ideo nos Fr. Joannes Abbas, & Ladislaus prior delegati, superius nominati, mandatis Apostolicis, ac petitioni præfati Zagrabiensis Capituli, reverenter volentes obsequi, ut tenemur, auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, Vos universos & singulos sacerdotes, rectores ac ministros, & alias ecclesiasticas personas prælibatas, primo, secundo, tertio, & peremptorie monemus, inducimus, requirimus, & cohortamur, vobisque nihilominus, & vestrum cuilibet in sanctæ obedientiæ virtute, & sub excommunicationis pœna, quam excommunicationem specialiter vos Jacobe, Stephane, Radozlae, Marce, Detrice, Lipolde, canonica admonitione præmissa, si secus feceritis, volumus incurrere ipso facto, præcipimus, injungimus, & mandamus, quatenus præfatum Henricum Commendatorem, & fratres domus hospitalis S. Mariæ Teutonicorum de Chernomel, ad quos jamdiu lata fuit excommunicationis sententia per religiosum virum D. F. Joannem Abbatem monasterii S. Mariæ de Toplica Cisterciensis Ordinis, Zagrabien. Diœcesis, in causa, & quæstione, quæ vertitur inter præfatum Capitulum Zagrab. Ecclesiæ ex una parte, dictosque Henricum, & fratres suos ex altera, pro decimis & super decimis, provenientibus, fructibus, terrarum possessionibus & ejus adhærentiis dictæ diœcesis delegatum a Sede Apostolica specialiter deputatum, pro eo quod dicti Henricus commendator, & fratres mandatis ejusdem Domini delegati in quæstione præmissa obedire contumaciter, ac temere contempserunt, singulis diebus Dominicis ac festivis, in vestris Ecclesiis hora, qua Missarum sollemnia celebrantur, cum major aderit populi multitudo, campanis pulsatis, candelis accensis, & postea extinctis & in terram projectis, & pedibus conculcatis, excommunicatos denuncietis; & nos etiam eos denunciamus, & tamquam excommunicatos debere ab omnibus strictius evitari; cognoscentes quod, nisi celeri super hoc sibi provisione prospexerint, nos ad alia ardua procedemus, prout dictaverit ordo juris; & ut de reliquis taceamus, an ex tali contemptu clavium Ecclesiæ, in quo tanto tempore permanserunt excommunicationis vinculo innodati, eorum debitores a debitis sint interim absoluti, & qui fidelitatis eis homagio sunt astricti, interim ad hujusmodi tenentur; & de quamplurimis aliis, quæ ad præsens omittemus, & si necesse fuerit, enucleabit in posterum juridica Canonum rectitudo. Verum tamen quam abominabile, & detestabile sit, personis ecclesiasticis tam diutius in excommunicationis laqueo persistere, ob ipsarum contumaciam, & contemptum, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Et ideo bonum videretur juri parendo ante factum occurrere, quam post factum turpiter emendare; alias autem, cum in hac parte simus justitiæ debitores, nos oportebit juris debitum, necessitate juridica compellente, effectui demandare, & quod nobis a Sede Apostolica injunctum est, efficaciter adimplere. Præsentes autem registrari fecimus ad cautelam, de quarum præsentatione nostro nuncio, vel nunciis, seu eorum litteris inde confectis dabimus plenam fidem. Quas quidem restitui volumus præsentanti earumdem, tamen, si placet, exemplo retento, vestris dumtaxat sumptibus, & expensis. In cujus rei testimonium præsentes fieri fecimus, nostrorumque sigillorum impressione muniri. Datum die 5. mensis Februarii. Anno Domini 1349.*

Hæc omnia scribæ publici manu descripta, & hujus, itemque Joannis, & Ladislavi signo obsignata cum fuissent, per Ægidium cursorem, ad quos spectabant, perlata sunt. His mandatis duos solum parochos obtemperasse invenio Leonardum & Joannem, alterum plebis omnium Sanctorum, alterum plebis S. Viti rectorem, qui in foro oppidi Metlikensis coram Marco Presbytero, & rectore Ecclesiæ & plebis S. Stephani regis Hungariæ de Zemch, & aliis oppidanis sententiam excommunicationis promulgarunt, & parochos illarum partium, ut Mandato duo solum parochi obtemperant.

idem

Digitized by Google

idem facerent, monuerunt; ut ipsi Joannem & Ladislavum judices Apostolicos retulere.

Ceteri parochi fere omnes, cum imperata facere abnuissent, eamdem anathematis pœnam, Henrico & fratribus Teutonicis inflictam, sibi ipsi contraxerunt. His siquidem caussa decimarum communis erat cum Henrico; nam inter hunc & parochos illos ita convenerat, ut his pars quarta decimarum Methkensium obveniret. Ita ne tum quidem huic controversiæ, & pertinaciæ Henrici, ejusque fautorum, finis impositus fuit. Cetera, quæ huc pertinent, ad Episcopatum Nicolai II. referuntur.

DIONYSIUS EP. ZAGRAB. XXX.

Stephanus IV. & Joannes II. perperam intrusi inter Jacobum III. & Dionysium.

Paullus Ritter duos inter Jacobum III. & Dionysium interjecit Episcopos Stephanum IV. & Joannem II. quos in duplici diplomate Ludovici regis nominatos tradit; utrumque confectum fuit, ut ipse ait anno 1347. alterum v. Kalendas Aprilis, alterum pridie Kalendas Augusti. Sed hoc eodem anno tertio Idus Maji Jacobus Episcopus edicto supra laudato sanxit, ne Canonici sive Zagrabienses, sive Chalmenses conviciis verbisve insolentibus atque odiosis se inter se lacesserent, & præterea eodem anno VIII. Idus Decembris Joanni Archidiacono Querchensi potestatem fecit templi ædificandi sub titulo & auspiciis S. Joannis Baptistæ in eo solo, quod ad eam ædificationem illi concesserant Canonici Zagrabienses; qui locus cum a novis incolis, novisque domiciliis ibidem exstructis, habitari cœpisset, *Villanova* appellata fuit, ut docet Thomas Kovalcevichius; & parochus ibidem constitutus est, cui annuos proventus ipsi Canonici e mensa Capitulari assignarunt. Cum igitur Jacobus usque ad finem anni 1347. vitam & pontificatum perduxerit, nihil loci aut temporis sive Stephano, sive Joanni relictum est, nisi in eosdem menses Martium & Augustum ejusdem anni duos Episcopos conjicere velimus. Neutrum vero Ludovici diploma, ubi uterque ille Episcopus nominatur, aliis Scriptoribus Hungaricis innotuit. Vereor ne Ritterus notas compendiarias, quibus Episcopus in utroque illo diplomate designabatur, secus quam oportebat, interpretatus fuerit. Adde quod auctor Albi Capitularis, æqualis illorum temporum, ceterique catalogi Antistitum Zagrabiensium, Stephano & Joanne prætermissis, Jacobo III. Dionysium proxime subjiciunt. Erat Dionysius Episcopus Tininiensis in Dalmatia. Anno 1349. translatus ad Ecclesiam Zagrabiensem vix ejus gubernationem susceperat, cum jussus est ad metropolim Colocensem regendam migrare, ut scriptum est in Albo Capitulari: *D. F. Dionysius filius Laczk per translationem ejusdem Clementis PP. de Episcopatu Tininiensi; qui Ecclesiæ Zagrabiensi præfuit uno mense, & modicum plus, translatus ad Archiepiscopatum Colocensem anno 1349. tempore Ludovici regis*. Antequam ad gradum Episcopalem eveheretur, vel Dominicanæ, vel Franciscanæ disciplinæ alumnum fuisse declarat prænomen *Fratris*, ejus nomini præpositum. Paullus Ritterus Colocensem Dionysii translationem refert ad annum 1351. hoc siquidem anno, ut ipse animadvertit, itemque anno proximo in regis diplomatibus appellatur *Dionysius Archielectus* Colocensis. Verum iccirco *Archielectus* dicitur, quod licet anno 1349. ut est in Albo

Dionysius ab Tininiensi ad Zagrabiensem, ab hac fere statim ad Sedem Archiep. Colocensem translatus.

Capitulari, a rege nominatus fuisset Archiepiscopus Colocensis, nondum Sedes Apostolica regiam nominationem approbaverat. Ceterum Sedes Zagrabiensis, per ejus designatam translationem jam erat vacua anno 1350. & hoc anno eam obtinuit

NICOLAUS II. EP. ZAGRAB. XXXI.

Nicolaus II. Præp. Strigonien. Comes Capellæ regiæ, designatus Ep. Nitrien. demum Ep. Zagrab.

Ex præposito Ecclesiæ Strigoniensis, & *Comite Capellæ regiæ*, primum Episcopus Nitriensis ab rege Ludovico nominatus, deinde antequam Episcopatus sibi decreti possessionem adiret, a Clemente VI. designatus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis anno 1350. ineunte. Hæc Joannes Archidiaconus Guerchensis, auctor Albi Capitularis, in quo series Antistitum Zagrabiensium ultra Nicolaum non progreditur: *D. Nicolaus electus Nitriensis, primo Præpositus Strigoniensis, & Comes capellæ regiæ, per provisionem Dom. PP. Clementis anno Dom. 1350. feria 4. post Octavam Epiphaniæ Domini*. Erat insigni doctrina & prudentia præditus, idemque apud Ludovicum regem in primis gratiosus, cui rex plurimum fidebat, & sigilli regii custodiam tradiderat, & cancellarium regalis aulæ creaverat; cum vero illius consilia magni faceret, ab se abesse illum, suoque latere discedere haud facile patiebatur. Cum Neapolitani post discessum Ludovici fere omnes ad Joannam, e Gallia evocatam, defecissent, rex alteram Italicam expeditionem suscepit, & Nicolaum designatum Episcopum Zagrabiensem secum adduxit. Aliquot oppidis vel oppugnatione captis, vel per deditionem receptis, prope jam erat, ut Neapolim ipsam sub potestatem redigeret, cum Guido Episcopus Tusculanus, & Guillelmus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, ut est apud Raynaldum, regi placando legati a Pontifice missi, in tempore adfuerunt; quorum auctoritas & oratio Ludovicum quamvis victorem & iratum ita lenivit, ut Joannam, de nece Andreæ illata suspectam, Clementis Papæ disquisitioni ac judicio permitteret; quæ si nefariæ cædis convicta & condemnata esset, regnum eidem ademtum Ludovico traderetur; si vero illius atrocissimi facinoris insontem se probasset, regnum quidem retineret, sed Ludovico pro sumptibus, quos in utramque Neapolitanam expeditionem fecerat, tercenta millia aureorum persolveret. Ac Ludovicus quidem depositis armis Romam se contulit, ut basilicas Apostolorum pie casteque viseret, & plenam delictorum omnium veniam consequeretur; in eum annum inciderat sollemne Jubileum, cujus sæcularem celebritatem a Bonifacio II. institutam, vel renovatam, Clemens VI. ad quinquagesimum quemque annum revocavit. Inde in Hungariam regressus est cum Nicolao Episcopo Zagrabiensi, quem Atellæ, nunc Aversæ, quæ civitas est Campaniæ, Episcopi consecratione initiatum fuisse, fortassis a Guidone legato Apostolico, Joannes Thuroczius tradit cap. 17. Chron. Hung. *Item ex præfatis Reverendus in Christo Pater Dominus Nicolaus Episcopus Zagrabiensis, qui fuit in civitate Aversana in Episcopum consecratus*. Joanna vero cum se apud Sedem Apostolicam de nece mariti sui purgasset, sententia Pontificis absoluta fuit an. 1352. & cum Ludovico Tarentino altero viro suo in regnum restituta. Sententiam Pontificiam, cui se staturum promise-

Ludovico regi apprime charus.

Digitized by Google

miserat, Ludovicus approbavit; atque ut ostenderet, se non opes augendi, aut dominatus amplificandi, sed fraternæ cædis ulciscendæ caussa bellum suscepisse, omnem illam pecuniariam compensationem Joannæ condonavit.

Pertinacia & temeritas F. Henrici, & parochorum Metlikensium.

Pertinacia F. Henrici Commendatoris & parochorum, qui ab eo contra Capitulum stabant, ad omnes monitiones & censuras Ecclesiasticas obduruerat, atque adeo percalluerat, ut neque inflictum sibi gravissimum anathematis vulnus sentirent, & contra jus fasque obstinate pergerent decimas indebitas exigere, sibique vindicare. Atque illorum temeritas & audacia eo processit, ut jurisdictionem potestatemque Archidiaconi Guerchensis prorsus abnuerent; neque ab eo, vel ab ejus Vicariis mandata accipere volebant, neque in iis, quæ ad regimen Ecclesiasticum & curationem animarum pertinent, se Archidiacono subjectos & obedientes præstabant. Per id temporis Guido Presbyter Cardinalis titulo, Ædique S. Cæciliæ præpositus legatione Apostolica fungebatur in Hungaria. Ejus opem auctoritatemque Joannes Archidiaconus imploravit ad confringendam contumaciam Henrici & parochorum rebellium, qui, contemptis pœnis ecclesiasticis, jurisdictionem suam detrectabant, & decimas Capitulo ac sibi debitas avertebant. Ab eo mandata & litteras accepit ad *Fr. Joannem Ordinis Cisterciensis Abbatem S. Mariæ de Zagrabia, Blasium Plebanum S. Ivanis de nova Villa, Radchecz rectorem Ecclesiæ S. Marci de Grecz, & Jacobum Vicearcidiaconum de Zagoria*. Jubet eos denunciare ac præcipere tum F. Henrico, tum parochis illis, quos nominatim percenset, ut post idoneam cautionem, & satisfactionem Joanni Archidiacono, & Capitulo præstitam intra certos dies, quos ipsi præscriberent, se potestati ecclesiasticæ subjicerent, atque ad ipsum Legatum, vel ad ejus Vicarium supplices accederent factorum suorum rationem reddituri, &, quibus erant constricti, anathematum vinculis exsolvendi: id nisi præstarent, hæreseos suspectos fore, in eosque perinde ut in hæreticos inquirendum atque animadvertendum esse. In extrema epistola jubet de his suis litteris, & mandatis certiores fieri omnes Abbates, & rectores Ecclesiarum regni Hungariæ. Sed aures hominum pertinacium his denunciationibus & minis dudum assuetæ jam obsurduerant, jamque animis obstinaverant omnia potius, quæ ab Ecclesia contumacibus infligi solent, vulnera perpeti, quam jus alienum inique usurpatum, ac retentum dimittere. Itaque hæc admonitio nihilo plus, quam superiores, ad præfractam illorum pervicaciam vincendam valuit. Quod cum nunciatum esset Guidoni Legato Apostolico, qui sub initium anni 1350. ex Hungaria regressus Romam redierat, alteras litteras, Joanne Archidiacono postulante, scripsit ad omnes Abbates, ac Præpositos Ecclesiarum regni Hungariæ; & postquam exposuit, quæ contra Henricum, & parochos contumaces acta decretaque fuerunt, illis imperavit, ut, si post trinam admonitionem in pristina pertinacia permanerent, eos singulis diebus festis in primariis cujusque oppidi, aut villæ templis ex formula præscripta, rituque sollemni ab Ecclesia, & christianorum cœtu segregatos esse singulos nominatim declararent; neque antea, quam resipiscerent, iisdem illos execrationibus configere, dirisque devovere desisterent: si autem obluctari diutius pergerent, ad eorum contumaciam frangendam subsidium a magistratibus peterent, atque in eos, veluti suspectos hæreticæ pravitatis lege agendum esse denunciarent.

Guido Presbyter Cardinalis legatus Apostolicus in Hungaria.

Mandatum Guidonis ad omnes Abbates & præpositos Ecclesiarum regni Hungarici.

Guido miseratione divina tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus. Universis, & singulis Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Diaconis, Archipresbyteris, Rectoribus, & Clericis Ecclesiarum quarumcumque regni Hungariæ, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino. Dudum per alias nostras certi tenoris litteras, Vos & vestrum singulos moneri mandavimus Lippoldum Sacerdotem in Ecclesia S. Georgii de Vivodina, Henricum, Orthosum & Jacobum in Ecclesia S. Petri de foro, Thomam de Chernomel, Marcum & Thomam in Ecclesia S. Stephani regis Hungariæ de Zemch, Detricum in Ecclesia S. Bartholomæi de Sibestiam, Andream, & Corardum in Ecclesia S. Martini, Radozlaum in Ecclesia S. Crucis de Vinnicza, & alios universos, & singulos Sacerdotes, in districtibus de Sibestiam, & Sibemberg, & Henricum Commendatorem, & fratres domus hospitalis S. Mariæ Teutonicorum, regni prædicti Hungariæ, ratione sententiarum, probatarum contra ipsos, & ipsorum quoslibet, per dilectum in Domino Joannem Abbatem monasterii de Zagrabia Ordinis Cisterciencis, civitatis Zagrabiensis prædictæ, & Ladislaum priorem conventus S. Nicolai de Zagrabia Ordinis Prædicatorum, judices a Sede Apostolica deputatos, ad instantiam Joannis Archid. de Guerche in Ecclesia Zagrabiensi, & ipsius Archidiaconatus super receptione sacramentorum ab ipso Archidiacono, & cura animarum, ac legitime parochianorum dictarum Ecclesiarum; & occasione denunciationis excommunicationis exinde subsecutæ, quatenus ipsi & ipsorum quilibet, intra certum terminum in dictis nostris litteris comprehensum, per eos statuendum procurarent canonice se absolvi a dictis excommunicationum sententiis alioquin compareant coram nobis, seu dilecto magistro Bartholomæo de Bostario, præposito Caslacensi, sacri palatii apostolici, & nostro generali auditore, personaliter responsuri, dicturi, & ostensuri caussam rationabilem. Quare contra ipsos tamquam suspectos de hæresi procedere deberemus prout hæc, & talia in dictis nostris litteris seriosius continentur: quod quidem facere contempserunt, in dicti Archidiaconi grave præjudicium & jacturam, prout per litteras vestrum, Leonardi omnium Sanctorum de Ozely, & Ivan S. Viti de Ozely, rectores Zagrabiensis diœcesis, nobis extitit facta fides. Quare pro parte dicti Archidiaconi fuit nobis humiliter supplicatum, ut contra dictos omnes, & singulos sacerdotes ad observationem sententiarum prædictarum, latarum contra eos procederemus, justitia mediante, & cogeremus eosdem. Nos igitur suis supplicationibus inclinati vobis, & vestrum cuilibet in solidum, qui pro parte dicti Joannis Archidiaconi fueritis requisiti, seu etiam requisitus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam in vos, & vestrum singulos, trium dierum canonica monitione præmissa ferimus in scriptis, si infrascriptis negligentes fueritis, vel remissi, districte præcipiendo mandamus, quatenus dictos presbyteros, singulariter monitos, juxta formam dictarum sententiarum excommunicationum, de quibus vobis liquebit, excommunicatos publice nuncietis

in

in Ecclesiis vestris, dum ad divina populi convenit multitudo, campanis pulsatis, candelis accensis pariter, & extinctis. Et tam diu donec a dictis delegatis, vel a superiore suo absolutionis beneficium meruerint obtinere, invocantesque subsidium juris, & ad cogendum eosdem, & quemlibet ipsorum, ad observationem dictarum sententiarum, auxilium brachii sæcularis, cum intimatione, quod contra ipsos, tamquam contra suspectos de hæresi procedetur, si in dicta sua contumacia duxerint persistendum. Datum Romæ apud S. Crisogonum anno Domini 1350., Indict. III. vicesima quinta Martii, Pontificatus Dom. Clementis Papæ VI. anno octavo.

Mandatis Legati Apostolici ab omnibus, ad quos spectabant, obtemperatum fuisse argumento sunt litteræ ad eumdem Legatum rescriptæ ab Joanne Abbate Cisterciensi, & parochis, ad quos Guido priores litteras dederat.

Denunciationes ex mandato Legati Apostolici factæ in Parœcia Græcensi S. Marci.

Reverendo in Christo Patri Dom. Guidoni miseratione divina tituli S. Ceciliæ presbytero Cardinali, in regno Hungariæ specialiter Apostolicæ Sedis legato, Domino coram honorando, frater Joannes Ordinis Cisterciensis, Abbas S. Mariæ de Zagrabia, Blasius plebanus, rector Ecclesiæ & plebis S. Joannis de eadem, Radchecz Sacerdos, rector Ecclesiæ & plebis S. Marci in Grecz, & Jacobus Sacerdos vice Archidiaconus in Zagoria, salutem & orationes pro eo ad Dominum. Noveritis nos vestræ gratiæ recepisse litteras in hæc verba: Guido miseratione divina &c. ut supra. *Volentes igitur vestris mandatis obedire, ut tenemur, ad requisitionem Venerab. viri Dom. Joannis Archidiaconi de Guerche, Sacerdotes & rectores Ecclesiarum, & F. Henricum Commendatorem, & fratres domus hospitalis S. Mariæ Teutonicorum, de Metlika, Zagrabiensis diœcesis, in tenore vestrarum litterarum sæpius nominatos denunciavimus, & denunciare non cessamus excommunicatos publice, juxta formam vestri mandati, & commissionem nobis factam, observando omnia, ut mandastis. Quam quidem denunciationem prima vice fecimus in Ecclesia parochiali S. Marci in Grecz, præsente populo in magna copia partium diversarum, in Dominica ante Festum B. Mariæ Magdalenæ anno Domini 1350.*

Nullus dubito, quin Henricus & parochi, qui cum eo contra Archidiaconum Guerchensem & Canonicos Zagrabienses litis societatem coierant, conscientiæ stimulis perurgentibus, tandem aliquando resipuerint, licet nullis litteris id proditum invenerim; & post impetratam culpæ pœnæque liberationem communionis ecclesiasticæ & sacrorum omnium participes extremum diem obierint; sed controversia illa de decimis Metlikensibus neque tunc dirempta fuit, & adhuc sub judice lis est. Cum Metlika sita sit non longe ab Savo in ipsis confinibus Chrobatiæ & Carnioliæ, postquam F. Henricus de decimis Capitulo litem intendit, dubitari cœptum est, utrum regio illa Metlikensis ad Chrobatiam, & reges Hungariæ, an vero ad Carnioliam Ducesque Carnioliæ & Styriæ pertineret. Qui Metlikam Carnioliæ particulam extremam esse ajebant, eam tum civili regum Hungariæ, tum ecclesiasticæ Episcopi Zagrabiensis, & Archidiaconi Guerchensis jurisdictioni exemptam esse contendebant. Ac Ducum quidem Carnioliæ intererat suæ ditionis fines amplificari, reges vero Hungariæ exiguam Chrobatiæ appendiculam tanti esse non censebant, ut pro illa sibi armis decertandum putarent, præsertim cum pluribus aliis longe gravioribus curis, & bellis distinerentur. Hinc factum est, ut Archidiaconus Guerchensis, & Canonici Zagrabienses regum suorum auxilio destituti jus suum obtinere non potuerint, quod armis ecclesiasticis usi tantummodo assequi non valebant, & tum illi, tum Episcopi Zagrabienses decimas, & parœcias fere omnes oppidi & territorii Metlikensis demum amiserunt: jus tamen repetendi, quæ sibi adempta fuerunt, quæque inde usque ab condito Episcopatu Zagrabiensi possidebant, & recuperandi semper retinuerunt; & postquam Carniolia, aliæque finitimæ regiones cum universa Hungaria sub unum idemque augustissimæ domus Austriacæ imperium transierunt, in omnibus fere comitiis generalibus, ut de ablatis decimis ac parœciis judicium sibi redderetur, postularunt; idque constat ex actis eorumdem comitiorum, quæ a sæculo decimo sexto ad hanc usque ætatem habita sunt. Extat articulus 119. insertus Comitiis anni 1647., ex quo aliarum hujusmodi postulationum formulæ cognosci possunt; est autem in hæc verba compositus: *Cum venerabile Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis pro decimis districtus Metlikæ, & locorum eidem adjacentium ad idem Capitulum antiquitus spectantibus, sed per Commendatorem de Chernomel domus Teutonicæ Ordinis Cruciferorum occupatis, & usurpatis, & postmodum per delegatos Sedis Apostolicæ sibi readjudicatis, ac nihilominus contra adjudicationem hujusmodi detentis justitiam postulet, sua proinde Majestas administrationem justitiæ eidem Capitulo per justitiarios earumdem partium cum debita executione demandare juxta clementem suam oblationem dignabitur.* Sed his postulationibus, & querimoniis nihil effectum est; & res adhuc injudicata pendet.

Controversia de decimis Metlikensibus adhuc viget, nondum dirempta.

Parœciæ Metlikenses ab diœcesi Zagrab. avulsæ.

Nunc e parœciis Metlikensibus quinque ad jus potestatemque Ordinis Teutonici pertinent; duas Vivodinam, & Sihembergum jure patronatus obtinet Abbas cœnobii Cisterciensis S. Mariæ Landstrossensis, qui sibi titulum Archidiaconi adscribit: omnes magistratibus Carnioliæ parent; Vivodina his exempta Capitulo Zagrabiensi decimas persolvit. Aliæ vero, si quæ sunt, parœciæ territorii Metlikensis, ad quos pertineant, mihi compertum non est. Quemadmodum vero Carniolia, sic etiam Metlika fere tota ex jure diœcesano subest Archiepiscopo Goritiensi, cum antea, ex quo fuerat divulsa ab diœcesi Zagrabiensi, Patriarchæ Aquilejensi paruerit. Nunc ad Nicolaum revertamur.

Diploma regium impetravit æque sibi honorificum, ac suæ Ecclesiæ necessarium, ac perutile, quo Ludovicus amplissimum privilegium Caroli Patris sui Episcopis, & Ecclesiæ Zagrabiensi concessum, suoque diplomati insertum confirmavit.

Ludovicus rex privilegium Ecclesiæ Zagrabiensis confirmat:

Ludovicus Dei gratia Ungariæ &c. Rex &c. Immensa regum nobilitas, licet cunctis sibi subjectis, se piam, & benignam debeat exhibere; illos tamen uberiori, & ampliori favore, & gratia prosequi consuevit, & amplecti, jura ipsorum confovendo, & perpetua stabilitate fulciendo, qui temporalium bonorum impensa sibi fideliter obsequuntur, & in offerendis orationum suffragiis pro pace regis, & regni, omnium creatori jugiter, & devote famulantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie vo-

volumus pervenire, Quod Venerabilis in Christo pater D. Nicolaus eadem, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, Aulæ nostræ Cancellarius, dilectus, & fidelis noster, ad celsitudinis nostræ accedendo præsentiam, exhibuit nobis quasdam litteras patentes serenissimi Principis Domini Caroli olim illustris regis Hungariæ, genitoris nostri charissimi &c. (hic privilegium Caroli inseritur). *Nos itaque, qui ex debito officio suscepti regiminis, curis & profectibus ecclesiarum omnium in regno nostro Christo militantium, quarum precum suffragiis non solum temporaliter, verum etiam spiritualium bonorum incrementis in cælesti patria speramus aspirari; earum tamen maxime, quæ ad nos specialiori patronatus jure pertinent, providentiam apponere debemus dirigentem; prædictam Zagrabiensem Ecclesiam per sanctissimum regem Ladislaum, immortalis memoriæ antecessorem nostrum fundatam, volentes in suis juribus, & proprietatibus illæsam conservare, petitioni dicti Domini Nicolai Episcopi Ecclesiæ prænotatæ aures exaudibiles benigno cum favore inclinantes, prædictas litteras paternas de verbo ad verbum præsentibus insertas, omni prorsus suspicione carentes, de beneplacita voluntate serenissimæ principissæ Dominæ Elisabeth inclytæ reginæ Hungariæ, genitricis nostræ charissimæ, ac de consilio, & conniventia prælatorum, & Baronum nostrorum ex certa nostra scientia, quoad omnes sui continentias acceptamus, ratificamus, & approbamus, præsentisque scripti patrocinio, de regiæ potestatis plenitudine, perennaliter eidem Ecclesiæ Zagrabiensi valituras confirmamus. Ut igitur præsentis nostræ confirmationis, & approbationis series sic dictæ Ecclesiæ Zagrabiensi in perpetuum valitura, nec ullo unquam tempore aliqua suspicionis rubigine, eo quod nunc prædictus Dominus Nicolaus Episcopus Zagrabiensis honore Cancellariatus, & conservatione sigilli nostri authentici præditus fulgere dinoscitur, possit aliquatenus offuscari, præsentibus debita matura deliberatione, cum prædicta Domina regina genitrice nostra, & Prælatis ac Baronibus nostris ex nostra certa conscientia, nostrum & ejusdem Dominæ reginæ genitricis nostræ, sigilla duplicia authentica decrevimus fore apponenda. Datum per manus ejusdem Domini Nicolai Episcopi Zagrabiensis, Aulæ nostræ Cancellarii, dilecti, & fidelis nostri. Anno Domini* 1352. IV. *Idus Februarii. Regni autem nostri undecimo.*

Atque ex hoc diplomate dignitas nobis innotescit, qua Nicolaus regii Cancellarii munere ornatus fuit a Ludovico; unde cognoscas, quanta apud illum gratia, & existimatione polleret. Extat tamen aliud Ludovici diploma eodem & anno & die *Datum per manus ejusdem Domini Nicolai Episcopi Zagrabiensis Aulæ nostræ Vice-cancellarii;* quæ quomodo componi queant, dubitat Kovascevichius: sed cum Kerselichio dixerim, superiori anno 1351. usque ad alterum mensem insequentis anni 1352. *Vice-cancellarii* munus Nicolaum obiisse; in diplomate vero, cui *Vice-cancellarii* titulo adscriptum est nomen Nicolai eodem die, atque illo, quo in producto superius diplomate, *Cancellarii* dignitas exprimitur, mendum fortasse irrepsit arithmeticæ notæ, quæ diem evulgati diplomatis consignat.

Idem Ludovicus anno 1355. litteras Michaelis Bani supra descriptas de solvendis Ecclesiæ decimis, ut in perpetuum valerent, regiæ auctoritatis præsidio communivit.

Item decretum Michaelis Bani de solvendis Ecclesiæ decimis.

Nos itaque præsentibus insertas ratas habemus, & acceptas. Et sicut pro fidelitatibus, & fidelium servitiorum præclaris meritis, prædicti Domini Nicolai Episcopi nobis vigilanti cura exhibitis, haud minus ob reverentiam Sancti Stephani primi Hungariæ regis, beatissimæ recordationis, pii progenitoris nostri, sub cujus honore glorioso prædicta Ecclesia Zagrabiensis Episcopalis est constructa, volentes & animo cupientes anhelanti, eamdem Ecclesiam Zagrabiensem, quam cultu veneramur præcipuo, in suis juribus & libertatibus a sanctis regibus, piis progenitoribus nostris datis & concessis illæsam conservare, prædictas litteras &c. Datum per manus Nicolai Episcopi Zagrabiensis Aulæ nostræ Cancellarii dilecti & fidelis anno Domini 1355. IV. *nonas mensis Julii, regni autem nostri anno quarto decimo, Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Nicolao Strigoniensi, locique ejusdem Comite perpetuo, & Dominico Spalatensi Archiepiscopis, Sede Colocensi vacante, Nicolao Agriensi, Andrea Transilvano, Demetrio Varadien., Colomano Jaurinien., Joanne Vesprimien., Nicolao Quinqueecclesien., Thoma Chanadien., Michaele Vacien., Fratribus Thoma Sirmien., Stephano Nitrien., Peregrino Bosnien., & Blasio Tininnien. Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Palatino, & Judice Cumanorum, Nicolao Vaivoda Transilvano, & Comite de Zonok, Cykon Magistro Tavernicorum nostrorum, Comite Nicolao de Zecs Judice curiæ nostræ, Nicolao totius Sclavoniæ & Croatiæ, Nicolao de Machov Banis; Dionysio Agazonum, Letkes Dapiferorum & pincernarum, ac Thoma filio Petri, Janitorum nostrorum magistris; & magistro Simone filio Mauritii Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri comitatus tenentibus, & honores.*

Alia Ludovici beneficia collata Capit. Zagrab.

Denique Ludovicus an. 1356. Portum Jellenouch, quem Nicolaus Banus totius Slavoniæ ademerat, Capitulo Zagrabiensi restituit, cum ex privilegio Belæ Ducis Slavoniæ constaret juris esse Capitularis; itemque populos Capitulo subjectos onere tributi solvendi præfecto Castri Medved exemptos esse declaravit. Cum Ludovicus Bulgaris bellum indixisset, Nicolaum Episcopum in eam expeditionem comitem sibi adjunxit; & Strascimerum Bulgariæ regem victum captumque, atque in Slavoniam adductum Gomnechi in Castro Episcopali custodiendum tradidit; post annos fere duodecim eumdem fidelitatis sacramento devinctum libertati ac regno restituit, ut Ritterus, & Carolus Ducangius docent.

Stephani fratris Ludovici regis, & Ducis Slavoniæ pietas erga basilicam S. Stephani.

Stephanus tertius Caroli regis filius natu minimus, & frater Ludovici, Dux Slavoniæ & Chrobatiæ anno 1353. die tertio ante sollemnia sacrosancti Corporis Christi ad basilicam cathedralem S. Stephani regis pie visendam se contulit. Venienti Capitulum & clerus cum sacris reliquiis obviam processit, & divinis canticis, faustisque acclamationibus, donis etiam & muneribus oblatis, in basilicam deduxit. Eum Canonici, ceterique Sacerdotes demisse & humiliter rogarunt, ut privilegia vetera superiorum regum, præsertim Stephani III. confirmantis privilegium Belæ IV. Patris sui cum Bulla aurea Andreæ II., collata Ecclesiæ Zagrabiensi confirmaret, quorum exemplaria eidem exhibuerunt. Annuit Stephanus, & diploma, insertis tum privilegiis Stephani

IV.,

Digitized by Google

IV., tum Bulla aurea Andreæ II., confecit in hæc verba.

Diploma superiorum regum privilegia confirmans.

Stephanus Dei gratia totius Sclavoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ Dux omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris præsens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Universorum notitiæ tam præsentium, quam futurorum, harum serie volumus fieri manifestum, quod cum feria tertia proxima ad ipsum festum corporis Christi, Anno Incar. ejusdem 1353. in Grechen civitate loco mansionis nostræ, zelo spiritualis devotionis cordialiter inducti progrediendo, Cathedralem seu Episcopalem Ecclesiam Zagrabiensem ex fundatione Ladislai in honorem Stephani sanctissimorum quondam regum Hungariæ beatarum recordationum, illustrium progenitorum nostrorum, constructam visitassemus, honorabiles viri Capitulum ipsius Ecclesiæ Zagrab. in eadem Cathedrali Ecclesia, genuorum flexibus se in terra prostrati plurimorumque litteralium istrumentorum super libertatibus præfatæ Ecclesiæ Zagrab. tam ab ipso sanctissimo rege Ladislao ipsius Ecclesiæ jam primitus fundatore, quam aliis suis successoribus regibus obtentis, emanatorum & confectorum, aureis videlicet, & cereis bullis pendentibus privilegialiter consignatorum, exhibitionibus factis, nostram humiliter flagitarunt majestatem super eo, ut inserta ipsius Ecclesiæ litteralia monumenta, privilegium Domini Stephani regis, infrascripti tenoris aurea sua bulla consignatum, confirmans privilegiales litteras Domini Belæ regis Patris sui, confirmatorias litterarum privilegialium regis Andreæ similiter sub Bulla aurea confectarum, sæpefatæ Ecclesiæ Zagrabien. libertatis prærogativas ab eodem Domino Andrea obtentas, & concessas explicare, acceptare, approbare, ratificare, tenoreque ejusdem privilegii de verbo ad verbum, perpetuam ad cautelam, nostris litteris privilegialibus transumptum faciendo, plena ducali potestate dignaremur confirmare; cujus tenor est. In nomine &c. (hic insertum privilegium Stephani IV. regum superiorum privilegia concessa Ecclesiæ Zagrabiensi confirmans) *Nos itaque supplicationibus ipsius Zagrabien. Ecclesiæ Capituli, justitiæ consonis, ducali pietate inclinati, recensitis etiam, & in memoriam revocatis suis fidelibus obsequiis, quæ tempore primi adventus nostri in Zagrabiam e loco mansionis nostræ habiti, supremæ fidelitatis studio . . . . regiæ stirpis in adventu hoc devoti & fideles Capellani, sacris expansis reliquiis nobis in obviam occurrendo sollemniter ceperunt hymnizare, ad diversa munera, victualiumque varietates sollicite subministrare faciendo, impendere procurarunt. In quorum, & ceterorum perplurium gratiam, quæ ad præsens . . . . prolixa essent præsentibus litteris explanari; & in aliqualem recompensationem easdem litteras privilegiales dicti Dom. Stephani regis, ... privilegiales annotati Belæ litteras & D. Andræ inclytorum regum Hungariæ in se continentium, explicantes in nulla sui parte, prout diligenter annotari fecimus, viciatas, præmissarum libertatum ipsius Capituli Zagrab. Eccl. prærogativales ... in iisdem privilegialibus insertas, acceptamus, ratificamus, approbamus, & ex mera plenitudine ducalis potestatis perpetuo valituras confirmamus, totum tenorem litterarum ejusdem Domini Stephani regis, ad cautelam uberiorem de verbo ad verbum transumptum præsentibus inseri faciendo. In cujus rei testimonium, perpetuamque firmitatem, concessimus litteras nostras privilegiales præsentes, & autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Georgii, Aulæ nostræ Protonotarii, & Comitis de Orbaz, dilecti & fidelis nostri, loco, die, & anno supra dictis; dicti autem nostri Ducatus anno primo.*

Idem Stephanus iisdem Canonicis, suppliciter repetentibus Villam Zlamnoch restituere decreverat, quam ex pio legato Endrei viri nobilis ac divitis cum plures annos possedissent, Nicolaus Banus Slavoniæ eripuerat, atque ad territorium Castri Meduedensis adjunxerat. Sed, quod decreverat, perficere non potuit morte præreptus anno 1355, qui sepultus in Aede cathedrali epitaphio caret. Margarita ejus vidua superstes piæ mariti voluntati morem gessit, præsertim cum meminisset, quæ & quanta Ecclesiæ & Capitulo se donaturum promiserat Stephanus eo lætissimo die, quo primum illi filium pepererat, cui nomen Joannis impositum fuerat. Cetera paterna promissa ipsimet Joanni filio, cum ei per ætatem liceret, complenda & fidem patris exsolvendam reliquit: *Quod*, inquit illa, *ipse Joannes Dux, cum ad ætatem pervenerit, sit in effectum, prout ei Deus inspiraverit, deducturus.*

Nicolaus Episcopus anno 1351. intelligens, scribit Kovascevichius, *quod subinde difficultates occurrant in procurandis Sacerdotibus, qui certis hebdomadis in anno diebus feriatis sacra conventualia ex parte Episcopi, juxta ordinationem B. Augustini cum cantu absolverent, ne in futurum in eo aliqui defectus fierent, in specialem suum Capellanum elegit, & recepit Blasium noviter erectæ Ecclesiæ S. Joannis in Nova villa primum plebanum, & ejusdem successores ad effectum, ut deinceps ipsi in perpetuum ejusmodi hebdomadas episcopales, quoties occurrerint, in officio Missæ servandæ teneantur cum devotione absolvere*: extat autem hac de re episcopale decretum illo anno datum 16. Kal. Junii. Idem Nicolaus anno 1355. decimas Archidiaconatus Bexinensis, quas initio suscepti episcopatus, nescio quibus, falsis argumentis deceptus a Capitulari ad mensam Episcopalem averterat, tandem cognita rei veritate, antequam pontificatu decederet, Canonicis restituit. Cum Joanni civi Zagrabiensi clarissimi generis ob ejus insignia in Ecclesiam merita terram quamdam Ecclesiæ Toplicensis jure fiduciario possidendam & levi tributo imposito tradiderit; Paullus Ritter hinc colligi posse existimat, Nicolaum Abbatem Toplicensem, ut vocant, *Commendatarium* fuisse: *Comiti Ivan*, inquit, *filio Ivan de comitatu Zagrabiensi, pro fidelibus servitiis, & meritis Ecclesiæ Zagrabiensi præstitis, terram quamdam ad possessionem Brest pertinentem, ex hac parte Culpæ fluminis extantem vacuam, quam ipse Episcopus Nicolaus ab Ecclesia Toplicensi more prædiali obtinebat, sub eisdem modis & conditionibus, quibus eamdem ipse ab eadem Ecclesia conservabat, dedit & contulit more prædiali, ita tamen quod singulis annis in signum recognitionis dominii, ratione dictæ possessionis in festo B. Martini Confessoris duas marchas monetæ pro tempore currentis ipsi, vel successoribus ipsius Episcopis Zagrabiensibus solvere teneatur. Unde elicitur ipsum quoque Toplicensem Abbatem fuisse; idemque probant duo scutula sub majori ejus sigillo episcopali, unum videlicet abbatiale, aliud gentilitium.* Anno 1340. Abbas & monachi Cister-

Nicolaus decimas Bexinenses Capitulo restituit.

Fuit Abbas Commendatarius Abbatiæ Toplicensis.

Digitized by Google

cienses monasterium Toplicæ adhuc obtinebant, ut intelligi potest ex sententia, quam Joannes Abbas ejusdem cœnobii Judex a Sede Apolica delegatus contra F. Henricum & Fratres Cruciferos Ordinis Teutonici secundum Canonicos Zagrabienses tulit. Sed postea propter metum Turcarum, quorum opes magis magisque in dies augebantur, a monachis Cisterciensibus Toplicense monasterium desertum fuisse censet Thomas Kovascevichius & illam opulentam Abbatiam ab rege collatam fuisse Nicolao, ac deinde cum Episcopatu Zagrabiensi conjunctam: *His stantibus*, inquit, *& in memoriam revocatis iis, quæ superius de abalienatione decimarum Metlicensium dicta sunt, deducendum est, quod monasterium Toplicense adhuc in anno* 1340. *Religiosi Cistercienses incoluerint; utpote quo anno Abbas eorum Joannes in causa prædictarum decimarum Judex a Sede Apostolica delegatus fuit; & quod postmodum intra subsequentes tredecim annos eadem Abbatia Toplicensis (ab aquis calidis sic dicta) propter metum Turcarum a religiosis derelicta ad manus Nicolai per regiam collationem devenerit. Sicque primus fuit Nicolaus, qui hanc Abbatiam unitam cum Episcopatu Zagrabiensi tenuit.*

His temporibus Joannes Goricensis, sive Guerchensis Archidiaconus auctor Albi Capitularis, qui suis scriptis & commentariis vetera, & recentia ætatis suæ monumenta Ecclesiæ Zagrabiensis mandavit atque illustravit, de Capitulo, Ecclesia, Episcopatu egregie meritus ex hac vita discessit. Anno autem 1356. Nicolaus, relicta Zagrabiensi, ad Sedem Archiepiscopalem Colocensem migravit; & regiæ litteræ, quibus Ludovicus privilegia regum superiorum concessa Traguriensibus confirmavit *anno* 1357. 30. *Augusti datæ sunt per manus Ven. in Christo Patris & Domini Nicolai Archiepiscopi Colocensis, Aulæ*, inquit, *nostræ Cancellarii, dilecti, fidelis* &c. Anno 1360., vel superiori vivere desiit.

Translatio Nicolai ad Sedem Archiep. Colocensem.

STEPHANUS IV. EP. ZAGRAB. XXXII.

Quem plerique catalogi episcopales silentio prætermittunt; sed Episcopatus Zagrabiensis ab eo suscepti, gestique per annos ferme undeviginti fidem faciunt plura illorum temporum monumenta. In ea sententia, quam Leustachius Banus Slavoniæ & Chrobatiæ contra Gevinum civem Zagrabiensem, & secundum Hanoldum Abbatem S. Mariæ de possessione cujusdam balnei, quam sibi uterque vindicabat, Zagrabiæ tulit anno 1356. mense Octobri assessores approbatoresque nominantur *Nicolaus electus Colocensis, & Cancellarius regis*, itemque *Stephanus electus Episcopus Zagrabiensis*; item eodem anno IV. Idus Novembris Ludovicus rex, cum esset Zagrabiæ, litteras Belæ super quodam prædio territorii Toplicensis confectas an. 1247. regio diplomate confirmavit, cui subscriptus reperitur *Stephanus electus Episcopus Zagrabiensis*; hoc vero diploma *datum Zagrabiæ* dicitur, *per manus Nicolai electi Archiep. Colocensis & Cancellarii &c.* Intra finem hujus anni, vel sub initium sequentis Stephanus Episcopatus sibi collati approbationem ab Sede Apostolica obtinuit, & consecrationem episcopalem suscepit: exinde *electus* appellari desiit.

Anno 1358. Ludovicus rex Hungariæ post Dalmatiam Venetis ademptam pacem iisdem Venetis petentibus in has leges dedit, ut quidquid a Flanatico sinu Dyrrhachium usque Veneti ad eam diem possedissent, Ludovicus rex haberet, cederentque Veneti possessione ejus partis Dalmatiæ; reliquum vero terrarum circa eumdem sinum, quodque extra esset, retinerent; Rex vero restitueret quidquid in Istria, in agro Tarvisino, & Cenetensi Venetis abstulisset; ut Venetorum navigiis ad omnes portus urbesque Dalmatiæ accessus immunis ac liber pateret; ut æque Veneti, atque ipse Rex, mare tutum a prædonibus, & maritimis latrociniis pro sua utrique parte præstarent; ut denique Duces Venetorum titulis e principatu Dalmatiæ, vel Chrobatiæ sumptis in posterum abstinerent. Alia præterea ad pacem, & concordiam in perpetuum stabiliendam, & magis magisque firmandam adjecta sunt. Rex, Jaderæ cum esset, duos misit Venetias Oratores, Stephanum Episcopum Zagrabiensem, & Nicolaum Judicem regiæ curiæ, ut tum a Duce, tum a Primoribus Venetorum sollemne sacramentum acciperent, & ipsi præstarent, quo fidem utrique ad servandas pacis conditiones obstrinxerunt: idque diserte traditum est in litteris Joannis Delphini Ducis Venetiarum datis subscriptisque *Anno Domini* 1358. *Indict. XI. die Dominico*, 25. *Februarii*; *quod quidem juramentum*, inquit, *præstitimus in manibus Venerandi in Christo Patris D. Stephani Zagrabien. Episcopi, & magnifici viri Dom. Nicolai regiæ curiæ judicis, ambasciatorum & procuratorum dicti Dom. Regis ad hoc specialiter deputatorum &c. Acta sunt hæc in basilica S. Marci &c.*, quibus etiam testis adfuit Paullus Cantor & Canonicus Zagrabiensis cum Ladislavo Canonico Budensi, quos Stephanus ejus itineris & legationis comites sibi adjunxerat.

Pax inter Venetos & Hungaros redintegrata.

Stephanus Ep. Zagr. orator ab rege Ludovico ad Venetos.

Legatione Veneta functus, cum tabulas pactorum & conventorum Ducis & Senatus chirographo subscriptas, & communi sacramento firmatas Jaderam ad regem detulisset, reversus est Zagrabiam, & suas omnes cogitationes curasque ad disciplinam, remque ecclesiasticam rite constituendam convertit. Atque in primis, quæ D. Augustinus sapienter pieque instituerat, omnia confirmavit, servari ab omnibus, & in perpetuum valere jussit. Maxime illi cordi fuit integritas, fides, dignitas Capituli Zagrabiensis. Ex privilegio regali collegia Canonicorum Ecclesiæ Hungaricæ tum potestatem lites privatorum hominum dijudicandi, & negotia quælibet transigendi, tum jus sigilli obtinebant, quo ad emptiones, venditiones, & pactiones quaslibet obsignandas, firmandasque utebantur. Signo autem cujuslibet Capituli summa inesse ad fidem faciendam auctoritas putabatur; magna siquidem erat de sapientia, fide, integritate Canonicorum Ecclesiæ Hungaricæ opinio; ex quo fiebat, ut sæpenumero ex illorum collegiis ad controversias privatas, ac publicas etiam dirimendas arbitri sumerentur; atque adeo reges ipsi, & Bani, sive proreges, caussarum cognitionem ac disceptationem ad illorum judicia deferri jubebant, quæ sincera, incorrupta, gravissima esse censebantur; & eorumdem in sententiis ferendis æquitas, atque auctoritas, signique Capitularis impressio *Fidedignitas* vulgo appellari solebat. Sed nullius collegii tanta est gravitas & integritas, quam non

Ad rem ecclesiasticam & disciplinam cleri stabiliendam sedulo incumbit.

Digitized by Google

non avaritia corrumpere ac violare possit, quæ interdum vel in ipsum sanctuarium irrepit. Itaque lucrandi cupidine stimulante, cum non deessent, qui ad illorum fidem, & integritatem tentandam aggrederentur, judicialem, qua præditi erant, potestatem quæstui habere, & sententiæ illorum venales esse ceperunt. Illi vero, penes quos erat custodia signi Capitularis, eadem capti avaritia pro tabulis publicis privatisque obsignandis nimio plus exigebant, quam consuetudo & æquitas postulabat. Quamobrem nonnulla ex Hungaricis Capitulis, communi & optima fama, quæ olim erat de illorum inexpugnabili fide atque justitia, prorsus amissa, potestatem quoque judicandi, & privilegium sigilli Capitularis amiserant; utrumque enim illis per summam ignominiam ademtum fuit. Stephanus Episcopus, ut dignitati, famæque sui Capituli & cleri consuleret, atque ab eo tale ac tantum dedecus averteret, tres sapientissimas leges præscripsit, quibus satis cautum esse existimavit, ne qua suspicio avaritiæ & injustitiæ, neve ulla ejusmodi infamiæ nota fratribus suis adhærescere posset. Prima hæc est, ut si vel a rege, & regina, vel a judice regalis curiæ, vel a Banis, proceribus, magistratibus Slavoniæ, vel etiam a privatis hominibus arbitri ad lites componendas, aut negotium aliquod transigendum a Capitulo vel clero postulentur, ii deligerentur, quorum fides, integritas, intelligentia in rebus judicandis, & gerendis spectata & probata esset, nullaque in eos avaritiæ suspicio caderet; secunda erat, ut, qui delecti essent, antequam ad caussam cognoscendam, & rem gerendam aggrederentur, jurarent per sacrosancta Evangelia, se nec prece, nec pretio, nec gratia, nec simultate ab recta judicandi, agendique ratione deduci passuros; tertia demum hæc est, ut ab illis, quorum caussa id incommodi laborisque susciperent, nihil peterent, sed ea remuneratione contenti essent, quam ipsi sponte contribuerent: hæc autem si admodum tenuis foret, ac minor, quam pro labore atque incommodo suscepto, quod justæ remunerationi deesset, ex proventibus sigilli Capitularis pro æqua æstimatione compensari jussit, & reliquam pecuniam ex iisdem proventibus perceptam in arcam bene clausam ac signo Capituli obsignatam recondi; & postquam hæc *Fidedignitas*, seu custodia sigilli, & hujusmodi caussarum & negotiorum delegatio in orbem, suam cujusque vicem, per omnes Canonicos ad id delectos iisset, his pecuniam illam æqualiter distribui voluit, seclusis tamen Canonicis illis, qui nondum sacris ordinibus initiati fuissent, quos omni etiam ad conventus Capitulares accessu prohibuit, omnique Capitularium proventuum perceptione privavit. His sapientissime constitutis ac decretis ut vim ac firmitatem adjungeret, si qui ea violarent, iis pœnam anathematis irrogavit.

has leges sapientissimas constituit.

Decretum Stephani.

Stephanus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis Ecclesiæ, omnibus ad quos præsentes pervenerint, quosque præsens negotium tangit, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam. Placens Deo veterum in domo Domini militantium conversatio, & fida operum exhibitio meruit eorumdem, ut ad ipsos per regnicolas in eorum agendis specialior, more patriæ laudabili, & tutior recursus habeatur. Sed quorumdam modernorum ab bonum pigra, ad malum vero prona subtilitas priorum suorum laudabiles gestas, sinistra molitur actione extinguere. Unde factum est, ut quorumdam locorum collegiatorum, & conventualium rectores, & personæ, dum cupiditati suæ fræna restringere, & manus a munere excutere noluerint, sigilla eorum, imo verius munimen, & Ecclesiæ suæ decorem, per quæ jura regni tueri solebant, novissimis temporibus amitterent, & tam suam, quam Ecclesiæ eorum famam sempiterno opprobrio macularent. Cum igitur illos felices describat antiquitas, quibus ex alieno præstatur cautela periculo; volentes dictam Ecclesiam nostram Zagrabiensem, cui auctore Deo, licet immeriti, præsidemus, sic undique esse regulatam, & sic tutam, ut nihil sit, quod sibi, & suis ministris possit afferre incommoda, nec locus timori relinquatur; de sano & maturo consilio, statuimus, irrefragabiliter statuentes, quod ad executionem cujuslibet negotii regnicolarum, quod longo usu Fidedignitas nuncupatur, dum fratres nostri de Capitulo per regem, & reginam, judices curiæ eorum, Palatinum, & Banum regni Slavoniæ, vel per aliquem justitiariorum Hungariæ & Slavoniæ regnorum, de aliqua re nunciis, aut litteris fuerint requisiti, tales deputent & designent ex Canonicis, præbendariis dictæ Ecclesiæ nostræ, pro varietate negotii, qui famæ nitore, conscientiæ puritate, & morum honestate præfulgeant, & contra quos alias nulla suspicionis causa in similibus extitit agitata. Qui antequam onus exequendi negotii assumant, jurent ad sanctos Dei, tactis Evangeliis sacrosanctis, quod nec pretio, nec odio, nec favore a veritatis tramite reflectentur; sed negotium sibi commissum, absque machinatione mali sine dolo exequentur; & quod nihil petant, vel recipiant a causante, quod dantem manifeste lædat, vel clamorem suscitet, sive murmur; sed habendo patientiam in dantem, hilariter recipiant quod offertur. In casum autem, ubi forte labor talium non æque bene remuneraretur, tot personæ ex dicto Capitulo, quot sigillare consueverunt, taxabuntur conscentiose, quantum debeat pensata laboris, & caussæ qualitate: pecunia vero obtenta, impensa prius digna retributione de labore illorum, qui hujusmodi negotia exequentur, (quam dispositioni eorumdem fratrum nostrorum relinquimus) usui Communitatis dicti Capituli per omnia deputetur, quæ scilicet pecunia reposita in arca ad hoc apta, sub sigillo Communitatis dicti Capituli, conservetur: & postquam juxta numerum Canonicorum dictæ Ecclesiæ nostræ Fidedignitas ipsa circumducta consummatur, eadem pecunia de dicta arca excepta inter personas & Canonicos ejusdem Ecclesiæ nostræ æqualiter dividatur, illis dumtaxat exceptis, qui non sunt in sacris ordinibus constituti, quique extra dictam Ecclesiam nostram absque manifesta & rationabili caussa commorantur. Volumus etiam, & sub pœna infrascripta præcipimus, ut antiquam, & præscriptam Ecclesiæ nostræ consuetudinem in scriptis redactam, qua cavetur, ut nullus admittatur in consilium, & agendis Capituli, qui non est in sacris constitutus, omnes Canonici & personæ dictæ Ecclesiæ nostræ . . . . jurent inviolabiliter observare in tantum, ut nemo Canonicorum ipsius Ecclesiæ nostræ, qui non est in sacris, admittatur ad consilium, secreta, agenda, dispositionem, vel quamvis ordinationem jam nominati Capituli Ecclesiæ nostræ, verbo vel litteris ineundam, nec singil-

Digitized by Google

latim vel lectioni litterarum, & instrumentorum, propria ipsius Capituli, vel exterorum jura tangentium, possint interesse, nec fructus, & reditus ex hujusmodi litteris provenientes percipiendi habeant facultatem: quos scilicet Canonicos non constitutos in sacris ordinibus, & nos auctoritate ordinaria his omnibus, scilicet consilio, & communione Capituli nostri fructuum & redituum, dictarum Fidedignitatum, & litterarum super his conficiendarum, & aliis, quibus supra, privamus, præsentis scripti patrocinio mediante. Proinde præcipimus firmiter obtinentibus & obtenturis in futurum in dicta Ecclesia nostra dignitates, personatus, beneficia & officia, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium venientes, monitione canonica præmissa, ferimus in his scriptis, quod præmissam constitutionem nostram, tam salubriter initam, jurent ad sanctos Dei ratam habere in perpetuum, & totaliter ad omnes sui clausulas effectui mancipare sine contradictione qualibet, & sine fraude. Tu vero custos Ecclesiæ nostræ prædictæ præsentem constitutionem, inter alia Ecclesiæ nostræ statuta compositam, studeas sub bona custodia conservare; & si forte aliqui extra sacros ordines constituti importune se ingerere præsumpserit, iidem fratres nostri de Capitulo, vel alter eorum, hos vigore harum constitutionum semper removere sub pœna excommunicationis prædictæ teneatur. In cujus constitutionis, & innovationis, ac privationis memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes nostro sigillo annulari secreto duximus consignandas. Datum Chasmæ in festo depositionis S. Regis Ladislai. Anno Domini 1364.

Stephanus Ep Zagrab. Vicarius generalis Slavoniæ & Abbas Toplicensis

Ludovicus rex Hungariæ Stephanum in primis dilexit & coluit. Eum *Vicarium generalem Sclavoniæ constituit*, eidemque Sacerdotium Toplicense demandavit. Quocirca in tabulis publicis inscribi solebat *Stephanus divina providentia Episcopus Zagrabiensis, & regni Sclavoniæ Vicarius generalis, & Abbas Toplicensis*, ut docet Thomas Kovascevichius. Stephani rogatu privilegium Caroli Patris Ladislavo Episcopo concessum confirmavit, quo quidem privilegio decimæ ejusdem speciei, ac fructus percepti Episcopo & Ecclesiæ solvi jubebantur. Ludovici diploma datum est *per manus Nicolai Episcopi Strigoniensis, & Cancellarii aulæ regiæ pridie Kalendas Januarii an.* 1360. apud Kereselichium, qui præter Venetam, alias etiam perhonorificas legationes, præsertim ad Romanum Pontificem Stephano ab Ludovico injunctas fuisse tradit; quas ille quidem & pro dignitate sustinuit, & e sententia gessit. Annos circiter viginti Ecclesiam Zagrabiensem summa cum vigilantia, prudentia, sanctitate gubernavit. Anno proximo, antequam e vita decederet, atrox pestilentia Zagrabiam invasit. Præclaram occasionem subveniendi suo gregi, & animam suam dandi pro ovibus suis optimus pastor haud prætermittendam putavit. Itaque, omni propriæ salutis vitæque cura posthabita, totum se contulit, atque impendit ad juvandos solandosque miseros illos contagiosa lue affectos, quibus nulla re defuit, neque ullum ab se seu divinum, sive humanum subsidium desiderari passus est. Vis exitialis morbi vix depulsa fuerat, cum ille letalem in morbum incidit vel e laboribus superioris anni pestilentis, vel ex ipso ministerio ægrotis impenso contractum: quo intra paucos dies extinctus anno 1375. migravit in cælum immortali susceptæ ad utilitatem gregis sibi commissi sollicitudinis præmio fruiturus.

varias legationes ab rege sibi impositas gessit.

DEMETRIUS EP. ZAGRAB. XXXIII.

Demetrius Ep. Sirmiensis, deinde Varadiensis, postea Zagrabiensis

De cujus genere & patria nihil certi proditum est; sunt qui natione Hungarum, sunt qui alienigenam fuisse tradunt. Vir plane magnus fuit, plenus consilii, & singularis in rebus gerendis solertiæ atque industriæ. E Sirmiensi ad Varadinensem Ecclesiam transivit, quam annos fere viginti sapientissime administravit. Post obitum Stephani IV. Ludovicus Demetrium ad regendam Ecclesiam Zagrabiensem evocavit; quo propius & commodius uti posset ejus consilio, operaque ad quælibet rei publicæ, & christianæ negotia expedienda, quibus tot tantisque distentus est, ut, cum annos circiter quatuor huic Ecclesiæ præfuerit, vix de illa cogitandi, nedum benemerendi, spatium habuerit. Itaque Episcopatus Zagrabiensis Demetrii nulla re memorabili ab eo gesta insignis fuit: *nihil hæc prælaturæ*, ut ait Ritterus, *in Ecclesia Zagrabiensi memorabile reliquit*. Gregorio XI. qui sedem Pontificalem Avenione Romam retulit anno 1378. mense Martio rebus humanis exempto, Pontifex creatus est Urbanus hujus nominis VI. Huic a factione Gallicana Clemens VII. Pseudopontifex objectus eodem anno Ecclesiam in duas partes pertinaci ac diuturno schismate distraxit. Ludovicus cupidus Ecclesiæ ad pristinam concordiam revocandæ Demetrium Episcopum Zagrabiensem oratorem tum ad Urbanum, tum ad Clementem misit, ut suasor utriusque esset, hortator, auctorque ad pacem Ecclesiæ restituendam. Et Clementis quidem aures ad omnem pacis mentionem insana ambitione obstructas, animumque reperit a deponendis insignibus pontificalibus per coitionem schismaticam susceptis longissime abhorrentem; ab eoque arroganter & superbe habitus, re infecta, discessit. Contra vero Urbanus regium legatum honorifice ac benigne accepit, de sua canonica electione diligentissime docuit, se legitimum Pontificem ei non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane persuasit; ac per se non stare ostendit, quominus, sublato schismate, tranquillitas optata Ecclesiæ redderetur. Hæc legatio, quamvis id, quo potissimum spectabat, assecuta non est, certe tamen universæ Hungariæ salutaris fuit; nam Demetrii auctoritate & suasione innixa contra Clementis, & schismaticorum contumaciam, turbulentamque dementiam cum rege Ludovico ab Urbano, & catholicorum causa constantissime stetit.

ab Ludovico rege orator missus ad Urbanum VI. & Clementem Pseudo pontificē.

Illud quoque mandatum a Ludovico rege ad Pontificem Demetrius habuisse dicitur, ut, quod ipse rex decreverat de regno Neapolitano post obitum Joannæ transferendo ad Carolum Dyrrhachinum, auctoritate & approbatione pontificia confirmandum curaret. Hic filius erat Ludovici dux Dyrrhachii, qui *Carolus parvus*, & *Carolus a pace* cognominatus fuit; e sanguine regum Siciliæ & Hungariæ originem traxerat, & tertio consanguinitatis gradu ipsum Ludovicum Hungariæ regem attingebat. Nam Carolus II. rex Siciliæ, sive Neapolis præter alios mares e Maria filia Stephani, & sorore Ladislavi regum Hungariæ Carolum Martellum Principem Salernitanum suscepit; ex quo geni-

Carolus Parvus filius Ludovici ducis Tarentini designatus rex Neapolitanus a Ludovicō rege Hungariæ.

Digitized by Google

genitus est Carolus Robertus, quem alii Ubertum vocant, rex Hungariæ, cujus filius Ludovicus regni paterni heres fuit. Idem Carolus II. genuit ex eadem Maria Joannem Ducem Dyrrhachii, Joanne ortus est Carolus & Ludovicus, Ludovico Carolus is, de quo nunc loquimur. Hunc igitur Ludovicus rex Hungariæ ex Italia evocatum regni Neapolitani heredem designaverat, quod ad se pertinere existimabat post mortem Joannæ reginæ, quæ nullam prolem susceperat neque ex Ludovico Tarentino ante aliquot annos vita functo, neque ex Jacobo Aragonensi filio regis Majoricæ, quo cum tertias nuptias copulaverat; nec porro spes erat liberos gignendi ex quarto conjugio, quod cum Othone duce Brunopolis in Saxonia recenter inierat. Ut vero ipsius Joannæ favorem Carolo conciliaret, Margaritam filiam Mariæ sororis Joannæ, genitam ex Carolo duce Dyrrhachii, quem Ludovicus de nece Andreæ fratris vehementer suspectum interfici jusserat, uxorem ei dedit, impedimento consanguinitatis, quæ inter utrumque intercedebat, per Pontificem Max. sublato; Carolus siquidem & Margarita erant filii duorum fratrum; hanc Carolus dux Dyrrhachii, illum Ludovicus Caroli frater genuerat; uterque autem filius erat Joannis dux Dyrrhachii & nepos Caroli II. regis Neapolis & Siciliæ. Quapropter Joanna cum liberis careret, gravate ferebat regnum Neapolitanum ad Carolum devolvi, cum is Margaritam filiam sororis suæ in matrimonio haberet. Porro Ludovicus, ut Carolum assuefaceret ad imperium, resque publicas administrandas, Dalmatiæ, & Chrobatiæ Ducem præfecit; & anno 1375. cum Margarita in Dalmatiam misit. Cum Jaderæ domicilium sibi, ac sedem constituisset, in ea civitate Margarita filiam peperit, cui in gratiam materteræ suæ nomen Joannæ imposuit. Assentiente igitur Joanna, nihil obesse videbatur, quominus regni Neapolitani Carolus potiretur, si Pontifex Romanus, penes quem erat dominium supremum regni utriusque Siciliæ, consensum præbuisset. Hunc vero ut obtineret, Demetrius regius legatus, nomine jussuque Ludovici ab Urbano VI. postulavit. Ut, quod petebat, assequeretur, nullum tempus opportunius esse poterat; jam enim Joanna ad partes Clementis Antipapæ defecerat, ejusque susceperat patrocinium. Quare postulatio Ludovici, non solum æqua & honesta videbatur, sed etiam turpis illius, & ingratissimæ ab legitimo Pontifice defectionis ulciscendæ facultatem præbebat. Itaque regiæ voluntati ac petitioni libentissime satisfecit; quin postea suis litteris, ac nunciis Ludovicum hortari, atque urgere institit, ut traducto in Italiam exercitu regnum Neapolitanum invaderet, illudque aut sibi, aut Carolo Dyrrhachiensi adipisceretur.

Regnum Neapolitanum Carolo decretum a Pontifice confirmandum Demetrius curavit.

Interea dum Demetrius in urbe manebat, Urbanus ejus insigni probitate, doctrina, prudentia captus, eum dignum censuit, quem in sacrum Cardinalium collegium cooptaret; & titulo *SS. Quatuor Coronatorum* insignivit. Sub idem tempus de interitu Thomæ Metropolitæ Strigoniensis allatum est; Ludovici rogatu Demetrium, vinculo, quo Zagrabiensi Ecclesiæ illigatus erat, dissoluto, Ecclesiæ Strigoniensi Archiepiscopum dedit. Sunt qui antea Archiepiscopum, deinde Cardinalem creatum fuisse tradant, contra quam Kereselichius, & Kovacevichius docent, itemque Samuel Timon in eo libro, qui inscribitur *Purpura Pannonica*: *ab eodem*, inquit, *Pontifice* (Urbano) *in sacrum collegium titulo SS. Quatuor Coronatorum cooptatus est. Demum ex humanis erepto Thoma Metropolita, dispensante Urbano, Strigoniensi sedi præesse, & aulæ regiæ Cancellarii munera obire jussus est anno a partu Virginis 1379.* Strigoniense sacerdotium adeptus multa & præclara pro Ecclesia & regno gessit, quæ commemorat P. Nicolaus Schmitth in suis Archiepiscopis Strigoniensibus. Vita functum tradit anno 1386. vel sequenti: *Demetrius*, inquit, *quadraginta annis Præsul Ecclesias moderatus est; sui perennem memoriam apud Hungaros & Romanos reliquit.*

Idem Demetrius Cardinalis, & Archiepisc. Strigonien.

PAULLUS EP. ZAGRAB. XXXIV.

Ex Italia oriundum fuisse aliqui censent; Balthassar Adamus Kereselichius ex tabulis nescio quibus docet fratrem fuisse Joannis de Palisna prioris Auranæ ex ordine militari equitum Rhodiorum, quocum adversum Mariam filiam Ludovici reginam Hungariæ de adducendo in regnum Hungariæ Carolo Dyrrhachino conjuravit. Paullus Ritterus ex Canonico & *Cantore* Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopum factum esse existimat, & illum ipsum esse, qui Venetiis anno 1358. cum Ladislavo Canonico Budensi testis adfuit sollemni sacramento, quo Veneti conditiones pacis, quam cum Ludovico rege fecerant, confirmarunt: *Actum Venetiis in Ecclesia S. Marci, præsentibus Reverendo Patre D. Raymundo electo Patracen. Archiepiscopo ... D. Paulo Cantore, & Canonico Zagrabiensi, & D. Ladislao Canonico Budensi testibus rogatis, & aliis. Anno Domini 1358. Indict. IX. die Dominico 25. Februarii feliciter. Amen.* Paullus bonis orsus initiis tristes exitus habuit; Ludovici regis gratiam, & singularem erga se benevolentiam Mariæ Ludovici filiæ male rependit, & fidem parenti datam per execrabilem filiæ proditionem violavit. Anno 1379. regimen Ecclesiæ Zagrabiensis suscepit, quam, dum in fide & officio mansit, sapientissime gubernavit non minus regi, quam regiis præfectis, clero, & populo charus acceptusque. Ad christianam pietatem augendam, auctore & hortatore Capitulo, piam sodalitatem instituit sub titulo & auspiciis Beatæ Virginis, & S. Stephani regis; quod lingua Slavonica *Kalendam* vocant. Huic adscribi voluerunt tum Canonici omnes, tum plerique presbyteri, & clerici, tum vero plurimi laici ex omnibus civitatis ordinibus. Ut vero hæc præclara institutio mortuis pariter, ac vivis prodesset, has leges præscripsit.

Paullus ex Canon. & Cantore Ep. Eccl. Zagrab.

erga Ludovicum, ejusque filiam Mariam ingratissimus.

Pium sodalitium instituit, eique leges præscripsit.

I. Die S. Hieronymi Missam Episcopus celebrabit pro sua, & antecessorum animabus; & eleemosynam distribuet propriis expensis aliis duabus diebus ex bonis congregationis, cum fratribus, & decano, prout bonorum facultas expediet.

II. Episcopus annuo dabit florenum unum, & vini cubulos 20. quilibet Canonicus in dignitate florenum medium cubulos 10. reliqui Canonici quartam partem floreni, vini cubulos quinque, decano præsentandos, prabendarii vero, ut simplices Canonici, pauperes, sæculares den. 20.

III. Corpus defuncti comitabuntur; & quilibet pro ejus anima candelas dabit, & Missam cele-

librari faciet. Bona Kalendarum numquam vendentur, & decano omnes obediant.

Orator ab rege missus de pace cum Venetis sancienda.

Ludovicus rex Paullo, cujus fidei ac prudentiæ multum tribuebat, & fidebat, usus est oratore, ut pacem cum Venetis sanciret. Res paullo altius mihi ordienda est. Ligures cum Francisco Carrario Dynasta Patavino, & Patriarcha Aquilejensi sociali fœdere conjuncti bellum acerrimum cum Venetis gerebant. Anno 1378. in hujus belli societatem traxerunt Ludovicum regem Hungariæ, qui eo avidius cum Liguribus socia arma conjunxit, quod non secus atque illi, nihil vehementius cuperet, quam Venetis totius maris possessionem eripere, sive ut ipse Adriatici dominatu potiretur, sive ut insulas urbesque maritimas Dalmatiæ sibi tutas a Venetis præstaret, præsertim vero ne quid impedimenti objiceretur a Venetis, si necesse esset exercitum Hungaricum in Italiam transmitti ad regnum Neapolitanum occupandum, vel tuendum. Carolum Dyrrhachiensem regem Neapolis designatum copiis Hungaricis præfecit, quas auxilio misit sociis fœderatis, qui Tarvisium obsidebant. Sed cum Joanna ab Urbano VI. ob schismaticam cum Clemente Antipapa coitionem anathemate perculsa Ludovicum Andegavensem fratrem Caroli V. regis Galliæ ad sui regni præsidium accersisset, & oblata spe ejus regni obtinendi filium sibi adoptasset, Ludovicus rex Carolum e Tarvisina obsidione evocavit, ut vires copiasque omnes ad regnum illud sibi decretum occupandum traduceret. Antequam discederet, rex jusserat experiri, & tentare omnia, ut pax cum Venetis redintegraretur; & ex ejusdem regis mandato cum Stephano Archiepiscopo Colocensi, & tribus aliis regni Hungarici proceribus Paullum Episcopum Zagrabiensem, ut docet Kereselichius, ex monumentis translationis corporis S. Paulli Eremitæ paulo inferius proferendis Internuncium adhibuit, atque ad Venetos misit: sed hæc Paulli legatio ad an. 1381. rejicienda diverso, ac certiori modo narratur, ut postea exponam. Quæquæ autem consilia pacis animo Ludovicus aluerit, illa certe Franciscus Carrarius disturbavit, cum proponi voluerit Venetis conditiones iniquiores, quam accipi possent, salva Veneti nominis atque imperii dignitate. Itaque Carolus, pace infecta, cum duos circiter menses ad Tarvisium sedisset, copias abduxit, & cogitationem curamque omnem ad belli Neapolitani comparationem contulit; quippe Ludovicus regnum Siciliæ citra Pharum sibi a Pontifice oblatum, cujus potiundi cupiditatem tum ætas ingravescens, tum valetudo male affecta ipsi ademerat, in Carolum Dyrrhachiensem jampridem transtulerat. Hic igitur cum exercitu profectus intra finem anni 1380. Romam venit, ubi ab Urbano Senator urbis declaratus est. Anno insequenti, æstate jam adulta, Pontificiis auxiliaribus copiis aucto exercitu, regnum invasit, victo repulsoque Othone duce marito Joannæ, qui ad fines tuendos, aditumque intercludendum occurrerat. Itaque victor, ac sine ullo certamine Neapolim contendit, urbem civium quorumdam proditione cepit, Joannam reginam in arce obsessam, omnique auxilii spe destitutam in castellum S. Felicis inclusit. Ludovicus Andegavensis cum quindecim millibus equitum alpes jam quidem transcenderat; sed serum id auxilium fuit; antequam regni fines ingrederetur, illam Carolus eodem, quo Andream conjugem suum necasse dicebatur, mortis genere sustulit. Andegavensem certaminis avidum cunctando fregit. Dum bellum in Apulia trahitur, ille biennio post aditam Italiam, incertum morbo, an veneno, extinctus est, & exercitus Gallicanus, amisso duce, dilapsus. Othone vel invito, Carolus regni Neapolitani potitus est.

Carolus Parvus regnum Neapolitanum invadit.

Victoria Venetorum.

Interea, dum hæc ibi geruntur, Veneti post Clodiam amissam, & varia prælia in ipsis æstuariis vario Marte commissa, classem Ligusticam, Clodiam urbem arcta obsidione cinctam, ab omni commeatu, & sociorum auxiliis interclusam decimo fere mense, quam ab hostibus expugnata fuerat, ad deditionem perpulerant. Urbe hac recepta, prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt Classis Veneta in Istriam atque Dalmatiam transmissa, Justinopolis recuperata, Senia capta & direpta, Buccaris oppidum incensum, insula Veglæ ad Venetum imperium recipiendum compulsa, Tarvisium vero, ne in potestatem Carrarii veniret, Leopoldo duci Austriæ traditum.

Res Clodiensi bello gestas fuse narrat Raphaynus Caresinus Venetæ Reipublicæ Cancellarius in accuratissimis additamentis chronico Andreæ Danduli ducis subjectis; & ex iis a Muratorio editis Tom. XII. inter Scriptores rerum Italicarum comperio, Hungarici regis legatos, quibuscum Paullus Zagrabiensis Antistes aderat, Augustam Taurinorum missos primum fuisse ad Amedeum Allobrogum ducem, quo auctore, pax cum Venetis, Ligure, Ludovico rege, horumque sociis composita est an. 1381. VI. Id. Augusti, atque inde *die* XI. *Octobris* ejusdem anni Venetias appulsos *nomine regis pacem juraturos*: idem vero testatur Daniel Chinatius, qui iis temporibus æqualis de bello Clodiensi commentarios scripsit ab eodem Muratorio typis vulgatos Tom. XV. de Scriptoribus rerum Italicarum. Hac autem ipsa legatione ferunt quidam corpus S. Paulli Eremitæ Venetiis abductum a Paullo fuisse, & in Hungariam avectum.

Paullus ad Venetos missus corpus S. Paulli primi Eremitæ in Hungariam transtulisse dicitur.

Cum enim ordo Eremitarum S. Paulli primi Eremitæ sæculo superiori ab Eusebio Canonico Strigoniensi institutus, & sub initium hujus sæculi a Cardinali Gentili legato Sedis Apostolicæ approbatus in Hungaria latius in dies propagaretur, nec magis cœnobiorum numero, quam doctrina & sanctitate floreret, Ludovicus rex ad ejusdem Ordinis præsidium ac decus miro studio cupiebat corpus S. Paulli Anachoritarum parentis adipisci, quod Constantinopoli Venetias translatum fuisse fama & auditione acceperat. Quare inter conditiones pacis cum Venetis redintegratæ illa fuit non postrema, ut sacras illas exuvias sibi traderent pignori futuras ad pacem & amicitiam magis magisque stabiliendam. Ad eas recipiendas devehendasque in Hungariam anno 1381. Venetias missus Paullus Zagrabiensis Episcopus cum Valentino Quinqueecclesiarum Antistite opportune adfuit. Exceptæ sunt perhonorifice, atque depositæ in sacello regio arcis Budensis; quas deinde Demetrius Cardinalis, & Archiepiscopus Strigoniensis eodem anno XVIII. Kalendas Decembris ingenti hominum frequentia, insigni apparatu & pompa, sollemnique supplicatione transtulit ad templum, & cœnobium Paullinum S. Laurentii non longe a civitate Budensi disjunctum. Hæc tradit Balthassar Kereselichius ex *Mss. SS. Illyrii*, in quibus hæc translatio his verbis descripta est.

Die

Digitized by Google

Die XIV. Novembris.

De Translatione S. Paulli primi Eremitæ.

Historia translationis.

Paulli primi Eremitæ corpus, opera Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani, gremio terræ effossum, Constantinopolim est translatum. Hoc miraculorum ejus fama evulgata, Jacobus Lancio civis Venetus, Constantinopolim profectus, cum primis urbis agendo, obtinere missus est. Sed nec conquievit, donec quod concupierat assequeretur. Redux cum sacro pignore Venetias, illud ex Senatusconsulto in Ecclesia S. Juliani Martyris honorifice deposuit. Interea B. Eusebius, Strigoniensis Canonicus, primus S. Paulli primi Eremitæ instituti cum aliis nonnullis, piis viris, ab Urbano IV. Summo Pontifice, regula S. Augustini Romæ cooperante S. Thoma Aquinate Angelico Doctore accepta, in Hungaria dedit initium. Qui sæculo valedicentes imitatione SS. Anachoretarum, Paulli, Antonii, Hilarionis, Macharii & aliorum, in sylvis & montium radicibus Deo vacare inceperunt. Aucto deinde fratrum Eremitarum in Pannonia numero, ipsorumque pietate ac religione evulgata, Bartholomæus Quinqueecclesiensis Episcopus, nobile eis, S. Jacobi nomine, primum omnium monasterium in Patak exstruens, eosdem in unum coegit, formulam in communitate vivendi præscripsit, eosque in suam tutelam cooptavit. Postquam autem dictum Ordinem, Fr. Gentilis Ordinis Minorum Cardinalis, de latere in Hungaria legatus, auctoritate Clementis V. sub eadem regula S. Augustini confirmavit, in Poloniam, Germaniam, atque Hispaniam diffusus est. Ut autem non solum Ordinem S. Paulli primi Eremitæ, sed etiam corpus ipsius haberet Pannonia, Ludovicus primus, rex Hungariæ, finem bello, quod cum Venetis gerebat atrocissimum, imponere prius noluit, quam ei se corpus S. Paulli daturos spondere nt. Pro quo Valentinus Quinqueecclesiensis, & Paullus Zagrabiensis Episcopi Venetias expediti; veriti, ne si forte ejusmodi reliquiæ in luce auferrentur, & impetu furentis turbæ popularis, rei exitus turbaretur, placuit noctis sub silentio, urbe exportari. Opinione sola habendi, apud eos remanente. Anno igitur Domini 1381. Die IV. Octobris, Venetiis solventes, maris terræque emensis spatiis, prospero cursu breviter confecere. Budamque Hungariæ regiam appulere, rege & omni populo eidem occurrentibus. Et primum quidem in sacello regio arcis Budensis corpus ipsum venerabile, sub fratrum Eremitarum custodia fuit depositum. Deinde XVIII. Kal. Decembr. per Demetrium Cardinalem tituli SS. 4. Coronatorum, Archiepiscopum Strigoniensem sollemni processione ad monasterium Fr. Eremitarum tituli S. Laurentii supra Budam translatum, & sua cum gloria ibidem collocatum. Ex quo etiam die, iidem fratres Eremitæ habitu interiori albo, instar Dominicanorum, uti inceperunt. Post funestam deinde cladem Mohachianam, prætactum S. Corpus, ad varia sacra loca, novissime ad arcem Trenchiniensem, tutioris conservationis gratia, deportatum, ibidemque a duobus Patribus Eremitis custoditum fuit. Verum a Germanis succensa arce, ac prætacti Sacri Corporis custodibus, combustum exstitit die 15. Novembris.

Postrema verba vel aliena & posteriore manu addita sunt, vel certe auctor hujus scripti sæculo decimo sexto, & clade Mohachiana antiquior non fuit.

De corpore S. Paulli Venetiis in Hungariam translato eadem breviter scripsit Joannes Archidiaconus *Kikulleus* Vicarius generalis Archiepiscopi Strigoniensis in Transilvania ante Ludovici regis *notarius a secretis: Denique*, ait, *ordo fratrum Eremitarum B. Paulli primi Eremitæ in regno Hungariæ florere incæpit, & multiplicari. Item corpus ejusdem B. Paulli Patris dicti Ordinis de Venetiis in Hungariam translatum est; & in claustro Eremitarum apud S. Laurentium prope Budam in vertice montis depositum, in quo loco & B. hujus Patris venerantur merita;* & populorum laudantium *Deum concurrit frequentia;* ex vita Ludovici regis ab eodem Archid. descripta, cap. 41. Idem confirmat Petrus Ranzanus in epitome rerum Hungaricarum. *Sub eo* (Ludovico) *B. Paulli primi Eremitæ corpus e Venetiis in Hungariam translatum est.* Sed Antonius Bonfinius rer. Hungaricarum Dec. 2. lib. 10. translationem Hungaricam S. Paulli videtur referre ad ætatem regnumque Caroli parentis Ludovici, contra quam ceteri Hungarici Scriptores tradiderunt. Verum de ejusdem sanctissimo corpore primum Constantinopolim, deinde Venetias, demum in Hungariam traslato extat historia fusior & accuratior ex antiquo codice ab Joanne Gamansio Soc. Jesu descripto, quam Joannes Bollandus Tomo primo die x. Januariis Actis S. Paulli subtexuit. Postquam auctor de utraque priore translatione Costantinopolitana, & Veneta narravit, de tertia Hungarica hæc subjecit: *Sic nimirum inter partes* (Venetas & Hungaricas) *pace firmata, sedatis undique dissensionum vepribus, præfatus Christianissimus rex volens emissi sui voti prosecutioni insistere, & fautori suo sponte oblata exolvere, sollemnes ambasciatores, videlicet Ven. in Christo Patres, & Dominos, Valentinum Quinqueecclesiæ, & Paullum Zagrabiensis Ecclesiarum Episcopos, viros Ungaros natione claros, Canonum scientia illustratos, de cursu temporalium non ignaros, cum quibusdam regni sui optimatibus, pro ipso sacro obtinendo thesauro, ad civitatem Venetorum destinavit. Qui cum celeritate festinarunt, ad obsequium tantæ majestatis pleno desiderio aspirantes, modos & vias, quas prædicto norant convenire, operosæ sollicitudinis studio excogitantes, diu desideratum donum obtinuerunt votive. Sed cum hujusmodi reliquiæ curæ fuerint communi, ne impetu furentis turbæ popularis rei desideratæ & obtentæ aliquantisper turbaretur exitus; consulta deliberatione, civium usi consilio, in secreto lucifugæ noctis silentio, lucescente die quarto mensis Octobris, anno Verbi incarnati 1381. exanime corpus non indevoti, sed magno devotionis affectu de Ecclesia S. Juliani memorata suscipiunt, & in capsa lignea artificiose fabricata fortuna celeri, cui arrisit divina clementia, cum duobus aliis corporibus Sanctorum Innocentum, qui ab Herode in Evangelio leguntur occisi, quæ & ipsi Veneti grata sinceritate ipsi Domino regi dederunt, usque Wudam, insignem & amœnissimum regni Ungariæ locum, & præcipuum, sub felicibus auspiciis, imperante Deo cæli ventis & mari, omni cessante tempestate, felici cursu in tranquillitate pacis, & optatæ quietis, divina dextera eorum assistente processibus, felicius perduxerunt. Ubi eadem sanctissimæ reliquiæ cum maxima devotione & reverentia a clero & populo, diverso apparatu ad cultum divinum adornato, incensis luminaribus, venerabiliter sunt susceptæ, & in capella regia sub custodia Patrum ejusdem Ordi-*

Translationé Hungaricam corporis S. Paulli auctores quidam confirmant.

Historia translationis Hungaricæ ex codice MS.

Ordinis S. Paulli, interim deputatæ. Gaudet inclytus regis animus . . . Volant interim hujus sancti miracula . . . . Firmatur regis & regni majorum consilium, quod Reverendissimus in Christo Pater, ac Dominus D. Demetrius tituli Sanctorum quattuor Coronatorum, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, Sanctæ Otergoviensis Ecclesiæ gubernator perpetuus (itemque Strigoniensis Archiepiscopus) *aulæque regiæ supremus Cancellarius, Apostolicæ Sedis in regnis Hungariæ & Poloniæ legatus, probitate pius, pietate devotus, moribus mansuetus, & mansuetudine fidus, fidei & sinceritatis alumnus, quem rex experta scientia & cognita ad plures honores successive, effectuose promovit, supradictas sacrosanctas reliquias de capella regia, in Ecclesiam gloriosi Martyris S. Laurentii, quæ distat uno milliario a Wuda versus occidentem, & in claro monte Wudensi est situata, ubi est egregia turba monachorum, qui sub titulo dicti Patris, & sancta observatione militant, quique divinis insistunt laudibus, vacant orationibus, atque ibi tamquam suo capiti, filii Patri, magistro discipuli, duci milites, Deo & ipsi S. Paullo jubilant, & sedulum ac debitum impendunt famulatum, collocaret. Qui ascitis sibi Episcoporum, religiosorum, sæcularium, & aliorum multitudine copiosa, tollens corpus S. Paulli de capella regia 18. Kalendas Decemb. in ipsa Ecclesia venerandum cum suprema reverentia deposuit; & ipsum diem festum translationis ejusdem deinceps celebrari, vigore & auctoritate suæ legationis, instituit & mandavit. Et ut Christi fideles ad frequentationem reliquiarum diligentius illo die animaret, omnibus vere pœnitentibus & contritis, & confessis quis in ipso die translationis, memoratas S. Paulli reliquias humiliter & devote visitarent, de omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Paulli auctoritate confisus, unum annum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit. In quo loco suffragium S. Paulli humiliter implorantibus innumera beneficia præstantur a benedicto Domino nostro Jesu Christo, qui facit mirabilia magna solus, cujus sunt hæc dona, cujus sunt hujus deserti sacrificia, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

De corpore S. Paulli variæ auctorum sententiæ.

Translationem Hungaricam sanctissimi illius corporis in dubium revocari ex eo videtur, quod Andreas Saussajus in supplemento Martyrologii Gallicani scripsit *Corpus S. Paulli primi Eremitæ in Galliam translatum, apud Cluniacum Archimonasterium repositum, ibi religiose servari:* quin & in itinere litterario duorum Monachorum S. Benedicti e Maurina sodalitate memoriæ proditum est, in Laudunensi S. Vincentii Monasterio *reliquias S. Chanoaldi Episcopi, atque caput S. Paulli primi Eremitæ* religiose coli. Joannes Bollandus non corpus, sed aliquas reliquias ex corpore S. Paulli aut Constantinopoli, aut Venetiis, aut ex Hungaria illuc allatas esse existimat. Idem vero Bollandus in Appendice ad diem x. Januarii ait *verisimile esse non integrum corpus Venetiis in Hungariam translatum, sed aliquas ejus partes. Nam Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi scribit, Venetiis etiamnum in æde S. Juliani asservari S. Paulli corpus, capite Romam translato, ipsosque S. Paulli sodales eas reliquias anno 1616. ineunte Majo veneratos, vexillum in ea æde suspendisse, ipsius S. Eremitæ effigie insignitum, ac Patriarchæ supplicasse, ut sibi partem aliquam earumdem reliquiarum donaret, in sua Ecclesia collocandam. Particulam aliquam capitis Romæ in æde S. Mariæ, quæ in Campitelo dicitur, asservari testatur Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ urbis, alias item particulas ejusdem Sancti, in aliis quibusdam Romanis basilicis extare.* Flaminius Cornelius in monum. Eccl. Venet. Tom. 3. dec. 5. gravibus sane rationum momentis in dubium revocat Anonymi historiam de corpore S. Paulli Venetiis in Hungariam delato, ejusque sacra lipsana adhuc in æde D. Juliani, ubi primum reposita fuerunt, servari integra affirmat. *Equidem*, inquit adversus Anonymum, *si Venetus Senatus sacrum illud corpus regi destinasset, quid obstare poterat, ne res succederet sine populari motu, ea præsertim tempestate, qua respublica nullis unquam intestinis dissidiis laboravit? Cum Hungaris oratoribus Budam redeuntibus in eam simul profectos esse civitatem oratores duos Venetos Leonardum Dandulum, & Fantinum Georgium, & ipsos pacem juraturos tradunt Chinatius, & Fantinus . . . num hi fuerunt Veneti illi, qui sacrum corpus ad regem Hungariæ detulerint? Mirum sane rem hanc altissimo involvi silentio apud Scriptores Venetos omnes; nec enim pudebat eos sacra lipsana, quæ ardentius Ludovicus optabat, dono eidem dedisse. Mirum quoque regis vota, oratorum postulationem, annuentem Senatum, factasque deliberationes perpetuo obliterare silentio voluisse tot auctores, qui rerum Venetarum aut historias, aut chronica, aut alia in genus opera elucubrarunt. Mirum quoque hæc fieri potuisse insciis plebano, & presbyteris, & Ecclesiæ custodibus: quod si nocturni arcani participes dixerimus, profecto mirabilius est, nec per ipsos, nec per maritimos vectores, qui sacra corpora ad regem detulerunt, rem fuisse vulgatam. Interea dum secretæ deductionis negotium universam urbem latet, sepulcrum S. Paulli sacris ejus ossibus vacuum, vel alienis refertum non interrupta veneratione frequentatur. Numquid putandum est Patres antiquæ pietatis immemores irreligiosa fraude permisisse, corpus, quod aberat, adhuc a populo coli, omnesque P. C. in tantum scelus consensisse? Si prudenter omnia hæc, & mature attendantur, haud difficile erit, Hungaricum codicis Scriptorem nec paucis, nec levibus vitiis laborantem nulla fide donandum esse tuto pronunciare.* Hæc Cornelius, aliaque plura, quæ Hungarico codici fidem omnino adimere queant. Præterea Fortunatus Ulmus in notis vitæ S. Paulli subjectis, editisque anno 1668. & Hungaricam translationem omnino reticet, & addit, *cum Hungaricæ translationis memoria in quoddam Breviarium an. 1540. typis vulgatum improvide irrepsisset, haud multo post idem Breviarium vetitis libris Apostolicæ sedis auctoritate adnumeratum fuisse.* Sane in iis divinæ Psalmodiæ lectionibus, quibus Patres Paullini utuntur sollemni D. Paulli die, ne verbo quidem ullo Hungarica hujusmodi translatio innuitur; easque laudatus Cornelius exhibet citato superius in loco. Aliquot igitur fragmenta ex illo sacratissimo deposito decerpta aliis in locis asservari, colique facile concesserim, sed de integro Paullino corpore, vel magna ex parte in Hungariam avecto quid tuto affirmem, ignoro; & tam multi, præter Anonymum, Scriptores, præsertim Joannes Archidiaconus Kukulleus Ludovico regi æqualis, qui Paullinam in Hungariam

riam translationem narrant, locum adhuc dubitandi Venetos inter, & Hungaros sacri corporis possessores relinquunt. Duo præterea SS. Martyrum Innocentum corpora regiis legatis a Venetis tradita fuisse, & in Hungariam transvecta, scribit idem Anonymus; sed Benedictus Vinchovichius Episcopus donata fuisse tradit ab Andrea rege, cum Hierosolymitana expeditione perfunctus in Hungariam rediit.

Mors Ludovici regis. Anno 1382. pridie Idus Septembris Ludovicus rex Hungariæ decessit. Nihil masculeæ prolis, sed duas ex uxore Elisabetha filias reliquit, Mariam, & Eduvigem; hæc nupsit Ladislavo duci Lituaniæ, cui Dynastæ, & proceres Poloniæ regnum illud, Ludovici morte vacuum, detulerunt; siquidem Casimirus rex, cum liberis careret, Ludovicum filium Elisabethæ sororis suæ heredem regni Polonici instituerat. Maria vero, utpote major natu, regni Hungarici paterni heres, post justa sollemnia parenti soluta, regis nomen & insignia sumpsit; vulgo enim non reginæ, sed regis nomine appellari solebat. Eam pater Sigismundo filio Caroli Imperatoris, & fratri Venceslavi itidem Imperatoris, Marchioni Brandeburgensi desponderat. Sed cum nondum satis matura esset imperio, Ludovicus moriens filiæ tutelam, & rerum publicarum administrationem Elisabethæ matri commendaverat. Vix unum itemque alterum annum mater & filia regnaverant, cum quidam Hungariæ, & Dalmatiæ proceres, muliebris dominatus pertæsi, nimiam gratiam & potentiam exosi, quam Nicolaus Gara Palatinus apud reginas obtinebat, de utraque regno expellenda conjurarunt. Hujus seditionis auctores præcipuos fuisse comperio Paullum Episcopum Zagrabiensem, qui & fidem parenti filiæque datam, & dignitatem Episcopalem nefaria proditione fœdavit, Joannem de Palixna Priorem Auranæ, Joannem Horvath Banum Slavoniæ, & Stephanum Latzchovichium, quem sibi suspectum Elisabetha Banatu, seu principatu Dalmatiæ & Chrobatiæ amoverat, substituto in ejus locum Thoma de S. Georgio. Cum itaque de regno Hungariæ ad Carolum regem Neapolitanum transferendo clandestinis inter se consiliis agitarent, in hujus conjurationis societatem plurimos e nobilitate Hungarica & Dalmatica traxerunt. Rei perficiundæ partes Paullus Episcopus sibi desumpsit; & anno 1383. per speciem Romani itineris Neapolim se contulit, Carolum adiit, & hanc apud illum orationem habuisse tradit Joannes Thuroczius in sua chronotaxi.

Maria ejus filia heres Hungarici regni sub tutela matris Elisabethæ.

Conjuratio contra utramque.

Paullus Neapolim profectus Carolum regem ad regnum occupandum invitat.

Ejus oratio. *Magnanime princeps, tuorum grata reminiscentia progenitorum, apud nos nondum ingratam abolita per oblivionem, nostros ad te dirigere recursus nos animavit. Te alto regum Hungariæ de sanguine ducere originem, & præter te nostri sceptra regni competere scimus nemini. Es nostrorum virilis divorum propago regum; effrænem gentem femineum nequit regere imperium. Levis sexus, quas suscitavit guerras, componere nescit, illa quam quondam grata ubertate pollentem vidisti Hungariam, sævo stat marte lacerata. Atris concussæ flammis ædes, nigras redactæ in fasces, flebilia vestigia monstrant; Dominorum cædes agros steriles cruentat, plebs malignas scissa in partes totis regni in viscera viribus sævit, seseque omnes intestina rabie regnicolæ rodunt. Quid inquam? ignipedes veluti fetantis equi, spreta levitate vectoris, per devia sparsi, orbem quondam impleverant favillis: sic gravibus regnum pestibus undique implevere. Fractum igitur ut componeres regnum, discordes unires duces, regnicolasque humiles tranquilla pacis amœnitate gaudere faceres, nostrosque subires, quos ferre nequimus, labores, & rex Dominusque noster effici non recusares, te vocamus. Tibi jure debetur regnum; tibi nos æternalis jugo fidelitatis bona fide subjicimus, ut illos, tui quos amavere parentes, & tu amato. Tua itaque serenitas veniat: nos quoque illud, quod viatici, & ad res componendas necessarium erit, fideliter efficiemus. Si enim præjudicium sororis, quam ut nosti solio venerati sumus paterno, tua majestatis morderet conscientiam, præter solitum & illam sublimavimus; nec dato oneri feminea sufficit sagacitas; maturi etiam ætas viri tanto sub pondere sudat. Hungariæ populus, antiquo exposcente flagitio, undique medios inter hostes positus est, odiis præterea intrinsecis potentis ad instar pelagi fluctuat, & ut peregrinis ab insultibus tueatur, marem expostulat. Quodque tanti habenas regni virgo temperet, ardua res est; rebus in talibus magnanimi manus viri interdum nutare videntur. Quid amplius differam? tibi & illi moderamine adhibito sufficiet; latum enim est regnum Hungariæ*: ita Thuroczius.

Oratio Paulli, & invitatio procerum Hungariæ Dalmatiæque Carolum facile perpulit, nequidquam eum dehortante, ac deterrente Margarita conjuge, ut occasionem spemque oblatam potiundi regni Hungarici avidius, quam cautius acciperet. Oratore dimisso, ad res Neapolitanas componendas ac firmandas, ne quid detrimenti se absente caperent, aut alicui periculo subessent, annum integrum, & paullo amplius contulit. Anno 1385. duas triremes instrui ornarique jussit, quibus in Dalmatiam transvectus Seniam appulit; inde terrestri itinere Zagrabiam venit; & a Paullo Episcopo in ædibus Pontificiis perhonorifico lautissimoque hospitio acceptus tres fere menses in ea civitate commoratus est. Cum de aucto fautorum suorum numero, auctisque opibus, & viribus lætissimi nuncii venissent, nullam moram interposuit, quin statim cum Paullo Episcopo & ingenti procerum comitatu Budam properaret. Ejus adventu reginæ perculsæ cum essent, simulatis tamen benevolentiæ, atque honoris officiis eum prosecutæ amicum sibi habere, quam hostem experiri maluerunt. Ille vero paucis post diebus Albam progressus inter faustas acclamationes, infaustis ominibus, regale diadema impositum sibi a Demetrio Archiepiscopo Strigoniensi suscepit, mense Octobri, anno 1385. Sed anno insequenti VI. Idus Februarii cum vita regnum utrumque amisit; nam Nicolao Gara instigante, Blasius Forgachius Carolum ex insidiis adortus interfecit. Regni Neapolitani heredem reliquit Ladislavum filium adhuc impuberem sub tutela matris Margaritæ, ex qua etiam Joannam filiam susceperat.

Carolus itinere maritimo Dalmatiam, inde terrestri Zagrabiam venit.

Sublato Carolo, seditiosorum hominum audacia compesci, & conjuratio illa contra reginas conflata facili negotio restingui posse videbatur. Rebus Hungaricis paullisper tranquillatis, ut in Dalmatia reliquias omnes illius conjurationis abolerent, illuc reginæ profectæ sunt cum ingenti procerum comitatu. Ad fines Dalmatiæ cum venissent, Joannes Herivort sive Hor-

Digitized by Google

Horvath Banus, & Joannes Palixna Prior Auranæ, qui armatis satellitibus viam illam obsidebant, ex insidiis consurgunt, Nicolaum de Gara Comitem Palatinum, & Blasium Forgachium Caroli interfectores obtruncant, reliquos partim cædunt, partim disjiciunt, atque in fugam vertunt; reginam utramque captam, & Novigradum abductam in arctam custodiam includunt. Elisabetham alii gladio interiisse, alii in flumen dejectam, & submersam, alii morte naturali extinctam tradunt. De interitu Elisabethæ & Mariæ captivitate cum allatum esset ad Sigismundum Mariæ sponsum, quam maximum potuit exercitum collegit, ut hanc perduellium potestati eriperet & regnum amissum ei, sibique recuperaret. Sed neutrum efficere potuisset sine opera & auxilio Venetorum; est enim quædam naturalis & eximia pietas Venetorum animis insita, ut afflictæ regum fortunæ facile illorum opes alliciant ad misericordiam, impellantque ad ferendum auxilium. Itaque obliti injuriarum, quas a Ludovico parente acceperant, hujus filiæ, & ejus sponso statim opitulari decreverunt. Ac primum quidem Pantaleonem Barbum in Hungariam miserunt, qui optimatum, atque illarum gentium animos Sigismundo conciliarent, eosque aptis & idoneis rationibus adhortaretur, ut regnum jure dotali debitum eidem traderent. Neque incassum hortatio adhibita: Sigismundus, nemine repugnante, summo omnium consensu rex declaratus, Albæ sacrum diadema, ceteraque insignia regalia suscepit prid. Kalendas Aprilis anno 1387. Tum vero Sigismundus omnibus copiis viribusque elaborandum censuit, in id universo regno pecuniam & milites conferente, ut Mariam e custodia Novigradensi ereptam in thori maritalis societatem sibi adjungeret, atque in regnum paternum restitueret. Sed præclari hujus facti gloriam sibi unis Veneti vindicarunt, quibus Maria vitam, libertatem, ac regnum referre debuit acceptum. Illi siquidem Petrum Barbadicum misere cum multis armatis triremibus, qui advigilaret ad custodiam illius oræ maritimæ, sinusque obsideret, ne ullum elabi posset navigium, quo Maria Neapolim transvecta in potestatem veniret Margaritæ, quæ illius morte Caroli viri sui necem ulcisci velle dicebatur. Porro Petrus, egressu omni vigiliis & navigiis apte dispositis intercluso; egregiam militum manum in terram exposuit; Joannem Priorem Auranæ arctissime obsedit; ac tandem metu vique adhibita compulit, ut Mariam liberam emitti juberet; quæ summo cum honore, ingentique gratulatione excepta, in triremes Venetas conscendit, iisque primum Nonam, deinde Seniam devecta est. E Dalmatia in Hungariam regressa cum Sigismundo sollemnia nuptiarum celebravit.

Elisabetha & Maria a perduellibus captæ, & Novigradi in custodiam traditæ.

Sigismundus sponsus Mariæ Venetorum opera rex Hungariæ declaratus.

Rebus utcumque pacatis de auctoribus conjurationis contra reginas conflatæ, quos fuga non subduxerat, supplicium sumtum. Paullus Episcopus, ut ait Joannes Thuroczius, quamvis, *multis aliis necatis, non sit interfectus; numquam tamen ejusdem Episcopatus in sedem, quamdiu vixit, restituit valuit*. Habita siquidem est ratio Episcopalis dignitatis, & reverentiæ eidem debitæ, quæ illum extremo meritoque supplicio subduxit; sed bonorum publicatione mulctatus fuit, sede Pontificia dejectus, atque in perpetuum exsulare jussus. *Ceteri captivi*, ait Spondanus, *capite mulctati, præter Zagrabiensem Episcopum, qui ob sacrosanctam dignitatem supplicio vitæ immunis, publicatis bonis, Episcopatu abdicatus est*. Idem fere confirmat Paullus Ritter, & Thomas Kovascevichius: *Paullus istiusmodi novitatis auctor, in Dobor regni Bosnæ oppidum se recepit; quo tamen per Sigismundum expugnato, & Paullo capto, cum ob sacrosanctam dignitatem capitis pœna puniri non posset, Episcopatu, publicatis bonis, abdicatus est*. Ceterum, si fides habenda est, ut certe haberi debet, Paullo de Paullis Patricio Jadrensi, æquali temporum illorum, ipsemet sibi ultro exsilium conscivit; cum adhuc Mariam reginam Novigradensi custodia inclusam perduelles tenerent. Hoc quippe scriptum reliquit in sua Ephemeride: 1387. *die 12. mensis Februarii Dominus Episcopus Sagrabiensis, & Comes Thomas frater Domini Trioris, & B. iter arripuerunt versus Apuliam, cum quibus ivit Paullus de Georgiis, & certe alii nobiles de Jadra.*

Paullus Ep. perduellionis reus exsilio mulctatus.

Turpissima Paulli Episcopi proditio Capitulo & Ecclesiæ Zagrabiensi non solum dedecori fuit, sed etiam multas vexationes & calamitates attulit. Siquidem tum Canonici, tum clerus universus, etsi falso, in suspicionem perduellionis venerunt; & vulgaris opinio percrebuit eos cum Episcopo de utraque regina expellenda conjurasse. Huic famæ, quamvis nullo auctore satis certo vulgatæ, fidem habuit Ladislavus Losonczius præfectus generalis Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Slavoniæ; præsertim cum Canonicorum ab Ecclesia discessum, sive absentiam ita interpretatus sit, ut secessionem illam ad partes perduellium factam fuisse putaverit. Quapropter nulla inquisitione adhibita, ut certior fieret quid veri, quid falsi esset, illos tamquam perduelles ulcisci inconsulte ac temere decrevit. Multæ per eos annos de jurisdictione ac finibus, & magnæ contentiones Canonicis cum civibus montis Græcensis fuerant, quæ mutuis odiis exacerbatæ eo demum proruperant, ut arma utrinque sumerentur, & controversias illas non jure, sed ferro dirimerent; multasque cædes factas esse tradit Georgius Marcellovichius ex monumentis illorum temporum apud Adamum Kereselichium. Ladislavus civium Græcensium odia in perniciem Capituli & cleri Zagrabiensis vehementius irritavit; & mandatum illis scripto dedit, ut agmine armato in urbem Capitularem irruerent, muros exscinderent, & injurias tum sibi, tum Mariæ & Sigismundo illatas ulciscerentur.

Canonici Zagrabienses in suspicionem conjurationis adducti.

Contra quos Losonczius præfectus gen. Slavoniæ veterа civium Græcensium odia vehementius irritavit.

Ladislaus de Losoncz Capitaneus generalis regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque, Banus Zeurinensis. Prudentibus, & discretis viris, judicibus, & juratis, ac universis habitatoribus montis Graecensis prope Zagrabiam salutem. Quia nobis constat ex relatione fide digna, quod Joannes pridem Banus Machoviæ, & alter Joannes pridem Prior de Aurana, cum Hovath, & cum multis aliis rebellibus, eorum complicibus, & sequacibus, aggregaverunt ingentem & magnum exercitum, contra & adversus omnes fideles reginalis majestatis, & signanter contra vestram civitatem, quæ super omnes in sua fidelitate lucet, sicut luna super stellas; cumque vere cognoscamus quod Capitulum Zagrabiense sit omnino destitutum omni custodia, propter absentiam Canonicorum, quia adhærerent ipsis rebellibus supra dictis; & videamus, &

apte-

aperte cognoscamus, quod si dictum Capitulum, sic forte perveniet ad manus ipsorum æmulorum, totum regnum Sclavoniæ læderetur; & super omnia ipsa civitas montis Graecensis penitus deleretur; iccirco super isto providentes, vobis & vestrum cuilibet sub pœna infidelitatis præcipimus, & mandamus, quatenus mox visis præsentibus, ad ipsum Capitulum festinanter descendatis, & ipsum murum, seu Palingarum scindentes, radicitus evellatis, & evulsum ad domus vestras deportetis: aliud, si gratiam Reginalem & Marchionalem contra vos non cupitis indignari, non facturi. Datum in monte Graecensi prope Zagrabiam, die 1. Martii 1387.

Clades civitati Capitulari per Graecenses illata.

His mandatis acceptis, cives Græcenses ulciscendi libidine, odio, & furore inflammati repentino impetu in urbem invadunt, nec solum murum everti jussum exscindunt, evelluntque, sed etiam domos diripiunt, omnia ferro & igne pervastant; atque basilicam ipsam cathedralem jamdudum reædificari cœptam, & propemodum ad fastigium perductam, ut Benedictus Vinchovichius tradit, magna ex parte demoliuntur. Hæc prima clades urbis Capitularis anno 1387. altera longe major anno 1396. de qua postea; utramque cives Græcenses intulere, ut conceptum in Capitulum, & clerum Zagrabiensem odium ac rabiem explerent.

JOANNES II. EP. ZAGRAB. XXXV.

Joannes II. Ep. Zagr. maxime infestus suis Canonicis.

Natione & cognomento Bohemus, in magna rerum ac temporum perturbatione annos circiter septem hujus Ecclesiæ clavum tenuit. In privilegio, quod Sigismundus Joanni de Kanisa Metropolitæ, & Metropoli Strigoniensi concessit anno 1388. cum aliis præsulibus Hungariæ & Dalmatiæ testis adscriptus reperitur *Joannes Zagrab.* Aliis quoque hujusmodi privilegiis & tabulis ejusdem nomen inscriptum esse testatur Balthassar Kereselichius. Perpetuas cum suis Canonicis lites habuit, seu potius inimicitias gessit; Capitulo & clero, cui auxilio & præsidio adversus cives montis Græcensis esse debuisset, alias ex aliis molestias exhibere numquam destitit, quin ajunt, cum ipsis Ecclesiæ hostibus ad eos divexandos societatem coisse. Decimas, quæ ad Capitulum pertinebant, fere omnes intervertit, ad seque transtulit; terras Capituli, quæ in Struga prope Savum, quæ in Bacongapolia regione sunt, occupavit. Præterea ejus vivendi ratio paullo liberior ac licentior esse videbatur, quam sanctitatem Episcopalem deceret. De hisce rebus nomen Joannis per Canonicos delatum fuit ad curiam Romanam; ex mandato Pontificis delecti sunt arbitri, quorum judicio submittere se ac stare debuit, & Canonicis, quæ abstulerat, restituere. Hoc nimirum breviter indicavit, & subobscure innuit Eberhardus Joannis successor in suis ad Capitulum Zagrabiense litteris anno 1406. datis mense Octobri, de quibus postea in Eberhardo: *Coacti fuimus*, inquit, *decimas occupare, pronti & alias temporibus disturbiorum in regnis Hungariæ, & Sclavoniæ subortorum per Reverendum Patrem Dominum Joannem Episcopum Bohemum felicis memoriæ nostrum prædecessorem modo simili factum fuerat, earumdem decimarum pro se ipso usurpatione, quas tandem una cum terra Bacongapolia vocata, habita juxta possessionem nostræ Ecclesiæ Chychergam appellatam, & aliam penes Zavam Strugam nuncupatam, ipso Domino Joanne prius per ipsos Canonicos super iisdem, & aliis certis novitatibus in curiam Romanam personaliter evocato, se proborum & idoneorum virorum compositione arbitrative sub certis obligationibus submittente, evicerant* (idest Canonici), *prout hæc omnia in ipsorum litteralibus instrumentis, nobis pluries per ipsos exhibitis, clare vidimus contineri &c.* Paullus Ritter de Bacongapolia ex sententia Thomæ Præpositi Chasmensis restituta ex tabulario Episcopali hæc descripsit. *Primis*, inquit, *Episcopatus sui annis gravemque longamque cum Capitulo suo Zagrabiensi, ratione Bacongapoliæ in aula regia, & Romana controversiam habuit. Tandem anno 1392.* (sive ut Kereselichius, an. 1394. vel 1395.) *prætensam possessionem amicabili compositione cessit, arbitro, & arbitratore Thoma Chasmensi, & Canonico præbendario Zagrabiensi.*

Bacongapoliam terram Capitularem Canonicis restituere coactus.

Obitus Mariæ reginæ conjugis Sigismundi, itemque Joannis Episcopi.

Dum Joannes Ecclesiæ Zagrabiensi præsidebat, Maria regina Hungariæ filia Ludovici, & conjux Sigismundi decessit anno 1392. De regnis Hungariæ, & Dalmatiæ aliqua controversia fuit Sigismundo cum Ladislavo rege Poloniæ, cui nupserat Eduvigis soror Mariæ; quique propterea regnum illud jure uxorio sibi deberi contendebat. Sed per compositionem sublata est; & Sigismundus regnum utrumque retinuit. Triennio post Joannem Episcopum vita functum, atque in æde cathedrali sepultum esse Kereselichius tradit.

JOANNES III. EP. ZAGRAB. XXXVI.

Joannes III. de Gara Ep. Zagr.

Filius Nicolai de Gara Comitis Palatini, quem Joannes de Hericart Banus Slavoniæ, ut supra dictum est, interfecerat, & frater Nicolai, quem Sigismundus Dalmatiæ & Chrobatiæ Banum præposuerat. Thomas Kovascevichius, & Paullus Ritterus ex duobus unum Joannem conflarunt proximum a Paullo Episcopum. Neutrum commemorat Martinus Szentivanius, a Paullo ad Eberhardum transiliens. Utrumque retinendum, & alterum ab altero distinguendum esse tum cognominis, tum nationis, tum rerum ab utroque gestarum dissimilitudo declarat. Hujus Joannis episcopalia initia Kereselichius anno 1395. affixit. Familia de Gara inter Hungaricas & Slavonicas nobilissima erat, & de utraque regina matre, & filia, ac proinde etiam de Sigismundo egregie merita; ab his siquidem contra perduelles constantissime steterat, & illorum caussa Nicolaus pater Joannis Episcopi, hostium rebellium insidiis ac ferro appetitus, interierat. Quocirca Sigismundus Joannem carum in primis habuit, eumque amplissimis titulis ac muneribus cumulavit. Cum ei plurimum fideret, eumdem sibi ab arcanis consiliis esse voluit, & *Cancellarium regium* creavit; quod munus plenum dignitatis & honoris Archiepiscopis Strigoniensibus conferri solebat. In tabulis illorum temporum appellatur: *Decretorum Doctor, Secretarius, & Cancellarius regis.* Ejus doctrinam, integritatem, prudentiam Sigismundus tanti faciebat, ut Joannem Episcopum cum Nicolao fratre Bano regnorum Dalmatiæ & Chrobatiæ ad res Dalmaticas inspiciundas & sedandas miserit; simulque judicem dedit Jadertinis ac Pagensibus, inter quos gravissimæ ardebant, & cruentissimæ contentiones, de quibus in appendice ad historiam Ecclesiæ Jadrensis. Cum igitur

Missus in Dalmatiam ad dirimendas controversias, quæ Jadrensibus erant cum Pagensibus, secundum Pagenses judicavit.

Joannes in rem præsentem venisset, auditis acerbissimis querimonis Pagensium, eos jurisdictione Jadrensium omnino exemit; urbem insulamque liberam ac soli regiæ potestati subjectam esse declaravit. Latam ab eo & Nicolao ejus fratre sententiam habes in appendice supra laudata, cujus initium est: *Nos Joannes Apostolicæ Sedis gratia Zagrabiensis Episcopus Decretorum Doctor, serenissimi principis, & D. D. Sigismundi eadem Dei gratia inclyti Hung. Dalm. Croat. &c. Regnorum regis, Marchionis Brandeburgensis &c. Secret. &c. Cancel. &c. Nicolaus Dei gr. regnorum Dalm. & Croat. Banus, per executionem regiam ad ipsas partes Dalm. & Croat. pro inquirendis suis juribus regalibus, & universis querulantibus judicio & justitia impendendis, nec non quibusvis defectibus, & incommoditatibus ipsorum regnorum suorum, & civitatum suarum in regno Dalmatiæ constitutarum & existentium, specialiter autem factis & causis inter nob. & prud. viros rectores, consilium, & commune civitatis Jadren. ab una parte; ex altera autem rectores, consilium, commune Insulæ Pagen., vertentibus judicandis, disponendis, & reformandis cum pleno monument. potestate, seu facultate, celsitudinis regiæ vicarii, seu delegati generales. Notum facimus &c. Datum Nonæ die 24. Junii. Anno Domini 1396.*

Canonicos suos reconciliavit Sigismundo.

Re Dalmatica bene gesta reversus est Zagrabiam; & auctoritate, & gratia, qua plurimum valebat apud Sigismundum, usus est ad ejus benevolentiam ac beneficentiam Capitulo & Ecclesiæ Zagrabiensi conciliandam. Canonicos & presbyteros, de conjuratione adversus reginas cum Paullo Episcopo inita suspectos, regi purgavit, omnemque ab ejus animo suspicionem delevit. Itaque decimas ex terris inter Dravum & Muram, quas ob fassum perduellionis crimen Canonicis illatum Palatinus & fratres ejus interverterant, itemque duas villas Krazniczam, & Ostokrum inferius, quas cives montis Græcensis occupaverant, Sigismundus Capitulo restitui jussit. Ladislavus præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis litem Canonicis intendit de villa Blagussa, ac de villa Vrasylazia, quas antiquitus suo sacerdotio, seu *Præpositura* majori annexas fuisse ajebat, utramque in pervetusto codice *Statutorum* olim inscriptam, sed per fraudem & malitiam Canonicorum indidem abrasam. Contra vero Canonici Blagussam suam esse probabant ex litteris Stephani V. Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Slavoniæ regis anno 1276. confectis; Vrasylaziam vero a quodam Nicolao filio Petri de Ludberg Capitulo legatam fuisse dicebant, & litteras Ladislavi IV. proferebant, qui pium illud legatum regali auctoritate confirmaverat. Lis delata est ad Joannem Episcopum, qui ad eam dirimendam duos assessores & consiliarios adhibuit Ladislavum fratrem suum Episcopum Vaciensem, & Joannem de Senis Decretorum Doctorem, Lectorem & Canonicum Zagrabiensem suum Vicarium generalem. De legitima Capitulari possessione utriusque villæ ex litteris regiis supra dictis & in judicium prolatis ita constabat, ut in dubium revocari non posset: id quoque inter eos conveniebat nomen villæ utriusque in illo veteri codice descriptum fuisse, & lituram factam esse apparebat; utrum vero manu vel jussu Canonicorum facta fuerit, id in controversia erat. Ut igitur Canonici caussam obtinerent, nihil restabat, nisi ut corruptæ, & interlitæ Scripturæ suspicionem omnem ab se dimoverent. Quare Episcopus ita villam utramque Capitulo adjudicavit, si Canonici neque se auctoribus, neque se consciis villas illas ex libro statutorum deletas fuisse sollemni sacramento confirmarent. Ergo *feria 5. ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ, anno 1397. præsentibus parochis pluribus, præposito Ladislao, ac Joanne de Senis peractis missis, in superpelliceo, & stola, stando in stalo*, in verba, & formulam ab Episcopo præscriptam jurarunt hi Canonici qui aderant, *Nicolaus cantor, Joannes cathedralis, Gregorius Dubicensis, Joannes de Kemlech, Simon de Vasca, Himcko Chasmensis, Gregorius de Bexin, Stephanus Varasdinensis, Joannes de Urbocz* (Archidiaconi) *Blasius custos, Martinus magnus dictus, Barnabas Mikonis, Joannes de Marovcha, Joannes Lancelloti, Dionysius de Crisio, Benedictus Ivansche, Thomas Pauli, Petrus Andrioli, Gregorius de Varosd, Nicolaus de Quinq. Eccles. senior, Benedictus Joannis, Nicolaus alter de Quinq. Eccl. junior, Stephanus Farkassii*, Canonici omnes.

Litem inter præpositum majorem Ecclesiæ, & Canonicos de duabus villis secundum Canonicos diremit.

Cives montis Græcensis ob clades & injurias rursus Canonicis illatas anathemate confixit, & interdicto supposuit.

Ita Canonici possessionem villæ utriusque retinuerunt. Dissidia de finibus & jurisdictione, seu potius odia inveterata inter Canonicos & & cives montis Græcensis anno 1396. acrius exarserunt. Atque hi quidem armata manu Civitatem Capitularem adorti clades anno 1387. illatas majoribus cladibus cumularunt. Semel atque iterum ad curiam Episcopalem citari per præconem jussi, cum adesse noluissent, Joannes Episcopus sacrilegos, homicidas, violatores sacrarum ædium, domorum Capitularium direptores, & incendiarios, sub initium anni proximi, consueto ac sollemni ritu, anathemate confixit, eorum civitatem interdicto supposuit, cœnobiarchis, & rectoribus Ecclesiarum imperavit, ut singulis diebus Dominicis, quoad resipiscerent, illis sacrorum communione, & christianorum congressu interdictum esse palam denunciarent; vetuitque in urbe Græcensi & suburbiis rem divinam fieri, ceterisque publicæ religionis officiis operam dari. Hæc Thomas Kovascevichius ex litteris Episcopalibus, in quibus enormia illorum flagitia percensentur, & sententia in eos prolata subjicitur: *In anno nati Emanuelis 1396. Dominica proxima festum S. Thomæ Apostoli antecedente, præfati cives, nescitur unde moti, consilio inito ad sonum campanæ, vexillis expansis, manuque armata, hostiliter ad aream Capitularem descendunt, in eam tanquam spoliatores, & deprædatores (ut Joannes III. Episc. Zagrabiensis in lata contra eos excommunicationis sententia loquitur) irruerunt, curiasque Canonicorum, & præbendariorum invadentes, quidquid in eis reperere, diripuerunt, & asportarunt. Cumque veluti christianæ religionis apostatæ (ut idem Joannes ait) in diversas Papales litteras sacrilegas manus injecissent, & detractis bullis, easdem pedibus conculcassent, cum diversis processibus concremari fecissent; demum & in Canonicorum domos igne injecto, plurimas in cineres redegerunt. Tum ad residentiam Episcopalem (quæ sicuti area Capitularis cujusque accessui libera patuit, ita nec ipsa muro circumdata fuit) progressi, eam similiter rapina & incendio divexare in proposito habuerunt. At ab hominibus Episcopalibus (inter quos filium Curiæ vulnere sauciarunt) repulsi, contra Ecclesiam tunc furorem suum converterunt,*

Enormia flagitia Græcensium.

runt, si quo pacto cum thesauro, & sacris reliquiis spoliare possent; sed hic obsistente valvarum validitate, cum penetrare nequirent, complures in eam sagittas conjecerunt. Re itaque infecta redire compulsi, in duos Canonicos Archidiaconum videlicet Bexin, & capellanum regium, & quemdam ex magistris (nam reliqui omnes formidine mortis, bonis omnibus relictis, fugæ præsidio, vitæ consuluerant) impingentes, comprehensos, non nisi diris verberibus, & vulneribus impositis, dimiserunt. In simile infortunium incidens unus ex præbendariis, tantas ab eis plagas reportaverat, ut semivivus relictus, dubium pro eo statu, de vita sua daret. Jam vero nec his contenti, sed mala malis accumulantes, in Ecclesiam D. Francisci irruerunt, unum de familiaribus judicis Capituli, inde extractum, ac flagris & vulneribus oppressum, secum ad propria abduxerunt; alio interempto relicto. Sic & genitorem Dionysii Canonici sexagenarium, civem Crisiensem bonis omnibus spoliatum secum abducentes, post plures captivitatis dies, non secus, ac erga cautionem fidejussoriam, sine rebus dimiserunt. Illud autem crudelius, quod fratrem duorum Canonicorum (quorum unus fuit Archidiaconus Bexin) *occidentes, cadaver exanime per lutum, usque ad civitatem raptatum pertraxerint. Tandem pluribus aliis enormibus facinoribus perpetratis, postremo contra Ecclesiam & Capitulum complures machinas (quas Bombardas vocant) in signum veluti cujusdam victoriæ, explodi & fulminari curarunt, non sine gravi ingratitudinis vitio, quod communitas ipsa multa bona ab Ecclesia, Episcopis, & Capitulo, annis retroactis accepisset, ac de lacte, & pinguedine ipsius Ecclesiæ cum magna dilectione, plurimi de eadem educati fuissent. Hæc omnia ex litteris memorati Joannis Episcopi desumpta; a quo tantorum facinorum patratores ad curiam suam, pro exaudienda sententia excommunicationis, quam incurrerant, bis citati, cum neutra vice, nec per se, neque per procuratorem comparuissent, tandem feria VI. proxima post festum Epiphaniæ anno 1397. excommunicati, & sacrilegi pronunciati, ac ecclesiastico interdicto subjecti fuere: præcipiente præsule universis, & singulis Abbatibus, prioribus, guardianis, plebanis, & ecclesiarum rectoribus, ut in eorum Ecclesiis memoratos cives, singulis diebus Dominicis, & festivis intra Missarum sollemnia excommunicatos publice denuncient, & ut tales quisque vitet, neque audeat quis in eorum civitate, aut suburbiis divina peragere. Manserunt infelices homines e gremio matris Ecclesiæ ejecti per tres menses circiter, usque videlicet ad diem 12. Aprilis, quando ab excommunicatione absoluti, & remoto ab eisdem ecclesiastico interdicto, ad communionem fidelium sunt repositi.*

Sed Balthassar Kereselichius non omnia, quæ impie, inhumaniter, crudeliter in Deum atque homines a civibus Græcensibus anno 1396. facta esse narrantur, in hunc annum conjicienda esse existimat, verum partim ad hunc, partim ad annum 1387. referenda; cum scilicet Ladislavus de Loloncz Græcenses suis litteris & mandatis contra Canonicos vehementissime incitavit. Idem Kereselichius tradit sententiam Joannis Episcopi in Græcenses latam fuisse *coram Joanne Strigoniensi, Andrea Spalatensi Archiepiscopis, Joanne Bosnensi, Mattia Rosonensi Episcopis, F. Bartholomæo guardiano S. Francisci Zagrab., Matthæo de Vicedominis de Placentia juris utriusque Doctore, Joanne de Senis decretorum Doctore, Vicario Joannis Episcopi Zagrabiensis*. Nihilo leviora flagitia cives ipsi Græcenses in Episcopum & Canonicos regesserunt, ut Georgius Marcellovichius scriptum reperit ex tabulis illius civitatis: *Notat civitas, quod feria 2. post Epiphaniam an. 1397. Joannes Krispus Kemleck, Gregorius Dubicensis, Joannes Urbocz, Simon Vasca, Joannes Farcassii Cathed. Himzko Chasmen. Stephanus Varasdin., Gregorius Bexin. Archidiaconi; Joannes Lancelloti, Benedictus de Monoszlo, Gregorius de Varasd. Nicolai duo Hungari, Martinus Magnus, Barnabas Mikonis, Benedictus Ivancsc, Nicolaus de Kassina, Thomas nepos custodis, Blasius custos, Dionysius de Crisio, Stephanus Hungarus, & Petrus Crispi, Canonici Zagrabienses, congregatis Jobagionibus, Stabulum unius civis, cum duabus domibus in civitatis terreno constructis, cum fœno, frugibus &c. noctu combussissent; & duos in stabulo inventos occidissent. Item in festis Natalitiis* (superioris anni) *ancillas civium aquam haurientes spoliari ac boves civium auferri; & per Joannem olim Episcopum Zagrabiensem interdictum poni, & excommunicari octava die festi S. Joannis Evangelistæ, & ossa mortuorum de sanctis locis, & cœmeteriis erui, & ad aquam projici fecerunt. Itaque ob metum Joannis Episcopi Zagrab. & Capituli, cives exire non audebant.* Hic *die octava* festi S. Joannis Evangelistæ, supra vero apud Kovacsevichium *feria VI. proxima post Epiphaniam*, prolata sententia anathematis, atque interdicti fuisse dicitur: quæ inter se congruere nequeunt. Verum hæc seu vere, seu false Episcopo & Canonicis objecta fuerint, cives illi animadversionem, pœnamque canonicam subterfugere non potuerunt. Tres amplius menses Ecclesiasticæ communionis extorres, divinis mysteriis, sacrisque omnibus caruerant; cum illos tandem facinorum suorum pœnitentia cepit, ac veniam suppliciter deprecantes, omnium anathematum vinculis exsoluti sunt, & civitas interdicto exempta est; *die 12. Aprilis 1397.*, ut docet Kereselichius, *in Ecclesia S. Marci per Bartucium Archiepiscopum S. Thadæi, & Mathiam Rosonensem Episcopum Joannis Episcopi Zagrabiensis in pontificalibus suffraganeum* (*Bartucium Roma missum autumamus*) *absolutos fuisse*.

Criminationes in Canonicos per cives Græcenses regestæ.

Cives post tres menses absoluti.

His turbis ac dissidiis compositis, præcipua Joannis cogitatio curaque versa est ad reficiendas ædes Capitulares igne absumptas. Sed cum ad eam ædificationem neque ex Episcopali, neque ex Capitulari ærario sumptus necessarii suppeterent, statuit atque edixit, ut si quis domum aliquam in fundo sive area Capitulari ære suo vellet exstruere, dimidium illius pretium ad eum pertineret, & cui ipse voluisset, legare, vel donare posset: id quod Canonici in quodam libello supplici successori Joannis oblato exposuerunt, & ab eo confirmandum curarunt: *Cum per cives Zagrabienses area Capitularis esset hostiliter combusta, Joannes tunc Episcopus Zagrabiensis, modo autem Archiepiscopus Colocensis desideratissimus statuit, ut quicumque aliqua ædificia in eadem area extrueret, de valore ejusdem ædificii medietatem disponendi habeat, sive in vita, sive in morte.* Porro Joannes vel intra finem anni 1397. vel sub initium sequentis a Zagrabiensi ad Colocensem Archiepiscopalem Ecclesiam regendam migravit; neque

Ædes Capitulares refici jussæ.

que enim Georgio Marcellevichio fides haberi potest, qui tradit Joannem vita functum esse anno 1397. ante sollemnia Natalitia Christi Domini; quippe constat suffectum fuisse Nicolao Bubekio Archiepiscopo in sedem Colocensem, quam tenuit usque ad annum quintum proximi saeculi. Anno autem 1397. VIII. Idus Decembris adhuc Ecclesiam Zagrabiensem regebat, ut licet intelligi ex diplomate Sigismundi, qui Joannem Kanisam Archiepiscopum Strigoniensem duobus vicis donavit ob insignia ejus in se, & rempublicam merita; quippe Ladislavum regem Poloniae ab Hungaria invadenda suis viribus & copiis averterat, dum Sigismundus in Bulgaria bello Turcico distinebatur, & in clade Nicopolitana anno 1396. a Turcis accepta, eidem Sigismundo strenuam & fidelem operam praebuerat. In eo autem diplomate nominatus est non solum *Joannes Zagrabiensis*, sed etiam *Nicolaus Bubek Colocensis*; ex quo verisimilius fit translationem Colocensem Joannis in annum 1398. incidisse.

Joannes translatus ad sedem Episcopalem Colocensem.

Ladislavus rex Neapolis a Bonifacio IX. petiit, ut Joanni Zagrabiensi Ep. Ecclesiam Neapolitanam conferret.

Extat epistola Ladislavi regis Neapolitani ad Bonifacium IX. Pontif. Max. Data est Neapoli, 24. Augusti; sed ejus exemplar, quod est apud me, caret anni subscriptione. Pontificem orat, ut quoniam rogatu suo Joannem Episcopum Zagrabiensem Ecclesiae Neapolitanae praefecerat, suum ab sede Zagrabiensi ne dimoveat, sed jubeat Ecclesiam utramque retinere. Haec epistola nisi ipse fallor ad Joannem III. Episcopum Zagrabiae, de quo hactenus, neminem alium invenio ejusdem nominis Episcopum Zagrabiensem, ad quem referri possit. Post obitum Mariae reginae Hungarorum, filiae Ludovici regis, & conjugis Sigismundi Marchionis Brandemburgici, anno 1392. extinctae, Ladislavus filius Caroli regis, quem per insidias interfectum supra diximus, regnum Hungariae, quod Sigismundus jure uxorio occupaverat, jure hereditario ad se pertinere censebat; nec post multos annos ejus potiundi spes oblata est. Nam Hungari & Dalmatae infaustum Sigismundi imperium pertaesi, quippe qui ob cladem Nicopolitanam anno 1396. a Turcis acceptam, non solum invidia apud omnes, sed etiam contemtu laborabat, Ladislavum ad regnum illud capessendum evocarunt. Interea ille Primores Hungariae & Dalmatiae clandestinis litteris ac nunciis sibi conciliare studebat, ac praesertim Joannem Episcopum Zagrabiae, virum magna auctoritate praeditum, tum suis, tum nobilissimae suae familiae copiis ac divitiis praepollentem. Hic quamvis antea Sigismundo inprimis charus, & plurimis beneficiis obstrictus esset, postea tamen ab eo res male gesta apud Nicopolim, ut alios permultos, sic illum quoque abalienaverat. Ladislavus ergo Joannem, quem si non plane averso, minus certe propenso erga Sigismundum animo esse sciebat, ad suas partes ut adjungeret, ei Neapolitanum Archiepiscopatum a Bonifacio IX. conferendum curavit; nam etiam postea, Ladislavo eamdem ob caussam postulante, Peregrinum de Aragonia metropoli Spalatensi Archiepiscopum Pontifex praefecit; tunc siquidem Ladislavus, cum adhuc amicus esset, addictusque Sedi Apostolicae, & contra schismaticos fautores Petri de Luna, seu Benedicti Pseudopontificis a Bonifacio constantissime staret, a Pontifice quidquid peteret, facile impetrabat. Sed quoniam verebatur ne, si Joannes ab Ecclesia & sede Zagrabiensi amoveretur, ipse in odium offensionemque fautorum suorum incurreret, & Pastoris optimi amissi, quem summopere amabant, & magni faciebant, culpam omnem in se conferrent, iccirco Bonifacium etiam atque etiam oravit, ne Joanni Episcopatum Zagrabiensem adimeret, atque alteri traderet, sed juberet illum Ecclesiae utriusque titulum & praefecturam obtinere: Joanne siquidem abeunte, haud dubium fore intelligebat, quin magnus illarum gentium motus, tumultus, atque ab se alienatio existeret, quae sibi spem omnem regni Hungarici adipiscendi adimeret. Haec est, nisi me fallit, sententia & interpretatio epistolae Ladislavi, quam anno 1397. vel proxime ineunti adscribendam censeo, antequam Joannes Ecclesiam Zagrabiensem cum metropoli Colocensi commutaret. Atque hoc anno quidem 1397. sedem Neapolitanam tenebat Henricus Minutulus, Cardinalis idem, & Episcopus Tusculanus, ut docet Ughellus; eamque usque ad annum 1400. retinuit; ac propterea tunc Ecclesiam illam, non collatam Joanni Episcopo Zagrabiensi, sed decretam eidem, sive destinatam fuisse oportet; quam tunc demum adiret, cum per mortem, vel abdicationem Henrici vacaret. Siquidem illis temporibus in usu erat haec ratio conferendarum Ecclesiarum necdum vacantium; & hujusmodi collationes vocabant *gratias expectativas*, quas Synodus Tridentina sustulit, & abolevit.

Epistola Ladislavi ad Bonifacium.

Sanctissime Pater, Clementissime Domine mi; praemissa, tam debita, quam devota recommendatione, ad pedum vestrorum oscula beatorum. Scripsi per alias litteras meas pro Neapolitana Ecclesia in favorem Revdi. Patris Domini Joannis Zagrabiensis Episcopi, vestrae sanctitati. Sed considerans attenta mente, quod ubi sanctitas vestra, ipso Domino Episcopo de Ecclesia Zagrabiensi ad ipsam Neapolitanam translato, suam Zagrabiensem Ecclesiam praedictam alteri destinet conferendam, quae & quanta mala juxta persecutionem juris mei in regno Hungariae sequentur exinde, & quantis cogitationum tumultibus mentes meorum fidelium, qui in regno Hungariae praedicto, & aliis circumadjacentibus regnis eidem adnexis, existunt; hoc ipso considerato, tamquam desperantes de factis meis, possent non immerito perturbari; sperans indubie apud sanctit. vestram meas preces ad gratiam exauditionis admitti, eidem sanctitati vestrae, prona mente, & cordis sinceritate supplico, quatenus mei favoris & singularis beneficii inpensionis intuitu, collata ipsi Domino Episcopo Neapolitana Ecclesia praedicta, praefatam Ecclesiam Zagrabiensem conferat eidem misericorditer, & apud ipsum relinquat de speciali gratia commendatam. Dat. Neapoli XXIIII.

Reverens filius S. V. Ladislaus Rex Hungariae, Jerusalem, & Siciliae.

Joannes neque oblatum Archiepiscopatum recepit, neque ad Ladislavum descivit a Sigismundo.

An vero Joannes Bonifacio Archiepiscopatum Neapolitanum sibi deferenti, & Ladislavo ad suas partes allicienti assensum praebuerit, compertum non habeo. Verisimile mihi videtur, haec omnia acta, & transacta fuisse inter Bonifacium & Ladislavum, ipsomet Joanne insciente, & rerum omnium, quae gerebantur, ignaro. Certe Joannes neque umquam a Sigismundo descivisse traditur, & pristinam apud illum gratiam retinuit; atque hujus favore & nominatione nixus, anno 1398. ex Episcopali Zagrabiensi ad sedem Metropolitanam Colocensem

sem ascendit. Titulum vero Archiepiscopatus Neapolitani neque umquam gessisse, neque recepisse videtur, abestque a Catalogo Archiepiscopali Neapolitano. Extat quidem apud Ughellum, inter Jacobum & Jordanum Archiepiscopos, interque annum 1406. & 1415. Joannes Archiepiscopus, qui anno 1407. illum Archiepiscopatum suscepit; sed Joannes noster ante biennium obierat, cum metropoli Colocensi annos circiter septem præfuisset; anno siquidem 1405. in quodam diplomate Sigismundi, quod eodem anno confectum fuit, sedes Colocensis vacare dicitur.

EBERHARDUS EP. ZAGRAB. XXXVII.

Eberhardus Ep. Zagrab. Bonifacio legit. Pontifici constanter adhæsit.

Nobilissimo genere ortus, ex familia *de Alben*, quæ opibus & honoribus tunc maxime florebat. Aut frater fuit, aut certe consanguineus Barbaræ conjugis Sigismundi regis Hungariæ, cui fidelem, atque utilem operam præbuit in ejus difficillimis & gravissimis temporibus; eumque propterea Sigismundus in primis amavit, carumque habuit, & plurimis beneficiis atque honoribus cumulavit. Collatum illi Episcopatum Bonifacius IX. confirmavit, a cujus partibus in fœdo illo ac diuturno schismate, quod Ecclesiam in duas factiones distraxerat, constantissime stetit; & cum Solubriensem in Achaja Episcopatum Benedictus Antipapa ei detulisset, ut ex Georgio Marcellevichio tradit Balthassar Kereselichius, munus a Pontifice schismatico oblatum exhorruit, & recusavit. Anno 1398. Sedem Zagrabiensem conscendit. Sub initium Episcopatus præclaram de sua Ecclesia benemerendi occasionem non solum neglexit, sed carni & sanguini plus nimio indulgens, curam suæ familiæ opibus & copiis augendæ potiorem duxit. Castrum Medved Ecclesiæ sumptibus exstructum, ab eaque, ut supra diximus, superiori sæculo alienatum, possidebant Comites Bobonoghii. Hujus familiæ, his temporibus sine liberis atque heredibus extinctæ interitu cum vacuum esset, & caducum, mira opportunitas aderat ejus vindicandi ab potestate laicali, & Ecclesiæ restituendi. Verum Eberhardus suis ac domesticis publicas Ecclesiæ suæ rationes posthabuit, & a Sigismundo impetravit, ut castrum illud sibi, & tribus filiis Rodulphi fratris, Petermanno, Hermano, & Rodulpho cum annexis eidem locis & proventibus donaret. Caussam Ecclesiæ desertam ab Episcopo, & proditam, Canonici, quoquo modo possent, tuendam susceperunt; & ne quid præjudicii donatio illa juri primævo ac legitimo Ecclesiæ Zagrabiensis afferret, duos procuratores, alterum Varadinum, qui coram Varadinensi, alterum Albam, qui coram Albensi Capitulo, tum Episcopi post Eberhardum futuri, tum Capituli Zagrabiensis nomine, denunciarent donationem illius castri nec justam, nec legitimam esse; ac proinde tum Eberhardum, tum ejus fratris filios ab ejusdem castri possessione vel ineunda, vel retinenda, itemque a fructibus quibuscumque inde percipiendis abstinere jubent. Hanc denunciationem utrumque Capitulum suis litteris testatam, & Capitulari signo firmatam procuratoribus reddidit. Litteræ ac testificationes utriusque Capituli sunt hujusmodi:

Castrum Medved sibi & suæ familiæ a Sigismundo donandum curavit, Canonicis reclamantibus.

Litteræ Capituli Varadinensis.

Nos Conventus monasterii Varadiensis memoriæ commendamus, quod Nicolaus de Zalnak dictus in personis, & nominibus Ecclesiæ Zagrabiensis, necnon futuri Episcopi, & Capituli Ecclesiæ ejusdem, coram nobis personaliter comparendo, per modum protestationis, & inhibitionis nobis significari curavit. Quomodo Serenissimus princeps Dominus Sigismundus Dei gratia rex Ungariæ &c. Dominus gratiosus quoddam castrum Medved nuncupatum, ad quod eadem Ecclesia, Episcopus, & Capitulum prædicti, merum, & plenum jus, & efficacissima instrumenta habere dignoscerentur: ad petitionis instantiam Reverendi in Christo Patris, & Domini Domini Eberhardi ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis, & moderni Episcopi, Petermano, Henrico, & Rudolpho, filiis Rudolphi de Alben nepotibus ejusdem Episcopi jure perennali contulisset, in ejusdem Ecclesiæ, & Episcopi ac Capituli prædictorum grave præjudicium, & derogamen. Facta itaque hujusmodi protestatione annotatus Nicolaus nominibus, & in personis, quorum supra, annotatum Dominum nostrum regem a donatione, & perpetuatione dicti castri Medve, & suarum pertinentiarum, nec non medietatis portus S. Jacobi in fluvio Szava, ac tributi de eodem provenientis; Item etiam cujusdam villæ Szlanouoz nuncupatæ, quæ prædicti Capituli præfuisse dignoscerctur, præfatosque Dominum Eberhardum Episcopum, Petermanum, Henricum, & Rudolphum, ac alios quoslibet a receptione, detentione, fructuumque, & utilitatum ejusdem, & suarum pertinentiarum perceptione, vel alio quovis modo se ad idem, & easdem intromissione factis, vel fiendis prohibuit contradicendo, & contradicit inhibendo præsentium testimonio mediante. Datum in festo B. Galli Confessoris anno Domini 1399.

Litteræ Capituli Albensis.

Nos Capitulum Ecclesiæ Albensis memoriæ commendamus; Quod honorabilis vir Dominus Joannes cantor & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, prædictæ Zagrabiensis Ecclesiæ & totius Capituli ejusdem nominibus, & in personis, coram nobis personaliter comparendo, per modum protestationis & inhibitionis nobis significare curavit; quomodo Serenissimus princeps Dominus Sigismundus Dei gr. rex Hungariæ Dominus noster gratiosus quoddam castrum Medve nuncupatum, ad quod eadem Ecclesia & Capitulum Zagrabiense merum & plenum jus, & litteralia efficacissima instrumenta habere dignoscerentur, ad instantiam & petitionem Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Eberhardi, ejusdem Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopi, Petermanno, & Hermano nepotibus ejusdem, jure perpetuo, & perennali contulisset, in ejusdem Ecclesiæ & Capituli grande præjudicium & derogamen: facta itaque hujusmodi protestatione annotatus Dominus Joannes cantor, nominibus in personis præscriptæ Ecclesiæ, futurique Episcopi, & Capituli Zagrabiensis, annotatum Dominum nostrum regem a donatione & perpetuatione dicti castri Medve, & suarum pertinentiarum, præfatosque Dominum Eberhardum Episcopum, Petermannum, & Hermanum, ac alios quoslibet a receptione, detentione, & occupatione, fructuumque & utilitatum ejusdem, & suarum pertinentiarum perceptione, vel alio quovis quæsito colore, se ad idem, vel easdem intromissione, factis vel fiendis prohibuit contradicendo, & contradixit inhibendo, præsentium nostrarum testimonio litterarum. Datum tertio die diei festi Assumptionis Virginis gloriosæ. Anno Domini 1399.

Ceterum neque Eberhardus, ubi res sua & do-

Sigismundus parœcias quasdam trans murum jubet restitui Eccles. Zagrab.

domestica non agebatur, neque Sigismundus, cum nimia credulitas & nimia benevolentia erga homines apud se gratiosos in ejus animum non irreperet, jus Ecclesiæ Zagrabiensis tueri, ejusque utilitatibus prospicere neglexit. Erant quædam parœciæ trans murum, quæ jure antiquo ad diœcesim Zagrabiensem pertinebant. Eas earumque parochos, cum quidam Dynastæ ejus regionis ab Zagrabiensi ad Vesprimiensem diœcesim avertissent, Sigismundus restitui jussit, datis ad eos litteris in hæc verba:

Litteræ Sigismundi.

Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchioque Moraviæ fidelibus suis magnificis Stephano, & Joanni, filios condam Joannis Bani, nec non Sigismundo filio Ladislai de Linova universis salutem. Datur nostræ intelligi majestati quomodo vos quosdam plebanos vestros ad diœcesim Ecclesiæ Zagrabiensis semper & ab antiquo pertinentes, ab eadem Ecclesia Zagrabiensi sequestrando, ad diœcesim Vesprimiensem conferre nitteremini, & velletis, in dispendium salutis animæ vestræ valde magnum. Unde nos ipsam Ecclesiam Zagrabiensem suis juribus judicialiter destitui non volumus. Igitur fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus; quatenus præfatos plebanos vestros transmuranos, qui alias ad prædictam diœcesim Zagrabiensem pertinuisse, & spectasse debebant, vos a prælibata diœcesi Vesprimiensi penitus removentes, & sequestrantes justam ad obedientiam, & debitam subjectionem prætitulatæ Ecclesiæ Zagrabiensi exhibendam compellatis, & astringatis. Datum in Sara feria quarta proxima post festum Pentecostes, anno Domini 1398. *manu propria Domini regis.*

Decreta Eberhardi secundum Canonicos.

Susceperat quidem Eberhardus patrocinium quorumdam nobilium virorum territorii Zagrabiensis, qui solutionem decimarum Capitulo debitam abnuebant. Sed antiquis tabulis ejusdem Capituli diligenter inspectis, quarum auctoritate jus Canonicorum nitebatur percipiendi decimas ex agris & proventibus eorumdem nobilium, immunitatem, quam sibi arrogabant, nullam esse declaravit; & suis ad eos litteris jussit, quas Capitulo debebant, decimas solvere; imperata nisi facerent, anathema eis inflictum iri denunciat; ex epistola Eberhardi, quam Kercselichius citat, data *in castro Dumbrensi anno* 1399. *in festo SS. Cosmæ & Damiani.* Præterea rogatu Canonicorum decretum Joannis proximi decessoris de reædificandis ædibus Capitularibus confirmavit, & insuper statuit ut familiæ cujusque Canonici, usque ad diem ab hujus morte tricesimum, in eadem, quam ille incolebat, domo Capitulari manere liceret; eique fructus omnes obvenirent, quos idem Canonicus intra illum præfinitum dierum numerum e suo Sacerdotio percepisset: *infra triginta dies familia decedentis Canonici, de curia, quam vivendo inhabitavit, amoveri non possit: immo infra dictum spatium dierum triginta, obventiones singulas ex ipsius beneficio percipere possit in integrum, omnino determinamus.*

Eberhardus Sigismundo fidelis, ac periculis.

Interea Eberhardo præter exspectationem oblata est occasio gravis illa quidem, & molesta, sed præclara in primis, & mire opportuna ad suam Sigismundo fidem, ac benevolentiam probandam, quam ipse haud libentius, quam promptius arripuit. Rem paullo altius repetamus licet. Plerique ex optimatibus Hungariæ & Dalmatiæ imperium Sigismundi alienigenæ, & extranei, præsertim post interitum Mariæ ejusdem uxoris, non libenti animo ferebant. Post cladem vero Nicopolitanam a Turcis acceptam, Sigismundus apud populos sibi subjectos, contemtu etiam, non invidia solum laborabat. Bajazethes filius Amuratis, cum in Thessalia, Macedonia, Bulgaria imperium Turcicum longe lateque propagasset, Hungariæ fines urere ac vastare cœperat. Sigismundo postulante, principes aliquot sacræ militiæ nomen dederant, inter quos Joannes Nivernensis filius Philippi ducis Burgundiæ, qui cum valido Gallorum exercitu auxilium Sigismundo ferebat. Anno 1396. pugnatum est ad Nicopolim; sed dum Galli inconsulte ac temere irruunt in prælium, partim interempti, partim a barbaris capti sunt. Calamitatem Nicopolitanam plerique attribuunt Joanni, qui ut victoriæ decus ceteris praeriperet, priusquam Sigismundus copias suas castris educeret, manus cum hoste conseruit. Hæc nimia virium suorum confidentia infelix fuit; exercitus fere omnis cæsus a Turcis, Joannes ipse captus ducentis millibus aureorum libertatem ac vitam redemit. Sigismundus cum paucis procerum effusa fuga periculum evasit. Cum ergo Sigismundus propter exitum ignominiosum & infaustum pugnæ Nicopolitanæ in contemtum offensionemque fere omnium suorum incurrisset, illud præterea Hungaros & Dalmatas ab eo penitus abalienavit, quod regii ærarii ob immanes sumtus in bellum Turcicum exhausti resarciendi, pecuniæque conficiendæ necessitate compulsus extraordinaria tributa civitatibus imperavit, quæ animos illarum gentium vehementer exacerbarunt. Itaque multi Hungariæ, Dalmatiæque proceres ac Dynastæ ad Ladislavum regem Neapolitanum, filium Caroli, quem Blasius Forgachius interfecerat, spectare cœperunt; nec defuere, qui clandestinis litteris ac nunciis illum accerserent. Ladislavum, quamvis regni Hungarici adipiscendi cupiditate flagraret, quod jure avito & hereditario ad se pertinere existimabat, ac propterea ejus regni titulis utebatur, absterrebat tamen recens memoria necis paternæ, & bellum præterea, quod tum gerebat cum Ludovico Andegavensi, ab expeditione Hungarica avocabat. Ita societas quædam & conjuratio contra Sigismundum ex Hungaris, & Dalmatis, quibus accessere Bosinenses, sensim & pedetentim coaluit; quæ, dum rei bene gerendæ tempus idoneum adesset, occultis coitionibus & consiliis inclusam se continuit; & clandestinis nunciis ultro citroque mittendis, & aliis atque aliis ex primaria nobilitate Hungarica, & Dalmatica ad defectionem sollicitandis, magis magisque in dies augebatur & confirmabatur. Interea evenit, ut Sigismundus imprudens incautusque in eas, quas sibi quidam e proceribus conjuratis paraverant, insidias incideret, captusque in arcem Szoklosiensem includeretur. Gravis & miserabilis casus benevolentissimi & amicissimi regis Eberhardum vehementissime perculit; & nihil solertiæ operæque prætermisit, ut libertatem illi ac regnum restitueret: præfectos provinciarum ac civitatum, qui in fide atque officio manebant, confirmavit, multos ex illis, qui defecerant, Sigismundo reconciliavit, regiis militibus de suo stipendia solvit, excubias & custodias, quibus regem obseptum perduelles tenebant, largitionibus corrupit. His vero sumtibus cum proventus Episcopales non sufficerent, necessitate compulsus deci-

Clades Nicopolitana.

Clandestina in Sigismundum conjuratio.

Sigismundus ex insidiis captus, & in custodiam inclusus.

decimas Capitulares usurpavit, quas ad libertatem & salutem regis vindicandam bene insumtas putabat; suique facti rationem ipsis Canonicis reddidit, & confirmavit exemplo Joannis Bohemi sui decessoris, quem idem fecisse commemoravit, cum caussa & necessitas reipublicæ temporibus turbulentissimis & dissidiorum plenis postulabat; ut in suis litteris ad Capitulum datis anno 1405. infra describendis.

Opera potissimum Eberhardi e custodia eruitur.

Nec vero laudabiles & operosi conatus Eberhardi frustra fuerunt. Regis custodiendi curam demandatam fuisse ajunt duobus fratribus filiis Nicolai de Gara Palatini, cum & ipsi ad perduelles hostesque Sigismundi defecissent. Horum mater femina primaria per internuncios Eberhardi clam submissos partim illecebris & promissis, partim pecunia & largitionibus corrupta excubias facile impulit, ut clandestinum effugium Sigismundo aperirent. Anno 1400. emissus e custodia in Bohemiam apud Venceslavum fratrem, Imperatorem ac regem Bohemiæ se recepit. Nec sane otiosa & inutilis fuit Sigismundo profectio & commoratio Bohemica satis diuturna. Nam florentissimum exercitum ex militibus Bohemiæ, & copiis auxiliaribus ab Ladislavo rege Poloniæ transmissis conflatum, in Hungariam regressus, conjunxit cum exercitu Hungarico, quem in fide atque officio Eberhardus retinuerat, & motus illos intestinos, si non penitus oppressit, certe, armorum terrore injecto, paullisper sedavit. De Sigismundo in libertatem ac regnum restituto, sano & incolumi, intelligenda sunt, quæ Paullus de Paullis patritius Jadrensis in sua Ephemeride ad annum 1400. & diem quintum Junii adscripsit: *Die 5. Junii audivi novum, quod D. N. R. Sigismundus regressus est in Hungariam, & locutus fuit hoc, qui propriis oculis vidit ipsum sanum & incolumem, in loco vocato Vela Sobota.* Cum recuperatam libertatem Eberhardo Episcopo potissimum acceptam referret, nulla erga eum grati animi officia verbis expressa prætermisit, &, quibuscumque potuit, præmiis illum & honoribus cumulavit.

Banum Slavoniæ eum constituit, eique munus Cancellarii contulit ademtũ Joanni Archiep. Strigoniensi.

Banatum seu principatum totius Slavoniæ ab illis populis ei conferendum curavit, & postea perhonorificum *Cancellarii regii* munus, Joanni Archiepiscopo Strigoniensi ademtum in eum transtulit; Joannes quippe in suspicionem venerat Sigismundo de propensa in Ladislavum regem Neapolitanum voluntate, quem proceres quidam Hungariæ & Dalmatiæ ad regnum Hungariæ occupandum evocaverant. De averso ab se ad Ladislavum Joannis animo suspicandi occasionem, unde minime oportebat, Sigismundus temere, & nulla idonea ratione sumserat. Bonifacius Papa IX. Ladislavo aperte favebat, atque ut is regni Hungarici potiretur, suam omnem auctoritatem operamque contulerat. Post victum Ludovicum Andegavensem, ac tota Italia expulsum anno 1403. cum Ladislavus in Dalmatiam transvectus Jaderam appulisset, Angelus presbyter Cardinalis S. Laurentii legatus pontificius, ex mandato Bonifacii, regium diadema ei imposuit, ceterisque regalibus insignibus ornatum, regem Hungariæ & Dalmatiæ appellavit. Nihilo occultius idem Pontifex curaverat, ut Venceslavo fratri Sigismundi, Bohemiæ regi, ob ejus inertiam a proceribus Germaniæ imperium abrogaretur, & Robertus dux Bavariæ in ejus locum sufficeretur. Quæ consilia & molimina, utrique fratri maxime infesta & perniciosa, Sigismundum acerbissime irritarunt; & cum sui doloris ulciscendi alia ratio nulla suppeteret, sacerdotia Hungarica cujusque generis, quibuscumque vellet, conferebat, neque petita, neque expectata Bonifacii approbatione; aliaque abalienati a Pontifice animi tam aperta indicia dedit, ut nihil propius esse videretur, quam ut, repudiata legitimi Pontificis auctoritate, ad Benedictum Antipapam descisceret; quin revera eidem adhæsisse, quod mihi non fit verisimile, Henricus Spondanus tradit sub annum 1403. *Sigismundum autem audito quod Bonifacius in se molitus esset, de ipso, ejusque Cardinalibus per famosas in universum orbem epistolas vehementer conquestum esse, atque exinde in regno Hungariæ, gravissimas clades hominum, locorumque profanorum, & ecclesiasticorum subsecutas esse; Sigismundum cathedrales Ecclesias, & monasteria, cunctaque alia beneficia Ecclesiastica in Hungaria contulisse quibus voluit, hocque curatum esse Bonifacium ex Ladislai ad regnum Hungaricum exaltatione; unde & post hæc tam eumdem Sigismundum, quam Venceslaum Bohemiæ regem, in cujus depressionem æque Bonifacius Robertum in regem Romanorum sublimaverat, abdicata Bonifacii obedientia, Benedicto ejus adversario adhæsisse, etiam Edmundus utrique eorum principi familiaris testatur.*

Sigismundus vehementer iratus Bonifacio IX.

Joannes Strigoniensis Archiepiscopus veritus, ne Sigismundus, ut vulgo opinabantur, ad partes schismaticorum spectaret, pro sui muneris ratione admonendum censuit, ne tale ac tantum flagitium admitteret, neve tam insignem notam atque ignominiam suo nomini, totique regno Apostolico inureret. Hanc ille admonitionem non æquis auribus, sed malam in partem accepit, suspicatus non ex animo sincero ac fideli profectam esse; sed ex ea temere conjecit probari ab Joanne quæ Bonifacius moliebatur pro transferendo in Ladislavum regno Hungariæ, & Joannem ipsum Ladislavo studere, & quantum in eo esset, omni ope operaque enixurum, ut illius regni potiretur. Suspicionem maligni quidem homines fallaciis & mendaciis auxerunt, variisque calumniis onerarunt; quod de Joanne per se ipse suspicabatur, aliis idem confirmantibus facile credidit; & nulla cura veritatis solertius inquirendæ adhibita, cæco ac temerario quodam impetu Joannem bonis omnibus exutum, & quibus fungebatur muneribus mulctatum, in carcerem detrudi jussit, ut in codice MS. Zagrabiensi apud Kereselichium memoriæ proditum est: *Dum Joannes Sigismundo loquitur, & scribit, ne fieret schismaticus, facta est suspicio regi, quod Ladislaum occulte sequatur, & susurronibus inimicis, bonis confiscatis captivus tentus, & Eberhardus cancellarius factus fuit.* Idem confirmat Nicolaus Schmitth in suis *Archiepiscopis Strigoniensibus compendio datis: Ipse Sigismundus recuperata libertate arcem Strigoniensem, Verebesium, aliaque loca juris Archiepiscopalis an. 1403. in fiscum redigit, fortunis omnibus virum inconcussæ fidei mulctat. Existimabat enim Sigismundus Joannem partem Ladislai clam alere, quem jussu Bonifacii IX. in urbe Jadrensi per legatum Pontificis in regem Hungariæ coronatum inaudivit.* Itaque Eberhardus post Joannem exauctoratum, *Summus Cancellarius regiæ majestatis* creatus, hoc munus plenum honoris ac dignitatis etiam post restitutionem Joannis usque ad obitum retinuit. Ceterum tantum abfuit, ut Sigis-

Digitized by Google

Sigismundus ad partes Benedicti Pseudopontificis transierit, ut, quamvis se vehementer esse offensum a Bonifacio & verbis & factis ostenderet, nihil tamen de sua erga Sedem Apostolicam fide atque obedientia remiserit; an vero Bonifacius cum Sigismundo in gratiam redierit, mihi non est compertum. Credibile est Pontificem & regem inter se reconciliatos esse, postquam Ladislavus eodem anno, quo venerat, mense Octobri e Dalmatia discessit; qui deinde, omni spe adipiscendi regni Hungarici abjecta, cogitationem, curamque omnem ad fines regni Neapolitani amplificandos, & finitimas Italiæ civitates occupandas convertit. Certe Sigismundus legitimis Bonifacii successoribus egregiam fidem, operamque perutilem præstitit, atque ut diuturnum illud, & perniciosum schisma prorsus extingueret, nullis legationibus, laboribus, itineribus pepercit: Joannem vero Archiepiscopum Strigoniensem, ubi se falsis suspicionibus, & iniquorum hominum mendaciis deceptum cognovit, in pristinam gratiam & benevolentiam recepit, eique omnia, quæ ademerat, cumulate restituit; tamen *regii cancellarii* munus Eberhardo collatum non reddidit; sed postquam Robertus, Imperatore vita functo, imperium adeptus est, titulum honoremque longe illustriorem illi contulit, eumque *Cancellariæ imperii Romani summum* Cancellarium creavit.

Eberhardus præbendariis Chasmensibus, domicilio carentibus locum ædibus construendis & immunitatem donavit.

Eberhardus ab gravissimis illis & operosis curis, quibus eum implicari, ac defungi oportuit, dum de Sigismundo liberando laborabat, statim ad ea se retulit, quæ ad rem Ecclesiasticam, & officium episcopale pertinebant. B. Augustinus Gazottus, ut in ejus actis dictum fuit, Capitulo Ecclesiæ Chasmensis adjunxerat presbyteros aliquot, adjutores chori, & rerum sacrarum administros; sed neque domicilia illis, neque proventus satis idoneos assignaverat. Itaque domo carebant, & in ædibus conductis habitabant, & iisdem, quibus laici homines, exactionibus ac tributis suberant, contra quam vetabat privilegium clericale. Eberhardus areæ, quod satis esset ad domos exstruendas concessit, illos, illorumque sacerdotia omni prorsus tributo exemit, annuos proventus auxit, atque ob hujusmodi beneficia illis collata, præter breves quasdam precationes, id oneris impositum iisdem esse voluit, ut singulis hebdomadis feria quarta unum Deo sacrificium in honorem S. Nicolai Episcopi & Confessoris offerrent. Hæc omnia ut firma essent, ac perpetua, litteris mandari, & tum Episcopali, tum Capitulo utriusque Zagrabiensis & Chasmensis sigillis obsignari jussit.

Tabulæ donationis.

Eberhardus divina & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis Ecclesiæ, ac totius Sclavoniæ constitutus a regnicolis Banus. Omnibus Christifidelibus præsentibus & futuris, harum notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos considerata devotione, sollicitudine indefessa, ac continua explendorum divinorum officiorum, paupertateque, & incommoditate discretorum virorum, dominorum præbendariorum Ecclesiæ nostræ S. Spiritus Chasmensis; quorum præbendariorum quidam, a facta eorumdem per S. memoriæ Augustinum Episcopum Zagrabiensem institutione, domos, & hortos pro necessitate vitæ vel non haberent, vel ipsas civiliter non tenerent; ut alii cives nostri laici Chasmenses, sed collectis & exactionibus, pignorumque receptionibus gravarentur contra privilegium clericale; alii vero nec curias nec hortos habent. Ad amplificationem igitur cultus divini, sequentes vestigia SS. Patrum, ad sublevationem prædictorum præbendariorum Ecclesiæ nostræ pro tempore constitutorum, & constituendorum aliqualem, ut pro temporalibus sempiterna, pro perituris mansura bona percipere valeamus, ex certa nostra scientia, & matura deliberatione præhabita, cum consilio & consensu, immo sollicita instantia honorabilium fratrum nostrorum Dominorum de Capitulis nostris Zagrabiensi, & Chasmensi, certas curias præbendariorum prædictorum videlicet Antonii dicti Sipek, Benedicti, Germani, Thomæ succentoris, Gregorii Sacerdotis, penes curiam aræ S. Nicolai habitam, Joannis presbyteri, Thomæ Succentoris prædicti, Brunonis dicti Remetha, cum Paullo presbytero socio suo, & Petri dicti Rigia .... septem quartas non habitatas, sed ad præsens desertas, inter præbendam, seu ad domum aræ S. Nicolai, in dicta Ecclesia nostra Chasmensi, constructas, & civile Muryak civis nostri, retro curias canonicales Dominorum dicti Capituli Chasmensis, a parte fluvius Chasmæ existens, usque ad ipsum fluvium Chasmæ construendis habitationibus præbendariorum domibus carentium, de manibus nostris, & nostrorum successorum, ac Communitatis civium nostrorum Chasmensium, penitus & omnino dementes, segregantes, & sequestrantes, eisdem præbendariis pro tempore constitutis, & constituendis, ut ipsi facilius & quietius ipsam Ecclesiam nostram diu noctuque frequentare, ac hostias salutares devotius & commodosius valeant offerre Salvatori, jure perpetuo & irrevocabili, novæ donationis nostræ titulo damus, donamus, & conferimus; ipsosque, & eorum quoslibet ab omnibus daciis, collectis, taxis, contributionibus, victualibus, & quibuscumque exactionibus, tam adinventis, quam adinveniendis; nobis & cameræ, ac etiam forsan ad commune dictæ Communitatis civitatis nostræ Chasmensis spectantibus ac debentibus, eximimus, liberamus, & expedimus, absolvimus, & quietamus. Præbendas vero altarium SS. Petri & Paulli Apostolorum, Thomæ & Bartholomæi similiter Apostolorum, & B. Helenæ reginæ, S. Nicolai Episcopi, & Confessoris prædicti, Dorotheæ Virginis & Martyris, nec non omnium Sanctorum in ipsa Ecclesia nostra Chasmensi constructorum, cum ipsarum pertinentiis quibuslibet, partim per nos, partim per nostros prædecessores exemptas & liberatas, modo quo supra ex certa nostra scientia, & animo deliberato confirmamus, ratificamus, & si opus est, de novo eximimus, & liberamus, sub hac conditione, quod ipsi præbendarii, & eorum successores deinceps in antea sine intermissione, omni quarta feria Missam ad honorem S. Nicolai Episcopi Confess. in ara sua prædicta, in præfata Ecclesia nostra Chasmensi constructa, cum quinque orationibus, prima de ipso S. Nicolao, 2. de S. Margaretha, 3. de B. Dorothea, 4. pro defunctis prædecessoribus nostris, videlicet: Deus qui inter Apostolicos sacerdotes &c. quincta pro nobis & successoribus nostris scilicet: Deus omnium fidelium pastor & rector &c. Ceteris autem diebus hebdomadim legant pro salute animarum parentum nostrorum, & quovis titulo nobis attinentium, ac bona pace dicti Episcopatus nostri, & totius regni Hungariæ, per ipsum B. Nicolaum,

Digitized by Google

laum, & ipsas B. Margaretham, & Dorotheam impetranda. Volumus etiam & nihilominus, ut semper in Memento vivorum universi attinentes & benefactores nostri habeantur expressi: Memento autem defunctorum animæ parentum, & omnium attinentium, & benefactorum nostrorum. Et volumus quo ubi dicti prabendarii præmissam Missam cum orationibus, & Memento, prout supra narratur, favere non curarent, præmissa gratia careant eo facto. In quorum quidem novæ donationis, exemptionis, confirmationis, & sanctionis evidentiam firmitatemque perpetuam, præsentes litteras privilegiales, propter absentiam sigilli nostri majoris autentici, sigilli nostri annularis, (quod quidem tanti vigoris, roboris, ac firmitatis esse volumus, ac si dicto nostro majori sigillo fuissent & essent communitæ; quod majus sigillum nostrum, dum nobis opportunum fuerit, penes præsens sigillum annulare nostrum appendi faciemus) ac sigillorum honorabilium Capitulorum nostrorum Zagrabiensis, & Chasmensis appensam fieri, cum publici notarii subscriptione, & sui signi soliti signatione fecimus communiri. Datum Chasmæ Sabbato proximo ante Dominicam Invocavit. Anno Domini 1402. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Bonifacii divina providentia Papæ noni anno tertio decimo; præsentibus honorabilibus, & discretis viris Dominis Dominico præposito, Stephano Archidiacono de Varasd.; Clemente Archidiac. cathedrali in Ecclesia nostra Zagrab. Nicolao lectore & Thoma custode Ecclesiæ nostræ Chasmensis, aliisque plurimis, fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Iisdem testamenti condendi potestatem fecit.

Iisdem præbendariis Chasmensibus eodem anno Eberhardus *de omnibus bonis ipsorum, quovis nomine vocitatis liberam disponendi, ordinandi, testandi, nec non legandi, prout eis salubrius in vita & morte videretur, facultatem concessit*. Quam quidem facultatem, a suis decessoribus traditam Capitulo Zagrabiensi, sua quoque auctoritate confirmavit. His itidem temporibus ædem Sanctorum Cosmæ & Damiani, itemque Sanctarum Dorotheæ, & Elisabethæ, & domum sumtibus Thomæ Vicarii sui generalis exstructas in foro civitatis Episcopalis Chasmensis, fratribus hospitalibus possidendas & habitandas tradidit; eisdemque decimas ex fructibus terræ Episcopalis de Monozlo percipiendas attribuit, præter ducentos vini *cubulos*, ut est apud Keresselichium, quos sibi reservavit.

Decimas ademtas Canonicis restituit.

Anno 1405. Canonicis Ecclesiæ Zagrabiensis decimas restituit, ante quinquennium icirco ademtas, ut iis ad regem captivum liberandum, milites alendos, & populos in ejus fide continendos uteretur; idque constat ex ejus litteris hoc anno datis, tertio Nonas Octobris, quæ sunt hujusmodi.

Litteræ Eberhardi.

Eberhardus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabien. & supremus Cancellarius aulæ regiæ majestatis, omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium notitiam habituris salutem in salutis largitore. Juri congruit, & convenit rationi, ut ea, quæ aut ardentis amoris habendi cupidine hiante, aut urgentis necessitatis incommodo cogente, in devium divinæ humanæque legis redacta compererit, dextera emendantis, in viam æquitatis quanto citius reducere festinet. Sane siquidem nos alias, & præsertim tempore, quo Serenissimus princeps Dominus noster naturalis Dominus Sigismundus rex Hungariæ in discrimen captivitatis incide-rat nos necessitatis incommodo urgente ex eo potissime, quia gentibus armigeris, cum quibus tunc Deo prosperante in virtute valida, & manu potenti . . . . regni Sclavoniæ subintrantes, & proceres regni ejusdem adeo gubernantes, ut eosdem non permiserimus excidere a tramite debitæ ipsi Domino nostro fidelitatis, largiri stipendia solita, nobis, dum propriis negabatur posse facultatibus, necesse erat, ne captum indecisum deperisset, & error pejor succrevisset priore, manum oportebat mittere in aliena, feceramus occupare a fratribus nostris in Christo charissimis Dominis Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ nostræ Zagrabiensis Ecclesiasticas decimas ipsorum de monte Davidoucz appellatas, quæ in integrum ipsorum Canonicorum, & Capituli, ac medietatem Conchæ de vico Latinorum, quæ eorumdem Canonicorum, & Capituli, ac quartariorum ipsorum præfuissent, & ad ipsos, ac mensam ipsorum Capitularem ab antiquo pertinuissent pleno jure, & in quarum decimarum possessione jure percipiendi, tam tempore nostræ præsidentiæ, quam aliorum Episcoporum nostrorum præcessorum fuissent pacifica, & quieta, salvis supradicta per nos facta occupatione, & alias temporibus disturbiorum in regnis Hungariæ & Slavoniæ subortorum, per Reverendum Patrem Dominum Joannem Episcopum ... alias Bohemum felicis recordationis nostrum prædecessorem modo simili facta earumdem decimarum pro se ipso usurpatione; quas tandem una cum terra Bukingapolia vocata, habita juxta possessionem nostræ Ecclesiæ Chycheria appellatam, & alia penes Zavam Struga nuncupata, ipso Domino Joanne prius per ipsos Canonicos super eisdem, & aliis terris in curiam Romanam personaliter evocato, se proborum & idoneorum virorum compositione arbitrative, sub certis obligationibus submittente evicerant, prout hæc omnia in ipsorum litteralibus instrumentis nobis pluries per ipsos expositis clare vidimus contineri; revolventes nihilominus crebro & crebrius in nostri cordis penetralibus, quanta animadversione divina sit ferienda rapina; cum Evangelicum divitem non ob rapinæ alicujus illationem, sed ob propriorum non largitionem, Gehennæ cruciatibus deputavit æternis. Horum igitur consideratione edocti ad statum nostræ conscientiæ, legalibus comperiamur contravenisse mandatis; volentes quoque per nos commissa in viam reducere æquitatis; universas & singulas decimas de monte Davidoucz appellatas, ipsis Canonicis & Capitulo, ac medietatem decimarum Conchæ vici Latinorum, ipsi, & quartariis eorumdem, una cum terris prædictis Bakongapolia, Zthruoga vocitatis, prout, & quemadmodum ad ipsos ab antiquo pertinent tam de jure, quam de facto, ipsis & ipsorum ministris Capitularibus duximus remittendas, restituendas, relaxandas, & reiterandas; immo remittimus, restituimus, relaxamus, & reiteramus pleno jure, harum nostrarum vigore, & testimonio litterarum. Quocirca vobis universis nostris decimatoribus, factoribus administrationis, officialibus, & quibusvis aliis hominibus, firmis damus in mandatis, quatenus amodo, & deinceps ipsos Dominos fratres nostros in Christo charissimos Canonicos universos, & Capitulum, & ipsorum decimatores, factores, administratores officiales, per ipsos quoad ipsarum decimarum reintegrationem perceptionis, ac integralem levationem, & administrationem constitutos & deputatos minime impedire, in-

quie-

Digitized by Google

quietare, & quovis modo perturbare præsumant. Secus autem facientes, & hujusmodi nostræ reintegrationi, restitutioni, & ipsarum decimarum modo supra habito, & expresso levationi & perceptioni per ipsos Capitulares fiendæ de cetero contravenientes publice vel occulte, indignationem Dei omnipotentis, & nostri perpetui anathematis damnationem noverint se incursuros. In cujus rei testimonium firmitatemque perpetuam præsentibus nostri Pontificatus sigillum duximus apponendum. Datum Zagrabiæ in sala nostra Episcopali secunda die festi B. Francisci Confessoris; anno millesimo quadringentesimo quinto.

Venceslavo exauctorato, Robertus dux Austriæ Imperator, invito Sigismundo, qui se Vicarium generalem Imperii constituit.

Venceslavo regi Bohemiæ, ob summam ejus inertiam & probrosa flagitia, imperium proceres Romani, Bonifacio Papa hortatore, abrogaverant anno 1400. in ejusque locum Robertum ducem Austriæ substituerant. Cæsaream dignitatem fratri ademtam ægerrime tulit Sigismundus; nec vero adduci potuit ut Robertum pro Imperatore legitimo haberet atque agnosceret; sed cum diffiteri non posset tum imperio gerendo, tum regno administrando fratrem ineptum esse, ejusque ignaviam & vecordiam, effulasque in omni intemperantia libidines, in utriusque perniciem ac dedecus redundare, vicarias fratris partes in utroque munere sustinendo ac fungendo ad se pertinere existimavit; seque vicarium imperii Romani, & administratorem regni Bohemiæ constituit, perinde ac si utrumque vacaret. Hos quippe titulos sibi attribuit in suis edictis promulgatis anno tertio & quarto sæculi decimi quinti, insertisque corpori juris civilis Hungarici, quorum initium est hujusmodi: *Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchio Brandeburgensis &c. Sacri Romani imperii Vicarius generalis, & regni Bohemiæ gubernator.* Iratus quidem erat Bonifacio Papæ tum ob fratrem, illo suasore, dejectum imperio, tum præcipue ob favorem operamque Ladislavo collatam ad regnum Hungariæ occupandum; sed tamen eum tamquam Christi Vicarium, & legitimum Pontificem agnoscere & colere perseveravit; & neque se, neque regnum ab ejus œcumenica & suprema auctoritate disjunxit; idque optimis ac piis consiliis Eberhardi Episcopi adscribendum censeo, qui regis animum fortasse nutantem sustinuit, ne ad partes schismaticas descisceret; ei siquidem Sigismundus plurimum & debebat, & fidebat, & tribuebat. Quare dum Sigismundus suas veluti privatas inimicitias cum Bonifacio gerebat, minime dubitavit Eberhardus suis litteris an. 1402. supra descriptis & nomen Bonifacii, & annum decimum tertium ejus Pontificatus intexere, ac subjicere: quod indicio est in pristina erga hunc Pontificem fide, & catholica cum eo communione tum Sigismundum, tum Hungaros perstitisse. Reconciliatæ postea inter regem ac Pontificem pacis, atque amicitiæ illud argumentum esse potest, quod cum Bonifacius anno 1404. in suis ad fratres Eremitas Paullinos litteris quasdam eorum vineas ab omni decimarum solutione liberasset, atque immunes esse jussisset, Sigismundus illis non intercessit, neque obstitit, quominus litteræ illæ Pontificiæ in suum regnum & afferrentur, & reciperentur, & quod caput est, illarum auctoritas valeret, quamvis de jure Episcopi Zagrabiensis Sigismundo amicissimi aliquid derogare viderentur. Caput autem litterarum, ne Antistes Zagrabiæ decimas exigeret ex illis vineis, quas fratres Domus S. Mariæ de monte Garighensi in collibus quibusdam antea incultis, vepretis, dumetisque obsitis instituerant.

Rediit deinde in gratiam cum Bonifacio IX., & immunitates ab eo Eremitis Paullinis concessas non improbavit.

Diploma Bonifacii.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Priori, & fratribus domus Sanctæ Mariæ de montibus Garygh nuncupatis S. Paulli primi Eremitæ Ordinis S. Augustini, Zagrabiensis diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacræ religionis, sub qua devotum, & sedulum exhibetis virtutum Domino famulatum, promeretur honestas ut petitiones vestras illas præsertim, per quas vestris commoditatibus, & quieti consulitur, quantum cum Deo possumus ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus.

Exhibita siquidem nuper pro parte vestra petitio continebat, quod olim vos provide attendentes in certis particulis terrarum, quas nonnulli proceres regni Sclavoniæ ad salutem animarum suarum vobis pia largitione contulerant, & in quarum possessione pacifica, vel quasi, a tanto tempore, cujus contrarii memoria non existebat, fueratis, prout estis; quosdam montes spinosos esse, & ex quibus quidem particulis terrarum, nullum vobis emolumentum proveniebat, de consilio, & assensu Superioris vestri, particulas terrarum hujusmodi, nonnullis colonis, tam propriis quam alienis ad colendum, nec non vineas in eis plantandas concessistis, cum ea videlicet conditione, ut quicunque ex colonis hujusmodi in ipsis terrarum particulis vineas plantaret, vobis, & domui vestræ decimam vini ex eisdem vineis dare annis singulis teneretur: quodque postmodum diversæ vineæ in eisdem terrarum particulis plantatæ fuerunt, ex quibus ab annis duodecim citra, & ultra decimas percepistis, de præsenti etiam ultra nonam mensuram, quæ secundum morem, & consuetudinem regni Ungariæ, cui dictum regnum Sclavoniæ subjectum est, per personas ecclesiasticas, sæculares, & regulares, ex terris, & possessionibus, quæ ab eis locationum, & concessionum titulis tenentur, a triginta annis vel circa a conductoribus, seu cultoribus terrarum, & possessionum earundem, percipi consuevit.

Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, vos dubitetis, quod Episcopus Zagrabiensis, qui est, & pro tempore erit, dictis colonis in posterum decimas ex hujusmodi vineis petat, & exigat, sicut ab aliis vicinis incolis petere, & exigere consuevit: pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, qui satis pauperes, & in solitudine constituti estis, & qui absque hujusmodi decimarum perceptione commode sustentari, & incumbentia vobis onera supportare non potestis, providere paterna diligentia dignaremur.

Nos igitur attendentes laudabile, & juge obsequium, quod præstatis omnium Creatori, ac volentes inopiæ vestræ in hac parte pie de alicujus subventionis auxilio providere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati; ut de prædictis jam plantatis, & in posterum plantandis in dictis particulis terrarum incultarum, & sylvestrium, ac spinosarum, nec non cultarum, vineis, ultra prædictam nonam partem vobis secundum dictam consuetudinem debitam, decimas petere, exigere, & recipere, illasque in vestros, & dictæ domus usus convertere libere, & licite valeatis; devotioni vestræ auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus; hujusmodique decimas in sustentationem vestram, pro supportatio-

Digitized by Google

tatione hujusmodi onerum pro tempore convertendas ex abundanti, & de speciali dono gratiæ ex certa scientia eadem auctoritate concedimus, & donamus.

Districtius inhibentes Episcopo Zagrabiensi qui nunc est, & pro tempore erit, ut quibusve aliis, ne vos, aut dictos colonos prætextu cujusvis consuetudinis super petitione, seu exactione decimarum hujusmodi quoquomodo, impedire, seu molestare præsumat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, donationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Paulli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum III. Idus Martii Pontificatus nostri Anno quintodecimo.

Eberhardus relicta Zagrab. ad Varadinensem Ecclesiam transivit. Anno 1406. Eberhardus, incertum quám ob caussam, Zagrabiensem cum Varadinensi Ecclesia commutavit. Annos circiter duos Interregnum Episcopale tenuit; nam ut est apud Kereselichium, in variis tabulis ac litteris regiis an. 1406. itemque 1407. inscriptum legitur: *Eberhardo Varadiensi, Zagrabiensi, & Agriensi sedibus vacantibus;* & in aliis anni 1406. *Hermanus Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ Comes, Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Banus, Gubernator Episcopatus Zagrabiensis.* Antequam Eberhardus ad Ecclesiam Varadinensem migraret, multa privilegia concessit, & leges quasdam præscripsit oppidanis Ivanichii anno 1406. quæ omnia Balthassar Kereselichius nominatim

Privilegia oppidanis Ivanichii ab eo concessa. persequitur his verbis: 1. *Ut ipsi facultatem habeant eligendi judicem cum 12. assessoribus, qui tamen vel ab Episcopo, vel ejus Vicario temporaneo per illos præsentatus confirmabitur; judicaturus in oppido caussas omnes, præter caussas notæ infidelitatis, & graviores ejusmodi, pro temporaneo Episcopo reservatas; appellatione ad eumdem Vicarium, vel ipsum Episcopum salva; absque omni persolvendo, in hoc foro appellatorio, tributo. 2. Ut liberam habeant testandi de omnibus facultatem; & si intestati decederent, bona eorum ad uxores, & proximos devolvantur; qui autem uxores non haberent, intra spatium anni unius omnia servabuntur, comparentibusque cognatis aliquibus, ipsis dabuntur; si autem non comparuerint intra annum, pro anima defuncti dividentur. 3. Si quis civium de dicto oppido abire voluerit, depositis pravie 12. denariis judici, una cum rebus suis abire valebit; si vero furtim, & non obtenta venia abiverit, universa ejus ad cameram Episcopalem devolventur. 4. Decimas universas a terris suis sanctimonialibus B. V. M. de Ivanich dabunt, & persolvent. 5. Si quis homicida esset ex civibus, perpetuo exulabit, portioque ejus cedet judici, salva uxoris, & prolium ejus portione. 6. A qualibet integra curia, seu Mardurina, in festo B. Petri Apostoli 12. denarios; item in vicem piperis, vini, pabuli, farinæ &c. quæ olim in natura præstabant, juxta Joannis Episcopi constitutionem solvent ad festum S. Georgii 30. denarios, & alios 30. ad festum S. Andreæ pro prædictis minutis, ad cameram Episcopalem. 7. Caussas extraneorum Comes provinciæ de Ivanich cum judice villæ judicabit, a quibus duæ partes Comiti, tertia judici cedet, civium caussas solus judex cum assessoribus. 8. Triduo ante festum Assumptionis B. M. V. triduoque post festum, nullus caussa debiti audeat aliquem ex civibus molestare, vel impedire; sed nec alium in nundinis, præterquam si fur, vel latro in dictis nundinis reperirentur; quos judex oppidi poterit detinere, & judicium ac justitiam facere, 9. & caussas quæ occasione nundinarum occurrere possent, judex judicabit. 10. Nullus extraneus testis contra cives in judicio assumi poterit. 11. Nullus Comitum vel officialium Episcopalium descensum apud cives facere præsumat violenter. 12. Nec Episcopus, nec ullus possit cives ad aliquos labores compellere. 13. In foro præemptionem rerum Cives habeant, nec ullus pugilem adducere contra, vel duellare cum civibus possit. 14. Cives de Ivanich ab omni conductura retium, & cassidum, & quarumlibet rerum Episcopalium perpetuo sint exempti; neque ab officialibus Episcopi possint vadari, aut damnum aliquod pati; quin nec ab iisdem officialibus attrahi coram alio, ac eorum judice, a quo satisfactionem obtinebunt. 15. Alii, qui intra cives commorarentur, & cameræ Episcopali nihil solverent, ad Communitatem civium solvent. 16. Ipsi dumtaxat cives eisdem silvis utantur, & possint perfrui in perpetuum Jobagiones in provincia Ivanich commorantes.*

Hæc omnia confirmavit Sigismundus regio diplomate, dat. 1407. *IV. Kal. mens. Septemb. per manus Rever. in Christo Patris Dom. Eberhardi Episcopi Eccles. Varadien. aulæque nostræ majestatis summi Cancellarii; Rever. in Christo Patribus & Dom. Valentino tit. S. Sabinæ Sanctæ Rom. Ecclesiæ presbytero Cardinali, & Ecclesiæ Quinqueccl. gubernatore, Joanne Strigonien. Colocensi & Jadrensi sedibus vacantibus, Andrea Spalatensi, & altero Andrea Ragusiensi Archiepiscopis, eodem D. Eberhardo Varadiensi, Stephano Transilvanien. Zagrabien. & Agrien. sedibus vacantibus, Joanne Bosnen. Joanne electo Vesprimien. Joanne Jaurien. Vacensi sede vacante, fratribus Dosa Chanadien. Hynkone Nitrien. electis, ac Thoma Signien. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Sirmien. Tragurien. Scardonen. Tinninien. Nonen. Sibenicen. Macaren. Pharen. & Corbavien. sedibus vacantibus. Nec non spectabilibus, & magnificis viris Domino Hermano Comite Ciliæ, & Zagoriæ, Dalmatiæque & Croatiæ, ac totius Sclavoniæ regnorum Bano, socero nostro carissimo, Nicola de Gara regni nostri Palatino, Joanne & Jacob Vaivoda nostris Transilvaniæ, Comite Francisco filio quondam Konyc Bani, judice curiæ nostræ, Joanne de Maroth Bano nostro Machoviensi, honore Banatus Severiniensis vacante &c.* — quæ Sigismundus confirmavit post transitum Eberhardi ad Eccles. Varad.

ANDREAS EP. ZAGRAB. XXXVIII.

Ad regendam Ecclesiam Zagrabiensem accessit anno 1408. vel superiori. Certe altero vel tertio mense anni modo dicti 1408. jam Episcopali potestate & munere fungebatur; quippe die *octava Cinerum*, & *anno* 1408. ut est in tabulis archivi Episcopalis, Matthias Vicarius generalis ex mandato Andreæ Episcopi, ejusque nomine possessionem tradidit Ecclesiæ & Parœciæ S. Martini de Kamarca Blasio Deche presbytero, quem elegerant, & nominaverant Patroni ejusdem Ecclesiæ *Nobiles de Kamarca*. Tabularum initium est hujusmodi: *Matthias de Vice-dominis de Placentia J. U. D. Andreæ Dei gratia Episcopi Zagrabiensis Vicarius. Anno 1409. Festo B. Margaritæ* Andreas donationes & immu-

munitates praebendariis Chasmensibus per decessorem suum Eberhardum collatas suis litteris confirmavit. Eodem anno, & mense Julio decimas Episcopales Mihaleczensibus magna ex parte, & alia multa, quae solvere & praestare debuissent Episcopo, remisit & condonavit, levi quadam pro illis pensione imposita, propterea quod, dum seditionibus & bellis civilibus ardebat Hungaria, ut fidem Sigismundo datam servarent, plurima detrimenta & damna pertulerant; nam agros suos, & vineas a perduellibus ferro & igni devastatas querebantur, & praeterea sibi a Banis Slavoniae non solum arma & operam militarem, sed etiam sumptus ad castella regia munienda, & tuenda imperatos fuisse. *Nos Andreas Dei & Apostolicae sedis gratia Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod populi & hospites in possessione Zent-Mihalic, ac possessionibus ad eamdem spectantibus commorantes, ad nostram venientes praesentiam, nobis lacrimose significare curarunt, quomodo ipsi alias per Paullum Bissenum, & alterum Paullum de Peech, olim Banos regni Sclavoniae, nec non per quemdam Georgium filium Petri, seu quosvis ipsorum, his proxime retrolapsis calamitosis temporibus, plurimum essent impediti & damnificati* (idest ut interpretatur Balthassar Kereselichius, *per fideles Sigismundo impediti, per factiosos damnificati*) *per quod ipsae possessiones magnum fuissent passae desolationis detrimentum &c. Dat. Zagrab. feria proxima post festum Visitationis B. M. V. Anno Domini* 1409. Nec vero eas immunitates Mihaleczensibus Andreas in perpetuum, sed ad tempus concessit, vel quoad ipse viveret, vel quoad damna, quae acceperant, resarcita esse censerentur, ut praeclare animadvertit Benedictus Vincovichius Ep. Zagrab. idque ex ipsis verbis Andreae collegit: *Notanda sunt verba haec: nobis provenire debentia: per quae successores exclusit. Et sane res difficillima est respectu conscientiae, si Domini Episcopi labores manuales, aliosque fructus, proventus, decimas in perpetuum condonent, etiam cum aliquali pensione omni ex parte inaequali. Ex quo non tam administratores essent, quam Domini absoluti intuitu alienationis. Secus sentiendum forte de acquisitis industria, parsimonia, licet & hoc toleretur, vel in casibus, ubi collationes praemissorum, vel abalienationes in clarum bonum Ecclesiae vergunt.*

Vix duos annos Andreas Ecclesiae Zagrabiensi praefuerat, cum vel e vita decessit, vel ad aliam Ecclesiam migravit. Inter Antistites regni Hungariae duos invenio monumentis illorum temporum inscriptos, quibus idem nomen Andreae fuit; unum Archiepiscopum Colocensem, alterum Episcopum Varadinensem; uterque anno 1411. Episcopatum gerebat. Atque haud scio, alteruterne, an neuter fuerit Andreas is, qui antea Episcopus Zagrabiensis fuit. *Andreas vel vita functo, vel ad aliam Ecclesiam translato,*

EBERHARDUS iterum EP. ZAG. XXXIX.

Relicta Varadinensi, regressus est ad sedem Zagrabiensem an. 1410. Hujus repetendae, illius deserendae caussam in Sigismundum conferendam putat Balthassar Kereselichius. Hic post mortem Roberti a Septemviris Imperator Romanorum renunciatus fuit anno 1410. Cum ei necessaria esset in Germaniam profectio, ejusque deinde absentia & longinqua, & diuturna futura foret, administrationem regni Hungarici Barbarae uxori suae commisit; quae, marito absente, aulam & curiam regiam sibi constituit in oppido Kemlech dioecesis Zagrabiensis. Ei ad rem publicam bene gerendam adjutorem & consiliarium esse voluit Eberhardum, cujus integritati & prudentiae plurimum fidebat. Illum itaque e Varadinensi ad Ecclesiam Zagrabiensem revocavit, ut reginae a consiliis esset, & ab ejus latere non discedens, simulque in sua dioecesi consistens, utrique & Episcopi & consiliarii officio satisfaceret. Suae tum ad Varadinensem sedem migrationis, tum ad Zagrabiensem reversionis fidem facit ipsemet Eberhardus, cum in quibusdam suis litteris commemoravit quae & quanta detrimenta, dum ipse abesset, per administratores laicos illata fuerint jurisdictioni reique ecclesiasticae, de quibus speciatim edoceri cupiens, conductores, & colonos villarum, & praediorum Episcopalium ad Comitia Chasmensia convocavit: *Eberhardus Dei gratia Episcopus Zagrabiensis, & supremus regiae majestatis consiliarius &c. Quod nos, xv. die festi B. Georgii Martyris, pro revisione jurium totius Episcopatus nostri praediorum, de quibus tum propter nostri ad Episcopatum Varadiensem translationem, tum etiam propter diversos gubernatores saeculares, ante nostrum de ipso Episcopatu Varadiensi ad Episcopatum Zagrabiensem reditum, ad regimen dicti Episcopatus nostri Zagrabiensis deputatos, per eos aliqua in praejudicium Ecclesiae & dominii, atque juris alieni fuisse attentata intelleximus; volentes autem clare informari, congregationem generalem omnibus praedialibus totius nostri Episcopatus Chasmae celebrandam &c.* *Eberhardus Varadino ad Zagrab. Ecclesiam redit.* *Conductoribus & colonis praediorum Episcopalis Chasmam conventum edixit.*

Post resumptum Episcopatum Zagrabiensem nihil habuit antiquius, quam ut caveret, & consuleret fratribus Eremitis Ordinis Paulliani, quos singulari benevolentia complectebatur, ac praesertim eorum coenobio S. Mariae Remetensis in provincia Dombrensi. Suo enim vicario, & omnibus ejusdem provinciae Comitibus, praesidibus, & cujusque muneris administris ab se constitutis imperavit, ut fratres illos ab omni vexatione, injuria, & molestia tuerentur, eorum immunitates sartas tectas servarent. Si qua vero necessitas postularet, ut vel ipse, vel successores Episcopi populis sibi subjectis aliquod tributum extraordinarium imperarent, penes illos fratres Eremitas jus & arbitrium esset constituendi, quid & quantum vel ipsi, vel eorum Jubagiones, sive coloni contribuere deberent. *Eremitarum ordinis Paulliani privilegiis & immunitatibus cautum esse voluit; & ne quid molestiae illis exhiberetur,*

Eberhardus divina miseratione Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis, fidelibus nostris universis, & singulis videlicet: Vicario nostro temporali, nec non Comitibus, Vicecomitibus provinciae nostrae Dombrensis, ac officialibus, & familiaribus eorundem, item Vaivodis Villicis, praeconibus, collectarum, taxarumque, & decimarum nostrarum dicatoribus, & exactoribus earundem, ac quorumcumque proventuum collectoribus praesentibus, & futuris salutem cum paterna benedictione. Cum nos universos, & singulos Christi, & suae Ecclesiae ministros, specialiter tamen fratres Ordinis fratrum Eremitarum S. Paulli primi Eremitae, nexu confraternitatis nobis charitative conjunctos, in ipsorum juribus, & possessionibus, atque justitiis, contra quoslibet impetitores, molestatores, ac perturbatores, quantum in Domino valemus, tueri, defensare, ac *hoc decreto sancivit.*

pro-

Digitized by Google

protegere, & in eisdem pacifice conservare, & conservari facere teneamur, pro nostra salute, eorum precibus, precumque suffragiis adipiscenda; ea propter præcipimus vobis omnibus, & singulis prædictis, subditis nostris, & mandato firmiter committimus per hæc scripta, quatenus eosdem fratres Eremitas, & signanter in claustro, seu monasterio Ecclesiæ B. M. V. de Promontorio Zagrabiensi, nunc, & in futurum degentes, omnes quoad ipsos pertinentes, specialiter vero colonos, seu Jobagiones ipsorum de prædio eorundem fratrum Eremitarum SS. Trinitatis vulgariter Rhemetencze nuncupato in prædicta provincia nostra Dombrensi sito, & habito, tueri, & protegere, ac quietos conservare; sylvisque, ac terris nostris usus nostrorum Jobagionum circumadjacentium, & eorum animalibus pro pascuis deputatis, dictis Jobagionibus prædictorum fratrum Eremitarum, eorumque pecoribus, seu pecudibus salva indemnitate ipsorum nostrorum Jobagionum, absque omni ea actione, & sine quolibet datio, seu contributione aliqua, libere, & pacifice uti, fruique permittatis, & permitti faciatis. Volumus etiam, quod dum nos, seu successores nostri, Episcopi videlicet præfatæ Ecclesiæ Zagrabiensis, quotiescumque taxam generalem, & communem super nostros Jobagiones, tam in dicta provincia nostra Dombrensi, quam & in aliis provinciis nostris Episcopalibus residentes, imposuerimus, aut imposuerint, ex tunc super dicto prædio Rhemetencze vocato, seu Jobagiones in eodem residentes, non nos, nec successores nostri, sed semper ipsi fratres Eremitæ pro se ipsis taxam hujusmodi imponere, dicareque, & exigere, ac recipere valeant, atque possint; immo liberam superinde habeant potestatis facultatem, prout & temporibus prædecessorum nostrorum Episcoporum habuerunt. Secus igitur facere non ausuri in præmissis, præsentibus perlectis exibentibus restitutis. Datum Zagrabia Sabatho proximo ante festum B. Mariæ Magdalenæ Anno Domini 1410.

Immunitatem ab decimis Episcopalibus ex territorio Muracensi obvenientibus clero Zagrabiensi concessit.

Nec minorem Eberhardus erga clerum Zagrabiensem benevolentiam, & beneficentiam declaravit, cum decimas Episcopales ex territorio Muracensi obvenientes ei condonavit, & quadripartito divisas partim Canonicis, partim præbendariis, partim parocho S. Joannis de Villa nova, quod is necessariis proventibus careret, partim denique cantori basilicæ cathedralis nominatim attribuit, quod huic onus impositum esset Episcopi evocandi comitandique, cum e palatio ad Ecclesiam descenderet. Ceterum anno 1468. Canonici partem illam decimarum, quæ sibi ex liberalitate Eberhardi obtigerat, præbendariis sponte donarunt, quo libentius & alacrius choro, & Capitulo operam suam præberent.

Avaritiam & iniquitatem ministrorum Episcopalium coercuit.

E duabus potissimum edictis atque interdictis elucet insignis Eberhardi justitia & æquitas in populis sibi subjectis sublevandis, qui se procuratorum, & ministrorum Episcopalium fraude & iniquitate oppressos querebantur. Illi siquidem, quæ sibi plane indebita erant, ab civibus Chasmæ, Dombri, Ivanichii, itemque a conductoribus & cultoribus agrorum Episcopalium contra jus fasque extorquebant; cum vero tritici & avenæ quod Episcopo & Ecclesiæ debebatur, exigerent, iniquis mensuris utebantur; & si quid ex his redundaret ac decideret, ad se pertinere volebant. Illorum itaque avaritiam & iniquitatem severissimo edicto coercuit, anathematis pœna interposita omnes injustas exactiones interdixit, mensuras ad normam æqui bonique ab se redactas, suoque nomine inscriptas inposterum adhiberi jussit, & frumenti avenæque metiendæ rationem præscripsit; & alias præterea nominatim exactiones iniquiores fieri vetuit. Præterea incolis & colonis territorii Ivanichii amplissimam facultatem glandes undecumque colligendi concessit, quam antea ex falsis quorumdam delationibus ademerat.

Edicto severissimo.

Nos Eberhardus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, summus Cancellarius regiæ majestatis. Notum facimus universis & singulis præsentes litteras nostras inspecturis, præsentibus pariter & futuris; Quod universitas civium, & Jobagionum nostrorum trium civitatum & provinciarum nostrarum, scilicet Chasmensis, & de Dombro, & de Ivanich, nostri adeundo conspectum, voce lamentabili nobis significare curarunt; quomodo clavigeri, & procuratores trium curiarum nostrarum videlicet Chasmensis, & de Dombro, & de Ivanich, damnosa cupiditate inducti, post quemlibet currum fœni mardurinalis de provinciis, similiter unum currum lignorum, indebite & injuste, immo contra Deum, & eorum consuetudinem, singulis annis a modico tempore citra, & noviter super eos recipere, excipere & extorquere cœpissent. Ac ipsos in receptione frumenti ac avenæ ipsorum, nobis & ad cellaria nostra provenientium, per falsas & majores, quam statutæ sunt, Idrias, dictarumque Idriarum culmina, ac compressionis, & cassationis, nec non frugum, quæ de hujusmodi Idriis tempore mensurationis cadunt, pro se ipsis reservatione, graviter opprimerent, vexarent, & damnificarent; supplicantes humiliter, & devote, ut ipsis super his remedium revocationis, prohibitionis, depositionis, & totalis abolitionis facere dignaremur, & adhibere. Nos itaque qui novis abusibus, & nocivis adinventionibus obviare tenemur, & ne pro eis, quæ de facili in perpetuum verti possent, & transire in consuetudinem, anima nostra coram summo judice districtam reddere astringatur rationem, quia dictum unum currum lignorum post quemlibet currum fœni mardurinalis de provinciis, a quarto anno circa per dictos procuratores & clavigeros curiarum nostrarum prædictarum adinventum fore, aliorumque Episcoporum, & per ante etiam regiminis nostri temporibus, nusquam & numquam receptum & exactum fuisse, multis veridicis testimoniis, & evidentibus ac justissimis rationibus clare comperimus, & manifeste; ideo supplicationibus eorumdem tamquam justis paternaliter inclinati, receptionem dicti unius currus lignorum, tamquam noviter contra salutem nostram ad eorum oppressionem adinventam, cassamus, deponimus, & penitus abolemus; receptionem frumenti & avenæ modo subscripto fieri volentes; disponentes, limitantes scilicet, quod in prædictis curiis nostris, Idria signo civitatis nostræ Chasmensis, & nostro, quod littera E capitali nomen nostrum scilicet Eberhardus significare volumus & declaramus, characterata, & desuper de labio in labium perforata habeatur, teneatur, servetur. Cum qua quidem Idria frumentum mensuretur sine cumulo, ipsam Idriam non cassando, vel aliquatenus movendo, seu comprimendo, sed desuper cum aliquo ligno recta cumulum totaliter deponendo. Avenam autem cum cumulo, & similiter absque cassatione, seu mo-

motione Idriæ, & compressione avenæ mensuretur, & recipiatur. Frumentum vero & avena, quæ tempore mensurationis de ipsa Idria cadunt, deponentur illis, quorum sunt, & qui solutionem faciunt eo tunc, ipsis totaliter, & absque contradictionem reddantur; nec hujusmodi remanentias procuratores & clavigeri, ac quicumque alii, quovis colore quæsito, sibi ipsis retinere valeant, vel aliquatenus audeant usurpare. Præterea prout novissime nobis innotuit, quod Dapifer, Pincerna, magister Agazonum, dispensator, coqui & officiales curriferi nostri, super Villicos, & Vaivodas de novo factos, & in dictis tribus civitatibus & provinciis nostris prædictis electos, aliquam particulam telæ reciperent, exigerent, & extorquerent, cujusque telæ receptionem nostro tempore & non diu inceptam, & indebite adinventam, ne in perpetuam & damnabilem transeat & vertatur consuetudinem, tamquam iniquam, injustam, & saluti contrariam (exceptis quatuor ulnis communis telæ, quas per quemlibet Villicum, & Vaivodam de novo factos, simul dumtaxat coquis nostris, pro tergendis scutellis, & aliis coquinæ opportunitatibus exercendis, dari volumus, ordinamus) annihilamus, irritamus, removemus, & abolemus, nullo umquam tempore, & per quoscumque habendi, recipiendi, & exigendi, medioque, & occasionibus quibuscumque extorquendi licentiam permittentes. Et licet ex quorumdam sinistris, & damnosis suasionibus cives, & Jobagiones nostros civitatis & provinciæ Ivanich a collectione glandium prohibuerimus, tamen quia veraciter, & experimentaliter cognovimus ex hujusmodi prohibitione collectionis glandium, tam nobis in porcis decimalibus, quam Jobagionibus nostris in eorum porcis, maximam evenisse diminutionem, volentes autem talia damna evitare; & nostrum nostrorumque subditorum, & præcipue Jobagionum, quorum impendiis nos cum omnibus nostris, in necessariis opportunis sustentamur, commodum, utilitatem, & profectum augmentationis spectantes, statuimus, disponimus, & ordinamus, ut cives Jobagiones, & cujusvis status, & conditionis, tam civitatis, quam provinciæ Ivanich, homines amodo, & deinceps in antea, a collectione glandium in omnibus silvis dictæ insulæ Ivanich, per quoscumque aliquatenus non prohibeantur; sed semper easdem glandes libere & secure ubique colligant absque nostra, & quorumvis aliorum, modo qualicumque fienda prohibitione, omnique cessante impedimento. Si quis autem quidquid contra hæc, modis, viis, & occasionibus quibuscumque attentare præsumpserit, præter nostram indignationem, & excommunicationis sententiam, quam in eum eo facto incurrisse decernimus, divinæ subjaceat ultioni, in extremo examine sententia justi judicis æternaliter puniendus. Præterea autem ad robur majus, & perpetuam firmitatem præmissorum, privilegialiter emanatas, pontificali autentico sigillo nostro jussimus & fecimus communiri. Datum Chasmæ in crastino B. Catharinæ Virg. & Mart. Anno Domini 1416.

In Comites seu præfectos oppidorum Dombræ, Chasmæ, Ivanichi populos illos acerbis exactionibus opprimentes

Hoc gravissimum interdictum deterruit fortasse ab iniquis exactionibus procuratores & ministros Episcopales, non valuit tamen ad coercendam insatiabilem libidinem rapiendi, ac ditescendi ex alienis laboribus & fructibus, nimiamque illam ac prope tyrannicam potestatem, qua in egenos illos & calamitosos populos Comites etiam seu præfecti illorum oppidorum Episcopalium abutebantur; ex quo fiebat, ut plerique solum verterent, agrosque incultos desererent, neque inveniri possent, qui agros illos vel conducere, vel colere vellent. Itaque post biennium a superiore edicto elapsum, alterum emisit, pœnisque longe gravioribus injustitiam Comitum, & præfectorum suorum, atque inhumanitatem inhibuit; certasque leges præscripsit, quibus potestatem eorum coarctavit.

Edictum Eberhardi.

Eberhardus &c. Providentia divinæ dispositionis ad hoc in orbe terrarum principes, præsertim prælatos, Ecclesiarumque rectores instituit, ut ipsi non solum sibi ipsis, sed etiam aliis, signanter eorum subditis prodesse videantur; utilitatibus aliorum magis, quam suis ipsi invigilent, operam diligentem, & studium continuæ meditationis circa ea diligentissime apponendo. Proinde universorum tam præsentium, quam futurorum notitiæ volumus præsentibus fieri manifestum; quod quia gemebundæ querelæ, & lachrymosa suspiria universorum populorum, Jobagionum nostrorum de provinciis nostris Chasmensi, Dombrensi, ac de Ivanich, nostras aures sæpe & sæpius acriter propulsarunt, & nobis flebiliter detegere curarunt; qualiter Comites nostri in dictis provinciis nostris Chasmensi, Dombrensi, ac de Ivanich per nos deputati, eorumque Vicecomites, ipsos populos & Jobagiones nostros minus juste & indebite perturbassent, damnificassent, & molestassent, de dieque in diem, diversis insidiis & calumniis ipsos perturbare, & plurimos ex eis rebus & bonis eorum privare, ac destituere non cessarent. Et insuper ab eis tanta victualium, & aliorum exactio fuisset recepta, & quotidie reciperetur, quod ipsi pro hæc, & multa alia ipsis indebite illata, ad nimiam egestatis inopiam & paupertatis miseriam devenissent. Et tectis propriis dimissis, in iisdem, quo vitam conservarent propriam non habentes, per aliena tecta latitando, mendicare compellerentur; pluresque ex eis de nostris & Ecclesiæ possessionibus ad possessiones nobilium, extra nostrum Episcopatum, ratione prævia se transtulissent; nec quispiam hominum ad ipsius Ecclesiæ nostræ possessiones, commorandi caussa, propter præmissa impedimenta vellet aliunde advenire; sed de eisdem potius quotidie nostri Jobagiones exirent ad possessiones aliorum. Pro eo nos, qui ex suscepti officii nostri debito, cunctorum subditorum nostrorum egestati, & inopiæ subvenire, oppressosque sublevare, & libertatum prærogativis refocillare tenemur; volentes, & ex intimis affectantes præmissis obstaculis, per quæ ipsæ possessiones Ecclesiæ nostræ ad nimiam devenerunt desolationem, in quantum possumus obviare, ut per hoc possessiones Ecclesiæ nostræ potius augeantur, impleantur, & populorum multitudine decorentur, quam eisdem desolatis, & vacuis, ac desertis existentibus, nos in proventibus nostris diminutiones patiamur; hujusmodi leges, constitutiones, ac libertatum prærogativas amodo in perpetuum duraturas, & per nos ac nostros successores inviolabiliter in toto, & in qualibet earum parte conservaturas, ipsis nostris populis, & Jobagionibus in prædictis tribus nostris provinciis residentibus, & permansuris, duximus stabiliendas, disponendas, & gratiose stabiliendas, imo stabilimus, annuimus, disponimus, & concedimus per præsentes &c. Cetera mihi desunt.

Joannes XXIII. Sigismundo potissimum auctore

Digitized by Google

Concilium Constantiense, ejusque cogendi caussæ.

ctore & impulsore, Concilium Constantiense indixit anno 1413. v. Id. Decembris tres ob caussas potissimum; primum ut extincto diuturno illo schismate, quod tres in partes Christianum orbem distraxerat, aliis Joanne XXIII. aliis Gregorio XII. aliis Benedicto XII. faventibus, & obsequentibus, pax Ecclesiæ redderetur; deinde ut sublatis erroribus Viclephi, & Joannis Hussii ex tempestate grassantibus, catholica veritas sanciretur; demum ut corrupti tum clericorum, tum laicorum mores ad veterem disciplinam revocarentur. Summo Pontifice, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque præsulibus Constantiæ in ædem cathedralem convenientibus, Concilium ab Nonis Novembris an. 1414. sollemne initium duxit, & primus consessus habitus fuit xvi. Kalendas Decembris, Joanne XXIII. præsidente. Sigismundus eodem anno, ipsoque natali die Christi Domini, Constantiam ingenti pompa, & frequentissimo principum virorum comitatu ingressus, Concilium sua præsentia cohonestavit, eique patrocinio & præsidio fuit. Quæ ad rem Ecclesiasticam Hungaricam & Zagrabiensem referuntur, breviter commemoro. Quidam proceres Hungariæ cupientes augere emolumenta, & commoda parochorum suorum, quos ipsi jure patronatus eligebant & nominabant, plures litteras subreptitias ab Joanne Papa impetrarunt, ex quibus proventus, & jurisdictio Antistitum, Præsulum, Capitulorum Hungariæ plurimum detrimenti capiebant. Primis igitur litteris idem Pontifex mandavit Archiepiscopis & Episcopis, ut quartam partem decimarum omnibus & singulis parochis solvi juberent, cum horum plerique ex veteri consuetudine nullam vel exiguam ex decimis partem perciperent. Nam decimæ fere omnes jure antiquo ad mensas Episcopales, vel Capitulares pertinebant, neque aliis vectigalibus, quam hujusmodi decimis dotatæ, subsistunt multæ præfecturæ, & dignitates Ecclesiasticæ, aliaque sacerdotia, quæ deficiant necesse est, si annuis hisce proventibus, & subsidiis destituantur. Alteris litteris, rogatu eorumdem procerum, cognitionem piarum quarumdam caussarum, Ecclesiastico ademptam ad forum laicale transtulit. Tertiis demum atque aliis litteris, Dynastis & viris quibusdam nobilibus, itemque præpositis quarumdam Ecclesiarum, immunitatem dedit cujuscumque tributi ac muneris, quod Episcopis & Ecclesiis solvere & præstare deberent, itemque cœnobiarchis & monasteriis integram perceptionem decimarum intra eos limites concessit, quibus eorum bona & possessiones definiebantur. Quæ quidem omnia jurisdictioni Episcopali, reique Ecclesiasticæ ingens detrimentum afferebant. Constantiam ad Concilium ex regno Hungariæ convenerant *Andreas de Benziis de Gualdo legum Doctor Archiepiscopus Colocensis, Georgius B. Adalberti Jauriensis, Vicecancellarius regis, Joannes de Esk Quinqueccclesiensis, plebanus Budensis, Benedictus B.V. Albæ regalis, Sedis Apostolicæ protonotarius, Ecclesiarum præpositi; & Joannes Mode in artibus magister, lector Ecclesiæ B. Petri veteris Budensis, & Canonicus Varadinensis, procuratores omnium Ecclesiasticorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclavoniæque*, quos Kereselichius nominatim percenset. Hi nomine illorum, a quibus missi fuerant, quorumque partes agebant, post Joannem Pontificatu dejectum anno 1415.

Litteræ Episcopis & Capitulis Hungaricis perniciosæ Joanni Papæ per fraudem subreptæ.

iv. Kalen. Junii, de litteris illis subreptitiis, e quibus tum jurisdictio Episcoporum, tum proventus Ecclesiarum cathedralium plurimum detrimenti capiebant, graviter conquesti sunt apud Patres Constantienses; qui de sententia Concilii omnem eisdem litteris auctoritatem abrogarunt, litterisque ad Strigoniensem Archiepiscopum, & universos Hungariæ Episcopos datis, litteras Balthassaris Cossæ plane irritas ac nullas esse declararunt; & ne quis illis abuteretur, gravissimis pœnis propositis interdictum esse voluerunt. Litteras synodicas ad se allatas Sigismundus, antequam Constantia discederet, profecturus in Hispaniam, ut Benedictum ad Pontificatum sponte deponendum, pacemque Ecclesiæ reddendam hortaretur, perferri jussit ad Joannem Archiepiscopum Strigoniensem, eumque suis ipse litteris admonuit, ut mandata & interdicta Concilii sedulo exsequenda curaret, potestate etiam & vi magistratuum sæcularium adhibita, si quis contra quam synodus decreverat, ac vetuerat, facere auderet. Paruit Joannes, & interdictum Concilii simul cum Sigismundi litteris, suisque promulgavit, hos titulos sibi adscribens: *Joannes miseratione divina Strigoniensis Archiepiscopus & Comes, Primas, ac Sedis Apostolicæ legatus natus, aulæque Regis Romanorum summus Cancellarius, ejusdem in regnis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Gubernator & Vicarius generalis &c. Dat. an.* 1415. *feria tertia post festum S Ægidii*. Et cum nihilominus Demetrius Abbas Thykoniensis, & parochi, & Abbates litteras illas pontificias abrogatas valere vellent, harumque præsidio fulti decimas, quæ ad Capitulum Vesprimiense pertinebant, exigere & colligere auderent; Joannes potestate brachii sæcularis usus, exactores illos comprehendi, tradique Vicario Vesprimiensi jussit. Hæc e monumentis Hungaricis Balthassar Adamus Kereselichius, qui Andreæ Archiepiscopo Colocensi duo cognomina *de Benziis*, & *de Gualdo* ex iisdem monumentis attribuit.

Litteræ Concilii Constant. ad Archiepisc. Strigon. & Episcopos Hungariæ litteras superiores Balthassaris Cossæ abrogantes.

Gebhardus Dacherius in catalogo Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, virorum principum, & procerum, qui anno 1414. & sequenti Concilio Constantiensi interfuerunt, nominat quidem Andream Archiepiscopum Colocensem; sed nullum ei cognomen apposuit: *D. Andreas Archiepiscopus Colocensis in regno Hungariæ*. Si cognomen de Gualdo, quod Kereselichius huic Archiepiscopo Colocensis attribuit, veritate nititur, is videtur esse Andreas Gualdus ille, qui sub initium hujus sæculi ab sede Archiepiscopali Spalatensi ob eas, quas dixi, caussas voluntaria fuga abscessit. In hunc siquidem tum nomen, tum cognomen illius Archiepiscopi Colocensis, cum titulo *legum Doctoris* superaddito, conveniunt; & præterea id suadent conjecturæ nec leves & sane probabiles. Post Ecclesiam Spalatensem relictam *Episcopatus Samaritani*, ut Vadingus tradit, anno 1403. Archiepiscopatus *Thebani*, ut tabulæ consistoriales docent, anno 1410. titulum honorarium suscepit. Eum Sigismundus Imperator, ob eximiam erga se fidem, summopere diligebat; ut Spalatenses eumdem in pristinum, unde abiens decesserat, dignitatis locum reciperent, atque uti antea habuerant, sic in posterum pro legitimo Archiepiscopo haberent, graviter severeque imperavit suis ad eos litteris datis anno 1412. Sed neque auctoritas, neque

Andreas de Gualdo Archiep Colocens. & cleri Hungarici ad Concilium orator missus, videturidé esse, atque Andreas de Gualdo antea Archiep. Spalatensis.

Digitized by Google

mandatum Sigismundi apud Spalatenses voluit, qui exasperatis animis capitali odio ab Andrea diffidebant. Hæc fusius & distinctius Tomo III. Illyr. Sac. in Andrea Gualdo, & Domnio de Judicibus Archiepiscopis Spalatensibus. Vix igitur dubitari videtur posse, quin Sigismundus pro sua erga Andream benevolentia, & pro illius erga se meritis, quem in sedem Spalatensem restituere non poterat, ei Colocensem Archiepiscopatum ab Joanne XXIII. conferendum curaverit. Dubitationem omnem dispellerent tabulæ consistoriales, nisi Andreæ prænomen *Fratris*, & cognomen ab Gualdo diversum apponerent; ei quippe titulum Thebani Archiepiscopi attribuunt, quem titulum Andreæ Gualdo, post dimissam Spalatensem, eædem tabulæ adscribunt, ut supra dictum est: *1413. pridie Nonas Januarii provisum est Ecclesiæ Colocensi & Baciensi unitis, vacantibus per obitum b. m. Chrysogoni de persona F. Andreæ de Brunse, dicti Archiepiscopi Thebani.* Paullo aliter hæc ex iisdem tabulis descripta sunt in codice MS. Domus Romanæ professæ Societ. Jesu: *Anno 1413. Andreas Episcopus Thebanus transfertur a Joanne XXIII. ad Ecclesiam Colocensem per obitum supradicti Chrysogoni Archiepiscopi 2. Nonas Januarii anno 3. Pontific. ejusdem Joannis*. Hinc abest tum prænomen *Fratris*, tum cognomen *de Brunse*. Hic Andreas in Concilio Constantiensi, ut est apud Harduinum in collect. Concil. Tomo VIII., *pro se & Rege Romanorum juravit approbationem Capitulorum*. Ante annum 1420. vel hoc ipso anno vivere desiit; nam hoc anno in diplomate Sigismundi, IV. Idus Augusti, apud Nicolaum Schmitth in Archiepiscopis Strigoniensibus, *Sedes Colocensis vacasse* dicitur. Hæc addas velim actis Andreæ Gualdi Archiepiscopi Spalatensis Tomo III. Illyr. Sacr. Ceterum de hujus translatione ad Ecclesiam Colocensem nihil certi habeo, præsertim cum Vincentius Maria Fontana in suis monumentis Dominicanis Joannem Archiepiscopum Colocensem, qui Constantiensi Concilio interfuit, sibi, suæque familiæ Dominicanæ vindicare videatur.

Expostulatio Capituli Zagrabiensis contra Nicolaum Frangipanium.

Canonici Zagrabienses, per suos procuratores anno 1416. apud Patres Constantienses, questi sunt de Nicolao Frangipanio Comite seu Toparcha Modrussæ, quod decimas quasdam Mensæ Capitulari debitas sibi per summam injuriam vindicaret. Justa visa est querimonia; & Synodus suis ad cœnobiarcham monasterii Zagrabiensis S. Mariæ litteris datis, hujus caussæ cognitionem ei delegavit; & si vera esse comperisset, de quibus expostulationem fecerant Canonici, seclusa omni appellatione, ut jus suum obtineret Capitulum, censuris pœnisque ecclesiasticis propositis omnino efficeret; ab terris tamen ejusdem Comitis interdictum generale abstineret, nisi ad hoc denunciandum & irrogandum speciale a Concilio mandatum acciperet.

Sacrosancta, & generalis Synodus Constantiensis dilecto Ecclesiæ filio, Abbati monasterii Beatæ Mariæ Zagrabien. salutem, & Dei omnipotentis benedictionem. Conquesti sunt nobis Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Zagrabiensis, quod nobilis vir Nicolaus Comes Modrussiæ Zagrabiensis diœcesis super quibusdam decimis vini quantitatibus ad Capitularem Mensam ipsius Ecclesiæ spectantibus pecuniarum summis, & rebus aliis injuriatur eisdem. Ideoque discretioni tuæ per scripta nostra mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Proviso ne in terram dicti Comitis auctoritate præsentium interdicti sententiam proferres, nisi a nobis super hac mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Constantiæ 4. Nonas Junii anno a Nativitate Domini 1416. Apostolica Sede vacante.

Eberhardus illud a Patribus Constantiensibus impetravit, ut domum hospitalem SS. Cosmæ & Damiani, quam ipse apud Chalmam fundaverat, & dotaverat, auctoritate sua & singulari decreto communirent ac firmarent; eamque in suam, & B. Petri clientelam reciperent. Anno 1417. tertio Idus Novembris Martinus V. Pontifex est creatus, & summa totius Synodi approbatione confirmatus. Hic rogatu Sigismundi Imperatoris immunitates a Bonifacio Papa IX. concessas Eremitis Paullinis domus S. Mariæ de monte Garygh diœcesis Zagrabiensis confirmavit.

Martinus V. immunitates Eremitis Paullinis concessas confirmavit.

Martinus Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Apostolicæ servitutis injunctæ desuper officium mentem nostram incitat, & inducit, ut circa ea, quæ pro statu personarum, religionis habitu, vacantium studio piæ vitæ opportuna fore conspicimus, operosis studiis intendamus.

Sane dudum pro parte dilectorum filiorum Prioris, & fratrum domus S. Mariæ de monte Garygh nuncupatorum Sancti Paulli primi Eremitæ ordinis Sancti Augustini, Zagrabiensis diœcesis, quondam Bonifacio Nono in ejus obedientia, de qua partes illæ erant tunc, nominato; exposito, quod olim ipsi provide attendentes &c. ne Priorem & fratres, aut colonos hujusmodi prætextu cujusvis consuetudinis super petitione, seu exactione decimarum hujusmodi quoquomodo impedire seu molestare præsumant, prout indictis litteris plenius continetur.

Quare pro parte charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Romanorum, & Ungariæ regis illustris, ac dictorum Prioris, & fratrum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut indulto, nec non successioni, donationi, ac litteris prædictis pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, indultum, concessionem, donationem, ac litteras hujusmodi, & quæcunque inde secuta, rata habentes, & grata, illam auctoritate &c.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Constantiæ V. Kalend. Jan. Pontific. nostri anno primo.

Decreta quædam Eberhardi.

Acta reliqua Eberhardi persequamur. Possessiones terrasque omnes Capituli Zagrabiensis recognosci, dimetiri, & certis fixisque terminis circumscribi jussit, quam recognitionem, dimensionem, circumscriptionem primum Sigismundus, deinde Matthias reges Hungariæ approbarunt, & legitimam esse decreverunt. Quæ B. Augustinus Episcopus sapienter pieque constituerat, ea in perpetuum valere voluit, & ab omnibus accurate servari. Canonicis omnibus, & nominatim *Matthiæ præposito, Gerardo lectori, Joanni cantori, Ladislao cathedrali, Gregorio, custodi*, presbyteros secundi ordinis, sive

pre-

Digitized by Google

præbendarios commendavit, ut illorum jura sarta tecta tuerentur; neve ex oblatis & collectis, sive certis, sive incertis, quæ illis ex antiqua consuetudine obveniebant, quidquam ipsi detraherent, vel ab aliis detrahi sinerent; præsertim vero jus crucis cum sacris precationibus deferendæ singulis annis, die proximo ante Epiphaniam Christi Domini, ad singulas ædes Canonicorum, intactum integrumque ipsis præbendariis servari jussit; quidquid vero emolumenti ex eo ritu & cærimonia perciperent, id omne sibi ipsi retinerent, nec vero cum parochis urbanis, vel suburbanis, quod ex voluntaria Canonicorum liberalitate collegissent, partiendi lege ulla tenerentur. Parochis autem, qui quartam partem ejusmodi collectæ sibi vindicabant, & præcipue *Martino sublectori, & parocho S. Emerici*, qui acrius quam ceteri contendebant, silentium perpetuum imperavit. Hæc & alia hujusmodi in acta Capitularia referri jussit. Anno fere nono, post resumptam administrationem Ecclesiæ Zagrabiensis, quam plurimis & maximis beneficiis cumulavit, e vita decessit anno 1419. vel sequenti. Id solum ei vitio datum est, quod castrum Medved maluit consanguineis donari, quam Ecclesiæ restitui.

JOANNES IV. EP. ZAGRAB. XL.

Joannes de Alben Ep. Zagrab. idem supremus regni, & imperii Cancellarius.

Ex eadem, unde Eberhardus, familia *de Alben* oriundus, frater ejusdem Eberhardi, vel ut alii censent, filius fratris Eberhardi, æque apud Sigismundum gratiosus, ut frater, sive patruus, quem ille tum propter ejus, tum propter fratris seu patrui erga se merita plurimis beneficiis & maximis ornamentis affecit; nec solum regis, ac reginæ, regnique Hungariæ, sed etiam Sac. Rom. Imp. *Supremum Cancellarium* constituit. Anno 1420. IV. Idus Augusti adhuc vacabat sedes Zagrabiensis, ut intelligi potest ex privilegio Sigismundi eodem anno dieque Eremitis Paullinis concesso: *Zagrab. Scardon. . . . sedibus vacantibus*. Intra finem ejusdem anni regimen Ecclesiæ Zagrabiensis suscepit; nam anno proximo Kalendis Januarii, ut tradit Kereselichius *confirmasse invenitur litteras pro parocho S. Emerici ab Eberhardo datas*.

Antiquæ inter Canonicos & cives Græcenses inimicitiæ reservescūt.

Alterum Pontificatus annum nondum exegerat, cum veteres inimicitiæ ac discordiæ inter collegium Canonicorum, & civitatem Græcensem recruduerunt. Quæ cives illi in Deum atque homines impie & inhumaniter insano furore perciti commiserunt, Joannes Episcopus non sine acerbissimo sensu doloris, & summa cum indignatione commemoravit, antequam illos gravissimi anathematis sententia configeret, atque ab Ecclesia, omnique Christianorum cœtu segregaret. Sententiæ in eos prolatæ initium ac procemium hoc est.

Procemium sententiæ Episcopalis in cives montis Græcensis.

Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis, regalis ac reginalis majestatum regni Hungariæ supremus Cancellarius, universis & singulis Venerabilibus, circumspectis, religiosis & discretis viris, nobis in Christo dilectis Abbatibus, præpositis, prioribus, guardianis, ministris, & provincialibus, ac monachis, fratribus & conventibus ordinum quorumcumque exemptorum, & non exemptorum, monasteriorumque, & ecclesiarum rectoribus, seu plebanis, archidiaconis, vice archidiaconis, & canonicis, lectoribus, cantoribus, seu custodibus Cathedralis nostræ Zagrabiensis, & collegiatarum, presbyterisque & capellanis, curatis & non curatis, clericisque & tabellionibus publicis per, & infra civitatem, & diœcesim nostram Zagrabiensem constitutis, qui præsentibus fuerint requisiti, vel alter ipsorum requisitus, salutem in Domino, & debitam ac solertem habere diligentiam in commissis, & præsentibus litteris nostris fidem indubiam adhibere. Repleverunt amaritudine tabernaculum mentis nostræ illæ enormes offensæ præteritæ, & istud novum horrendum facinus, in Dei contumeliam, in nostram injuriam permaximam, nostri cleri lamentabilem oppressionem, imo & ipsius nostræ sponsæ Ecclesiæ Zagrabien. cathedralis, cui cum divina disponente clementia in sollicitudinis partem vocati præsidemus immeriti, extremum contemptum seu jacturam, per illos maledictionis alumnos, nefariæ proditionis bajulos, cives illos, incolas, ac hospites, judices, juratos, & homines, ac Communitatem eorum sacrilegam, & Gomorræ populos de monte Græcensi, prope dictam Zagrabiam, multifarie, multisque modis & vicibus nequiter perpetratum: Qui non attendentes, aut oculis mentis, seu debitæ considerationis, vel saltem rationis, & rectissimi erga se judicii moderamine perpendentes, quod Sancta Mater Ecclesia suo semper sponso, qui Christus est, ineffabilis amoris dulcedine copulata, ab ipso suscepit dotes amplissimas, gratiarum ubertate fecundas, & specialiter inter eas beneficium insignitæ libertatis; quippe ipse Christus illam præamabilem sponsam ejus fidelibus populis libero præesse voluit dominio, & habere potestatem in singulos veluti in filios, non cuique aut cujuslibet servituti subjacere: ita ut illam cuncti fideles filii . . . non immerito sicut matrem & dominam suam honorarent omni reverentia filiali; cum hæc sit ubique prout est dilecta ejus columba de cavernis maceriæ, id est latere ejus sanctissimo progrediens, seu procedens ut sponsa de cubili suo, & in illo requiescit hæc columba ejus, circa quam, & ejus ministros, ipsius honoribus & libertatibus præditos cor ejus invigilat; hic est hortus denique ipsius fertilis & irriguus, in cujus suavitatis odore præcipue delectatur; cujus poma gustui ipsius sunt valde sapida & accepta; nec contenti iidem, qui alias de anno 1397. citra, vel ultra finito, & commentantes inter se opus malignandam, & forti & maturo id faciendi habito inter se iniquissimo, & Deo & hominibus odioso consilio, hujusmodi Sanctissimæ Matris Ecclesiæ suæ materna pietate, qua filios suos tam amore suavissimo fovere, quam lacte uberum suorum alere consuevit, imprudenter contempta, ad sonum majoris campanæ ipsorum, publice, & clara luce die, erectis cruentis eorum vexillis, hostiliter manu armata, de prædicta civitate, si dici debeat & meretur, descendentes, in Capitulum ejusdem Ecclesiæ, imo totum clerum civitatis nostræ Zagrabiensis desæviendo immaniter, in curias & domos ejusdem Capituli &c.

Deinde flagitia omnia tum vetera sub Joanne III. suo decessore, tum recentia nihilo leviora, quæ Græcenses se absente, ut ait, & gravissimis regiis negotiis distento patraverunt, direptiones videlicet, rapinas, cædes, sacrilegia singillatim suseque persequitur. Recentiora collegit Thomas Kovascevichius, & breviter his verbis perstrinxit. *Anno 1422. in festo Sanctissimæ Trinitatis turrim Capituli in eorum*

Græcensium maligna consilia,

rum civitate habitam (ubi res , bona Ecclesiæ & Capituli propter metum Turcarum reposita habebantur) armata manu obsidentes , magistrum Ladislaum de Daroth pro custodia earumdem rerum ibidem constitutum , dispositis hinc inde insidiis , pluribus diebus , si quandoque exiret , capere , interficere in maligno proposito habuerant . Et ut ipsos Capitulares , absque sonitu campanæ & strepitu clamoris incautos opprimerent , erecto vexillo in turri Ecclesiæ omnes ad arma concurrentes , nisi dato per dictum Canonicum ex turri , hujusmodi moliminum signo , intellexissent Canonicos , qui domi erant , cum rebus suis ad Ecclesiam & curiam episcopalem se recepisse , utique quod moliti fuerant , exequi non intermisissent . Et quia hoc ipsum perversum propositum pro ea temporum circumstantia perficere nequiverant , habito propterea colloquio , ad territorium quoddam Capituli Krogh vocitatum nonnullos de suis cum armis & sagittis ad deturbandos homines Præpositi majoris , qui terreno illi exarando incumbebant , eo fine exmiserunt , ut si Capitulares ad insequendos illos excurrerent , alii , qui domi armati hoc ipsum observabant , mox in Capitulum irruere , illudque depopulari valuissent . Ad quod illis vicibus perficiendum occasio non suppetebat ; tandem in festo D. Margaritæ perpetratum , Capitulares deplorare debuerunt . Hac quippe die , quando occasione nundinarum quisque etiam exterus privilegio salvi conductus gaudet , memorati cives inito consilio , ad pulsum majoris campanæ , ad Capitulum armata manu descendentes , diversorum Canonicorum , signanter superius nominati magistri Ladislai Daroth , cantoris , archidiaconi Bexin. & magistri Michaelis Doctoris artis medicinæ , domos & curias totaliter spoliarunt ; complures item personas sive Ecclesiasticas , sive sæculares partim diris vulneribus affecerunt , partim occiderunt , & nonnullos exquisitis suppliciis & enormibus tormentis excruciarunt . Denique in Ecclesiam etiam furorem vertentes , plures sagittas in eam , & in Canonicos , qui acta horis vespertinis assistebant , emiserunt ; & nisi iidem ad sacristiam confugientes , in eadem se se reclusissent , & certorum hominum , ac familiarium Dionysii Bani , & Joannis Episcopi , ac nonnullorum aliorum proborum & nobilium virorum , qui ad forum annuale concurrerant , furibundo dictorum civium occursui se viriliter opponentium præsidio & auxilio defensati , omnes in eadem Ecclesia pariter extitissent jugulati . Porro ad hæc cruenta facinora pertractanda , dum iidem cives se se congregarent , dicuntur clamasse , Festinate festinate in presbyteros maledictos & cleros , prædam tollite , vulnerate , interficite , detinete , libros , calices , ornamenta Ecclesiæ S. Stephani , & Canonicorum ejusdem rapite , tollite , vobiscum asportate ; dividamus spolia , eorum rebus ædes nostras repleamus .

Cædes & sacrilegia.

Pœnæ & anathemata Græcensibus sacrilegis, & contumacibus inflicta.

Hæc copiosius & fusius ex quæstionibus habitis , actisque judicialibus Joannes Episcopus ; qui etiam execranda facinora superiorum annorum exposuit ; & anathemata ab Joanne suo decessore illis inflicta commemoravit ; neque , ut ipse ait , aut vetera illa scelera salubri pœnitentia expiaverant , aut pro damnis & injuriis illatis satisfecerant , aut vinculis illorum anathematum exsoluti fuerant ; sed præterita novis & gravioribus flagitiis cumularunt . Cum autem ed tribunal Episcopale citari semel atque iterum jussi , ut si quam possent malefactorum suorum rationem redderent , adesse contumaciter abnuerent ; civitatem & suburbia interdicto suppoluit ; cives fundis & prædiis omnibus ecclesiasticis , si quæ haberent aut fiduciaria , aut conductitia , privavit ; filios eorum ac nepotes usque ad quartam generationem omni , vel ad primum ecclesiasticæ hierarchiæ gradum , aditu prohibuit ; omnes demum anathemate feriit . Deinde omnibus cœnobiarchis , & rectoribus Ecclesiarum imperavit , ut post trinam admonitionem , nisi resipiscerent , & veniam suppliciter peterent , generatim omnes , & nominatim primarios quosdam tantorum scelerum auctores, publice rituque sollemni, Ecclesia , sacris omnibus, congressu piorum exsortes, atque ab omnibus vitandos esse denunciarent . His autem verbis sententia in eos prolata est.

Episcopi sententia in Græcenses prolata.

Unde nos pro tribunali sedentes , solum Deum præ oculis habentes in quolibet termino prædicto , in & ob contumaciam eorum ac rebellionem publicas & manifestas , similiter ex officio nostro nobis incumbenti , dictorum dominorum , & Ecclesiæ injurias , ac enormes offensas , nostras reputantes , ad nostram , & Ecclesiæ nostræ prædictæ syndici , seu procuratoris instantiam eosdem cives , hospites , populos , incolas , judices , & juratos , & quemlibet de per se nominatum ac in specie excommunicationis jure , seu caussa , ac ipsam sacrilegam communitatem ipsorum , seu civitatem cum eorum suburbiis , & ipsos homines in genere propter præmissa , & quodlibet præmissorum firmissimi Ecclesiastici interdicti sententias atque pœnas declaravimus , & tenore præsentium declaramus damnabiliter incidisse , & etiam subjacere ; imo quemlibet ipsorum in solidum & de per se , ac alias nominatum , & in specie excommunicamus ; & dictam ipsorum sacrilegam communitatem , seu civitatem , si dici mercatur , atque locum montis Græcensis , cum dictis ipsorum suburbiis , Ecclesiastico firmissimo interdicto subjicimus in his scriptis ; eos etiam , & quemlibet ipsorum tam in specie similiter , quam in genere , omnibus feudis , terris , prædiis , pratis , agris , vineis , domibus , areis , nemoribus , curiis , beneficiis ac officiis , & quibuslibet aliis bonis , rebusque mobilibus , & immobilibus , quæ & quas ipsi , aut alter ipsorum a dicta Ecclesia nostra Zagrabiensi dignoscitur quomodolibet obtinere , privantes ; & nihilominus privatos eisdem , & exutos , excommunicatosque , & dictam sacrilegam civitatis communitatem , & ejus locum cum suburbiis suis quibuslibet interdictis , & firmissimo Ecclesiastico interdicto subactis , & suppositis , enunciamus . Similiter in scriptis filios eorum usque ad quartam generationem in præsenti Ecclesia nostra ad gradus ordinis sacros , aut aliquas dignitates , beneficia , officia , feuda aut prædia , decernentes ac volentes minime posse aut debere in posterum promoveri , aut valere aliqualiter pronunciantes , quousque de præmissis omnibus & singulis , nobis , dictæ Ecclesiæ nostræ , eisdemque dominis de Capitulo , præbendariis atque clero per eosdem fuerit realiter satisfactum , & super his omnibus cum eisdem , & quolibet ipsorum sufficienter fuerit dispensatum ; quoniam jure cavetur expresse quod contra molientes Christi ministros extinguere , ac contra incendiarios , violatores Ecclesiarum , raptores seu etiam invasores , & rerum Ecclesiasticarum , & alios publicos depopulatores est taliter procedendum , & talis eis pœna seu castigatio infligenda , ut ipsi metu pœnæ , si non amore divino inducti , retracti , a similibus de cetero

cetero

Digitized by Google

tero abstineant, desistant, & etiam finaliter resipiscant; aliisque similia præsumentibus eorum castigatio transeat in exemplum. Quocirca vobis omnibus & singulis supradictis in virtute sanctæ obedientiæ, sub excommunicationis pœna, quam in vos, & quemlibet vestrum, trium dierum canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis, nisi feceritis quod mandamus, districte præcipiendo mandamus, quatenus mox visis præsentibus, & receptis, & postquam super hoc fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus, præfatos cives, populos, hospites, incolas, judices, XII. juratos, nec non homines, communitatemque sacrilegam, & locum dictæ civitatis firmissimo Ecclesiastico interdicto, cum suis suburbiis subactis, & suppositis, subjectos & suppositos in genere, excommunicatosque majori excommunicatione . . . . & signanter Thomam de Florentia judicem de præsenti, Michaelem Sebastiani, Joannem Bohemum, Joannem Szigeth, Joannem Ungarum, Urbanum Krapchevich, alios judices, Antonium de Florentia prope portam, utrumque Fabianum litteratos, Georgium Sartorem Ivanich, Paulum, Benedictum, Gregorium & Brictium fratres dictos Hudostych, Joannem . . . . Georgium de Modrussio, Valentinum Dobeth, duos familiares Jacobi Castellani, Andream Petri Safax, Ladislaum aurifabrum, Matthiam Scholasticum, Stephanum Bakarich, Jacobum Popovich, Demetrium Rosonich, Volfangum lapicidam, Gregorium de Bethania, Joannem Kneth, Thomam Sutorem, Andream Ezvilich, Dominicum, Paulum fratres, & Nicolaum, & Andream Bogdanich, eorumque complices, & fautores, accensis candelis, demumque extinctis, & in terram projectis, pulsatisque campanis in Ecclesiis vestris, monasteriis, & capellis publice & . . . denuncietis, & denunciari faciatis, in signum perversitatis ipsorum, singulis diebus dominicis, & festivis, præcipue vero vos tres Capellani, sive rectores capellæ S. Marci Evangelistæ, dictæ prætensæ civitatis, & montis Græcensis, & quilibet vestrum, effective inhibentes vobis expresse, sub simili, & incarcerationis, ac privationis officii & beneficii pœnis, & quibuslibet aliis, ne in dicta sacrilega civitate, aut coram ipso populo, seu sacrilega communitate, sive locis ipsorum, aut quibuscumque aliis, ubi & in quibus moram traxerint, pertransierint, & quamdiu ibi manserint continuo, ac demum per triduum post eorum abinde excessum, vel coram ipsis excommunicatis divina officia celebrare, aut potius profanare quoquo modo præsumatis, aut ceteri præsumant; nec alia quæque jura Ecclesiastica exercere ibidem, & coram eis, ac eisdem ministrare, demptis dumtaxat quæ de jure permittuntur talibus, videlicet ipsis firmissimum & continuum Ecclesiasticum interdictum affirmantes; cessando quoque interim, & semper a divinis, monentes præterea omnes & singulos alios Christi fideles, sexus utriusque homines, quos & nos & quemlibet ipsorum, tenore præsentium primo, secundo, tertio, ac etiam exemptos requirimus ac monemus, eisque, & cuilibet ipsorum in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in contra facientes trium dierum canonica monitione præmissa ferimus, etiam in iis scriptis, districte præcipientes mandantes, & inhibentes ne sic excommunicatis vel interdictis, in loquendo, vendendo, conversando, comedendo, bibendo, molendo, coquendo, serviendo, ignem vel aquam eis, vel alteri ipsorum dando, vel aliquod solatii exhibendo, seu alio quovis humano commercio communicet, vel communicare præsumat; illis dumtaxat demptis, qui & quæ excipiuntur a jure, alioquin hujusmodi excommunicatis & interdictis contumaciter communicantes, etiam excommunicatos nominantes, & in specie, ac quemlibet ipsorum, etiam in his scriptis præcipientes etiam talem una cum eisdem a Christifidelibus universis arctius evitandum; abinde non cessantes donec aliud a nobis habueritis in mandatis; & iidem sacrilegi excommunicati & interdicti ad cor reversi, debitæ absolutionis beneficium meruerunt obtinere, & dictis enormiter, & multipliciter læsis satisfecerint de præmissis quoad plenum; nos de præsentium executione reddentes certiores per litteras vestras autenticas, aut publicata instrumenta; in quorum omnium, & singulorum fidem, ac testimonium præmissorum, præsentes litteras nostras hujusmodi processum nostrum in se continentes, per discretum virum magistrum Michaelem de Vico latinorum nostrum, seu scribam nostrum publicum infrascriptum, subscribi, & publicari mandamus; nostrisque pontificalis & autentici sigilli jussimus appensione muniri. Datum & actum Chasmæ... in curia seu domo habitationis nostræ, & nostro Episcopali palatio, die Lunæ septima mensis Septembris, sub anno Incarnat. Dom. 1422. hora tertiarum vel quasi . . . præsentibus honorabilibus viris Dominis Demetrio &c. . . . Pontificatus vero Sanctiss. in Christo Patris & Domini nostri D. Martini dicta providentia Papæ quinti, anno ipsius quinto.

Sed cum illud sit præscriptum historicis, ut ne quid falsi scribant, ne quid veri non audeant, fatendum est in illis dissidiis Canonicos nihilo fere levius, quam cives Græcenses peccasse; & ab illis initium omnium injuriarum ac malorum ortum fuisse, si tamen fides habenda est tabulis ejusdem civitatis Græcensis; ex quibus Georgius Marcellovichius hæc descripsit: 1422. *Civitas notatum habet, quod Canonici cives in festo Annunciationis verberaverint; item fer. 5. ante Dominicam Rogationis potiores Canonici cum suis irruentes in terras civitatis, aratra secuerint, postridie vero Ladislaus de Davoth C. Zagrab. in turri in civitate machinas & pyxides sonoras emisit in civitatem, & nisi vigiles custodissent, civitatem combussissent; ac idem diebus proximis unum spoliavit, in cives sagittas emisit, & accendisset civitatem, nisi vigilassent. Diebus proximis Gerardus lector Can. Zagrab. Civissam unam in via verberavit, & vittam a capite abstraxit. In festo S. Margaritæ Capitulares homines, tempore fori annualis, a meridie usque crepusculum noctis, ad sonum campanæ, cum hominibus etiam Joannis Episcopi Zagr. more exercituantium incœperunt expugnare civitatem, & sequenti tota die; ubi in territorio civitatis prope fontem Mandussevecz, & Ecclesiam S. Martini, ad domum balnei, ac juxta turrim, prope novam portam, aliquos cives occiderunt, & vulnerarunt; Gerardus lector manu sua occidit unum, unum vulneravit; Nicolaus etiam de Cilia unum manu sua sagitta occidit, & multos vulneravit. Quam pugnam ideo fecisse Capitulum scribunt, quia eis civitas litteras regis exhibuit, ut terras civitatis occupatas remittant, quas litteras nec observarunt, nec ad eas quid boni responderunt.* Hæc e tabulis Græcensibus, quibus nec fidem

Quæ Canonici contra cives Græcenses perpetrasse dicuntur.

fidem addere, neque omnino derogare ausim.

Cives Græcenses cum Canonicis in concordiam reducti, & anathematum vinculis exsoluti.

An & quando Græcenses ab illis censuris absoluti fuerint, neminem scipsisse ait Balthassar Kereselichius. Verisimile est ipsum Joannem Episcopum auctorem fuisse pacis inter Canonicos & cives montis Græcensis conciliandæ, cum ei Sigismundus ob pecuniam sibi mutuatam regiam illam civitatem pignori dedit: multum siquidem ad regimen pacatum tranquillumque ejusdem civitatis intererat Canonicos & cives inter se concordes esse; hos vero ut placaret, & cum illis & secum in concordiam reduceret, injurias omnes condonavit, & pœnis omnibus ac censuris exemptos communioni ecclesiasticæ restituit.

At dum pacis auctor Joannes aliorum dissidia componit, ipse non levi contentione exagitatus fuit, Paullini Fratres, qui sacram ædem, domumque Deiparæ Virginis tenebant in Garichio monte extructas, tum a Bonifacio IX. anno 1404. tum a Martino V. anno 1418. Pontificia diplomata sane gravibus, & luculentissimis descripta verbis obtinuerant, quibus decimarum jura, quotquot ex agro Garichiano illis persolvi possent, iisdem omnino debita esse sancitum est, vetitumque, ne quis Zagrabiensis Antistes sibi quidquam ex ipsorum decimis attribui unquam auderent. Itaque quæ fortassis inter Episcopum, & Garichianos Fratres exorta lis antea fuerat, denuo cœpit emergere; conquestique graviter Fratres, ipsos nescio quid vis & injuriarum ab Joanne fuisse perpessos, rem Pontifici deferunt, & Episcopum in judicium compellunt. Verum Pontifex Martinus, idem hoc nomine quintus, ab sententia prudenter abstinuit, & hisce litteris, quas ex annalibus Paullinis descripsimus, litem dirimendam commisit Abbati S. Hadriani de Sala in Vesprimiensi diœcesi.

Diploma Martini V. P. secundo Eremitas Paullinos.

Martinus Episcopus servus servorum Dei dilecto fil. Ab. mon. S. Hadriani de Sala in Vesprimien. diœc. sal. & Ap. benedict. Conquesti sunt nobis Prior, & conventus Monasterii B. M. V. de Garych Ord. S. Pauli primi Erem. sub reg. S. August. degentes per Priorem soliti gubernari Zagrab. diœc. Quod Ven. Fr. noster Joannes Ep. Zagrab. super quibusdam decimis, & rebus aliis ad dictum monast. spectantibus injuriatur eisdem.

Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias caussam, & appellatione remota debito fine decidas: faciens quod decreveris ab Episcopo auctoritate nostra, ab aliis vero prædictis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari,

Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perbibere. Dat. Tybure XVII. *Kal. Sept. Pontific. nostri an.* V. anno scilicet 1422. Inde quid secutum fuerit, memoriæ proditum non comperio.

Conventus Dombrensis, & Joannis Episc. acta in eo, & sanctiones.

Anno 1423. Joannes conductores prædiorum episcopalium Dombram convocavit, ut ex illis cognosceret quos quisque agros sibi locatos haberet, quam diligentem culturam illis adhiberent, & initis subductisque rationibus quantum ex illis perciperent, quantum mensæ episcopali solvere deberent. In eo conventu nobiles quosdam viros, qui antiqua nobilitate, & privilegiis nescio quibus freti, decimarum solutionem pervicaciter abnuebant, contra quam Sigismundus regio edicto sanciverat, illustribus titulis atque insignibus privatos in ordinem redegit, coegitque interposita regia & Banali auctoritate, tum decimas in posterum persolvere, tum pro neglecta superiorum annorum solutione satisfacere. Plura etiam præclare constituit, quæ ad rectam episcopalium agrorum culturam, atque ad ea pertinebant, quæ ab illis, quibus locati fuerant, præstari deberent, hos sibi in suis edictis titulos adscribens: *Joannes Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis, nec non regiæ, ac reginalis Majestatum summus Cancellarius.* Per hos annos de decimis, de fundis mensæ Capitularis, deque illorum finibus multæ & gravissimæ lites cum civitate Græcensi, cum monachis, cum variis Slavoniæ Dynastis fuerunt Capitulo Zagrabiensi; in quas sumptus unde faceret, vix habebat e communibus & privatis reditibus, quos in patronos, advocatos, actuarios, procuratores, actaque forensia & judicialia insumi oportuisset; & nisi sedulitas, vigilantia, auctoritas Joannis Episcopi, licet plerumque absentis, illi præsto fuisset ad jus suum obtinendum, prope erat ut bonis fere omnibus spoliaretur: Joannes siquidem tum Sigismundo, apud quem plurimum poterat, tum Martino V. caussam & internuncios Capituli, auxilii petendi caussa missos, commendavit. Extat diploma Sigismundi, quo Caroli & Ludovici regum privilegia concessa Canonicis Zagrabiensibus confirmavit, quibus potissimum bonorum, & decimarum fere omnium Capitularium adeptio, & possessio legitima nitebatur.

Sigismundus decreta Caroli & Ludovici regum secundum Capitulum facta confirmavit.

Sigismundus &c. Omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Regni cælestis ad instar Sacrosancta Dei Ecclesia, per quam regnant mundi reges, divinitus instituta, ob indeficientem spem æterni bravii obtinendi, fovenda est totis visceribus charitatis. Proinde ad universorum &c. (hic interseruntur diplomata Caroli & Ludovici) *Nos igitur humillimis, & devotis supplicationibus annotatorum Dominorum Joannis Cantoris, & Ladislai Archidiaconi, suis & Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis nominibus, & in personis, per eosdem nostræ oblatis majestati, regia benignitate exauditis &c. Quoad omnes earum continentias, clausulas, articulos acceptamus, approbamus, & ratificamus; eas nihilominus ob spem & devotionem, quam ad gloriosissimum Christi confessorem sanctissimum regem Stephanum, Apostolum Hungaricæ gentis, ejusdemque divinæ religionis Doctorem, nostrum videlicet prædecessorem inclytum, in cujus nomine ipsa Zagrabiensis Ecclesia fundata extitit, continue gessimus, & gerimus, ipsiusque precibus nedum in terris, verum etiam in supernis cælorum habitaculis indubie speramus confoveri, simul cum præmissa reambulatione, ac metarum erectione, & renovatione terrarum, & possessionum dicti Capituli Ecclesiæ Zagrab. superius in tenore ipsarum litterarum nominatim conscriptarum, confirmationeque earumdem, nec non clausula in inferiori margine dictarum litterarum privilegialium conscripta, aliisque omnibus & singulis superius in tenoribus earumdem limpidius contentis & expressis, mera auctoritate regia, & potestatis plenitudine, ac certa scientia nostræ majestatis, de consensu & beneplacita voluntate serenissimæ principis Dom. Barbaræ reginæ conthoralis nostræ charissimæ, prælatorumque, & baronum nostrorum*

Digitized by Google

rum consilio, præmaturo ac uniformi decreto eorumdem, pro præfato Capitulo Ecclesiæ Zagrab. innovantes, perpetuo valituras confirmamus, præsentis scripti patrocinio mediante; salvis juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis & autentici sigilli nostri, novi duplicis, quo videlicet ut rex Hungariæ utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reverendi in Christo Patris Domini Joannis Episcopi Zagrabien. aulæ nostræ majestatis summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini 1427. III. Idus Novemb. regnorum autem nostrorum, Hungariæ anno 41. Romanorum 18. Bohemiæ 8. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Georgio Strigonien. Doimo Spalatensi, Andrea Ragusiensi, & Joanne Colocensi Archiepiscopis; Jadrensi sede vacante; eodem Domino Joanne Zagrab. Dionysio Varadien. Petro Agrien. Henrico Quinqueecclesien. Joanne Vesprimien. Clemente Jaurien. Ladislao de Marchali Chanadien. Nicolao Vacien. Hincone Nitrien. Petro Corbavien. Jacobo Sirmien. Joanne Tinninien. & Thoma Senien. Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Transil. Bosnen. Traguriens. Scardonen. Sibenicen. Nonen. Macharien. & Pharen. sedibus vacantibus, nec non magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungariæ prædicti Palatino, Ladislao de Chaak Vaivoda nostro Transyl. &c. aliisque quam plurimis regni nostri Comitatus tenentibus & honores.

Præterea idem Sigismundus vetuerat cives Græcenses obstare, quominus Canonici turrim Capitularem in civitate regia extructam reficerent ac munirent, quam illis Bela IV. rex Hungariæ ad thesauros Ecclesiæ condendos, tuendosque attribuerat. Extant itidem litteræ Martini Papæ V. ad Emericum Abbatem S. Mariæ prope Lontstras, quem auctoritate Apostolica munitum jubet judicium reddere Episcopo & Capitulo Zagrabiensi de quibusdam decimis & rebus ecclesiasticis, quas Dynastæ quidam, & alii laici homines interceperant, æque in Episcopum & Canonicos injuriosi.

Martinus V. Abbati S. Mariæ de Lontstras caussæ de decimis Capitularibus cognitionem delegavit.

Martinus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Abbati monasterii B. Mariæ de Lontstras, Aquilejensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Vener. Frater noster Joannes Episcopus Zagrabien. quod Nicolaus Ordung, Sigismundus de Achyna, Stephanus Roh, Ladislaus Roh, & quidam alii laici diœcesis Zagrabiensis, super quibusdam decimis, & rebus aliis ad mensam episcopalem Zagrabiensem spectantibus, injuriantur eidem, & Ecclesiæ suæ, & Capitulo; ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi; & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas; faciens quod decreveris, ab Episcopo auctoritate nostra, ab aliis vero prædictis per censuram ecclesiasticam firmiter observare. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Romæ apud SS. Apostolos II. Nonas Aprilis, Pontif. nostri anno XII.

Quinque oratores ex Capitulo Romam missi de decimis recuperandis.

Nec vero solum Joannes Episcopus per litteras, sed etiam Canonici per suos Internuncios Romam missos de iniqua illa decimarum & bonorum ecclesiasticorum usurpatione conquesti fuerunt; nam eodem anno 1427. ob eamdem caussam quinque oratores ab Capitulo supplices ad Sedem Apostolicam adiisse reperio, *Joannem cantorem, Ladislaum Camarcen. Archid. Franciscum Succentorem, Georgium de Marouss, & Fabianum de Strecza Canonicos Zagrabienses.* Diem injustis raptoribus dictum, actus judiciales ab Emerico inchoatos invenio, absolutos non invenio. Aliquid etiam controversiæ Capitulo fuit cum Eremitis Paullinis Remetensibus de finibus quarumdam terrarum, quas olim Canonici iisdem donaverant; quæ tamen brevi & amice composita fuit. Joannes vero Episcopus eosdem Eremitas in suam clientelam recepit, iisque terram, cui nomen *de Benfoldo* in perpetuum possidendam tradidit. In tabulis donationis hos sibi titulos præposuit: *Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, ac S. R. Imperii, & regni Hungariæ supremus Cancellarius, & castri Medve perpetuus Dominus.* Iisdem fere titulis eum ornabat Sigismundus Imperator, cum eum in regiis edictis nominari jubebat, ut est apud Kovascevichium: *Joannes Episcopus Zagrabiensis, Sac. Rom. Imperii, & Sigismundi regis & Imperatoris eximius Cancellarius, tutorque Abbatiæ monasterii B. M. V. de Toplicza.*

Tituli honorifici Joannis Ep. Zagr.

Quidquid terrarum, agrorum, & immunitatis Eberhardus præbendariis Chasmensibus attribuerat, id omne Joannes confirmavit suis litteris datis *Chasmæ feria proxima ante festum Purificationis anno* 1428. Jura & loca Ecclesiæ suæ acerrime defendit; nec vero quidquam de sua diœcesi diminui passus est. Cum parœciæ Archidiaconatus Muracensis cis Dravum, quas B. Augustinus cum Archidiaconatu Bexinensi conjunxerat, ut supra dictum est, se jurisdictioni Ecclesiæ Zagrabiensis eximere studerent, eas vel invitas in sua potestate retinuit. Posegam urbem, ejusque Ecclesiam & Capitulum, cum se nullius diœcesis esse contenderet, ad potestatem & obsequium Episcoporum Zagrabiensium revocavit, sibique subesse & parere coegit. Quod Sigismundus rex Hungariæ ante aliquot annos decreverat de quibusdam Ecclesiis trans fluvium Muram, quæ ad defectionem a Zagrabiensi ad Vesprimiensem Episcopum spectabant, easque ad diœcesim Zagrabiensem pertinere decreverat; id Joannes gravissima auctoritate ac decreto Concilii Basileensis confirmandum curavit. Ceterum ille ab Ecclesia & diœcesi plerumque aberat, propterea quod munus supremi cancellarii, tum imperii, tum regni Hungarici, nec diu, nec longe ab latere Sigismundi eum discedere patiebatur; & præterea de gravissimis rei publicæ & Christianæ negotiis alio atque alio ab Sigismundo sæpius mitti & legari solebat. Sed vel absens per litteras, & per suos vicarios & ministros, plurimum Ecclesiæ suæ profuit, ejusque incommodis consulebat, utilitatique diligentissime inserviebat. Divitiis affluebat, & amplissimam pecuniam, ex domestico præsertim opulentissimo patrimonio confecerat. Ei siquidem tum ex avita hereditate, tum ex bonis adventitiis suæ familiæ plurima latifundia, & castella, & præsertim castrum Medve obtigerat, cujus se Dominum appellabat; e quibus fructus uberrimos percipiebat. His vero ille adjunxit duas civitates Coprocensem, & Græcensem, duo itidem castella *Kavak & Kemlek*, ære suo acquisita, sibique ab Sigismundo vendita, seu potius oppignerata. Cum enim Sigis-

Absens Ecclesiæ suæ commodis utilitatique inserviebat.

Digitized by Google

Sigismundus tum ad Turcicum, tum ad Bohemicum contra Hussitas hæreticos bellum pecunia indigeret, eam ab Joanne Episcopo mutuam sumpsit; eique pluribus aureorum millibus vendidit, seu pignori dedit civitatem regiam montis Græcensis, urbem Coprocensem, cum castro *Kavar*, sive *Kavak*, & villam quamdam prope Dravum, jusque exigendi portorii, quod ponti Draviano impositum erat; denique *Castrum magnum* Kemlek situm in comitatu Crisiensi, in quo reges Hungariæ *Cellarium regale* constituerant. Hoc igitur castrum Sigismundus, in summa difficultate nummaria cum esset, decem & quatuor millibus aureorum Joanni Episcopo vendidit, & jure pleno ac perpetuo possidendum tradidit, sic prorsus, ut integrum illi esset cuicumque vellet, sive Ecclesiæ, sive Capitulo, sive consanguineis suis aut vendere, aut donare, aut nomine legati relinquere: hanc tamen conditionem interpositam voluit, ut castrum illud, si opus esset ad custodiam & præsidium *Cellarii regii*, liceret sibi, non item suis in regno successoribus, reddito, quod acceperat, pretio redimere. Hæc Kovacevichius.

Joanni Ep. Sigismundo absente regnum Hungariæ commendatum. Sigismundus intra finem anni 1431. in Italiam profectus, primum Mediolani coronam ferream, & biennio post Romæ aureum diadema cum ceteris augustalibus insignibus suscepit. Res Hungaricas, ne quid detrimenti propter suam absentiam caperent, Joanni Episcopo Zagrabiensi commendavit. Dum ille aberat, atque in Italia versabatur, Turcæ, & Hussitæ, cum magno utrique exercitu, Hungariam invadere parabant. Ad primariam totius regni arcem tuendam convenerunt Budam cum copiis armatis Joannes Episcopus, & plerique Præsules & proceres Hungariæ. Dum expectatione hostium, metuque solliciti, quæ opus erant ad sustinendam obsidionem, & repellendam oppugnationem, omni studio curaque adornarent; legati ab Uladislavo rege Poloniæ venerunt, qui post consueta mutuæ salutationis officia ultro citroque reddita, nomine regis ac totius regni, tum Prutenorum a fœdere cum Polonis inito defectionem nunciarunt, tum vero polliciti sunt numquam fore, quamvis jam Polonis deliberatum esset Teutonibus bellum inferre, ut veterum amicitiam disjungerent, quæ inter Hungaros & Polonos inde usque ab Sancto Stephano rege mutuis officiis, & conjugiis culta, semper viguerat. Huic legationi ab Episcopis & Dynastis nihil responsi redditum fuit. De hac autem legatione Joannes Episcopus Sigismundum admonendum censuit.

Legatio Polonorum ad Hungaros, de qua Joannes Sigismundum docet.

Ejus Epistola. *Serenissimo principi Domino Domino Sigismundo &c. Serenissime Princeps, & domine excellentissime, post humilem mei recommendationem, orationumque suffragia devotorum. Scire dignetur eadem serenitas, quod prælati & barones regni vestri Hungariæ in festo S. Laurentii proxime præteriti, pro parte majori ad civitatem vestram Budensem pro defensione prædicti regni vestri contra insultus Turcorum & perfidorum Hussitarum in unum convenerunt: inter quos ego etiam personaliter fui, quibus quidem dominis prælatis & baronibus, ut præmittitur, invicem existentibus in præsentia eorumdem, accessit ambassiata regis Poloniæ, primo ex parte ipsius regis, demum ex parte reginæ contboralis suæ, & tandem majorum, & ex post minorum filiorum suorum, prælatis & baronibus vestris retulit salutes. Tandem autem in persona ejusdem Domini regis querulose protulit, quomodo illi mali homines Pruteni ligas & confœderationes cum eodem rege contractas non tenerent, & sibi & regno suo multa damna fecissent, & ipsi etiam contra ipsum cum duce Swidrigal essent confœderati. Hoc etiam retulit, quod ipse etiam Dominus rex & filii sui ac barones ejus uniti essent cum Bohemis, vellentque cum ipsis contra omnes Teutonicos seu Germanos tenere, sed non contra Hungaros, quoniam a tempore Sancti regis Stephani, & tandem a tempore Sancti regis Ladislai, qui ex parte matris fuisset de regno Poloniæ, usque ad tempora Ludovici regis, & durante eo semper fuerunt unum, & Domini Hungari ducebant matrimonialiter sorores dominorum regni Poloniæ. Et cum ego, & hoc idem prælati & barones regni ejusdem intimassent dominis prælatis & baronibus regni V. S. domini tamen prælati & barones vestri super illis nullum dederunt responsum. Et hæc serenissime princeps vestræ majestati pro avisatione volui intimare. Scripta Kaprinicze feria II. proxima post festum Bartholomæi Apostoli MCCCCXXXII.*

Ejusdem V. S. Capellanus humillimus Jo. Episcopus Zagrabiensis cancellarius.

Cum Sigismundus monasterium virginibus S. Claræ fundandi in diœcesi Zagrabiensi, dotandique consilium cepisset; Eugenius IV. per litteras imperavit Joanni Episcopo, ut præclari hujus consilii perficiundi potestatem auctoritate Apostolica Imperatori largiatur; ipsi vero Episcopo, tum eas recipiendi, quæ in illud sanctissimum institutum nomina dare vellent, tum eisdem Antistitam præficiendi facultatem impertiit.

Venerabili fratri Episcopo Zagrabiensi.

Eugenii IV. P. Epistola ad Joannem de Virginibus S. Claræ. *Inter cuncta divinæ placita pietati, fundare monasteria, in quibus prudentes virgines, cupientes accensis lampadibus obviam ire sponso, sedulum & devotum exhibeant Altissimo famulatum, gratissimum reputatur. Hoc nempe carissimus in Christo filius noster, Sigismundus Romanorum Imperator semper Augustus, sicut nobis nuper per suas litteras intimavit, pia devotaque mente considerans, ac cupiens terrena &c. commutare, quoddam monasterium in oppido Tretsien. Zagrabien. diœcesis, infra metas regni Hungariæ, cujus etiam rex existit, erigere & ædificare, illudque pro Abbatissa, & certo numero monialium, sive sororum, quæ sub perpetua clausura & observantia ordinis S. Claræ vivere teneantur &c. sufficienter dotare proponit.*

Nos igitur &c. Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus Imperatori prædicto monasterium hujusmodi cum Ecclesia, campanili &c. necessariis officinis, ad instar aliorum dicti ordinis monasteriorum, postquam illud pro Abbatissa, & congruo numero monialium de bonis præmissis, ex quibus Abbatissa, & moniales, sive sorores hujusmodi congrue sustentari, episcopalia jura solvere, & alia incumbentia onera supportare valeant, sufficienter dotaverit, nec non calices, cruces, libros, missalia, ornamenta ecclesiastica, & alia ad divinum cultum necessaria, juxta ritum, & consuetudinem dicti ordinis concesserit &c. ædificandi, & erigendi licentiam auctoritate apostolica largiaris; nec non mulieres prædictum monasterium intrare, & in illo sub hujusmodi clausura, & obedientia dicti ordinis Altissimo servire volentes, si alias sint idoneæ, & aliquod canonicum non obsistat,

in

in eodem monasterio, postquam illud erectum, & dotatum fuerit, ut præfertur, hac prima vice auctoritate nostra recipias, eisque regularem habitum juxta ipsius ordinis consuetudinem exhibeas, nec non professionem per ejusdem ordinis moniales, sive sorores emitti solitam, si illam in tuis manibus sponte & libere emittere voluerint, ab eis recipias, & admittas, & singula alia, quæ ad id utilia, & necessaria, ac secundum Deum expedire videris, facias, statuas, ordines, ac disponas; nec non unam ex eis, sive aliam ejusdem ordinis monialem, ordinem ipsum expresse professam, ad ipsius monasterii regimen utilem & idoneam, quæ alias moniales in disciplina & observantia prædicti ordinis instruat, & informet, eidem monasterio in Abbatissam præficias, curam, regimen, & administrationem illius sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitas exhiberi; contradictores per censuram &c. Et nihilominus Abbatissæ, si quam dicto monasterio præfeceris, ut munus benedictionis ab aliquo Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, recipere valeat; ac eidem Antistiti, ut illud impendere sibi possit, prædicta auctoritate concedas; ac prædictum monasterium per Abbatissam, ut caput, ac moniales dicti ordinis, quæ eidem Abbatissæ subesse, & parere, juxta prædicti ordinis instituta regularia, ac sub clausura & observantia præmissis vivere teneantur &c. gubernandum statuas &c. Nos enim, si monasterium prædictum erigi, & dotari, ac moniales in eo recipi, & Abbatissam illi per te præfici ac statui contigerit, ut præfertur; Abbatissæ & monialibus prædictis, quæ in dicto monasterio &c. ut omnibus & singulis privilegiis &c. gaudere valeant &c. concedimus per præsentes.

Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCXXXIII. XII. Kalendas Februarii, anno III.

Tres Episcopi adjutores & Vicarii Joannis absentis.

Cum rerum publicarum procuratio Joannem ab sua Ecclesia identidem avocaret; & sæpe diutius abesse cogeretur, tres Episcopos, alium ex alio, vicarios munerum episcopalium habuit, quos Raphael Levacovichius suffraganeos appellat, Constantinum Rosonensem, Michaelem Oroscicnsem, Andream itidem Rosonensem. Anno 1433. cum ad Henricum Episcopum Quinqueecclesiensem fratrem suum se contulisset, letali morbo correptus ibidem decessit. Corpus suum Zagrabiam transferri, & in basilica cathedrali ante aram maximam sepeliri jussit. Testamentum fecit, ex quo haud magis ejus opulentia, quam pietas & religio dignosci potest. Curatores testamenti esse voluit *Henricum* fratrem Episcopum Quinqueecclesiensem, *Joannem* cantorem Vicarium suum, *Eberhardum* lectorem, & Canonicum Zagrabiensem, & *Henricum* de Plomberg Capitaneum de Kemlek. Ex ejus tabulis supremis, quarum initium est: *Ego Joannes Episcopus Zagrabiæ, S. R. Imperii, & totius regni Hungariæ summus Cancellarius credo &c. Sepeliri volo Zagrabiæ in cathedrali ante summum altare in choro &c.* Thomas Kovascevichius hæc pia legata descripsit: *Quidquid de argento in quacumque forma & figura habuit, illius medietatem legabat ad usum Ecclesiæ suæ cathedralis, ex residua medietate partem unam fratri Rodulpho, & aliam Ecclesiæ cathedrali S. Petri Quinqueecclesiensi. Addebat præterea Ecclesiæ suæ omnes libros, calices, casulas, cappas & ornamenta pontificalia, nec non tapetes, seu cortinas diversis picturis, & imaginibus contextas, & pro fabrica ejusdem Ecclesiæ continuanda florenos auri mille quingentos. Pro sepultura, exequiis, missarum celebrationibus, & psalteriis usque ad diem trigesimum, singulis diebus perficiendis, disponebat florenos auri quingentos. Virginibus pauperibus, ut in sacro matrimonii fœdere vitam competentem ducant honeste, florenos auri quingentos. Sacerdotibus pauperibus missas in Ecclesia cathedrali pro salute animæ suæ, parentum, fratrum, & sororum, celebraturis florenos auri quingentos; & pro anima Episcopi Eberhardi sui antecessoris & patrui florenos auri octingentos. Deinde monasterium S. Francisci Zagrabiæ, S. Dominici Zagrabiæ & Chasmæ, nec non fratrum Eremitarum prope Zagrabiam, & juxta castrum Garich, cuique per se, florenos auri quinquaginta. Capitulo Zagrabiensi, ut oret pro se, floren. auri centum quinquaginta. Item pro fabrica monasteriorum de Toplica, & de Bela, nec non ecclesiarum cathedralis Vesprimiensis, & collegiatæ S. Spiritus Chasmæ, cuique per se, florenos auri centum; pauperibus diversorum hospitalium S. Antonii, & S. Elisabeth prope Zagrabiam, pauperibus leprosis in hospitali S. Petri in suburbio, & hospitali Chasmensi, florenos auri quinquaginta; Ecclesiæ S. Spiritus in Kosztonicza florenos auri quinquaginta; Præposito antiquo de oppido Ivanich florenos auri centum; præbendariis Ecclesiæ Zagrabiensis, & Chasmensis omnes vestes, & equos tres cum curru pendente. Duas domos Budæ habitas Episcopis successoribus; omnes annulos cum lapidibus pretiosis filiabus Comitis Antonii Blagai e sorore sua procreatis. Sorori Catharinæ Alben. flor. auri trecentos. Denique aulæ familiaribus, qui salaria merebant, neglecta persolvi voluit, inter quos ultra eorum stipendia, pincernæ Jeskoni floren. auri ducentos, & thesaurario Eiglino florenos auri centum quinquaginta addendos ordinavit. Inter eos vero, qui obsequia sua non ex mercede, sed ad gratis exhibuerunt, distribuendos disposuit florenos auri sexcentos &c.*

Joannes Ep. obit.

Ejus pia legata.

Civitatem regiam montis Græcensis Sigismundo restituit, remissa eidem & condonata pecunia, quam pro illa redimenda Sigismundus reddere debuisset. Ex decem millibus aureorum, quæ pro civitate Coprocensi, & castro Kuvar, tributo ad Dravum, & aliis locis sibi venditis, aut pignori datis solverat, tria millia eidem Sigismundo condonavit, reliquam vero summam partim Rodulpho fratri suo tradi, partim in ædificationem basilicæ cathedralis impendi voluit: civitatem vero, & castrum, ac cetera Sigismundo reddi jussit. Hæc idem Kovascevichius ex eodem testamento. Verum Rodulphus frater Joannis, cum cetera testamenti capita salva & rata esse vellet, duobus tamen legatis intercessit; nam quidquid argenti facti infectique Joannes Ecclesiæ legabat, & septem millia aureorum, quæ Sigismundus pro civitate Coprocensi, & castro Kuvar redimendis retribuere debuisset, uni sibi vindicabat, nihil omnino ex his duobus legatis in ornatum, utilitatem, ædificationem basilicæ cathedralis derivari volebat. Hinc aliqua mora injecta curatoribus testamenti, quo minus statim quæ jusserat Joannes, exsequi possent; siquidem interdictum Hermani Comitis Ciliæ, & Bani Chrobatiæ interposuerat, quo vetabantur

Ejus ergo Sigismundum liberalitas.

Rodulphus frater Joannis duobus legatis intercessit.

tur de illo duplici legato quidquam statuere, vel attingere, antequam Rodulphus sua postulata in judicium deduceret. Rem delatam fuisse ajunt ad Patres Basileenses, qui supremæ Joannis voluntati omnino pleneque obsequendum esse decreverunt; huic itaque standum fuit Rodulpho, præsertim tum Sigismundo jubente, tum Joanne Episcopo Tinniniensi, & Præposito Chasmensi, aliisque prudentibus viris suadentibus. Multo rectius, & sapientius idem Rodulphus de pio quodam legato Eberhardi fratris sui, vel patrui, judicavit, & statuit. Is quoddam prædium, cui nomen *Bathinæ*, ære suo acquisitum, & certam pecuniæ summam collegio Canonicorum Zagrabiensium legaverat, hoc illis onere imposito, ut quotidianum sacrum in æde cathedrali in ara S. Crucis pro expiatione suorum delictorum faciendum curarent. Hujus legati exsequendi curam neglexerant Joannes & Rodulphus; quin immo prædium illud alienaverant, & pecuniam inde perceptam in suos usus averterant. Post mortem Joannis Episcopi Rodulphus, perurgente conscientia, ut suæ & fratris saluti consuleret, villas quasdam vel sibi ab Eberhardo relictas, vel suo ære coemptas, Capitulo Zagrabiensi attribuit, unde annui fructus suppeterent Presbytero a Canonicis delecto ac designato, qui ex tabulis supremis Eberhardi ad aram S. Crucis, pro se, Eberhardo, & Joanne quotidie sacrificium faceret. Vetuit filios suos, nepotes, hæredes molestos esse Capitulo propter villas easdem; quas si repetere, & liti atque judicio persequi vellent, antea quinque millia aureorum apud Canonicos deponerent, ne quotidianum illud sacrificium umquam intermitti, vel omitti posset. Hæc acta sunt Chasmæ coram Capitulo Chasmensi, & signo Capitulari obsignata: *Nos Capitulum Chasmense &c.* Post villas illas nominatas, quas Rodulphus Capitulo assignavit, ut iis pium legatum Eberhardi alio aversum compensaret, hæc subjiciunt: *Hoc etiam expresso, & specialiter declarato, quod quia præfatus quondam D. Joannes Episcopus, ipse etiam frater ipsius Rodulphus, quamdam possessionem Bathina vocatam, per ipsum quondam Dominum Episcopum Eberhardum eidem altari S. Crucis pro continuatione dictarum Missarum datam & deputatam, pretio vendidissent, & ab eodem altari, ac ejus rectore alienassent, certas etiam pecunias ad magnam summam se extendentes, similiter per ipsum quondam Dom. Eberhardum pro continuatione dictarum Missarum de certis possessionum sibi oppigneratarum proventibus dari debendas, præfatus quondam Dom. Joannes Episcopus, ipse etiam Rodulphus ad nutum suum disposuissent; quorum scilicet Dominorum Episcoporum res & bona, ac possessiones per ipsos acquisitæ ad eumdem Rodulphum post eorum obitum condescenderunt; ideo idem Rodulphus cupiens in hac parte saluti propriæ consulere, & ipsius fratris sui quondam Dom. Joannis Episcopi animam a pœnis alleviare, voluit, & sponte coram nobis assumpsit. Quod si in processu temporum ipse vel filius suus Leonardus, aut eorum posteri niterentur donationem dictarum possessionum & tributi per ipsum, ut præmittitur, factam, & etiam in supplementum prædictarum pecuniarum dispositam infringere, & eidem resistendo contraire; hoc attentare minime valeant, neque prætitulatos Dominos Canonicos de Capitulo prædicto, aut eorum alterum, seu quempiam ex ipsis, vel observatorem Missarum prædictarum, per eosdem Dom. Canonicos statuendum, in caussam ac litem attrahere possint, nisi prius depositis sex millibus florenis auri, prætactis Dom. Canonicis, & annotato altari pro continuatione ipsarum Missarum antedictarum, & absque ulla prorogatione ac difficultate aliquali per talem, aut tales integraliter persolutis. Ad quæ omnia præmissa, & præmissorum singula firmiter observanda, & bona fide, ac sine fraude, & dolo effectui mancipanda, prænominatus Rodulphus suo, & dicti filii sui, ac successorum suorum nominibus se obligavit coram nobis, sua spontanea voluntate. In quorum fidem ac testimonium præsentes litteras nostras concessimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum Chasmæ in festo S. Jacobi Apostoli. Anno Domini millesimo quadringentesimo, vicesimo quarto.*

Idem quoddam Eberhardi legatum a se, & Joanne fratre neglectum exsequi voluit.

In tabulis testamentariis Joannis nulla fit mentio castri Kemlek, quod Joannes ab Sigismundo sibi suisque hæredibus emerat jure perpetuo possidendum, nisi si qua necessitas Sigismundum cogeret illud redimere, repensis quatuordecim millibus aureorum, quæ Joannes pro emptione numeraverat. Hoc siquidem castrum paucis mensibus, antequam testamentum conderet, bifariam divisum partim Episcopo, partim Capitulo donaverat, onere imposito perpetui & quotidiani sacrificii, quod pro se, Eberhardo, & consanguineis suis fieri jussit. In ejusdem castri possessionem post mortem Joannis ex mandato Hermani Comitis Ciliæ, & Bani Chrobatiæ, tum Vicarius Capitularis nomine futuri Episcopi, tum Canonici ex juris formula missi sunt, non impugnante, nec invito Rodulpho; qui cum prævideret fore, quod reapse accidit, ut neque Episcopi, neque Canonici possessionem illius retinere possent, si reges vel magistratus illud pro potestate repeterent; villas & possessiones pro compensatione legati Eberhardini jam traditas aliis villis & fundis augendas censuit, ne umquam pia voluntas Joannis imperatis sacrificiis fraudaretur.

Joannes castrum Kemlek de Sigismundo emptum partim Episcopo partim Capitulo donavit.

Interregnum Episcopale.

Sunt qui hoc Interregnum ab Joanne IV. usque ad Osvaldum Episcopum perducant, & annos fere quadraginta tenuisse affirmant, quamvis inter utrumque anni haud amplius tres & triginta interfluxerint; idque colligi posse existimant ex litteris ipsius Osvaldi ad cultores prædiorum episcopalium territorii Ivanichiensis: *post mortem condam Joannis Episcopi prædecessoris nostri felicis recordationis, per diversas personas sæculares bona ejusdem Ecclesiæ nostræ quadraginta fere annis detenta, partim in aliam consuetudinem incitata fuerunt, partim vero in toto perierunt.* Idem confirmat Lucas proximus post Osvaldum Episcopus in suo decreto de restituenda *Missa Os justi in honorem B. Stephani regis maxime temporibus disturbiorum; cum præfata Ecclesia nostra per manus laicales pluribus annis potentialiter tenta & possessa fuit, dictam Missam didicimus certudinaliter abrogatam.* Sed verba utriusque Episcopi non Interregnum Episcopale, sed administrationem bonorum ecclesiasticorum laicis hominibus per eos annos commissam respiciunt, quorum incuria, seu malitia, vel alio distracta fuerunt, vel perierunt. Nam Joannes Episcopus, quem regis & reipublicæ negotia identidem ab sua Ecclesia & diœ-

Interregnum Episcopale.

Digitized by Google

diœcesi avocabant, necesse habuerat vicariam illorum operam ad res temporales Ecclesiæ curandas administrandasque sibi adsciscere, cujus exemplo reliqui usque ad Osvaldum idem institutum tenuerunt. Hos autem bonorum ecclesiasticorum curatores vocabant *Gubernatores Episcopatus* Zagrabiensis; hi autem fuerunt *Matko, sive Matthias de Tallocz Comes Kanisiensis, Judex Cumanorum, postea etiam Dalmatiæ, Sclavoniæ, Croatiæ Banus; Fridericus & Ulricus Comites Ciliæ;* quibus postremo loco addendus *Joannes Vitezius Episcopus Varadiensis*, & postea *Metropolita Strigoniensis*. Tantum vero abest ut Ecclesia Zagrabiensis per annos ipsos quadraginta legitimis Episcopis caruerit, ut tres saltem post Joannem ante Osvaldum Episcopos habuerit, de quibus nulla potest esse dubitatio. Haud vero negaverim ab Joannis obitu aliquot annos sedem Zagrabiensem vacasse; sed hoc interregnum breviori temporum spatio circumscriptum fuit, nec vero ultra decimum annum excessit. Per eos annos ut curatores temporalium, quos supra nominavi, sic administratores rerum spiritualium fuerunt Joannes Episcopus Tinniniensis, Abel Episcopus Olmensis, & Joannes Episcopus Lydensis. Hujus decennis interregni plures affert caussas Balthassar Kereselichius; præ ceteris duæ mihi maxime probantur; altera illa est, quod Sigismundus, cum ærarium exhaustum esset, a Patribus Concilii Basileensis impetravit, ut liceret sibi ex annuis proventibus mensæ Episcopalis pecuniam conficere, quæ sumtus ad bellum Turcicum necessarios suppeditaret; altera vero, quod idem Sigismundus ex eisdem proventibus partem aliquam, permissu ejusdem Concilii, in restaurandam basilicam cathedralem Zagrabiensem, ejusque ædificationem absolvendam impendere decrevisset, quod morte præreptus efficere non potuit. Atque hic corrigendas obiter error Gasparis Angelini Abbatis Disenbergensis in opere, quod *Purpuram D. Bernardi* inscripsit, qui Mierum quendam effingit Sissiniensem Episcopum in Hungaria an. 1438. & Sissiniensem nescio quam Ecclesiam cum Sisciensi confundens hujus Episcopatum hoc etiam tempore autumat perstitisse, cum sæculo duodecimo Sisciensis Episcopatus nomen, & dignitas ad Zagrabiensem Ecclesiam translata fuerit, & Siscienslum Episcoporum jam tum memoria in ecclesiasticis tabulis exoleverit. In eo etiam fallitur Angelinus, quod S. Quirinum Sisciensem revera Antistitem inter Laureacenses Episcopos adnumerat: cumque affirmet, Mieri mentionem inesse monumentis cœnobii S. Salvatoris de Monte Amiato in Senensi diœcesi, alius fortasse illi Episcopatus in Italia quærendus est. Nunc de rebus Ecclesiæ Zagrabiensis legitimo & proprio Episcopo per annos decem destitutæ.

Interregnum annorum circiter decem, quo intervallo tres Episcopi extranei cum laicis gubernatoribus res ecclesiasticam curarunt.

MATKO sive MATTHIAS
Gubernator,

JOANNES EPISCOPUS TINNINIENSIS
Administrator I. Episcopatus Zagrabiensis.

Matko vir illustribus titulis ac muneribus supra commemoratis inclytus, sub Joanne IV. Episcopo procurationem rerum temporalium Ecclesiæ susceperat, quam usque ad annum hujus sæculi quadragesimum quartum retinuit. Extat mandatum Sigismundi datum Basileæ anno 1432. & inscriptum *Matkoni Episcopatus Zagrabiensis, & civitatis Græcensis Gubernatori* de restituenda turri Capitulari in eadem civitate Græcensi, de qua supra diximus. Post mortem Joannis IV. Matko egregium se bonorum ecclesiasticorum vindicem præbuit. Cives Græcenses, quod multas terras Capitulo Zagrabiensi ademptas, & hortum parochi S. Emerici recenter ereptum, contra jus fasque retinerent, per scribam seu notarium Capituli ad suum tribunal citari jussit, ut de inique ablatis, injusteque retentis rationem redderent; cum præconis mandatum contumaciter abnuerent, in eos sententiam tulit, exprobrans illis vetera, & recentia flagitia, eorumque violentam & minime ferendam audaciam: *Pro eo nos auctoritate imperialis majestatis, & regni Hungariæ, nobis in hac parte attributa, nolentes dictorum judicis, juratorum, ac cæterorum civium dictæ civitatis montis Græcensis hujusmodi actus potentiarios simpliciter & impune pertransire, ne alii ab ipsis exemplati, ad similia facta potentiaria se apponere præsumant; sed potius ipsorum contritio aliis transeat in exemplum, eosdem judicem ac juratos, & cæteros cives pro præmissis eorum actibus potentiariis, per ipsos modo, quo supra commissis, in centum marcis auri, in duabus partibus nobis, & in tertia parte parti adversæ persolvendis convictos committimus atque aggravamus, auctoritate nostra judiciaria mediante. Dat. Zagrab. 2. die termini prænotati; idest tertia post festum Visitationis B. M. anno Domini* 1434. Ab hac sententia Græcenses ad Sigismundum appellarunt, non sine gravi querimonia de Capitulo & Matkone, quod ausi fuissent contemnere, ac violare decretum Sigismundi, qui anno 1405. quibuscumque magistratibus, sive laicis, sive ecclesiasticis jus inquirendi, animadvertendique in cives Græcenses ademerat, sibique reservarat. Commodum ex Italia redierat Sigismundus, & Iglaviæ cum esset in urbe Moraviæ, litteris ibidem datis tum Canonicis, tum civibus Græcensibus edixit, ut die Dominico proximo ante sollemne Deiparæ Virginis in cælum sublatæ, ad regium tribunal procuratores mitterent, qui Capituli, quique civitatis jura tuerentur. Sed quid sententiæ tulerit Sigismundus, utrisve caussam adjudicaverit, litteris proditum non invenio.

Matko seu Matthias Gubernator Episcopatus Zagrab.

Ejus secundum Capitulum contra cives Græcenses sententia.

Anno 1432. Capitulum Zagrabiense oratores duos misit ad Concilium Basileense, intra finem anni superioris inchoatum, videlicet Joannem Archidiaconum Camarcensem, & Joannem Archidiaconum Urboczensem, ut de præreptis decimis Archidiaconatus Bexinensis, nomen Comitum Ciliæ ad Patres deferrent. Hi justis oratorum querelis, & postulatis annuentes, secundum Capitulum judicarunt; jussique sunt Comites illi ab iniqua decimarum perceptione absistere. Cum Nicolaus præpositus Glogoniczæ ante septem annos decimas territorii Planinæ Capitulo eripuisset, eas Canonici repetere, ac persequi lite atque judicio decreverunt. Controversia delata est ad Synodum Basileensem, quæ cum Eugenio Papa in concordiam & gratiam redierat. Marcus de Franchis Præpositus Januensis ex delegatione Concilii litem diremit, & decimas Capitulo Zagrabiensi adjudicavit; Concilium ratam habuit approbavitque hanc sententiam; & suis ad Matkonem *Gubernatorem Episcopatus Zagrabiensis* litteris anno 1434. tertio

Oratores Capituli missi ad Concilium Basileense cum variis querimoniis & expostulationibus.

Digitized by Google

tio Kalend. Decemb. eidem imperavit, ut quod Præpositus Januenfis secundum Canonicos judicaverat, omnino exsequendum curaret. Apud eosdem Patres Basileenses anno proximo 1435. Canonici Zagrabiæ, suo & Ecclesiæ suæ nomine per internuncios gravissime conquesti sunt de injuriis damnisque plurimis Ecclesiæ Zagrabiensi illatis per quosdam illustres & præpotentes viros tum laicos, tum ecclesiasticos, qui castra, villas, prædia multa mensæ Episcopali, & Capitulari per vim vel fraudem adempta retinebant, & jurisdictionem utriusque violabant. Eorum querelas & postulationes Synodus excepit, & suis ad Episcopum Vesprimiensem, itemque ad duos Abbates, alterum cœnobii Zagrabiensis S. Mariæ, alterum monasterii Viennensis Scotorum diœcesis Pataviensis litteris datis anno 1435. VII. Id. Novembris, amplissimam potestatem eis tribuit tum compescendi iniquos & sacrilegos raptores, tum repetendi ab illis omnia, quæ contra jus fasque abstulerant, præsidio & auxilio, si opus esset, adscito magistratuum sæcularium.

Epistola Concilii. *Sacrosancta generalis Synodus Basilien. in Spiritu sancto congregata legitime universalem Ecclesiam repræsentans Venerabili Episcopo Quinqueecclesien. & dilectis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis Zagrabien. ac Scotorum in Wienna Patavien. diœcesis, monasteriorum Abbatibus salutem & Omnipotentis Dei benedictionem. Ad hæc Spiritus paraclytus nos etiam coadunavit in unum ut opportuna per ipsius providentiam singulis Ecclesiis, ex injuncto nobis fidelis servitutis jugo, pro tempore dispensantes, earum maxime intendamus dispendiis, per quæ a noxiis nonnunquam relevantur incommodis, & quietiori ductu in Domino virtutum devotius gratulentur. Sane Venerabilis Episcopi Zagrabien.* (forte addendum, *Episcopatus Administratoris*) *& dilectorum Ecclesiæ filiorum præpositi, & Capituli Canonicorum, & personarum Ecclesiæ Zagrabien. conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum prælati, & clerici, ac Ecclesiæ personæ tam religiosæ, quam sæculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, barones, nobiles, milites & laici; Communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, & aliæ singulares personæ civitatis, & diœcesis Zagrabiensis, & aliarum partium diversarum occuparunt & occupare fecerunt castra, villas, & alia loca, terras, domos, possessiones; jura, & jurisdictiones; Nec non census, fructus, redditus, & proventus dictæ Ecclesiæ, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia ad præpositum, Capitulum, canonicas personas, & Ecclesiam prædictos spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel favorem; Nonnulli etiam civitatis, diœcesis, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eidem Episcopo, præposito, Capitulo, Canonicis, & personis, super dictis castris, villis, & locis aliis, terris, domibus, & possessionibus, juribus, & jurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, & proventibus earundem; Et quibuscunque aliis bonis mobilibus & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, ac aliis rebus ad eosdem Episcopum, præpositum, Capitulum, canonicas personas, & Ecclesiam spectantibus multiplices molestias, & injurias inferunt, & jacturas. Quare dicti Episcopus, præpositus, Capitulum, Canonici, & personæ nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere ipsis super hoc pia diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores hujusmodi, illo volentes eisdem Episcopo, præposito, Capitulo, Canonicis, & personis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludantur; Discretioni vestræ per hæc scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis judices & conservatores, præfatis Episcopo, præposito, Capitulo, Canonicis, & personis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super iis, & quibuslibet aliis indebite molestari, nec eis gravamina seu damna, vel injurias irrogari, facturi, dictis Episcopo, præposito, Capitulo, Canonicis, & personis, cum ab eis vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis, & aliis bonis quibuslibet super restitutione hujusmodi castrorum, villarum terrarum & aliorum locorum, jurisdictionum, jurium, & bonorum, mobilium, & immobilium, redditinum quoque, & proventuum, & aliorum quorumcumque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis præsentibus, & futuris in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie aut de plano, sine strepitu, & figura judicii; In aliis vero prout qualitas eorum exigerit justitiæ complementum, occupatores, seu detentores, præsumptores, molestatores, injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotiescunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; Invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur; Seu ne judices, & conservatores a Sede Apostolica deputati, extra civitatem, & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alibi, vel aliis vices suas committere; Aut aliquos ultra unam dietam a fine diœcesis eorundem trahere præsumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur; Seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quæ judicialem requirunt indaginem, pœnis in eos si secus egerint, & in id procurantes adjectis, conservatores nullatenus se intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis, & conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, qui vestræ possent in hac parte jurisdictioni, aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare; Seu si aliquibus communiter, vel divisim a prædicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum*

rum personis, locis, & ordinibus propriis mentionem, ac qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta vestræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de cujusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus, & auctoritate universalis Ecclesiæ decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque auctoritate præsentium sit vobis, vel unicuique vestrum, in præmissis omnibus, & eorum singulis cœptis, & non inceptis, & futuris perpetua potestas, & jurisdictio, attributa, ut eo rigore, atque firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & jurisdictio vestra, & cujuslibet vestrum in prædictis omnibus, ac singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitime extitisset. Constitutione prædicta super conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante, præsentibus in perpetuum valituris. Datum Basileæ VII. Idus Novemb. anno a Nativit. Dom. MCCCCXXXV.

Præterea de decimis Archidiaconatus Bexinensis interversis querimonia delata fuit ad Synodum Basileensem; & *Gulielmus Archidiaconus Metensis, Emmanuel de Gualbis, Joannes Quintinus auditor, & commissarius Concilii*, judices huic caussæ cognoscendæ præpositi, secundum Canonicos sententiam tulerunt. Sigismundus extremis imperii sui annis Ecclesiæ & Capitulo Zagrabiensi eximie beneficum se præbuit. Pia legata Eberhardi, & Joannis Episcoporum, quibus Rodulphus frater Joannis quatuor villas sibi relictas, ex testamento Eberhardi adjecerat, amplissimo decreto confirmavit anno 1435. XI. Kalendas Decembris. Teuto Rottarius in Petrovinam villam Capituli temere ac violenter invaserat. Sigismundus Matkoni Gubernatori Episcopatus imperavit, ut jura & bona Ecclesiæ Zagrabiensis sarta tecta conservaret, ac Teutonem compelleret, ut Capitulo & villam ereptam redderet, & pro injuria satisfaceret. Terras, & fœnilia territorii Kraghensis jampridem Capitulo adempta restitui jussit. Demum paucis antequam decederet mensibus, Præposito Ecclesiæ Glogoczensis severe mandavit, ut pro decimis septem annorum ex agris Planinæ injuste perceptis, nummos Hungaricos argenteos centenos & sexagenos singulis annis Capitulo tamdiu solvat, quoad ea summa pecuniæ restituta fuerit, quæ decimis septem annorum respondeat. Anno 1437. VI. Id. Decembris apud Zonymam urbem Moraviæ admodum pie obiit, de republica & imperio; deque universa Ecclesia, & præsertim Zagrabiensi optime meritus. Anno proximo in regnum Hungariæ & Bohemiæ successit Albertus ejus gener, dux Austriæ, qui eodem anno Imperatoris nomen a septemviris delatum, & imperii insignia sumsit. De Joanne Episcopo Tininiensi, & Præposito Chasmensi, quem Ecclesiæ Zagrabiensis Administratorem fuisse, dum sedes vacabat, Kereselichius tradit, ejusque administrationis actis, nihil litteris proditum invenio.

Extrema Sigismundi beneficia in Ecclesiam Zagrabiensem collata.

ABEL ADMINISTRATOR II.
Episcopatus Zagrabiensis.

Matko Gubernator Episcopatus Zagrabien.

Abel apud Balthassarem Kereselichium his titulis afficitur: *Sacræ Sedis Apostolicæ magister protonotarius Episcopus Olmensis, & Episcopatus Zagrabiensis in spiritualibus Administrator II.* Ecclesiæ Zagrabiensis per Abelem administratæ fidem facit Paullus Ritterus ex litteris Communis *Vugrensis*: *habent Vugrenses litteras certas*, ait Ritterus, *in primis Matkonis Bani de Tallovcz Episcopatus Gubernatoris confirmatorias Joannis administrat. Zagrab. de dato Ivanich per Banum prædictum 1437. ... Item Reverendissimi Abel Protonotarii Sedis Apostolicæ, & Administratoris Ecclesiæ Zagrabien. anno Christi 1439. super quibusdam metis, &c. etiam alias ab illo emanatas*. Verum litteris quibusdam apud Fratres Eremitas Paullinos cœnobii Remetensis, idem *Abel* inscribitur *Episcopus Zagrabiensis*. Immunitatem villæ *Rhemitincz*, quam Eberhardus & Joannes Episcopi Eremitis illis donaverant, parochi quidam in controversiam vocaverunt; dum inter eos de compositione agitur, Abel ejusdem villæ donationem atque immunitatem suis litteris confirmavit. *Dum hic pares* (Parochi & Eremitæ Remetenses) *ad concordiam componuntur, Reverendiss. Abel Episcopus Zagrabiensis dat protectionales super libertatibus villæ Rhemetincz, quemadmodum & Dominus Eberhardus & Joannes loci ejusdem Episcopi dari fecerunt*. Quod Episcopi vice fungeretur, & partes ageret, iccirco per abusionem nominis Episcopum Zagrabiensem appellatum fuisse existimo. Albertus Imperator, idemque rex Hungariæ, cum nondum expleto biennio regnandi vivendique finem fecerit, vix spatium habuit de Zagrabiensi Ecclesia bene merendi; anno siquidem undequadragesimo hujus sæculi intra finem mensis Octobris e vivis excessit. Suæ tamen erga illam egregiæ voluntatis documentum aliquod dedit, cum, siquid juris rex haberet in quasdam villas, de quibus controversia erat Canonicis cum magistratibus, id omne Capitulo remisit, & condonavit Posonii anno 1439. VII. Kalendas Maji. Longe gravior Canonicis fuit cum parochis de decimis controversia anno 1440. quæ ad Sedem Apostolicam delata cum fuisset, Eugenius IV. eam cognoscendam ac dirimendam dedit Abbati Cisterciensi cœnobii Mariani Zagrabiensis, qui eodem anno secundum Canonicos judicavit; & parochi, auctoritate vique interposita magistratuum sæcularium, coacti sunt ab omni decimarum illarum exactione abstinere. Anno eodem vel sequenti Abel, seu vita functus, sive ad aliam Ecclesiam aut præfecturam Ecclesiasticam evocatus, administrationem Episcopatus Zagrabiensis deposuit. Quem Kereselichius *Olmensem* vocat, Kovascevichius Rosonensem Episcopum fuisse censet. Quæcumque fuerit Ecclesia, ex qua titulum Episcopalem sumserat, illa sita fuerit oportuit in partibus Turcarum, vel schismaticorum & hæreticorum, qui Episcopos Catholicos accessu prohibebant.

Abel alter administrator Episcopatus Zagrab.

Villam Rhemitinensem Eremitarum S. Paulli immunitate donavit.

Controversia de decimis inter parochos & Canonicos.

Abel administratione Ecclesiæ deposuit.

JOANNES ADMINISTRATOR III. Episcopatus Zagrabiensis.

Matko Gubernator Episcopatus Zagrabien.

Episcopus Lydensis erat, idemque suffraganeus, sive adjutor Patriarchæ Aquilejensis, ut docet Kereselichius. Cum de decimis *Csaktornensibus* Canonici Zagrabienses, & Dynastæ sive Comites Ciliæ, Hermanus parens ejusque filii Fridericus, & Ulricus, inter se disceptarent, delecti sunt arbitri, qui ex æquo & bono litem dirimerent. Hoc temperamentum inventum est, quo utrique parti satisfieret; ut jus percipiendi decimas illas, de quibus erat controversia, Comites illi, pater & filii, quoad viverent, retinerent, post mortem illorum ad Capitulum revolveretur. Ita transactum est anno 1441. VI. Id. Septemb. In eo compromisso nominatur *Joannes Episcopus Lydensis, administrator Episcopatus Zagrabiensis*, eodem teste Kereselichio. Albertus Imperator & rex Hungariæ moriens Elisabetham conjugem, filiam Sigismundi, ex se gravidam reliquit. Nec vero Hungari expectarunt, dum partus ederetur; sed Uladislavum Ducem Lituaniæ, fratrem regis Poloniæ sibi regem adsciverunt. Nondum hic in Hungariam venerat, cum Elisabetha filium peperit, eique Ladislavi nomen imposuit. Hinc ortum inter Hungaros civile dissidium gentem illam in duas factiones distraxit; siquidem alii Uladislavo e Lituania ad regnum evocato fidem servandam, alii ad Ladislavum Alberti posthumum, & legitimum regni paterni heredem transferendum esse censebant. Elisabetha filium vix trimestrem Albam deductum, sacra corona eidem a Demetrio Archiepiscopo Strigoniensi imposita, regem inaugurandum curavit. Deinde adventum Uladislavi fuga prævertens, cum filio & sacra corona in Austriam se recepit, contulitque in fidem & clientelam Friderici Imperatoris. Sub discessum Elisabethæ Uladislavus superveniens, Budæ ingenti fautorum suorumque cujusque ordinis gratulatione exceptus cum esset, pro sacro diademate ablato, sacrosanctis B. Stephani regis reliquiis ejus capiti impositis, rex Hungariæ est appellatus. Regale solium adeuntem duplex bellum excepit, alterum civile cum adversa factione, quæ ab Ladislavo Alberti filio stabat, alterum extraneum longeque gravissimum cum Amurathe rege Turcarum, quod Joanni Hunniadi viro fortissimo gerendum dedit. De bello civili Thuroctius: *Nulla sacularis, spiritualisque dignitas supersedit ab armis, omnis ætas nocere prompta, ætati non parcebat, at discordia ductrice cuncti divisi regnicolæ pro incerto regis nomine pugnabant. Hi regem sequebantur Uladislaum; illi reginam Elisabeth, illiusque filium præferre conabantur &c.* Uladislavus, quamvis externis & domesticis bellis exercitus agitatusque, tamen in tanta curarum & periculorum mole, partem aliquam in Ecclesiam Zagrabiensem curæ & cogitationis suæ derivare non omisit. Nam tum cives montis Græcensis, tum Stephanum & Martinum Comites seu Dynastas Frangipanios Capitulo decimas, quas interverterant, ad seque transtulerant, restitui jussit. In suis ad Græcenses litteris mirari se ait, *quod contra Deum, & honorem regis, bona Ecclesiarum manu sacrilega audeant usurpare; velle fortasse eos exemplum sequi nonnullorum magnatum, qui eamdem Ecclesiam infestant, sed magnam stoliditatem esse velle se eis æquare. Interim manus regias suas necdum esse ita aggravatas, ut eos etiam magnates compescere non possint;* mandat denique, *ut usurpata restituant, alioquin libertates Ecclesiæ impugnantes, libertates eis a regibus concessas amissuros.* Frangipanios vero Vegliæ, Seniæ, & Modrussæ Dominos, cum semel atque iterum amice admonuisset, ut ab decimis Capitularibus Podgoriæ abstinerent, severioribus litteris coarguit, imperavitque ut ab illis exigendis irreligiosas, seu potius sacrilegas manus retraherent: *occupata, regis intuitu, ad tot affectuosas litteras, eos remittere debuisse scribit; immo etiam de suo, si necesse fuisset, superaddituros credidisset, præsertim quod bonis alienis ditati, Ecclesiarum præcipue, re aliena non indigerent; proinde ut restituant, & pro acceptis satisfaciant, cum aliunde bona Ecclesiastica ita per Turcas impedita sint, ut Canonici nequeant sustentari; quod si facere detrectarent, se tamquam Ecclesiarum tutorem de alio remedio cogitaturum.* Utraque epistola *data est Budæ festo S. Petri ad vincula* 1442. Hos sibi titulos adscribit: *Uladislaus rex Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, princeps Lithuaniæ, supremus hæres Russiæ.* Cum vero Martinus Frangipanius non solum decimas intervertisset, sed etiam temere ac violenter invasisset in quamdam Capituli possessionem, cui nomen erat *Volaviæ*, seu *Putrovinæ*, idem Uladislavus ad Martham Frangipaniam, fortasse uxorem ejusdem Stephani, scripsit in hæc verba: *se ad instar clari principis genitoris sui Ecclesias defendere ab ingressus sui tempore, ac deinceps idem facturum, modo bellum civile in regno accensum, quod brevi sperat extinguere, sopiatur: occupata restituant, cum satis aliunde bonorum haberent, & plura ab se possint expectare. Matkoni de Tallovcz Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Bano, & Episcopatus gubernatori, ab se mandatum, ut si nolint restituere, eos compellant.* Data est *Budæ in Octava Ascensionis Domini die.* Idem vero Matko Budæ die festo omnium Sanctorum litteedit ad Joannem de Tallouzc Comitem Cetinæ Priorem Auranæ; caveret etiam atque etiam ne exactores decimarum Episcopalium jura Capituli violarent, seque in ejus bona & possessiones immitterent; *nostri enim officii est,* inquit, *augere, non minuere proventus Capitulorum.*

Compromissum de decimis inter Canonicos & Comites Ciliæ.

Mors Alberti Imperatoris regis Hungariæ.

Bellum civile.

Uladislavus cives Græcenses & Comites Frangipanios, qui decimas Ecclesiæ ad se averterant, suis litteris acriter castigat.

Illis temporibus quædam veluti conspiratio videbatur esse tum procerum, tum cujusque ordinis hominum ad depopulandam Ecclesiam Zagrabiensem, ejusque bona diripienda; nam Episcopi, quibus sacrarum, & Matko Banus, cui temporalium rerum administratio commissa fuerat, plerumque aberant; eos siquidem publica & privata negotia persæpe alio atque alio avocabant. Horum absentia, sive etiam incuria, Ecclesiam illam sui pastoris vigilantia ac præsidio destitutam, direptionibus atque injuriis opportunam reddebat; & plus cupiditas & audacia improborum hominum ad damna inferenda, quam ad prohibenda cura & auctoritas Capituli valebat. Itaque supplicatum est Eugenio IV. ut Ecclesiæ Zagrabiensi, tot tantisque injuriis oppressæ consuleret, eique custodem & Episcopum præficeret, cujus tutela & auctoritas tum quæ acceperat ex diuturno interregno, resarciret, tum majora, quæ indidem

Status miserandus Ecclesiæ Zagrabien.

Digitized by Google

dem impendebant, damna propulsare posset. Annuit Pontifex, & quem petierant, Episcopum Zagrabiensibus dedit anno 1442. exeunte.

BENEDICTUS EP. ZAGRAB. XLI.

Benedictus Ep. Zagr. quem Uladislavus rex respuit,

Vir eximiæ doctrinæ & prudentiæ, qui *Artium liberalium magister*, *& Sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus* in monumentis illorum temporum appellatur. Ejus patria mihi ignota est, cognomen *de Zolio* fuit. Aditum sibi ad civitatem & Ecclesiam interclusum reperit; quippe Uladislavus, qui jus regium nominandi Episcopi Zagrabiensis sibi præreptum non æquo animo tulerat, Episcopum, ab se neque electum, neque nominatum respuebat; illumque recipere tum Canonicos, tum cives Zagrabienses vetuerat, pœna proposita exsilii, & publicationis bonorum. Verebatur etiam fortasse Uladislavus ne Pontifex Ecclesiam illam Benedicto decrevisset, postulatu Elisabethæ viduæ Alberti regis, quæ illius favore, atque opera uti vellet ad Zagrabienses, & populos Slavoniæ sollicitandos ad defectionem, & sibi ac filio suo Ladislavo conciliandos. Udislavus igitur, repudiato Benedicto, Episcopum Zagrabiæ nominavit Demetrium Cuporium Episcopum Tininiensem in Dalmatia, qui illustrioris atque opulentioris Episcopatus potiundi mira cupiditate flagrabat, ex quo turbata divisaque duas in partes fuerat Ecclesia Zagrabiensis, cum alii Benedicto, alii Demetrio faverent. Per eos dies Julianus Cardinalis S. Angeli legatione Apostolica fungebatur in Hungaria. Hic rogatu Benedicti Capitulo & clero Ecclesiæ Zagrabiensis imperavit, ut Episcopum sibi ab Eugenio datum agnoscerent ac reciperent; imperium si abnuerent, utrique sacris omnibus interdixit. Sed cum sollemnia Paschalia appeterent, ab Legato impetrarunt, ut saltem ad tempus hujusmodi interdicto clerum Zagrabiensem eximeret, ne basilica cathedralis sanctissimis illis diebus ab rebus divinis, & publicæ religionis officiis vacaret. Itaque Cœnobiarchæ S. Mariæ Zagrabiensis mandatum dedit, ut Canonicis, ceterisque presbyteris, & clericis, sublato, cui suberant, interdicto, potestatem faceret psalmodiæ ac liturgiæ operam dandi per dies omnino quadraginta, intra quos nisi legitimo Episcopo se subjectos atque obsequentes præberent, in eamdem, qua liberati fuerant, pœnam reciderent. Sed cum regis mandatum urgeret, vereor, ut imperata Legati antea fecerint, quam mors infelix Uladislavi, necessitatem ei parendi, metumque omnem illis ademeret. Anno siquidem 1444. collatis signis cum Amurate rege Turcarum ad Varmam fluvium, dum pugna fervebat, castra hostium temere aggressus, periit cum ingenti suorum clade, & magna rei Christianæ pernicie. Uladislavo sublato, totius regni conversio facta est ad Ladislavum posthumum Alberti Cæsaris, & regis Hungariæ, quem adhuc quinquennem Hungari omnes uno animo, unaque voce regem appellarunt, administro regni addito Joanne Hunniade, fortissimo bellatore, qui maximas clades jam Turcis intulerat, nec minores deinde intulit, quibuscum bis quidem infeliciter, sed sæpius secundo Marte pugnavit.

& Demetrium Ep. Tininiensem nominat Episcopum Zagr.

Demetrius multorum patrocinio nixus ob-

Nec vero post interitum Uladislavi, Episcopatus Zagrabiensis pacatior, quam antea, Benedicto, & tranquillior fuit. Obstabat siquidem Demetrius, qui regia nominatione fretus, se unum verum ac legitimum Episcopum Zagrabiæ dici atque haberi volebat; & cum familia Cuparia, unde ortus erat, in primis inter Slavonicas clara esset & opulenta, ei favebant plerique Hungariæ proceres, ac præsertim Episcopus Varadinensis, apud quem, relicta Tininiensi Ecclesia, diversabatur, itemque Joannes Hunniades regni gubernator. Hinc pertinax schisma decem fere annorum, ex quo longe graviora, quam ex interregno episcopali, detrimenta Ecclesia Zagrabiensis accepit; nam per eos annos ex fundis, & proventibus Ecclesiasticis sane multi per fraudem, vel incuriam amissi; & Christiani gregis cura, rerumque sacrarum administratio propemodum neglecta. Uterque, quamvis ante Turcicam calamitatem, & cædem Uladislavi ab Ecclesia, & diœcesi abesset, se tamen gerebat pro Episcopo, & juris Episcopalis quidquid poterat usurpabat. Cum Joannes de Bachenstein Archidiaconus Camarcensis anno 1443. obiisset, Demetrius Archidiaconatum illum Stephano cuidam contulit, qui erat ab epistolis, & arcanis consiliis Ulrici Comitis Ciliæ; eumque Capitulum Zagrabiense, cum sibi ab Uladislavo rege, & Ciliensi Dynasta viro præpotente metueret, ad suum collegium admisit, & collati Sacerdotii possessionem eidem tradidit. Jus suum Episcopale violatum, & vindicandum censuit Benedictus; propter eaque tum Demetrium, qui in alteram jurisdictionem invaserat, tum Canonicos, qui Archidiaconum non legitime creatum receperant, anathemate feriit. Hoc vinculo Canonicos illigatos fere biennium permansisse tradit Paullus Ritterus, neque ante mortem Uladislavi exsolutos fuisse; quos Abbas Lansztrossensis, ut auctor est idem Ritterus, ex potestate sibi a summo Pontifice delegata, omni culpa & pœna liberavit. Porro Canonici, metu amoto, quem illis severa Uladislavi mandata incusserant, communi consensu Benedictum Episcopum receperant; eique ad suam Ecclesiam accessus patuit, quamvis ab Demetrio tum fere omnis nobilitas Slavonica, tum multi viri Ecclesiastici primarii starent. Benedictus Canonicos, quos initio ab se aversos reperit, quibuscumque potuit beneficiis sibi conciliare studuit. Potestatem condendi testamenti, & bona undecumque acquisita, cui vellent legandi, & relinquendi jam inde antiquitus a Canonicis usurpatam, & superiorum Antistitum auctoritate firmatam, ipse quoque diplomate amplissimo confirmavit.

stat ne Benedictus tranquillo Episcopatum obtineat.

Benedictus Demetrium ob jus in diœcesi Zagrabien. usurpatum anathemate ferit.

Canonicis Zagrabiensibus potestatem testamenti condendi confirmat diplomate amplissimo.

Benedictus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis. Universis & singulis Christi fidelibus præsentibus, & futuris harum litterarum nostrarum notitiam habituris salutem, & cælestium gratiarum continuum incrementum, ad perpetuamque rei memoriam. Pastoralis cura cui innitimur ex alto, & nostri officii debita sollicitudo, qua insignimur immeriti, ad illa potissime animo exercenda vigilanti nos attendere satagit, per quæ commune bonum respublica, & cultus divini officii augeri in Ecclesia Dei, ac devotio jugiter Deo famulantium in eadem vehementius, & indefesse provocari valeat, & accendi. Etsi singulorum nobis subjectorum commodo, quin & provisioni intendimus; erga tamen fratrum nostrorum quietem, quos nimirum ampliori & sinceriori complectimur affectu, curam etiam debemus impendere sollicitiorem ut

Digitized by Google

ipsi uberius beneficiorum donis, & libertatum privilegiis fulcitos se ipsos sentiant, securitatis compotes, eo nostræ præsidio plenitudinis vivant quietius, & placabilem hostiam pro nostra, vivorumque & mortuorum salute omnium offerre possint Creatori. Nam cum eorum onera excutimus, dum scandala removemus, nos in eorum quiete quiescimus, & utique fovemur in pace. Et cum nullus vix modernis temporibus sit, qui libertatibus Ecclesiasticis, & personarum tuitionibus, quas ordo clericalis includit, se murum defensionis opponat; sane nobis hodie per ipsos Venerabiles viros Dom. fratres nostros amantissimos, videlicet Præpositum Lectorem, Cantorem, Archidiaconos, Custodem, & singulos & universos Canonicos dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis humiliter, & devote exposito, quod cum ipsi communiter, & divisim, prout ipsorum prædecessores semper a fundatione primæva dictæ Ecclesiæ Zagrab. habuissent, prout hodie haberent de stylo, more, consuetudine, & observantia diu, & legitime præscripta, ac alias hus usque inviolabiliter, & inconcusse per quoslibet Rev. Patres Episcopos Zagrab. prælatos ipsorum, nostros videlicet prædecessores, etiam a tanto tempore, cujus contrarii seu . . . memoria hominum non existeret, observatis; videlicet, quæ ipsis & aliis quibusvis personis ecclesiasticis, a jure communi forent indulta, de quibuslibet bonis ipsorum, ac rebus immobilibus tam videlicet de ipsorum beneficiis hujusmodi, quam alio quocumque modo, & undecumque acquisitis, plenam, & omnimodam testandi, legandi, & in . . . quibus, quomodo, & cuicumque vellent, ac disponendi potestatem pro suæ libito voluntatis . . . Quam quidem consuetudinis, & præscriptionis legem, seu observantiam, plurimorum nostrorum prædecessorum, signanter b. m. Dominorum Eberhardi, Joannis, Paulli, Stephani & Antonii Episcoporum, sive Præsulum condam Zagrabiensium, litterarum testimoniis ibidem specie tenus coram nobis exhibitarum approbabant fore confirmatam, supplicantes nobis humiliter & devote quatenus nos etiam hujusmodi ipsorum petitionibus paternaliter inclinati, quin ex ipsorum nostrorum prædecessorum litterarum tenoribus (quas hic pro sufficienter expressis, & præsentibus præinsertis, habere volumus, & habemus, quibus etiam absque exhibitione ipsarum priorum litterarum, de quibus supra fit mentio, semper & ubicumque fidem adhiberi volumus & declaramus) comperimus clare dictam consuetudinem testandi fore, fuisse, & esse ab antiquo, de stilo, more, & observantia ejusdem nostræ Zagrab. Ecclesiæ ita per omnia tentam & observatam, ac modo præhabito legitime præscriptam, & per antefatos prædecessores nostros confirmatam, omniaque alia & singula ipsorum narrata veritate fulciri; Ideo nos ex certa scientia nostra, & animo deliberato, præfatam ipsorum fratrum nostrorum, & aliarum ipsius Ecclesiæ nostræ personarum laudabilem consuetudinem, ratam & gratam habentes & approbantes præsentis scripti stabilimento confirmamus; & iisdem singulis singulariter, & eorum cuilibet, auctoritate nostra ordinaria, qua fungimur, & si necesse foret; denuo & novæ nostræ concessionis titulo, de gratia speciali damus, & concedimus irrevocabiliter de singulis eorum bonis, sive de beneficiis eorumdem, sive alias qualicumque modo acquisitis, & habitis, eisque & eorum cuilibet a Deo collatis, mobilibus, videlicet & immobilibus, in vita pariter, & in morte, tam a jure, quam ab homine concessam testandi, & testamentum, seu ultimam voluntatem faciendi, & condendi, juxta ipsorum libitum voluntatis, plenariam & omnimodam potestatis facultatem: singulas litteras prædecessorum nostrorum prædictorum, & quavis alia ipsorum monumenta, quoad omnes & singulas ipsorum clausulas, continentias ac tenores, in his, & super his qualitercumque factis, expresse & ex vera scientia innovantes, in perpetuum valituras confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio litterarum, sigilli nostri appensione roboratarum. Dat. Zagrabiæ in palatio nostro Episcopali solitæ nostræ habitationis, in festo Circumcisionis Domini anno ejusdem 1446.

Interea dum Benedictus Ecclesiam Zagrabiensem regebat, Demetrius, sede sua Tininiensi relicta, Varadini, quæ civitas est Hungariæ trans Danubium in Comitatu Bihariensi, apud Vitezium illius urbis Episcopum commorabatur; omnique studio atque opera enitebatur, ut Episcopatu Zagrabiensi potiretur; nec regimen Benedicti quietum & pacatum esse sinebat. Cum uterque suos fautores haberet viros principes tum Hungariæ, tum Slavoniæ, erat veluti quoddam civile dissidium, cum alii pro Benedicto, alii pro Demetrio constantissime starent, neutrique alteris cedere vellent. Hinc turbata divisaque duos in partes Ecclesia Zagrabiensis, in tanta animorum inter se dissidentium concertatione, tum in suis bonis ac proventibus, tum vero in iis, quæ ad religionem ac disciplinam pertinent, plurimum detrimenti accipiebat. Demetrii patrocinium multi Dynastæ, & præsertim Joannes Hunniades regni administrator, & Joannes Vitezius Episcopus Varadinensis susceperat. Utriusque litteræ commendatitiæ, ad Eugenium IV., & Nicolaum V. extant in collectione Scriptorum Hungaricorum: cujus titulus est: *Scriptores rerum Hungaricarum veteres ac genuini partim nunc primum ex tenebris eruti, partim antehac quidem editi, nunc vero ex Mss. codicibus, & rarissimis Editionibus Bibliothecæ Augustæ Vindobonensis ab innumeris mendis vindicati, cura & studio Joannis Georgii Schwandtner Austriaci Staldelkirchensis. Impensis Paulli Kraus Bibliopolæ Vindobonensis* 1746. Has, quas dixi, epistolas Tomo II. P. I. insertas *Joannes de Zvedna* conscripsit nomine illorum, quorum jussu elucubratæ sunt: de quo Scriptore Michael Belius in præfatione generali ad Partem I. Tomi 2. hæc tradit: *Zvednam ipsus se dicit, sed ex ipso cognominis vocabulo assequi licet, qua gente sit, nempe Slavus aut Croata. Siquidem Svedna eorum lingua mediocre, seu medium significat. Fuit cancellariæ regis Hungariæ protonotarius, seu secretariorum, quos vocant, cancellariæ regiæ primus & summus; non autem inter eos protonotarios accensendus est; quod vulgo id nominis gerant, & cum Palatino regni Hungariæ, tum judici curiæ regiæ, atque Præsentiæ personalis regiæ in judiciis Locumtenenti, hodie attribuuntur.* Epistolas omnes aut pleras que Joannis de Svedna Paullus de Ivanich in unum codicem collegit, ut idem Belius testatur: *Paullus de Ivanich diœceseos Zagrabiensis presbyter, & altaris S. Paulli Varadiensis rector, olim cancellariæ itidem regiæ notarius, rogatu alterius Paulli Archidiaconi collegit, atque in ordinem, quo sunt typis editæ, redegit,* Schisma Zagrabiense.

audi-

Digitized by Google

auctore ipso annuente, ut testatur Ivanichius in præfat. ad eumdem Paullum Archidiaconum. Codex iste, pergamenæ inauratus, ut docet Belius, forma quadripartita longiori, foliorum omnino 66. est, numero 531. inter historicos profanos bibliothecæ Augustæ Vindobonensis, & ipsissimus videtur esse ab Ivanichio exaratus; quem deinde Joannes Faber Episcopus Viennensis anno 1630. dono dedit bibliothecæ; hoc autem conjici potest ex anteriori codicis integumento, cui & Fabri nomen, & dictus annus chartulæ typis impressus agglutinatus est. Huic codici præfixus est titulus hujusmodi: *Litteræ Joannis de Svedna cancellariæ regis Hungariæ olim protonotarii in diversis negotiis, statum publicum regni concernentibus ab an. Christi 1445. ad an. 1455. Gubernatoris nec non prælatorum hujus regni nomine exaratæ.* Idem Ivanichius ad marginem notas quasdam apposuit, ut ipsemet testatur in utraque sua ad Paullum Archidiaconum epistola; utraque data est Varadini, altera prid. Id. Jan. an. 1451. & præposita, altera XVII. Kal. Jan. eodem anno, & subjecta est Collectioni earundem litterarum. Notas Ivanichii ad finem cujusque epistolæ nostris animadversionibus intermistas adjiciemus. His itidem notis, & epistolis quædam alia interseremus, ut temporum ordines serventur. Epistolis eumdem numerum adscripsimus, quo signatæ sunt in codice Ivanichiano.

EPISTOLA XXII.

Ex parte Domini Joannis Gubernatoris ad Dominum Eugenium Papam responsalis.

Eugenius suis ad Joannem litteris eis gratulatus fuerat tum de administratione regni Hungariæ eidem collata, tum de rebus præclare contra Turcas & prospere gestis, hortatusque ad egregia cœpta persequenda; insuper petierat ut de Ecclesia Zagrabiensi, itemque Agriensi quid suæ sententiæ sit, & sui consilii, rescribat. Joannes post actas gratias ad postulata Pontificis respondet.

Beatissime Pater.

Epistola Joannis Hunniadis ad Eugenium IV.

Magna mihi opera opus est, ut digne assurgere valeam ad agendas gratias Beatitudini vestræ, quæ ex benignitate solita, rebus & successibus meis jam sæpenumero collætari dignum duxit, ea quoque in meliorem semper spei partem interpretari, quæ plus oneris mihi, quam honoris quidcumque, idest afferunt, subducant. Id genere genus ipsi Beatitudini vestræ, & nunc maxime ampliare placuit, quandoquidem imposi-
1. *tum mihi Gubernatoris (1) pondus, favoris po-*
2 *tius esse, quam curæ congratulando (2) arbi-*
trata est; quamquam non dubitaverit altis meis laborum æmulis, hoc munere altiores accessisse
3 *&c. (3).* Et infra: *Pronus autem animus est; & voluntas non impar ad exequenda ea, quæ Beatitudo vestra hortatur. Pulchra jam unionis, &*
4 *(4) concordie fundamenta, dono Domini, jacta sunt, restaret superædificare pacem, quæ sola & prima virium populi Christiani auctrix esse potest, adversus infidelium insultus propellendos; sed quia, Pater Beatissime, ipsa pax nostra communis adhuc impugnari conspicitur; ecce ad ar-*
5 *ma (5) manum mittimus, quæ, ut Beatitudo vestra justissima esse non dubitat, in aliis litte-*
ris (6) meis, de voluntate Dominorum Prælatorum, & Baronum datis, declarare institui. 6

Ceterum in facto Zagrabiensis Ecclesiæ, quæ
multis jam annorum spatiis (7) male tractata 7
vastatur, notificat suis litteris Beatitudo vestra
contraria (8) a me scripta accepisse; in quo 8
quidem facto votis meis clementer deferre volens, certiorari petit de mente, & intentione mea, ut tandem provisio ipsius Ecclesiæ tranquilla ordinatione maneret. Contrarietas ista, vel potius varietas, Pater Beatissime, solvi faciliter potest quoniam intentio, & voluntas mea favor, & promotio quo ad præfatam Ecclesiam, quantum in me est, immutabilis stetit, ac instat pro persona Rever. Patris Dom. Demetrii Chupor Episcopi Tininiensis, quem certe & vita, & genere, sublevandis dictæ Ecclesiæ oneribus aptum, semper reputavi.

Verum de facto (9) Agriensis Ecclesiæ longe 9
aliter consiteri habeo (10), cum expresse me- 10
minerim varietatem illam variis modis accidisse, quæ quidem, si Beatitudinis vestræ animum turbaverit, æquanimiter nobiscum pati dignetur; ea enim tunc erat conditio temporis illius, quod plura poterat extorquere importunitas, quam mera voluntas præstare. Non de facili patiebatur subigi cervix insueta paci, discordiæ assueta, opus erat alios terrore, alios favore subducere. Prima adhuc ponebantur concordiæ initia, fervebat ambitio, unusquisque augere cupiebat propria, qui cogebatur aliena relinquere; sicque contingit sæpius, præsertim necessitate facti, in una eademque re, & illi præstitisse favorem, & alteri non negasse; non quidem instabilitate nostra, sed ut minori inconvenienti majora tegeremus tamdiu, donec paullatim dono Domini subintraret judicium, quo deliberatione magis solida decernere possimus quid unicuique rectius opportune expediet.

Mira certe res, & divino digna munere, cedunt arma, longo nutrita tempore, silent bella
intestina, frænantur diffidia, concordia (11) pe- 11
detentim reducitur; sola forensium (12) adhuc 12
insultatorum sævitia minas exaggerat. Ego vero etsi ista eo modo jam stare conspiciam, minus tamen sperare poteram tam cito futuram mutationem (13) hanc dexteræ Excelsi, & ob hoc et-
iam, importunitatibus aliquorum resistere tunc 13
accomodum non satis putavi, exoptans finaliter favore furorem collidere. Sic igitur loquendo apertius, duæ certabant partes pro Ecclesia Agriensi memorata, utraque allegato juri confisa; adhærentia cuique grandis erat. Petebat una sibi favorem dari, alteraque pariter non negari, satius ergo visum est, petita ipsa, quam diffidia, admittere, quoad usque, ut præmisi, ad ulteriora discretio dari posset. Quam ob rem, si excusationi locus est, supplico Beatitudini vestræ, ut his præmissis considerationibus, immo potius necessitate, pensatis, neque sibi ex his scriptis contrariis turbationem, nec nobis notam ingerat: quoniam deinceps, quantumcumque observari poterit, deliberatum est, ut simili varietate Sanctitatis vestræ aures, & animus non turbetur, quo equidem pacto, quantum est ad præscriptam Ecclesiam Zagrabiensem intentionem confirmans, his scriptis Sanctitati vestræ iterato devotius sup-
plico, quatenus juxta priora scripta (14) mea, 14
ipsi Zagrabiensi Ecclesiæ, de persona memorati Domini Demetrii Episcopi providere non differat, quem cum mero affectu diligamus, meritis suis statum æquare optaremus; quem etiam vita, conver-

ver-

Digitized by Google

versatione, peritia, & regendi facultate, ipsi Ecclesiae aptum, & idoneum judicavimus. Data die 17. mensis Octobr. anno Dom. MCCCCXLVI.

Notae.

(1) Ladislavo filio Alberti posthumo quinquenni absente, post caedem Uladislavi, rege Hungarorum electo an. 1445., administratio regni Hungarici in comitiis generalibus demandata fuerat Joanni Corvino Hunniadi.

(2) *Scripserat enim sibi ipsi Dominus Apostolicus litteras super hac re.* Ivanichius.

(3) *Plura enim addita erant in minuta: sed quia corrupta fuerant, praetermissa sunt.* Ivanich.

(4) Sublato Uladislavo, Hungari omnes una mente atque animo regnum Ladislavo detulerant. Ita concordia intestina & domestica jam constituta erat; huic vero accedere oportebat pax cum hostibus extraneis.

(5) *Scilicet contra regem Romanorum praedictum.* Ivan. Fridericus rex Romanorum & imperator, ad quem Elisabetha vidua Alberti post obitum mariti cum Ladislavo recenter nato, & cum sacra corona confugerat an. 1440. nec Ladislavum dimittere, nec sacrum diadema restituere volebat; utriusque repetendi caussa, arma sumenda erant.

(6) Antea siquidem de bello cum Germanis, itemque de Zagrabiensi Ecclesia, ut hac extrema epistola innuit, ad Eugenium scripserat.

(7) *Quia post obitum q. D. Joannis Episcopi Zagrabiensis, qui mortuus est anno Dom. 1433. ipsa Ecclesia continue per saeculares manus occupata, & vexata fuit.* Ivanichius.

(8) *Erant enim duo competitores pro ea, sed D. Gubernator plus favebat D. Demetrio.* Ivanichius. Hoc tamen inter utrumque intererat, quod Benedictus ex auctoritate Sedis Apostolicae erat jam in possessione Sedis Zagrabiensis; nec competitor, sed possessor appellari debuerat. Porro alii aliter, atque Hunniades scripserat, statum Ecclesiae Zagrabiensis Pontifici exposuerant; & de Benedicto, ac Demetrio alii aliud scripserant.

(9) Haec ad rem nostram non pertinent.

(10) *Quia pro ista specialiter contraria scripta pro duabus partibus contendentibus miserat, ex caussa, prout infra declarat: quarum partium una erat Dom. Ladislaus de Hedrehwaar, tunc Abbas S. Martini sacri montis Pannoniae, cui adhaerebat D. Laurentius Palatinus Hungariae; & Domini de Zozgon, sed & alii Domini dioeceseos Agriensis; altera vero pars erat Dominus Thomas de Debrenthe praepositus Vesprimiensis, cui adhaerebat Dominus Nicolaus de Vylak Wayvoda cum pluribus aliis Dominis.* Ivanichius.

(11) Post mortem Uladislavi Hungaria tota, ad Ladislavum posthumum Alberti filium conversa, eum sibi in regem elegerat.

(12) *Scilicet ex parte regis Romanorum, ac caeterorum Bohemorum.* Ivanichius. Vocantur *Forenses* quia hostes non intestini sed extranei erant. Fridericus rex Romanorum tum Ladislavum, tum sacrum diadema Hungaris restituere abnuebat. Ei Joannes Hunniades anno proximo 1447. bellum intulit; & quamvis Carinthiam & Styriam late vastasset, tamen compellere non potuit ut vel utrumque, vel alterutrum redderet. Alteri hostes extranei erant in Bohemia, quae tunc ad regnum Hungariae pertinebat. Multi siquidem in ea regione, Joanne Zizkra auctore potissimum ac duce, tumultuabantur, & latrociniis, incendiis, rapinis varias ejus regni partes depopulabantur.

(13) *Quia mox post Congregationem generalem supra tactam, Hungari prius discordantes, ita fuerant uniti, ut nulla inter eos publica partialitas appareret.* Ivanichius.

(14) Antea siquidem suis ad Pontificem litteris Demetrium commendaverat. Id autem petebat opinor, ut Benedicto ad aliam Ecclesiam translato, huic in sedem Zagrabiensem illum subrogaret.

Valuit apud Eugenium commendatio Joannis Hunniadis; & sublato vinculo, quo Demetrius alligatus erat Ecclesiae Tininiensi, eum Ecclesiae Zagrabiensis Episcopum renunciavit; hujusque rei auctores sunt sane idonei tum Joannes Hunniades in sua ad Nicolaum proximum Eugenii successorem epistola, tum Paullus Ivanichius in suis notis ad epistolam Varadinensis Episcopi, quam infra describimus. Eugenius non poterat Ecclesiam Zagrabiensem Demetrio decernere, nisi antea ab ejus regimine Benedictum amoveret. Is certe legitimus erat Ecclesiae Episcopus; & quidem ipsemet Eugenius, ut supra dictum est, hanc illi Ecclesiam contulerat; sedemque illam ex auctoritate Sedis Apostolicae obtinuerat; siquidem in suis litteris se *Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopum Zagrabiensem* nominat. Itaque Pontifex permutationem Ecclesiarum alterum cum altero facere, & Benedictum ad Tininiensem, Demetrium ad Zagrabiensem Ecclesiam migrare jussit; idque intelligi potest ex litteris Episcopi Varadinensis ad Nicolaum V. Verum Benedictus nullo modo adduci potuit, ut permutationi tam inaequali, suaeque translationi assensum praeberet. Nec vero Demetrius antea Episcopatum Zagrabiensem assequi potuit, quam tum Benedictus, tum proximus post Benedictum Episcopus Zagrabiae de vita decederet. Anno 1447. Eugenius diem obiit VII. Kalend. Martii, eique in cathedram Romanam Nicolaus quintus hoc nomine successit.

Eugenius Papa Benedictum a Tininiensi ad Zagrabiensem, Demetrium ad hanc ab illa transtulit,

Pontificiae translationi Benedictus assentiri noluit.

Cum Matko sive Matthias de Talloucz Gubernator Episcopatus Zagrabiensis, idemque Banus Chrobatiae & Dalmatiae in praelio Varmensi occubuisset, Benedictus de consensu Capituli gubernationem Episcopatus & Ecclesiae ad Fridericum & Ulricum Comites Ciliae detulit, Dynastas opibus & copiis praepollentes, Banos Slavoniae, quibus & facultas erat, & auctoritas tuendi, & recuperandi bona Ecclesiastica, quae illis temporibus, perinde ac si praedae & rapinae proposita fuissent, passim diripi ac distrahi solebant. Nec defuit illis occasio iniquos & violentos raptores coercendi. Cum Canonici Zagrabienses Benedictum pro legitimo Episcopo haberent, & summa observantia & benevolentia colerent, prorsusque alieni essent a Demetrio, hujus fratres Gaspar, & Martinus, injuriam sibi fratrique fieri existimantes, tum in alias possessiones mensae Capitularis invaserunt, tum vero suam, olim civitatem nobilissimam, tunc exiguum oppidulum, quod ad jus ditionemque Capituli pertinebat, armata manu adorti occuparunt, & direptis, eversis, incensis aedibus, foedum in modum vastarunt. Fridericus & Ulricus, pro suo munere, ad defensionem Ecclesiae praesto fuerunt, fratresque illos,

Fridericus & Ulricus Comites Ciliae post interitum Matkonis Gubernatoris Episcopatus Zagrab.

Digitized by Google

illos, quæ rapuerant, restituere, & quæ intulerant, damna resarcire coegerunt. Sub idem tempus, seu vere, seu falso nunciatum est, procuratores ab Demetrio Romam adiisse, qui Nicolao V. Pontifici significarent Canonicos Zagrabienses mire cupidos Demetrii esse; idque constare ex illorum ad hunc litteris, in quibus ejusdem Demetrii ad Ecclesiam Zagrabiensem, ex decreto Eugenii, translationem summopere approbabant. Id nuncianti cum fides habita esset, statim Canonici de fraude ac dolo Pontificem admonendum censuerunt, & communi ad eum epistola procuratores illos Demetrii falsitatis, vel etiam mendacii accusarunt; falsam illam approbationem, falsas illas litteras; vel si quæ hujusmodi litteræ extarent, eas confictas, & nomini Canonicorum suppositas fuisse; tantum enim aberat, ut Demetrium suum esse Episcopum cuperent, ut potius ab illo summopere abhorrerent propter damna, & injurias ab ejus fratribus Capitulo illatas. Contra vero Benedictum summis laudibus efferunt, orantque Pontificem, ut translationem illam abrogare velit, & suum Ecclesiæ Zagrabiensi pastorem, bonum ac perutilem relinquere. Epistola Capituli Zagrabiensis ad Nicolaum ex codice Ms. Capituli descripta est hujusmodi.

Canonici Zagrab. Nicolaum Papam falsis litteris deceptum fuisse docent, rogantque ut suum sibi Episcopum Benedictum relinquat.

Beatissime Pater, & clementissime Domine.

Post humilem nostram recommendationem, sinceritatis & devotionis affectu, ad oscula Sanctitatis vestræ pedum beatorum accedentes, Sanctitati vestræ humiliter significamus præsentium per tenorem, quod multorum relatione didicimus, quomodo Reverendus in Christo Pater D. Demetrius Chupor, Tininniensis Ecclesiæ Episcopus, nuper per certos suos nuncios, & procuratores in Romana curia, in præsentia Sanctitatis vestræ, nec non collegii Cardinalium ejusdem S. V. in eo gloriatus extitisset, quod nos eidem litteras nostras super consensu, & assensu translationis de sua Ecclesia Tininniensi ad Ecclesiam Zagrabiensem fiendæ, nostro sub sigillo dedissemus. Scire dignetur B. V. gratiosa, quod nos nec sub nostro sigillo majori, sive minori, neque scripto vel facto ad hujusmodi translationem fiendam, nullo tempore nostrum consensum ad scitum nostrum præbuimus, pariter & assensum. Quod & si forsitan aliqua littera, aut litteræ, quod non credimus, sub sigillo apud commissarios felicis recordationis Eugenii Papæ in eadem caussa reperiuntur, ex tunc dicimus, quod talis littera, aut litteræ fuerunt, & sunt falsæ, nec de scitu nostro, ac voluntate nostra emanatæ. Quia Beatiss. Pater scimus D. Benedictum Episcopum nostrum virum doctum, & benemeritum esse, & fuisse; (est enim artium liberalium magister, & Sacræ Theologiæ Doctor formatus) ad regimen prædictæ Ecclesiæ optimum, & utilem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus sufficientem, qui ipsam Ecclesiam plurimis annis rexit, & utiliter gubernavit. Ideo Pater Sanctissime eidem Sanctitati vestræ supplicamus humiliter & devote, quatenus divinæ retributionis intuitu, eadem S. V. velit viam & modum cogitare, ut prædicta translatione mutata, præfatus D. Benedictus, prælatus noster in honoribus suis pristinis apud Ecclesiam Zagrabiensem conservetur, & nobis restituatur, quem præsentem per paginam expetimus, quantum de jure possumus, quia nostrum interest habere bonum & utilem pastorem. Pro quibus S. V. nos habebit pro salute, & longæva B. V. prosperitate humillimos exoratores; quam Altissimus feliciter conservare dignetur, ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, & universalis status Christianitatis unionem optatam. Dat. die Veneris xx. mensis Maii. Anno Domini 1447.

Oratores & Capellani Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis.

Mihi sane non fit verisimile Demetrium tam impudentem fuisse ut apud Pontificem mentiri vellet; cum falsitatis, ac mendacii tam facile coargui & convinci posset. Facilius crediderim Canonicos fuisse deceptos delatione nunciorum, qui vera quidem de procuratoribus ab Demetrio Romam missis retulerint, sed ex fama & auditione, sine auctore satis certo, de Capitulari ad Demetrium epistola, quæ non dixerant, ac ne cogitaverant quidem, illis affinxerint.

Apud novum Pontificem Nicolaum Demetrius, ut quod cupiebat assequeretur, usus est opera tum Vitezii Episcopi Varadinensis, apud quem familiariter hospitabatur, tum Natalis Episcopi Nonensis, quocum ei vetus necessitudo intercesserat. Ad hunc igitur suum Internuncium misit cum litteris commendatitiis Vitezii; caput autem litterarum, dignum esse Demetrium, eximium Natalis cultorem, ejusque insignium virtutum testem ac laudatorem, quem Natalis sua gratia, & suo patrocinio foveat; quidquid ejus caussa vel jam egit, scilicet apud Pontificem, vel postea egerit, in loco haud vulgaris beneficii se habere, & habiturum esse ait Vitezius.

Demetrius ab Episcopo Varadinensi litteras commendatitias ad Natalem Nonen. Episc. impetrat, cujus apud Pontificem gratia Ep. Zagrabien. se consequi posse confidit.

EPISTOLA XIX.

Ex parte Episcopi Varadiensis ad Dominum Natalem (1) Episcopum Nonensem in Dal- 1
matia Doctorem Theologiæ.

Reverende Pater.

Dignam eo munere crediderim Paternitatem tuam, ut virtute ac integritate sua plurimorum sibi animos conciliet, quandoquidem egregia fama dignitatis tuæ laudem tibi reddere prius, quam acquirere idonea videatur. Cujus sane rei Venerabilem & præconem, & testem in sinu habere sane lætor, Rever. Dominum meum Deme-
trium (2) Episcopum Zagabriensem, qui vel bo- 2
ram quidem vix unam, tui memoria, tui laude, tui denique illustratione vacuam transire patitur; simul me quoque prolicit assidue, ut in regionem tuæ benevolentiæ, tuæque dilectionis commigrare non omitterem. Consensi libens adhortanti ultro cupidum: verum merita prius, quam scripta cum Paternitate tua communicare
satius ducebam. Nihilominus ne (3) nuncio huic 3
omnino tacitus abessem, institui eumdem orientis hujus notitiæ indicem esse, scriptisque & honore prævenire volui, quam præveniri. Accipiat itaque, velim, Paternitas tua affectum hunc sincero manasse pectore, non pigeatque temporis, quod deinceps duorum, pro uno, Episcoporum Pater appellari digneris. Tuum erit futuræ benevolentiæ spem gravidam gerere, nobis vero vegetare eam jus fasque instat, ita ut merito impressa prius, quam onerosa mutua ipsa dilectio videatur. Hæc, ut ita proloquar, affectus ipse meus, & tua humanitas me subigit. Enimvero, si umquam provinciam tuam intueri licebit, amplio-

Digitized by Google

pliora honori tuo exhibere, quam eloqui, in animo est.

Ceterum explicare poterit hac vice is nuntius, quo pacto, quove desiderio præfatum Patrem meum Dom. Zagrabiensem, & videam, & retineam; in cujus profecto factis & rebus, quidquid Paternitas tua (4) egit hactenus cordialissime, ut audio, agetque, par mihi cum eo exinde editur obligatio. Nam id totum, quod sibi prosperum, quod utile, quod denique onerosum, vel ægre, idem mihi cum eo pariter dividue necesse est ut fiat. Regni nostri nondum omnino quietari turbines, & in ipsis nostris factis (5), quo minus placide expediantur, turbinem faciunt. Attamen speramus, ut Paternitatis tuæ opera, nostro etiam adnisu, ultro citroque ea expedita ex impedito reddantur. Valeat Paternitas tua feliciter. Ex Waradino xx. mensis Decembris. Anno Dom. MCCCCXLVII.

Notæ.

(1) Natalis e Veneta Patritia Geo-giorum familia, Ecclesiam Nonensem gubernavit ab anno 1440. usque ad an. 1463.

(2) *Ille Dominus Demetrius Czupor prius Episcopus Tininiensis, translatus fuit per Dominum Eugenium Papam ad Ecclesiam Zagrabiensem; sed usque hoc tempus possessionem ejusdem habere nequivit de manibus Comitum Ciliæ* (idest Friderici & Ulrici Gubernatorum Episcopatus Zagrabiensis), *qui ejus castra conservant; & hoc tempore iste Dom. Demetrius stabat in Waradino apud Dom. Episcopum, amicum suum.* Ivanichius.

(3) *Scilicet quem ipse Demetrius Episcopus pro facto suo ad eum hoc tempore e Waradino mittebat.* Ivanichius.

(4) *Scilicet apud Sedem Apostolicam laborando.* Ivanichius.

(5) *Scilicet Domini Demetrii Episcopi.* Ivanichius: hujus videlicet caussa quibusdam veluti turbinibus dissidii civilis Slavonia agitata erat, cum alii Demetrio, alii Benedicto faverent.

Nicolaus translationem Demetrii ad Zagrab. Eccl. confirmavit; sed Benedictus repugnat. Nicolaus V. decretum Eugenii de translatione Demetrii ad Ecclesiam Zagrabiensem confirmavit, cum res hujus Ecclesiæ perturbatas & afflictas aliter componi, atque in pristinum statum redigi non posse, ex nunciis & litteris sibi allatis intelligeret. Verum Benedictus fautorum suorum, ac præsertim Comitum Ciliæ patrocinio nixus decretum atque imperium Pontificis constantissime abnuebat; neque enim e dignitate, neque sua esse putabat ab Ecclesia nobilissima atque opulentissima ad Tininiensem longe inferiorem decedere. Itaque Joannes Hunniades pro sua providentia, in omnes regni partes intenta, de infelici statu Ecclesiæ Zagrabiensis admonendum putavit summum Pontificem, rogandumque ut sua interposita auctoritate Benedictum loco cedere, & sedem suam Demetrio tradere juberet.

EPISTOLA XXXVI.

Ex parte Joannis Gubernatoris ad D. Nicolaum Papam pro facto Zagrabiensis Ecclesiæ.

Epistola Joannis Hunniadis ad Nicolaum V. pro Demetrio.

Beatissime Pater, & Domine metuendissime.

Non credo ignotum esse apud Beatitudinem vestram quot, quantæque turbationes (1) in regno hoc pro facto Zagrabiensis Ecclesiæ, ortæ traductæque sunt, pendentque adhuc, in altiora verisimiliter evasuræ, nisi de remedio opportuno per Sanctitatem vestram provisum extiterit, prout super his cum Reverendiss. Domino, & Patre nostro Juliano (2) Cardinali S. Angeli Sanctitatis vestræ Legato personaliter collocutus sum. Unde & nescire me fateor quorsum convertam culpam, quod translatio illa, quæ de persona Rever. Patris Dom. Demetrii Episcopi, primum per Dom. Eugenium facta, & deinde per Sanctitatem vestram (3) confirmata, effectum consequi non potuit, per quam credo tantis dissensionibus finem quandoque potuisset dari, præsertim cum in ea translatione libertati (4) hujus regni bene satisfactum fuerit. Sed quia & translatio ipsa, & provisio dictæ Ecclesiæ hactenus impedita stetit, regnum hoc notabilem patitur injuriam in ipsius Ecclesiæ turbationem, propter quam, ut præmisi, poterit verisimiliter major dissensio suboriri. Quocirca Beatitudini vestræ supplico humiliter quatenus dignetur caussam ejusdem Ecclesiæ diligenti cura in manus desumere, taliterque, omnibus litibus amputatis, providere, ut & præfati Dom. Demetrii Episcopi (5) jura, & regni hujus libertas offensa non videantur. Quod quidem faciendum magna præfatæ Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus ruina Beatitudinem vestram commonere poterit, cujus præsertim interest talibus defectibus sine personarum acceptione providere.

Data apud Villam Kowiny die VI. Septembris. Anno Domini MCCCCXLVIII.

Notæ.

(1) Ortæ videlicet e schismate Zagrabiensi, cum alii pro Benedicto, alii pro Demetrio infensis animis pugnarent, eoque res adducta videbatur, ut jam ad arma spectaret.

(2) Julianus Cæsarinus Cardinalis S. Angeli Legatus ab Eugenio in Hungariam missus, ante quadriennium cum rege Uladislavo in prælio Varmensi occubuerat. *Legatus* tamen *Nicolai* eam ob caussam dici poterat, quod Legatus erat ejusdem Sedis Apostolicæ, quam anno superiori Nicolaus obtinuerat. Joannes autem cum eo de turbis ac dissensionibus Zagrabiensibus, ante calamitatem Varmensem, collocutus fuerat.

(3) Quod Eugenius de Demetrio, quem ad sedem Zagrabiensem transtulerat, decrevit, idem Nicolaus, fortasse Natalis Episcopi Nonensis, vel aliorum litteris commendatitiis impulsus confirmavit.

(4) Ut aliorum Antistitum regni Hungariæ, sic Episcopi Zagrabiensis nominandi jus liberum sibi reges Hungariæ vindicabant; in eoque etiam sita erat *libertas regni* Hungariæ. Ac Demetrium quidem Uladislavus rex Hungariæ elegerat, Benedictum vero Eugenius, rogatu quidem Elisabethæ viduæ Alberti regis, & Co-

Digitized by Google

& Comitum Ciliæ, ſed pro ſua poteſtate ſuprema Epiſcopum Zagrabienſem creaverat.

(5) Quippe Demetrius ex legitima regis Uladislavi nominatione jus Epiſcopatus Zagrabienſis adipiſcendi acquiſierat; ac Demetrium eo potiri neceſſe erat, ne libertas regni læderetur.

Benedictus Eremitis Paullinis ampliſſimũ prædium donavit.

Dum hæc controverſia fervebat, Benedictus omnia, quæ Pontificis eſſent, & munia exercebat, & jura uſurpabat. Anno 1447. cœnobio Fratrum Eremitarum S. Paulli, ac templo B. Mariæ Virginis Remetenſis prædium ampliſſimum, & cultiſſimum, cui nomen *Alſonovak*, menſæ Epiſcopali detractum, de conſilio & approbatione Canonicorum donavit, hoc ſolum onere illis impoſito, ut ſexta quaque feria cujuslibet hebdomadæ pro ſe & ſucceſſoribus Epiſcopis, in honorem B. Catharinæ Martyris, quam præcipuo quodam cultu venerabatur, ſacrum facerent, ac præterea ſingulis annis, die feſto S. Martini tum ſibi, tum ceteris deinde Epiſcopis, nomine tributi, dimidium aureum penderent.

Tabulæ donationis.

Benedictus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Zagrabienſis, omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus, quam futuris præſentium notitiam habituris ſalutem in omnium Salvatore. Ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire; Quod nos attentis, & in arcano mentis noſtræ diligenter præmeditatis dictis S. Paulli Apoſtoli in epiſtola ſua exprimentis: qui parce ſeminat, parce & metit, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, ſcilicet vitam æternam: ſperantes etiam nos in die extremo vitæ noſtræ precibus devotis virorum religioſorum, quibus manus porrexerimus adjutrices, ante conſpectum divinæ majeſtatis poſſe adjuvari, & pro temporalibus bonis æternam percipere remunerationem; tum etiam ob ſpem, & devotionem noſtram, quam erga Beatiſſimam, & glorioſiſſimam Dei genitricem Virginem Mariam, advocatam noſtram glorioſiſſimam, in cujus honorem clauſtrum religioſorum Fratrum Eremitarum ordinis S. Paulli primi Eremitæ, in territorio Zagrabienſi prope Zagrabiam conſtructum exiſtit, & fundatum; & ad Sanctiſſimam Catharinam virginem, & martyrem ſimiliter advocatam noſtram ſpecialem gerimus, & habemus; quarum precibus nedum in præſenti vita, verum etiam in cæleſti hierarchia ſperamus confoveri; quamdam poſſeſſionem noſtram Alſonovak vocatam, in contigua vicinitate poſſeſſionis præfati clauſtri B. M. V. Fratrum Eremitarum ſimiliter Novak appellatæ penes fluvium Bliſnia nuncupatum, habitam, & exiſtentem, in qua pro nunc ſeptem Jobagiones, ſeu coloni reſidentiam facerent perſonalem, ad curiam noſtram, & ad menſam noſtram Epiſcopalem pertinentes, & ſpectantes, cum eiſdem poſſeſſionis, & ſeſſionum Jobagionalium utilitatibus, & pertinentiis univerſis, videlicet terris arabilibus, cultis, & incultis, agris, pratis, fænilibus, ſylvis, nemoribus, aquis, aquarum decurſibus, nec non aliis uſibus, utilitatibus, fructuoſitatibus, & pertinentiis ad eamdem poſſeſſionem, & ſeſſiones Jobagionales pertinere debentibus, nec non proventibus, obventionibus, & emolumentis, & decimis tam vini, quam etiam frugum, & bladorum in eadem poſſeſſione, ſeu in facie terræ ejuſdem poſſeſſionis dumtaxat exiſtentibus, de conſenſu honorabilium Dominorum Canonicorum de Capitulo Eccleſiæ noſtræ Zagrabienſis fratrum noſtrorum chariſſimorum, a curia, & menſa noſtra Epiſcopali penitus & omnino ſequeſtrando, ex certa noſtra ſcientia, & omni eo jure, quo noſtræ incumbit donationi, & collationi præfato clauſtro Beatæ Mariæ Virginis & per conſequens religioſis Fratribus Eremitis in eodem jugiter degentibus, & Deo famulantibus, ad laudem Dei Omnipotentis, & honorem Genitricis ejuſdem Virginis Mariæ glorioſæ, ac Sanctæ Catharinæ, totiuſque cæleſtis Curiæ, ob expiationem ſcelerum noſtrorum, ac remedium ſalutis noſtræ, & R.R. Dominorum Epiſcoporum ejuſdem Eccleſiæ ſucceſſorum noſtrorum pure propter Deum, & ex gratia noſtra ſpeciali, in perpetuam eleemoſynam, & memoriam dedimus, devovimus, & contulimus, immo damus, donamus, & conferimus jure perpetuo, & irrevocabiliter per idem clauſtrum, & Fratres Eremitas in eodem exiſtentes tenendam, habendam, & poſſidendam. Ita videlicet quod iſti Fratres in eodem clauſtro pro tempore exiſtentes, ſingulis futuris temporibus, & annis in qualibet ſeptimana, ſeu ſingulis hebdomadis qualibet feria tertia, unam Miſſam in cantu, aut lectura, ſeu voce ſubmiſſa, de S. Catharina pro noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Epiſcoporum ſalute, cum quinque collectis, prima videlicet de eadem S. Catharina, ſecunda de tempore, tertia de B. Maria Virgine, quarta pro Epiſcopis defunctis, & quinta pro pace, aut pro Epiſcopis vivis, in eodem clauſtro B. M. Virginis ſub pœna obedientiæ regulæ ipſorum dicere, perficere, & celebrare debeant, & ſint obligati. Et inſuper ſingulis annis futuris in feſto S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris Prior, aut Fratres in eodem clauſtro pro tempore conſtituti, de eadem poſſeſſione in ſignum Dominii pro medio floreno auri, de moneta pro tempore currente, nobis, & ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis videlicet Eccleſiæ noſtræ Zagrabienſis, dare debeant, & teneantur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes litteras noſtras ſub appenſione ſigillorum noſtri, & præfati Capituli prænotatæ Eccleſiæ noſtræ Zagrabienſis, eidem clauſtro, & Fratribus Eremitis in eodem Deo famulantibus duximus concedendas. Datum Zagrabiæ in Palatio ſolitæ noſtræ reſidentiæ. Feria quinta proxima poſt feſtum B. Gregorii Papæ, & Doctoris. Anno Domini 1447.

Prælium Hunniadis cum Turcis infelix.

Anno 1448. Joannes Hunniades ad Varnenſem ignominiam delendam, cladem que ulciſcendam, ingentem exercitum contra Turcas eduxit in Campum Merulæ, qui Raſciam & Bulgariam interjacet. Tribus diebus utrinque pugnatum eſt acerrime; tertia die penes Turcam victoria fuit; cæſaque parte magna procerum & nobilitatis Hungariæ, Chriſtianorum octo millia perierunt; quamvis longe plurium ſanguine & vulneribus ea Turcis victoria ſteterit. Nec viro animum deſpondit; eamque calamitatem, quam proſperæ res deinceps multæ conſecutæ ſunt, ſapienter ac fortiter tulit, & majores inde ſpiritus ſumpſit ad barbaros oppugnandos, ut ipſemet declarat in ſuis ad Stephanum Comitem Seniæ litteris Chriſtiano homine dignis, quæ inter veteres Scriptores rerum Hungaricarum Tomo II. inſertæ ſunt: *Ceterum*, inquit, *ad iterandam Chriſtianorum, & fidei defenſionem novam curam paramus, non pavidi ex ingrato caſu, nec deſperantes de adverſo principio; præſertim cum caſus ille non ſuſtulerit nobis animum, ſed acuerit, & minus certe fregit, quam* irri-

Digitized by Google

irritavit nostrum. Novimus enim belligerando, & inferre, & pati arma. Nostrum interest redivivæ spei, & vivacibus adhuc armis incumbere, eventus vero rerum cælesti judicio commendare; nam pro peccatis nostris minus est omne, quod patimur. Igitur eo ardentius fidentiusque assurgimus, quo magis edocti vidimus, quod superna animadversio non internecionem sapit, sed eruditionem. Huc adde tumultus, & seditiones Bohemicas, & optimatum, qui ejus gloriæ invidebant, occultas conspirationes, aliasque plurimas & molestissimas occupationes, quibus in administratione totius regni, tam varie diffusa ac difficili, Hunniades distineri & conflictari necesse erat. Verum in tanta curarum & negotiorum mole, partem aliquam suæ vigilantiæ & sollicitudinis in Ecclesiam Zagrabiensem derivavit; quamvis æque Episcopus, & Capitulum ab Demetrio sedis Zagrabiensis obtinendæ cupido, cui favebat Hunniades, alienos se ostenderent, ejusque cupiditati obstarent. Budæ cum esset, de tributis ac decimis Capitulo solvendis duo mandata severissima dedit, alterum *in festo Cathedræ S. Petri* ad magistratus oppidi *de Busiako*, alterum ad nobiles viros territorii *Klokocbensis*, quæ decimæ, inquit, *ex regum, ac reginarum indultis, ac sententialibus litteris Episcoporum Zagrabiensium & principum Friderici & Ulrici Ciliæ Comitum, Banorum Slavoniæ &c. Capitulo debentur*; illas sine fraude ac diminutione contribui jubet; nisi pareant, imperatum esse Banis, & Vicebanis, ut eos mulctæ & aliarum pœnarum irrogatione compellant.

Ecclesiæ Zagrabien. negotia curare non omisit.

Benedictus veritus ne cogeretur Ecclesiam Zagrab. dimittere, ad aliquam Ecclesiā Hungariæ cogitationem spemque convertit.

Cum Benedictus diffisus patrocinio Comitum Ciliæ & aliorum suorum fautorum, in quibus adversus supremam auctoritatem Gubernatoris totius regni, & præpotentes Dynastas alterius partis, quæ favebat Demetrio, satis præsidii sibi esse non putaret, præsertim post obitum Elisabethæ matris Ladislavi, ante paucos annos extinctæ, tandem consilium cepit Ecclesiæ Zagrabiensis dimittendæ, sive cum alia commutandæ. Ecclesia Tinniniensis, ad quam transeundi potestas facta illi fuerat per Eugenium Papam, parum arridebat; quod nobilitate atque opibus longe inferior erat, quam Zagrabiensis. Ad Ecclesias regni Hungariæ spectabat, & potissimum ad Vaciensem amplam & honorificam, vectigalibus haud sane contemnendis instructam, quam Episcopus vita functus per eos dies vacuam reliquerat. Rem commendavit Dionysio Archiepiscopo Strigoniensi, & Michaeli de Prævidia Præposito Ecclesiæ Posoniensis; utrique potestatem fecit hujus negotii nomine suo transigendi, & Ecclesiæ Zagrabiensis rite & secundum formulam juridicam commutandæ cum Vaciensi, vel cum alia qualibet regni Hungarici, siqua forte vacaret; quidquid vero ipsi in hujusmodi re conficienda agerent, & quoquo modo, & quibuscumque honestis ac licitis conditionibus transigerent, id ratum se habiturum, suaque plena approbatione confirmaturum. Michaeli autem Præposito Posoniensi facultatem dedit sumendi quadringentos aureos ex pecunia illa, quam cistella inclusam, suoque signo obsignatam apud cœnobiarcham monasterii Viennensis Sanctæ Mariæ *ad Scotos* deposuerat; ut inde suppeteret, unde sumptus fieri possent in scribas, acta forensia, aliaque hujusmodi, quæ ad id necessaria viderentur, seclusa tamen omni labe, vel suspicione simoniaca. Extat ejus de hac re mandatum apud Prayzium Tomo VI. Codicis epistolaris parte 3. pag. 317.

Facultas levandi certam summam pecuniæ depositæ, & Episcopatum Zagabriensem cum Vaciensi in Hungaria permutandi.

Ejus ad Michaelem Previdiam Præpositum Posoniensem mandatum.

Benedictus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagabriensis memoriæ commendamus, & tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis, quod nos damus, tribuimus, & irrevocabiliter tribuendo concedimus plenam, meram ac omnimodam potestatem & facultatem, venerabili & egregio viro Magistro Michaeli de Previdia, licentiato in Decretis, nec non Preposito Posoniensi, uti Fratri nostro Carissimo, & in secretissimis factis nostris nostro Spirituali amico, recipiendi, tollendi, levandi & accipiendi quadringentos florenos auri de florenis, quos in parva quadam ladula, sive cista, apud Venerabilem Patrem Dominum Martinum Abbatem Monasterii Beatæ Mariæ Virginis ad Scotos Wienne nos in presentia ejusdem Michaelis Magistri deposuimus, & conservari fecimus. Ipse quoque Dominus Abbas eosdem quadringentos florenos auri prenotato Magistro Michaeli mox visis presentibus sine omni mora & dilatione dare & assignare debet & teneatur, quos prefatus Magister Michael in factis nostris secretissimis & sibi bene notis, ac alias, ubi & quando opus fuerit, seu necessitas fuerit, prout sibi videbitur expediens, seu opportunum, exponere habebit. Damus etiam eidem Magistro Michaeli potestatem plenam atque facultatem, prefatam nostram cistam, seu ladulam in presentia dicti Domini Abbatis cum clave, seu sine clave aperiendi & eosdem quadringentos florenos ex ea recipiendi, & eandem vice versa claudendi & sigillo suo & prefati Domini Abbatis iterum sigillandi . . . & roborandi.

Insuper ut in aliis litteris nostris dedimus, ita & modo, & ad præsens damus, donamus & tribuimus plenam, meram & commodam potestatem & facultatem irrevocabiliter perpetuis temporibus in futurum Reverendissimo in Christo Patri & Domino Domino Dionisio, Sancte Romane Ecclesie Tituli sancti Ciriaci in Fermis Presbytero Cardinali necnon Archiepiscopo Ecclesie Strigoniensis, & prenotato Magistro Michaeli de Previdia Licentiato & Preposito Posoniensi Ecclesiam nostram Zagrabiensem, & Episcopatum nostrum Zagrabiensem in forma Juris solita & consueta, ex causa permutationis cum Ecclesia seu Episcopatu Vaciensi, aut alio Episcopatu in regno Hungarie habito & existenti resignandi, & ipsam Ecclesiam Vaciensem, seu alium Katedralem quamcumque in regno Hungarie predicto loco, & in persona nostra acceptandi, & possessionem tam temporalium, quam spiritualium accipiendi; necnon super hujusmodi permutatione fienda concordandi, componendi, laudandi, & in certa pecuniarum summa, modis tamen & formis licitis & honestis, concordandi, ac alias disponendi & faciendi secundum a Deo ipsis datam prudentiam, prout ipsis melius & convenientius videbitur expediens & opportunum. Et promittimus habere ratum & gratum perpetuis temporibus sub ypotheca omnium bonorum nostrorum mobilium & immobilium, omnia & singula in presenti nostra littera descripta. In cujus rei evidentiam presentem literam nostram cum subscriptione manus nostre pre-

Digitized by Google

proprie & secreti ac sigilli nostri munimine duximus roborandam & muniendam, ad robur & firmitatem perpetuam & perpetuum. Datum feria sexta proxima post diem Cinerum, in loco per nos infrascripto. Anno Domini millesimo, quadringentesimo, quadragesimo nono. Ego Benedictus de Zolio Episcopus Zagrabiensis, presenti littera sive chirografo manu mea propria conscripta, & signeto meo secreto annulari, necnon sigillo meo communi munita, & roborata, bona fide, sub juramento meo proprio, ac honore Sacerdotali, promitto, me obligo, & astringo habere ratum, gratum, firmum stabile irrevocabiliter ac irrefragabiliter perpetuis temporibus omnia & singula in presenti litera mea superius descripta, in omnibus suis punctis & articulis, omnemque ordinationem, dispositionem, obligationem & concordiam, seu arbitramenta, conclusionem, quam Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dom. Dionysius Sancte Romane Ecclesie Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, ac Venerabilis vir Magister Michael de Previdia Licentiatus in Decretis, Præpositus Posoniensis, inter me, & Reverendissimum Demetrium Chuppor seu alium quemcumque Episcopum, quo ad Episcopatum Zagrabiensem, & titulum ejusdem, bona, proventus & regimen sive administrationem fecerint, disposuerint, atque finaliter concluserint, pro nunc, sicut pro tunc irrevocabiliter, accepto, & ratifico, ac omnimode ratificabo, nullo unquam tempore directe vel indirecte volens hujusmodi dispositioni contravenire, vel contradicere. Scripsi in Iwanich possessione mea Episcopali, feria sexta proxima post diem Cinerum, Anno Domini millesimo quadringentesimo, quadragesimo nono.

Verum nescio quid caussæ obstiterit, quo minus Vaciensem sive alium Hungaricum Episcopatum Benedictus assequeretur. Itaque Ecclesiam Zagrabiensem retinuit. Nicolaus Pontifex, cum Joannis Hunniadis, tum aliorum litteris ac nunciis impulsus, ut mederetur incommodis Ecclesiæ Zagrabiensis, ejusque tranquillitati ac saluti consuleret, ne quid inconsulto decerneret, ageretve, de quibusdam rebus, quæ ad statum illius Ecclesiæ, & personam Benedicti pertinebant, certior fieri voluit ab Episcopo Varadinensi; eique per litteras imperavit, ut ad quædam sua postulata articulatim distincteque responderet. Episcopi responsio hæc fuit.

Nicolaus V. de statu Eccles. Zagr. & de persona Benedicti doceri se jubet ab Ep. Varadinensi.

EPISTOLA LXX.

Ex parte Episcopi Waradiensis ad D. Nicolaum Papam responsalis super quibusdam articulis de facto Ecclesiæ Zagrabiensis.

Beatissime Pater, & Domine metuendissime.

Episcopi Varadinensis responsio ad Nicolaum Papam.

Gestiendum mihi erat, & mei similibus prævertere curam ad impulsandas aures vestræ Beatitudinis, in ea re, in qua nunc eadem sponte sollicita, certam a me operam exquirit, in facto videlicet Ecclesiæ Zagrabiensis, de cujus statu & loqui, & tacere, æque ad utrumque compassio intercedit. Hæc enim est Ecclesia, Beatissime Pater, quæ, uti opinor, decimum septimum
1 *(1) jam annum fere viduam agens, nusquam*
2 *Pastorem recte (2) regem sortiri potuit, nullius inexperientiæ gravaminis, nullius denique in clero, & populo detrimenti, & incommodi exors, quæ privigna manus vel potuit inferre, vel voluit; & quæ olim, dum proprio & libero rectore curabatur, æquum magnificæ suæ doti statum, & locum gerebat; nunc vero scissa in-* 3
ter duos, (3) nec uno recte ac libere potiri valet. Nihil igitur in ea sorte, ad quam perducta est, de ejus statu vel dicendo, vel tacendo revolvi poterit, cui compati necesse non sit, quanto magis videre eam tam indignam orbitatem pati molestum esse debet, præsertim cum adhuc, & ad hos usque dies, gaudet in afflictam
sævire noverca (4) potestas. Placeat vel nunc 4
demum Deo nostro, & Beatitudini vestræ, misericordes ad eam oculos convertere, quæ profecto jam non parietum, sed animarum emulandam ruinam minatur, & cui omne jam tempus serum est evadendi de mediis malis. Ego vero postquam litteras Beatitudinis vestræ circa initia præsentis mensis Decembris accepi, omnem operam dedi, mihi hoc stricto tempore possibilem, ut mandato Sanctitatis vestræ satisfacere possem, reddereque quam efficacius expedita, quæ juxta interrogatoria & articulos cedulæ, ejusdem Sanctitatis vestræ litteris inclusæ, inquirenda & elicienda, ac demum referenda, & vestræ Sanctitati significanda erant. In qua re, quo minus plane scriberem, hoc mihi impedimento fuit, quod tempus ad respondendum breve, locumque ad inqui-
rendum (5) remotiorem habuerim; nihilominus, 5
quid, quantumque, & qualiter in ea re edoctus sim, edocerique hoc intervallo potuerim, si non plene, recte tamen Sanctitati vestræ significandum duxi.

Ad primum igitur articulum, qui formam hanc habebat: „& primum te informabis de præsenti „statu Ecclesiæ Zagrabiensis temporali & spiritua„li, ac de præterito tempore, quo Dom. Benedi„ctus fuit promotus, ac de scientia, vita, & „moribus ipsius.„ Id elicere & dicere possum in primis, quod præsens status ipsius Ecclesiæ temporalis, ut præfatus sum, profano regimini subjectus, premitur ac debilis est, ita ut si ad prio-
rem illum, in quo (6) ego quoque ante certa 6
tempora versatus sum, comparatus fuerit, videbitur profecto non parum mutatus faciem; spiritualis vero status ejus quam maxime neglectus
dicitur, utpote qui illibera (7) manu agitur, 7
magis, quam curatur. Ceterum de præterito tempore, quod idem Dominus Benedictus promotus fuit, quantum cum memoria confero, id quidem constat, quod promotio sua, eo ipso tempore, in
quo novissimi disturbii, ac feralis (8) dissensio- 8
nis regni hujus initia struebantur, coorta est; cui forte & ipsa tunc nascentis temporis qualitas, hanc, quem consecuta est, turbinem portendebat. Scissum erat regnum, simul & regni regimen, duo concurrebant, a duabus diversis par-
tibus pro ipsa Ecclesia obtinenda (6); demum 9
ad preces quondam Dominæ Elisabeth Reginæ nostræ, ac Dominorum Comitum Ciliæ, ipse Benedictus nomen quidem ac titulum Ecclesiæ obti-
nuit, verum quoad rem possidetur (10) magis, 10
quam possidet, magis etiam ex hac promotione diffidenti Ecclesiam ipsam illigavit potestati laicæ, quam (11) eripuit. Præterea de vita & mo-
ribus ejusdem, quo tenore nunc consistant, pa- 11
rum equidem certi astruere valeo; nam a promotionis suæ tempore nec loco, nec conversatione sibi proximus esse potui; de scientia vero clarius commendari potest. Noveram ipse hominem, dum in minoribus erat, pro more patriæ
nostræ in artibus liberalibus doctum; (12) nam 12
& Do-

& Doctorem artium, & bacelarium in sacra Theologia communiter eum appellant.

Sequitur alter articulus: an ipse Benedictus Ecclesiæ ante dicta bona & castra alienaverit. De alienatione aliqua, Beatissime Pater, mihi certe constare non potuit, cum numquam castra & bona dictæ Ecclesiæ libera manu habuerit, aut possederit; verumtamen, ut a fide dignis de ipsius Ecclesiæ corpore personis edoctus sum, castra ipsa, quantum in eo fuit, sub gravibus
13 *conditionibus in tanta pecuniæ summa (13) inscripsit, ut vix umquam compos esse possit in solvendo quo ab hoc onere Ecclesiam ipsam absolvere valeat; quamquam facile credam id, si quid in hac parte ab eo actum est, nequaquam*
14 *ex abundantia (14) cordis editum.*

Deinde tertio loco ponitur: quam ob caussam
15 *in (15) carceribus detentus sit, & quo tempore relaxatus. Caussam detentionis ejus nec scire, nec judicare recte potui; audivi tamen de ea varia dici; alii enim debita, prætextu inscriptio-*
16 *nis suæ, non soluta; alii (16) suspicionem pro caussa fuisse dicunt; item alii aliam. Sed nulla mihi tam sufficiens visa est, ut Episcopus ipse carceres mereretur, & eos, inquam, carceres, quibus addictus fuit; de qua altius Beatitudo vestra velim cognosceret, simul & de tempore captivitatis suæ, quod quidem post decimum sextum prope mensem finitum est.*

Post additum in cedula ipsa: quo pacto Co-
17 *mites Ciliæ castra tenent Ecclesiæ (17) antedictæ. Super hoc sane alio relatore opus est, qui de mente ipsorum Dominorum Comitum plura coram haberet: mihi vero in hac parte sufficere reor, si confiteor castra ipsa in gravamen Ecclesiæ ipsius detineri, eo nimirum pacto, ut nihil deferatur Ecclesiæ, modo & utinam non auferatur.*

Succedit nunc ad respondendum super eo: an ipse Dom. Demetrius translationi de se factæ ad Ecclesiam Tinniniensem acquiescere velit, vel umquam acquieverit. Et in hoc Beatissime Pater, opinio mea satisfacere nequaquam potest; quoniam res ipsa jam in id genus controversiæ deducta est, in quo de proprio actu plerumque in
18 *inficias (18) itur. Id tamen novi, quod ea tem-*
19 *pestate, qua quondam Dom. Julianus (19) Cardinalis S. Angeli in hoc regno Apostolicæ Sedis legatione fungebatur, quo quidem tempore quondam Matko Banus dictæ Ecclesiæ Gubernator etiam supervivebat, cum præfatus Dom. Benedi-*
20 *ctus quominus possessionem ipsius Ecclesiæ (20) assequeretur, rem desperatam videret, certis vicibus apud ipsos Dom. Legatum & Matkonem Banum, verba per litteras interposuit, per quæ de Zagrabiensi Ecclesia ad beneplacitum D. Demetrii Episcopi permutationem procurasse videbatur. Ex post vero si translationi de se factæ acquieverit, vel nunc acquiescere velit, super hoc certe efficax periculum habere non potui.*

Postremo ubi adjicitur: an ipsa Ecclesia incrementum susceptura sit ob translationem Demetrii, & si is gratus sit populo, cleroque? ego quidem de futuris eventibus parum definire valeo: verum hoc aperte conjicio nullum aptius incrementum Ecclesiæ ipsi vel deferri, vel constitui pos-
21 *se, quam reditum (21) in libertatem. Ceterum de persona ipsius Domini Demetrii, quantum de mente Domini Gubernatoris nunc sentio, quantum etiam a pluribus Dom. Prælatis & Baronibus regni, præterea de intentione Communitatis nobilium audivi, multo libentius hunc ipsum in assecutione dictæ Ecclesiæ præfato D. Benedicto præferri mallent, huicque in idipsum plus & magis favere videntur ac favent: qui quidem & genere, utpote baronum altior, & conversatione ipso Dom. Benedicto notior, & auctoritate pariter feracior exstitit. Restat ut Beatitudo vestra jam caussam ipsam in manus desumens, erranti ipsi Ecclesiæ certam provisionem statuat, ponatque tandem, post longos casus, & liti huic versatili, & dissensioni pariter finem. Facile id quidem Beatitudo vestra efficiet, si hunc ipsum inter hac præferendum duxerit, cui ampliorem favorem deferendum noverit ad ipsius Ecclesiæ libertatem reducendam. Placeat modo caussæ hujus merita, sicuti inquirere, ita & dijudicare sollicite, si laborum ipsius Ecclesiæ Beatitudinem vestram piget tædetque. Hæc habui Beatissime Pater, secundum quod conscientia testis esse potuit, super his mandatis rebus Beatitudini vestræ rescribere; quæ si in parte aliqua dubio digna videbuntur, poterit Beatitudo vestra aliorum, qui magis experti sunt, testimonia his jure anteponere. Meis vero votis plane satisfactum reputabo, si diebus meis videro Ecclesiam ipsam suo loco, & dignitati restitutam. Conservet Altissimus Sanctitatem vestram feliciter, cujus me pedibus humillime recommitto. Ex Waradino die xx. Decembris anno Dom. MCCCCL.*

Notæ.

(1) *Videlicet a tempore Joannis Episcopi, qui obiit anno Domini* 1433. Ivanichius. Ab hoc anno interregnum Episcopale usque ad annum 1450. perduxit Episcopus Varadinensis, perinde quasi nulli fuerint hoc intervallo Episcopi, & vidua fuerit Ecclesia per annos ipsos septemdecim, propterea quod per hosce annos administratio Episcopatus laicis hominibus commissa erat. Ceterum hoc interregnum vix decem annos tenuit; anno siquidem 1442. Benedictus legitime electus & approbatus hujus Ecclesiæ regimen sumpsit.

(2) *Idest recte regentem, vel sui regiminis compotem.* Ivanichius. Siquidem vel ipse Benedictus omnia fere Administratorum sæcularium arbitrio permittere cogebatur.

(3) *Scilicet inter Benedictum & Demetrium Episcopus.* Ivanichius. Neuter liberam & plenam Ecclesiæ regendæ potestatem habebant; non Demetrius, qui sedis Episcopalis possessionem adire non poterat, non Benedictus, cui fautores Demetrii, & Comites Ciliæ, quibus obstrictus & obnoxius erat, obsistebant, ne quæ voluisset ac debuisset, decernere, & agere posset.

(4) Idest sæcularis; *quia tenebatur, & adhuc tenetur per manus sæculares, prius videlicet per Matkonem, nunc per Comites Ciliæ.* Ivanichius.

(5) Varadinum quippe a Zagrabia longe distat in septemtrionem.

(6) *Iste enim Dom. Episcopus Varadiensis etiam steterat in Zagrabia bono tempore, & statu ejusdem.* Ivanichius.

(7) *Quia præfatus Dom. Benedictus Episcopus erat in dominio Episcopatus tali quali, quo ad spiritualia exercenda; sed ea non libere exercebat.* Ivanichius.

(8) Cum scilicet Hungari in duas factiones distracti essent; & alii pro Uladislavo Duce Lithuaniæ, alii pro Ladislavo filio posthumo Al-

Alberti infestis animis armisque pugnabant.

(9) *Scilicet Benedictus & Demetrius praetacti, unus ex parte Reginae Elisabeth, ac Comitum Ciliae, & alter ex parte regis Poloniae & Baronum*. Ivanichius. Rogatu Elisabethae viduae Alberti regis & Imperatoris Eugenius Ecclesiam Zagrabientem Benedicto decreverat, atque huic Comites Ciliae favebant. Benedicto autem Uladislavus frater regis Poloniae, cui magna pars Hungarorum regnum Hungariae detulerat, Demetrium ab se nominatum Episcopum opposuerat, & huic plerique Proceres studebant.

(10) Videlicet possessor Episcopatus dici non potest, cum eum potius possideant Gubernatores laici, ad quorum arbitrium & nutum se accommodet necesse est.

(11) *Quia obligavit se, & eamdem Ecclesiam ad solvendum viginti millia florenorum pro expensis Comitum Ciliae, quas dicunt se fecisse, in expugnatione castrorum dicti Episcopatus post obitum Matkonis Bani*. Ivanichius.

(12) Praeclarum doctrinae & scientiae testimonium Benedicto tribuit.

(13) *Videlicet in viginti millibus florenorum, ut dictum est*. Ivanichius.

(14) *Idest bona & libera voluntate*. Ivanichius.

(15) Quam ob caussam, quove anno Benedictus in carcerem conjectus fuerit, nulla mihi sunt monumenta, unde scire possim. Caussam sibi satis non esse notam vel ipse Episcopus Varadinensis fatetur.

(16) *Quia dicebant aliqui quod volebat occulte transmigrare ad Hungariam & ad Gubernatorem*. Ivanichius; invitis fortasse Comitibus Ciliae. Ceterum non intelligo cur Benedicto crimini datum fuerit, quod ad Joannem Hunniadem supremum regni Gubernatorem sive auxilii, sive juris petendi caussa adire voluerit.

(17) Comites Ciliae castra Ecclesiae antea restituere nolebant, quam a Benedicto & Ecclesia pecuniam pactam reciperent pro sumtibus, quos de suo fecerant, ut eadem castra vi atque armis recuperarent.

(18) *Idest negationis, unde inficiari, id est negare*. Ivanichius. Non aliunde sciri potest, nisi ex ipso Benedicto, assenseritne, an repugnaverit suae translationi; huic vero integrum est alterutrum negare, vel affirmare.

(19) *Qui in superiori praelio maritimo periit*. Ivanichius. Idest in pugna Varmensi, in qua Uladislavus, & Julianus Cardinalis occubuerunt. Sed ea pugna non maritima, sed terrestris fuit.

(20) Obstabat siquidem Uladislavus, ne Benedictus decreto sibi ab Eugenio Episcopatu potiretur, quem ipse Demetrio Tininiensi Episcopo contulerat; & cum ejus adipiscendi spem sibi praecisam videret, de illo commutando cogitabat, egeratque cum Juliano Legato Apostolico & Matkone Bano; sed post interitum Uladislavi, cum in possessionem ejusdem Episcopatus venisset, illum retinere decreverat, aut certe cum Tininiensi commutare nolebat, nec dimittere nisi aliquo regni Hungarici Episcopatu obtento, ut supra ex ejus testificatione apparet.

(21) Idest in eo sitam esse salutem, tranquillitatem, utilitatem Ecclesiae Zagrabiensis, ut laicorum hominum dominatu exempto, in pristinum statum ac libertatem restituatur. In extremo hujus Epistolae paragrapho ait Demetrium ob generis nobilitatem ab omnibus expeti, & Ecclesiae Zagrabiensi perutilem fore.

EPISTOLA LXXI.

Ex parte Joannis Gubernatoris ad D. Nicolaum Papam super re praetacta.

Beatissime Pater, & Domine metuendissime.

Saepenumero egi apud Beatitudinem vestram pro facto Zagrabiensis Ecclesiae, quae longo jam schismate errabunda, quotannis in deteriora producitur; egi, inquam, ut vel suo tandem ab hoc errore correcta, libertati suae, & statui redderetur; non abs re quidem ratus jam taedio duci posse, dum plura ejus incommoda, recte per longas invaluere moras. Mihi vero Pater Beatissime, ac pariter officio meo non parum adjumenti detrahitur, quod ipsa Ecclesia in hanc divisionem resoluta, loci ac muneris sui vicem exequi nequit. Nam veteri statuto regni, tenerentur praelati ipsius Ecclesiae in rebus ac defensionibus 1
(1) publicis, consilio mihi, atque opere assistere. Jure igitur pro ejus restitutione cura mihi impendet, ne aliquid praeterire videar, quo regni hujus defectibus opitulari possim. Cum autem circa provisionem ipsius Ecclesiae, quo minus libere sequi posset, differentia illa obsistat, quae inter duos Episcopos, pro jure ejusdem dissidentes, hactenus versata est; Si hac in re Beatitudo vestra sententiam meam pensi habere dignabitur; ego quidem inter hos duos, ad partem Rever. Patris D. Demetrii Episcopi, omni via & modo possibili declinare statui. Is etenim cum genere magno & nobili, tum vero auctoritate status, praelatorum consortio, magis idoneus reputatur; a me vero pro suis meritis facile obtinuit, ut omnem rebus suis opportunum favorem, ac simul opem debitam sibi praestare non abnuam: porro qui ad Ecclesiam praetactam,
primum per quondam D. Sigismundi (2) Impe- 2
ratoris, ac post aliorum regum subsequentium litteras, efficacius vero per Bullas Apostolicas,
pro more Patriae nostrae, sibi jus quaesitum (3) 3
praetendit.

(Margin: Epistola Joannis Hunniadis ad Nicolaum V.)

Igitur cum tota salus ipsius Ecclesiae sit in manibus Beatitudinis vestrae, cujus interest & necessitati ejusdem consulere, & profectibus viam praebere, dignetur vel nunc manum ad decretum Apostolicum interponere, quo eadem Ecclesia differentiae praetactae laqueo absolvi, suoque indubitato pastori restitui valeat. Rectius autem & voto nostro, & ipsi Ecclesiae providebitur, si inter praetactos duos, antefatus Dom. Demetrius
Episcopus praeferretur; (4) quod quidem, ut 4
Sanctitas vestra efficiat, hac iterata instantia supplico, offerens me daturum omnem possibilem operam, ut juxta futurum super hoc Sanctitatis vestrae decretum, idem D. Demetrius loco suo, & ipsa Ecclesia libertati restituatur. Conservet Altissimus Sanctitatem vestram feliciter regimini Ecclesiae suae sanctae. Datum Chanadini die quarta mensis Januarii. Anno Dom. MCCCCLI.

Notae.

(1) In Comitiis generalibus, ut ceteri Praesules regni Hungariae, sic etiam Episcopus Zagrabiensis jus dicendae sententiae habebat, hujusque auxilio atque opera Joannes Gubernator ca-

carere cogebatur; dum enim de hoc episcopatu duo illi inter se contendebant, neutri accessus ad illa Comitia patebat.

(2) Sigismundus declaraverat regium esse jus nominandi Episcopi Zagrabiensis.

(3) Demetrius tum ex declaratione Sigismundi, & nominatione Uladislavi, tum ex decreto Eugenii, a quo ad Ecclesiam Zagrabiensem translatus fuerat, itemque Nicolai, qui translationem confirmavit, jus obtinendi Episcopatus Zagrabiensis acquisierat.

(4) Non solum reipublicæ, sed etiam Ecclesiæ Zagrabiensis intererat Episcopum habere Demetrium, cui ad Ecclesiam illam recte constituendam, atque a servitute vindicandam, Joannes Gubernator auctoritatem suam, operamque collaturum pollicetur.

Benedictus retinuit Episcopatum. Ceterum neque Pontificis, neque Gubernatoris auctoritas tantum valuit ac potuit, ut Episcopatum Zagrabiensem Benedicto adimeret, ac Demetrio conferret, Canonicis, & Comitibus Ciliæ obsistentibus. Dum ea contentio fervebat, Nicolaus Papa, rogatu Antistitæ, & Virginum ordinis Benedictini, quod erat in oppido, & insula Ivanichii, quidquid terrarum & prædiorum possidebant, vel in posterum legitime acquirerent, itemque immunitates & privilegia sive a Sede Apostolica, sive a Regibus Hungariæ iisdem diplomate amplissimo communivit & confirmavit.

Nicolaus V. privilegia virginibus Benedictinis concessa confirmat.

Diploma Pontificium. *Nicolaus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii Beatæ Mariæ, in insula Yvanich ordinis Sancti Benedicti, Zagrabien. Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & loca in quibus divinis estis obsequiis mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Divi Petri protectione suscipimus, atque nostra; omnesque libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, vel alias indulgentias vobis, & dicto monasterio nostro concessas, nec non exemptiones, & libertates sæcularium exactionum a regibus, & principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis, & eidem monasterio indultas, specialiter autem terras, possessiones, domos, vineas, prata, pascua, ac alia bona ad dictum monasterium spectantia, sicut ea omnia juste, & pacifice possidetis, vobis, & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum hanc paginam nostræ confirmationis, ac communitionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Paulli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domini 1450. idibus Maji Pontificatus nostri anno 4.*

Castrum Kemlek Episcopo & Capitulo restitutum. Post idem tempus in Comitiis Hungaricis habitis anno 1450. decretum est, ut castrum Kemlech, quod a Joanne Episcopo emptum fuerat, ut supra dictum est, & partim Canonicis, partim Episcopis relictum, deinde a Sigismundo receptum, ab Alberto & Uladislavo retentum, Ecclesiæ Zagrabiensi restitueretur: *Ad mandatum Comitiorum regni Hungariæ anni 1450. Capitulum, & Episcopus sine ulla contradictione in Kemlek statui debebunt.* Anno proximo castrum Kemlek Joannes Hunniades repetebat, quod illud ad jus regium pertinere diceret. Verum cum de castro eodem legitime tum empto, tum restituto Ecclesiæ per procuratores Capituli & Episcopi edoctus fuisset, ut erat eximius justitiæ & religionis cultor, illius possessionem utrique non solum reliquit, sed etiam confirmavit.

Benedictus in æde Chasmensi piam sodalitatem S. Spiritus instituit. Benedictus, quamvis perpetuæ cum adversaria & præpotenti factione contentiones pro se de sua retinenda non leve negotium ei facesserent, tamen Ecclesiæ suæ commoda, quoad poterat, diligenter curare pergebat. Nec vero Chasmensem Ecclesiam curæ suæ ac vigilantiæ Episcopalis expertem esse voluit. In æde S. Spiritus, primaria illius oppidi, rogatu Canonicorum & presbyterorum Chasmensium, ad cultum Deiparæ amplificandum, piam sodalitatem instituit, eique ex fructibus, quos Episcopalis mensa ex territorio Chasmensi percipiebat, annuos proventus assignavit. In sodalium numerum ipse quoque adscribi voluit; in eamdem qui nomen darent, eos piacularibus indulgentiis impertivit; sacrificia quædam anniversaria imperavit quæ fieri deberent singulis pervigiliis ante sollemnes dies Deiparæ Virginis nomine cultuque consecratos: iis vero, qui sacrum facerent, stipem ex ærario Episcopali suppeditari jussit. Nihil vero præclarius & salubrius magisque necessarium, quam quod jura & privilegia Capituli Chasmensis vindicavit, illud præsertim, quod, dum vacabat Ecclesia Zagrabiensis, Gubernator Episcopatus, & Magistratus laici sibi arrogaverant; jus enim conferendi sacerdotia Ecclesiæ Chasmensis passim usurpabant; ex quo fiebat, ut qui hujusmodi Sacerdotiis prædĭti erant, apud eos, a quibus illa acceperant, commorarentur, eorumdem obsequiis addicti, & curam omnem inserviendi Ecclesiæ, sacellis, & altaribus, de quorum annuis proventibus victitabant, prorsus negligerent. Benedictus potestatem nominandi, eligendique ad quælibet sacerdotia, laicis ereptam, Capitulo restituit; ne tamen vel Canonici, vel curatores animarum ea sibi attribuerent, ac retinerent, omnino interdictum esse voluit. Extat ejus in hanc rem decretum.

Potestatem conferendi sacerdotia Chasmensia laicis ereptam Capitulo Chasmensi restituit.

Litteræ Benedicti Ep. *Benedictus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis. Omnibus Christi fidelibus præsentes visuris, aut audituris salutem in eo, qui omnium vera est salus. Innata cordi nostro benignitas inter alias sollicitudinum curas, quibus pro augmento divini cultus, & ejus ministrorum pace, & quiete summa consideratione frequenter invigilat, & ut inter nos, nostrosque successores, nobisque subditos scandala oriunda extirparentur, & sopiantur, sub tempore nostri felicis regiminis dignum est salubriter providere. Sane ex veridica assertione nonnullorum proborum, & fide dignorum virorum percepimus, quod non sine gravi dolore explicantes, præsentibus nostris litteris digne duximus miserendum. Quod aliis temporibus videlicet prædecessorum nostrorum Dominorum Episcoporum, præsertimque sæcularium gubernatorum Episcopatus nostri prædicti Zagrabiensis, aut aliorum*

ecca-

Digitized by Google

occupatorum, ejusdem Episcopatus tempore vacationis, præbendarum, seu rectoratuum, tam capellarum, quam etiam altarium in Ecclesia nostra collegiata S. Spiritus Chasmensis fundatorum, possessionibusque, nec non villis, vineis, agris, fœnilibus, & aliis ipsarum utilitatibus, & pertinentiis per prædecessores nostros Episcopos ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis, vel aliis quibuscunque dotatorum, præfati prædecessores Episcopi, & Gubernatores sæculares dicti nostri Episcopatus, ad eas præbendas, de collatione ipsorum, se minus juste intromittentes, Capellanos ipsorum promovebant, easdemque eisdem conferentes. Qui Capellani timore Dei postposito, & propriæ salutis immemores, sequentes curias Dominorum ipsorum, divina officia per ipsos in eadem Ecclesia Chasmensi, de jure, & ex consuetudine perficere debentes, negligebant; nec etiam advertebant ipsorum propriæ salutis detrimentum non modicum, damnumque, & dispendium animarum, de quarum eleemosynis, seu bonis præbendæ hujusmodi sunt fundatæ, & dotatæ satis grande.

Nos igitur prout ex injuncto nobis pastoralis curæ officio obligamur, ut vitam æternam cum ceteris beatis, & cælicolis obtinere mereamur, volentes circa præmissa de juris remedio providere, de consilio, & voluntate fratrum nostrorum Canonicorum de Capitulo prædictæ Ecclesiæ nostræ Zagrabiensis, paternali favore inclinati, omne, & totale jus patronatus conferendi omnes, & quascumque capellas, ac præbendas in annotata Ecclesia nostra, & collegiata Chasmensi fundatas, Capitulo prædicto annuimus, concedimusque gratiose, ut amodo, & deinceps Capitulum, seu Canonici prædictæ Ecclesiæ nostræ Chasmensis universas, & quaslibet præbendas .. .. possessionatas, specialiter vero capellarum B. Catharinæ V. ad latus ejusdem Ecclesiæ Chasmensis, fundatæ, ac B. Stephani Proto-Martyris processionalis vocata, ante Ecclesiam prædictæ Ecclesiæ S. Spiritus constructæ: nec non B. Joannis Evangelistæ, super villam novam existentis, ac altarium B. B. Petri, & Paulli, & Bartholomæi Apostolorum in eadem Ecclesia fundatorum; nec non alias omnes per prædecessores nostros, vel alios quoscumque jam dotatas, vel dotandas, dum, & quando ac quotiescumque vacaverint, tamquam veri, & legitimi patroni earundem, personis idoneis, & sufficientibus, præsertim, ad officium divinum bene aptis, & dispositis, tanquam veri patroni, & collatores, & provisores earundem, dare, & conferre valeant, atque possint, liberamque & plenam de eisdem semper vacantibus providendi habeant facultatem: Gaudentes semper & nunc, & in futurum, eo jure, quo gaudet Capitulum dictæ Ecclesiæ nostræ Zagrabiensis, quantum ad jurisdictionem, & collationem hujusmodi præbendarum, & capellarum, ac altarium prædictorum. Hoc adjecto, & expresso, quod nunquam aliquis Canonicorum, vel Plebanorum aliquam ex dictis capellis, aut præbendis, quovis colore quæsito sibi valeat appropiare, aut per se retinere, decernentes irritum, & inane, quantumque, per quemcumque fuisset, aut fuerit contra præmissa attentatum. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentibus sigillum nostrum, quo utimur, duximus appendendum, penes quod sigillum prædicti Capituli Zagrabiensis, fratrumque nostrorum charissimorum, ad petitionem nostram est appensum. Datum Zagrabiæ in festo BB. Fabiani, & Sebastiani MM. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo.

Eodem anno 1451. Paullini fratres, qui monasterium de Kamenska incolebant, domum sui ordinis, quam S. Petri appellant, in promontorio Zlath sitam, & Zagrabiensis diœceseos juribus obnoxiam eidem monasterio adjunxerunt. Siquidem, missa ad Nicolaum P. M. legatione, humillime supplicarunt, vellet ipse, atque decerneret, ut domus S. Petri, ejusque jura omnia, ac reditus Kamenskiano monasterio conjungerentur; petitionis vero caussa fuit, quod continuis Turcarum incursionibus in illam Slavoniæ partem nimis esset objecta, nulloque munita præsidio; quare & incensa sæpe ignibus tecta, & fratres nonnulli hostili feritate fuerant interfecti. Propterea Pontifex ipsorum annuit votis, & Francisco Corbaviensi Antistiti litteras dedit, quibus jubet, ut, explorata primum Zagrabiensis Episcopi voluntate, utrumque locum conjungat. Hæ sunt Nicolai litteræ Paullinis annalibus insertæ. Unio monasterii Paullini de Zlat cum Kamenskiano.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Corbav. Sal. & Ap. Bened.

Pia consideratione Romanum decet Pontificem ad ea libenter intendere, per quæ locis Ecclesiasticis, & personis Religiosis . . . . . Altissimo famulantibus valeat salubriter providere.

Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & fratrum domus B. Mariæ de Kamenska Ord. S. Paulli primi Erem. sub reg. S. Aug. degentium petitio continebat, quod in monte Zlath Diœc. Zagrab. est quædam domus ejusdem Ord., quam fratres dicti Ord. habitare consueverint, tamen propter metum Turcarum, qua pluribus annis . . . . . . incendium ibidem posuerunt, & nonnulli ex fratribus in ea commorantibus interfecti fuerunt, illiusque possessiones, & bona mobilia ad alienas manus devenerunt, inhabitata remansit. Quæ quidem domus S. Petri, si præfatæ domui B. Mariæ perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, Prior, & fratres in ea pro tempore degentes, commodius vivere, & Altissimo famulari possunt.

Quare propter dictorum Prioris, & fratrum asserentium, quod S. Petri decem, & B. Mariæ domorum hujusmodi quindecim florenorum auri de camera fructus, redditus, & proventus secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsam domum S. Petri cum omnibus juribus, & pertinentiis suis præfatæ domui B. Mariæ perpetuo incorporare, annectere, & unire, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Corbaviensi deinde Episcopo rei totius tractatione commissa, si faciundum quidem id satius esse existimet, ceterisque subjectis formulis, quæ pontificiis litteris sollemnes sunt, hæc postremo adjungit.

Nos . . . . . . si unionem, annexionem, & incorporationem prædictas fieri, & effectum sortiri contigerit, ut præfertur, eisdem Priori, & fratribus domus B. Mariæ pro tempore existentibus decimas vinearum, agrorum, & terrarum ad ipsam uniendam domum spectantium, quemadmodum in districtu castri Stenisnak, & generaliter ultra flumen Culpa Ecclesiarum rectores, & possessores de antiqua, hactenus approbata consuetudine colligere, & recipere consueverunt, col-

colligere , & recipere libere & licite valeant . . . . licentia desuper minime requisita auctoritate apostolica . . . . . . præsentium de speciali gratia indulgemus &c. Dat. Rom. ap. S. Petrum Anno Incarn. Dom. 1451. XII. *Kal. Maij. Pontif. nostri Anno V.*

Decreta Comitum Ciliæ, Gubernatoris Episcopatus, Ecclesiæ perutilia.

Fridericus & Ulricus Comites Ciliæ Bani Slavoniæ, atque Gubernatores Episcopatus anno 1452. *feria 6. ante festum S. Osvaldi* declararunt integrum esse quibuscumque viris nobilibus regni Slavoniæ quascumque vellent possessiones tum Zagrabiensi, tum aliis Capitulis, & monasteriis in perpetuum possidendas testamento legare pro expiatione animarum suarum: *Cum plures nobiles in regno Sclavoniæ, & Comitatibus Zagrabiensi; & Crisiensi, pro animabus suis possessiones legare Capitulo velint, auctoritate nostra Banali consensum damus, declaramusque, id fieri posse, & possessiones Capitulis & monasteriis imperpetuari*. Alia earum mandata extant ad magistratus, & præfectos oppidorum, qui jubentur compellere omnes cujusque generis atque ordinis ad decimas Ecclesiæ solvendas. Illis edictis, quæ alter seorsum ab altero edebat, præfigi solebant hi tituli: *Regni Sclavoniæ Banus, Tutor, & Gubernator, & Advocatus Ecclesiæ Zagrabiensis.*

Fridericus Imperator Neostadii ab Hungaris obsessus, cum & militum paucitate, & commeatuum inopia laboraret, Ladilavum vel invitus Hungaris reddere debuit anno 1452. qui anno proximo in Hungariam venit, ingenti omnium ordinum lætitia, & gratulatione acceptus, & Joannem Hunniadem amplissimis muneribus donatum summam illam, quam Hungari ei detulerant, regni administrandi, rerumque omnium potestatem retinere jussit. Anno 1453. ineunte Benedictus moriens sedem Zagrabiensem vacuam reliquit. Tantum vero abfuit, ut eam Demetrius obtineret, ut infensiores, quam antea, tum Canonicos, tum Comites Ciliæ expertus, his acriter repugnantibus, accessum ad civitatem & Ecclesiam sibi prorsus interclusum repererit. Canonici siquidem propter injurias ab ejus fratribus acceptas ab eo summopere abhorrebant; quas quidem injurias ulti cum essent Comites Ciliæ, & quæ Capitulo eripuerant, eos restituere coegissent, verebantur ne sibi gubernationem Episcopatus adimerent, Itaque in locum Benedicti substitutus est

Mors Benedicti Ep.

BALTHASSAR EP. ZAGRAB. XLII.

Balthasar Benedicti successor.

Non aliunde notus, nisi ex tabulis, & litteris publicis anni 1454. & 1457. quas Kerelelichius citat, sed quibus de rebus scriptæ & confectæ fuerint, non explicat. Magnam illis temporibus tum publicarum tum Ecclesiasticarum rerum perturbationem, & confusionem fuisse idem auctor animadvertit: *Delituit adhuc in tenebris Episcopus iste*, inquit; *nemo enim, quod sciamus, Balthassaris meminit; ut summi laboris sit a Sigismundi morte ad Matthiæ tempora, Ecclesiarum Hungariæ Pontifices eruere, ob rerum, quæ agebantur, faciem. Multi dignitates, honores usurpabant, innuente articulo* III. *decreti 1456. quod omnes Domini Barones honores, & officiatus eorum, quos habebant, in præsenti conventione deponant, manibusque & dispositioni, ac distributioni aliorum Dominorum Prælatorum, Baronum & regnicolarum libere & sine contradictione committent, & assignabunt. Multi diversarum partium fuere, præcipue Uladislao vivente. qui jura regia exercebant. Hinc, ut superius dictum, inter Benedictum, & Demetrium lites magnæ, non sine jactura Ecclesiæ*. Ceterum ex iisdem tabulis, quas laudat Kereselichius, tum Rittero, tum Kovascevichio notus fuerit Balthassar oportet, quem illi pariter inter Benedictum, & Demetrium collocant.

Ladislavus statim atque regni potitus est, in hoc præcipue sibi elaborandum censuit, ut rempublicam superiorum temporum dissidiis attritam ac debilitatam, in pristinum statum restitueret, & discordias civiles atque ecclesiasticas componeret. Comites Ciliæ opibus copiisque præpollentes apud Ladislavum vel plurimum poterant; eique auctores fuerunt, quemadmodum tradit Kerelelichius, ut, Demetrio excluso, Balthassarem nominaret Episcopum Zagrabiensem, impetraretque a Nicolao Pontifice, ut regiam nominationem confirmaret: iisdem Comitibus gratificandi caussa, possessiones quorumcumque sacerdotiorum, quibuscumque per illos traditas, ex auctoritate *jurispatronatus* regii, Ladislavus ratas ac firmas esse, & haberi voluit; in eamque rem decretum fecit Viennæ *anno* 1553. *feria sexta post festum* S. Georgii: cui quidem decreto titulus hic præpositus est: *Ladislaus Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ rex, Austriæ, & Stiriæ dux;* annos vero regni adscriptus est XIII. quem ab an. 1440. cum eum in cunabulis pars Hungarorum Regem appellavit, numerari oportet. Duo itidem decreta fecit anno 1456. secundum Capitulum Zagrabiense, cui primum decimas ex territorio Ozali, & Ribnich persolvi jussit, deinde jus nundinarum & fori Toplicensis concessit.

Ladislavi decreta secundum Comites Ciliæ, & Capitulum Zagrabien.

Comites Ciliæ, quamvis jus sacerdotia conferendi usurparent, & agros & possessiones Ecclesiæ, quibus ipsi vellent, suo arbitratu locarent, multa tamen pro defensione atque utilitate tum Episcopatus tum Capituli præclare gesserant, ut facere decebat *Tutores, Advocatos, Protectores Ecclesiæ Zagrabiensis;* his enim titulis se appellari volebant in edictis ac tabulis illius ætatis. Verum ad extremum a fide & officio desciverunt; siquidem turrim Capitularem in regia civitate, de qua alias dictum est, vel sua sponte & voluntate, vel pravorum hominum impulsu dirui jusserunt. Canonici demolitionem turris, cujus se antiquos, ac legitimos possessores, tabulis ac monumentis prolatis demonstrabant, graviter conquesti sunt apud Ladislavum regem, qui turrim sumptibus eorum, per quos eversa fuerat, refici, & Capitulo restitui imperavit; ut constat ex ipsius litteris apud Kerelelichium, Budæ *fer. 3. ante Ascensionem Domini, regnorum Hung. 13. Bohemiæ* 4. idest 1557. Eodem anno *fer. 5. post festum S. Jacobi*, mandatum dedit *Joanni Bithovecz Slavoniæ Bano*, itemque *Vicebanis, & Comitibus*, ut compellerent nobiles viros *de Klokoc, & Ludiboyich*, ad solvendas Ecclesiæ decimas, quarum quidem solutionem per triennium neglexerant.

Mahometes post Constantinopolim anno 1453. captam, ac deinde alias ex aliis regiones Christianis ademptas, aut ferro & igni vastatas, anno 1456. Belgradum, sive Taurunum, quam etiam Albam vocant, urbem natura & loco munitam, & validissimis mœnibus ac propugnaculis septam, ducentis armatorum millibus obse-

Digitized by Google

Victoria Joannis Hunniadis de Turcis reportata. obsedit; jamque vehementissime oppugnabat, cum Joannes Hunniades, Joanne Capistrano, viro sanctissimo e Franciscana disciplina, Christi crucifixi effigiem in hostes inferente, ingentem Turcarum stragem edidit. Exercitus omnis barbarorum parva manu fractus, ad viginti millia hostium caesa, Mahometes ipse vulneratus, & civitas obsidione liberata. Hoc fuit postremum illustrium facinorum Joannis Hunniadis, qui eodem anno iv. Id. Septembris pie mortuus est, eidem ad extremum usque spiritum assidente B. Joanne Capistrano; & is quoque non multo post ad Superos migravit, miraculis in vita, & post mortem editis maxime inclytus. Hunniades duos reliquit filios Ladislavum, & Matthiam. Ladislavus cum post obitum patris Ulricum Comitem Ciliae ob injurias parenti & sibi ab eo illatas crudelem in modum necasset, extremo supplicio affectus est. Matthias vero post mortem Ladislavi regis anno 1457. vel proximo extincti, rex ab Hungaris eligitur, nulla re patri dissimilis, a quo Turcae non semel profligati. Alterutro itidem anno Balthasar Episcopus aut vita functus, aut alio translatus Ecclesiam Zagrabiensem viduam reliquit, quam tandem Demetrius, diu expetitam, Matthiae regis gratia, & patrocinio nixus, invitis licet Canonicis, adeptus est.

Matthias filius Hunniadis Ladislavo extincto in regnum succeslit.

DEMETRIUS II. EP. ZAGRAB. XLIII.

Demetrius Ep. Zagrab. Cognominatus *Chuper de Monoslo*, ex antiquissima & nobilissima Chuparia prosapia. Nihil non egerunt Canonici, ut eum ab sede Zagrabiensi arcerent, propter maleficia & damna, quae fratres illius Zagrabiensi Ecclesiae intulerant; eaque quindecim millibus florenorum aestimata fuisse ajunt; & verebantur praeterea, ne Demetrius carni & sanguini indulgens, illorum cupiditati ac direptioni bona ecclesiastica permitteret. Oratores supplices tum ad Matthiam regem, tum ad Pium II. Pontificem Max. miserunt, qui utrique ostenderent, quantum periculi ac detrimenti ex Demetrii Episcopatu sibi Ecclesiaeque immineret. Sed nihil impetratum est, nisi quod Pontifex Vimandum Abbatem Cisterciensem coenobii ac templi S. Mariae Zagrabiensis, custodem & conservatorem Ecclesiae Zagrabiensis constituit, amplissima illi potestate tradita tuendi ecclesiastici patrimonii, & vindicandi, atque in sacrilegos direptores quibuslibet poenis ac censuris animadvertendi. Litteris ejusdem coenobiarchae datis anno 1462. hic titulus inscriptus est: *Wimandus Ord. Cisterciensis, Dei gratia Abbas B. M. V. de Zagrabia, Conservator Ecclesiae Zagrabiensis*. Demetrius quoque more decessorum Antistitum Joannem Vitezium, Episcopum Varadini, fautorem ac familiarem suum in *Gubernatorem Episcopatus Zagrabiensis elegerat*, Friderico Dynastae Ciliensi, post necem Ulrici fratris, hujusmodi gubernatione adempta.

Hoc tempore inter Praepositum, & Capitulum Zagrabiensis Ecclesiae ex una parte, & Paullinos fratres ex altera dissidium exortum; quod hujusmodi fuisse ferunt Paullini annales ad an. 1463. Etenim, cum fratres domum S. Petri, ut ajunt, de Zlath in Zagrabiensi dioecesi Kamenskiano monasterio Romani Pontificis auctoritate junxissent, qua de re dictum est superius, ab persolvenda deinceps Zagrabiensi Capitulo decuma immunes esse contendebant, obsistentibus contra Praeposito, & Canonicis, quibus imminui eorum jura, & auctoritas labefieri videbatur. Agitata proinde lis est, quam ut dirimerent, habito fratrum conventu, statutum est, juris quaestionem ad supremum Pontificis Romani tribunal esse deferendam; & internuntiis delectis, qui ad urbem pergerent, supplicem memorialis libelli formam Pontifici obtulerunt. Is, caussa cognita, ratus per homines ejusdem gentis litem resolvi aptius posse, ad binos decretorum Doctores, viros prudentissimos negotium delegavit, Praepositum scilicet S. Thomae de monte Strigonio, & Petrum Rectorem Capellae, quae ad latus Strigoniensis Ecclesiae Deiparae Virgini nuncupata est; & re perpensa, tum utriusque partis rationibus mature perspectis, sententia demum Fratribus cessit, qua de solutione decumarum penitus absoluti sunt.

Alias quoque molestias passi sunt Zagrabienses Canonici tum a Joanne Gereben Slavoniae Bano, qui Toplicae oppidum occupavit; sed Matthiae regis decreto anni 1463. compressa vis, & ejus audacia fuit; tum a Martino de Frangipanibus, qui Capituli praedia apud Sissegum ingenti clade diripuit. Romam in jus vocatus anathemate damnatur: sed, cum resipuisset, ita compositum dissidium est, medio Strigoniensi Archiepiscopo, ut pro illatis Capitulo damnis villas Budrouczi, Goricza, & S. Crucis in Bernouczi agro Martinus eidem traderet, tum, se vivo, Gradeczii castri possessionem.

Demetrius nullum aliud sui Episcopatus monumentum reliquit, quod quidem extat, nisi decretum, quo privilegia Eberhardi & Joannis IV. collata collegio Presbyterorum Chasmensium secundi ordinis, quos vocant Praebendarios, confirmavit; & insuper, ait, *omnes vineas, terras, silvas, foenilia post emanationem praedictarum litterarum annotati Domini Joannis Episcopi, dictis praebendariis, per quoscumque data, collata, contributa, eidem libertati subjicimus*. Pius II., quae Benedictus Eremitis Paullinis Remetensibus donaverat, auctoritate Apostolica communivit.

Confirmat privilegia Eberhardi & Joannis presbyteris Chasmensibus collata.

Pius Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Romani Pontificis provida circumspecta, his, quae pro divini cultus, & religionis augmento, per locorum Ordinarios provide facta sunt, ut perpetuo illibata persistant, Apostolici muniminis adjicit firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & fratrum domus B. Mariae ordinis S. Paulli primi Eremitae, sub regula S. Augustini degentium, Zagrabiensis dioecesis, petitio continebat, quod olim Venerabilis frater noster Benedictus Episcopus Zagrabiensis, ad dictum Ordinem gerens singularem devotionis affectum, ac cupiens terrena in caelestia, & transitoria in aeterna felici commercio commutare, quamdam possessionem Alsonovak nuncupatam prope flumen Blisnia, & prope quandam aliam possessionem loci, sive territorii Novak dictae dioecesis, ad domum praedictam legitime pertinentem, sitam, ac inter alia territoria, & praedia ipsius domus circa consistentem, & tunc ad mensam Episcopalem Zagrabiensem legitime pertinentem, de consensu sui Capituli Zagrabiensis, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, domui praefatae, sub certo modo, & forma ac pactis, & con-

Pius, quae Benedictus Ep. Eremitis Remetensibus donaverat, confirmat.

conditionibus tunc expressis, in perpetuum concessit, pariter, & donavit, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & fratrum prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni, & donationi prædictis, ac omnibus aliis, & singulis in dicto instrumento contentis, pro eorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias super his opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem possessionis, seu prædictæ terræ Altonovzk situationem, confines, & verum valorem præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem, & donationem prædictas, & quæcunque in dicto instrumento contenta, & inde secuta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia approbamus, & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui fors intervenerint in eisdem; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, & confirmationis, communitionis, & suppletionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Paulli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Macereti Senensis diœcesis. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo Idus Maji, Pontificatus nostri anno secundo.

Facultas subveniendi egestati Patrum S. Dominici quibuscumque per Matthiā regem concessa.

Matthias rex Hungariæ pro sua eximia erga Patres Dominicanos benevolentia, omnibus cujusque ordinis & conditionis hominibus potestatem fecit quidquid vellent bonorum suorum sive mobilium, sive immobilium aut donandi dum viverent, aut mortis caussa legandi cœnobio Zagrabiensi S. Nicolai, ad fratrum inopiam sublevandam.

Nos Matthias Dei gratia rex Ungariæ, Dalmatiæ Croatiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod cum nihil magis ad regiam pertineat, vel justitiam, vel religionem, quam Ecclesias Dei honorificis dotare privilegiis, sic enim divina propitiabitur majestas, in quam Sanctorum ejus omnis veneratio recurrit. Igitur nos ob specialem devotionem nostram, quam ad Beatum Nicolaum Episcopum & Confessorem, in cujus glorioso nomine claustrum Ordinis fratrum Prædicatorum Zagrabiæ fundatum esse dinoscitur; cujusque precibus successus nostros prosperari, ac tam in terris, quam in cælis pie credimus confoveri, gerimus, & habemus, in sublevamen dicti monasterii & collegii eorundem fratrum in eo pro tempore degentium, de penuria illa, quam in rebus temporalibus ad sui provisionem, & sustentationem necessariis, frequentissime, ut accepimus, patiuntur, eidem claustro, & per consequens præfato collegio dictorum fratrum in eodem pro tempore degentium, id gratiose & ex plenitudine potestatis regiæ duximus annuendum, & concedendum, ut omnes, & singuli nobiles, aut alterius cujusvis status homines, possessiones, villas, prædia, vineas, domos, & alias quascunque hæreditates, ac jura eorum possessionaria quomodocumque appellatas, & vocitari solitas, tam in territorio civitatis nostræ montis Græcen. quam alias ubivis in regno nostro habitas, & existentes, &c. semper dum voluerint in vita scilicet, & tempore mortis, præfato claustro & per consequens collegio antedictorum fratrum in eodem pro tempore degentium, in eleemosinam perpetuo libere conferre, donare, legare, & alias prout eis videbitur locare; præfati etiam fratres ejusmodi bona pro se, & dicto claustro eorum, tenere, possidere, ac illis, quibus maluerint vendere, & locare, & alias juxta eorum libitum de iisdem pro utilitate claustri, & collegii eorum disponere possint, & valeant. Quibus quidem collationi, donationi, ac legationi, locationi, venditionique, & nunc prout ex tunc, cum scilicet factæ fuerint, ex tunc, prout ex nunc, animo deliberato, & ex certa nostra scientia Prælatorum, & Baronorum nostrorum consilio, nostrum regium consensum præbuimus, benevolum pariter assensum, immo annuimus, concedimus, ac præbemus, harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum est appensum vigore, & testimonio litterarum mediante.

Datum Budæ in festo Beati Georgii Martyris anno Domini 1465. *Regni nostri anno* 8.

Demetrius, cum animos Canonicorum ab se aversos sibi placare & conciliare non potuerit, satius esse duxit Ecclesiam Zagrabiensem dimittere, quam illis invitis, sibique infensis retinere. Itaque sponte & arbitratu suo, injussu Sedis Apostolicæ, ab Episcopatu illo se abdicavit, atque ab urbe secessit. Quamvis autem ejusmodi abdicatio legitima esse non posset, antequam ab Romano Pontifice approbaretur, tamen in diplomatibus regiis ab anno 1463. usque ad annum 1465. sedes Zagrabiensis *vacare* dicitur. Cum hoc vel superiori anno Augustinus Episcopus Jaurinensis obiisset, Matthias rex Hungariæ Demetrium eo vinculo, quo adhuc Ecclesiæ Zagrabiensi obstrictus tenebatur, rite exsolvendum a Paullo II. Pontifice, & transferendum ad sedem Jaurinensem curavit anno 1465.: biennio post in quodam diplomate regio Posoniensi *Demetrius Jaurin.* subscriptus legitur.

Demetrius Ecclesiæ Zagrab. nuncium remisit, & Jaurinensem sedem obtinuit.

OSVALDUS EP. ZAGRAB. XLIV.

Osvaldus ex Laico per omnes Ordinum gradus ad Episcopatum evectus.

E Pannonica stirpe nobilissima ortus est, cujus fratrem fuisse ajunt Joannem *de Thuz de Lach Banum Dalmatiæ Chrobatiæ Bosniæ & Sclavoniæ*, virum maximis copiis atque opibus præditum, æque civilibus, atque bellicis laudibus illustrem, nisi quod potentia & divitiis abutens, generis nobilitatem, recteque factorum gloriam, peculatus infamia, iniquissimis exactionibus, tyrannica crudelitate commaculavit: quare in judicium apud regem vocatus, ut meritas pœnas effugeret, exsilium sibi conscivit. Hæc Georgius Ratkajus ex Bonfinio tradit. Ceterum Osvaldum *de Thuz* quidem, non vero *de Lach*, sed *de Szentlaszlo* cognominatum invenio; verum eidem familiæ a diversis locis, & castellis, in quibus dominabatur, cognomina diversa obvenire potuerunt; & duo hi fratres ex iis, quæ cuique obtigerant oppida avitæ hereditatis, alius aliunde cognomen traxit. Ut S. Ambrosius, sic Osvaldus ex Ordine Laicali per omnes Hierarchiæ gradus, paucorum dierum intervallo distinctos, ad summum Sacerdotii apicem evectus est. Quos antea gesserit magistratus, quibus muneribus, atque honoribus perfunctus fuerit, litteris ac memoriæ

tra-

Digitized by Google

traditum non reperio. Paullus II. Episcopatum sive per electionem, sive per nominationem regiam Osvaldo collatum approbavit; eique potestatem fecit eligendi, quem vellet Episcopi, modo Catholici, & communionis Romanæ Apostolicæ participis, qui se per omnes inferiorum Ordinum gradus ad fastigium hierarchiæ ecclesiasticæ proveheret, tribus vel duobus aliis Episcopis adscitis, qui cum illo sibi manus imponerent, ut ex epistola Pontificia sed cum scripta docet Thomas Kovascevichius; idem Pontifex litteras tum ad Metropolitam Colocensem, tum ad Matthiam regem dedit eodem anno dieque. Utrumque de Demetrio ad Ecclesiam Jaurinensem translato, deque Osvaldo Ecclesiæ Zagrabiensi præposito certiorem facit. Utrique Osvaldum commendavit, ut illi ad Ecclesiam sibi commissam regendam, ipsique Ecclesiæ patrocinio & auxilio esse velint.

Eum Pontifex Colocensi Archiepisc. & Matthiæ regi commendavit.

Epistola Pontificis ad Archiep. Colocensem.

Paullus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Archiepiscopo Colocen. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit laudis, & famæ si personas ecclesiasticas præsertim Pontificali dignitate præditas, opportuni præsidii, & favoris gratia prosequeris. Hodie siquidem Ecclesia Zagrabien. ex eo Pastoris solatio destitutæ, quod nos nuper Venerabilem Fratrem nostrum Demetrium nuper Zagrabien. nunc vero Jaurien. Episcopum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ Zagrabien. cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum Consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis absolventes, ad Ecclesiam Jaurien. tunc vacantem transtulimus, de persona dilecti filii Osvaldi electi Zagrabien. de eorundem fratrum consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum, & Pastorem, curam, & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur ut idem electus in commissa sibi cura dictæ Ecclesiæ Zagrabien. facilius proficere valeat, tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus; fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem electum, & præfatam Ecclesiam Zagrabien. suffraganeam tuam habens, pro nostra, & Apostolicæ Sedi reverentia propensius commendatos in ampliandis, & conservandis juribus suis, sic eos tui favoris præsidio prosequaris; quod idem electus in commisso sibi dictæ Zagrabien. Ecclesiæ regimine possit se utiliter exercere, tuque divinam misericordiam, ac nostram, & dictæ sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1466. XVI. Kalendas Maji Pontificatus nostri anno II.

Altera ejusdem ad Matthiam regem.

Paullus Episc. &c. Charissimo in Christo filio Matthiæ regi Hungariæ illustri salutem &c. Gratiæ . . . si per sæculares principes Ecclesiarum omnium prælatis opportuni favoris præsidium & honor debitus impendatur. Hodie siquidem &c. ut in epistola superiori. *Cum itaque, fili charissime, sit veritatis opus Dei ministros congruo honore prosequi, ac eos verbis & operibus pro regis æterni gloria venerari; Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus eumdem Osvaldum, & præfatam Ecclesiam Zagrabiensem habeas pro nostra, & Sedis Apostolicæ reverentia, propensius commendatos; sic eos, in ampliandis, & conservandis juribus suis, tui favoris auxilio & præsidio prosequaris, quod idem electus auxilium tuæ gratiæ in commisso sibi dictæ Ecclesiæ regimine melius proficere valeat; tuque . . . . consequaris felicitatem æternam, ac nos etiam. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Dominicæ Incarn. 1466. XVI. Kalen. Maji, Pontificatus nostri anno secundo.*

Cum Petrus Cœnobiarcha monasterii Benedictini Pecsvaradiensis S. Mariæ, in diœcesi Quinqueecclesiensi, diem supremum obiisset, Paullus II. Osvaldum electum Zagrabiensem huic cœnobio Abbatem, & perpetuum, quoad viveret, Gubernatorem præfecit; ut epistola Pontificia ad monachos Pecsvaradienses data anno 1466. IV. Kalendas Maji declarat.

Conductores seu possessores prædiorum Episcopatus & Ecclesiæ Zagrabiensis non solum jure ac titulo nobilitatis, sed etiam illis privilegiis fere omnibus reges Hungariæ donaverant, quibus ceteri avito illustrique genere orti fruebantur; & hi quidem *Nobiles regni*, illi vero *Nobiles prædiales* appellari solebant, qui laicali foro ac tributo exempti, curiæ & jurisdictioni Ecclesiæ & Episcopi suberant; eique vectigalia pendebant, & si quid operæ imperatum esset, præstabant. Episcopus non solum aleret, haberetque militares copias oportebat, quibus ad castella episcopalia munienda ac tuenda uteretur, sed etiam, si quando res publica, & regni defensio postularet, equites peditesque conscriberet necesse erat, quos ad communes expeditiones mitteret, & cum exercitu regio conjungeret. Hæc turma Episcopalis *Banderium* dicebatur, & militibus fere quadringentis constabat. Porro illis, quos dixi, prædialibus, præter cetera, id oneris impositum erat, ut singulis *Banderiis* equitem unum contribuerent. Annis superioribus plenis dissidiorum, & turbarum, privilegia *Prædialium* per oblivionem ac desuetudinem paullatim antiquari cœperant, ex quo fiebat, ut qui regalibus tributis colligendis præerant, æque a prædialibus, atque a ceteris laicali foro subjectis, tributa exigerent. De violatione suarum immunitatum ac privilegiorum questi sunt nobiles *prædiales* apud Matthiam regem, qui antequam responsum illis ac judicium redderet, de hujusmodi immunitatibus ac privilegiis edoceri ac certior fieri voluit a proceribus & optimatibus regni Slavoniæ, qui tunc in oppidum Crisiense Comitiorum caussa convenerant, an præsertim æque nobilium *prædialium*, ac nobilium regni, affirmationibus ac juramentis fidem & auctoritatem attribui oporteret. Hanc igitur ad eos epistolam dedit.

Privilegia & onera prædialis Episcopi & Ecclesiæ.

Nos Matthias Dei gratia rex Hungariæ Dalmat. Croat. &c. Fidelibus nostris universis & singulis nobilibus, & alterius cujusvis status possessionatis hominibus regni nostri Sclavoniæ salutem & gratiam. Pro parte fidelium nostrorum prædialium Episcopatus Zagrabiensis, nostræ expositum est majestati eo modo, qualiter videlicet ipsi ex antiqua eorum consuetudine, ac indultis & concessionibus divorum regum Hungariæ, nostrorum videlicet prædecessorum, semper in medio eorum laudabiliter observatis, omnibus illis libertatibus, & nobilium prærogativis, quibus ceteri nobiles regni quomodolibet utuntur & gaudent, isto dumtaxat excepto, in quantum videlicet jurisdictioni præfatæ Ecclesiæ Zagrabien. & Episcopo in eadem Ecclesia pro tempore constituto,

Epistola Matthiæ ad proceres regni Slavoniæ, a quibus de privilegiis prædialium se doceri jubet.

tuto, cum debitis & consuetis servitiis, & obedientia subjecti haberentur, usi fuerint & gavisi; super quibus quidem prærogativis eorum, jura & litteras præfatorum divorum regum emanatas habuissent & confectas; sed tædem præteritis disturbiorum temporibus, quæ in dicto regno nostro Sclavoniæ antea crebro invaluissent, ab eis aliquomodo alienatæ essent. Quapropter nunc dicatores proventuum fisci nostri regalis in eodem regno nostro Sclavoniæ existentes, eosdem nobiles juxta formam decreti novissime per prælatos, & barones nostros editi, in medio aliorum regnicolarum nostrorum ignobilium annumerare, & ab ipsis dictos proventus fisci nostri exigere vellent; supplicarunt nobis ut ipsis super inde opportune providere dignaremur. Et quia nos in notitiam & certitudinem præmissarum nobilitatum, ac prærogativarum ipsorum prædialium dicti Episcopatus, pro eo quod litteræ eorumdem ut præmittitur, super inde alienatæ essent, efficacissime devenire nequimus; volentes tamen ipsis super inde aliquo remedio opportuno subvenire, una cum dictis prælatis & baronibus nostris statuimus, & decrevimus, ut dummodo istud perfecte compertum & recognitum fieret, an scilicet ipsi prædiales juramenta, & fassiones, uti nobiles regni deponere & facere habuissent, eorumque fassiones & juramenta tanti roboris fuissent, veluti nobilium regni, hoc ideo solummodo quoad ratificationem, firmitatemque veræ nobilitatis eorum, interim quousque iidem litteras, & jura eorum de & super præmissis libertatibus, & gratiis nobilitatum suarum requirere, & reinvenire poterunt, sufficiens & efficax sit, & habeatur robur, & testimonium; idcirco fidelitati vestræ, & vestrum cujuslibet firmiter præcipientes mandamus, quatenus visis præsentibus præmissam eorumdem consuetudinem prædialium & nobilitatum prærogativam, an scilicet ipsi prædiales, & eorum alter juramenta & fassiones eorum talis modi, sicut videlicet iidem nobiles regni deponere potuerunt, tantæque efficaciæ ac roboris habita fuerint, ad fidem vestram Deo debitam, fidelitatemque nobis, & sacro nostro regio diademati observandam, fateri ac diligenter investigare debeatis; tandemque si ita fuisse compereritis, in litteris vestris patentibus sub sigillo vestro ad unum certum terminum nostræ majestati rescribatis; præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budæ in festo B. Margaritæ Virginis. Anno Domini 1467. regni nostri anno decimo, Coronationis vero quarto.

Responsio procerum Slavoniæ secundum Prædiales in hæc verba reddita fuit, eique inserta regia ad ipsos epistola.

Responsio procerum Slavoniæ secundum Prædiales. *Serenissimo Principi Domino Matthiæ Dei gratia regi Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Domino ipsorum naturali universitas nobilium regni Sclavoniæ in præsentibus Octavis festi S. Jacobi Apostoli, Crisii constitutorum, obsequium sinceræ servitutis cum perpetua fidelitate. Vestra noverit Serenitas nos litteras suas ad suam commissionem editas, pro parte nobilium prædialium universitatis Episcopatus Zagrabiensis nobis præceptorie loquentes directas, suprema cum obedientia recepisse; hunc tenorem habentes: Matthias Dei gratia &c.* (hic inserta est superior regia epistola). *Nos itaque mandatis Serenitatis vestræ ipsius obedientes, ut tenemur, juxta mandatum eiusdem, habentes certitudinem de præmissis, ad fidem nostram Deo debitam, fidelitatemque vestræ Serenitati, & suo sacro diademati observandam, fatemur & attestamur, prætactos universos nobiles prædiales jam fatæ Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis fuisse & esse gavisos veræ nobilitatis titulo & prærogativa, & libertate ab antiquo. Attestationes etiam & fassiones, & juramenta eorum, & ipsorum medio orientes, emergentesque & servatas in propriis judicum ipsorum ordinariorum Vicariorum ipsius Episcopatus Zagrabiensis temporalium pro tempore constitutorum, præcise, & prorsus ita egisse, servasseque, & exercuisse, prout & quemadmodum hujusmodi attestationes fassiones, & juramenta in nostri medio, seu in cursu & modo regni ac consuetudine pergitur ac fieri solet. Temporibus etiam opportunitatis, quamplures ex ipsis prædialibus nobilibus ad attestationes, fassionesque, & juramentales depositiones peragendas & exercendas in nostri medium, & in sedem nostram judiciariam pro conjuratoribus extiterunt, sæpius creberrimeque vocati atque producti, attestationesque, & fassiones ipsorum juramentaque in nostri medio, & alias penes quoscumque ex nobis factæ & depositæ, tantæ efficaciæ, tantique roboris, quantæ efficaciæ, quantique roboris fassiones attestationesque & juramenta nobilium regni habent, reputatæ & habitæ sunt, rataeque & acceptæ, sanctæque hactenus extiterunt, atque sunt servatæ. Pluribus autem ex nobis, ex reali & vera visione constat, constititque certo certius præfatos nobiles prædiales Episcopatus Zagrabiensis prædicti, super nobilitatibus, libertatibus, prærogativisque, & gratiis ac indultis, & concessionibus dictorum divorum regum, litteras veras, veraque jura scripta, & litteralia instrumenta habuisse, prænotatas ipsorum nobilitates, libertates, prærogativasque, indulta & concessiones, per memoratos divos Hungariæ reges, ipsis gratiose factas, denotantes atque exprimentes. Seriem itaque prævissorum eidem vestræ duximus fideliter rescribendam Serenitati; litteras etiam Serenitatis vestræ prædictæ, præfatis nobilibus prædialibus duximus restituendas; præsentes vero sigillis Vicebanorum ac Comitum, & judicum cœtus Crisiensis, more consueto, firmiter consignari jussimus. Datum Crisii sexto die Octavarum prædictarum festi S. Jacobi Apostoli prænotati. Anno Domini 1467. supra denotato.*

Has litteras ipsi Prædiales ad regem deferendas curarunt, eumque communi omnium nomine rogandum, ut eas ratas haberet & confirmaret, seque in antiquam privilegiorum suorum possessionem restitueret. Eorum postulatis annuit Matthias; & regium diploma confecit anno 1470. eique tum suas priores ad proceres Slavoniæ, tum posteriores horum ad se litteras intexuit, quibus hæc subjecit: *Nos igitur supplicatione pro parte eorumdem nobilium prædialium ipsius Episcopatus Zagrabiensis nobis porrecta, regia benignitate exaudita, & clementer admissa, prætactas litteras annotatorum nobilium regni nostri Sclavoniæ, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua ipsorum parte suspectas, præsentibus nostris privilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione, aut augmento insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas, & articulos eatenus, quatenus eædem rite, legitime emanatæ, & viribus earum veritas suffragatur, acceptandas, approbandas, & ratificandas, nihilominus ea, & omnia in eis contenta pro præfatis nobilibus prædialibus, ipso-*

Matthias confirmat privilegia omnia prædialium Episcopatus & Eccl. Zagrab.

rum-

Digitized by Google

rumque hæredibus, & posteritatibus universis innovandas, perpetuo valituras, confirmamus præsentis scripti nostri patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes litteras nostras secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, impendente consignatas, eisdem nobilibus prædialibus duximus concedendas. Datum Budæ, feria tertia proxima post festum Annunciationis B. M. V. Anno Domini 1470. Regnorum nostrorum anno tredecimo, Coronationis sexto, Bohemiæ vero primo.

Res ecclesiasticas diminutas, & alienatas Osvaldus restituere & recuperare aggreditur.

Res Ecclesiæ Zagrabiensis, cum ejus administrationem Osvaldus suscepit, partim inertia superiorum Antistitum, partim incuria, vel etiam fraude & injustitia Gubernatorum sæcularium, eo redactæ, ac dilapsæ erant, deteriori ut statu esse vix possent. Multas villas Ecclesiæ & castella non pauca proceres Slavoniæ sive per emptionem illicitam acquisita, sive per dolum ac malitiam occupata retinebant; & plerasque decimas vel ibi violenter interverterant, vel cultores agrorum solvere nolebant. Ad possessores iniquos depellendos, & jura Ecclesiæ vindicanda divinitus ei datum fuisse Osvaldum arbitror, virum summi consilii, & maximi animi, juris utriusque peritum, & in judiciis, rebusque forensibus apprime versatum, ut ejus acta, & sententiæ judiciales declarant. Hic totius Episcopatus, & Ecclesiæ administrationem, secluso quolibet laico Gubernatore, ad se unum revocavit. Ac primum quidem ab rege Matthia impetravit, ut duo amplissima privilegia, alterum Ludovici anno 1360. alterum Sigismundi anno 1427. Ecclesiæ concessa, suarum ipse litterarum præsidio communiret ac firmaret. His regiis litteris armatus ad bona ecclesiastica recuperanda, & e manibus præpotentium virorum extorquenda cogitationem curamque omnem convertit. Primores oppidorum, & villarum diœcesis anno 1467. ad Concilium generale convocavit. In eo frequentissimo conventu, quæ & quanta detrimenta per annos fere quadraginta Ecclesia cepisset, non sine acerbissimi doloris significatione exposuit; leges sapientissimas præscripsit, quibus & præterita resarciri, & futura damna præcaveri possent, resque ecclesiastica valde diminuta in antiquum statum restitui. Litteras encyclicas, quibus conventum edixit, per omnia diœcesis loca circumferri jussit, quarum initium est hujusmodi:

Primoribus oppidorum & villarum diœcesis conventum generalem indixit.

Osvaldus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis. Omnibus &c. Salutem in salutis largitore. Divinæ providentiæ dispensatio principibus, & præcipuæ Ecclesiarum protectoribus, ideo in terrarum orbe, in populo jus dominandi ordinavit, atque reliquit, ut ipsi cunctorum, & præsertim suorum subditorum commodis, felicique statui, continua meditatione, non minus, quam suis propriis invigilent, & intendant. Proinde ad futuram rei memoriam, cunctorum hominum notitiæ, harum serie volumus deducere in apertum; quod a tempore felicis nostri introitus in Episcopatum nostrum, postquam certorum, & plurimorum fide dignorum, tam majorum, quam declivorum status, hominum relationibus veritate subnixis, de hoc edocti sumus, ut videlicet ipse Episcopatus, qui fere a quadraginta annorum curriculis per manus sæculares dire acriterque turbatus, lacessitus, nec non attritus est, atque extitit; quæ omnia aures nostras sæpe sæpius invitas intrando, nostrum animum non parvo dolore exacerbarunt. Dum itaque hæc omnia, cordis nostri in intimis crebro fuere volutata, tabescente in nobis spiritu, ad pietatem, & compassionem, subitumque tanto periculo habendum remedium sumus flexi atque inclinati, statuimusque &c.

Canonici Zagrabienses magna in offensa erant apud regem, quod Archidiaconatum Goricensem Demetrio presbytero secundi ordinis contulissent, cum jus nominandi illius Archidiaconi regium esse Matthias diceret, illudque Sacerdotium alteri tradere constituisset. Regem Capitulo iratum placavit Osvaldus, & regias litteras ad Canonicos clementissimas, reconciliatæ gratiæ testes, impetravit, Budæ datas *Sabbatho post festum S. Georgii*; quin immo rex iisdem concessit, ut ad repellendas arcendasque Turcarum incursiones, urbem Capitularem sepibus, & fossa, & aggere circumdarent. Per eos annos siquidem e Bulgaria & Serblia in Chrobatiam & Slavoniam crebras Turcarum irruptiones factas fuisse accepimus; qui agros depopulati, villis direptis atque incensis, tum aliorum rerum, tum hominum ac pecudum prædas abigebant. Ac semel quidem nihil propius fuit, quam ut, Savum transgressi, civitatem regiam Græcensem, vel primo impetu caperent, vel certe obsiderent, atque oppugnarent. Periculum proximæ civitatis, quæ tunc & idoneo militum præsidio carebat, & commeatuum penuria laborabat, miseratio & caritas erga vicinos, in gravissimum patriæ ac libertatis amittendæ discrimen adductos, Capitulum & clerum Zagrabiensem excivit ad ferendum auxilium. Itaque colonos & clientes Ecclesiæ armarunt; eisque cum ingenti cujusque generis cibariorum copia in urbem introductis, ipsi quoque ductores Canonici, presbyteri, clerici se ad defensionem civitatis, omnemque eventum paratos præbuerunt. Hoc subsidium civitati periclitanti collatum ab urbe invadenda Turcas absterruit; mirum vero quantum valuit ad concordiam inter cives & Canonicos stabiliendam. Græcenses tam insigni beneficio deliniti, cum memoriam veterum discordiarum & offensionum sempiterna oblivione delendum censuissent, in eas conditiones, quæ utrisque utiles essent ac salutares, cum Capitulo & clero pacem fecerunt.

Canonici & clerici civitati montis Græcensis laboranti subveniunt.

Proceres perpetuam cum Capitulo & clero pacem stabiliunt.

Nos tota Communitas civium montis Græcensis de juxta Zagrabiam, omnibus Christi fidelibus &c. salutem in salutis largitore &c. Quoniam his diebus, videlicet post festum S. Michaelis Archangeli proxime præteritum, sævissimi Turci, inimici Christi fideique & religionis Christianæ persecutores atque devastatores, usque vadum, seu portum fluvii Savæ applicuissent, & advenissent, cujus fluvii Savæ aqua eo tum multum decreverat, & imminuta extiterat; Ubi multitudo Christianorum utriusque sexus hominum ex illa parte fluvii Savæ fugientium, omnibus bonis, nec non domibus, & rebus concrematis, & derelictis, aufugissent, ipsumque fluvium Savæ vix transvadassent; visis etiam eo tunc validissimis ac impetuosis multiplicatisque, & accensis ignium flammis, quod flammæ usque ad aera celestia se sublevabant; ex quorum Turcorum sic multiplicatis insultibus & invasionibus, nec non devastationibus, nobis & toti Communitati dictæ civitatis tam propter paucitatem hominum, quam & carentiam victualium terror maximus incumbebat, & nisi nutu Omnipotentis misericordisque Dei inopinate his in proxime consequen-

Digitized by Google

sequentibus, & effluxis diebus, ipse torrens fluvius Savæ inundasset, & accrevisset, nedum nobis & huic civitati, sed etiam toti regno periculum, & exitium finale ingruebat & imminebat, & quia Venerabiles DD. Canonici, ceterique viri ecclesiastici de Capitulo Eccles. Zagrab. videntes, & præsentientes ipsorum Turcorum immanissimas Christianorum invasiones, & periclitationes, hominumque utriusque sexus abductiones, & domorum combustiones, propriis eorum in personis, una cum familia armisque rebus, & bonis, nec non victualibus ipsorum in auxilium, & defensionem nostram, & ipsius civitatis apportatis, & adductis, contra eosdem Paganos pugnaturi, & ipsam civitatem, auxiliante omnium Creatore, toto ipsorum conamine, una nobiscum defensuri advenerant, quos nos favorabiliter hilariterque & benigne assumentes, & in ipsam civitatem ac medium nostri intromittentes, hospitia & domos nostras eisdem præstantes; licet enim inter nos & ipsam Communitatem nostram ab una, & ipsos Dom. Canonicos de dicto Capit. Zagrab. ab altera parte, ab olim & dudum, tam prætextu injuriarum, damnorum, nocumentorum, rixarum, controversionum, dissensionum, differentiarum Rezaniorum que hactenus, & usque ad hæc tempora, quocumque & qualitercumque, & per quemcumque modum factarum, illatarum & patratarum: quam factis quoque potentiariis, aliisve quibusve malorum generibus nobis quovis modo illatis & irrogatis, signanter in facto excommunicationis cujusdam sententiæ, olim per quemdam Dominum Joannem Episcopum pro parte, & ad instantiam ipsius Capituli Zagrab. contra nos, in eo videlicet latæ & fulminatæ, ut filii nostri usque ad quartam generationem cum nullos gradus, ordines, beneficiaque & feuda ipsorum in medio promovere, & obtinere non potuissent nec valuissent, litis, dissensionis, & controversionis materiæ invidiæque fomites, raccentiores, & malitiæ exortæ fuissent, ac diutius ventilatæ ac protractæ extitissent, tamen nos cum eisdem Dominis Canonicis de Cap. Zagr. volentes, cupientes, & animo desiderantes amodo, deinceps, ac in posterum pacis ac amœnitatis pulchritudine, nec non tranquillitate frui, potiri, gaudereque, & in ea permanere, omnia præmissa in alterutrius mutua vicissitudine facta patrata, commissaque, & exorta damna sedavimus, sopivimus, ac sic super articulis & clausulis infra declarandis, & latius specificandis, hujusmodi pacem, & firmam concordiam cum ipsis Dom. de Capit. Zagrab. perpetuo duraturam fecimus & stabilivimus.

Primo quod ipsi Domini de Capitulo Zagrab. ipsorumque tributarii, pro tempore per eosdem constituti, tributum in foro annuali seu nundinis in festo S. Marci Evangelistæ, ac aliis diebus ante, & post sequentibus, excepta dumtaxat consueta portione ejusdem, vulgo Filiarschina vocata, nobis & dictæ civitati provenientе, & spectante, semper salva permanente, nempe extorquere, & exigere poterunt & valebunt. Item quod antelati Domini de dicto Capitulo, ipsorumque tributarii, de curribus & equis per cives & inhabitatores dictæ civitatis, ab exteris partibus appretiatis, & ad ipsam civitatem, de rebus & bonis, per nos vel alterum nostrum comportatis & adducendis nullum tributum, nullamque exactionem habere, exigere, & recipere poterunt, nec valebunt modo aliquali. Hoc etiam clare declarato, quod si ipsi Domini de Cap. Zagr. ac tributarii eorum pro tempore constituti, super aliquibus rebus per nos vel alterum nostrum ab exteris, ut præmittitur, partibus appretiatis, & ad ipsam civitatem adducendis, suspicionem super eo haberent, vel haberet, quod nos aliquem, vel aliquos in fraudem hujusmodi ipsorum tributi nostra bona vel alterius nostrum asserendo, libertare voluerimus; ex tunc nos vel alter nostrum, juramento mediante, ad suam, vel eorum expurgationem se expurgare coram eodem tributario tenebimur. Item quod ipsi Dom. de dicto Capitulo, aut decimatores eorum, tempore Vindemiæ in Konchis & locis in territorio ipsius civitatis nostræ, decimas vini seu musti exigentes, dum, & quoad usque in ipsis decimis & konchis, in exigendis vinis, seu mustis perseveraverint; tam nos, videlicet cives, ac etiam inhabitatores & incolas dictæ civitatis, prætextu dumtaxat debitorum vini, & non aliarum rerum, quam etiam forenses, seu extraneos, ratione quorumcumque debitorum arrestare, judicare, ipsorumque judicio arrestari facere poterunt & valebunt.

Universas quoque litteras causales, requisitorias, protestatorias, inhibitorias, executorias, insinuatorias, obligatorias, admonitorias, judiciales, obmissionales, sententionales, & alias quaslibet pro parte nostra contra ipsos Dominos de dicto Capit. Zagrab. sub quacumque forma verborum confectas, & emanatas, seu effici, & emanari procuratas, demptis sic, ut præmittitur, litteris nostris factum jurium nostrorum possessionariorum continentibus, tamquam vanas, frivolas, mortuas, cassas, inanes, viribusque carituras penitus relinquimus, ipsarumque exhibitorias intra & extra judicium ubique . . . . Super quibus omnibus præmissis, superiusque specificatis, & declaratis nos Communitas civitatis montis Gracensis, ac ipsi Domini de Capitulo Zagrab. præmissis . . . unionibus initis, & factis alternatim, & mutua vicissitudine reddidimus, & commisimus . . . aliis compositionibus, & concordiis nostris prius cum iisdem Dominis de dicto Capitulo factis & habitis in eorum vigoribus semper salvis permanentibus. In quorum omnium robur atque testimonium præmissorum, firmitatemque perpetuam, præsentes litteras nostras privilegiales, nostro communi sigillo impendenti consignatas, eisdem Dom. de dicto Capit. Zagrab. duximus concedendas. Dat. feria tertia proxima post festum S. Hieronymi Doctoris eximii A. D. 1469.

Hoc eodem anno 1469. Canonici Zagrabienses ab rege Matthia, ut supra dictum est, potestatem impetrarunt sepiendi muniendique aream Capitularem, patentem undique, & expositam incursionibus Turcarum. En regium diploma.

Nos Matthias D. G. rex Ungariæ, Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis, quod pro parte, & in personis fidelium nostrorum honorabilium Dominorum de Capitulo Zagrab. nostræ humiliter supplicatum est majestati, ut ex quo dictum Capitulum prope ea loca esset, ad quæ sæpius Turci insultus atque incursitationes facere consuevissent, id eis annuere & concedere dignaremur, quod prædictum Capitulum ipsorum, prout eis melius videretur sepibus circumdare & fossatis munire valerent. Nos igitur exaudita eorum supplicatione . . . . id ex gratia speciali duximus annuendum & concedendum, ut ipsi præ-

Matthias Canonicis potestatem fecit areæ Capitularis muniendæ.

præscriptum Capitulum ipsorum sepibus circumdare ac fossatis munire, propugnaculisque fulcire & ædificare, ac tandem tam ipsi, quam ipsorum successores universi munitum, & ædificatum tenere valeant, atque possint; immo annuimus & concedimus harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut rex Ungariæ utimur, est appensum, vigore & testimonio litterarum mediante. Dat. Budæ feria sexta proxima ante festum B. Elisabeth viduæ. Anno Domini 1469. Regni nostri anno 12. Coronationis vero sexto.

Commoratio Canonicorum in civitate Græcensi. Opus erat sane operosum, & plurimum temporis ac laboris requirebat. Interea dum ea munitio fieret, Canonici & presbyteri Zagrabienses perhumaniter a civibus Græcensibus admissi, divisique in varia domicilia, urbem regiam per aliquot annos incoluerunt, solutique ibidem omni metu & periculo, divinis rebus operam dabant, atque ad psalmodiam quotidianam, ac ceteras functiones sacras peragendas, æde primaria S. Marci utebantur. Per id temporis ad claudendam, & operibus munitionibusque sepiendam aream Capitularem, cogitationes curæque Canonicorum conversæ. Id operis ac laboris imperatum fuit colonis, & cultoribus agrorum Capitularium; aliis quidem ut currus accommodarent, & arbores excisas, calcem, cæmenta, omnem materiam seu ligneam, seu lapideam illis impositam convehérent; aliis ut fossam circumcirca perducerent: aliis ut aggeres exstruerent, omnique ex parte obices firmos ac validos hostibus opponerent. Operi faciundo unus de Capitulo præesse jussus, qui rem urgeret, atque invigilaret, ne operarii torpescerent, neve indiligenter injunctum cuique munus exsequerentur. Area Capitularis late quidem patebat, sed pauciora erant, quam pro magnitudine spatii, domicilia; nec fere alii, quam Canonici, presbyteri, clerici, & eorum servitia, inibi habitare solebant. Hi autem cum nec numero, nec viribus, nec scientia militari ad munitiones tuendas, & Turcas repellendos valerent, necesse fuit colonos ex agris, locisque finitimis accersere, atque intra septa recipere, qui ad repentinas Turcarum aggressiones arma caperent, urbem defenderent, hostesque propulsarent. Ad novos incolas excipiendos multas ædiculas exstruendas curarunt, quas vici plateæque interjectæ discriminabant; & cum vacui spatii quod satis esset pro numero habitatorum, area Capitularis non suppeteret, aliquid soli ad domos inædificandas ex curiis, sive atriis Canonicorum detrahi oportuit. Undique vicinas gentes ad novam urbem frequentandam plurimis privilegiis, immunitatibus, & præmiis propositis invitarunt. Verum ad hanc veluti novam civitatem condendam & colonos aliunde accitos in eam deducendos, atque insolitis beneficiis donandos, tum regia tum Episcopi auctoritate opus erat. Canonicis, utramque suppliciter petentibus, neutra defuit. Et Osvaldus quidem non solum privilegia novis habitatoribus collata confirmavit, quamvis communi ac receptæ consuetudini, institutis ac legibus Ecclesiæ Zagrabiensis adversari viderentur; sed etiam cives illos adscriptitios episcopali jurisdictioni exemptos, in clientelam ac potestatem Capituli tradidit. Extat illius diploma in hanc rem confectum, in quo rationem reddit, cur a majorum institutis nonnumquam discedere oporteat, cum videlicet necesse sit rebus ac temporibus potius parere, quam legibus aut moribus.

Osvaldus &c. omnibus Christi fidelibus &c. salutem in omnium Salvatore. Meditantibus nobis, & horis continuis ac momentis indesinenter revolventibus quondam felicis recordationis nostrorum prædecessorum, ejusdem Ecclesiæ dignissimorum Pontificum, beata ac felicia tempora, eaque præsenti nostro sæculo, & diebus his instantissime, quibus hanc turbulentissimam vitam, vix respirantes, degimus, comparando, admiratione inenarrabili circumducimur; & dum quidquam de his & illis effari conamur, vox illico faucibus hæret. Nam quantum inter Orientem & Occidentem, tenebras & lucem, tantum inter hæc & illa interesse conspicimus. Et ideo nemini absurdum videri debet, si ipsorum prædecessorum nostrorum vestigia, vel circa nosmetipsos, vel circa gubernamen subditorum nostrorum, imitari usquequaque non valemus. Sive enim ad domesticas, & intestinas, sive a foris adventantes calamitates, & tribulationes quotidianas, quibus hoc inclytum regnum pene compressum, & attritum est, respectum habeamus, quis sanæ mentis nos objurgare poterit, si veteribus moribus hominum obrutis, & cum suo sæculo abolitis, recentibus, & ævo nostro accommodatis usibus, & vivendi norma, velimus nolimus, uti cogamur. Tametsi enim domestica incommoda nobis onerosa existant, quod juxta vocem Apostolicam, vix sub eis tempus redimere possimus; major tamen stimulus, & longe atrocior aculeus nos pungendo insequitur, Turcarum videlicet fera & truculenta rabies, qui hoc idem regnum majori in parte vastitati, & desolationi subactum, excidio finali in dies exterminare moliuntur. Horum siquidem Crucis Christi inimicorum, & immanissimarum belluarum feritas adeo invaluit, ut nos, qui ex eorum faucibus admodum pauci, Altissimo protegente, hactenus evasimus, & excidium hujusmodi tremebundi præstolamur; non nisi divinæ majestatis clementia, & deinde optimarum munitionum & fortalitiorum præsidio, & tutela eliberari, & conservari speramus &c. Ait deinde se quoque necessitate compulsum esse, tum ut curiam suam Zagrabiensem, tum & alia loca episcopalia validioribus muris, & præsidiis muniret *pro pauperum hominum Ecclesiæ suæ conservatione, non sine maximis gravaminibus temporum*; tum vero ut leges novas ab antiquis paullulum discrepantes, sed temporibus accommodatas præscriberet; *attendentes*, inquiens, *non esse reprehendendum si secundum varietatem temporum, statuta etiam varientur humana, juxta legitimas, & canonicas sanctiones*. Demum novos incolas areæ Capitularis suæ & successorum Antistitum jurisdictioni exemptos, & Capitulo subjectos fore jubet, quibus imperandi, legesque opportunas præscribendi facultatem eidem Capitulo concedit. Deinde sermone ad Canonicos converso, *ut in area sua, quam de regio consensu, & sua annuentia jam circumvallassent, laicos homines pro sui, & erectæ munitionis defensione collocare possint*, impertit *facultatem; laqueum*, inquiens, *sibi parare, qui munitione erecta, eamdem accurate custodire prætermittit*. Hoc diploma confectum fuit *anno 1469. ipso festo S. Regis Stephani*.

Diploma Osvaldi Episcopi.

Anno circiter 1478. Canonici cum maximas gratias egissent suis hospitibus montis Græcensis, a quibus benigne accepti, & liberaliter

Digitized by Google

ter tractati fuerant, ad urbem sive ad aream Capitularem, validis munitionibus circumseptam redierunt; & eodem anno XVII. Kalendas Octobris decretum fecerunt contra Canonicos absentes, qui, cum neque per se ipsi, neque per alios sibi substitutos Ecclesiæ inservirent, nec choro interessent, neque ad custodiam civitatis advigilarent; integram tamen portionem e suis ecclesiasticis proventibus percipere volebant; & præterea statutum est, ut, si quis excubias diurnas, aut nocturnas detrectaret, sibi nomine jussuque Capituli imperatas, cum a Turcis periculum vel metus ingrueret, primum uno floreno multaretur, deinde pensionem unius anni canonicalem, demum, si in ea detrectatione contumaciter persisteret, fundos omnes sui sacerdotii amitteret: *Anno Domini 1478. fer. 4. in crastino Exaltationis S. Crucis in sacristia exteriori Domini pro tunc congregati, attendentes nonnullorum fratrum suorum super constitutionibus factis non observationem, ac illos qui sunt absentes, qui ut alii ad plenum portionem canonicalem habere contendunt, quemadmodum & præsentes, qui pondus diei & æstus sufferunt; tamen illis, quibus debent officiis & oneribus, minime insistere curant, aut suis officialibus adimplere committunt; propter quæ non solum negligentiæ in Ecclesia, sed & in custodia munitionis, ad quam omnes debemus, & præsertim tempore insultus Turcarum, committuntur. Et ne talia incassum fierent, & ordinationes salubres de cetero negligantur; statuerunt, ordinarunt, & firmiter observandum concluserunt, quatenus dum & quando officialis, super talibus constitutus, alicui Dominorum custodiam nocturnam, vel diurnam, juxta ordinationem Dominorum factam, indixerit, omnis sine negligentia & conditione, eamdem adimplere tenebitur. Qui autem hoc sive negligenter, sive alio quovis modo adimplere non curaverit, pro primo puniatur floreno uno, pro secundo autem portione canonicali illius anni, pro tertio autem, quod absit, si negligens fuerit, prædio canonicali sine omni gratia privabitur. Quisquis autem pro eo loqui, vel intercedere ausus fuerit, pœnam se perjurii sentiat incurrisse ipso facto. Ad quam D. Vicarii auxilium ex tunc implorabitur, quam incurrisse eum declarabit.*

Canonici in aream Capitularem reversi, pœnas constituunt in absentes, & jussa Capituli detrectantes.

Episcopus & Canonici Zagrabienses cum vel sedis Episcopalis, vel subsellii Capitularis possessionem inibant, in leges, consuetudines, jura tum Ecclesiæ, tum Capituli jurare consueverant. Sed rerum, morum ac temporum conversiones, mutationesque tot ac tantæ factæ fuerunt, ut vetera illa præscripta, quamvis multarum ætatum auctoritate, & jurejurando etiam firmata, jam servari non possent; & veteres reformari, novasque sanctiones condi oporteret, quæ cum recentibus temporibus, personis, ac rebus congruerent: Id ut sibi liceret, & sacramenti vinculo exsolverentur, ab Sede Apostolica postularunt. Postulatis benigne annuit Innocentius VIII. anno 1487. *Nos itaque*, ut est in extremo diplomate pontificio; *quia Ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium, & personarum earumdem laudabili regimini, & reformationi libenter consulimus; hujumodi supplicationibus inclinati, vobis, ut cum dicto Episcopo, omnia & singula statuta hujusmodi etiam juramento, & Apostolica auctoritate confirmata, examinare, corrigere, immutare, reformare, & innovare, & totaliter cassare: & alia personis, locis, ac temporibus prædictis accommoda edere, libere & licite possitis & valeatis, licentiam & facultatem concedimus; eaque sic per vos innovata & reformata nostra auctoritate observari mandamus, absolventes singulos vestrum a præstito per vos juramento de illis pro tempore observandis; ad cujus observationem volumus vos non teneri. Non obstantibus &c.*

Episcopus & Canonici leges veteres abrogandi, & novas condendi facultatem ab Innocentio VIII. petunt impetrantque.

Osvaldo illud in primis, & maximæ curæ fuit, ut jura Ecclesiæ vindicaret, & bona atque emolumenta ecclesiastica recuperaret. Sub initium fere suscepti Episcopatus acerrima illi ac diuturna controversia fuit cum Dynastis & civibus oppidi & Comitatus Varasdinensis, qui solutionem decimarum præfracte abnuebant, rationes nescio quas commenti, cur nulla eas solvendi lege tenerentur. In judicium vocati, primum coram Michaele magistro artium liberalium, & concionatore Ecclesiæ Chasmensis, quem illis Osvaldus judicem dederat, deinde coram Blasio de Kamong Præposito Ecclesiæ Bacchiensis, judice delegato ab Archiepiscopo Colocensi, ad quem illi appellaverant; apud utrumque caussa ceciderunt. Suam Blasius sententiam ad quosdam parochos diœcesis Zagrabiensis perferri jussit, ut eam promulgarent, simulque, ut de solutione integra decimarum admonerent, atque urgerent Dynastas, cives, agricolas oppidi ac territorii Varasdinensis; & nisi imperata facerent, eos anathemate ferirent, in contumacia perstantes pœnis omnibus, dirisque ecclesiasticis subjicerent.

Varasdinenses, cum decimas solvere nollent, caussa ceciderunt.

Blasius de Kamong, artium liberalium magister, præpositus & Canonicus in Ecclesia Metropolitana Bacchiensi, nec non per Reverendissimum in Christo Patrem & Dom. Stephanum miserat. divina Ecclesiæ SS. Nerei & Achillei Sacros. Rom. Eccl. Presbyterum Cardin. Archiepiscopum Colocensem, & dictæ Bacchiensis, Ecclesiarum canonice unitarum, locique ejusdem Colocensis Comitem perpetuum, supremumque regnorum Cancellarium, judex delegatus, & commissarius specialiter deputatus; imperat parochis de Toplica, de Szentiakob, de S. Clemente, de S. Elia, de S. Elisabeth in Szubodol, de S. Bartholomeo de Martianz, de Lusbreg, de Pyrlak, de Sabaria, de Nedelich, de Varasd, de Biskipecz, de Mariassovcz, & de Vinicza, ut magnificum Georgium natum Parisan Comitem Zagoriæ, nec non nobiles Joannem de Szubodol Vicecomitem Varasdinensem, Ladislaum, & Casparem Hergtty de Zaiezda, Fridericum Otoocz de Szent, Jakob, Martinum Barocz, Joannem Kernyachuycz, Benedictum Bernakaycz, Ladislaum de Hergh, Joannem Mathoycz, Hieronymum de Urbovcz, Osvaldum Urbanobcz, Nicolamini Madravaz, alterum Nicolamini de Szubodol, aliosque universos & singulos nobiles, cives Varasdinenses, & agrorum cultores civitatis, Comitatus, Cultelli Varasdinensis, in caussam attractum, & attractos, & ex adverso principales & appellantes, de & super facto detentionis, usurpationis, denegationis, & occupationis, non solutionisque dictarum decimarum, D. Osvaldo Episcopo, Ecclesiæque suæ Zagrabiensi, de dicto Cultello, sive Comitatu Varasdinensi, provenire debentium, aliisque damnis, & injuriis causatis serio admoneant, ut Dom. Osvaldo Ep. Zagrab. & suis successoribus pro tempore constitutis, secundum leges, consuetudinem, atque vim, formam, tenorem litterarum, privilegiorum, & instrumentorum, ac limitationem, & modificationem Divorum Regum,

Sententia Blasii de Kamong judicis a metropolita Colocensi delegati.

Ba-

Digitized by Google

Banorum, ac ipsius Matthiæ regis Hungariæ adjudicatum in vigilia S. Laurentii de anno 1466. Crisii factam, universas decimas persolvant; secus, eosdem excommunicatos publice denuncient, campanis pulsatis, candelis accensis, & extinctis, ac in signum maledictionis æternæ projectis.

Quod si intra quindecim dies ad pœnitentiam non rediverint, pulsatis campanis, candelis accensis, & extinctis, cruce cerea religione induta, aquam benedictam aspergendo ad fugandos Dæmones, qui eos sic detinent alligatos, & suis laqueis catenatos, orantes quod Dominus Jesus Christus eosdem ad catholicam fidem, & S. Matris Ecclesiæ gremium adducere dignetur, ne eos in tali duritia ac perversitate dies eorum finire permittat, cum decantatione responsorii, Revelabant cœli iniquitatem Judæ, & Psalmi, Deus laudem meam non tacueris, cum Antiph. Media vita &c. hoc facto & finito ad januam Ecclesiarum vestrarum, una cum ecclesiasticis procedendo, ad terrorem, ut ipsi excommunicati, aggravati citius ad pœnitentiam redeant, tres lapides versus domus, & habitationes eorumdem projiciendo, in signum maledictionis æternæ, quam Deus dedit Datham & Abyron, quos viros terra absorbuit, solemniter publicatis & denuncietis, ac per vestros faciatis denunciare, ut ab omnibus Christi fidelibus arctius devitentur.

Si post hæc iterum manserint contumaces, ut tunc, elapsis diebus quindecim, a participatione & communione ipsorum, sub pœna excommunicationis reliqui fideles arceantur, neque audeat quisquam cum præfatis loqui, sedere, stare, ambulare, servire, hospitari, comedere, cibum, aquam, ignem præbere, aut quodvis humanitatis præstare officium, præterquam in casibus a jure permissis. Si nec his moverentur, sed more aspidum surdarum, sustinerent hæc omnia animis induratis, tum omnes, civitates, oppida, castra, villæ, suburbia, quarumcumque Ecclesiarum collegia, parochiæ, & alia loca, in quibus præmissi manerent, ecclesiastico interdicto subjaceant, divina cessent, nec ulla, stante interdicto, sacramenta ministrentur, nisi pœnitentia & baptismus, eucharistia item infirmis, & matrimonium sine ecclesiastica solemnitate contrahatur; ecclesiastica autem sepultura omnibus denegetur, quoad præfati aggravati ex locis illis non abiverint. Quod si vero Diaboli membra effecti nec hæc curaverint, nobis pro sæculari brachio scribatur. Et hæc sententia nostra ad valvas ecclesiarum ubique appendatur, ut cunctis fiat manifesta; absolutionem a censuris prædictis nobis & superiori nostro reservamus. Quidquid acciderit per instrumentum publicum nobis significetur.

Dat. Bacchiæ die Mercurii, septima mensis Februarii anno 1470.

Varasdinenses Sedem Apostolicam appellarunt. Dynastæ ac cives Varasdinenses tot ac tantis exsecrationibus confixi oneratique Sedem Apostolicam appellarunt. Hanc appellationem Matthias rex irritam fecit, propterea quod tum utrique parti magno sumptui fore necesse erat, tum consuetudini, & privilegio regiæ Majestatis Apostolicæ officere existimabat: *Cum percepissimus*, inquit, *in hoc non solum partibus ipsis graves impendere labores atque expensas, sed consuetudini, & libertati regni nostri non mediocre præjudicium irrogari, cupientes penitus & in toto litem hanc inter partes prædictas extinguere, & consopire, præcipue vero, ut ipse Dominus Episcopus, & sui successores hujusmodi litibus amplius impediti, majoribus regni nostri negotiis incumbentes, libere vacare nequeant.* Itaque controversiam illam ad suum regium tribunal avocavit, & diem Dominicum Palmarum ad conveniendum edixit; cum illi ad diem præscriptam non adfuissent, demum *anno* 1474. *feria* 4. *proxima ante festum S. Georgii Martyris Budæ* Matthias rex in frequentissimo Episcoporum & procerum conventu secundam Ecclesiam Zagrabiensem, & Osvaldum sententiam tulit; & *juxta decretum* de solvendis decimis *an.* 1466. *in generali Congregatione* conditum, decimas integras, & sine ulla diminutione Ecclesiæ, & Episcopo Zagrabiensi persolvi jussit a Dynastis, civibus, & agricolis oppidi ac territorii Varasdinensis, quibus *perpetuum silentium* imposuit, simulque edixit, *ut ab ulteriori prosecutione caussæ prænotatæ, occasione præmissorum, contra libertatem regni, in manifestam Ecclesiæ Zagrabiensis injuriam, seu jacturam motæ penitus cessare, seu supersedere debeant, ac teneantur.* Neglectam decimarum solutionem incuriæ administratorum, vecordiæ superiorum Antistitum, videlicet Benedicti, Balthassaris, Demetrii, quos intrusos vocat, iniquitati ac violentiæ præpotentium virorum adscribit: *Quod cum præfata Ecclesia*, inquit, *fere per annos triginta, & citra vero pastore fuit destituta, & per manus laicales distracta, non debent curari Regestra, secundum quæ non a veris prælatis ipsius Ecclesiæ Zagrab. sed ab intrusis, & potentibus, & tyrannis laicis fuerunt ipsæ decimæ dicatæ, & registratæ &c.*

Altera de decimis controversia cum Andrea parocho S. Mariæ de Chamarcha. Nec vero aut regis auctoritas metusve, aut anathemata inflicta Varasdinenses a contumacia revocarunt, in qua usque ad extremos hujus sæculi annos perstiterunt. Nihilo leviores concertationes Osvaldo fuere cum Andrea parocho S. Mariæ de Chamarcha, qui a quibusdam agris & colonis, ad ejus parœciam ex gratuita donatione episcopali non ita pridem adjunctis, decimas exigebat, sibique vindicabat, cum jus eas percipiendi Episcopus sibi reservasset. Osvaldo eas repetenti abnuebat Andreas, & judicem postulabat, apud quem rationes exponeret, quamobrem decimas illas sibi deberi existimabat. Datus est illi judex Georgius Episcopus Rosonensis, qui Osvaldi consanguineus erat. Hic auditis rationibus quas pro se afferebat parochus, litem injudicatam reliquit, remque integram ipsi Episcopo reservavit. Andreas veritus ne apud tribunal episcopale caussa caderet, Gabrielem Metropolitam Colocensem appellavit, qui huic controversiæ dirimendæ præfecit Blasium præpositum Ecclesiæ Bacchiensis. Hic antequam sententiam diceret, colonos, Andrea postulante, anathematis vinculo exemit, quo illos ob denegatam decimarum solutionem Osvaldus illigaverat, nequidquam reclamante procuratore Episcopi, qui ad Sedem Apostolicam appellavit. Itaque a Metropolita Colocensi ad Pontificem Romanum caussa integra devoluta est. Is erat Sixtus IV. qui per litteras imperavit Michaeli Abbati Cisterciensi cœnobii S. Mariæ Zagrabiensis, ut caussam rite cognoscat, feratque pro veritate sententiam. Hic vero secundum Episcopum judicavit; cujus judicio stare noluit Andreas, & ipse quoque appellationem interposuit ad Sedem Apostolicam; ab eaque mandatum accepit ad Joannem vicarium Sigismundi Episcopi Quinqueecclesiensis, Gregorium Archidiaconum, & Michaelem ejusdem Ecclesiæ

Digitized by Google

Canonicos, ut parti utrique judicium redderent. Cum hi neque juridica utriusque partis citandæ formula, neque præscripta juris, & cognoscendæ caussæ regula servata, progredi vellent ad sententiam ferendam, Joannes lector Ecclesiæ Chasmensis, & procurator Osvaldi intercessit, & quidquid statuissent, irritum fore declaravit, & tertiam ad Sedem Apostolicam appellationem denunciavit. Illi hac denunciatione, & intercessione deterriti non sunt, quo minus contra Episcopum, & secundum Andream sententiam ferrent; & si fides habenda est Thomæ Kovascevichio, tanta illos temeritas & audacia cepit, ut in ipsum Episcopum, ejusque procuratorem interdicti atque anathematis sententiam pronunciarent. De ordine judiciali præpostero, de sententia nec juste, nec legitime prolata, de tam insigni injustæ excommunicationis nota episcopali personæ inusta, Osvaldus per litteras graviter conquestus est apud Sixtum Pontificem, qui integram totius caussæ cognitionem delegavit Leonardo cœnobiarchæ monasterii Cisterciensis S. Mariæ de *Lonstros* in provincia Carnioliæ, & diœcesi Aquilejensi; illudque de lege Bonifacii VIII. derogavit, quo cavebatur, ne quis e sua civitate ac diœcesi in aliam civitatem ac diœcesim ad judicium vocaretur. Imperavit itaque Leonardo primum, ut si Osvaldum Episcopum ac Joannem lectorem ecclesiastica communione rite ac legitime privatos fuisse comperisset, utrumque omni culpa, & pœna liberaret; deinde, ut seclusa omni appellatione, finem illi controversiæ imponeret. Paruit Leonardus mandato pontificio, diem secundum Maji utrique parti ad caussam dicendam præfinivit. Adfuit procurator Osvaldi, Andreas non item, neque ejus procurator. Huic iterum ac sæpius dies prorogata fuit; numquam apparuit. Itaque Leonardus, convocatis suis assessoribus, & consiliariis, ac testibus idoneis adhibitis, sententiam pronunciavit; acta Gregorii, Joannis, Michaelis rescidit atque irrita fecit; decimas omnes, de quibus erat controversia, Osvaldo Episcopo adjudicavit. Hæc est ejus sententia.

Leonardus Abbas Cisterc. sententiam tulit secundā Episcop.

Christi nomine invocato de jurisperitorum, ac nostrorum assessorum consilio, & assensu per hanc nostram sententiam difinitivam, quam pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, in his scriptis ferimus, pronunciamus, dicimus, decernimus, declaramus in caussa, quæ inter Reverendum Patrem Dom. Osvaldum Episc. Eccl. Zagrab. appellantem, & discretum Andream plebanum Ecclesiæ B. M. V. de Kamarcha Zagrab. diœc. appellatum, partes hinc inde, de & super decimis, & earum occasione a Colonis dictæ Ecclesiæ B. M. V. ex fructibus extra territorium seu terras, & montes ipsius Ecclesiæ B. M. V. & in alienis terris seu montibus in diœc. Zagrab. existentibus, & excrescentibus, primo ex commissione præfati D. Osvaldi Episcopi ad instantiam dicti Andreæ factam, coram Rever. Patre Dom. Georgio Episcopo Rosonensi, & suis certis collegis, ac deinde per appellationem ejusdem Andreæ coram Vicario Colocensi, & demum per appellationem similiter pro parte dicti D. Osvaldi Episcopi, ex delegatione Apostolica, coram Ven. Dom. Michaele Abbate Monast. B. Mariæ Zagrab. Ord. Cisterciensis; & postea similiter ex delegatione Apostolica coram Venerabilibus Gregorio Archidiacono, & Joanne officiali Quinqueclesiensi, & coram Michaele de Pezkoe Canonicis Ecclesiæ Quinqueeclesien. per dictum officialem subdelegato; postremoque ex similiter Apostolica delegatione coram nobis versa fuit, & vertitur in præsentiarum, pro parte ipsius D. Osvaldi Episc. a præfatis Gregorio & Joanne delegatis judicibus, ac processibus eorum ad Sanctiss. D. nostrum Sixtum Papam modernum, & ejusdem Sedem Apostolicam appellantis, bene, juste, sancte & legitime fuisse, & esse appellatum; ipsosque Gregorium Archidiaconum, & Joannem, ac sibi Michaelem subdelegatum, male, nulliter, injuste, & inique, ac de facto processisse, & per eos fuisse processum, diffinitum, sententiatum; & eorum processus & sententias esse, & fuisse irritandas, annullandas, revocandas & cassandas declaramus; immo irritamus, annullamus, revocamus, & cassamus; dictasque decimas ad dictum D. Osvaldum Episcop. & ejus Ecclesiam Zagrab. pertinentes, & pertinere debere, sibi adjudicandas per nos fore, & adjudicamus, dictumque Andream se, quo minus ipsæ decimæ ipsi D. Osvaldo Episc. & Ecclesiæ suæ solverentur, opposuisse, seu opponere non debere, oppositionesque, seu impedimenta, ab eodem Andrea factas, fuisse & esse temerarias, & illicitas, & fecisse quod non licuisset, neque debuisset; sed neque facere licere, neque debere declaramus, præfatoque Andreæ plebano de, & super oppositionibus, & impedimentis in hujusmodi decimis perpetuum silentium imponendum fore, & imposuimus ... in expensis in hujusmodi caussa coram nobis pro parte dicti D. Osvaldi Episcopi propterea factis, ac fructibus a tempore hujusmodi oppositionis, & impedimenti exinde perceptis, & qui percipi potuerunt, condemnandum fore, & condemnamus. Quarum expensarum ... In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Lecta, lata & in scriptis pronunciata est præsens nostra sententia difinitiva, in prædicto Londstros in monasterio nostro, & domo habitationis nostræ, 14. die mensis Junii anno Domini 1479. indictione 12. hora tertiarum, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris ac Domini nostri Dom. Sixti divina providentia Papæ IV. anno octavo, præsentibus &c.

Ita demum Andreas a contentioso illo litigio desistere coactus, Osvaldo molestus esse desiit; cum eoque tandem, post biennium a suscepto certamine, in gratiam rediit. Cum aliis quoque Dynastis ac proceribus Slavoniæ, ac præsertim Comitatus Crisiensis, & Zagrabiensis, gravissimas, & diuturnas contentiones habuit; cum hi decimas, & possessiones Ecclesiæ annis superioribus, dum res ecclesiastica erat penes administratores laicos, interversas & distractas restituere nollent. Has ille ut recuperaret, non jure solum, & legibus, censuræque & severitatis ecclesiasticæ armis decertavit, sed etiam vim militarem adhibuit; ex quo factum est, ut qui contra omnes pro æquitate & justitia pugnabat, omnium in se inimicitias, atque odia converteret; tantaque apud omnes flagrabat invidia, ut in Concilio generali, quod anno 1481. proceres Slavoniæ in urbem regiam montis Græcensis convocarunt, Osvaldum tamquam publicæ quietis hostem, & læsæ majestatis reum, ejus bonis omnibus publicatis proscripserint, ac regii juris violati apud regem accusarent. Verum Osvaldus de illatis sibi criminibus ita se regi purgavit, ut perhonorificum ab eo diploma impetraverit, quo non solum illi, si quid in regem deliquisset, venia datur,

Aliæ cum aliis Dynastis controversiæ de decimis.

Calumniæ in Osvaldum & pœnæ eidem inflictæ;

datur, sed etiam in integrum restitui jubetur, caveturque ne quis in posterum ullam illi molestiam exhibeat.

quem Matthias omni culpa pœnaque liberatum in integrum restituit.

Nos Matthias D.gr. rex Hungariæ, Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis, quod nos de benignitate nostra regia, qua delinquentibus veniam, & lapsis sublevamen solemus impertire, jurisque rigorem interdum lenitate misericordiæ consuevimus temperare, fideli nostro Rever. in Christo Patri Dom. Osvaldo Episcopo Ecclesiæ Zagrabiensis, ac castris, castellis, civitatibus, oppidis, & villis, & universis rebus & bonis suis ubivis existentibus, & in quibuscumque Comitatibus hujus regni existentibus & habitis, super nota, seu labe proscriptionis, qua ipse in Congregatione generali universitatis nobilium regni nostri Sclavoniæ, nuper Zagrabiæ celebrata, per juratos assessores ejusdem .... proscriptus fuisset, & præterea super omnibus aliis excessibus suis, quibus ipse majestatem nostram hactenus offendisset, gratiam duximus faciendam specialem; omnemque indignationem nostram, quam huc usque ratione quorumcumque excessuum suorum, erga eum conceperamus, de pietate & clementia nostra removemus, immo facimus, & removemus præsentium per vigorem; quocirca vobis fidelibus nostris, Reverendiss. in Christo Patri D. Petro Archiepiscopo Colocensi cancellario nostro; item magnificis Palatino, & Judici curiæ nostræ, ac Bano, nec non Comitibus, & Vicecomitibus, ac Bano & Vicebano regni nostri Sclavoniæ, utriusque in judicatu vices gerentibus, nec non Comitibus, vel Vicecomitibus, ac juratis electis, ac judicialium quorumcumque Comitatuum, cunctis etiam aliis regni nostri judicibus, & justitiariis, ecclesiasticis videlicet & sæcularibus præsentibus, & futuris, & præsentium notitiam habituris, harum serie firmissime præcipientes mandamus, quatenus amodo nullus omnino vestrum præfatum Dom. Episcopum ratione quorumcumque excessuum per eum huc usque, & qualitercumque commissorum, pro quibus scilicet, aut in judicio proscriptus fuisset, aut indignationem majestatis nostræ incurrisset, contra formam præmissæ nostræ gratiæ, ad cujusvis instantiam intra, vel extra judicium, in persona, aut castris, castellis, possessionibus, ac aliis bonis rebusque suis universis, impedire, turbare, seu quovis modo damnificare nusquam valeat, & nequaquam præsumat, neque ausus sit modo aliquali, gratiæ nostræ sub obtentu. Præsentibus perlectis, exhibenti restitutis. In Rakspurka, in festo B. Georgii M. anno Domini 1481. regnorum nostrorum Hungariæ &c. anno vigesimo tertio, Bohemiæ vero duodecimo.

Decretum regium de solvendis decimis

Cum viri nobiles & Dynastæ regni Slavoniæ regium quoddam decretum de solvendis decimis aliter acciperent, atque rex ipse intelligi voluerat; quid suæ sententiæ & voluntatis fuerit, aperte declarat, jubetque illos juxta vetera pacta & conventa, & consuetudinem antiquitus receptam, debitas Ecclesiæ & Episcopo decimas persolvere.

Rex ipse explicat, & declarat.

Matthias Dei gratia rex Hungariæ &c. fidelibus nostris universis, & singulis nobilibus, ac ulterius cujuscumque status possessionatis hominibus regni nostri Sclavoniæ salutem & gratiam. Scripseramus nuper fidelitati universitatis vestræ, ut de bonis vestris Rever. in Christo Patri D. Osvaldo Episcopo Zagrabiensi debitas decimas, juxta antiquam consuetudinem, atque concordiam vestram, cum eo super inde factam, exolvi & extradi facere deberetis. Vos tamen, ut ex significatione ejusdem D. Episcopi intelligimus, innixi decreto novissimo per nos, regnique prælatos & barones edito, quamdam abusivam damnosamque novitatem in exolvendis decimis ipsis introducere, & sic eas cum gravi damno ipsius D. Episcopi, & jactura suæ Ecclesiæ exolvere velletis. Cum tamen profecto satis aperte, etiam ex prioribus litteris nostris colligere potuissetis, vos non bene verba & continentias decreti intellexisse. Ubi enim vos in decreto fundamenta rationum vestrarum locatis, certe, si apte & debito modo perpenditis, isthinc manifeste & expresse declaratur, Comitatus illos, qui alias cum eorum Episcopis, cujus scilicet ditionis subsistunt, super exactione decimali aliquam concordiam habuissent; non secundum decretum novissimum, sed more antiquo, & juxta concordiam ipsam, decimas ipsas dare, & exolvere debeant, ac teneantur. Quapropter quemadmodum in dictis aliis litteris nostris commisimus, ita etiam præsentibus, fidelitati vestræ firmissime præcipimus & mandamus, quatenus statim receptis præsentibus, dictas decimas præfato D. Episcopo, & suæ Ecclesiæ, juxta antiquam compositionem, & concordiam, atque etiam veterem consuetudinem vestram, libere & sine subterfugio extradere facere debeatis. Quoniam alioquin certificamus vos quod de cetero super inde vobis non scribemus; sed decimas ipsas de bonis vestris cum birsagiis, & gravaminibus opportunis pro ipso Dom. Episcopo exigi faciemus. Aliud ergo non facturi. Præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budæ feria 6. post B. Martini Ep. Confess. Anno Domini 1481.

Illius decreti interpretatio, & harum litterarum auctoritas apud plerosque proceres, & optimates valuit, qui decimas ab se, ubi rex præcipiebat, posthac persolutum iri promiserunt, veluti, ut est apud Kereselichium, *Job de Gara, Johannes de Zrinio, Ladislaus de Gereben, Stephanus Comes de Blagni, Georgius Mikrolychy de Brasin, Johannes Berenyrod de Koztanicza*, & alii. Hi fundos & villas in diœcesi Zagrabiensi possidebant, & fidem suam obstrinxerunt contributuros, juxta regis præscriptum, decimas omnium fructuum, quos ex illis perciperent. Idem se curaturum, ut præstetur a villicis suis, promisit ac recepit Nicolaus quidam, vir copiis & opibus affluens, qui concessu Matthiæ regis titulum honorarium *Regis Bosinensis* sumpserat: *Nicolaus Dei gratia rex Bosinæ ... in universis*, inquit, *possessionibus & bonis nostris in diœcesi Zagrabiensi habitis ... absque omni cunctatione dicari permittemus, & ipsas decimas persolvi faciemus. Ubi autem aliqui regnicolarum, eidem deliberationi regiæ majestatis contrarium attentare niteretur, dicto D. Episcopo contra tales recusantes favore & auxilio adesse volumus.* His adde *Wkum*, quem Bonfinius *Lupum* vocat, Rasciæ Dynastam, qui cum Turcas, ingenti clade iisdem illata, & magna præda recepta, tum a Carinthia, tum a Chrobatia repulisset, castellum *Friescam*, egregii facinoris præmium, a Matthia retulit. Hic quoque pollicitus est decimas ex proventibus castrorum, & terrarum frugiferentium, quas obtinebat in diœcesi Zagrabiensi, soluturum *juxta contractum*, inquit, *jam initum coram Georgio Archiepiscopo Colocensi, Dominico Præposito Albensi, Ladislao Budensi, Ca-*

Regiæ explicationi & auctoritati parent primores regni Slavoniæ.

sparo Scepusiensi præpositis ; magnifico item Joanne Ungor de Nadad Vaivoda.

Idem Matthias plures villas & possessiones in Comitatu Verucensi, item Crisiensi, quas viri præpotentes occupaverant Ecclesiæ Zagrabiensi, regali auctoritate interposita restitui jussit ; & anno 1486. omnibus Slavoniæ proceribus gravi & severo mandato solutionem decimarum imperavit: *Non intelligo*, inquit, *cur per omne nefas , jura , & proventus ecclesiasticos vobismetipsis velitis usurpare. Quæ res quantum hominibus christianis conveniat , vosmetipsi satis potestis intelligere. Nobis vero, qui ecclesiarum regni nostri patroni sumus , profecto vehementer displicet. Neque si deinceps his violentiis, insolentiis, & subterfugiis cum Ecclesia illa uti porrexeritis, evitare poterimus, quin ita provideamus, ut Ecclesia ipsa, velitis nolitis, suis juribus libere utatur. Unde si forsitan vobis aut damni aut detrimenti quidpiam evenerit , majus forte quam putaretis ; debebitis nemini imputare, quam vobismetipsis . . . Præsentibus quoque committimus Bano regni nostri Sclavoniæ, ut ipse vos , & vestrum quemlibet ad integram exolutionem decimarum, etiam per occupationes bonorum & possessionum vestrarum , arctius compellat , & astringat auctoritate nostra regia , sibi in hac parte attributa, mediante &c. Datum in civitate nostra Lawa Australi in festo B. Hieronymi Confessoris anno Dom.* 1486.

Bellum Matthiæ cum Turcis.

Dum hæ controversiæ de decimis fervebant, nulla quies erat ab incursionibus, metuque Turcarum ; & Matthias bella fere perpetua gessit cum Bohemis , cum Friderico Imperatore , & præsertim cum Turcis, quorum vires atque opes magis in dies magisque crescebant ; & e propinquis locis , quæ occupaverant , Hungariæ imminebant. Erat in suburbio Zagrabiæ cœnobium monachorum Cisterciensium S. Mariæ , quod dirui oportuit , ne , in Turcarum potestatem si venisset , barbaris munimento esset atque adjumento ad civitatem oppugnandam . Monachi ad alia sui Ordinis domicilia migrarunt, nec postea umquam redierunt Zagrabiam. Per idem tempus cœnobium quoque Toplicense ob metum Turcarum a Cistercienfibus desertum fuisse ajunt ; quod deinde cum omnibus suis proventibus ad mensam episcopalem locupletandam accessit. Erat itidem in eodem suburbio monasterium Dominicanum S. Nicolai Turcarum incursionibus ac direptionibus expositum. Patrum illorum saluti atque incolumitati ut consuleret rex Matthias, eos intra muros civitatis Græcensis recipi voluit , & circa sacellum S. Catharinæ, quod ipsi possidebant, areæ quod satis esset, ad novum cœnobium construendum eisdem attribuit. En regium diploma.

Diploma regis Matthiæ secundum Patres S. Dominici.

Nos Matthias Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod cum nos, cujus ex suscepti nostri regiminis officio interest providere utilitati subditorum nostrorum, præcipue virorum ecclesiasticorum, intelligamus fideles nostros devotos Fratres Ordinis Prædicatorum S. Dominici Confessoris , propter frequentes incursationes Seracenorum Turcorum ad regnum nostrum Sclavoniæ , & monasterium ipsorum in honore S. Nicolai Episcopi, & Confessoris extra muros civitatis nostræ Montis Græcen. fundatum , quod quidem monasterium jam propter timorem, & varia impedimenta ipsorum Turcorum in nimiam ruinam , & desolationem venisse dicitur, secure nullo modo inhabitari posse . Rebus ita se habentibus , ut iidem Fratres eo quietius altissimum Conditorem exorare valeant , quantum in nobis est concessimus eisdem, ut ipsi quandam capellam sub honore B. Catharinæ Virginis , & Martyris intra muros ejusdem civitatis nostræ Montis Græcen. constructam, per eosdem Fratres , sicut ab antiquo , ita & nunc pacifice possessam, per modum claustri, seu monasterii Ordinis eorum convenientis, erigere, & ædificare , ac illuc de dicto claustro S. Nicolai conventum , seu habitationem eorum transferre possint . Quia vero locus, seu situs dictæ capellæ pro ædificatione talis modi monasterii admodum arctus strictusque , & insufficiens fore perhibetur ; igitur nos propter devotionem nostram quam ad præfatam B. Catharinam Virg. habemus, quasdam duas sessiones seu fundos emptitias , eorum Fratrum præfatæ capellæ contiguas pro commodiori situatione, ac ædificatione ejusdem monasterii, eisdem Fratribus, & eis succedentibus in perpetuum dedimus , & donavimus , imo concedimus , damusque , & donamus , salvis juribus alienis , harum nostrarum , quibus sigillum nostrum est appensum, vigore, & testimonio litterarum mediante.

Datum Budæ in festo B. Valentini Martyris anno Domini 1473. *regnorum nostrorum anno Hungariæ* 15. *Bohemiæ vero* 4.

In urbem migrandi , veteris deserendi , novique monasterii ædificandi, & immunitates ac privilegia, quibus antea gaudebant, secum illuc transferendi potestatem iisdem Fratribus Dominicanis fecit Sixtus IV. ut ex ejus litteris ad Colocensem Archiepiscopum apparet.

Epistola Sixti IV. ad Archiepisc. Colocensem secundum eosdem.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Colocensi, & dilectis filiis Abbati monasterii Helen. Zagrabien. diœcesis, ac Joanni de Marthinianz Canonico Zagrabiensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Piis supplicum votis , per quæ opportunitatibus religiosarum personarum , cum augumento divini cultus , & sacræ religionis propagatione providetur, libenter annuimus, & ut illa, sublatis quibusvis dispendiis, & obstaculis, optatum sortiantur effectum , cum a nobis petitur , favorem apostolicum impartimur . Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris provincialis, & FF. Ordinis FF. Prædicatorum provinciæ Hungariæ secundum morem dicti Ordinis , nobis nuper exhibita petitio continebat; quod ipsi provide attendentes, quod eorum domus S. Nicolai extra muros Zagrabien. dicti Ordinis sita est, in loco adeo distante a civitate Zagrabien. quod cives, & incolæ dictæ civitatis ad illam commode pro Missis & aliis divinis officiis audiendis accedere , ac congruis honoribus, ut vellent, frequentare , nec non pro animarum suarum salute, & Prioris , & Fratrum Prædicatorum exemplari vita ac monitionibus, & exhortationibus opportunum fructum, ut optant, consequi nequeunt; & quod Turci qui partes illas finitimas incolunt, & territorium Zagrabien. diœcesis crebro discurrunt , facile domum ipsam tempore discursionum hujusmodi, & in illa degentes Fratres , ac bona capere, & spoliare possent, ex quo si fieret , & illa capta arcem Venerabilis Fratris nostri Episcopi Zagrabien. ei proximam expugnare valerent; libenter domum prædictam, ad quam, pro eo quod Episcopus ipse muniendo eandem arcem pro ipsius tutela a Turcorum occupatione viam, qua iri consueverat ad eandem Ecclesiam, ipsam

pro

Digitized by Google

pro magna parte destruxit, recto itinere solito facilis non patet accessus, desererent, & apud capellam S. Catharinæ sitam in civitate montis Græcen. quæ ex antiquo per ipsos Fratres possessa semper extitit, & possidetur etiam de præsenti, ac ipsius domus servientes aliam domum pro eorum habitatione construerent, seu construi facerent ex piis Christi fidelium suffragiis, ad id eis jam oblatis, ac illam postmodum constructam inhabitarent, si eis super hoc licentia Apostolica concederetur. Quare pro parte ipsorum Prioris, & FF. nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis domum S. Nicolai prædictam deserendi, eamque, Ecclesia dumtaxat excepta, funditus demoliendi, ac apud capellam prædictam aliam domum dicti Ordinis cum claustro, dormitorio, refectorio, cæmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis construendi, & inibi corpora quorumcunque sepeliendi, præfatamque capellam cum campanili humili, ac campana ampliandi, & reformandi, juxta ipsorum Prioris, & Fratrum ritus, & mores, ac ad illam cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, localibus, juribus, & pertinentiis ejusdem domus S. Nicolai, se transferendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, & quod privilegia, instrumenta, jura, & indulta quæcunque, de præfata domo S. Nicolai mentionem quomodolibet facientia, qualiacunque sint, in præfata domo construenda, ac illius Prior, & FF. qui pro tempore erunt, locum sibi vendicent, statuere, & ordinare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui cultum divinum nostris potissime temporibus ubique vigere, & augeri summopere affectamus, de præmissis certam notitiam non habentes, ac ipsorum Prioris, & conventus pium, & laudabile propositum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, vel unus vestrum de præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra vos diligenter informetis, & si per informationem hujusmodi ita esse repereritis, præfatis Priori, & FF. domum S. Nicolai prædictam deserendi, illamque, Ecclesia dumtaxat excepta, funditus demoliendi, & unam domum dicti Ordinis apud prædictam capellam cum claustro, cæmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis absque alicujus præjudicio construendi, atque inibi corpora defunctorum absque alicujus licentia, & consensu sepeliendi, præfatamque capellam cum campanili humili, ac campana ampliandi, & reformandi juxta ipsorum FF. ritus, ac mores, ac ad illam cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, localibus, juribusque, & pertinentiis ejusdem domus S. Nicolai se transferendi, ac perpetuo inhabitandi plenam, & liberam licentiam auctoritate nostra concedatis. Et nihilominus quod privilegia, instrumenta, jura, & indulta quæcunque de præfata domo S. Nicolai mentionem quomodolibet facientia, qualiacunque sint, in præfata domo construenda, ac cum illius Priore & Fratribus qui erunt pro tempore, locum sibi vendicent, eadem auctoritate statuatis, & ordinetis. Nos enim concessionem, statutum, & ordinationem hujusmodi quæ per vos vigore præsentium fieri contingat, ut præfertur, Fratribus in dicta construenda domo pro tempore morantibus, quod omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, & libertatibus dicto Ordini, & illius Fratribus per Sedem Apostolicam quomodolibet in genere concessis, uti, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Non obstantibus tum fel. recordat. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibent. ne quivis Ordinum mendicantium Patres in aliqua civitate, castro, vel villa, seu alio loco quocunque ad habitandum domos, & loca de novo recipere, seu hactenus recepta mutare præsumant absque Sedis ejusdem licentia speciali faciente plenam, & expressam ac de prohibitione hujusmodi mentionem; quam aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque, proviso, quod ipsa antiqua Ecclesia prædicto novo loco, ut præfertur, jungatur, & ad profanos usus, veluti hæreditas minime redigatur, sed in ea Missæ & alia divina officia quandoque celebrentur.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1473. XI. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

Matthias castrum regium Zagrabiense Osvaldo & Episcopis successoribus donavit.

Ut superiores Episcopi, sic etiam Osvaldus vel apud Chasmam vel in castello Dombræ, aut Ivanichii plerumque habitabant; nam ædes pontificia Zagrabiensis, nec satis tuta erat, præsertim illis temporibus, cum Turcæ identidem in Slavoniam incurrentes, ferro & igni omnia vastabant, nec vero pro dignitate Episcopali satis ampla & magnifica. Matthias igitur castrum regium, quod ex area Capitulari eminebat, Osvaldo ejusque successoribus donavit; cum potestate veteres demoliendi, novas extruendi molitiones, & palatii, quod Episcopo dignum esset, ibidem ædificandi: id quod Lucas proximus post Osvaldum, & alii deinceps Episcopi perfecerunt. Hæc dicta est *Area Episcopalis*. Castrum regium munire ac firmare cœpit Osvaldus; & multa in terris episcopalibus castella vel a fundamentis excitavit, vel validissimis propugnaculis sepsit, ut conductoribus, & cultoribus prædiorum episcopalium adversus irruptiones Turcarum perfugio essent, ac præsidio. Plurimis villis, terrisque frugiferis, præsertim in Comitatu Crisiensi, ære suo coemptis auxit proventus Ecclesiæ & mensæ Episcopalis. Deinde fundorum, & locorum Ecclesiæ indicem & catalogum quam accuratissimum confici jussit; & *Budæ die festo Conversionis S. Paulli Apost. anno 1486.* regio decreto & chirographo approbandum curavit. Matthiæ regis gratia & auctoritate fretus bona & decimas ecclesiasticas repetere ac persequi liti atque judicio, censuris atque armis, alacrius institit. Plurimum negotii facessebant Osvaldo duo Comites, viri præpotentes, Stephanus Blagajus, & Petrus de Zrinio, qui neque juridicis sententiis in eos prolatis, neque gravissimis, quibus confixi fuerant, censuris ad solutionem decimarum compelli potuerant. Anno 1488. cum Joannes Episcopus Varadinensis, quem Matthias ad regem Galliarum de sociali fœdere contra Turcas jungendo oratorem miserat, Gallicana legatione perfunctus in Hungariam rediret, Zagrabiam venit. Hunc totius controversiæ arbitrum sumpsere; qui rem ita composuit, ut pro omnibus & singulis detinitis, *prætextu quarum uterque Comes irretitus fuerat censuris ecclesia-*

sticis

flicis usque ad brachium sæculare inclusive, nec non pro universis injuriis, ac damnis illatis, & expensis causatis Osvaldo, Blagajus quidem florenos auri trecentos, Zrinius vero florenos auri ducentos, & triginta duos persolverent, obligando se insuper de cetero numquam Episcopo, ejusque Ecclesiæ juribus repugnaturos &c. Hæc compositio exemplo deinde, & incitamento fuit Zagrabiensibus, Crisiensibus, Varasdinensibus, ut ipsi quoque cum Osvaldo transigerent, & decimas se in posterum, juxta formulam præscriptam, soluturos pollicerentur.

Vlacchi & Rasciani ritus Græci in Slavonia recepti; & Episcopus ejusdem ritus illis datus.

Dum Osvaldus huic Ecclesiæ præsidebat, Ulacchos & Rascianos ritus Græci, qui Turcarum indignati dominatum, e Serblia, & Valachia profugerant, Matthias rex in Slavoniam & diœcesim Zagrabiensem recepit, domicilia illis & agros assignavit, eosque tum multis privilegiis, & beneficiis auxit, tum onere decimarum exemit. Deinde iisdem Episcopus ritus Græci ea lege datus est, ut subjectus esset Episcopo Zagrabiensi, hujusque veluti *suffraganeus* sive adjutor, de quo in meis schedis Zagrabia transmissis: *Episcopus Vlacchorum nominatur, & est suffraganeus Zagrabiensis, non quatenus is sit ipsius Primas, sed quatenus sit in sua diœcesi propria, illi coadjutor, in solatium eorum Christianorum, qui Ecclesiæ Romanæ, & per consequens, & Zagrabiensi uniti sunt, quo scilicet sui ritus pastorem habeant sibi proximum, atque ad omnia paratum. Is, ut Episcopus Zagrabiensis, nominatur a Cæsare; aliquando electus est aliquis ritus Latini; sed, permittente Romano Pontifice, Græcum ritum assumpsit. Professionem fidei in manu Episcopi Zagrab. vel ejus vicarii emisit, & a Romano Pontifice confirmatur. Pro munere consecrationis solet Romam petere, quia difficulter aliquem proprium invenire potest, qui se ritu Græco consecrare possit, illeque sit Ecclesiæ Latinæ conjunctus. Episcopi Zagrabienses, dum vacat Ecclesia Vlachorum, invigilant, ut qui sincere catholicus sit, ab Aula eligatur; atque ut jam electus & confirmatus, sincere, prudenter tamen, fidem Catholicam tueatur per Valachos, promoveat, & amplificet, omnemque moveat lapidem opportune, quo rudes illi documenta veræ fidei doceantur, atque ad sinum Catholicæ Ecclesiæ traducantur. Episcopus Vlachorum est etiam Abbas perpetuus monasterii Calogerorum, quod Episcopus Zagrabiensis ex attributis e mensa sua bonis instituit, ac fundavit. Calogeri sunt Catholici, saltem coram hominibus.*

Obitus Matthiæ regis.

Anno 1490. pridie nonas Aprilis Matthias rex, de re publica & christiana optime meritus, e vita migravit. Nullos ex Beatrice Estensi conjuge sua liberos procreavit; Joannem Corvinum ex thoro non legitimo susceptum reliquit, quem regni hæredem designaverat. Quattuor exorti sunt competitores regni Hungarici, Maximilianus Cæsar filius Friderici Imperatoris, Uladislavus rex Bohemiæ, & hujus frater Albertus, filius uterque Casimiri regis Polonorum, ac demum Joannes Corvinus. Habita sunt comitia Pesthi in urbe ad Danubium contra Budam sita, & summo Antistitum & procerum consensu, Uladislavo delatum est regnum Hungaricum. Huic Budam venienti obviam missus est Osvaldus Episcopus Zagrabiensis, qui ad quartum ab urbe Budensi lapidem, cum primoribus regni occurrens, hanc ad eum orationem habuisse dicitur, quam Thomas Kovascevichius vel suis, vel ipsius Osvaldi verbis expressit: *Salve rex noster Serenissime, salve spes unica salutis & tutela. Sanctus & felix sit adventus tuus, ac universæ Pannoniæ salutaris, cujus gratia mirifice exultamus, insolita lætitia gestientes; & Serenitati tuæ ex corde congratulamur, quando omnium fere Antistitum, procerumque consensu, regem nostrum creavimus, non tam nostro, quam divino judicio, & e cælo datum tuemur, pro debitæ congratulationis officio; ex Senatusconsulto pars Episcoporum & optimatum magna vestræ Majestati, ut pro dignitate eam exciperent, ad fines usque regni obviam prodicere. Nos qui Budæ, tutelæ gratia, remansimus, nunc demum Serenitati tuæ occurrimus, ut & fortunæ tuæ gratulemur, & publicæ gaudeamus utilitati. Te obstinatissimo bonorum omnium consensu regem delegimus, delectumque, & declaratum faustis omnium gentium cognominationibus acclamavimus; quandoquidem post D. Matthiæ obitum, e tot finitimis principibus, nemo magis Hungaricis rebus succurrebat idoneus. Tu solus prudentia, gravitate, potentia, item probitate, justitia religione, & nobilitate, demum generis ex hæreditario jure, potissimus omnium occurrebas. Quare non tam nostra suffragia, & populorum vota, quam propria Ungaricæ gentis Numina te nobis regem designarunt. Proinde hilari fortique animo datum fato regnum adi, acceptas dudum habenas pro sapientia tua dirige ac moderare: gentem bellicosissimam fidei tuæ a Deo commissum, quando omnis potestas a Deo est, ad parandum protegendumque regnum, & Christianam rempublicam defensandam dispone. Non modo regnum, sed materiam immortalitatis ingentem sortitus es, Princeps Serenissime. Non deerunt nervi bellorum, optimique duces, & bellatores validissimi; quos magna belli fulmina, & Christianæ ditionis clypeos vere possimus appellare, quorum ope maximum quodque genus immortalitatis & gloriæ, ni tibi defueris, consequi poteris. Venis igitur omnibus optatissimus. Proinde faustissimis acceptum regnum auspiciis, forti animo guberna, ut te regem felicissimum, maximum liberatorem, amplificatorem præstantissimum, & orthodoxæ fidei propugnatorem clarissimum perpetuo celebrare queat universa posteritas.*

Oratio Osvaldi Ep. suo & omnium nomine, Uladislavo regi gratulantis.

Honos munusque sacri diadematis Uladislavo imponendi, quod antea nulli Episcoporum Zagrabiensium contigerat, Osvaldo delatum fuit. Nam Hippolytus Cardinalis Estensis, idemque Archiepiscopus Strigoniensis, equitum suorum cohorte Albam præmissa, ipse, incertum quam ob caussam, subsequi, & accedere noluit. Petrus vero Colocensis Metropolita, quem rex Matthias in arcem Arcsensem incluserat, quamvis jussu Joannis Corvini e custodia dimissus fuisset, tamen in publicum prodire, tam insignis ignominiæ pudore suffusus, non audebat. Cum autem Osvaldus reliquos Hungariæ Antistites antiquitate Episcopatus anteiret, jus novi regis coronandi ad eum pertinebat. Ceterum ipsemet Petrus, post regem electum & coronatum, Comitiis generalibus Pesthiensibus interfuit.

De ratione solvendi decimas pacta & conventa inter Osvaldum & Zagrabienses atque Crisienses.

Sub initium anni 1490. ante obitum Matthiæ regis, Dynastæ & primores Comitatus Zagrabiensis & Crisiensis in oppidum Dombrense convenerunt, ut cum Osvaldo de decimis in posterum solvendis transigerent. In eo conventu statutum est, quid quisque, & quantum, qua-

Digitized by Google

quarumve rerum & fructuum decimas persolvere deberet, simulque decretum, ut qui ante Joannem IV., id est ante quam res & bona Ecclesiæ, incuria, vel fraude laicorum administratorum, dilabi, abalienari, distrahique cœpissent, ab solutione decimarum erant immunes, eadem in posterum immunitate gauderent. Hæc pacta & conventa, quæ tamdiu valere debuerant, quamdiu Osvaldus viveret, salvo tamen omni jure episcopali & ecclesiastico; deinde in Comitiis Pesthiensibus post regem electum, coram Episcopis & proceribus regni Hungariæ de consensu partis utriusque confirmata sunt, & tum Hippolyti Archiepiscopi Strigoniensis, tum aliorum Antistitum, & optimatum auctoritate roborata, litterisque publicis consignata.

Tabula pactorum & conventorum. *Nos Hippolytus Estensis electus & confirmatus Strigoniensis, Petrus Colocensis Archiepiscopus, Urbanus Agriensis, Ladislaus Gereb Albensis Transilvan. Sigismundus Quinqueecclesiensis, Thomas Jaurinensis, Joannes Vesprimiensis, Joannes Canadiensis, Nicolaus Waciensis, Frater Georgius Nitriensis, Stephanus electus & confirmatus Sirmiensis, Lucas electus Boznensis Ecclesiarum Episcopi. Item Comes Stephanus Bathor Wayvoda Transilvanus, & judex curiæ regiæ, Sigismundus & Petrus Comites de Bozyn, & de S. Georgio, Paullus de Kirys Comes Themesien. Petrus Gereb de Wyngarth, Ladislaus Orzag de Guth, Andreas de Bathor, Ladislaus de Rozgon, Nicolaus Banffij de Alsolyndua, Ladislaus de Lossonz, Bartholomæus Draggffij de Beltbewk, Ladislaus & Stephanus Morotz de Meggyesalya, Joannes Banffij de Liws, Benedictus de Chauk, Wilhelmus Pankyrher de Zalonok, Nicolaus & Joannes Pethewtffij de Gerse, ac Nicolaus Delomy de Albacs, memoriæ commendamus per præsentes, quod nobis una cum regni nobilibus feria tertia proxima ante Festum Sacratissimi Corporis Christi, pro electione futuri novi regis in civitate Pesthiensi, aliasque in loco ad id apto & consueto, in nostra & totius regni Congregatione generali constitutis & existentibus, Reverendus Dominus Osvaldus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, sua & Ecclesiæ suæ antedictæ ab una, nec non egregii ac nobiles Ladislaus de Gereben, regni Hungariæ Vice Palatinus, Michael Comes de Blagaj, Paullus de Pakos, Georgius Thuroczj de Ludbregh, Stephanus Derffij de Zerdahel, Petrus Bocskay de Rozynya, Magister Petrus de Gwdowcz regni Sclavoniæ Vice Protonotarius, Bernardus Roffy, Nicolaus de Peker, & Gregorius de Zthwbytza, in ipsorum, ac universorum omnium dominorum nobiliumque & incolarum regni Sclavoniæ, Comitatuum Crisiensi, & Zagrabiensi nominibus & in personis, nostram venientes in præsentiam, allegarunt eo modo: Quod quamvis inter ipsum videlicet Dominum Osvaldum Episcopum, ab una: ac præfatos universos incolas dicti regni Sclavoniæ, partibus ex altera: in facto decimarum ipsi Domino Osvaldo Episcopo & Ecclesiæ suæ prædictæ provenire debentium, nonnullæ dissensiones, & controversiæ a pluribus annis suscitatæ extiterint & agitatæ, tamen ipsæ partes juxta contenta cujusdam registri in manibus eorum habiti, nobisque specietenus præsentati, & producti, sopitis prius universis litibus, & contentionibus ex hinc ortis, seu in futurum emergentibus, in facto prædictarum decimarum, ordine in eodem registro contento, se ad ultimum concordasse retulerunt; cujus quidem registri tenor talis est.*

Sopitis cassatisque & annullatis omnibus differentiis, ac litium & caussarum processibus, extinctis etiam atque eradicatis e cordibus partium quorumlibet rancorum malevolentiarum, & injuriarum fomitibus inter Reverendum in Christo Patrem Dominum Osvaldum Episcopum Ecclesiæ Zagrabiensis ab una, ac universos nobiles regni Sclavoniæ Crisiensis & Zagrabiensis Comitatuum, ratione decimarum eidem Domino Episcopo & Ecclesiæ suæ provenire debentium, cujuscunque dignitatis & conditionis existant & litis partium consortes usque præsentem feriam sextam, quæ post proxime præteritum festum Epiphaniarum Domini in præsenti anno ejusdem millesimo quadringentesimo nonagesimo immediate occurrit, exortis pululatisque, & agitatis ac subsecutis; Jam fatus Dominus Episcopus ac egregii & nobiles Ladislaus de Gereben regni Hungariæ Viceepalatinus, Petrus Bocskay de Rasyna, magister Petrus de Gwdowcz regni Sclavoniæ Viceprotonotarius, Sigismundus Bocskay similiter de Rasyna, Franciscus de Zemche, Michael Kerben de Bellosowcz, alter Franciscus de Peker, Bernardus Rob de Decche, Georgius Capithan de Desnycze, Marcus de Geretz, Nicolaus literatus de Orrosowcz, alter Nicolaus literatus Mykw'asych de Palychna, Blasius Budor de Budrowcz, Andreas Symonfy de Myletbyncz, Demetrius Porkolab dictus de eadem, Ladislaus de Hwzarcz, Georgius Ablancza, de Menzenth, Stephanus Pwtsyth de Rokonok, Georgius de Thoisowcz, alter Georgius Plawytchewych, Stephanus Pozoptych, & Simon Mykowlyth, in personis dominorum de Blagaj, totam universitatem nobilium Comitatuum prædictorum repræsentantes, cum pleno mandato, & omnimoda auctoritate delegati, & deputati in oppido Dombro, sponte & benevole matura intra se deliberatione præhabita, super modo & ordine dicationis & solutionis decimarum, in patrimonium Crucifixi a Sanctis Patribus institutarum atque dedicatarum, Talem fecerunt limitationem per vitam ipsius Domini Episcopi duntaxat duraturam, salvis tamen juribus & privilegiis ipsius Domini Osvaldi Episcopi ac Ecclesiæ suæ, nec non præfatorum dominorum regnicolarum in dictis duobus Comitatibus existentium; quæ etiam dispositio successoribus dicti Domini Episcopi, & prædictorum regnicolarum juribus & privilegiis præjudicare nec debeat, nec possit. Imprimis, quod decimarum dicatio fiat bina; prima statim post messem videlicet tritici, siliginis, avenæ, ordei, mily vernalis, apum, porcorum, agnellorum & hædorum; Item secunda dicatio fiat mox post vindemium nempe vini, milii, alterius milii Borkeles vocati & surgonis, Item de qualibet decima Capecia tritici, siliginis, avenæ, & ordei solvantur denarii sex, quorum centum valent unum florenum. Item de qualibet decima Capecia utriusque milii & surgonis solvantur denarii quatuor. Item de quolibet porco annuali, qui alias non fuit dicatus, denarius unus solvatur, vel ubi fuerint decem, recipiatur decimus aut valor ejusdem. Item de quolibet tronco apum, qui alias non fuerunt dicati, denarius unus solvatur, vel ubi fuerint decem, recipiatur decimus, aut valor ejusdem. Item de quolibet agno, qui alias non fuerunt dicati, denarius unus; vel ubi fuerint decem, recipiatur decimus, aut valor ejusdem. Item de quolibet ædo, qui alias non fuit dicatus, denarius medius, vel ubi decem fuerint, recipiatur

deci-

decimus aut valor ejus. Item pro quolibet decimo cubulo vini tam tempore ubertatis, quam sterilitatis, quotcunque pintas cubulus contineat, semper de singulis duabus pintbis, unus denarius recipiatur, quorum centum unum flor. auri pro tempore facient & valebunt. Casu autem quo temporum in processu, moderna moneta in regno mutaretur & centenarius numerus ipsius futuræ monetæ non faceret unum aureum; Quod tunc nihilominus decimæ cujuslibet generis in prædictis articulis denotatæ, solvantur etiam cum illa nova moneta ad valorem præsentis monetæ, cujus centum, ut præmittitur, faciant unum florenum hungaricalem. Item ultra Wayvodas, villicos, præcones & veros inquilinos Domini regnicolæ habebunt liberos infrascriptos. Item qui habet ex magnatibus & nobilibus in Crisiensi & Zagrabiensi Comitatibus decem Jobagiones usque quindecim, habeat villicum & inquilinos veros, & non fictos. Item qui habent quindecim Jobagiones usque ad viginti quinque, habeat liberum unum. Item qui habent a viginti quinque usque quinquaginta Jobagiones cum castello, habeat liberos tres, si non habet castellum, habeat liberos duos. Item qui habet quinquaginta usque centum Jobagiones, si non habet castellum, habeat liberos tres, cum castello habeat liberos quattuor. Item qui habet centum usque ad trecentos jobagiones cum castello, habeat liberos octo, sine castello habeat liberos quinque. Item qui habet trecentos usque ad quingentos jobagiones, habeat liberos quatuordecim. Item qui habet quingentos & plures quotcunque, habeat liberos sexdecim. Item ista dispositio, & numerus liberorum non extendat se ad alios regnicolas, nisi qui hucusque castella habent; si autem aliqui nobiles regnicolæ nova castella de cetero erexerint, ex tunc non gaudeant pluribus liberis, nisi illis concessis, qui castella non habent. Ipsius autem initium computetur ab anno Domini 1490. quo scilicet anno fuerint superinde habiti tractatus in Dombro. Item si aliqui magnatum vel nobilium, aut eorum officiales nominaverint esse aliquos villicos, Wayvodas, præcones, inquilinos, & alios liberos, qui non fuerint, sed fraudulenter & ficte id factum fuerit, per nobiles, & officiales ipsorum, & decimator istud legitime probare poterit: ex tunc talium servitorum fraudulenter, & ficte nominatorum universæ res decimari solitæ habeantur pro negatis, easque decimator libere auferre possit. Item qui ex nobilibus regnicolis habet pro usu suo proprio in promontorio alterius nobilis vineam, & fuerit ipsa vinea per eundem nobilem rigorosis litteris, ut puta alicujus Capituli, aut banalibus in perpetuum vendita, aut alio quocunque modo alienata, in qua venditor ulteriorem proprietatem dominii sibi & suis hæredibus non reservavit, neque hujusmodi venditioni seu collationi possessor vineæ terragio tenetur, tales litteras possessor coram probis decimatoribus ostendere teneatur. Quibus visis, & Rev. sic se habente, Dominus Episcopus ipsum nobilem a dicatione & solutione habeat supportatum, alioquin teneatur decimis. Item villici, Wayvodæ, qui præconibus eorum qui præsunt villis, & provinciis regnicolarum, & gubernant communitatem jobagionum, ex officio consueto, & aliquis talium habuerit in territoriis aliorum nobilium plures vineas, quam unam, ex tunc quilibet eorum unam tantummodo vineam quam maluerit, a solutione decimarum libertare possit, isto tamen modo; si talis Wayvoda, villicus, aut præco debebit exigere decimas, & administrare decimatoribus, a jobagionibus domini sui in eisdem promontoriis vel aliorum extraneorum vineas habentium, in quibus videlicet talis Wayvoda, villicus, aut præco similiter haberet vineam. Ubi autem hujusmodi Wayvoda, villicus, aut præco non haberet facere exactionem, aut administrationem decimarum de vineis extraneorum a jobagionibus domini sui modo præmisso; tunc de talibus omnibus vineis suis in aliorum promontoriis existentium decimas solvere teneatur. Verum si in promontorio dominorum suorum dicti Wayvoda, villicus, aut præco quomodocunque vineas habuerint, illæ vineæ a solutione decimarum semper exemptæ habeantur. Item inquilini habentes vineas solvant decimas de iisdem, dempto quod si aliquis ex eis habuerit vineam pertinentem ad curiam propriam domini sui, tunc de tali vinea decimas solvere non teneatur. Si autem nobilis vineam curiæ suæ, aut sessionalem a solutione terragii inquilino in perpetuum donaverit, solvant decimas de eisdem. Et si inquilini terras sessionales propriis suis aratris, aut alio quocunque modo acquisito coluerint, quam scilicet terram sessionalem dominus inquilini curiæ suæ non appropriasset, de eisdem terris, & frugibus in eisdem excrescentibus decimas solvere teneatur. Sed si nobilis propriis aratris suis inquilinis seminaturas fecerit, a solutione decimarum inquilini sint exempti. Item de quolibet inquilino nobilium decimator recipiat caponem unum tantum, vel pro eodem capone denarios duos. Item qui nihil in messe habuerint, duobus denariis pro fumalibus teneantur, & qui de aliis rebus prædictis, si quas habuerint, decimas plenarie persolvant. Item licet bina dicatio fiat, tamen decimatores super uno munere villicorum aut Waivodarum, sint contenti uno cubulo avenæ, una asima valente duos denarios, uno capone, & una pinta vini. Item decimatores tempore dicationis non vadant de hospitio ipsorum, quousque omnes dicas distribuent illis nobilibus seu villicis, vel eorum officialibus, quorum possessiones de illo hospitio dicabuntur. Item si non poterit decimator concordare tempore dicationis cum jobagionibus nobilium super quantitate quarumcumque decimarum, ex tunc credat juramento rustici, qui si jurare noluerit, dicetur ad decimas, prout decimatori juxta suam conscientiam videbitur, nec talis rusticus tempore exactionis decimarum possit infestare aut inclamare decimatorem; & si conqueretur domino suo, non exaudiatur. Item decimatores faciant ante tres vel quattuor dies in foris hebdomadalibus promulgare rusticis, vina in cellariis vinearum habentibus, ut aperiant cellaria ipsorum, & permittant vina conspicere, die per decimatorem præfixo; & si aliquis rusticorum rebellione ductus, non vellet aperire cellarium, & præfixo die non venerit ad præfatum suum cellarium, ex tunc decimatores possint talium cellariorum ostia frangere, & vina dicare, prout ipsis juxta conscientiam ipsorum videbitur; attamen si rusticus venerit ad decimatores eodem vel secundo die, & quousque decimator erit in illa possessione, in qua id contigerit, ex tunc decimatores aut juramento rustici credant, aut ad cellarium cum rustico revertantur, & rectificent, si aliquid injuste dicaverunt; & si decimatores ad diem deputatum per ipsos circa cellaria non venerint, nihilominus rusticus

penes

Digitized by Google

penes cellarium expectet eos per duos dies; quibus elapsis decimatores non valeant ipsum inculpare, sed de novo imponant ei terminum. Item regnicolæ ac castellani & alii officiales eorum teneantur intromittere ad castella ipsorum seu fortalicia, aut alia, ubicunque decimatores: & eisdem aperire & ostendere pacifice omnes res decimales. Quod si aliquis ex ipsis regnicolis aut eorum castellanis, aut officialibus prædictis facere recusaverit, possit citari & procedi contra ipsum per ecclesiasticas censuras: & Dominus Episcopus possit requirere super ipsum damna sua. Item regnicolæ omnes eorum, proprios colonos qui habent, & haberent vineas in territorio & bonis Domini Episcopi Quinqueecclesiensis & Johannis fratris ejusdem, in dictis duobus Comitatibus, teneantur compellere ad solvendum decimas Domino Episcopo Zagrabiensi de hujusmodi vineis provenire debentibus. Quod si aliquis ex regnicolis facere noluerit, talis nobilis citetur per Dominum Episcopum aut officialem ejusdem, & procedatur contra eum per censuras ecclesiasticas. Item quia in certis cultellis & præsertim in cultello Achyna nonnulli forent & existunt in diœcesi Quinqueecclesiensi, & aliunde, qui vineas in diversorum nobilium territoriis in eisdem cultellis existentes, possident, & collectis ac vindemiatis eorum vineis nullis decimis persolutis, ad dictam diœcesim, aut alias quocunque cum eorum vinis occulte & clandestine, vel etiam manifeste evadere; ipsaque vina abducere solent, in animarum ipsorum periculum, damnumque ipsius Domini Episcopi & Ecclesiæ suæ manifestum; ne igitur hujusmodi pravis & perniciosis actibus de cetero uti possint, & ne eis in consuetudinem redigatur, conclusum est: Quod provisores curiarum, villici, Wayvodæ vel quicunque alii officiales magnatum & aliorum nobilium, in quorum territorio tales vineæ habentur tempore dicationis & perceptionis tertagii, aut noni cubuli, quantitatem decimarum decimatoribus Domini Episcopi sub firmissimo eorum juramento dicere teneantur. Qui si facere nolent aut recusarent, ex tunc Dominus Episcopus super eisdem sua damna requirere & recipere valeat atque possit, & nomina talium unde sint & ubi morantur, fideliter absque omni fraude eisdem decimatoribus dicere teneantur. Item prædiales, & magnatum, & nobilium, jobagiones non habentium, decimas solvere teneantur. Qui vero habent jobagiones, illi de rebus seu cultura propria decimas solvere non teneantur. Item decimatores possint & valeant ubique locorum, tam in villis & domibus propriis rusticorum, quam in silvis & alias ubilibet inquirere res decimales qualescunque & præsertim porcos cum apibus. Et si quis rusticorum hoc facere non permitteret, ex tunc officiales loci, sive Wayvoda aut villicus teneatur ire cum decimatoribus ad inquirendum hujusmodi res. Quod si officialis vel villicus aut Wayvoda hoc non fecerit, & sibi & rustico interdictum imponatur. Et insuper talis officialis amittat eo facto portionem suam, scilicet tertiam partem denegatorum, ac etiam talia damna Dominus Episcopus super eum requirere possit. Item conclusum est, ut magnates & alii nobiles regni Croatiæ, a quorumcunque jobagionibus & populis, præfato Domino Episcopo Zagrabien. decimæ proveniunt, habentibus possessiones & villas in confinibus Turcorum, cum per decimatores ipsius Domini Episcopi requisiti fuerint; teneantur dare hominem proprium, qui ipsos decimatores ad dicandum decimas in hujusmodi possessionibus & villis deducant, reducant, juxta ipsorum possibilitatem, pacifice omni fraude semota. Item officiales nobilium scilicet Wayvodæ villici, præcones, & alii liberi quicunque teneantur aperire cellaria ipsorum decimatoribus; & si decimatores dubitaverint, res decimales esse ibi alicujus alterius rustici occultas; ex tunc tales officiales, Wayvodæ, preco, aut liberi debeant jurare; quod nullæ res decimales aliorum sint ibi; quod si facere noluerint, ex tunc decimatores in quantum suspicantur de rebus alienis apud eum, dicent eum ad decimas secundum conscientias suas. Item si quis rusticorum tempore messis ligaverit manipulos cujuscunque speciei cum alia herba, aut suberibus per nequitiam, ita quod si potuisset eos ligare propriis stipulis & non ligavit, tunc tales manipuli in acervum congregati habeantur pro abnegatis. Item quicumque rustici in uno fundo seu sessione resideant, ponantur omnes ad registrum & dicas seorsum, & dicentur singilatim secundum qualitatem & quantitatem rerum decimari solitarum. Item quod nullus ex regnicolis, aut magnatibus, aut eorum castellanus, seu officiales quicunque, sedecimum vel quamcunque aliam solutionem, seu partem aliquam de decimis sub quocunque colore vel occasione recipere vel usurpare possit. Item exactio decimarum fiat in locis consuetis. Item interdictum imponatur quindecimo die ante festum Purificationis B. M. V., quo elapso procedatur per censuras ecclesiasticas contra recusantes solvere decimas. Item quicunque usque festum Paschæ Domini inclusive non persolverint decimat integraliter, per interdictum & censuras ecclesiasticas; ex tunc mox elapso festo Paschæ quamlibet capeciam, & quemlibet cubulum vini cum augmento duorum denariorum solvere teneantur. Et nihilominus durantibus etiam ipsis censuris statim ad requisitionem decimatorum teneantur Bani, Vicebani, Comites, Kicecomites, & judicialium tales rebeles, & recusantes solvere decimas compellere ad solvendas ipsas decimas cum augmento superius expresso, per birsagia trium marcarum & alia onera consueta. Item Bani, Vicebani, Comites, Vicecomites, & judicialium, postquam ab hujusmodi recusantibus solvere decimas, & augmentum vadia receperint, ex tunc imprimis & ante omnia teneantur decimatoribus satisfacere ex prædictis vadiis de decimis & augmento. Item nobilibus quantum ad personas suas & eorum familiæ domesticæ, qui cum decimis non obligantur ratione decimarum, decimator non interponat interdictum. sed si aliquis ipsorum nobilium vel eorum officialium decimas usurpaverit, vel quocunque modo eas perturbaverit, ex tunc procedatur contra talem, vel tales juridice per citationem, vel alias censuras ecclesiasticas per Dominum Episcopum, vel officiales ejus. Item si aliquis decimator in dicatione & exactione decimarum contra hanc dispositionem processerit, vel injustam dicationem fecerit, ex tunc rusticus, qui injuriam prætenderit, aut Dominus ejus teneatur conqueri vel significare Domino Episcopo vel eo absente officiali suo; qui Dominus Episcopus vel officialis ejus committat per litteras duobus plebanis melioris conscientiæ in illo cultello existentibus, & etiam scribatur mox decimatori, ut perfecta dicatione prima vel ultima, in qua prætenderet se gravatum, statuto loco & ter-

ter-

termino comparere debeant coram eisdem, & præsentibus partibus injustam hujusmodi dicationem, si qua fuerit, secundum conscientias eorum Deo debitas, rectificare debeant, & si decimator culpabilis repertus fuerit satisfaciat illi rustico querulanti de expensis, quas in prosecutione hujusmodi caussæ fecerit, per eosdem plebanos conscientiose limitatas: e contra si talis rusticus injuste decimatorem calumniatus fuerit, convincatur in expensis contra eosdem, juxta limitationem præfatorum plebanorum. Quas si solvere recusaret; ex tunc dominus rustici teneatur ipsum compellere ad satisfactionem: decimatores vero Dominus Episcopus, aut officialis ejus compellat. Item sunt certi magnates & nobiles, qui præbendarios in eorum possessionibus & bonis ordinarunt, & sessionibus jobagionalibus, ac vineis eos dotarunt, atque etiam parochialibus ipsorum Ecclesiis post mortem condam Domini Johannis Episcopi donarunt, de quibus eidem Domino Episcopo & Ecclesiæ suæ decimæ provenire deberent, ipsique præbendarii, & plebani ac eorum jobagiones ipsas decimas nunc solvere nollent & recusarent. Et quia post mortem & obitum ejusdem condam Domini Johannis Episcopi, fere quadraginta annis, & quousque ipse Dom. Osvaldus Episcopus ipsam Ecclesiam feliciter adeptus est, eadem Ecclesia per manus sæculares diversimode turbata & lacessita extitit, in hujusmodique turbinibus ipsæ decimæ & usque in præsentiarum per ipsos præbendarios & plebanos indebite & præter omnem juris ordinem usurpative detentæ & perceptæ existunt; His igitur respectibus ordinatum est, ut Dom. Episcopus velit deputare idoneas & notabiles personas ecclesiasticas dignitates habentes, qui tam visis & examinatis juribus ipsorum præbendariorum & plebanorum, si quæ habuerint, ac receptis attestationibus spiritualium & sæcularium personarum fide dignarum, tempore ipsius condam Domini Joannis Episcopi recordantium ac etiam aliis sufficientibus documentis intellectis, & quascunque præbendas vel parochiales Ecclesias ex hujusmodi juribus atque attestationibus, vel legitimis probationibus tempore ipsius condam Domini Johannis Episcopi a solutione decimarum liberos fuisse comperierint; Tales suis antiquis libertatibus & consuetudinibus, uti valeant. Qui vero neque juribus neque attestationibus vel aliis sufficientibus documentis id probare poterint, tales decimas ipsi Dom. Episcopo & Ecclesiæ suæ solvere teneantur. Qui vero deinceps successu temporum aliquas fundationes seu dotationes novas facerent, cum possessionibus seu vineis aut terris, sessionalibus, decimæ de illis omnino Episcopo plene persolvantur, demto quod si aliquis magnatum vel nobilium talem dotationem seu fundationem de vineis aut terris ad propriam curiam suam pertinentibus fecerit, de illis decimis non teneatur. Item simili modo concluserunt. Quod si aliquis ex dominis regnicolis legaverit in vita, vel in morte, aut etiam donaverit aliquas hæreditates, terras, vineas, aut sessiones, de quibus alias ipsi decimæ Dom. Episcopo provenerunt, monasteriis seu fratribus claustralibus; Quod de hujusmodi bonis decimæ Domino Episcopo integre persolvantur. Item si aliqui officiales Wayvodæ seu villici quorumcunque magnatum seu nobilium hujusmodi regni sive de scitu & voluntate dominorum suorum, sive alio quocunque modo aliquas villas seu possessiones, aut colonos a decimatoribus tempore dicationis abnegaverint; & id reformare noluerint; ex tunc contra tales Dom. Episcopus, aut homines sui possint pro damnis exinde secutis per censuras ecclesiasticas procedere. Item quod ex quo Dominus Prior Auranæ percipit decimas de colonis suis, qui habent vineas in territoriis seu promontoriis aliorum nobilium extra metas & possessiones prioratus sui, de quibus scilicet vineis Dom. Episcopo & Ecclesiæ suæ decimæ juridice provenire deberent, visum est regnicolis, quod pro hujusmodi injusta usurpatione & perceptione decimarum, Dominus Episcopus procedat & agat contra eum juridice, prout sibi videbitur, aut in foro spirituali, aut sæculari. Item si aliqui ex magnatibus comitatuum prædictorum huic dispositioni parere & obtemperare noluerint, & possessiones ac bona ipsorum secundum eandem dicare, decimasque de eisdem percipere non consenserint; ex tunc regnicolæ apud regiam majestatem & Banos regni Sclavoniæ, juxta eorum possibilitatem Domino Episcopo juvamine adesse promiserunt, neque eis in hac parte adhærere volunt. Et nihilominus Dominus Episcopus ad solutionem decimarum, penes illa obligamina, quibus Domino Episcopo se adscripserunt, eos prout sibi videbitur, & per censuras ecclesiasticas astringere valeat. Item casu quo extra hanc dispositionem temporum in processu aliquid tale emerserit; quod ipsi D. Episcopo vel regnicolis in damnum vel injuriam vergere possit; ex tunc regnicolæ probos eligant e medio ipsorum; qui cum Domino Episcopo negotium hujusmodi cognoscant & intelligant, & secundum Deum & ejus justitiam, pro commodo & quiete utriusque partis, in bonum statum reducant, salvis tamen semper articulis præmissis in suo robore duraturis. Ipsoque registro coram nobis sicut præmissum est producto & oblato; memorati Domini Osvaldus Episcopus, nec non Ladislaus de Gereben, Michael Comes de Blaga, Paullus de Pakos, Georgius Thuroczy, Stephanus Dersfy, Petrus Bocskay, magister Petrus de Gudowcz, Bernardus Rohfy, Nicolaus de Peker, & Gregorius de Stbubycza, prætactum registrum & omnia in eodem contenta se & prætactos incolas regni Sclavoniæ eorumque successores universos, vita ipsius Domini Episcopi durante, rata grata & accepta habere ac juxta ejusdem tenorem jam dictas decimas eidem Domino Osvaldo Episcopo dictæ Ecclesiæ Zagrabiensi persolvere velle compromiserunt, & assumserunt nostro in conspectu; Tali vinculo interjecto: quod si communitas nobilium prædictorum simul & invicem dispositionem in ipsis articulis declaratam infringeret, seu immutaret, & secundum eandem decimas D. Episcopo dicare non admitteret, vel persolvi facere quoquomodo nollet aut recusaret; ex tunc eadem communitas per ipsum D. Episcopum in pœna & solutione decem millium flor. auri convincatur, & convinci debeat eo facto, ad quorum solutionem, regia majestas solum vigore præsentium, eandem communitatem compellere, & astringere, & directam medietatem talis summæ pro se ipso recipere & habere, aliam vero similiter directam medietatem Dom. Episcopo absque omni defectu administrari facere; Et nihilominus omnia & singula in præscriptis articulis & dispositione exarata per ipsam communitatem observari facere plenam atque omnimodam possit & valeat habere potestatis facultatem. Ubi si aliqui baronum, comitum & magnatum possessiones, & bona in dictis duobus comitati-

tatibus habentium præmissam dispositionem more & ad instar totius communitatis prædictæ tenere & observare nollent ; ex tunc Dominus Episcopus de bonis & possessionibus talium , juxta antiqua privilegia & jura Ecclesiæ suæ , de illorum vero bonis & possessionibus , qui ex ipsis , vel eorum prædecessores Domino Episcopo litteris suis dudum se obligarunt , tales sub illis obligaminibus & conditionibus prout in eisdem litteris obligatorialibus continetur ipsas decimas percipere valeat , qui si rebelles fuerint secundum libitum suum , contra tales procedere possit. Non prætermisso, ut Dom. Episcopus omnes litteras obligatorias , & quaslibet inscriptiones, quibus mediantibus nonnulli magnates & nobiles eidem Domino Episcopo ac Ecclesiæ suæ , sub quacunque forma verborum & sub quibuscunque sigillis , ratione decimarum , huc usque se obligarunt , eisdem in specie reddere & restituere teneatur , difficultate absque omni , & si aliquas reservaret , vanæ , cassæ , mortuæ & viribus cariturae permaneant æviterne ; demptis litteris illorum baronum, Comitum, ac magnatum ; si qui novis litteris eorum se & hæredes eorum ad observationem præsentis dispositionis obligare recusabunt ; quas Dominus Episcopus eis reddere non teneatur, sed in suo permaneant vigore prout sunt emanatæ ; ob hoc & nos registrum hujusmodi præsentibus verbotenus insertum & singula in eo declarata & contenta ad partium petitionem laudamus , acceptamus , approbamus , ratificamus, & roboramus , præsentium testimonio mediante. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes litteras nostras petentibus eisdem duximus concedendas , jurium ipsorum ad cautelam, communi justitia suadente. Datum die & loco quibus supra , Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

Hæc pacta confirmata sunt a legato Apostolico, tum a rege Uladislavo.

Hæc eadem pacta & conventa Osvaldus Episcopus primum ab Angelo Episcopo Ortano , qui legatione apostolica in illis partibus fungebatur , ante biennium ab Innocentio VIII. missus, ut controversias hujusmodi de decimis componeret ; deinde etiam ab Uladislavo rege confirmanda curavit. Uterque litteras supra descriptas suo diplomate inseruit, & approbavit.

Litteræ Legati Apostolici.

Angelus Dei gratia Episcopus Ortanus ad Germaniam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, illisque adjacentes partes & regna , Sanctissimi Domini nostri ac Sedis Apostolicæ , cum plena potestate legati , de latere legatus, & in causis decimarum per præfatum Sanctissimum Dominum nostrum & Apostolicam Sedem , commissarius specialiter deputatus ; universis & singulis præsentes nostras inspecturis salutem in Domino . Sedis Apostolicæ providentia circumspecta libenter intendit , ut quæ semel inter partes libera voluntate disponuntur , inviolabiliter observentur, & ad ea observanda, cum ab eadem petitur , perpetui roboris libenter adjicit firmitatem, maxime ut spirituales viri , ac præsertim ecclesiarum cathedralium Antistites , semotis quibusvis obstaculis , quæ rem consulto gestam perturbare possent, liberius ac quietius Deo Altissimo valeant suum exhibere famulatum : hinc est, quod nobis in regnis Hungariæ existentibus, ac in omnibus caussis decimarum a Sede Apostolica specialem commissionem habentibus : cujus commissionis nostræ tenor sequitur & est talis.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei . Venerabili Fratri Angelo Episcopo Ortano ad regnum Hungariæ cum plena potestate legati de latere nostro & Apostolicæ Sedis nuncio & oratori salutem, & apostolicam benedictionem. Cum nos hodie te ad regnum Hungariæ pro nonnullis nostris & Romanæ Ecclesiæ arduis negotiis, nostrum & Apostolicæ Sedis nuncium & oratorem ad Dei laudem & præfatæ Ecclesiæ statum & honorem cum plena potestate legati de latere duxerimus destinandum. Et sicut nobis nuper charissimus in Christo filius noster Matthias Hungariæ rex illustris , per Venerabilem Fratrem Johannem Episcopum Sirmiensem suum apud nos oratorem fecit exponi : licet in regno illo tanto a tempore casus contrarii hominum memoria non extitit , semper ex prædiis & bonis omnibus , quæ Christi fideles possiderent , Ecclesiis integre decimæ solvi consueverint; ideoque inviolabiliter observatum fuerit ; tamen a multis jam annis citra occasionem hujusmodi decimarum & super modo solutionis earundem , variæ lites inter diversas præfati regni personas exortæ fuerint . Super quibus in Romana curia coram diversis commissariis & judicibus & caussarum Palatii apostolici auditoribus lites pendentes adhuc indecisæ non sine maximo partium dispendio essent. Nos considerantes quod decimæ non tam humano quam divino jure debentur , quas Deus sibi reservatas , sacerdotibus in signum universalis dominii solvere mandavit , ac tam debitorum ipsarum decimarum dispendiis , quam iis , quibus debentur , paterna caritate consulere volentes, omnes & singulas caussas hujusmodi coram quibusvis judicibus in Romana curia sive extra eam , etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ; & præsertim coram Venerabilibus fratribus nostris Antonio Tiburtino ac Johanne Alexandrino Episcopis , & dilectis filiis Petro de Ferrera , Guillermo de Peteriis , Francisco Brevio, Mattheo de Ubaldis, Mattheo de Porta, Jeronymo de Porcbariis , Felicio de Gandera, Eggerdo Dureoii , & Petro de Acolytis palatii apostolici causarum auditoribus pendentes, etiamsi ad sedem prædictam legitime devolutæ ac de juris necessitate in eadem curia tractandæ & finiendæ existant ; illarum statis & merita , præsentibus pro sufficienter expressis habentes , ad nos advocantium illas & earundem singulas in eis statu termino & instantia, in quibus coram eis respective pendent , fraternitati tuæ tenore præsentium resumendas ac ulterius etiam summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii , cum omnibus & singulis incidentibus emergentes , annexis & connexis attentatis & innovatis , attentandisque & innovandis , audiendas & fine debito terminandas, citandi cum potestate etiam extra locum commissionis tuæ , & etiam per edictum publicum , si ad citandum tutus non pateret accessus , omnes & singulos suum quodlibet interesse putantes , in regno prædicto & extra illud existentes, & inhibendi etiam sub censuris quoties videris expedire , ac alia faciendi gerendi & exequendi quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint quomodolibet & opportuno , auctoritate apostolica tenore præsentium committimus & delegamus. Inhibendo præfatis Cardinalibus Episcopis, judicibus, commissariis & auditoribus, ne se de caussis hujusmodi ulterius quomodolibet intromittere præsumant , ac decernendo ex nunc irritum & inane quidquid in illis per eosdem & quoscunque alios quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit

Digitized by Google

attentari. Volumus autem quod quidquid in præmissis decreveris per censuras ecclesiasticas, earumque aggravationem & reaggravationem, ac juris opportuna remedia & etiam pœnas pecuniarias, de quibus tibi videbitur, appellatione postposita firmiter facias observari, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Super quibus omnibus & singulis tibi plenam liberam & omnimodam harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque, aut si alicui vel aliquibus inter quos decimarum hujusmodi causas tractari & diffiniri contigerit, quacunque ecclesiastica vel mundana sint præditi dignitate, a sede prædicta indultum existat: interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non faciendo plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia, generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, suspendi vel excommunicari: per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam confectus hujusmodi commissionis & mandati impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in his litteris mentio specialis. Nos enim sententias quas rite tuleris atque alias pœnas quas statueris in rebelles, ratas habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo Kalend. Septem. Pontificatus nostri anno quarto.

Reverendi in Christo Patris Domini Osvaldi Episcopi Zagrabiensis oblata petitio continebat. Quod cum alias inter eundem Reverendum in Christo Patrem Dominum Osvaldum Episcopum Zagrabiensem & dilectos filios universos nobiles regni Sclavoniæ Crisiensis & Zagrabiensis comitatuum de & super decimatione fructuum in territoriis dictæ diœcesis Zagrabiensis excrescentium & ad ipsum Dominum Osvaldum Episcopum ac Ecclesiam suam Zagrabiensem spectantium & pertinentium ac de modo solvendi dictas decimas lis & controversia exorta fuisset; tandem pro quiete & tranquillitate utriusque partis de unanimi voluntate ad infrascriptam dispositionem & firmam pacis unionem devenerunt, quam dispositionem penes utriusque partis liberam sessionem in congregatione generali in campo Rakus celebrata nuper facta, litteris & sigillis Dominorum Prælatorum & Baronum publicis confirmari, corroborari, & communiri fecerunt. Quarum quidem litterarum & compositionis prædictæ tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. Nos Ippolitus Estensis electus &c. ut supra.

Post quarum quidem litterarum exhibitionem & præsentationem, fuimus pro parte ejusdem Episcopi debita cum instantia requisiti, ut pro majori & ampliori roboris firmitate, Sedis ejusdem legationis, quo nunc officio fungimur, auctoritatem, decretum & firmitatem interponere, nec non contra omnes & singulos, præmissam compositionem & pactum servare deinceps nolentes, pœnas pecuniarias, quas nobis expedire videretur, atque censuras ecclesiasticas, aggravationem scilicet & reaggravationem, nec non auxilium brachii sæcularis in rebelles & contradictores necnon conservatores & executores mandatorum & confirmationis nostrorum præmissorum dare, imponere & concedere juxta litterarum Apostolicarum vim & continentiam, dignaremur. Nos itaque considerantes decimarum causas divino jure ad Sedem Apostolicam, quæ mater & magistra Christi fidelium omnium existit, specialiter spectare & pertinere, cum Dominus decimas ipsas Sacerdotibus solvi in signum universalis dominii mandaverit, ex quibus Sacerdotes qui altari Domini deserviunt, vivere & onera incumbentia perferre commodius possent: quibus igitur adducti rationibus, justis hujusmodi requisitionibus assensum præstitimus, ut eo amplius Reverendus Dominus Episcopus, jugi Ecclesiæ suæ servitio insistens, Altissimo vota sua reddere possit, quo jura, decimæ & alia suæ Ecclesiæ debita sublatis obstaculis sine fraude aliqua recipere & exigere auctoritate Apostolica confidat & speret, cognoscendo imprimis ipsas litteras compositionales non cassas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas atque omni prorsus vitio & suspicione carere; sed veras & validas ac Baronum & Prælatorum veris & legitimis sigillis obsignatas, prout fide dignorum testimoniis id esse cognovimus, & nos ipsi vidimus; compositionem & acta supradicta auctoritate Apostolica præmissa, in omnibus clausulis, punctis, & articulis, approbamus, ratificamus, & confirmamus ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos defectus qui forsan in præmissis intervenissent; quodque ut præmissorum semper & ubique parata sit executio, Reverendis in Christo Patribus Dominis Modrusiensis & Thininiensis provinciæ Croatiæ Ecclesiarum Episcopis præmissa auctoritate Apostolica committimus, quatenus, dum & quando pro parte ejusdem Domini Zagrabiensis, ut contra rebelles, & præmissa omnia, vel illorum singula observare & adimplere recusantes, requisiti aut alter eorum requisitus fuerit, possint, valeant, & debeant summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, omnes & singulos hujusmodi recusantes aut rebelles infra aliquem prout eis, aut alteri eorum videbitur terminum, monere ac requirere ut doceant realiter & cum effectu compositionibus & Capitulis supradictis paruisse, obedivisse, & satisfecisse. Quod si de paritione & satisfactione in termino sicut præfertur non docuerit, ad censuras ecclesiasticas, aggravationem, reaggravationem, pecuniarias pœnas & gravissimas ad arbitrium ipsorum conservatorum, & demum illorum, vel illius, adimplere & satisfacere recusantium vel recusantis, exigente contumacia ad brachii sæcularis invocationem procedere possint & debeant; mandatur. Insuper eadem auctoritate apostolica omnibus & singulis tam sæcularibus, quam ecclesiasticis judicibus qui cum præmissis, a dictis Dominis Episcopis Conservatoribus præfatis, requisiti fuerint, in virtute obedientiæ primo, necnon excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam in contradictores in his scriptis proferimus, ut mandatis & requisitionibus dictorum Episcoporum conservatorum pareant, obediant, & mandata ipsorum exequantur. Ipsique Episcopi conservatores illum vel illos qui in censuris ecclesiasticis, & pecuniariis pœnis ob non paritionem inciderit vel inciderint, toties quoties opus fuerit ad ipsius Domini Episc. Zagrab. requisitionem eadem auctoritate apostolica, satis-

Digitized by Google

tisfacto prius dicto Domino Episcopo Zagrabiensi, aut aliter cum eodem concordato, absolvere possint, & debeant, in forma Ecclesiæ consueta, præsentibus ad vitam ipsius Osvaldi moderni Zagrabiensis Episcopi duntaxat duraturis. Salvis tamen semper juribus & privilegiis dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis super ipsis decimis exolvendis. Datum Budæ Wesprimiensis diœcesis in domo solitæ nostræ residentiæ die quinto mensis Julii Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ octavi anno sexto. Præsentibus ibidem Reverendis in Christo Patribus Christophoro Modrusiensis & N. Neapoliensis Ecclesiarum Episcopis, ac venerabilibus viris Dominis Martino Prothonotar. Apostolico & Budensi Plebano, & Maffeo Illustrissimi Domini Ducis Mediolanensis Oratore & Fabiano Ecclesiæ Zagrabiensis Canonico testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Et ego Jacobus Lucæ de Bodog Aszon Falva Transylvanensis diœcesis sacra imperiali auctoritate notarius publicus, quia præmissæ confirmationi, approbationi, conservatorum dationi, necnon censurarum ecclesiasticarum, & pecuniariarum pœnarum, una cum auxilio brachii sæcularis appositioni, aliisque omnibus & singulis dum, sicut præmittitur, per Reverendissimum Dominum Angelum Legatum Apostolicum fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus, & notariis, collegis meis infrascriptis præsens fui, eaque omnia sic fieri vidi, & audivi, ideo hoc instrumentum publicum, seu has literas, per alium fideliter scriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signoque ac nomine meis solitis, & consuetis consignavi, & roboravi, in fidem ac testimonium omnium & singulorum præmissorum requisitus & rogatus. II. Locus signi ejusdem. Et ego Lucantonius Florentinus civis Viterbiensis, apostolica, & imperiali auctoritatibus notarius publicus & ad præsens præfati Reverendissimi Domini Legati immeritus Secretarius, quia præmissis confirmationi &c. ut supra.

Litteræ regiæ Uladislavi eadem pacta confirmantes.

Nos Uladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bobemiæ, nec non Marchio Moraviæ &c. memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis; quod Rev. in Christo Pater D. Osvaldus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, thesaurarius noster fidelis, & dilectus, nostrum veniens in conspectum, exhibuit nobis, & præsentavit certas litteras dominorum prælatorum & baronum bujus regni nostri Hungariæ, nuper in congregatione generali, pro novi regis electione in civitate nostra Pesthiensi constitutorum, nominibus & sigillis eorum pendentibus, emanatas & communitas, modum formam ac vim cujusdam fassionis, compositionis limitationisque & obligaminis super facto dicationis, & exactionis, atque solutionis decimarum frugum, bladorum, ac omnium aliarum rerum decimari solitarum, ipsi D. Episcopo de medio incolarum, & habitatorum comitatuum regni nostri Sclavoniæ, Crisiensis & Zagrabiensis, provenire debentium, inter ipsum Dominum Episcopum, ac nobiles eorumdem duorum comitatuum, coram præfatis Dominis prælatis, & baronibus dicti regni nostri Hungariæ factum in se continentes, tenoris infrascripti; supplicans nobis idem D. Episcopus, ut easdem litteras gratas, ratas, & acceptas habere, litterisque nostris privilegialibus de verbo ad verbum inseri facere, bujusmodi fassioni, compositioni, ac limitationi, omnibusque aliis obligaminibus, & articulis in eisdem litteris clarius expressis, & contentis nostrum regium consensum præbere, ac eidem Domino Episcopo, & Ecclesiæ suæ, vita ipsius comite, roborare, seu confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est: Nos Hippolytus Estensis &c. (hic insertum est diploma Pesthiense supra descriptum). *Nos igitur supplicationibus annotati D. Osvaldi Episcopi nobis modo, quo supra, porrectis, regia benignitate exauditis, & clementer admissis, prænotatas litteras annotatorum Dominorum prælatorum, & baronum non abrasas, non cancellatas, non in aliqua sui parte suspectas, præsentibusque litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione, & augmento aliquali insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas, articulos, acceptamus, approbamus, & ratificamus, præmissæque fassioni, compositioni, limitationique, & obligaminibus inter memoratum Rev. Dominum Episcopum, ac præfatos nobiles dictorum duorum comitatuum Crisiensis, & Zagrabiensis, modo & ordine, quo supra, factis, omnibusque aliis & singulis, in eisdem litteris contentis & expressis nostrum regium consensum præbuimus, præbemusque, benevolum pariter & assensum. Et nihilominus intelligentes certis antea retroactis annis super solutione decimarum bujusmodi inter ipsum Dominum Episcopum, & præfatos nobiles sæpe dictorum duorum comitatuum, plures differentias, lites, & controversias submotas, exortasque fuisse; ut igitur eædem de cetero penitus extinguantur, & præmissæ fassiones, limitationes, compositionesque, & obligamina præfatorum Domini Episcopi, & nobilium dictorum comitatuum, inviolabiliter, perpetueque observentur; easdem litteras ipsi Domino Episcopo, ecclesiæque suæ prætactæ, vita ipsius comite, in perpetuum roboramus. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præsentes litteras nostras, quas secreto sigillo nostro, quo, ut rex Hungariæ, utimur, impendenti communiri fecimus; eidem duximus concedendas. Datum Budæ in festo B. Michaelis Archangeli, anno Domini millesimo, quadringentesimo, nonagesimo; regnorum nostrorum Hungariæ, & coronationis primo, Bobemiæ vero vigesimo Uladislaus Rex.*

Uladislavus post tres illos regni competitores, vel muneribus delinitos, vel armis superatos, regnum pacatum obtinuit. Joannem Corvinum Banatu seu principatu Illyrici, & multis castellis, oppidisque donatum sibi conciliavit. Albertum Fratrem prælio victum, regno Poloniæ, post obitum Casimiri Parentis anno 1492. extincti, contentum esse coegit. Cum Maximiliano Cæsare diuturnior contentio fuit. Haud pauci ex Hungaris, præmiis & pollicitationibus illecti, ad eum defecerant; & cives montis Græcenses intra urbem regiam præsidia Germanorum receperunt. Osvaldus fidem Uladislavo datam constantissime retinuit; cui ad regnum adipiscendum perutilem operam præbuerat; quam ob caussam milites Germani plurima ei damna intulerunt, villas agrosque episcopales vastarunt; & duo insuper castella eidem ademerunt, quæ Joannes Corvinus, hostibus cæsis & fugatis, recepit; & cum nollet Episcopo & Ecclesiæ restituere, ea Osvaldus vi atque armis recuperavit; & præterea Rokanicum, Castrum Corvini in suam potestatem re-

Constans Osvaldi erga Uladislavum fides.

Digitized by Google

digit. Hinc plane hostiles inter Osvaldum & Corvinum inimicitiæ; quas Ladislavus Kanisajus, Banus Slavoniæ, pacavit; & quæ alter alteri eripuerat, utrique redditis, eos in pristinam concordiam reduxit.

Osvaldus gratiam & benevolentiam Uladislavi multis in eum & magnis meritis sibi conciliavit. Ut cetera prætercam, cum Turcæ Jazzam civitatem Bosinæ, ab rege Matthia illis ereptam, ab omni commeatu intercluderent, urbi laboranti subvenire jussus delectam suorum militum manum, quam *Banderium* vocant, subsidio misit, quæ cum copiis Bosnensibus conjuncta, hostes in fugam avertit, vias, quas obsederant, aperuit, cibaria & præsidiarios milites introduxit. Extat epistola Uladislavi ad Osvaldum Cassoviæ data, ex qua Kereselichius hanc particulam decerpsit: *Intelleximus*, inquit, *quod Turci omnes vias ad Castrum nostrum Jaicza undique obsederint, ita ut ad idem victualia hactenus inferri nequiverint; gentes quas habetis, deputetis in subsidium cæterorum fidelium nostrorum, quibus etiam præcipimus, ut omnibus modis possibilibus victualia importent ad ipsum Castrum nostrum.* Quid & quantum deberet Osvaldo ipsemet Uladislavus commemoravit, cum anno 1495. eidem Præposituram Glongoacensem, exiguæ cujusdam remunerationis caussa contulit; *quod in omnibus fortunæ casibus*, ut ex litteris Uladislavi refert Kereselichius, *assidue lateri regis adhærens, non pepercit bonis sui episcopatus, quod ejus gratia, multa & gravia damna pertulerit; primum per occupationem, & vastationem exercitus Alemanorum, & violentam eorumdem bonorum detentionem, ac tandem per frequentem incursionem, & conflagrationem Turcarum; quæ demum per exercitum condam Pauli Cnisii, & Joannis Corvini Ducis, ac eorumdem complicum, in extremam fere devenerunt desolationem; quem fuisset aliter remuneraturus, si opportunitas ferret; tamen in aliqualem recognitionem prædictam ei præposituram confert.* Glongoacense Sacerdotium Osvaldo collatum Alexander IV. approbavit *ob magna ejus*, ut Pontifex ait, *de Ecclesia merita.*

Uladislavi erga Osvaldum grata & benefica voluntas.

Nec vero Uladislavus suum favorem, suamque auctoritatem Osvaldo deesse passus est, præsertim cum caussa Ecclesiæ, & decimarum agebatur. Sigismundus Episcopus Quinqueecclesiensis, & ejus Frater Joannes Ernust jus colligendi decimas Castri *S. Georgii*, & *Villæ Capronca* Osvaldo ereptum interverterant, ad seque pertinere contendebant. Osvaldus a rege impetravit, ut in hanc rem arbitri essent Urbanus Agriensis, & Thomas Jaurinensis Episcopi. Compertum quidem erat jus ab Osvaldo stare, rem tamen per compositionem sic transigi placuit, ut fratres illi pro decimis certam pecuniæ summam singulis annis festo die S. Martini Episcopi solverent; si vero hanc solutionem semel negligerent, duplum, si secundo, quadruplum ejusdem summæ contribuere deberent: & præterea jus exigendi decimas illas ipsi quidem amitterent, Episcopus vero sibi, suæque Ecclesiæ recuperaret. Hanc sententiam, & compositionem Uladislavus confirmavit, eique standum esse decrevit. Perstabant adhuc in sua pertinacia Varasdinenses, & quamvis pluribus sententiis, & censuris confixi, solutionem tamen decimarum contumacissime abnuebant. Anno 1495. in oppido Verovecensi, cum ibi frequentissimus Procerum conventus ageretur, ad judicia exercenda, & suum cuique jus reddendum; Uladislavus rex rursus Varasdinenses sua sententia damnavit, Osvaldo judicium in eos postulante, quem ait Bonfinius, *cum ducentis equitibus venisse, & facile castella, decimasque Basilicæ suæ e quibusdam regulis interceptas recuperasse.* Sententia regis plena reprehensionum ac minarum contumaciam Varasdinensium fregit; & anno sequenti in altero Budensi conventu, cum supplicíter veniam petiissent; de sententia Concilii, eadem ratio solvendi decimas Episcopo, & Ecclesiæ Zagrabiensi, Varasdinensibus imperata fuit, quæ ante sex annos in conventu Dombrensi Zagrabiensibus, & Crisiensibus præscripta fuerat. Decimas superiorum annorum, quas ob neglectam solutionem Episcopo debebant, Osvaldus, rogatu Antistitum & Procerum, illis remisit & condonavit; hac tamen conditione interposita, *ut si quispiam ex Magnatibus, vel nobilibus prædicti Comitatus, seu Cultelli Varasdinensis hujusmodi concordiam, seu compositionem successu temporis observare, & secundum eamdem dicto Episcopo decimas solvere recusaret, per ipsumque Episcopum in jure conveniretur; ex tunc ipsi nobiles & Communitas prafati Comitatus, seu Cultelli Varasdinensis, hujusmodi magnatibus, seu nobilibus non adhærebunt, sed potius ipsi Domino Episcopo in progressu causæ, & litis, contra eosdem, & quemlibet illorum in omnibus pro posse eorum, auxilio aderunt & adesse tenebuntur.* Ita demum & Varasdinenses anathematum vinculis exsoluti, cum Episcopo & Ecclesia in gratiam redierunt; & finis impositus est diuturnis gravissimisque contentionibus, quas Osvaldus pro decimis & bonis ecclesiasticis recuperandis susceperat. Nec solum Ecclesiam suam in antiquum pristinæ opulentiæ statum restituit, de quo propter incuriam, sive malitiam laicorum administratorum vel plurimum declinaverat; sed etiam multis auxit proventibus, & fundis, quos vel ipse sua pecunia comparavit, vel ex avita hæreditate sibi obvenerant, vindex idem & amplificator egregius patrimonii ecclesiastici. Reliquos tres annos, qui ejus vitæ supererant, ab omni litigio & molestia vacuos, tranquille ac placide transegit. Quamvis vero tot tantisque litibus, & laboriosis ac molestissimis concertationibus fere semper exercitus, ac distentus fuerit; tamen in tanta curarum ac negotiorum forensium mole, quæ ad religionem cultumque divinum pertinent, minime neglexit. Cum codices statarum precum, & quotidianæ psalmodiæ ad normam ritus Zagrabiensis compositi, vetustate attriti essent, vel consumti; & eorum, qui supererant integri & intacti, mira paucitas esset; Osvaldus beneficio usus typographiæ, haud ita pridem inventæ, illos expurgatis mendis & erroribus, qui ob librariorum incuriam, & inscitiam irrepserant, elegantibus typis cudendos curavit, ut declarat præfatio iisdem præfixa: *Cum in diœcesi Zagrabiensi esset magna penuria emendatorum breviariorum, secundum ordinationem, &, ut vulgo dicitur, rubricam dictæ Ecclesiæ; eademque breviaria magna ex parte longinquitate temporis corrupta ac depravata, plerumque scriptorum imperitia haberentur, Reverendissimus in Christo Pater D. Osvaldus memoratæ Ecclesiæ Zagrab., animadvertens officii sui esse ejusmodi penuriæ occur-*

Varasdinenses contumaces in Episcopum, regali sententia confixos ad officium redire cogit.

Osvaldus Breviario Zagrabiense typis imprimi curavit.

cur-

currere, ut ex facili breviaria in utilitatem cleri totius diœcesis suæ, quam emendatissima, haberi possent, proindeque in eam rem intendens, ut & optime emendarentur, & emendata imprimerentur, opera atque diligentia venerabilium Dominorum Georgii de Bexin, & Blasii de Kemlek decretorum Doctoris, Archidiaconorum, & Canonicorum in præfata Ecclesia, ad æternam memoriam imprimi facere curavit. Itaque & quam optime castigata & impressa sunt auctoritate Reverendissimæ Paternitatis suæ, & jam in lucem exitura, ut unusquisque facile, & præcipue ecclesiastici ordinis miles, cui rite Deum, & juste laudare absque syncopa, & verborum truncatione sacra canonum jubet institutio, & assequi possit, quæ antea passim ita bene correcta habere vix licuit. Quorum præsentiam facile dignosces, o lector optime, si vetera illa breviaria, & rubricas cum his non fueris dedignatus conferre. Vale.

Itemque codices chorales nitidis & elegantibus litteris describi.

Præterea codices illos membranaceos molis ingentis, notis musicis conscriptos, qui ad psalmos concinendos, & precationes, sacrosque versiculos inter solemne sacrificium decantandos choro deserviunt, pulcherrimis litteris aureis, rubris, nigrisque describi jussit, & quamplurima exempla fieri ad commodum usumque aliarum etiam Ecclesiarum diœcesis Zagrabiensis, ut docet Thomas Kovascevichius. *Restituto*, inquit, *integritati suæ Breviario, complures quoque ingentis molis libros in membrana, gravi & eleganti charactere conscribi, & notis signari curavit, qui horarum canonicarum, & Missæ officio decantando deserviunt, in ea validitate etiamnum consistentes, ac si paucis abhinc annis in lucem prodiissent.*

In ædificationem Basilicæ plurimam operam impendit & pecuniam legavit.

Plurimum vero pecuniæ operæque contulit ad perficiendam ædificationem basilicæ cathedralis; jamque parietes circumcirca ad fastigium perduxerat, & fornicem, ac testudinem imponere cœperat, cum morte præreptus absolutionem perfectionemque tanti operis successori commendavit, sepositis legatisque in eam rem decem millibus florenorum, ut est in ejus tabulis supremis: *Ex quo Ecclesia Zagrabiensis a principio fundationis sui satis neglecta, & numquam in labore suo consumata fuit, in qua quantum potui, ædificari feci, ad cujus ulteriorem continuationem, & consumationem lego florenorum decem millia.* Subsellia Canonicorum insigni artificio elaborata, pulcherrimeque cælata ære suo fieri curavit, ut tradit Ritterus: *Stalla pro Canonicis & Præbendariis sumptuosissima fieri fecit: in quibus magnanimitatis suæ auream inscriptionem reliquit: Osvaldo Pontifice Zagrabien. 1499.* Altare summum opere magnifico & eleganti construxit, ut docebat inscriptio eidem apposita:

Præsulis Osvaldi sunt hæc monumenta laboris:
Hoc tibi, rex regum Christe, dicavit opus.

Sed cum aram illam basilicæ principem, quæ anno 1624., ictu fulminis corruit, & conflagravit, Franciscus Erghelius Episcopus restituisset, pro vetere alteram epigraphen substituit:

Abstulit Osvaldi celebratum flamma laborem
Sumptibus Ergelii non minus ara micat.

Hanc posterior ætas abrasit, ac tertiam, quæ videbatur elegantior, subrogavit

Franciscus Præsul locat hanc Erghelius aram,
Osvaldi postquam concidit igne labor.

Mors Osvaldi.

Annus 1499. Osvaldo postremus fuit. Chasmæ in Castro Episcopali cum diversaretur, letalem in morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus, sempiternam sui nominis, & Episcopatus memoriam reliquit. Ipsa obitus dies notatur decima quinta Aprilis in Necrologio Seitzensis Carthusiæ: *Aprilis die 15. D. Osvaldus Episc. Zagrabiensis.* Annos tres & triginta cum præfuisset, nullis laboribus, sumtibus, incommodis pepercit, ut rem ecclesiasticam male affectam, & bonorum suorum distractione valde diminutam restitueret, eamque optime constitutam, nullis litigiis obnoxiam, & pacatam, multisque divitiis auctam successoribus traderet. Translatus est Zagrabiam; & funere quam magnificentissimo elatus, in basilica cathedrali ante aram *Cœnæ Domini*, ut ipse in tabulis supremis jusserat, sepultus est. Operculo marmoreo insculpta erat effigies pontificalis, cum ejus insignis gentilitiis, additusque titulus sepulchralis.

Zagrabiæ Osvaldus manet hic sub marmore Præsul,
Exemplum veræ qui probitatis erat.
Fama suum celebrat, pereat ne pulvere, nomen,
Virtutum meritis spiritus Astra tenet.

Hæc seculo duodevicesimo ineunte, cum pavimentum sacrarii tessellis marmoreis sternendum esset, effigies illa & inscriptio amota fuit; nec scio an utraque, vel alterutra reposita fuerit, ad illustrem talis ac tanti Præsulis memoriam immortalitate donandam, aut certe ab oblivione hominum atque silentio vindicandam. Testamentum fecit dignum sane ejus beneficentiæ ac pietatis; ex quo non solum copia divitiarum, quibus affluebat, sed multo magis ejus animus gratissimus erga Uladislavum regem, aliosque omnes de se benemeritos; & præsertim religio & liberalitas erga suam, cæterasque diœcesis Zagrabiensis Ecclesias, ac cœtus piorum hominum, dignosci potest. Adeo vero se alienum a carne & sanguine ostendit, ut ex immensis illis opibus, quas vel e domestico & ecclesiastico patrimonio, vel e bonis sua industria & pecunia acquisitis congesserat, & de summa nummaria, quam ad sexaginta tria millia florenorum excrevisse ajunt, bis mille tantummodo, & trecentos florenos consanguineis legaverit. Operæ pretium mihi visum est, ejus tabulas supremas, quæ in archivio Capitulari asservantur, hic subjicere.

Testamentum.

Conditæ sunt anno 1449. XVII. Kalendas Majas. Tutores testamenti Thomam Archiepiscopum Strigonii, Dominicum Antistitem Varadini, & Nicolaum Banfium virum nobilissimum; curatores vero Archidiaconos tres *Andream Cathedralem*, Joannem *Goricensem*, Andream *Kemlechensem*, quibus adjunxit Joannem *Custodem*, & duos preterea ex Ordine laicali illustres viros, Georgium *Kerechim*, & Franciscum *Keczerum*, constituit. Postquam igitur more & formula majorum præfatus, locum suæ sepulturæ designasset, & eos, quos dixi, Tutores & Curatores nominasset, hanc rerum & pecuniarum suarum partitionem fecit.

Primo Serenissimo Principi Domino Uladislao Hungariæ, Bohemiæ regi, & Domino meo gratiosissimo lego decem millia florenorum, & ultra ista, tria millia, & quingentos flor. quibus de debitis quondam Domini Paulli de Kiniis adhuc mihi obligatur, eidem remitto, & relaxo. Item lego majestati suæ cuppas argenteas deauratas bullatas magnas duas, & alias duas novas cum imagine S. Christophori, & iterum duas magnas cum draconibus, & [illegible]

V [illegible]

superius; omnes deauratæ. Item cantharos argenteos magnos duos. Item amphoram cum pelvi argentea, in toto deaurata pro lavatorio; & aliam amphoram christallinam cum smalcz auro, & argento cum circumferentiis ornatam. Item gradarium magnum pomilatum, & alium album Hungor dictum, cum frænis Kalmar deauratis similiter lego majestati suæ. Item ex quo natus sum in regno, & ea bona quæ habui, ex regno habui, ideo quantum possibile fuit, nolui esse ingratus patriæ. Relinquo itaque ad labores castrorum finitimorum, videlicet: Faicza, Nandoralba, Sabacz, & Feurim triginta duo millia florenorum, ita tamen, quod pecunia illa non vadat, neque dispensetur per manus thesaurarii; sed Domini prælati, & barones, ac nobiles regnicolæ deputent aliquem, vel aliquos homines idoneos, qui fideliter dispensent pecuniam ipsam ad opus præfatum. Item ex quo Ecclesia ista Zagrabiensis a principio fundationis fuit satis neglecta, & nunquam in labore suo consumata, in qua quantum potui ædificari feci; ad cujus ulteriorem continuationem & consumationem lego florenorum decem millia: eidem Ecclesia lego amphoram cum pelvi argentea, quam semper habui in usu. Item pro die Cœnæ Domini unam cuppam deauratam duplatam argenteam mediocrem, & alias duas cuppas . . . argenteas deauratas, cum virgultis erectis: discos argenteos duodecim, ex quibus deaurati quatuor pro eadem cœna, & mandato: scutellas meas argenteas magnas duodecim, cum tribus parvis pro balsamentis lego similiter Ecclesiæ præfatæ: ad labores Reliquiarum candelabra argentea deaurata majora duo: conservatorium corporalium auro & perlis ornatum unum, & quædam alia ornamenta, juxta informationem executoribus datam, lego ipsi Ecclesiæ meæ Zagrab. Ad laborem vero Ecclesiæ S. Spiritus Chasmæ fundatæ, quæ etiam a principio fuit satis neglecta, lego flor. quingentos, per Capitulum ejusdem loci dispensandos. Item alios florenos quingentos lego eidem Ecclesiæ propter futuras necessitates, casu quo contingere possit, videlicet vel per combustionem Turcorum: vel si tectum ruet ex vetustate, aut aliud quodpiam tale contingeret, seu emergeret. Eidem Ecclesiæ lego casulam meam de damaschino albo aurato cum cruce gemmata, cum diversis floribus, & omnibus attinentiis: item conservatorium gemmatum cum Jesu, & tabulam cum imagine Crucifixi.

*Item Reverendissimo Domino Thomæ Archiepiscopo Strigoniensi lego cuppam magnam deauratam unam, & scutellas argenteas italicas sex, ex quibus deauratæ tres. Item Reverend. D. Dominico Episcopo Varadiensi similiter cuppam deauratam novam unam, & salserium auratum duplum unum; Dom. Nicolao Banfio compatri meo lego cuppam auratam unam, conservatorium salis auratum duplum unum, & gradarium unum: Dom. Tost ex Som. Comiti Themesiensi cuppam deauratam unam, & equum paztho. Dom. Laurentio Duci (*cum quo illum Ritter bella gessisse scribit*), gradarium unum, balistas duas, cum pharetris tractoriis, & sagittis. D. Georgio de Kamisa similiter compatri meo gradarium unum; & Dnæ Conthorali ejusdem cuppam deauratam novam, & scutellas argenteas deauratas pro salsamentis parvas tres. Domino Georgio præposito decretorum regio gradarium unum, & cuppam deauratam novam unam. D. Blasio Raskay coclearia argentea duodecim, ex quibus deaurata sex: & scutellas parvas argenteas deauratas pro salsamentis duas. Petro Pogan gradarium unum.*

Ad claustrum Fratrum Carthusiensium in Lavech pro necessariis claustrorum ejusdem Ordinis in regno habitorum, lego flor. mille. Similiter Fratribus Heremitarum flor. mille, qui dentur ad S. Paullum juxta Budam, ut ad necessitates claustrorum ejusdem Ordinis exponantur. Eodem modo Fratribus Ordinis Minorum de observantia ad necessitates claustrorum lego flor. mille. Item ad tecturæ reparationem, & alia necessaria Ecclesiæ S. Joannis in nova villa Zagrabiæ, lego flor. centum. Similiter ad reparationem, & laborem hospitalis S. Elisabeth in theatro Zagrab. flor. centum. Ad aliud hospitale S. Antonii in vico Latinorum flor. quinquaginta. Ad Ecclesiam S. M. V. in Abbatia pro reparatione vel tectura flor. quinquaginta; & ad Ecclesiam S. Leonardi pro necessitate ejusdem floren. viginti quinque. Ad necessitatem Ecclesiæ S. Emerici ibidem Zagrabiæ lego flor. 25. Ad laborem Ecclesiæ & claustri S. Nicolai Ordinis Prædicatorum Zagrabiæ flor. quinquaginta. Similiter ad S. Franciscum floren. viginti quinque. Item ad laborem, & alias necessitates Ecclesiæ, & claustri B. M. V. Eremitarum juxta Zagrabiam lego flor. quinquaginta. Præterea ad laborem & alias necessitates Ecclesiæ, & claustri S. Mariæ Magdalenæ Ordinis Prædicatorum Chasmæ lego flor. ducentos. Ad necessitatem hospitalis SS. Cosmæ, & Damiani ibidem flor. triginta duos. Ad Ecclesiam S. M. V. in campo prope Chasmam, pro aliquo bono ornatu ordinando, & mappa ad aram flor. vigintiquinque. Ad labores, & alias necessitates Ecclesiæ, & claustri Heremitarum S. M. V. juxta castrum Garigh flor. quinquaginta. Ad Ecclesiam Glogocensem S. M. V. floren. quinquaginta. Ad Ecclesias in provincia Chasmensi S. Stephani in Rakitnicza flor. duodecim. Omnium Sanctorum in Narth flor. quindecim. S. Elisabeth in Zerdahel flor. quindecim. S. Joannis Baptistæ in veteri Chasma floren. viginti quinque. S. Georgii prope Heimocz flor. duodecim. S. Petri in Petreæ flor. 10. S. Catharina in Grachina flor. 12. S. Crucis in Cantoratu flor. duodecim. S. Nicolai in Podgoria flor. decem. S. Andreæ Chasmæ supra piscinam flor. decem. S. Joannis in Suburbio flor. sex. Et Ecclesiæ Parochiali sub Ecclesia S. Spiritus flor. decem.

Item ad Ecclesiam S. Margaritæ in oppido Dombrensi ad necessaria, quibus magis indigebit, lego flor. viginti quinque. Ad S. Martinum ibidem similiter floren. viginti quinque. Et ad laborem Ecclesiæ filialis in capella flor. quindecim. Ad Ecclesiam S. Georgii in Bonthosovcz flor. viginti. Similiter S. Georgii in Limes flor. sedecim. Et ad Ecclesiam S. Nicolai in eadem provincia Dombrensi juxta viam Crisium eundo flor. sedecim. Item ad laborem & alias necessitates Ecclesiæ parochialis S. M. V. in Ivanich lego flor. viginti quinque. Item ex quo moniales in claustro S. M. V. ibidem in Ivanich, quæ fuerunt Ordinis Cisterciensis, in tantum defecerant, quod præter unam decrepitam, & aliam juniorem, nulla erat, quæ ad servitia & officia illius Ecclesiæ non sufficiebat; habita autem & magna diligentia pro pluribus ejusdem Ordinis adducendis, ubique etiam in vicinis regionibus ex quo in aliquo claustro regni Hungariæ non sunt; sed nullo ex loco adduci potuerunt. Quo viso necesse fuit superinde consulere Sedem Apostolicam, ut Sacerdotes sæculares possent in claustro ipso divina

vina officia peragere. Quod ipsa per Bullas concedens, ex post presbyteri saeculares semper ibi administraverunt. Possessiones autem, quae fuerunt ex possessionibus Ecclesiae cathedralis de mensa scilicet episcopali, illi claustro applicata, licite tenere potui, & solvere feci presbyteris, qui ibi ministrarunt. Si tamen successori placeret ex devotione, vel alicui alteri, qui pro salute sua vellet laborare, quod de illo ordine aliae personae honestae introducerentur, sum contentus, quod illa bona iterum restituantur illi Ecclesiae non obstante indulto a Sede Apostolica superinde habito. Jura autem, & litterae fundationis, quae pertinent ad praefatum claustrum, sunt reposita in sacristia Ecclesiae Chasmensis. Pro tabula autem ad aram magnam, & ornamentis, ac aliis necessitatibus ejusdem lego flor. centum. Ad Ecclesiam omnium Sanctorum in eadem provincia Ivanich, ad ea necessaria, quibus magis indiget, lego flor. viginti quinque. Ad necessitates Ecclesiae omnium Sanctorum in oppido Zalathnok lego flor. viginti quinque; & capellam ibidem executores faciant finire: ordinentque ornamenta sacerdotalia, ac mappas, aliaque necessaria ad eamdem. Sic similiter Ecclesiam S. Ladislai in Zala executores faciant finire, & ordinent calices, ornamenta sacerdotalia, mappas altarium, aliaque necessaria ad eandem.

Item Alphonso filio magnifici quondam D. Joannis Tuz fratri meo lego flor. mille. Ad alia necessaria dedi informationem executoribus. Item Nicolaum filium quondam Stephani Derffii cum Sophia puella sorore sua, orphanos, & omni spe destitutos, una cum bonis, possessionibus eorundem, commendo in protectionem, & gratiam regiae majestatis, supplicans humiliter, ut per aliquem ex Dominis, cui magis competere videbitur, faciat majestas sua eosdem in bonis ipsorum defendere, & manutenere: eidemque Nicolao lego flor. trecentos, & puellae Sophiae flor. quingentos. Item sororibus meis. Relictae quondam Ladislai Pethkay lego flor. centum. Alteri uxori Casparis Oyulay flor. centum. Et tertiae relictae quondam Casparis Fanchy similiter flor. centum. Francisco puero, filio praefati Ladislay Pethkay lego flor. quinquaginta. Et magnifico Nicolao de Inarch flor. centum quinquaginta. Item ... de castris Ecclesiae sub poena excommunicationis latae sententiae nullo pacto exportentur, quoniam ex proventibus Ecclesiae ordinata sunt, & dignum est, ut semper in eisdem castris pro Ecclesia remaneant. De reliquis vero rebus meis universis disponant executores mei, juxta discretionem, prudentiam, & conscientiam ipsorum, prout super inde a me informationem habent, contententque & satisfaciant familiaribus meis. Executores autem hujus testamenti, & ultimae voluntatis meae eligo, ordino, constituo, & facio Venerabiles &c. ut supra. *Quibus singulis lego per flor. quinquaginta. Tutores vero &c.* ut supra. *Acta sunt haec in palatio Chasmensi, quinta decima mensis Aprilis A. D. 1499. Ego Osvaldus Episcopus Zagrabiensis &c. hoc ultimum, & praesens testamentum ordinavi, & confeci modo praemisso. Unde supplico Majestati regiae, & Dom. id est, Tutoribus, devote, ut haec omnia praemissa pro Deo, & servitiis meis dignentur observare, & manutenere; haec propria manu scripsi.* Demum de domo Budensi in privata quadam cartha sequens dispositio fuit reperta. *Item domum meam Budensem emptitiam, in platea omnium Sanctorum habitam, in qua dum Budae fui, habitavi, lego Alphonso Tuz, & Sophiae sorori ejusdem, natis quondam Dom. Joannis Tuz fratris mei. Osvaldus Episcopus Zagrabiensis manu propria.* Post haec sequitur confirmatio regis.

Regia confirmatio testamenti.

Omnia & singula, quae supremis tabulis Osvaldus consignaverat, eodem anno *Dominica proxima post Ascensionem Domini* rex Uladislavus confirmavit his verbis: *Nos igitur considerantes fidelitatem, & gratiosissima fidelium servitorum merita quondam Domini Osvaldi Episcopi, quae sacrae in primis hujus regni nostri Hungariae coronae, deinde etiam majestati nostrae, ab eo semper tempore, quo ad fastigium hujus regalis dignitatis nostrae evecti sumus, cum summa semper fidelitate, & integritatis perseverantia, usque ad extremum suae vitae exhibuit, & impendit, quorum respectu, sicuti viventi gratiam & benevolentiam nostram non negavimus, ita etiam morienti hac tam pia salutarique extrema voluntate sua frustrari nolentes &c. praescriptas litteras testamentarias &c. ratificamus, acceptamus, & approbamus, easque simul cum omnibus clausulis, articulis &c. confirmamus.* Anno igitur 1499., altero vel tertio die post conditum testamentum decessit.

Elogia illustrium virorum Osvaldo tributa.

Praeclarum eximiae virtutis testimonium Osvaldo tribuit Antonius Bonfinius, ipsius aequalis aetate, Dec. I. lib. I. *Hujus* (idest Zagrabiae) *Osvaldus nunc praeest Episcopus, nobilissimo Ungarorum genere natus, vir tanta modestia, gravitate, ac eloquentia praeditus, ut nihil in eo inveneris, quod non sit perquam laudabile, in sermone praegustatur, multo altius sapit, quam ostendit, suam prae humanitate dissimulat sapientiam, aeque scit utramque tolerare fortunam, & quam studiosissimus sit ubique decoris observator; & cum consilio, ac ingenii dexteritate polleat, potius rebus magnis agendis, quam sacro otio foret idoneus.* Eumdem Benedictus Vincovichius Antistes Zagrab. *sanctae vitae, & magnae utilitatis Episcopum*, appellat, item *sanctae recordationis virum*, & paullo post *virum justum officio suo pastorali bene fungentem*. Paullus Ritterus ait *maximam inter Episcopos Zagrabienses memoriam reliquisse*.

Interregnū annuum.

Curatores bonorum Episcopalium.

Post mortem Osvaldi annum integrum, & unum aut alterum mensem Ecclesia Zagrabiensis Pastore caruit. Dum interregnum tenebat, administrationem bonorum Episcopalium, quae ad Canonicos devolvi debuerat, Petrus Bocskayus, & Joannes Podmanicskius ex mandato regis susceperant. Cum per id temporis quidam Canonicus intestato mortuus esset, illi duo administratores in ejus bona tamquam vacua, & caduca invaserunt, quae ad Ecclesiam pervenisse, atque ad suam procurationem pertinere existimabant. Reclamarunt Canonici, cum ex privilegiis Capituli penes illos jus & arbitrium esset bona Canonicorum, si qui forte intestati decederent, tripartito distribuendi, & partim Ecclesiae, partim pauperibus, partim consanguineis demortui Canonici elargiendi. Rex Uladislavus, ad quem appellatum fuit, secundum Canonicos judicavit; & *Budae anno* 1500. *feria quinta ante festum S. Valentini*, tum illis administratoribus, tum *Episcopo futuro* imperavit, ne quid de bonis illius Canonici demortui attingerent, & si quae interverterant, Capitulo restituerent.

LU.

Digitized by Google

LUCAS EPISC. ZAGRAB. XXXXV.

Lucas Ep. Bosnensis, deinde Chanadiensis, demum Zagrabiensis

Natione Hungarus, nobili genere natus, primus Bosnensis, deinde Chanadiensis Episcopus, & *personalis præsentiæ regiæ locumtenens*, ut tabulæ illorum temporum docent, demum Episcopus Zagrabiensis ab Uladislavo rege nominatus, & ab Alexandro VI. approbatus anno 1500. De collato sibi Episcopatu Canonicos per litteras certiores fecit *feria tertia post Ascensionem Domini*, ac vetuit quempiam ante suum adventum, *sive vigore gratiæ, sive quacumque ex alia commissione in Canonicum, vel dignitatem institui, sive installari, præter Præpositum majorem Antonium de Andreis, Capellanum regium*, cui dignitatem illam totius Capituli primariam, post *mortem Alphonsi Thuz*, Uladislavus pro suo regali jure contulerat. Paucis post diebus Zagrabiam venit cum litteris regiis in hæc verba confectis:

Zagrabiam venit cum litteris commendatitiis regis Uladislavi ad Canonicos.

Uladislaus Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ &c. Fidelibus nostris honorabilibus Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensi salutem & gratiam. Expeditis jam tandem negotiis, nostrum & totius regni commodum, & utilitatem concernentibus, remisimus ad illam Ecclesiam Zagrabien. fidelem nostrum Reverendiss. in Christo Patrem Dominum Lucam electum ejusdem Ecclesiæ Dominum, & Prælatum vestrum, cui inter alia negotia nostra expedienda injunximus, ut Ecclesiam Zagrabiensem diu multumque neglectam, ac etiam palatium ac domum Episcopalem reformare, & restaurare debeat. Et ne tam solemnis ecclesia, tum tantis expensis ad laudem Dei fundata, per incursus Turcarum possit aliquando destrui, commisimus eidem Domino Lucæ, ut non solum præfatam Ecclesiam, & domum Episcopalem refermet, sed destructo jam veteri Castro, juxta prædecessorum nostrorum indulta, multis & aliis novis propugnaculis, meliori ordine, quo fieri poterit, fortificet. Ad quæ omnia, ut vos ipsi considerare poteritis, maximis sumptibus opus erit; fidelitati vestræ harum serie præcipimus & mandamus, quatenus statim, acceptis præsentibus, illos decem mille florenos, quos Reverendus quondam D. Osvaldus Episcopus illius Ecclesiæ Zagrabien. ad præfatos labores testamentaliter legaverat; sed & alias pecunias, quæ apud vos sunt, vel alterum vestrum, qualitercumque repositæ sint, integre, & sine aliquo defectu manibus præfati Domini Lucæ assignare debeatis, & teneamini, secus non facturi. Budæ feria sexta proxima post festum Ascensionis Domini. Anno 1500.

Primas curas ad perficiendam ædificationem basilicæ Lucas convertit.

Lucas suscepto episcopatu, ut regiæ Uladislavi, ut supremæ Osvaldi, ac piæ utriusque voluntati obsequeretur, primas cogitationes curasque ad perficiendam ædificationem basilicæ cathedralis, & arcem ac domum episcopalem construendam convertit; sed neque alteri manum extremam imponere, ut alterius ne fundamenta quidem jacere potuit. Ex decem millibus florenorum, quæ Osvaldus legaverat, quinque millia in commodum utilitatemque Capituli Chasmensis distrahere debuit, eique a Balthasare Batthiano emit castellum Zuiboczium, quod eidem Capitulo non perutile solum sed etiam pernecessarium esse videbatur; reliqua vero quinque millia in testudinem ac fornicem basilicæ insumsit. Incolis oppidorum, & pagorum episcopalium & capitularium asseres & trabes imperavit, ex quibus fastigium basilicæ imponendum conficeret. Plures aras ædificavit, præsertim S. Michaelis, quæ adhuc extat, & S. Luciæ, ante quam sepulcrum sibi designavit. In area fere media ejusdem ædis cathedralis Odeum egregie ornatum ære suo exstruxit Joannes de Marocha Archidiaconus Goricensis; quod quidem, qua obversum est januæ maximæ, aliquod columellis, qua summum altare respicit, parieti solido innititur. Operis tum auctorem, tum artificem declarat inscriptio: *Inclyto Uladislao rege, Luca vero Pontifice dignissimo, Joannes de Marocha Archidiaconus Goricensis, & Canonicus hujus almæ Ecclesiæ hunc chorum Deo & patriæ propriis fecit fieri impensis anno 1507. Opus magistri Nicæ Florentini*. Illuc evecta sunt, aptoque ordine disposita lignea subsellia, quæ Osvaldus pro Canonicis, & præbendariis fieri, & pulcherrima arte cælari curaverat. Ibidem Lucas organum pneumaticum sumtuoso, & eleganti opere factum collocavit. Sed constructionem arcis, quæ & palatium episcopale, & basilicam complexa, suis mœnibus & propugnaculis contra Turcas communiret, cum pecunia non suppeteret, in aliud tempus rejecit.

Pro sacrificio quotidiano in honorem S. Stephani jamdudum intermisso, in perpetuum faciendo, quasdam decimas episcopales assignavit.

Ut perpetuitati consuleret sacrificii quotidiani in honorem S. Stephani regis, quod jamdudum fieri desierat, tum propter confusionem superiorum temporum, tum propter jacturam proventuum, ex quibus necessarius presbytero sacrificanti victus obveniebat; decimas episcopales ex terris capitularibus Gradeczii & Petriniæ condonavit Canonicis sub ea conditione, ut illius sacri quotidie faciendi onus ipsi susciperent. *Et quoniam*, inquit, *sede vacante ob alimoniæ substentationisque defectum, maxime temporibus disturbiorum, cum præfata Ecclesia nostra per manus laicas pluribus annis potentialiter tenta, & possessa fuit, dictam Missam dicimus certitudinaliter frequentissime interceptam, omissamque fuisse; volentes tam pio & salutari instituto commodius, & utilius, ut fieri potest, consulere, carentes ne in posterum aliqua occasione oblata, itidem fieri contingat, onus supputationis ejusdem fratribus nostris, Capitulo dictæ Ecclesiæ nostræ Zagrabien. perpetuo duraturum injunximus, & injecimus, nos, successoresque nostros ab hujusmodi cura relevantes; quibus etiam, ac ministris per eosdem pro tempore constituti necessaria sustentatione & alimonia fraudati opus hoc salutiferum (quod absque temporalibus diu vivere nequit) destituere & omittere, ut quam frequentissime contigisse certo intelleximus, compellantur; decimas nostras in pertinentiis utriusque Gradecz, & Patriniæ, possessionum scilicet dictorum fratrum nostrorum & Capituli, in Comitatu Zagrabiensi existentium, tum in pecuniis, tum etiam in specie exigi solitas, dempta semper quarta Præpositi majoris annotatæ Ecclesiæ nostræ Zagrabien. exinde sibi provenire debente, in perpetuum donavimus, dedimus, & contulimus, imo damus, donamus, & conferimus præsentium per vigorem, jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendas, possidendas pariter & habendas. Ut autem hæc salutaris nostra ordinatio immota, & inconcussa, & illibata perpetuo maneat, per Deum vivum, terribileque ejus judicium, omnes successores nostros (qui ipsi ex hoc sæculo meminerint se transituros) rogamus, obsecramus, & obtestamur: alioquin Sanctos Dei omnes, præcipue Dom. Regem Ste-*

Digitized by Google

Stephanum, quicumque temerator, & contemptor in hoc extiterit, sibi in præsenti & futura vita sentiat contrarios. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes litteras nostras privilegiales, pendentis & autentici sigilli nostri Pontificatus impressione roboratas duximus concedendas. Dat. in Arce nostra Chasmensi prima die Aprilis Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo quinto. Canonici onus impositum, non tam emolumenti caussa, quam studio obsequendi piæ voluntati Antistitis, libentissime subierunt: *Nos itaque non tam spe commodi cujusquam aut lucri temporalis, quam vi salutaris & debitæ obedientiæ, quæ præcipua omnis boni observatrix est, & quasi custos quædam omnium virtutum existit, ipsi Domino nostro gratiosissimo sedulo per nos exhibendæ; cultusque divini majori in dicta Ecclesia incremento, ad hoc vel in primis inducti, communi consensu, parique & unanimi voluntate, matura & diligenti deliberatione præmissa onus supportationis ipsius missæ Sanctissimi regis Stephani, juxta formam & tenorem litterarum privilegialium Reverendiss. Domini nostri ad verbum hic insertarum, in nos, successoresque nostros suscepimus, & acceptavimus, suscipimusque & acceptamus, perpetuis semper futuris temporibus, debita cum celebritate ferendum, & exequendum &c. Dat. octavo die men. April. anno Dom. 1545.* Hujus quotidiani perpetui sacrificii onus Canonici cum plures annos sustinuissent, in Præbendarios sive presbyteros secundi ordinis transferendum censuerunt, annua pensione constituta, quam Oeconomus Capituli statis temporibus e mensa Capitulari illis contribueret. Quamvis autem, postquam anno 1557. Constaniczia, regio sita citra Savum inter duos fluvios Colapim & Hunnam, in qua sitæ sunt illæ terræ Capitulares Gradeczium & Petrinia, in Turcarum potestatem venerunt, nullos ex his proventus Canonici percipiant, & ne nunc quidem post Constaniczziam anno 1686. recuperatam percipiant; tamen nec pensio illa Præbendariis suppeditari, nec sacrum illud fieri umquam desiit.

Onus perpetui & quotidiani illius sacrificii Canonici susceperunt; deinde in Præbendarios transtulerunt, antea illis pensione assignata.

Erat perillustre collegium virginum Cisterciensium in castro episcopali Ivanichio; sed cum illarum numerus quotidie diminueretur, neque inveniri possent, quæ in locum earum, quæ decesserant, substituerentur; ad eam paucitatem redactus est, ut duæ tantummodo superessent. His aut morte præreptis, aut alio translatis, ne templum divinis laudibus, & sacrificiis vacaret, Osvaldus Episcopus Sacerdotes aliquot, permissu Sedis Apostolicæ, illuc invexit, qui cœnobium illud incolerent, & psalmodiæ ac divinis rebus operam darent. His quæ ad victum cultumque necessaria erant, ex proventibus ejusdem cœnobii suppeditabat, quos ad mensam episcopalem, unde olim distracti fuerant, revocavit, iterumque adjunxit. Hæc ipse Osvaldus in suis tabulis supremis, quas supra descripsimus. Porro Lucas, amotis illis presbyteris, ex potestate sibi ab eodem Osvaldo permissa, cœnobium illud habitandum tradidit Fratribus Franciscanis severioris disciplinæ: id quod tum Deo gratius, tum oppidanis illis utilius futurum putavit; quippe non dubitabat fore, quin Patres illi religiosissimi, quæ ad cultum divinum pertinerent, summa diligentia & assiduitate peragerent, & pro ratione sui instituti, omni studio operaque in christianam institutionem ac salutem incolarum incumberent. In Synodo diœcesana, præter alia sapientissime ab eo constituta, quæ non extant, codicem sacrorum juxta ritum Zagrabiensem, seu missalem, quem doctissimis viris recognoscendum & emendandum dederat, de concilii sententia approbavit, & Venetiis per typographum Petrum Liectenstein litteris Gothicis excudendum, & pulcherrimis figuris ornandum curavit, ut stemma gentilitium Lucæ ibidem impressum, & inscriptio docet: *Missale secundum chorum & rubricam almi episcopatus Zagrabiensis Ecclesiæ approbatum in sacra Synodo, & generali Capitulo sub Reverendiss. Dom. D. Luca Episcopo &c. Venetiis autem anno Christi 1509. inceptum cum cantu, & figuris omnium festivitatum ac Evangeliorum quam diligentissime absolutum est 1511. die 20. Junii.*

Templum & collegium Ivanichense Lucas Fratribus Franciscanis habitandum, & colendum dedit.

Nec vero Lucæ a litigiis, & molestis contentionibus quietum atque otiosum esse licuit. Cum Canonicis non satis concorditer vixit; nimia credulitate peccabat, & quibuscumque delatoribus aures nimis faciles præbebat; ex quo factum est, ut quos vel collegio Canonicorum moverat, vel Sacerdotii proprii proventibus privaverat; eos postea, cum falsis delationibus se deceptum cognovisset, in integrum restituere debuerit. De jurisdictione & bonis ecclesiasticis non leves controversiæ illi fuerunt cum Dynastis & proceribus Slavoniæ, quas partim, dum viveret, per compositionem dirimendas curavit, partim vero moriens injudicatas reliquit. Sed contentiones longe omnium gravissimas, & molestissimas habuit cum Laurentio Duce Vylaki, qui locus erat, & arx munitissima in Comitatu Sirmiensi. Hunc alii Ducem Sirmii vocant. Erat filius Nicolai, quem concessu Matthiæ regis Hungariæ honorario *regis Bosinensis* titulo usum fuisse diximus. Hic non solum principatum Vylaki obtinebat, cujus hæredem Laurentium filium reliquit, sed etiam *Vayvoda* seu *Dynasta* erat Transilvaniæ. Extat epistola Nicolai V. inscripta: *Dilecto filio nobili viro Nicolao de Vylak, Vayvodæ Transilv.* dataque est *Romæ apud S. Petrum ann. Incarn. Dom. 1451. tertio Nonas Maji, Pontific. anno quinto.* Laurentius ergo parenti in principatum Vylaki successerat, sed a paterna virtute ac pietate degeneraverat. *Tyronem audacissimum* vocat Bonfinius, *& in aula Matthiæ regis semper altum, eidem charum, æque ut filium semper habitum scribit.* Ejus flagitia, tyrannidem, defectionem ab Uladislavo rege, clandestinam cum Turcis coitionem pecunia venditam idem Bonfinius commemorat. Hunc Lucas fere ab initio suscepti Episcopatus infestum atque inimicem habuit. Armata manu in Comitatum Crisiensem invasit, villas & agros episcopales diripuit, vastavit, incendit, neque a cædibus colonorum abstinuit, cumque a rapinis & maleficiis non desisteret, Lucas necesse habuit milites cogere, & vim vi repellere. Post multa & gravissima damna ultro citroque illata & accepta, demum Georgius Episcopus Quinqueccclesiensis animos illorum exacerbatos lenire aggressus, pacem inter utrosque conciliavit; & Lucas quidem coram Chasmensi, Laurentius vero coram Posegano Capitulo, omnes injurias, quas alter ab altero acceperat, remisit, & condonavit, omniaque acta judicialia, & criminosa, quæ alter in alterum intenderat, irrita, & pro infectis haberi voluit. Compositæ

ejus cum Capitulo

& proceribus Slavoniæ dissensiones,

Digitized by Google

sitæ pacis fidem fecit, & publicis tabulis Capitulum utrumque consignavit.

Tabulæ pacis & veniæ quam Episcopus coram Capitulo Chesmensi accepit ac dedit.

Nos Capitulum Ecclesiæ Chasmensis memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis, quod Reverendiss. D. Lucas Episcopus Ecclesiæ Zagrabien. Dominus & Prælatus noster coram nobis personaliter constitutus; oraculo vivæ vocis est confessus sponte in hunc modum, quod quamvis inter ipsum & prædictam Ecclesiam suam Zagrabien. ac etiam alias Ecclesias eidem subjectas ex una, ac illustrem & magnificum D. Laurentium Ducem de Vylak, partibus ab altera, nec non homines, familiaresque & jobagiones ipsorum, plurimæ dissensiones, rixæ, & controversiarum materiæ, cædes, vulnera, interemptiones, mutilationes & verbera hominum, damna, nocumenta, injuriæ, actus potentiarii, nec non terrarum, nemorum, silvarum, pratorum, fœnilium, & aliorum diversi generis bonorum novæ occupationes, alia etiam plurima malorum genera, tam Ecclesias, quam divinum cultum concernentia, ab eo tempore, quo ipse D. Lucas Episcopus episcopatum Zagrabien. adeptus fuisset, exorta fuissent, & suscitata; tamen per Reverendiss. Dom. Georgium Episcopum Ecclesiæ Quinqueecclesiensis, cancellarium regium, qui pro pace & concordia inter eosdem firmanda, de ambarum partium pari & unanimi voluntate, fide firmata, partes suas interposuerat, omnino sopita, condescensa, & complanata forent, & existerent; salvis juribus dominii, & proprietatis, quarumlibet possessionum ejusdem D. Lucæ Episcopi, quarum usum iidem prædecessores D. Laurentii Ducis utcumque vindicassent, vel idem D. Laurentius Dux vindicasset, quarum jus & facultatem ab eodem Dom. Laurentio Duce, aut suis successoribus, per ipsum D. Lucam Episcopum, aut suos successores requirendi apud se & suos successores habere voluit, & revocavit. Ideo idem D. Lucas Episcopus eumdem D. Laurentium Ducem, hominesque & familiares, nec non jobagiones suos, & dictorum familiarium suorum, in eo dumtaxat casu, quo præfata omnia & singula nocumenta, & actus potentiarii simul & conjunctim annotatum Ducem Laurentium, hominesque & familiares, nec non jobagiones suos, & familiarium suorum prædictorum tangerent, & concernerent, de & super universis damnis, injuriis, nocumentis, actibus potentiariis, novis terrarum occupationibus, & generaliter quibusvis malorum generibus præscriptis, tam spirituale, quam etiam sæculare forum concernentibus, si qua per eumdem D. Laurentium Ducem, homines & familiares, nec non jobagiones suos, & familiarium suorum prælibatorum, simul & conjunctim, ut præmittitur, eidem D. Lucæ Episcopo, & aliis suis prænotatis hominibus & familiaribus, nec non jobagionibus suis, ac familiarium suorum præfatorum, huc usque quoquomodo illata, patrata, & commissa extitissent, quictos & expeditos, ac modis omnibus absolutos, coram nobis reddidisset, & commisisset. Universas etiam litteras causales, scilicet inquisitorias, evocatorias, & alias quascumque, ubicumque, qualitercumque, & sub quacumque verborum forma, & eorum quovis judice, & justitiario regni, ecclesiastico videlicet & sæculari, hactenus contra eosdem D. Laurentium Ducem, hominesque & familiares, nec non jobagiones suos, & familiarium suorum prænotatorum confectas, & emanatas, tam spirituale, quam etiam sæculare forum tangentes, & concernentes, vanas, cassas, frivolas, & viribus carituras, ac exhibitori earumdem nocituras, reliquisset; imo reliquit, & commisit coram nobis, vigore & tenore præsentium mediante. Dat. fer. 3. in festo videlicet B. Gregorii Papæ anno Dom. 1510.

In eamdem sententiam, & eadem ferme verba Laurentius Pollegæ coram Canonicis S. Petri pacem fecit & confirmavit eodem anno, sed *die dominico proximo ante festum Annunciationis Beatissimæ Mariæ Virginis*, ut est in litteris ejusdem Capituli.

Legem in Canonicos choro absentes constitutam.

Ante aliquot annos in conventu Capitulari lege sancitum fuerat, ut qui choro abessent, Sacerdotii sui fructibus carerent. Hujusmodi lege, quam seniores tulerant, juniores Canonici astringi nolebant. Præpositus ergo & Capitulum legem illam, ut in perpetuum valeret, omneique obstringeret, Sedis Apostolicæ auctoritate confirmandam curarunt. Horum rogatu Julius II. eamdem legem pontificio diplomate, & anathematis pœna interposita, communivit, servarique ab omnibus, & singulis jussit.

Julius Papa II. confirmavit.

Julius Episcopus ser. ser. Dei ad perpetuam rei memoriam. Injunctum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium mentem nostram excitat, & inducit, ut acta ea, per quæ Ecclesiarum præsertim cathedralium insignium statui prospero, ac personarum in illis divinis obsequiis mancipatarum, & animarum saluti cum divini cultus incremento consulitur, curis versemus assiduis: unde his, quæ propterea provide ordinata fuisse dicuntur, ut firma & inconcussa permaneant, cum a nobis petitur, Apostolici adjicimus muniminis firmitatem, aliasque desuper providemus, prout in domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Præpositi & Capituli Ecclesiæ Zagrab. nuper nobis exhibita petitio continebat, quod licet in statutis & consuetudinibus Ecclesiæ Zagrabien. inter alia caveatur expresse, quod Canonici dictæ Ecclesiæ ab illa absentes, & in ea non deservientes, fructibus, redditibus, & proventibus Canonicatuum, & Præbendarum per eos in eadem Ecclesia obtentorum, carere, & Archidiaconi ratione suorum Archidiaconatuum, qui in eadem Ecclesia dignitates existunt, simul cum pro tempore existente Episcopo Zagrabien., in perceptione decimarum, quoad eam partem, quæ ad ipsos Archidiaconos legitime pertinet, participare debeant; tamen quia dicta statuta a Sede Apostolica confirmata, & pœna aliqua contra facientibus apposita, non existant; plures ex Canonicis dictæ Ecclesiæ, & etiam nonnulli Episcopi Zagrab., qui pro tempore fuerint, statuta hujusmodi observare non curarunt, prout etiam certi ex dilectis filiis modernis ejusdem Ecclesiæ Canonicis ea observare non curant, quin imo ab eadem Ecclesia se absentant, & dictis Præposito, & Episcopo super assignata portione fructuum, reddituum, & proventuum, sic a dicta Ecclesia absentibus, & in ea non deservientibus juxta statuta prædicta minime debitorum, molestias inferre non cessant; & sicut eadem petitio subjungebat, si fructus, redditus, proventus prædictis Canonicis dictæ Ecclesiæ ab ea absentibus ministrari deberent, pauci vel nulli Canonici in dicta Ecclesia residerent; & similiter si dicti Archidiaconi portione decimarum, eos respective contingente, hujusmodi privarentur, divinus cultus in eadem Ecclesia quotidiana incurreret detri-

trimenta : quare pro parte tam Præpositi & Capituli prædictorum, quam Vener. Fratris nostri Episcopi moderni Zagrab., nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis prædictis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Episcopum, Præpositum, & Capitulum præfatos, ac ipsius Capituli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statuta prædicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus & approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, eaque sub excommunicationis majoris, ac aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis per eos, qui contrafecerint, cujuscumque dignitatis, status, gradus vel præminentiæ fuerint, etiam si Archiepiscopali, Episcopali, vel quavis alia ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant, ipso facto incurrendis, & a quibus, non nisi a Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, inviolabiliter observari debere decernimus, supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus &c. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1510., sexto . . . Pontificatus nostri anno septimo.

Ut ad arcem episcopalem exstruendam latis spatii suppeteret, ab Julio Papa potestatem impetravit diruendæ Ecclesiæ S. Emerici.

Post exædificatam Basilicam cathedralem licet nondum ejus tectum absolutum fuisset, ad eam muniendam adversus hostium impetus, incursionesque cura Episcopi versa est. Arcem designavit, quæ Basilicæ simul, & pontificiis ædibus munimento esset, mœnibus circa & propugnaculis excitandis. Sed ab una parte, propter angustias loci obstabat ædes parochialis S. Emerici, quam dirui necesse erat, ut soli quod satis esset, exstructioni mœniorum relinqueret. Lucas igitur consilium cepit tum ædis Emericianæ demoliendæ, tum juris parochialis una cum curatione animarum, & administratione Sacramentorum transferendæ ad templum S. Mariæ in area Capitulari, quam monachi Cistercienses paucis ante annis, una cum cœnobio, propter metum Turcarum deseruerant. Sed neutrum injussu Sedis Apostolicæ fieri poterat. Hæc itaque ab Julio Pontifice postulavit, primum ut collegium monachorum Cisterciensium dissolveret, atque aboleret; deinde ut potestatem faceret tum ædis S. Emerici diruendæ, tum tituli & muneris parochialis eidem annexi cum cæteris omnibus ejus privilegiis transferendi ad templum Marianum, quod Cistercienses obtinuerant; denique parochum huic præficiendum titulo ac dignitate præpositi donaret, ad quem cognitio caussarum, si quæ ad Sedem Apostolicam delatæ fuissent, remitti ac delegari posset; huic vero ne liceret simul esse Parochum sive Præpositum, & Canonicum vel Chasmensem, vel Zagrabiensem. Ejus postulatis annuit Pontifex & decretum fecit in hæc verba.

Diploma Pontificiū.

Julius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Lucæ, Episcopo Zagrabiensi, salutem, & Apostolicam benedictionem. Devotionis tuæ exigentibus meritis, votis tuis, quæ ad Dei honorem, & Ecclesiæ tuæ ab infidelium incursionibus conservationem, & in ea divini cultus augmentum pertinere noscuntur, libenter annuimus, eaque favorabiliter exaudivimus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ecclesia Zagrabiensis, cui praees, quam jamdudum sumptuoso, & præclaro opere ædificari inceptam, tu a paucis circa annis, magnis sumptibus ornatissime perfecisti, & decorasti, confinibus Turcorum, qui partes illas frequentissimis infestant incursionibus, propinqua extitit, & propterea timendum est quod Ecclesia ipsa, nisi ei de opportunæ defensionis præsidio aliter succurratur, per incursiones Turcorum prædictorum brevi desoletur. Unde tu pro conservatione ejusdem ecclesiæ, illam tuis sumptibus, & expensis muro, & propugnaculis congruentibus cingere, & munire proponis: sed propter loci angustiam id perficere non potes. Verum si in quodam antiquo, & pene deserto monasterio Cisterciensis ordinis tuæ civitatis, cujus fructus, redditus, & proventus tenues admodum, aut nulli sunt, & quod Abbate & conventu caret, ordo hujusmodi perpetuo supprimeretur, & ad ejusdem monasterii Ecclesiam, quædam parochialis Ecclesia, in loco ad propugnacula hujusmodi construenda necessario consistens, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis transferretur, ipsiusque parochialis ecclesiæ ædificia parva & satis rustica demolirentur, seu alias ea, & locus ipse in usum, & fabricam dictorum propugnaculorum redigerentur, & converterentur; & cum, sicut eadem petitio subjungebat, in tota sua diœcesi, præterquam unius Chasmensis collegiatæ, ac cujusdam monasterii, quod modo a laicis occupatur, nullæ personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ existant, quibus causæ a Sede Apostolica committi possint; si qui pro tempore existens Rector dictæ transferendæ Ecclesiæ, postquam translata fuerit, ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Præpositus nuncupetur ad effectum, ut ei tanquam personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, causæ a Sede prædicta committi possint, in dignitate hujusmodi constitutus censeatur: quodque aliquis ex Zagrabiensis & Chasmensis Ecclesiarum prædictarum Canonicis, parochialem Ecclesiam prædictam, & ipsius parochialis Ecclesiæ Rector qui pro tempore fuerit, Canonicatum, & Præbendam in aliqua ex dictis Zagrabiensi & Chasmensi Ecclesiis obtinere non possit, statueretur, & ordinaretur; profecto ex hoc Zagrabiensis indemnitati, & illius, ac parochialis Ecclesiarum prædictarum statui cum divini cultus augmento, & personarum illarum partium, pro justitiæ ministerio, ad sedem prædictam pro tempore recurrentium, commoditatibus opportune consuletur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi ordinem supprimendi, & parochialem Ecclesiam hujusmodi transferendi, & illius ædificia demoliri faciendi, eaque ac locum ipsum in usum, & fabricam redigendi, & convertendi, ac cætera statuendi, & ordinandi, ut præfertur, licentiam, & facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pium, & laudabile tuum desiderium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis,

ftis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi Ordinem in antiquo monasterio supprimendi, & si ad hoc dilecti filii moderni dictæ parochialis Ecclesiæ Rectoris expressus accedat assensus, ipsam parochialem Ecclesiam, cum omnibus juribus & pertinentiis suis in Ecclesiam dicti monasterii transferendi, ipsiusque parochialis Ecclesiæ, sic tunc translatæ, ædificia demoliri faciendi, eaque & locum ipsum in usum, & fabricam dictorum propugnaculorum redigendi, & convertendi; nec non, quod pro tempore existens Rector dictæ transferendæ Ecclesiæ, postquam translata fuerit, ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Præpositus nuncupetur; & ad effectum, ut ei, tanquam personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ causæ etiam personarum dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis a Sede prædicta committi possint, in dignitate hujusmodi constitutus censeatur: quodque aliquis ex Zagrabiensis, & Chasmensis Ecclesiarum prædictarum Canonicis, parochialem Ecclesiam prædictam, & ipsius parochialis Ecclesiæ Rector, qui pro tempore fuerit, Canonicatum, & Præbendam in aliqua ex dictis Zagrabiensi & Chasmensi Ecclesiis obtinere non possit, & collatio, & provisio de parochiali Ecclesia, aut Canonicatu, aut præbenda hujusmodi, etiam per Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, aliter pro tempore factæ, nullius sint roboris, vel momenti, statuentes, & ordinantes; constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac monasterii antiqui, & ordinis prædictorum juramento confirmatorum, apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apostolicis, eisdem monasterio antiquo, & ordini, etiam consideratione Imperatoris, regum, & aliorum principum, sub quacunque forma & expressione verborum, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, concessis, & per nos, & per Sedem prædictam approbatis, & innovatis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus; auctoritate apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus; ac privilegiis, & indultis prædictis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quævis alia expressio foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimo, sexto Kal. Junii. Pontif. nostri anno septimo.

Mors Lucæ Episcopi, sepulchrum, inscriptio. Sed arcis episcopalis inchoandæ etiam, non solum perficiendæ facultatem mors Lucæ præripuit; hoc quippe anno 1510. x. Kal. Octobris Chasmæ decessit. Aureorum sexdecim millia ecclesiæ legata, & curatores testamenti duos nobilissimos viros, Balthasarem Bathianum, & Bernardum Thuroczium ab eo constitutos ferunt. Translatus est Zagrabiam, & in basilica cathedrali ante aram D. Lucæ ab se constructam tumulatus. Operculo marmoreo sepulchri, rubei coloris, insculpta fuit, cum ejus insignibus gentilitiis, effigies pontificia, additusque titulus sepulchralis.

Hic situs est Lucas Præsul Venerab. . . .
Zagrabiæ, templi luxque decusque sacri:
Qui pietate parens, nulli virtute secundus
Accepit meritis astra parata suis.
Obiit An. MDX. X. Kalen. Octobr.

Post obitum Lucæ Canonici Zagrabienses Julium Pontificem rogarunt, ut decretum paullo ante descriptum confirmaret; illudque exsequendum traderet & committeret Alberto Zagrabiensi, & Andreæ Chasmensi Præpositis, ad quos extat Julii epistola & mandatum hujusmodi.

Litteræ Julii ad Præpositos. *Julius &c. Dilecti filii, salutem & apostolicam benedictionem. Mittimus vobis supplicationem præsentibus introclusam, manu dilecti filii nostri P. Cardinalis S. Eusebii in præsentia nostra signatam, volumusque & vobis committimus, ac mandamus, ut vos, vel alter vestrum, vocatis vocandis, ad illius executionem procedatis, juxta ejusdem continentiam & signaturam. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Julii, anno millesimo quingentesimo undecimo, pontificatus nostri anno octavo.*

Pontificia mandata ii, quibus tradita fuerant, rite ac testibus adhibitis executi sunt; idque testatum voluerunt esse publicis litteris ad hunc modum: *Christi nomine invocato dicimus, decernimus, declaramus, diffinimusque, atque auctoritate apostolica per scripta solemniter pronunciamus Ordinem religionis Cisterciensis in Ecclesia B. Mariæ V. Zagrabiæ fundatæ, ex causis in bullis Apostolicis prænotatis sufficienter expressis, supprimendum, extinguendum, atque removendum, nec non Ecclesiam parochialem S. Emerici ducis Sclavoniæ in area Capitulari Zagrabiensi fundata ad præfatam Ecclesiam B. M. V., cum omnibus juribus, privilegiis, emolumentis, & pertinentiis transferendam, deducendam, & annectendam, dictamque Ecclesiam S. Emerici destruendam, demoliendam, removendam, & locum sive aream ipsius ad loca propugnaculorum deputandum; ac Rectorem in dicta Ecclesia B. M. V. pro tempore, non de Canonicis Ecclesiarum Zagrabiensis & Chasmensis Capitulorum, constitutum, perpetuum Præpositum, dignitatemque ejusdem Ecclesiæ S. Mariæ, cui scilicet etiam a Sede Apostolica causæ rite & legitime committi, sive delegari possint, & valeant, vocandum, nominandum, & appellandum, eisdemque eumdem Præpositum juribus, & privilegiis, quibus alias Abbates ibidem pro tempore constituti uti & frui consueverant, utendum fruendumque esse debere, imo auctoritate apostolica prædicta, vigore, & testimonio præsentium, ordinem præfatum in dicta Ecclesia S. Mariæ supprimimus, extinguimus, ac penitus removemus; ipsamque Ecclesiam parochialem S. Emerici illo transferimus, traducimus, & annectimus, & muros pristinæ Ecclesiæ parochialis S. Emerici destrui, removeri, demoliri committimus, & mandamus; situm, areamque ejusdem ad loca propugnaculorum deputamus; ac Rectorem pro tempore in præfata Ecclesia S. Mariæ,*

Præpositi Zagrabiensis & Chasmensis quæ sibi a Pontifice mandata fuerant, exsequuntur.

Digitized by Google

ria, non de Canonicis, sive Prabendatis præscriptarum Ecclesiarum, constitutum, Præpositum, & Dignitarium, cui etiam causæ apostolicæ delegari possent, vocamus, nominamus, & appellamus; sicque vocari, nominari, & appellari censemus ab omnibus & mandamus; iisdem etiam juribus & privilegiis, quibus alias Abbates ibidem pro tempore constituti uti consueverant, eumdem uti & frui debere decernimus, declaramus, & committimus; & ut præmissa omnia, & singula perpetuæ robur firmitatis accipiant, inconcussaque, & inviolata perpetuis futuris temporibus permaneant; omnes & singulos in toto & in parte, executioni hujusmodi nostræ, bullisque Apostolicis controvenientes, auctoritate apostolica volumus ipso facto pœnas, & censuras in Bullis Apostolicis hujusmodi præscriptis, expressas incurrere, eisdemque involvi, & innodari. In cujus rei memoriam, testimoniumque & fidem indubitatam, cum subscriptione executioni hujusmodi nostræ notariorum assistentium fide dignorum, præsentes litteras nostras executionales Dominis Capitulo, & Canonicis ad cautelam futuram, & perennem, sigillis nostris impendentibus obsignatas duximus concedendas. Datum Zagrabiæ anno Incarn. 1511, Indict. 14., die undecima mensis Septemb., pontificatus autem Sanctissimi Domini nostri D. Julii divina providentia Papæ II. anno octavo, præsentibus ibidem discretis Gregorio de Vico Sutorum, Joanne de eodem &c. aliisque quamplurimis testibus fide dignis. Ego Martinus natus quondam Michaelis, auctoritate apostolica notarius, & tabellio publicus, cum ea, quæ præmissa sunt, omnia & singula sic fierent & agerentur, una cum testibus præscriptis, præsens interfui, sicque fieri vidi & audivi, in fidemque & testimonium præmissorum me una cum appositione signi tabellionatus mei, manu mea propria, præsentibus subscripsi rogatus, & requisitus.

THOMAS BAKACSIUS, sive de BAKACS
Archiep. Strigonien. S. R. E. Cardinalis,
Administrator Ecclesiæ Zagrabiensis.

Thomas Bakacsius — Humili loco natus apud Erdodium, oppidum provinciæ seu Comitatus Szatmariensis in Hungaria inferiori trans Danubium, generis ignobilitatem maximarum virtutum excellentia, & sublimium dignitatum splendore illustravit. Sunt qui Thomam stirpe antiquissima, & clarissima ortum ferunt; ejusque majores opibus, honoribus, rerum gestarum gloria floruisse, & cognominatos *de Erdod*, oppido primario ditionis & gentis Erdodianæ. Verum hæc familia opulentissima, quæ rerum humanarum vicissitudo est, ab excelsa & florenti fortuna, ut ajunt, ad inclinatam ac prope jacentem desciverat; eam certe Thomas, undecumque originem sive obscuram, sive illustrem traxerit, in amplissimum dignitatis & opulentiæ statum vel restituit, vel evexit. Humanis divinisque litteris alii Bononiæ & Florentiæ, alii Viennæ operam dedisse tradunt. Cum eximia doctrina insignem prudentiam, acumen ingenii ad difficillima quæque expediti, intelligendi celeritatem, agendi industriam, & excelsi animi magnitudinem conjunxit. His virtutibus ad maximas opes, & summos honores viam sibi aperuit. Clericali militiæ cum se adscribi voluisset, primus ad hierarchiam ecclesiasticam gradus fuit sacerdotium sive præpositura Tituliensis æque honorifica & opulenta. Matthias itemque Uladislavus reges Thomam cum plurimi facerent, & summopere amarent, maximis divitiis & honoribus cumularunt. Matthias Jaurinensem, Uladislavus Agriensem Episcopatum ei contulerant. Anno 1497. Sedem Archiepiscopalem Strigoniensem, quam Hippolytus Cardinalis Estensis dimiserat, ex nominatione Uladislavi regis obtinuit. Eodem rege postulante Alexander VI. Thomam in collegium Cardinalium cooptavit, Julius II. titulo Patriarchæ Constantinopolitani decoravit. Ejus illustria facta, & quæ sapienter atque utiliter pro re publica, & Christiana gessit, scriptores Hungarici litteris mandarunt.

Luca e vivis sublato, administrationem Ecclesiæ Zagrabiensis rex Uladislavus Thomæ Cardinali & Archiepiscopo Strigoniensi demandavit, simulque jus regium conferendi Sacerdotia hujus diœcesis ab se in eum transtulit. Anno 1511. Zagrabiam venisse declarat ejus Epistola, hoc eodem anno *Dominica Lætare*, Zagrabiæ data & inscripta *Mag. Seniori Antonio Canonico Zagrabiensi*. Laudat, confirmatque potestatem ab Luca Episcopo ei concessam domus extruendæ, ac tradendæ presbytero præposito aræ S. Michaelis, sub ea conditione, ut is singulis diebus in æde Cathedrali apud eamdem aram statis horis matutinis & vespertinis sedens in exedra, aures atque operam volentibus sua peccata confiteri præberet; iis vero, qui apud eumdem Sacerdotem commissa flagitia sincero dolentique animo exponerent, Thomas pro sua potestate Archiepiscopali tantum de pœna illis debita remissum esse voluit, quantum pœnalibus operibus centum dierum e præscripto Canonum expiari oportuisset. Ceterum Thomas ab urbe & diœcesi Zagrabiensi fere semper abfuit; quem scilicet gravissima tam regni, tam Ecclesiæ negotia, & legationes utriusque caussa susceptæ, alio atque alio avocabant. Vel absens tamen hujus Ecclesiæ commoda & rationes curare non omisit. Jussu & auspiciis Thomæ, basilica cathedralis, ædesque pontificia mœnibus, & propugnaculis circumdata est, & arx Episcopalis fere absoluta, quam Osvaldus & Lucas Episcopi designaverant, atque ad eam ædificandam ingentem pecuniæ summam seposuerant. Thomam Cardinalem arcis conditorem fuisse declarat stemma gentilitium familiæ Erdodianæ, cum galero Cardinalitio videm imposito, supra januam arcis insculptum tabulæ marmoreæ, & inscriptio subjecta: *Thomas Card. Strigon. 1515.* Hoc opus confectum est partim ex pecunia, quam Osvaldus & Lucas reliquerant, partim ex ea, quam Canonici Zagrabienses contulisse dicuntur; quippe horum etiam commodo munimentum illud extructum erat, ut haberent, quo confugerent, resque suas in locum tutum ab incursionibus ac direptionibus Turcarum referrent.

Administrator Ecclesiæ Zagrabiensis.

Absens Ecclesiæ profuit.

Andreas Doctor, & Præpositus primum Zagrab. deinde Strigoniensis in quibusdam suis ad Capitulum litteris anno 1540. IV. Nonas Januarii confectis, quas Benedictus Vinkovichius Ep. Zagrab. suis Adversariis MSS. intexuit; scriptum reliquit duodecim millia florenorum ab Osvaldo legata fuisse ad perficiendam ædificationem Basilicæ Cathedralis, & præterea septies millies ad construendas duas turres, quæ hinc atque illinc mediam ejusdem basilicæ frontem,

Ex ingenti summa pecuniæ ab Osvaldo & Luca Episcopis Ecclesiæ legata partem non exiguam Thomas Cardinalis intervertit.

Digitized by Google

tem, seu prospectum mirifice exornant. Ex hac universa pecuniæ summa, quinque millia ab Luca in emptionem castri Zuibczii, ut diximus, septem millia in fornicem ac testudinem Basilicæ imponendam insumpta fuisse ait; septem vero millia, per Thomam Cardinalem & Archiepiscopum Strigoniensem interversa. Idem vero Cardinalis Strigoniensis, ut est in iisdem litteris Andreæ, sexdecim millia aureorum intercepit, quæ Lucas Episcopus apud Albertum de Kalzno Præpositum majorem deposuerat, admonitum, & hac lege obligatum, ut si forte Slavonia & Zagrabia in Turcarum potestatem veniret, antequam ipse vita decederet, & sibi alio migrandum foret; universam illam pecuniam sibi redderet; eamdem vero, si urbe incolumi, & rebus salvis obiisset, in reliquam ædificationem, & sarta tecta tuenda Basilicæ Zagrabiensis converteret: *Audieram tamen certo*, ait Andreas, *nec desunt hodie permulti, qui id certius me agnoscunt, Episcopum Osvaldum florenos duodecim millia ad fabricam istius Ecclesiæ legasse, & septem millia ad elevationem duarum turrium, consumationemque earum. Illos duodecim millia florenos Lucam Episcopum a Joanne Falsicz Custode avunculo Reverendissimi Domini Broderici, & Andrea Doctore de Ivanicz, Archidiacono cathedrali executoribus Osvaldi Episcopi extorsisse, quorum quinque in pretium castelli Zuibczii Capitulo Chasmensi per eum empti, egregio Balthasari Bathiani seniori tradiderat. Alios vero septies mille florenos in testudinem sive . . . . . Templi interne consumandam expenderat. Alia item septem millia pro turribus elevandis legata, per Reverendissimum D. Thomam Cardinalem ab eisdem executoribus clanculum (Luca jam Præside) adempta fuisse, propter quod custodem Lucas ipse in carceribus vinctum tenuerat. Quomodo autem ille deliberatus fuerit, incompertum mihi est.* Deinde post alia interjecta: *Scio ipsum Lucam Episcopum aureos sexdecim millia Chasma per manus Michaelis Capellani sui, tunc Custodis Zagrabiensis, quadriennio prius, quam moreretur, Zagrabiam, me tum Chasmæ agente, Reverendo D. Alberto de Kasczno suo Præposito Majori ibidem, pro tuta, & fideli illorum conservatione misisse; adjecta conditione, quod si ei viventi, rabie Turcica alio e Sclavonia migrandum foret, pecuniæ illæ salvæ sibi essent, & per Præpositum redderentur. Si vero fatis penes Ecclesiam concederet, ad fabricam Ecclesiæ verterentur. Sic eo interim morte ibi præoccupato, pecuniæ in manibus Domini Præpositi relictæ fuere, quæ postea, ut audivi, per Reverendissimum Dominum Thomam Cardinalem, tamquam virum potentem, & unicum Ecclesiæ Zagrabien. Gubernatorem, per Serenissimum regem Uladislaum una cum toto jurepatronatus illius deputatum, litteris regiis quoque ad id emanatis, & Præposito exhibitis, ut tum ferebatur, ab ipso Præposito, vi & potenter, nomine gubernationis hujusmodi interceptæ, & ademptæ, una cum aliis quibusdam minoris summæ rebus, & pecuniis Ecclesiæ fuerunt.* Idem postea his verbis confirmat: *Summa fide & indubitato testimonio comprobari potest Reverendissimum Dominum olim Thomam Cardin., florenos septem mille ex bonis Reverendissimi olim Domini Osvaldi, Episcopi Eccl. Zagrab. a Domino Joanne Falsicz olim custode Zagrabiensi, & Andrea Doctore Archidiacono Cathedrali executoribus Osvaldi potenter extorsisse. Item sexdecim millia, & amplius a Reverendo olim Alberto Præposito Majori Zagrab., de bonis Reverendissimi olim Lucæ Episcopi, pro quibus omnibus omnia bona ejus hæreditaria, quæ nunc apud magnificum Dominum Petrum Erdeodii existunt, hypothecata sunt. Cum itaque hæreditas trahat secum onera, & hypothecas quaslibet defuncti; agat Reverendissimus Dominus noster gratiosissimus pro bonis Ecclesiæ suæ violenter abstractis, (ut par est, & debet) contra hæredem, & indubie sibi jus non abnegabitur. Poterunt D. V. R. in his omnibus testes esse fideles juxta tenorem protestationis prædictæ. Non esset pro tunc abs re, si eos exciperent ex Capitulo hoc nostro, modo exemplum tollatur testamenti, sive privilegii confirmati super bonis hæreditariis isti Capitulo Zagrabiensi per Reverendissimum Dominum Thomam Cardinalem legatis, dum facilius id factu esset, vivo me, decesso difficilius. Zambor quoque, & Kemlek majus spectant, ut norunt, ad Capitulum istud. Non esset inconsultum repetere. Testamentum Osvaldi numquam ego vidi; in propatulo tamen est de duodecim mille per eum ad fabricam Ecclesiæ legatis sic ut præfatus sum. Testamentum vero Lucæ (in quo de sexdecim mille nulla fit mentio) remanserat in manibus primorum ejus Executorum, videlicet Balthasaris Bathiani Senioris, & Bernardi de Thurocz &c.*

Andreas hortatur Canonicos & Episcopum, ut pecuniam illam ab hæredibus Thomæ repetant.

De pecunia intercepta Thomas excusatur.

Si vera sunt quæ Andreas narravit, cujus cæteroqui auctoritas magna esse debet, cum æqualis illorum temporum fuerit, & quæ scribebat, vel auditione ab aliis acceperat, vel per se ipso cognoverat; Thomam necessitate compullum fuisse dixerim ad pecuniam sibi vindicandam, ut ex ea tum in rempublicam, tum in bellum Turcicum sumptus necessarii suppeditarent, præsertim cum eamdem ab Alberto Præposito majori, post regias litteras eidem ostensas, non tam sua, quam regali auctoritate interposita, receperit. Nec vero negaverim ex eadem pecunia partem aliquam contulisse in emptionem plurium Castrorum, quæ sibi, suæque familiæ comparavit. Ceterum damnum Ecclesiæ illatum ob pecuniam illam interversam, constructione Arcis Episcopalis compensavit: in hanc siquidem summam acceptæ pecuniæ, si non omnem, magna tamen ex parte insumpsit. Ejusdem vero pecuniæ quod in suam utilitatem converterat, per suos heredes restitui jussit; nam quædam sua bona hereditaria pignori apposuit, sive hypothecæ subjecit, non antea eximenda, quam æs alienum heredes solvissent. Quocirca idem Andreas super laudatus Episcopo Zagrabiensi auctor erat, ut pecuniam illam repeteret a Petro Erdeodio filio fratris Thomæ, hærede bonorum illorum, quæ a patruo pignoris nexu obligata fuerant; nec dubium fore quin, si rem in judicium adduceret, Petrus cogeretur aut pecuniam patruo creditam reddere, aut possessione bonorum illorum decedere.

Concilio Laterانensi, & Comitiis Pontificiis interfuit.

Anno 1512. Thomas Romam profectus ad Concilium Lateranense, omnibus quinque conventibus sub Julio II., sexto, & septimo sub Leone X. habitis interfuit; ab reliquis quinque postremis abfuit. Subscriptus reperitur primus inter Presbyteros Cardinales: *Reverendissimus Dominus Thomas tituli S. Martini in Montibus Strigoniensis*. Post obitum Julii interfuit itidem comitiis pontificiis, visus ipse non longe abesse ab summo illo hierarchiæ ecclesiasti-

cæ

cæ fastigio, nisi Joannes Mediceus plura & potiora Cardinalium suffragia illi præripuisset. *Cum Cardinales conclavibus inclusi de more comitia haberent*, (ut Samuel Timon in eo libro, qui Purpura Pannonica inscribitur) *hic una Thomas Strigoniensis interfuit, non parva, ut quidem inter populares suos ferebatur, spe potiundæ supremæ in terris dignitatis. Verum non multo post Joannes Mediceus, Laurentii Medicei amplissimi, & toto terrarum orbe clarissimi viri filius, Cardinalium suffragiis, assumpto Leonis X. nomine, Pontifex declaratus spes omnes Thomæ illusit.* Dum esset Romæ, litteras dedit ad Canonicos Zagrabienses, quibus commendavit Marcum eorum collegam, ut ei conferrent præfecturam ædiculæ, & domus hospitalis B. Elisabethæ in area Capitulari sitæ, cujus proventus admodum exigui cum essent, ipsemet Marcus de suis bonis eam dotare constituerat.

Epistola Thomæ Cardinalis Romæ data ad Capitulum Zagrab.

Thomas S. Martini in montibus Archipresbyter Cardinalis Strigoniensis, Patriarcha Constantinopolitanus Capitulo. Venerabiles amici, & uti Fratres carissimi. Hospitale B. Elisabeth in area Capitulari fundatum, nunc vacare scimus. Intelligimus reditus illius aut nullos, aut exiguos, ut etiam Rectori ad usum quotidianum non sufficiant, minus egenis in hospitali degentibus. Marcus Can. Zag., alias Capell. Magnifici Andreæ Buth Bani, cupit de bonis suis dotare hospitale; supplicavit pro commendatione vobis a me facienda pro Rectoratu, ut commodius dispositiones suas pias facere possit. Commendo eum, sed ita, ut resideat ad latus Ecclesiæ istius, & hospitale ipsum inhabitantium in statum meliorem, & muros, & quæ ad usum pauperum pertinent, reformet. Die Paschatis Romæ.

Antequam Roma discederet, ab novo Pontifice, cujus benevolentiam sibi egregiis suis virtutibus conciliaverat, quidquid voluit impetravit. *Hic captus singulari Thomæ eloquentia* (ut tradit Nicolaus Schmitt in suis Archiepiscopis Strigoniensibus) *privilegium Pii II., Præposito Scepusiensi olim concessum revocat, & Præpositum collegiumque Scepusiense Metropolitæ subjecit; Primatis & Legati nati dignitatem confirmat; Episcopum Michoviensem in Valachia Sedi Metropolitanæ conjungit. Denique cum neque milite, neque pecunia Hungaros juvare posset, noxarum veniam iis concessit, qui arma sumerent in Turcam.* Id quoque Thomam ab Leone impetrasse arbitror, ut cultum mirifico, & divinitus ex Hostia sacrosancta effuso Sanguini, jamdudum haberi cœptum in oppido Ludbregensi diœcesis Zagrabiensis, & ab Julio II. approbatum, ipse quoque confirmaret. Rem paullo altius repeti oportet. Ante annos fere centum, dum Eberhardus Ecclesiæ Zagrabiensi præsidebat, presbytero cuidam in æde primaria ejusdem oppidi sacrificanti, cum ad sumptionem calicis ventum esset, de conversione vini in Sanguinem Christi dubitatio suborta est; vix hujusmodi dubitatione angi cœperat, cum statim liquor ille consecratus (mirum visu dictuque) naturalis & veri sanguinis colorem ac speciem induit. Ea res miraculo & stupore attonitum, pavore insuper defixit, & ab illo sumendo deterruit. Rem nemini significavit, & sanguineum ac prodigiosum liquorem, vel ipso calice, vel alio vasculo inclusum, in angustum quoddam foramen recondidit, quod perfosso ejusdem Ecclesiæ pariete aperuit, ac deinde calce superinducta obstruxit. Morti proximus cum esset, conscientia perurgente iis, qui morienti aderant, patefecit quod sibi inter sacrificandum acciderat, & locum indicavit, in quem prodigium illud divinitus factum abdiderat. Inventa pyxis, & liquor ille admirabilis in ea conspectus, verissimi Sanguinis colorem ac speciem referens, tum dictis Presbyteri moribundi fidem fecit, tum animos cunctorum ingenti lætitia & religione implevit. Tam insigne inusitatumque miraculum ut memoria sempiterna, & qua dignum erat, veneratione coleretur; in eadem æde parochiali Ludbregensi, cui ab Sanctissima Trinitate titulus est, sublimem & illustrem loculum deligi & ornari placuit, in quo Sanguis ille sanctissimus crystallina theca inclusus, repositus fuit. Exinde magni tum oppidanorum, tum accolarum concursus fieri; & cæleste portentum, gratiis Deo agendis, votis faciendis ac solvendis, & certatim uno omnium ore celebrari. Crebra & illustria miracula, & beneficia cujusque generis illuc opis implorandæ caussa confluentibus collata, & votivis tabellis quam plurimis expressa, mortalium frequentiam & venerationem auxerunt. Tenuit hæc religio erga sacrosanctum illum Sanguinem annos fere centum, numquam intermissa, aut defervescens; quæ ut magis ac magis vigeret, auctiorque fieret, Bernardus Thuroctius, vir æque pius ac nobilis, & F. Antonius ex Ordine Franciscano, insigni doctrina & religione præditus, a sacro Cardinalium collegio postularunt, ut quas ex Ecclesiæ thesauro ipsi possent elargiri, indulgentiarum præmiis propositis, indigenas juxta, advenasque ad sacratissimum Sanguinem impensius colendum allicerent. Quod petebant impetrarunt, confectumque est diploma in hæc verba.

Insigne prodigium divinæ Eucharistiæ.

Præmia indulgentiarum proposita cultoribus, & a sacro Cardinalium collegio impertita.

Oliverius Ostiensis, Raphael Velitrensis, Guillelmus Prænestinus, Bernardinus Sabinensis, Dominicus Tusculanus, & Philippus Albanensis Episcopi; Ludovicus Joannes tit. SS. quatuor Coronatorum, Petrus tit. S. Cyriaci, Joannes Stephanus tit. SS. Sergii & Bacchi, Franciscus tit. SS. Joannis & Pauli, Franciscus Basilicæ duodecim Apostolorum, Nicolaus tit. S. Priscæ, Adrianus tit. S. Chrysogoni, Ludovicus tit. S. Marcelli, Franciscus Guillelmus tit. S. Stephani in Cælio Monte, Jacobus tit. S. Clementis, Leonardus tit. S. Susannæ, & Franciscus tit. S. Ceciliæ Presbyteri; Joannes S. Mariæ in Dominica, Fridericus S. Theodori, Julianus S. Angeli, Alexander S. Eustachii, Marcus S. Mariæ in Porticu, nec non Amaneus S. Nicolai in Carcere Juliano Diaconi, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, universis & singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera charitatis inducimus, tanto salubrius animarum suarum saluti providemus. Cupientes igitur ut Sanguis miraculosus Domini nostri Jesu Christi in parochiali Ecclesia Sanctæ Trinitatis oppidi de Ludbreg, in Zagrabiensi diœcesi existens, a Christi fidelibus honorificentius veneretur, quodque Ecclesia ipsa congruis frequentetur honoribus, ac in suis structuris, ædificiis debite reparetur, conservetur, ac manuteneatur, nec non libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis, ac rebus aliis divino cultui inibi necessariis decenter muniatur; utque Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, &

& ad reparationem, conservationem, manutentionem, ac munitionem hujusmodi, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refertos; Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrum pro se, supplicationibus dilectorum nobis in Christo Bernardi de Thurocz Comitis Comitatus Varasdinensis, & Fratris Antonii Manqui Ordinis Fratrum Minorum sacræ Theologiæ Professoris, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere pœnitentibus, & confessis, qui dictam Ecclesiam his diebus, videlicet Circumcisionis D. N. J. C., Dominicæ palmarum, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., nec non ipsius Ecclesiæ dedicationis, & festivitatibus & diebus, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive, devote visitaverint annuatim, & ad præmissa manus porrexerint adjutrices, pro singulis festivitatibus, sive diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus in perpetuis temporibus duraturis. In quorum fidem litteras nostras hujusmodi fieri, nostrorumque sigillorum jussimus appensione communiri. Dat. Romæ in domibus nostris, sub anno a Nativitate Domini 1510., die vero 5. mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Julii divina providentia PP. II. anno 7.

Insigne miraculum Julius II. approbavit, illudque colentibus indulgentias decrevit;

Verum tam illustre miraculum, tamque insolitum, quo plus fidei haberet ac venerationis, approbationem summi Pontificis auctoritatemque requirebat. Hanc ab Julio II. suppliciter postulavit Thomas de Zeecs, præpotens Dynasta, haud generis nobilitate, & divitiarum copia, quam integritate vitæ, & divini cultus augendi studio præstantior. Pontifex antequam ejus postulatis annueret, pro sua sapientia censuit rem adeo inusitatam ac pæne incredibilem intentius investigandam, & explorandam esse. Itaque duobus cœnobiarchis illarum partium per litteras imperavit, ut sanguineum illum liquorem suismet oculis subjicerent, ac diligenti inspectione adhibita, naturalisne, an divinæ virtutis opus habendum esset, ipsi inter se reputarent; quæ de illo a majoribus tradita, & fama atque auditione accepta esse ferebantur, ex idoneis testibus jurejurando adactis exquirerent; & quid veri, quid falsi esset, aptis ad veritatem eliciendam percontationibus explorarent. Tabulas super his rite confectas cum testimoniis, auctoritatibusque omnibus, utriusque chirographo subscriptas, annuloque obsignatas, Romam transmitterent. Pontificiis mandatis diligenter obtemperatum fuit. Ergo Julius hisce tabulis cum litteris utriusque cœnobiarchæ acceptis, de miraculo illo, quoad patitur humana fides & prudentia, satis constare judicavit; nec solum cultum prodigiosi illius cælestisque sanguinis approbavit, sed etiam omnibus & singulis, qui statis quibusdam & solemnibus diebus caste pieque viserent ac venerarentur, simulque ad templi ornatum & conservationem aliquid subsidii conferrent, de pœnis, quas quisque pro suis delictis ex præscripto canonum subire deberet, tertiam partem remisit, & condonavit. Pontificium diploma, quod Julius morte præreptus non potuit, Leo X. confecit, & quæ ille approbaverat atque decreverat, confirmavit. Error irrepsit in notam chronologicam diplomati subjectam, quæ annum Christi 1512. & diem 14. Aprilis designat; cum Julius anno 1513. x. Kalendas Martias obierit; nec vero ante diem undevicesimam ejusdem mensis, anno eodem Leo, tiaram pontificalem susceperit; nisi forte statim sub initium Pontificatus illud diploma confectum fuerit ante diem vicesimum quintum Martii; quem in diem ex more curiæ sive cancellariæ Romanæ annus 1512. desinebat, & ex eodem die annus proximus exordium ducebat. Sed si annum 1512. retinere velis, cum eo non cohæret dies confecti diplomatis, idest 14. Aprilis; nam annus 1512. jam desierat mense Martio proximo superiori; & diem 20. vel saltem 24. Martii substitui oportet, quo cum congruit annus I. Pontificatus Leonis.

idque Leo X. confirmavit,

& diploma Pontificium confecit.

Leo Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis sal. & Apost. Benedict. Rationi congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu, litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem pro parte dilecti filii & nobilis viri Thomæ de Zeecs, Domini in temporalibus Villæ Zethgenus Zagrabiensis diœcesis, felicis recordationis Julio Papæ II. prædecessore nostro expositum; quod annus jam tunc centesimus, vel circiter agebatur, quod, cum quidem Presbyter Missam celebrans, post confectum in illa Eucharistiæ Sacramentum, hostiam de more in tres partes divisisset, & unam ex eis in calicem misisset, sumptisque reliquis duabus partibus, ipsam tertiam partem, cum liquore in dicto calice, cum quo dictam Missam celebrabat, in Christi Sanguinem converso bibiturus, dubitare cœpisset, an in ipso calice verum corpus, & verus sanguis Christi, virtute Sacramenti hujusmodi, existerent; illico dictus liquor visibilis, & naturalis sanguinis colorem habuerat; quodque eo miraculo dictus Presbyter stupefactus, dissimulaverat rem per aliquod tempus. Sed demum nolente Deo, ut credibile est, quod tam illustre miraculum, & catholicæ fidei adversus dubios in illa firmamentum, diutius lateret; dictus Presbyter in extremis laborans, rem ipsam, prout occurrerat, palam confessus fuerat; dictumque calicem cum eodem liquore, visibilis & naturalis sanguinis colorem habente, in parochiali Ecclesia sanctissimæ Trinitatis oppidi Ludbregh dictæ diœces., reponendum, & perpetuo custodiendum tradiderat. Et ab eo tempore citra in dicta Ecclesia apud eumdem calicem multa & magna miracula fuerat operatus, & in die operari non desinebat Altissimus; & eidem expositioni subjuncto; quod licet ad Sacramentum prædictum satis magna esset in partibus illis fidelium populorum devotio; tamen si venerationi, & reverentiæ, quæ Sacramento hujusmodi præstabatur, Apostolicæ Sedis suffragaretur auctoritas; profecto ex eo populorum eorumdem, qui cum Turca passim pro fidei orthodoxæ defensione manus conferebant, majorem in modum cresceret devotio; & cum divini nominis gloria, & Christianæ religionis augmento, fidelium animarum saluti laudabiliter consuleretur. Et dictus Prædecessor supplicationibus dicti Thomæ in ea parte inclinatus, de Boorsi-

uo-

Digitized by Google

nonasztera, & Chyak nullius diœcesis monasteriorum Abbatibus in dicta diœc. Zagrabien. commorantibus per suas litteras commiserat, & mandaverat, quatenus super præmissis testes reciperent, ac eorum dicta & attestationes in publicam formam redacta, eorumque sigillis clausa, ad dictum prædecessorem transmitterent: & quamplures testes fide digni per dictos Abbates, ad litterarum hujusmodi executionem procedentes, desuper recepti, & eorum dicta & depositiones, quibus satis liquide de præmissis constare videbatur, in publicam formam redacta, & eorumdem Abbatum sigillis clausa ad dictum prædecessorem transmissa fuerant. Idem prædecessor attendens quod Sanctiss. Corpus D. N. J. C. qui de mundo transiturus ad Patrem in passionis & mortis suæ memoriam, carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum exhibuerat populo Christiano, decebat Christi fideles singulos pro devotionis reminiscentia venerari, & cupiens ut dicta Ecclesia, in qua calix cum liquore tam devote custodiebatur, & ad quam, sicut idem prædecessor acceperat, dictus Thomas singularem gerebat devotionis affectum, in debita veneratione haberetur, & a dictis Christi fidelibus congruis frequentaretur honoribus; ipsique fideles eo ad sanctissimum Missæ sacramentum inibi venerandum devotiores redderentur, ac pro ipsius Ecclesiæ fabrica, & luminarium, ac aliorum ad divinum cultum pertinentium manutentionem manus promptius porrigerent adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspicerent se refertos; de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, sub dato videlicet XVI. Januarii, Pontificatus sui Anno X. universis & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, vel confitendi propositum habentibus, qui ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus dictam Ecclesiam, in calicis & liquoris in eo reconditi hujusmodi bonorem, in ejusdem Corporis Christi, & Nativitatis B. M. V. ac Thomæ Apostoli festivitatibus, ac primis vesperis usque ad occasum solis cujuslibet festivitatum, devote visitarent annuatim, & pro fabricæ, ac luminarium, ac aliorum prædictorum manutentione, manus porrexerint adjutrices, quoties id facerent, tertiam partem injunctarum eis pœnitentiarum, quas in purgatorio passuri essent, misericorditer in Domino relaxavit. Voluit autem idem prædecessor, quod si alias dictam Ecclesiam visitantibus, & ad præmissa manus adjutrices porrigentibus, aut inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias, aliqua indulgentia in perpetuum vel ad tempus nondum tunc elapsum duratura, per dictum prædecessorem concessa fuisset; relaxatio hujusmodi, & si desuper confectæ fuissent ejusdem prædecessoris litteræ, nullius esset roboris vel momenti. Ne autem de relaxatione, & voluntate prædictis, pro eo quod super illas prædecessoris litteræ hujusmodi, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes litteræ ad probandum plene relaxationem & voluntatem prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Domini 1512. 14. Aprilis, Pontificatus nostri I. vel juxta morem communem an. 1513. 14. April. Pontific. I. vel juxta stilum curiæ Romanæ anno 1512. 24. Martii Pontif. I.

Ludovicus Batyanus Comes idemque Palatinus regni Hungariæ, ante annos non ita multos, in oppido Ludbregi, prope castellum ab se constructum, ære suo Templum ædificavit sub nomine & auspiciis Sanctissimæ Crucis, elegans sane ac nobile. Huc transferri voluit, & summo in altari collocari includique in armariolum affabre, & præclaro opere factum, sacrosanctum illum Sanguinem; qui asservatur in vase crystallino aureis laminis eleganter ornato, & publicæ venerationi, statis anni diebus, maximeque sollemnibus exponi solet. Eamdem nunc, quam habuit initio, religionem retinet apud gentes illas; non quod verum Christi sanguinem esse putent; sed quod species vini, quibus antea verus Christi sanguis suberat, in substantiam sanguineam divinitus conversas, honore & cultu religioso dignas esse existimant, & quod debitam venerationem illis impertiendo, quæ postulant a Deo beneficia, se consequi posse confidunt. Si qua calamitas illis regionibus impendeat, concretum illum Sanguinem liquefieri, & quodammodo ebullire ajunt; eoque ostento oppidanos admoneri, ut piacularibus sacris, & precibus iratum Numen placare studeant.

Templum Sacræ Crucis extructum est: ibi prodigiosus ille sanguis, translatus ex æde SS. Trinitatis.

JOANNES V. EP. ZAGRAB. XLVI.

Cognomento Bakacsius, itidem & Erdodius, filius fratris Thomæ Cardinalis Archiepiscopi Strigoniensis. Hic enim tres fratres habuit, Joannem, Valentinum, Benedictum, qui Thoma vivo ac superstite diem obierunt. A quo Joannes genitus fuerit, mihi non est compertum. Thomas Joannem in primis inter ceteros fratrum suorum filios amavit, carumque habuit. Hujus siquidem suis sumtibus alendi, educandi, & liberalibus disciplinis instituendi curam suscepit. Ut primum visus est satis imbutus iis litteris, quibus puerilis ætas impertiri solet, eum ad varia extra Hungariam & illustria gymnasia, tamquam ad mercaturam bonarum artium proficisci jussit, in quibus humanarum ac divinarum rerum scientiam perciperet. Post confectum studiorum curriculum, Præpositum constituit, itemque Canonicum; ei siquidem summam præfecturam, sive *Præposituram* Capituli Strigoniensis, & Titulensis contulit, ac deinde, ut Benedictus Vinkovichius ex diplomate Leonis tradit, Canonicum Agriensem, & Archidiaconum de Pankota creavit. Anno autem 1514. Episcopatum Zagrabiensem eidem conferendum curavit. Sed nondum nactus ætatem idoneam ad suscipiendam episcopalem consecrationem, hic quidem titulum gessit, Thomas vero administrationem Episcopatus retinuit. Vereor ne Joannes eximiæ patrui erga se benevolentiæ ac liberalitati animo parum grato respondens, aliquam offensionis caussam ei præbuerit. Thomas quippe, anno 1517. cum testamentum conderet, hæreditatis amplissimæ, quam bipartito divisam filiis duorum suorum fratrum reliquit, ne minima quidem portiuncula Joannem impertiri voluit; & maximis sumtibus, quos in ejus educationem & litterariam institutionem fecerat, itemque copiosissimis ecclesiasticis proventibus, quibus illum cumulaverat, contentum esse jussit; gratiam vero tot tantisque beneficiis male repensam dissimulavit; & cur bonorum suorum expertem esse voluerit, hanc rationem reddidit; quæ satis justa & probabilis visa est, quod, dum viveret,

Joannes Bakacsius Erdodius, filius fratris Thomæ Cardinal.

qui eum Episcopum Zagrabien. creandum curavit, Episcopatus administratione penes se retenta.

ret, multa in eum large effuseque contulisset. Particulam ex ejus testamento decerptam subjicio: *Postremo quamvis ipse Dom. Cardinalis in serie omnium fere litterarum donationalium &c. nomen quoque Reverendi Joannis &c. velut nepotis sui similiter ex fratre, inseri, & inscribi fecerit; ex quo tamen eumdem Joannem Præpositum a cunabulis usque educasset, & ad Sacerdotii Ordinem dedicasset, in diversisque gymnasiis extra regnum notabili sumptu erudiendo nutrivisset, ac tandem tot ecclesiasticorum beneficiorum titulis, & dignitatibus dudum insignivisset, ac inter alia in Episcopum Zagrab. Ecclesiæ promoveri procurasset; ideo in prænominatis juribus possessionariis sæcularibus, quæ alioquin ultra prænarrata beneficia ecclesiastica in præjudicium aliorum fratrum prædictorum absurdum videretur gubernare & possidere prælibatum Joannem Bakocz, Præpositum penitus impartionatum duxisset efficiendum atque declarandum; & prænarratis dumtaxat beneficiis ecclesiasticis contentandum.*

Anno 1515. Turcæ Jaiczam urbem Bosinæ munitissimam obsidebant. Petrus Berislavus Episcopus Vesprimiensis, idemque Banus Slavoniæ & Chrobatiæ, cum exercitu Savum transgressus, ut civitatem illam obsidione liberaret, a Capitulo Zagrabiensi per litteras commeatus petiit: *Mittite*, inquit, *ad sustentationem exercitus, qui Jaiczam, jussu regiæ majestatis proficisci debet, 12. currus vini, & 30. tritici, aliorumque victualium, ut hic in Zlobocsina in profesto Exaltationis S. Crucis constituantur. Promitto quod nil sine pecunia recipiam, vel recipi permittam, sed omnibus condecenti pretio, uti alia facitatum est, vendere permittam.*

Ludovicus rex Hungariæ post obitum Uladislavi parentis

Anno 1516. pridie nonas Martii, Uladislavus moriens, Ludovicum filium, vix decem annos natum, regni hæredem reliquit; quem tum parens, tum Leo Pontifex Thomæ Cardinalis Archiep. Strigoniensis tutelæ commendarunt. Anno proximo imperatum est Capitulo Zagrabiensi, ut copias militares ex villis oppidisque Capitularibus collectas Bano subsidio mitterent cum commeatibus, *quia magna pericula imminent confiniis regni, præcipue Jaiczæ, quæ jam in extremis est, propter defectum victualium & gentium*. Andreas Archidiaconus Urbocensis, qui castro Capitulari Sisciensi præerat suis ad Canonicos litteris Sisciæ datis feria secunda post festum S. Annæ, scripsit se imperata fecisse: *prout commisistis plumbum misi, aliam medietatem pro castris hic reliqui nostris. Banus non est in istis partibus. Miseram ad Petnam, quomodo negotia ibi tractentur, famulum meum, qui reversus sabbato, in silva Capitulari extra indagines, in via Szisciensi, graviter lanceis, frameis, per quinque equites vulneratus, evasit tamen. Venit nunc velociter eques prædialis de Petna, dicens si summo mane in Petna non fuero, & boni aliquid non effecero, omnes deprædabuntur. Ibo hac nocte, si quid ordinare, & boni facere potero.*

Joannes nactus ætatem legitimam Episcopatum sibi a Leone confirmatum in Simonem Erdodium, sive Palfium transtulit.

Benedictus Vinkovichius Episc. Zagrabiensis tradit Episcopatum Zagrabiensem ante annos quatuor Joanni collatum, anno demum 1518. x. Kalendas Aprilis ab Leone X. confirmatum fuisse; idque constare ex litteris Pontificiis datis eodem anno dieque; cum scilicet ad legitimam, & episcopali muneri maturam ætatem pervenisset, In iisdem litteris eum nominari ait *Canonicum Agriensem, & Præpositum de Pankota*, itemque successorem Lucæ; quippe inter hunc & Joannem nullus fuit Episcopus intermedius, & totius Ecclesiæ administratio fuit penes Thomam Archiepiscopum Strigoniensem. Porro Joannes antequam episcopali consecratione initiaretur, permissu ejusdem Pontificis, traditum sibi Episcopatum in Simonem, suum, ut creditum est, patruelem transtulit. Errarunt Raphael Levakovichius, itemque Paullus Ritter, qui sepulchrum in sacrario basilicæ cathedralis ad latus sinistrum aræ maximæ, ac titulum sepulchralem, ad hunc Joannem referendum esse censuerunt, cum ad Joannem alterum spectet, ex eadem quidem Erdodia gente progenitum, sed centum fere annis posteriorem, ut nota arithmetica anni 1626. ibidem incisa declarat, & Agriensem Antistitem designatum.

SIMON EPISC. ZAGRAB. XLVII.

Simon Ep. Zagrab. de quo dubitari potest Erdodiæne, an Palfiæ genti adscribi debeat.

Filius Petri, nepos Valentini, fratris Thomæ Cardinalis, si recte genealogiam Bakacsiæ Erdadiæ gentis contexuit Thomas Kovalcevichius. Verum Thomas Cardinalis & Archiep. Strigoniensis, in suis tabulis supremis, Stephanum quidem & Volphangum filios vocat Valentini *Bakacs de Erdod* fratris sui; at *Petrum Bakacs de Erdod* tantummodo *nepotem suum* nominat; & cum Thomas tres fratres habuerit, ut scriptores tradunt, *Joannem*, *Valentinum*, & *Benedictum*, quinam ex his Petrum genuerit, incertum reliquit. Ac mihi quidem, nec illud satis constat, hujusne Petri filius, & oriundus ex Erdodia stirpe fuerit Simon Episcopus Zagrabiensis, an vero aliunde originem traxerit. Multa extant monumenta litteris tradita tum decimi sexti, tum proximi sæculi, in quibus hæredes Thomæ Cardinalis, ex una Erdodia gente in varias familias derivati, nominantur, in his Simonem Episcopum Zagrabiensem nusquam invenio. In tabulis consistorialibus Simonem neque *Bakacsium*, neque *Erdodium*, sed *de Zerem* cognominatum reperio, ex vocabulo fortassis illius, quo tunc præditus erat, Sacerdotii; nam Paullus Ritter Abbatem *de Zerem* fuisse tradit. Eum Leo Papa Ecclesiæ Zagrabiensi præfecit: *X. Novemb.* 1518. *Resignavit D. Joannes Bakoc de Erdod, electus* (id est confirmatus quidem, sed nondum consecratus) *Zagrabien. De prædicta Ecclesia sub Metrop. Colocen. providit Dom. Simoni de Zerem.* Cum autem idem Simon in tabulis testamentariis Petro fratris filio cognomen Palfii attribuat, Palfiæ potius, quam Erdodiæ familiæ Simonem adscripserim. Erunt fortasse, qui ex eodem stipite has duas nobilissimas familias Erdodiam & Palfiam proseminatas esse existiment. Sed illud mihi maximo argumento est Simonem neque Petri Erdodii filium, neque ulla sanguinis communione cum Erdodiis conjunctum fuisse, quod Andreas Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis anno 1540. in suis ad Capitulum Zagrab. litteris supra laudatis scriptum reliquit. Postquam enim de illa ingenti summa pecuniæ, quam Osvaldus & Lucas Episcopi Ecclesiæ legaverant, per Thomam Cardinalem & Archiep. Strigonien. interversa, & quasi violenter ablata, Canonicos collegas suos certiores fecisset; Episcopum Zagrabiensem, qui tunc erat Simon, magnopere hortatur, ut tria & viginti millia florenorum a Petro Erdodio Thomæ Cardinalis hærede repeteret, reddere

Digitized by Google

dere nolentem in judicium vocaret: *Agat*, inquit, *Reverendiss. Dom. noster gratiosissimus pro bonis Ecclesiæ suæ violenter abstractis, ut par est, & debet, contra heredem; & indubie sibi jus non abnegabitur. Poterunt autem D. V. R. in his omnibus testes esse fideles juxta tenorem protestationis prædictæ*. Si Petrus Erdodius pater fuisset Simonis Episcopi, commemoratio illius pecuniæ a Thoma Cardinali propatruo per vim interceptæ, a Petro parente contra jus fasque retentæ, parum grata & sane inofficiosa in filium fuisset; tacita enim quædam exprobatio erat, quæ utrumque arguebat injustitiæ, & in filium, ejusque dedecus redundabat. Nec vero modesti & cordati hominis erat, qualem fuisse Andream existimari licet, Episcopo suo, quem revereri & colere debebat, patris & propatrui malefactum in memoriam revocare, eique auctorem esse, ut parentem, vel etiam, si mavis, consanguineum, & gentilem suum in judicium adduceret, cum eoque lite non tam civili, quam criminosa contenderet; rem illam litigiosam, & caussam Ecclesiæ honestius & prudentius Capitulo, quam Episcopo commendasset. Ego igitur sic existimo Simonem nec Petri Erdodii filium fuisse, neque ullam ei consanguinitatem cum Erdodii; intercessisse, cujus ne vestigium quidem in monumentis temporum illorum apparet. Cum tamen Paullus Ritter, Thomas Kovasichius, Balthasar Kerelelichius, & alii Simonem Bakacsiæ, sive Erdodiæ familiæ inseruerint, nec illum indidem evellere, nec meæ sententiæ fidere ausim.

Ejus tempora calamitosa.

Anno 1518. Simon episcopatum Zagrabiensem suscepit, gessitque per annos circiter quinque & viginti, perpetuis fere litigiis & contentionibus exercitum agitatumque; & præterea in multiplici conversione rerum publicarum, & perturbatione. Fuerunt ea tempora maxime calamitosa Hungariæ, quam non solum externa & Turcica vastarunt, sed etiam intestina bella dilacerarunt: utrisque Simon vel necessario, & cum laude interfuit, vel voluntarie, & ingenti Ecclesiæ suæ damno se immiscuit; perinde vero ac si hæc illi non satis negotii & molestiæ facesserent, plures etiam contentiones & inimicitias cum suis Canonicis, & cum aliquibus Dynastis suscepit, quibuscum non jure solum, sed etiam armis dimicavit. Vix Episcopatum inierat, cum molestus esse cœpit Capitulo.

Lites cum Capitulo.

Canonicis siquidem satis pro imperio, severeque mandavit, ut litteras omnes sive regias, sive pontificias, quibus donationes regum continebantur, itemque immunitates ac privilegia tum Ecclesiæ, tum Capitulo concessa, sibi traderent: quod quidem mandatum eo spectabat, ut omnia hujusmodi litteralia monumenta e Capitulari in episcopale tabularium transferret; atque ex duobus unum archivum conflaret, quod in potestate Episcopi esse volebat. Sed nec imperio, nec minis adduci potuerunt Canonici, ut suas chartas & membranas sibi eripi paterentur; & præter pauculas tabulas, quæ ad Ecclesiam, & mensam episcopalem pertinebant, nihil ab illis etorquere potuit. Ita vel invitus de illa mente ac petitione desistere coactus est; & quemadmodum antea semper, sic postea ad hanc usque diem, duo distincta fuerunt tabularia, suum Episcopo, suum Capitulo.

Ludovici regis erga Capitulum beneficentia.

Contra vero rex Ludovicus benevolum se ac beneficum præbuit Canonicis, idque singularis privilegii concessit, ut si quæ reconditæ in terris, quæ ad jus ditionemque Capituli spectabant, venæ auri, argenti, ferri, plumbi laterent, illas fossoribus adhibitis investigare possent, & quidquid metallorum cujusque generis effoderent, in suam & Ecclesiæ utilitatem convertere. Regium diploma *Datum est Budæ anno 1521. Dominica post festum S. Lucæ*.

Petrus Vesprimiensis Antistes Zagrabiensem Episcopatum obtinere conatur.

Inter hæc tempora Petrus Berislavus Episcopus Vesprimiensis, ex bellicis æque rebus gestis adversus Turcas, ac supremo in Slavoniæ, Bosniæ, Chrobatiæque provincias Banatu maxime illustris semel atque iterum de Vesprimiensi Episcopatu abdicando cogitavit, ut Zagrabiensem assequeretur, cujus opulentiores redditus sibi maxime necessarii forent ad bellorum vim sustinendam; cumque assidue in Slavoniæ finibus longe Vesprimio dissitis versari cogeretur, hac etiam de caussa Zagrabiensem urbem sibi magis, bellicisque expeditionibus opportunam fore rebatur, quippe ad Slavoniæ limites sitam. Itaque cum Simone Episcopo enixe, vehementerque sategit, ut alter alteri proprium cederet Episcopatum, sibique invicem commutarent. At obstitit Thomas Strigoniensis Archiepiscopus, idemque Zagrabiensis Ecclesiæ antea gubernator, qui hominis, licet de se optime meriti, fortunam, atque dignitatem augeri minime patiebatur; quin ejus gloriæ adeo invidere visus est, ut Berislavum de gradu dejici cuperet, & regis gratia privari. Narrat Marnavitius in vita Petri ab se descripta, Petrum Thomæ invidia maxime offensum dixisse aliquando, *se vi etiam eo episcopatu potiturum, quippe indignum esse tales eo episcopatu frui, quorum alter* (Simon) *reipublicæ inutilis esset, alter vero* (Thomas) *damnosus, cum regiis semper proventibus manus injiceret*: existimat autem Marnavitius, Simonem Zagrabiensem Antistitem fuisse *Thomæ nepotem*; quod illorum sententiæ favet, qui Simonem Erdodiæ inserunt familiæ; tum scribit, Simonem ipsum Thomæ nomine episcopatum gessisse; quod unus memoriæ prodidit Marnavitius, neque probari certo queat. Thomas interim apertius insidias Petro struebat, qui Zagrabiensem Ecclesiam eo cupidius exoptare sibi videbatur, quo violentius Thomas obsistebat: jamque, cum summa esset Thomæ ejusdem apud regem potentia, atque auctoritas, eo prope ventum erat, ut Petrus non solum Zagrabiensis episcopatus adipiscendi spe frustraretur, sed etiam cetera suæ dignitatis amitteret ornamenta. At re cognita, Petrus confestim Budam properat, paratum sibi exitium avertit, tum Thomam, qui in regis aula Budæ degebat, comiter adiens, & de intentata sibi, fortunisque suis ab illo ruina graviter conquestus, hæc dicitur in aurem Thomæ oblocutus; *si, Thomas, non cessabis me insequi, & deprimere; edico tibi, quod jam non queras regi, & regno, sed ipse manu mea ulciscar in te tres personas: regem, quem contemnis, regnum, quod expilas; me, quem opprimis*: & de Zagrabiensi episcopatu graviora institit agitare consilia. Verum hæ minæ altius Thomæ animo insederant, quam ut vellet eas impune ferre; &, simulata quamvis amicitia, Petri iram non leviter pertimescebat: quare, ne quamprimum, ut videbatur, Zagrabiensem acquireret Ecclesiam, summa vi, conatuque omni intercessit, & occulte Petri necem molitus est, datis etiam ad Præfectum Zagrabiensem

sem

sem litteris, quo per proditionem de medio tolleretur; utriusque tamen dissidia, atque contentiones brevi utriusque funere sublatæ penitus, atque extinctæ fuerunt: nam Petrus an. 1520. ad Coreniciam amnem a Turcis oppressus, interfectusque vita excessit; Thomas vero anno insequenti 1521. mense Junio diem supremum obiit, & opulentissimam hæreditatem filiis suorum fratrum reliquit. Multa siquidem oppida, castra, castella, latifundia partim ære suo coempta, partim ex donatione regum Hungariæ, videlicet Matthiæ, Uladislavi, Ludovici, possidebat. Ante annos quatuor ex potestate sibi facta olim ab Uladislavo rege testamentum fecerat, Ludovico rege præsente, & approbante, qui suis illud regiis litteris inseruit, suoque regali signo confirmavit, & obligavit. Initium est hujusmodi: *Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariæ & Bohemiæ &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis; Quod Reverendissimus in Christo Pater Dom. Thomas t. S. Martini in Montibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Archiep. Ecclesiæ Strigoniensis, ac Patriarcha Constantinopolitanus, & sacræ Sedis Apostolicæ de latere Legatus &c. coram nostra personali præsentia personaliter constitutus, sponte & libere confessus est in hunc modum; quod cum de laudabili lege, vetustaque, & approbata hujus regni nostri Hungariæ consuetudine quilibet nobilis & possessionatus homo, de & super universis bonis, & juribus possessionariis, per cum propriis suis servitiis, virtutibusque, & laboribus conquisitis, & inventis, liberam, prout voluerit, disponendi habeat potestatem: ipseque D. Thomas Cardinalis castra, castella, oppida, ac alia jura possessionaria subnotanda, propriis suis laboribus, servitiis, & animi sui dotibus atque virtutibus conquisita, & diversis titulis pro se, & fratribus suis subscriptis inventa habeat; ne igitur post ejus ab hac luce discessum, inter fratres & nepotes suos ratione, & prætextu ejuscemodi bonorum, ac jurium possessionariorum lites, & differentiæ, contentionumque materiæ suboriri, & suscitari possent; eisdem omnibus differentiis, & earum processibus viam præcludere volens, universa castra, castella, oppida, possessiones, villas, prædia, portionesque, & jura possessionaria per eum, ut præfertur, propriis suis laboribus, servitiis ac virtutibus acquisita, & diversis titulis inventa, prædictis fratribus & nepotibus suis adbuc vivens, modo subscripto duxisset dividenda, limitandaque, & sequestranda &c.* Clausula vero hæc est: *Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum, quo ut rex Hungariæ in judiciis utimur, est appensum, vigore & testimonio litterarum mediante; in cujus rei efficax testimonium sigilla quoque fidelium nostrorum, spectabilium & magnificorum Emerici de Peren Comitis perpetui Abarivariensis, & prædicti regni Hungariæ Palatini &c. ac Comitis Petri, Comitis de S. Giorgio, & de Bezin, Judicis curiæ nostræ duximus apponenda. Datum Budæ in festo B. Urbani Papæ. Anno* 1517.

Obitus Thomæ Cardinalis & ejus opulentia.

Testamentum.

Filiis fratrum suorum bona sua bipartito divisit.

Omnia bona sua bipartito divisit; alia Petro Bakacsio Erdodio, *nepoti suo ex fratre carnali*, id est filio Joannis aut Benedicti fratrum suorum, alia Stephano & Volphango filiis Valentini fratris sui reliquit. Joannem Episcopum electum Zagrabiensem itidem fratris filium, ob eas, quas supra diximus, caussas, hujus amplissimæ hæreditatis omnino expertem esse voluit; id quod in extremis tabulis testamentariis confirmavit: *Idem Dom. Cardinalis conditionibus sub prædeclaratis, divisit, limitavit, sequestravit; ac præfatum Joannem Bakocz Præpositum expresse, ac in omnem eventum penitus, & in omnibus bonis per eum acquisitis improportionatum effecit, reliquit, & declaravit coram nostra personali præsentia prænotata.* Præter cetera castra, duo legavit Petro, *Okichium* in Zagrabiensi, & *Dianvaram* in Crisiensi Comitatu, & præterea castellum *Plodin*, & oppidum *Kottenyam* in eodem Crisiensi Comitatu. Hæc vero cum omnibus villis ac prædiis annexis, si quando omnis ex Petro, ejusve filiis, aut nepotibus propagatio & soboles deficeret, in potestatem utilitatemque Ecclesiæ Zagrabiensis transire jussit, & partim Episcopo, partim Capitulo tradi; quemadmodum etiam reliquorum omnium bonorum suorum, quæ sive Petro, sive Stephano & Volphango reliquerat, si forte horum stirpes exarescerent, atque interirent, hæredem esse voluit ædiculam illam atque aram B. Mariæ Virginis ab Angelo salutatæ, quam ipse prope Basilicam Strigoniensem opere magnifico cultuque eleganti extruxerat. Particula testamenti, quæ ad Petrum pertinet, hæc est: *Quod primo totalia castra & castella Monyokerek, Kermend, & Verostoron in castri ferrei, item Somlio in Vesprimiensi, præterea similiter . . . . Egregio Petro Bakocz de Erdod nepoti suo ex fratre carnali reliquit.* Et post alia multa: *Hoc etiam non prætermisso, quod si præfatum Petrum Erdody consimiliter temporis in processu, hæredibus destitui contigerit, quod Deus diu pro sua misericordia avertat, in hoc casu castra Somliq, & Choszarvara prædicta, pariter cum universis possessionibus, villis, ac juribus possessionariis, utilitatibusque & pertinentiis quibuslibet in prænominatam capellam B. Virginis Mariæ, consequenterque rectorem ejusdem pro tempore constituendum, & capellanos in eadem servientes; castra vero Okich in Zagrabiensi cum omnibus villis possessionibus, portionibusque, & juribus possessionariis, cum teloniis ad idem spectantibus; & item Dianvara in Crisiensi Comitatibus adjacentia, cum castello Plodin, ac oppido Kottenya, ceterisque omnibus villis, possessionibus, prædiis, portionibusque, & juribus possessionariis ubilibet existentibus, quæ scilicet alia Dominorum Rocxfii de Deche præfuissent, ad Ecclesiam Zagrabiensem prædictam, consequenterque ad Episcopum pro tempore constitutum, quoad directam medietatem, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ, quoad alteram medietatem, eorumdem & earumdem derivari & condescendi debeant; reliqua vero universa castra, castella, oppida, villæ, possessiones, & qualibet jura possessionaria præscripta in eosdem fratres & nepotes præfati Domini Cardinalis, quorum nomina ultra præmissa in litteris donationalibus, vel contractibus inserta sunt, ipsorumque hæredes, si ipse Dom. Cardinalis in humanis agens, super iisdem testamentaliter, vel aliter non disposuerit, devolvantur, condescensaque, & redacta habeantur eo facto, jure perpetuo & irrevocabiliter tenenda, possidenda pariter, & habenda &c.*

Particula testamenti.

Memineris velim amplissimæ illius pecuniæ, quam ab Osvaldo & Luca Episcopis legatam Ecclesiæ Zagrabiensi, Thomas Cardinalis in suam, vel in publicam utilitatem averterat. Hanc

Digitized by Google

Hanc ille si non omnem, certe magna ex parte, ut videtur credibile, restituerat, atque insumpserat in ædificationem tum arcis episcopalis, tum basilicæ cathedralis Zagrabiensis, quam ipse, ut diximus, fere totam absolvit atque perfecit. Quod vero illius pecuniæ residuum apud se supererat, donatione quatuor illorum castellorum *conditionali*, ut ajunt jurisperiti, quoquo modo compensare voluit. Ita mentem ac voluntatem Thomæ Cardinalis interpretari libet; quamvis Andreas Præpositus major supra laudatus eum totius pecuniæ ablatæ debitorem fuisse existimet. Ceterum neque Episcopus, neque Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis duo illa castra Okichium & Dianvaram, aut castellum Plodin, & oppidum Kottenyam adhuc obtinent; quod ex Petro Erdodo alii ex aliis nepotes & hæredes propagari nondum desierint; quin immo ex eodem Petro, tamquam ex uno capite plures proseminatæ sunt Erdodianæ familiæ, quibus præter duo illa avita cognomina *Bakacs de Erdod*, tertium obvenit ab oppido *Monyorokerek* in Comitatu *Castri ferrei* sito, quod itidem ex testamento Thomæ Cardinalis possident, eoque distinguuntur ab aliis Erdodiis, quos Valentinus frater ejusdem Cardinalis progenuit. Opinio inter Canonicos Zagrabienses invaluerat, satis illa quidem constans, sed sine ullo satis certo auctore, Thomam Cardinalem, præter testamentum, quod quadriennio antequam moreretur condiderat, dum extremo morbo laboraret, codicillum vel aliud testamentum fecisse, quo de suis bonis ac fundis aliquid statim, nullaque interposita conditione tradendum Ecclesiæ Zagrabiensi legaverit. Cum enim de ingenti illa pecuniaria summa ab Osvaldo & Luca Episcopis Ecclesiæ relicta, quam ille abstulerat, vel nihil, vel partem exiguam ab eo, dum viveret, restitutum esse ex testimonio Andreæ Præpositi existimarent; non putabant eum commissurum fuisse, ut tam grandi ære alieno, aut non dissoluto, aut non jusso per suos hæredes dissolvi, ex hac vita decederet. Ab ejus morte annus erat ferme nonagesimus, cum Canonici Zagrabienses Erdodiis judiciali jure denunciandum esse decreverunt, ut quidquid codicilli Thomas, præter tabulas testamentarias, vel novi testamenti scriptum reliquisset, e tabulario domestico proferrent. Erat tunc natu maximus gentis Erdodiæ de *Monyorokerek* Thomas Banus Chrobatiæ, is, qui anno 1593. apud Siciam cæsis duodecim millibus Turcarum insignem victoriam reportavit. Hunc igitur, apud quem, utpote seniorem, tabulas totius familiæ asservari leges Hungaricæ jubent, in judicium vocant anno 1612. Disceptator ac judex delectus fuerat Demetrius Napragius Archiepiscopus Colocensis, disceptationi locus constitutus est oppidum Sabariense, dies dicta altera & vicesima mensis Januarii, quam prorogari oportuit, caussæque cognitionem differri in diem decimum quartum Februarii: quo die adfuit quidem procurator Thomæ; sed cum tergiversando, & variis exceptionibus actioni interponendis, diem ex die protraheret, tandem compulsus & coactus est, ut quidquid ei Thomas pro se respondere ac dicere jusserat, id perspicue, & sine ulla ambiguitate enunciaret atque exponeret; ille vero affirmavit penes Thomam testamentum quidem esse Cardinalis Strigoniensis, notum omnibus vulgatumque; sed nihil præterea, neque scripto traditum, neque voce coram testibus editum, tabulisque consignatum. Id vero ut jurejurando confirmaret in Comitiis Posoniensibus anno proximo habendis, Thomæ ex judicis sententia imperatum fuit. Thomas neque Comitiis illis interfuit, & post annos non ita multos extinctus, Sigismundum & Stephanum filios & hæredes reliquit. Hos anno 1630. Capitulum Zagrabiense Tirnaviam citari jussit, ut coram legitimo magistratu vel jurarent nullum apud se, præter testamentum Thomæ Cardinalis, codicillum vel aliud a priore diversum testamentum reperiri, ex quo quid supremæ ejus voluntatis fuisset, cognosci posset; vel si quid hujusmodi scriptum haberent, in judicium producerent, & probis ac sapientibus viris de consensu partis utriusque delectis examinandum & explicandum traderent. Sed neutrum illi præstiterunt; & facile illis fuit, ut nobiles erant ac præpotentes, & impune licuit legitimam publici scribæ in jus vocantis denunciationem eludere. Tandem anno 1644. inter Comites & Dynastas Erdodios de Monyorokerek ex Petro filio fratris Thomæ Cardinalis recta linea descendentes, atque in duas pluresve familias divisos, & Martinum Bogdanum Episcopum, itemque Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis, controversia omnis per compositionem dirempta est, atque ita inter eos convenit, ut hi quidem omnino desisterent ab lite illa persequenda, quam Canonici Erdodiis intulerant, actaque omnia judicialia, quæ in eos intenderant, irrita facerent atque rescinderent; castra, castella, oppida Okichium, Dianvaram, Plodin, Kottenyam Erdodiis tamdiu possidenda relinquerent, quoad naturalis & legitima ex illis successio non deficeret; illi vero faterentur ac declararent loca illa modo nominata ex testameneo Thomæ Cardinalis, post defectionem omnium Erdodiorum hujus lineæ a Petro deductæ, statim debere ac sine ulla controversia transire in potestatem Episcopi & Capituli Zagrabiensis. Hæc confessio & declaratio ut vim & effectum obtineret, cautionis cujusdam caussa, terras aliquot & possessiones ex territorio castri Okichii detractas, & earum colonos Capitulo in præsenti tradiderunt; ut hæc traditio, integræ castrorum & castellorum illorum possessionis olim adeundæ, veluti pignus atque autoramentum esset. De codicillo tamen, vel novo testamento, de quo controversia fuerat, nihil vel affirmarunt, vel negarunt. Sed testamentum, quod anno 1517. fecerat, approbatum ab eo fuisse confirmarunt. Horum pactorum & conventorum fidem faciunt litteræ Capituli Chasmensis, coram quo inita & confirmata sunt. Initium litterarum est hujusmodi.

Codicillum vel aliud testamentū ab Thoma Cardinali factum fuisse opinio fuit inter Canonicos.

Anno 1644. inter Comites Erdodios, Episcopum & Capitulum controversia per compositionem dirempta est.

Tabulæ compositionis, per Capitulum Chasmense conscriptæ.

Nos Capitulum Ecclesiæ damus pro memoria, quod Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Martinus Bogdan Episcopus, ac Venerabile Capitulum Ecclesiæ Zagrabien. ab una, parte ab altera Illustrissimi Domini Comites Petrus, Thomas, Nicolaus, & Simon Erdodi de Monyorokrek Montis Claudii perpetui Comitis, filii olim Petri, filii quondam alterius similiter Petri, filii olim tertii itidem Petri senioris Bakoch dicti de Erdod, die datarum præsentium Zagrabiæ coram nobis personaliter constituti; Illustrissimus item Dominus Comes Volphangus itidem Erdodi de Monyorokerek, frater uterinus, & carnalis annotatorum Dominorum Comitum fatentium coram

ram

tam Reverendis Nicolao Czanick, & Gregorio Missich fratribus & Canonicis nostris &c. deinde nominantur alii ex eodem Petro Bakocsio Erdodo seniori prognati, sed ex altera ejusdem gentis familia, videlicet *Georgius, Gabriel, Emericus Erdodii de Monyckerck, Montis Claudii, & Comitatus Varasdinensis perpetui Comites, filii olim Christophori, filii quondam Thomæ Bani, filii olim prætacti alterius Petri, filii quondam antelati Petri senioris Bakoch de eadem Erdod progenie;* qui omnes cum suis *fratribus, sororibus, filiis, consanguineis, affinibus* in eam, quam dixi, confessionem & compositionem consenserunt; *& matura ac exacta animorum suorum deliberatione, superinde præhabita, sponte & libere, ministerio vivæ vocis ipsorum fassi sunt, qualiter Illustrissimus & Reverendissimus olim Pater in Christo, & Dominus Thomas Bakoch de Erdod S. R. E. tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, Archiep. Strigonien., Patriarcha Constantinop., & S. Sedis Apostolicæ de latere Legatus, patruus utpote ipsius Petri senioris Bakoch, de toties fato Erdod, inter alios ultimæ suæ dispositionis, ac testamentariæ tabulæ articulos totalia sua castra acquisititia, Okich quidem in Zagrabien., Dianvara vero, & castellum Plodin, nec non oppidum Kottenya in Crisiensi comitatibus existentia habita, in una quidem directa ipsorum medietate annotato Capitulo Ecclesiæ Zagrab., in altera vero similiter æquali medietate Episcopo ejusdem Ecclesiæ Zagrab. pro tempore constituto, de permissione & plenitudine diplomatis regii, & consensu D. quondam Uladislai regis Ungariæ, in defectu videlicet annotati Petri senioris Bakoch patruelis sui, post ejusmodi defectum, mox & ipso facto apprehendenda legasset, ac testamentaliter jure perpetuo possidenda reliquisset; prout id certæ litteræ Serenissimi quondam Ludovici II. regis Ungariæ tribus sigillis, uno quidem ipsius olim D. regis prædicti &c. communitæ in se continerent. Et hanc suam piam dispositionem idem olim Dominus Cardinalis, & Archiepiscopus, tunc in lecto ultimæ ægritudinis suæ constituto decumbens in anno videlicet 1521. de mense Junii in Castro Strigoniensi constitutus, coram eodem olim Petro seniore fratruele suo, certisque compluribus fidedignis personis, claris & postremis suis verbis ratificasset, & roborasset, ratamque, gratam, & perpetuo valituram, & observandam declarasset & pronunciasset &c.* Deinde vero subjicitur quid Episcopus, & Capitulum in se receperint ac promiserint.

Quæ pro parte sua Episcopus & Capitulum; *Et in primis annotatus Reverendissimus Dominus Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Zagrab. præmissam causam & litis prosecutionem coram præfata sede Archiepiscopali Colocensi, super annotata productione ipsius tabulæ testamentariæ, modo præmisso motam, & intentatam una cum universis suis processibus qualitercumque in eodem subsecutis, cassarunt, annibilarunt, & viribus carituram pronunciarunt. Et insuper totale præmissum Castrum Okich cum universis suis villis, prædiis, teloniis, &c. Castrum item Dianvara, & castellum Plodin, ac oppidum Kottenya, simul cum cunctis eorumdem Castrorum, castelli, & oppidi, villarum, possessionum, prædiorum, teloniorum, portionumque, & jurium possessionalium integritatibus, fructuositatibus &c. terris quoque arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis &c. apud manus & in potestate ipsorum Dominorum Comitum inclytæ videlicet familiæ Erdodianæ, a præfato olim Petro seniore Bakoch de antelata Erdod per rectam lineam descendente, hæredumque & posteritatem eorumdem masculini sexus universi quiete & pacifice possidenda reliquerunt salvis tamen notatis colonis, & bonis in signum legitimæ & indubitatæ successionis & dominii datis, & resignatis jam quoque ante defectum ipsius familiæ pro ipso Capitulo remanentibus.*

Hæc vero Comites Erdodii polliciti sunt: *E converso annotati Domini Comites fatentes piæ ac legitimæ dicti olim Domini Thomæ Cardinalis, & Archiepiscopi dispositioni, prout de jure quoque tenentur, sponte & ultro inhærere, seseque & suos successores non solum a scrupulo conscientiæ eximere & eliberare, sed potius suam quoque piam erga Ecclesiam Dei inclinationem & affectum declarare volentes, annotatam testamentariam ipsius olim Domini Thomæ Cardinalis & Archiepiscopi dispositionem, pro parte ipsius Domini Episcopi, & Capituli Ecclesiæ Zagrabien. modo præmisso celebratam, in omnibus ejusdem punctis, clausulis, & articulis, ac omni sui parte per omnia ratificarunt, roborarunt, & confirmarunt, ratamque gratamque, & perpetuo valituram pronunciarunt, & declararunt. Et per consequens præmissum Castrum Okich cum universis suis villis &c. item Dianvara, & castellum Plodin, nec non oppidum Kottenya simul cum prænotatis universis eorumdem Castrorum, castelli, oppidi, villarum &c. mox & ipso facto post defectum seminis dictorum Dominorum Comitum, ac inclytæ familiæ Erdodianæ, a dicto olim Petro seniore Bakoch per rectam lineam descendentium, masculi videlicet eorumdem hæredis (quam tamen familiam divina bonitas pro sua clementia multis sæculis florere faciat) in dictos Dominum Episcopum & Capitulum Ecclesiæ Zagrab., in duas rectas, & æquales portiones dividenda, & sequestranda, devolvi, & condescendere voluerunt, & commiserunt; eisdemque Domino videlicet Episcopo pro tempore constituendo, & Capitulo toties fatæ Ecclesiæ Zagrab., annotata Castra, castellum, & oppidum, cunctasque ipsorum pertinentias, & integritates supratactas, quovis nominis vocabulo vocitatas, in præmisso defectu seminis, vel masculi hæredis toties fati Petri senioris Bakoch, propria auctoritate, vel per quemcumque justitiarum regni, vel comitatuum illorum, in quibus adjacerent, sine omni litis strepitu, cunctisque juridicis remediis amputatis, vigore tantummodo præsentium, pro seipsis apprehendendi plenam & omnimodam dederunt, & attribuerunt potestatem; prouti ratificaverunt, approbaverunt, condescendereque, derivare, imo & apprehendere modo præmisso permiserunt, plenamque & irrevocabilem dederunt plenipotentiam, & facultatem.* (margin: Quæ Comites Erdodii promiserunt, ac declararunt.)

Demum coloni, villæ, & possessiones nominatim percensentur, quas Comites Erdodii Capitulo Zagrabiensi statim tradi voluerunt.

Et in signum ac majus robur & firmitatem perpetuam præmissæ indubitatæ ipsorum Capituli & Episcopi, bonis in præmissis successionis ac dominii, memoratus Dom. Comes Thomas fatens propria sponte, ex animi erga Ecclesiam Dei zelo, & pietate, reliquis quoque Dom. Comitibus id ipsum viva sua voce approbantibus, & roborantibus, atque in id per omnia consentientibus, providos Martinum Miklovusecz in una inte-

Digitized by Google

integra, & relictam Percich vocatam cum suis filiis in alia similiter integra, ac tandem aliam quoque relictam Joannis quondam Dumovich in media, nec non Marcum item Dumovich in altera media, sessionibus, in portione ipsius Domin. Comitis possessionaria possessionis Podgoriae, pertinentiis annotati castri Okich, omnino in Comitatu antelata Zagrabiensi existentes & commorantes; certam item vineam, antea quondam Petri Beszedich, nunc vero relictae Mihok, montanasticam ab ipso Capitulo in curialem vineam, aestimatione, & exolutione mediante convertendam, cum tribus jugeribus terrae arabilis, & foenilis ad falcatores circiter duos, vel tres se se extendentes sub eadem vinea, adjacentes in promontorio Lekenoz, pertinentiisque & Comitatu jam fatis existentes, simul cum universis ipsorum colonorum sessionibus, eorundem, ac vineae praefatae utilitatibus, obventionibus, juribus montanis, & pertinentiis, pertinentiarumque integritatibus ad eamdem de jure, & ab antiquo spectantibus, & pertinere debentibus, eidem Capitulo, & Ecclesiae Zagrab. mox & ipso facto cessit, dedit, tradidit, assignavit, & de manibus per manus apprehendere permisit, eo facto, jure praemisso sibi incumbente irrevocabiliter perennaliter tenere possidere pariter & habere. Et insuper eidem Capitulo annotati Domini Comites fatentes ad impalandam ipsam vineam aedificiaque ibi construenda, & sarta tecta conservanda, dictisque colonis eidem Capitulo jam resignatis, ad sessiones & vineas ipsorum liberum in silvis, communibus castri jam fati Okich usum, pari de facto admiserunt, & concesserunt. Casu vero quo quispiam dominorum fatentium, vel successorum eorumdem, vel alias quicumque annotatum Capitulum in praemisso libero, & quieto annotatorum colonorum & bonorum jure resignatorum dominio, quoquo modo, perturbare praesumeret; ex tunc ejusmodi turbatorem, vel turbatores, idem Capitulum toties quoties, vigore articulorum brevis processus, non reservando poenam octavalem, super ejusmodi occupationibus, & aliis violentis praedictorum in caussam trahere, & convenire valeant & possint.

Possessiones ex territorio castri Okich cum colonis detractae & traditae Capitulo.

Hoc etiam adjecto, quod idem Dom. Episcopus & Capitulum, veluti hac in parte jure praemissae successionis interessati, copiam ipsius testamentariae dispositionis & aliorum privilegiorum, factum ipsorum castrorum, castelli, & oppidi praedeclaratorum tangentium, & concernentium, in quibuscumque octavis, pro uberiori suae successionis cautela, ab annotata familia Erdodiana petierunt, ut modis omnibus acquirendi, & sine omni longioris litis processu, autentice quoque obtinendi habeat facultatem; hoc quoque declarato, quod ultimus ipsius familiae haeres toties fata castra, castellum & oppidum, cunctasque ipsorum pertinentias, in praejudicium annotatae, & testamentariae dispositionis, & hujus transactionis, malitiose abalienare, & in graviori aliqua summa inscribere nullo modo possit nec valebit; ac si id facere quovis modo praesumeret, ex tunc talis abalienatio, & inscriptio in fraudem praesentis fassionis celebranda nulla sit, & nullum habeat robur eo facto. Sin porro annotati Dom. Comites, vel successores ipsorum ante imminentem ultimi haeredis defectum dicto Domino Episcopo vel Capitulo, aliquod ex praemissis bonis, & juribus possessionariis titulo temporali obligarent, locarent, vel inscriberent, ex tunc semper, antequam ipsa familia ad statum ultimi haeredis devenerit, bona ejusmodi pro se redimendi plenam habeant facultatem: nec hoc praetermisso, quod si quando, ante statum videlicet ultimi haeredis bona ipsa, & jura possessionaria, locationi, hypothecationi, vel alicui alteri legitimae inscriptioni, per legitimos suos de stirpe ipsius familiae possessores exposita fuerint; unde periculum alienationis immineret, exceptis quoque servitoribus in modica aliqua quantitate, summaque tolerabili; ex tunc ipsum Capitulum, & Episcopus pro tempore constitutus, ante omnes alios extraneos, bona ipsa, titulo praemisso locationis, hypothecationis, inscriptionis, ad se recipiendi potiorem habeat auctoritatem; harum nostrarum vigore, & testimonio mediante. Datum Zagrabiae, ipso festo Divi Gregorii Papae. Anno Domini millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quarto.

Episcopus & Capitulum petunt exemplum testamenti.

His litteris Capituli Chasmensis Thomas Kovascevichius hanc notam subjecit: *Hic vero notandum est, quod linea seu propago Comitum Petri, Thomae &c. sit extincta in anno 1706. non sine dolore totius regni Croatiae, quam unice hi Erdodii semper gloriosi incolebant. Alterius vero lineae plures toga & sago illustres etiam de praesenti florent, & floreant. Illud quoque silentio praeterire non licet, quod postquam Capitulum ultra triginta annos in pacifico dominio colonorum & vineae a Thoma Erdodio sibi cessorum, & resignatorum extitisset, quaestio fuerit mota ab Episcopo Martino Borkovichio, praetendente quod quemadmodum extincta familia Erdodiana Episcopus superius memeratorum bonorum in rata medietate successor est futurus, sicut fructus duorum bonorum dimidios tollere deberet. Super quo a diversis jurisperitis, signanter Bononiensibus, opiniones petitae; omnium unanimi sensu agnitum fuit Episcopi praetensionem non cohaerere justitiae, & aequitati; praesertim quod in fassione, ejusmodi colonorum & vineae cessio soli Capitulo, nulla facta Episcopi mentione, saepius exprimatur; & quod de hoc numquam aliquid moverit Borkovichii antecessor, immo nec ipse Bogdanus, qui unus ex transigentibus fuit: quem certo non est verisimile, ut sprevisset, aut neglexisset capere, quod capere poterat & debuerat.* Nunc ad Simonem Episcopum, unde digressi fuimus, revertamur.

Dum Simon huic Ecclesiae praefuit, Slavonia fere perpetuis Turcarum incursionibus obnoxia fuit; nec facile dictu est quas & quantas clades huic regno intulerint. Anno 1522. ut est in Mss. Zagrabiensibus apud Kerelelichium, *Turcae feria tertia ante Nativitatem B. M. V. incursionem magno damno fecerunt, intra fluvios Colapim & Savum.* Ludovicus rex suis ad Capitulum litteris imperavit, ut ipsi & Episcopus rudera veteris Scisciae, quae adhuc extabant sane plurima, transferri juberet ad castellum inter ripas Savi & Colapis exstruendum, quod propugnaculum esset Turcis oppositum & objectum, aditumque illis ad Comitatum Zagrabiensem depopulandum intercluderet: *Petrus Erdeud*, inquit, *in ripis fluminum Savi & Cupae, contra hostium insultus, Fortalicium extruere intendit, sed saxa & lapides deesse dicit, & a nobis supplicat vos & Episcopum moneri, ut lapides, qui ex ruina veteris oppidi Szizegh restarent, frustra terram occupantes ad hujusmodi fabricam toti regno Sclavoniae proficuam daretis; ideo vos serio hortamur,*

Turcarum in Slavoniam incursiones.

Digitized by Google

mur, ut detis. Scripsimus etiam prælato vestro &c. Dat. anno 1523. feria 4. post festum S. Lucæ. Biennio post oppidum & territorium Sirmiense in suam potestatem Turcæ redegerunt. Annum proximum 1526. clades Mohacsiensis funestum Hungariæ & exitialem fecit. Ludovicus rex, prælio cum Solimano rege Turcarum commisso, victus & cæsus in acie occubuit. Cum rege proceres lectissimi e nobilitate Hungaria quam plurimi, Episcopi quinque cum utroque Archiepiscopo Strigoniensi & Colocensi perierunt. Simon quoque Episcopus infelici pugnæ interfuit, sed communem cladem celeri fuga evasit. Proceres Hungariæ, qui supererant, in duas partes distracti sunt; alii Joannem Zapolium Comitem Scepusiensem & Vaivodam Transilvaniæ apud Tochainum regem appellarunt, alii apud Posonium Ferdinando Caroli V. Cæsaris fratri regnum detulerunt. Simon Episcopus Zagrabiensis partes Joannis Zapolii, quoad licuit, constantissime secutus est, a quibus, ut eum abduceret, suoque fratri Ferdinando conciliaret, Maria vidua Ludovici & suas, & litteras Stephani Barthovii Palatini plenas humanitatis atque officii tum ad Simonem Episcopum tum ad Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis dedit. Episcopus ad Canonicos scripsit, ut primarios e Capitulo viros, dignitate, auctoritate, prudentia, usu rerum & exercitatione præditos, & nominatim Andream Rosonensem Episcopum Chasmam mitterent, quos de responso litteris illis reddendo consuleret: *Ad litteras Reginæ*, inquit, *& Palatini, quas suppono Capitulum accepisse, cum & ipse eas acceperim, aliquos e gremio sui ad me mittant, qui longo rerum usu, & dignitate & auctoritate, maxime hoc tempore, alios præcellant, qualis est Andreas Episcopus Rosonensis, Suffraganeus, & Archidiaconus Urbocz, ad notitiam omnium fere procerum, & prælatorum regni Hungariæ, ut major eo considerari nullus possit, quamvis Præpositus, lector, cantor in Capitulo non sit. Hunc propterea mittendum censerem cum quocumque altero, quamvis pro quiete ejus parcendum ipsi videretur, cum non parum fastigii, & inquietudinis, præteritis diebus, mecum subire pro Capituli honore, & incremento status vestri fuerit coactus &c. Datæ sunt Chasmæ anno 1526. in Profesto S. Martini.* Chasmam quidem convenerunt Andreas Episcopus, Petrus Grangya lector, Stephanus Pozederski *Vicarius & Canonicus*. His in consilium adhibitis quid suæ sententiæ & voluntatis esset, palam exponit, sibi deliberatum, & constitutum esse a fide, quam Joanni Zapolio dederat, numquam discedere; magnopere hortatur, postulatque, ut ipsi quoque cum suis fratribus & collegis Joannem pro legitimo rege habeant, eique suam fidem obstringant. Qui missi fuerant, in id nullum a Capitulo mandatum accepisse respondent, nec suæ potestatis & arbitrii esse quidquam super hac re sane gravissima injussu Capituli statuere, ac decernere. Zagrabiam reversi litteras & postulata Episcopi retulerunt, quibus in plenissimo conventu Canonicorum expositis, alii cum Episcopo Joannem Zapolium, alii Ferdinandum præferendum esse censuerunt, alii neutrius partis esse maluerunt. Cum autem nullum litteris sive Reginæ, sive Palatini responsum dedissent, omnes pro hostibus Ferdinandi sunt habiti, præsertim cum nullus e Capitulo, & clero Zagrabiensi Comitiis Crisiensibus interfuerit, quæ Franciscus Battyanus Banus Chrobatiæ & Slavoniæ, ductor copiarum Ferdinandi indixerat. Simon vero nullis minis aut pollicitationibus, nullis periculis & rerum suarum detrimentis ab Joanne avelli potuit: id quod magnam perniciem tum ipsi, tum Ecclesiæ attulit. Milites Ferdinandi in possessiones Ecclesiæ immissi agros ferro & igni vastarunt, Ecclesiam & Capitulum Chasmense plurimis bonis spoliarunt, Toplicense territorium depopulati, Toplicam oppidum Canonicis Zagrabiensibus eripuerunt. Hi vero perterriti Andream Rosonensem Episcopum internuncium, deprecatoremque ad Ferdinandum miserunt; & cum suam ei fidem polliciti essent, litteras regias ad Franciscum Battyanum impetrarunt, quibus jubebatur oppidum ereptum Canonicis restituere; *quia*, inquit, *Capitulum jam debitam obedientiam præstitit. Datæ sunt feria 2. post festum S. Lucæ an. 1527.* Cives montis Græcensis, qui in lege & verba Ferdinandi juraverant, cum sibi a Simone Episcopo & Zapolianis metuerent, per suos legatos Ferdinandi opem auxiliumque imploraverunt. Missus est Nicolaus Comes Turrianus cum militibus Hispanis amplius mille, qui mœnia urbis sicubi collapsa aut labefactata erant, restituit ac firmavit, vallo & fossa circumdedit. Turma militum emissa ad prædas abigendas, & agros episcopales depopulandos, ne ipsis quidem Capitularibus fundis pepercit, eosque devastavit perinde ac si hostiles fuissent; quinimmo cæco quodam furore percita in aream ipsam Capitularem irruit, & Canonicorum ædes diripuit, incendit, evertit. Canonici fuga dilapsi, alii alio abierunt, nonnulli in arcem episcopalem se receperunt, duo vel tres in civitatem Græcensem confugientes, in fidem & clientelam Nicolai Turriani se contulerunt; quos propterea Simon Sacerdotio Canonicali privavit; sed postea illis quod ademerat restituere debuit.

Interea Simon ad muniendam firmandamque arcem episcopalem omni studio curaque incubuit; eique tuendæ præfecit Joannem Vigorovichium natione Chrobatum, virum strenuum, & rei militaris scientissimum. Arcis oppugnationem ne tentare quidem tunc ausus est Turrianus, veritus tum difficultatem loci egregie septi & muniti superandi, tum præstantissimi ducis bellicam virtutem & scientiam; sed postquam aliquot globos ferreos in arcem ejaculatus fuisset, quorum ictu utraque turris basilicæ ab Osvaldo exstructa corruit, ut tradit Kerselichius, jussit milites quaquaversum populabundos discurrere, tecta urere, prædas agere, & præsertim regionem omnem circa Savum vastare ac diripere. At Simon cum Joanne Banfio, & Joanne Thajo Priore Auranæ, ac duobus aliis, qui erant duces primarii factionis Zapolianæ in Slavonia, copias ex eadem regione collectas ad civitatem regiam montis Græcensis admovet, & arcta obsidione cinctam vineis, aggere, & tormentis oppugnare aggreditur. Oppugnationem integrum mensem egregie sustinuit Turrianus; sed annona deficiente jam prope erat, ut de urbe dedenda cum hoste pacisceretur. Verum Rauberus Episcopus Labacensis, & supremus Carnioliæ Præfectus, quo in statu res esset, admonitus, aliquot millia Germanorum, Leonardo Pullero duce, ad ferendum auxilium & commeatum ho-

Simon Episcopus partes Zapolii in regem Hungariæ electi adversus Ferdinandum fratrem Caroli V. secutus.

Milites Ferdinandi Græcensibus præsidio missi,

atque in Episcopales ac Capitulares agros infesti arcem Capitularem incendunt.

Simon arcem Episcopalem munivit.

Civitatem regiam Græcensem obsidit.

Digitized by Google

hostesque depellendos misit. Horum adventu cognito Zapoliani, veriti ne a tergo, a fronte, & lateribus, hostium agminibus circumfusi, omni undique perfugio præcluso ad satietatem cæderentur, obsidionem solvere, & quam citatissimo possent agmine se se abripere festinarunt; profectique in partes interiores Slavoniæ, arcem S. Elisabethæ in Comitatu Crisiensi ad Dravum sitam Zapolianis maxime infestam diruerunt. Turrianus milites Germanos, qui sibi auxilio venerant, cum copiis Hispanorum conjunctos ad episcopalem arcem obsidendam, oppugnandamque duxit anno 1529. Per menses amplius duos omni missilium & armorum genere, æque acriter & constanter oppugnata fuit, atque defensa. Sub initium Septembris Germani & Hispani milites, sive arcis potiundæ spe destituti, sive ex mandato Ferdinandi alio evocati, ut tradit Istvansius, obsidione abscesserunt.

Joannes Zapolius, cum ad resistendum Ferdinando non suppeditarent ipsi vires pares, opem Solimani regis Turcarum imploraverat; cujus adventus non tam illi auxilio, quam regno Hungariæ exitio fuit. Hic siquidem primum Jaiczam primariam Bosinæ civitatem, duasque provincias Likam, & Corbaviam in suam potestatem redegit, deinde ingenti exercitu in Hungariam deducto, post Budam, Strigonium, Jaurinum, aliasque urbes anno 1529. captas, Viennam circumsedit, eamque oppugnare aggreditur. Atque hanc caussam fuisse tradit Nicolaus Istvansius, cur Ferdinandus Hispanos, Germanosque milites ab obsidione arcis episcopalis avocaverit, ut scilicet civitati totius Austriæ principi præsidio essent. Propugnatorum virtute Solimanus depulsus Styriam direptionibus, incendiis, cædibus peragravit, & Slavoniam ingressus, quacumque incessit, omnia ferro igníque vastavit. Post varios præliorum eventus, & plurimas clades ultro citroque illatas & acceptas, demum inter Ferdinandum & Joannem anno 1534. pax ita convenit, ut Joannes, quas obtinebat regiones, præsertim Transilvaniam, quoad viveret, in sua potestate retineret, regioque titulo uteretur, reliqua Hungaria, cum Slavonia, exceptis urbibus & provinciis, quas Turcæ eripuerant, sub imperio Ferdinandi esset. Nec tamen ea pax bello Turcico finem attulit. Cum ergo in ea partitione regni Hungarici, universa Slavonia cum diœcesi Zagrabiensi Ferdinando obtigisset, hujus dominatum Simon Episcopus sibi subeundum, & Ferdinando tamquam regi legitimo parendum esse censuit: id quod & necessitas, non justitia solum postulabat, nisi Ecclesiam sibi concreditam relinquere, solum vertere, atque in eas regiones migrare voluisset, quæ Joanni obvenerant, cujus partes tamdiu secutus est, quoad salvo officio, & salvo jure communi licuit. Nec vero se minus fidelem & obsequentem Ferdinando præstitit, quam antea se Joanni præbuerat.

Pax inter Ferdinandum & Joannem Zapolium constituta.

Ferdinandi erga Episcopum & Capitulum benigna voluntas.

Porro Ferdinandus post civile illud bellum extinctum, in suam fidem & clientelam æque Episcopum & Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis recepit; & licet maximis gravissimisque curis belli Turcici implicitus agitatusque, numquam tamen utrique benefacere desiit. Præcipua vero benevolentia complexus est Canonicos, quorum constans & eximia erga Ferdinandum fides extiterat, quamvis eos Simon suis hortationibus & mandatis urgeret, ut ad partes Joannis Zapolii transirent. In caussa decimarum numquam suam regiam auctoritatem Capitulo deesse passus est: id quod plura ejus jussa declarant, quæ breviter strictimque attigit Kereselichius: *Præter universa Ecclesiæ bona lacerata direpta, ipsas etiam decimas negatas fuisse tot Ferdinandi mandata testantur: sic 1533. prima Maji Viennæ jubet, ut cum Canonicorum domus funditus combustæ essent, iique incertis sedibus vagarentur, turrim Capituli, cum domo & horto in civitate superiori sitam custodiant; decimas item tam præteritas, quam futuras nemini alteri, ac Canonicis, dent ac persolvant, jus nullum in colonos Capituli exerceant; quin Capitulum contra inimicos defendant & protegant; Petro Keglivich committit, ut nolentes Capitulo persolvere decimas compellat. Eadem dat mandata Stephano Ursini Comiti Blagai, qui decimas castri Turan occupaverat ... Item 1535. cum regnicolæ constituissent decimas Capitulo non solvendas, quod Canonici dispersi, immo divisi essent, Ferdinandus Viennæ Dominica Corporis Christi statutum revocat, mandatque reddendas decimas; secus de remedio provisurum. Et cum decimas anni hujus de Zagoria, Selin, Zomzedvara, Szubicza, Zagrabia Petrus Keglevich accepisset, jussu Ferdinandi restituit. Anno demum 1542. cum passim decimæ Capitulo negarentur, severum mandatum in publica regni congregatione Ferdinandi excipitur, in quo mirari se dicit regnicolarum ausus, qui dictis fideles se Ferdinando jactitant, factis autem negant, dum tot ejus mandata respuerent. Hinc deductis Capituli calamitatibus, quas & a Turcis, & civilibus bellis passi sunt, ut ad quotidianum victum necessaria deessent, minus autem intertenendis arcibus ad Turciam sitis sufficerent. Mandat neglectas dari decimas, ne alias divinus cultus nobilis Ecclesiæ cesset, & arces finitimæ in Turcarum potestatem veniant; jubet insuper Christophorum Gnovcvsky Præfectum arcis Zamobor vinctum ad se relegari, quod acceptis Vienna mandatis regiis, decimas non persolverit. His mandatis intellectis, redditæ certatim, & portatæ undique Capitulo decimæ.*

Canonicos Zagrabien. & populos illis subjectos tributis omnibus ad triennium exemit.

Plurima & maxima damna per Turcas tum generatim Slavoniæ & Chrobatiæ, tum speciatim bonis ac possessionibus mensæ Capitularis per hos annos illata fuisse reperio; ac præsertim duo castella capituli Gradez, & Sisciam, direpta ac devastata fuerunt. Quapropter Ferdinandus Canonicos Zagrabienses, & populos illis subjectos ab omni tributo liberos ad triennium & immunes esse jussit, suisque *ad Thomam de Nadas Tavernicum, & Petrum Keglevich de Buzim, Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Banos* litteris declaravit, *quod*, inquit, *bona ejusdem Capituli per Turcas depopulata, & devastata essent; illa autem, quæ supersunt exigua, militis nostri descensu exhausta sint.* Dum Cacianus, seu Cacianerus, alter ex ducibus Ferdinandi expeditionem contra Turcas adornabat, ingenti exercitu ex copiis Hungaricis, Germanis, Slavonicis, & Chrobaticis conflato, Simon Episcopus commeatibus curandis advehendisque præesse jussus est. Magna clades accepta fuit apud Ivancum seu perfidia, sive ignavia ductorum ac militum; Simonem incolumem e prælio fuga præpropera subduxit. Ille animo alieno semper a Canonicis fuit, præsertim postquam se invito ac dehortante, Ferdi-

Simon Ep. fere semper Canonicis infestus.

Digitized by Google

nandi, quam Joannis Zapolii, partes sequi maluerunt. Ut antea, sic postea lites fere perpetuas cum Capitulo habuit, seu propemodum inimicitias gessit. Terras quasdam Capituli vulgo Takas, colonis Capitularibus violenter expulsis, per suos milites occupari jussit, quas tamen ex mandato Ferdinandi, & sententia judicum restituere debuit. Sed cum Joannes Zrinius de finibus litem Episcopo intulisset, eoque res adducta esset, ut exacerbatis utrinque animis, non jure, sed armis decertarent, nec rapinis ac cædibus parcerent, Simon Canonicos ut sibi, in hujusmodi acerrima, & mutuis odiis incensa contentione, fautores haberet, aliqua suæ erga illos beneficæ voluntatis significatione deliniendos censuit. Itaque decretum fecit, in quo primum se Canonicorum vicem dolere ostendit, commiseraturque communes Ecclesiæ calamitates, deinde si quas velint sibi domos exstruere aut jam exstruxerint vel in area Capitulari, quam milites Turriani devastaverant, vel in arce episcopali, quamvis ex proventibus ecclesiasticis ædificatæ forent, illarum tamen dominium penes illos, qui ædificassent, ita esse voluit, ut existimatione facta quanti quæque valeret, dimidium cujusque pretium Ecclesiæ, alterum vero dimidium, quibus vellent, sive consanguineis, sive amicis donandi aut legandi potestatem concessit. Si quis vero in aliam domum migrare vellet, huic totum pretium ab eo persolvi jussit, qui in domum relictam illi succederet.

Decretum Simonis Ep. erga Canonicos benevolum ac perutile.

Nos Simon Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrab. &c. Cum Scriptura divinitus tradita magno consensu doceat Episcoporum esse officium, omnium saluti ac incolumitati, vel suæ vitæ dispendio, succurrere, id quoque omnino agere, ut quemadmodum Christus Dominus noster, in cujus vices successerunt, salvandis omnibus natus, ac demum vitam redimendis nobis suapte sponte impendit; ita Episcopi Vicarii sui, commodis aliorum maxime domesticorum fratrum peculiari diligentia debeant invigilare. Nos igitur qui divina benignitate ad hoc officii episcopalis electi sumus, utique per omnem vitam publica salus Ecclesiæ quoque nostræ, & ejus ministrorum, fratrum videlicet nostrorum charissimorum necessitas dies noctesque animo versatur, memores illius periculosæ ruinæ, qua superioribus disturbiorum annis, mutuis conflictationibus, furentibus quoque privatorum hominum discordiis, non solum Ecclesia nostra præfata, verum etiam ministri ejus fratres nostri Domini Canonici, domusque & bona eorumdem igne, atque deprædationibus haud parum abunde fuerunt vastatæ adeo, ut iidem Domini fratres nostri cogerentur novis ædificiis ruinam, & conflagrationem ædium suarum resarcire. Tum igitur ob perpetuam tantæ ruinæ recordationem, tum vero ut nostra benignitate animi eorum præsentibus malis multum afflicti nonnullam desideratæ spei caperent consolationem; hac immunitate, hocque privilegio cunctis retro sæculis duximus eosdem dignandos, nimirum quod quicumque ex ipsis sive in area Capitulari, sive in hoc ipso castro nostro Zagrabiensi domos, seu habitacula huc usque contraxissent, vel extruerent in futurum, facta præsentibus quatuor personis de Dominis Capitularibus a Capitulo ad id delectis, & architectis ad id peritis, bonæque fidei, justa, & non favore formata, æstimatione, potestatem habeant æqualem medietatem pretii æstimatæ domus, ad reparationem, & restaurationem Ecclesiæ suæ, unde stipem vitæ suæ collegerant, legare; reliquam vero medietatem fratribus, consanguineis, aut amicis necessariis, vel quibus mallent, sive in vita, sive in morte legare, donare, ac de illa pro libito disponere possint & valeant. Simili ratione, quando cuipiam fratrum nostrorum de meliori domo provideremus, æstimationem prioris domus, quam inhabitavit, cujusque æstimatum pretium numeraverat, novus successor priori successori possessori, sive suo prædecessori, totam sortem æstimationis sit obligatus in solidum solvere; ad quæ omnia inviolabiliter observanda Reverendos Dom. Episcopos prædictæ Ecclesiæ nostræ futuros, scilicet successores, nostrosque, & eorum officiales in prædicto castro nostro Zagrabiensi modernos & futuros vigore præsentium monemus, hortamur, astringimus, obligamusque, & obstrictos, obligatosque fore decernimus. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes nostras litteras secreto sigillo nostro annulari impendente, chirographoque roboratas, ipsi Capitulo nostro Zagrabiensi, Dominisque fratribus Canonicis duximus dandas, & concedendas. Datum in Castro nostro prædicto Zagrabiensi penultima mensis Martii. Anno Domini 1540.

Huic diplomati Thomas Kovascevichius hanc notam subjecit: *Hoc privilegium etiam modernis temporibus, dum hæc scribimus, circa dispositiones domuum in area Capitulari pro regula habetur, exceptis ædibus Præpositi, lectoris, cantoris & custodis, de quibus postmodum aliter dispositum est; item exceptis domibus, quæ in arce episcopali per Canonicos constructæ fuerunt, quæ successu temporis, exclusis Canonicis, in potestatem, & usum Episcoporum transierunt.*

Nec vero Canonici, statim atque occasio se obtulit, suam erga Episcopum voluntatem ostendere, & gratiam referre omiserunt. Cum enim castrum quoddam episcopale in magno discrimine versaretur, & nihil propius esset, quam ut in potestatem hostium veniret, ipsi suis custodiis, & præsidiis illud munierunt, ut docet Marcellovichius ad an. 1540. *Ac nisi in continenti cantor aliique Canonici rescivissent, & custodiæ castri episcopalis se apposuissent, castrum in manus hostium & æmulorum Episcopi devenisset in maximum hujus regni periculum.* Credimus, ait Baltassar Kercselichius, *Zrinium pro hoste hic intelligi.* Controversiam de finibus, quæ Simoni fuit cum Comite Zrinio, seu potius hostilem & cruentam contentionem his verbis descripsit Istvanfius: *Simon Episcopus Zagrabiensis cum Joanne Comite de Zrinio controversiam finium regendorum haud levem habebat; quam nec arbitris, nec judicibus dirimendam committebant, vim tamen & injuriam mutuo exercentes: ex qua variæ rapinæ emergebant; majoris minorisque pecoris magnus utrinque numerus abigebatur, ac plerumque miserorum agricolarum, ceterorumque hominum cædes contingebant. Nec Simon, uti sacratum virum decebat, mitius agendo, & jure ac legibus caussam prosequendo, bonum aliis exemplum dare, atque aliquid de jure suo decedere volebat; sed potius, cum in quosdam milites Zrinianos incidisset, partim trucidari eos jusserat, partim captos, ac ferreis compedibus vinctos ad serviles operas compellebat. Contra Joannes militari ingenio, ac juventa ferox & injuriarum impatiens, similia aut majora detrimenta inferre, & armis contumelias ulcisci properabat; postremo Episcopi*

Controversia de finibus inter Episcopum & Comitem Zrinium.

arcem

Digitized by Google

arcem Vinodolam non procul ab Rasztovicza sitam, comparatis, quæ oppugnationi necessaria erant, obsidione cinxit. Cumque aggeres, & vineas ageret, & tormenta collocaret, eoque in opere incautius versaretur, vir nobilissimus a tumultuariis militibus atque agrestibus crassioris sclopeti globo ictus atque interfectus fuit. Cædem ejus ulturus Nicolaus frater illius comparare copias, pedites ex locis mari Adriatico finitimis ad stipendia evocare, equitum suorum numerum mercenariis conductis equitibus augere, ac obsidionem fratris morte solutam repetere & continuare. Verum Ferdinandus gravissimo edicto promulgato ambos sub honoris atque æstimationis jactura, ab incæpto & injuriis mutuis inferendis serio probibuit: Simulque Francisco Josephitio Episcopo Segniensi, Georgio Frangipanio Zlunii Comiti, Balthasari Banfio Thallociano, Stephano Giulano Joannis filio, ac Michaeli Ravenio Prætori Sclavoniæ, in mandatis dedit, ut illos in mutuam pristinæ concordiæ amicitiam reducerent, & omnes controversias jure terminarent. Quorum opera & industria brevi, quamquam haud parvo labore, effectum est, ut captivis utrinque dimissis, ac damnis restitutis, pax firma inter dissidentes componeretur.

Simon rursus Canonicis molestus atque infestus. Cum Canonici nescio quos apud se recepissent, qui Episcopo infesti erant atque inimici, id Simon iniquissimo animo tulit; & perinde ac sibi facta esset injuria, pariter adversarios suos, atque illorum receptores ulcisci decrevit. Oppidanos castri episcopalis ad capitularem aream rursus devastandam ac diripiendam emisit; qui cum alia damna intulissent, tum vero tres domos jam reædificari cœptas combusserunt. Canonici auctoritatem opemque Ferdinandi Cæsaris implorarunt, qui Episcopum graviter severeque admonuit, ut ab hujusmodi malefactis temperaret; & simul Petro Keglevichio Bano Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Sclavoniæ imperavit, ut Capitulum in suam tutelam reciperet, atque ab omni injuria & molestia sartum tectum servaret. Simon suis ad Capitulum litteris e castro Dombrensi datis IV. Idus Julii anno 1541. facti sui rationem reddidit, de qua celatum ab illis Ferdinandum esse queritur: *Venerabiles Fratres charissimi.* Epistola Simonis ad Capitulum plena querimoniæ. *Majestati suæ, tecta caussa, accusatis Castellanos nostros violentiæ, quod in area Capitulari injuria fieret. Vellem scire quibus, & qua causa; forte iniquum vobis videtur, quod ab adversariis pacis, dico meis, exigitur injuria. Doleo tanto studio illos a vobis defendi, & quasi in sinu vestro foveri. Quod si cognovero, sumam ultionem olim de eo, quisquis cum injuria auctoritatis meæ excipere tales solet. Et licet mihi quoque sit jus in area capitulari haud dissimile vestro, si tamen efficere potestis, ut terra vestra ab adversariorum injuria hominibus meis tuta reddatur, patiar & ipse aream capitularem a meorum violentia tutam fore. Ceterum persisto & maneo.* Ceterum Ferdinandus nihilo impensius Capituli, quam Episcopi patrocinium, cum æquitas postulabat, & defensionem suscepit. Castrum Ugram a Bano occupatum, Ferdinandus Ep. restitui jubet. Ugram castellum episcopale Banus occupaverat. De injusta occupatione Ferdinandus a Simone admonitus, statim jussit castrum illud Episcopo & Ecclesiæ restitui, ut docet Marcellovichius: *Anno 1542. circa Divisionem Apostolorum Ferdinandus rex jussit castellum episcopale Vugra, cum pertinentiis castri Zagrabiensis per Stephanum de Giula aulicum suum & commissarium, a Bano occupare, & sequestrare, ac ad manus suas recipere, & mox Simoni Episcopo Zagrabiensi restituere. Sed Stephanus usque ad festum S. Thomæ Apostoli bona tenuit, impositis suis Pixidariis, & universos proventus ac decimas occupavit, ac subditos taxis extraordinariis excoxit. Sub finem hujus anni mortuus; cujus itaque viduam Lucretiam, Sabb. in festo SS. Tiburtii & Valeriani sequentis anni, rationem damnorum Episcopus evocavit.* Temporibus illis perturbatissimis & calamitosissimis, Clades ædium sacrarum. ædes sacræ Zagrabienses dirutæ & combustæ, veluti S. Antonii, S. Nicolai, & S. Martini, hospitii pauperum, & publica valetudinaria eversa, domicilia cœnobitarum deserta, Dominicanum scilicet & Franciscanum. Sed Patres Franciscani postliminio reversi ædes suas receperunt, non item Patres Dominicani, quorum cœnobium in civitate Græcensi militibus Hispanis pro statione assignatum fuit; & post multos annos clericis Societatis Jesu attributum.

Mors Simonis Ep. Funus, sepulcrum, testamentum. In tabulis necrologicis Capituli Zagrabiensis mors Simonis Episcopi ad diem secundam Junii, & annum 1543. affixa est his verbis: 1543. *die secunda mensis Junii Reverendiss. olim Dominus Simon Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis diem suum ultimum clausit Chasmæ. Dein Zagrabiæ in Ecclesia cathedrali ante divinum sepultus est die septima ejusdem mensis. Equi curriferi quidem sex, qui funus ejus duxerant, electissimi & exquisiti, juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, dati sunt Capitulo Zagrabiensi. Item data est Capitulo vestis ejusdem optima, Sabba videlicet mardurina, cum capucio, pallio & rocheto, quæ posita fuerat super feretrum. Eodem die tumulationis oblati fuerunt ad offertorium majoris Missæ plurimi aurei, divisi postea inter Dominos interessentes tumulationi.*

Paucis antequam moreretur diebus perbreve testamentum fecit in hæc verba: *In nomine Domini Amen. Anno ejusdem 1543. in profesto Ascensionis Domini. Ego Simon Episcopus Ecclesiæ Zagrabien. &c. corpusculo quidem ægro, mente tamen vivida, non ignorans diem illum fatalem omnes homines absque delectu manere, de condendo testamento crebro sollicitatus, fidem facio nihil superesse, de quo magnificum testamentum deberet condi. Nam quidquid erat redituum, seu proventuum Episcopatus insumptum est in usus necessarios. Cæterum id, quod pro una tenuitate erat, ex negotiationum videlicet... & agricolatione congestum, dudum miseram ad Chyabrag, ut eo Petrus Palfi nepos meus aliquam portionem illius castri (si regia majestas pro sua clementia liberum facere potest) dissolveret. Hic vero quidquid supellectilium est, id totum committo fidei Dom. Francisci Batthiani, & Petri Palfi dispensandum & in usus pios erogandum. Regiæ majestati vero, Domino & principi clementissimo universos orphanos meos, & ipsum Episcopatum commendo; precorque S. M. ut pro sua clementia castrum Chyabrag ab impositione litis adversariorum liberet, Petrum Palfi, cæterosque orphanos meos moneo & obtestor, ne a fidelitate R. M. quoquo modo desciscant, sed perpetuam fidelitatem retineant. Dominum etiam Franciscum Batthiani precor majorem in modum partes meas, meorumque orphanorum omnium, prout suam magnific. dominationem per Stephanum Praschoczy non ita nuper precatus sum, foveat, amplectaturque ex animo, habiturus mercedem a summo Deo. Ornamen-*

Digitized by Google

namenta omnia episcopalia, pontificalia, & vasa argentea, & quæ fuerant Ecclesiæ meæ Zagrabiensis, & quæ ipse de meo addidi, reposita in sacrario Zagrabiensi, lego reddi Ecclesiæ eidem. Res argenteas omnes, & ornamenta sacerdotalia diversarum Ecclesiarum, quæ metu Turcico, propter dispersionem populi collegeram, juxta eorum inscriptionem committo reddi suis Ecclesiis. Quibus autem debeo, sive famulis meis, sive aliis quibusvis, aut quos offendi, præfati Domin. Batthiani, & Petrus Palfi de his, quæ hic habeo, quantum cuique dividere poterint, satisfaciant; ne clamor, me decedente, oboriatur, qui aures divinas offendat.

NICOLAUS III. EP. ZAGRAB. XLVIII.

Nicolaus Olahus; Cognomento Olahus ex illustri stirpe principum, seu Vaivodarum Valachiæ, natus est Cibinii, quæ princeps civitas est Saxonum in Transilvania, anno 1493. mense Januario, ut ipse in suo chronico scriptum reliquit. Patrem habuit Stephanum virum clarissimum, filium Marinæ sororis Joannis Hunniadis, matrem vero Barbaram Hanzur lectissimam feminam, ut docent ejus Commentarii rerum Hungaricarum, Polonii typis impressi sub initium hujus sæculi. In patria politioribus litteris operam dedit; quibus cum satis imbutus sibi visus esset, anno ætatis decimo septimo in aulam Uladislavi regis profectus, inter honoratos ephebos locum obtinuit. Post interitum Uladislavi, militiæ clericali cum adscribi voluisset, ad Georgium Zakmarium Episcopum Quinqueecclesiensem se contulit, qui eum perhumaniter accepit; & adolescentis indole atque ingenio mirifice delectatus, humanis omnibus divinisque disciplinis erudiendum curavit. Eumdem sibi ab epistolis esse voluit; & annos natum sex & viginti ad collegium Canonicorum Quinqueecclesiensium aggregavit. Cum post obitum Thomæ Bakacsii Zakmarius ad sedem Archiepiscopalem Strigoniensem evectus fuisset an. 1521. Nicolaum secum Strigonium deduxit, itemque Archidiaconum Comaromiensem creavit. (Archidiaconus Comaromiensis,) Zakmario vita functo an. 1524. in aulam Ludovici regis migravit; cui ab epistolis & arcanis consiliis fuit. Biennio post Ludovicus fatali prælio ad Mohacsium commisso, miserandum in modum interiit an. 1526. Hungaria in duas factiones divisa, cum alii Joannem Zapolium, alii Ferdinandum Caroli V. Cæsaris fratrem in regem elegissent, huic Olahus fidem suam obstrinxit, & constantissime servavit. (a Ferdinando rege Præpositus Albensis creatus,) Magna jam tum erat de illius doctrina, eruditione, prudentia, & excellens opinio longe lateque vulgata. Ferdinandus de talis ac tanti viri ad suas partes accessu mirifice sibi placuit; eumque statim, ut aliquid gratiæ referret, præfectura Ecclesiæ Albensis donavit. Carolus Imperator, Ferdinandi frater, quanti Olahum faceret, & quantum ejus perspicaciæ & sollertiæ fideret, satis ostendit, cum illum dari voluit Administrum & Consiliarium Mariæ viduæ Ludovici, suæque sorori, quam provinciis Belgicis regendis præposuit. Anno 1531. in Belgium cum Maria profectus est; hæc nihil decrevit aut gessit, nisi ex Olahi consilio; ejusque operam atque industriam ad gravissima quælibet negotia expedienda, & conficienda adhibuit. Plures annos ibi commoratus, quidquid a publicis rebus otii nancisci poterat, doctissimis exercitationibus, & commentationibus tribuebat. De bellis ac gestis Attilæ commentarios in Belgio composuit & confecit, eruditos oppido & laboriosos, qui ex capitibus duodeviginti constant, inscriptique sunt *Attila*, atque adjuncti ad decades Antonii Bonfinii. E Belgio reversum Ferdinandus Episcopum Zagrabiensem nominavit (& Episcop. Zagrabien.) anno 1543. & amplissima Cancellarii regni dignitate decoravit. Cum episcopalia sacra suscepit, annum ætatis quinquagesimum agebat, ut docet Nicolaus Istvansius, in eo poemate, quod de illius laudibus scripsit:

Sed jam quingenos orbes sol aureus alto
Volvebat cælo, & toties sua signa remensus
Attulerat longos ægris mortalibus annos &c.
Continuo Divum Templis, sacrisque regendis
Te vetus & turrita suum Zagrabia cepit
Pontificem, ac placidam cinxit prima Infula frontem

De Olaho ad sedem Zagrabiensem evecto cum nuncius venisset, ingenti gaudio clerum populumque implevit: (Epistola Capituli ad eum gratulatoria,) quidquid enim erat spei de publicis & afflictis Ecclesiæ rebus, id pene totum ejus episcopatus annis vulgo despondebant; ut satis declarabant litteræ Canonicorum ad eum scriptæ, communis officii, gratulationis, lætitiæ testes. Responsio Olahi ad Capitulum, (& Olahi ad Capitulum responsio.) cui gratias agit pro eximia illius, ac totius cleri & populi erga se voluntate, plena fuit humanitatis, & singularis erga illos benevolentiæ; nihil sibi longius esse, quam ut eos viseret & tamquam filios charissimos complecteretur; ne statim ad eos veniret, impedimento esse curas & occupationes gravissimas, quas sibi offerebat munus cancellarii regis: quod quidem munus Ecclesiæ & Capitulo profuturum esse sperabat, cum utriusque commoda & negotia apud regem curandi majorem facultatem sibi daret; præteritas Slavoniæ calamitates deplorat, futuras atque imminentes, piacularibus sacrificiis & precibus ut avertant, etiam atque etiam hortatur. Hæc epistola data est Viennæ VI. Id. Septembris anno 1543. (Ejus administri, & Vicarius generalis.) Administratorem Episcopatus Georgium Tompam, Oeconomum Stephanum Czegladium constituit, hunc proventibus mensæ episcopalis curandis, illum controversiis civilibus dirimendis, & juri dicundo præesse jussit. Vicarium generalem habuit Paullum Zondinum Canonicum, qui postea fuit Episcopus Rosonensis, ad quem itemque ad Archidiaconos scripsit anno 1544. quibus cum alia multa, tum ea præcipue commendavit, quæ ad splendorem ac dignitatem cultus divini pertinent, in extrema epistola hæc adjiciens: *Si fieri poterit, proximo autumno venire Zagrabiam constitui, ubi mutuo conspectu plura disponemus; speramus fore, ut numquam vos pœniteat nostri*. Sed cum plurimis & maximis rei publicæ, & ecclesiasticæ negotiis perpetuo distineretur, numquam fortasse ei licuit discedere ab aula Ferdinandi, & Ecclesiam suam visere; certe quidem quod postremo loco pollicitus erat numquam fore, ut Zagrabienses sui pœniteret, egregie præstitit, & quamvis abesset, utilius tamen, quam si præsens fuisset, Ecclesiæ suæ rationibus & commodis consuluit. (Ab Ecclesia semper abfuit, sed plurimum ei profuit.) Nec vero dubitandum est, quin multa & magna beneficia per Ferdinandum Ecclesiæ, & Capitulo collata, Olahi precibus, ejusque apud regem auctoritati & gratiæ adscribi debeant; præsertim illud, quod pluribus regiis edictis proceres primarios, veluti *Nicolaum a Salmis & Neuburg*

cubi-

cubiculariorum magistrum Comitem Possoniensem, & capitaneum regium generalem; Lucam Zekell. de Kevend. L. B. in Ormosd exercitus provinciarum Austriæ hereditarium, in regno autem Sclavoniæ supremum capitaneum; Ladislaum Banffii, Georgium Szlunium de Frangipaniis, Petrum Erdodium, & plures alios, decimas Ecclesiæ & Capitulo solvere coegerit; *ne*, inquit, *mysteria divina minuantur, & defensio castrorum finitimorum Capituli negligatur*. Nicolaum Zrinium terras Capituli rapinis, & incendiis, omnique genere inhumanitatis, & sævitiæ devastantem severissimis mandatis coercuit, & ab omni maleficio abstinere jussit. Extat libellus supplex Capituli, quem ipse Olahus Ferdinando in manum dedit & commendavit: *Nullum esse crudelitatis genus, quod non exerceret in Capitulares, rapit subditorum facultates, & in posterum rapiendas minatur, pecora abigit, frumentum onerariis animalibus aufert, vinum, quod consumi non potest, dissectis vasis effundit, supellectilem rusticam omnem tollit, tantam a Christiano homine crudelitatem numquam factam in regno Christiani principis. Feminas & virgines usque ad animæ exhalationem ludibrio haberi, omnia sciente Zrinio Bano, & officiali Cæsareo jurato. Insuper aperte jactat nil sua interesse si Cæsari accusabitur. Supplicat igitur Capitulum, arceri Zrinium, damna solvi, poni ordinem; alioquin nil interest Turcane an Zrinius vastet provinciam, quæ nulli usui futura nec Cæsari, nec reipublicæ, nec Ecclesiæ*. Eodem Olaho Episcopo deprecante, colonos castrorum, cultoresque prædiorum episcopalium, & capitularium, quod plurima rerum suarum detrimenta tum ab extraneis, tum a domesticis hostibus, ac præsertim a Nicolao Zrinio perpessi fuissent, ab omnibus, tum consuetis, tum extraordinariis tributis immunes ac liberos Ferdinandus esse voluit, ut constat ex ejus litteris datis IX. Kalend. Septemb. anno 1548.

Olaho hortatore atque auctore, Canonici castrum apud Sisciam ædificant.

Quam maxime & cordi & curæ Olaho fuisse suam Ecclesiam ac diœcesim vel illud argumento est, quod præcipuus auctor fuerit Capitulo, vehemensque hortator arcis apud veterem Sisciam ad confluentes Colapis & Savi construendæ, quæ Turcis aditum ad Slavoniam intercluderet, & utriusque fluminis opportunitatem, atque navigationem adimeret; suam ad id operam & subsidium pecuniarum pollicitus est; ejusque castelli ædificandi potestatem illis ab rege impetravit; ipsa sacra vasa aurea & argentea, si opus esset, infringi, in eamque ædificationem impendi oportere ait, *quia*, inquit, *aurum habet Ecclesia, non ut servetur, sed ut necessitatibus succuratur*. Auctoritas & hortatio Episcopi valuit apud Canonicos; Emericus Rachinus Archidiaconus Vaschensis, & Canonicus Zagrabiensis operi faciundo præesse jussus; Petrus de Mediolano nobilis architectus ex Italia accitus; jacta sunt fundamenta; arx partim ex ruderibus Sisciæ, partim ex cæmentis & lapidibus aliunde convectis exstructa est, & mœnibus ac propugnaculis validissimis cincta, quæ nunc *Sissek*, sive *Szissegh* appellatur. Ad ejus constructionem Olahus, non solum ipse pecuniam contulit, sed ut vectigales Ecclesiæ & Capituli pro se quisque conferrent, & subsidia cleri, quæ regali ærario pendi solebant, illuc converterentur, decretum a Ferdinando impetravit. At Turcæ cum viderent ejus loci munitione viam sibi ad regiones illas depopulandas intercludi, arcis exstructionem, si quo modo possent, impedire, & jam prope absolutam impugnare, iterum ac sæpius aggressi sunt, præsertim anno 1547. cum collectis undique copiis Sissechium, & Zagrabiam invadere, omniaque conari, ut in suam potestatem redigerent, decreverunt. Ad defensionem utriusque cum sumtus necessarii aliunde non suppeterent, calices, & ceteram sacram supellectilem auream & argenteam, quod Olahus monuerat, conflandam, & impendendam esse censuerunt, ut Georgius Marcellovichius scriptum reliquit. *Anno 1547. jussu Czari omnes Bassæ, Vaivodæ, ceterique primarii Turcæ, & quasi omne robur Turcicum, ex omnibus confiniis collectum in unam expeditionem, Duce Ulama Bassa, cum bombardis, aliisque bellicis instrumentis, reliquas hujus regni partes, signanter Zagrabiam, & Szisszegh capere decreverant. In quo gravissimo periculo, & urgentissima necessitate, cum deesset pecunia pro conservatione castrorum finitimorum Episcopatus & Capituli, signanter Chasmæ, Zagrabiæ, & Szisszegh, ex cathedrali Ecclesia accepta sunt, calix aureus simul cum patena, & quibusdam aliis marcarum duarum & mediæ, ac lott. duorum cum dimidio. Item catenulæ aureæ tres, calices argentei cum patenis tres, thuribulum cum navicula, aliaque vascula argentea parva. Quod argentum, præsentibus Matthia Brumano cantore, Antonio Camarcensi, Michaele Paladino Kemeloch, Luca Chasmensi Archidiaconis a Capitulo deputatis fecit marcas 20. lott. 9. & medium. Ex hac pecunia conducti Haramiæ 40. ad rationem Capituli, menstruatim florenos duos. Decurionibus eorum 4. soluti: carpentarii laborantes in castro Zagrabiensi, pro Chasma & Szisszegh, uti exponitur in rationibus.*

Relicta Zagrabiensi ad Agriensem, & quinquennio post ad Strigoniensem Ecclesiam migravit.

Annus erat æræ vulgaris 1548. cum Olahus Zagrabiensi relicta ad Ecclesiam Agriensem migravit, & post quinquennium ad summum Ecclesiæ Hungaricæ fastigium evectus, regimen metropolis Strigoniensis suscepit, quam per annos fere quattuordecim summa cum laude administravit, nihil studii operæque prætermittens, ut religionem orthodoxam contra impia Lutheri dogmata muniret ac firmaret, cultum divinum augeret, ecclesiasticam disciplinam saluberrimis decretis sanciret. Primus ex præscripto & norma Concilii Tridentini Seminarium clericorum Tyrnaviæ instituit, primus itidem Societatem nostram in Hungariam invexit. Litteras & viros litteratos summopere coluit. Plura ingenii sui & eruditionis monumenta, partim manuscripta, partim typis impressa reliquit, veluti *Chronicon ætatis rerumque suarum; Descriptionem Hungariæ; Attilam*, sive Commentarios rerum ab Attila gestarum.

Libri ab eo conscripti.

De Attila tuo, ait Petrus Nannius in suis ad Olahum litteris, *& Hungariæ descriptione, quid sentiam, sæpius litteris meis testatus sum; cujus me judicii numquam pœnitebit; nisi quod malignius videar, & nimis parce rei laudatissimæ laudes impertiisse. Olim carmine testabimur quantus mihi videare*. Diem supremum obiit Tyrnaviæ XIX. Kalendas Februarii anno 1568. & ibidem honorifice tumulatus est in æde S. Nicolai; eique statua Pontificalis marmorea superposita, & hic titulus sepulcralis subjectus.

Mors, monumentum, & inscriptio.

Sepultura Reverendissimi & Illustrissimi in Christo Patris, & Domini Dom. Nicolai Olahi Archiepiscopi Strigoniensis, locique ejusdem perpetui, & Comitatus Hontensis Comitis, Primatis Hun-

Digitized by Google

Hungariæ, Legati Nati, summi & Secretarii, Cancellarii, Locumtenentis & Consiliarii per Hungariam, nec non Compatris Divorum Ferdinandi & Maximiani Imperatorum & Hungariæ Regum. Moritur anno Domini MDLXVIII. die XIV. Jan. Vixit annos LXXVII. dies quinque.

Conditur hoc marmoreo tumulo Nicolaus Olahi
Qui Præsul vivens Strigoniensis erat.

Hoc autem in loco notandus est Gaspar Angelinus Disenbergensis Abbas, qui in opere *Purpura Dom. Bernardi* inscripto, editoque Coloniensibus typis anno 1644. de Polydoro Cisterciensi Monacho, & Abbate memoriæ prodidit, ipsum Quisponensem fuisse antistitem, & Zagrabiensis Episcopi Coadjutorem an. 1524. „ Polydorus, natione Germanus, Monachus, „ & Abbas S. Victoris Saltzburgensis, electus „ Episcopus Quisponensis Titularis, & Coadju„ tor Zagrabiensis cum futura successione anno „ 1524. die 16. Martii, ut constat ex Actis „ Consistorialibus „. At neque ex Kereselichio, neque ex Kovascevichii monumentis deprehendi, Nicolao Coadjutorem ullum in administranda Zagrabiensi Ecclesia datum unquam fuisse: & si vera Angelino fides, vel morte præreptus Polydorus in Nicolai locum succedere non potuit, vel alia quapiam de caussa successionis jure decessit; siquidem Wolphangus Nicolao suffectus fuit.

WOLPHANGUS EP. ZAGRAB. XLIX.

Ex nobilissima *Giulayorum* familia, unde apud Scriptores alias *Giulay*, alias *Gyulas*, alias denique *Giula* cognominatus est. *Lupum Giulanum* vocat Istvanfius; siquidem quibus est nomen *Wolphangi*, ii Slavis Vuk appellari solent. *Vuk* autem idem valet apud Slavos, quod *Lupus* apud Latinos. Quibus magistratibus & muneribus ecclesiasticis, antequam Episcopus fieret, functus fuerit, nullis litteris proditum invenio. Post Olahum ad Ecclesiam Agriensem translatum anno 1548. intra finem mensis Novembris, Ecclesiam Zagrabiensem regendam suscepit, cui vix integrum annum præfuit; ineunte siquidem anno 1550. e vita decessit, ut docent tabulæ Capituli Zagrabiensis: 1550. *die 24. men. Januar. Reverendissimus olim in Christo Pater Wolffangus de Giula Episcopus Zagrab. Ecclesiæ diem ultimam clausit Posonii, in Diata generali, per regiam majestatem Dominum nostrum clementissimum edicta, illineque reductus, deinde Zagrabiæ in Ecclesia cathedrali retro aram Lucæ Episcopi, sub saxo marmoreo die 10. men. Febr. sepultus est cum funeralibus ceremoniis. Equi curriferi ejusdem sex primarii & electissimi, quibus in vita vehebatur, qui funus ejus duxerant, juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, simul cum curru, & coopertorio ejusdem, dati sunt Capitulo Zagrabiensi; item data est Capitulo vestis ejus optime de panno nigro, & rachetum, quæ posita fuerant super feretrum. Eadem die tumulationis oblati fuerunt ad offertarium majoris Missæ plurimi grossi, divisi postea inter Dom. Canonicos interessentes tumulationi. Auxit Ecclesiæ suæ thesaurum nobilissima mitra aurea gemmata, lapidibus pretiosis ornata, quam plurium millium valor pretiosissimam reddit*. De Wolfango Ep. Zagrab. hæc Vinkovicius: *Cum Franciscani monachi claustra sua Podgraviæ, ac etiam Ivanicziense deseruissent, ipse monasterium Ivanicziense per officiales suos occupari, & hominibus inhabitari fecit pro defensione populi adversus impetus Turcarum ex villis vicinis profugientis. Idem Episcopus Pettheonem quinquaginta militibus militiæ Cæsareæ Præfectum, provisorem bonorum suorum Ivanicensium fecerat; sub quo cum monasterium totum conflagravisset, Pettheo damna refudit, domosque in dicto monasterio combustas reparavit.*

PAULLUS II. EP. ZAGRAB. L.

Familia Gregorianczia in primis inter Slavonicas tum generis nobilitate, tum opibus atque honoribus floruit. Hinc Paullus ortum duxit. Clericali militiæ cum nomen dedisset, ad collegium Canonicorum aggregatus, primum Lectoris, deinde Præpositi majoris dignitatem obtinuit, ut Thomas Kovascevichius tradit. Vir excellenti ingenio, & doctrina fuit, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Cum de aliis gravissimis negotiis, tum præcipue de subsidiis ab bellum Turcicum postulandis orator a Ferdinando missus est anno 1550. ad Summum Pontificem, & Principes Italiæ; idque mandatum habuit, *ut regni statu diligenter exposito, & quantis in periculis laboret Hurgaria, propugnaculum reipublicæ Christianæ, ad confinia tuenda, confirmandaque, subsidium aliquod studeat, porrectis similiter nomine totius regni precibus, a Sua Sanctitate, aliisque Italiæ principibus impetrare*. Nondum Roma discesserat, cum Julius III. Ecclesiam Zagrabiensem ei decrevit, ut est in tabulis Consistorialibus: 4. *Julii* 1550. *providit Ecclesiæ Zagrabien. per obitum bonæ memoriæ Simonis extra curiam Romanam defuncti, de persona D. Pauli de Gregoriancis, presbyteri Zagrabiensis diœcesis &c.* Cum inter Simonem & Paullum duo Episcopi interfuerint, Olahus & Wolphangus, uterque per oblivionem præteritus fuisse videtur. Baltasar Kereselichius Paullum Wolphango præponendum censuit; sed huic illum subjiciunt Nicolaus Istvanfius, Paullus Ritterus, Thomas Kovascevichius, & quod caput est, tabulæ Capituli Zagrabiensis, quæ mortem Wolphangi ad mensem Januarium, & annum 1550. referunt; quibus si fides habenda est, erravit sane Kereselichius, qui post Episcopatum Paulli, initia pontificalia Wolphangi in annum 1554. contulit.

Paullus ex illustrissima gente Gregorianczia, lector, & præpositus major.

Episcopus Zagrabien. proximus non ante, sed post Volphangum.

Perfunctus Italica & Romana legatione, statim atque in Germaniam reversus est, ad Ecclesiam sibi traditam adire decreverat; sed gravioribus curis & negotiis præpeditus, in unum atque alterum annum suam ad Zagrabienses profectionem differre necesse habuit, ut docet Georgius Marcellovichius: *Paullus Episcopus Zagrabiensis expeditis scilicet legationis suæ negotiis, longis itineribus, transversa majori parte Germaniæ, & Italiæ parte, rediit Posonium; quamvis ex urbe directe venire Zagrabiam cogitasset, quod nescio quare impeditus est*. Impedimento scilicet fuit laboriosa illa legum & sanctionum regalium collectio, quæ Paullo, aliisque sapientissimis viris demandata fuit. In Comitiis generalibus anno 1527. Ferdinando tunc electo regi supplicatum tuerat, ut *majestas sua universa decreta prædecessorum suorum, per illos sexdecim electos jurisperitos, & alios, qui majestati suæ videbantur, infra futuram generalem Diatam emendari, emendataque in unum corpus redigi faceret, illaque in ipsa generali Diata*, ex

Collectio legum & sanctionum regalium eidem & aliis sapientissimis viris commissa.

ex consensu omnium statuum hujus regni confirmet gratiose. Sed perturbatio rerum publicarum, incertus exitus & anceps fortuna belli, cum Joanne Zapolio regni competitore suscepti, Ferdinandum ab ea cogitatione euraque avocavit. In Comitiis Tyrnaviensibus an. 1548. iterum & impensius commendatum fuit Ferdinando, ut scilicet omnium superiorum regum decreta colligi, & sicubi correctione indigerent, emendari, redigique in unum quasi corpus juris Hungarici juberet. Negotium datum est *Paullo de Gregoriancziis*, tum Præposito majori Ecclesiæ Zagrabiensis, aliisque clarissimis jurisconsultis, ut opus hujusmodi spissum sane & operosum susciperent, & collatis studiis conficerent. Sed Italica, & Romana legatio Paullum ab eo persequendo abduxit. Regressus in Germaniam, cum nondum illud a sociis absolutum ac perfectum reperisset, laborem intermissum repetere debuit: id quod vel invitum retinuit, ne statim, ut decreverat, ad suam Ecclesiam se conferret, ut supra dictum est. Anno 1551. ineunte prope jam erat, ut ejusmodi collectioni supremam manum imponeret: qua confecta Paullus, si per regem licuisset, nulla interposita mora Zagrabiam proficisci constituerat, ut intelligi potest ex ejus ad Capitulum Zagrabiense litteris, datis xv. Kal. Februarii an. 1551. *cum jam*, inquit, *decreta regni Hungariæ, quibus insudavi, prope finem sint, & mox post adventum suæ majestatis, mihi dandam abeundi facultatem sperarem*. Hoc opus *quadripartitum* inscribitur. Præfatio ad Ferdinandum regem præfixa est, cujus initium est hujusmodi.

Impedimẽto fuit, ne statim Zagrabiam se conferret.

Præfatio ad Ferdinandum

Invictissimo ac Potentissimo Principi, ac D. D. Ferdinando divina favente clementia Romanorum, Hungariæ Bohemiæ &c. Regi semper Augusto, Infanti Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Burgundiæ &c. Principi optimo & clementissimo . . . Paulus de Gregoriancz divina dispositione Zagrabiensis, & Franciscus ab Uilak, Majestatis vestræ in regno Hungariæ Locumtenens, Jauriensis, Episcopi; Michael de Mere personalis præsentiæ Majestatis vestræ in judiciis Locumtenens; Gregorius Sibrik de Szarvanskend consiliarii; Thomas de Kamaria vicejudex curiæ regiæ, Joannes Zomor de Pokatelchy director causarum Majestatis vestræ, ac Martinus Bondenarius J. U. Doctor Præpositus Viennensis, ac ibidem archigymnasii cancellarius, suorum servitiorum humillimam commendationem. Inter præclara illa & eximia Platonis placita, Serenissime rex, & Domine clementissime, quæ ipse in divinis libris suis posteritati scripta reliquit, scite admodum, & vere dictum animadvertimus ex variis cæli locis, vel aspectibus, diversas etiam gigni morum, rituum temperationes, atque adeo ex diversis siderum, corporumque cælestium fluxibus, inferiora hæc diversimode affici, & gubernari: id quod carminibus retulit Joannes quoque ille noster Pannonius, olim Quinqueecclesiensis antistes, dum ait:

Collectoris decretorum regalium.

Scilicet ingenio multum locus addit & aufert,
Inter & est sub quo sydere carmen eat &c.

Anno 1552. opus hoc quadripartitum multis vigiliis & laboribus, summa assiduitate ac diligentia confectum Ferdinandus recognoscendum, & examinandum tradidit proceribus Concilii Germanici. Tria animadversa fuere, quæ regiam majestatem, ac potestatem lædere, coercere, diminuere videbantur, & regum filiis jus hereditarium regni adipiscendi adimebant; quæ proinde delenda, & hæc tria in eorum locum substituenda censebant: videlicet *quod rex nec jure conveniri, nec a quopiam judicari possit. Quod filii regum non per electionem, sed hæreditario jure succedant in regnum. Quod in solo regis arbitrio positum sit Capitaneos, officiales, copiasque suas inter fideles suos regnicolas tenere, grassantes prædatoresque quoscumque de maleficio coercere, punire, vel aliter de iis statuere*. Collectores, & conditores hujus operis negarunt sibi integrum esse aut licere de iis, quæ ex antiquis legum & decretorum codicibus sumserant, injussu universalis Concilii Hungarici, quidquam immutare aut detrahere, multoque minus ea subrogare atque inserere, quæ vetustis Hungariæ legibus & institutis perpetuo multorum ætatum usu confirmatis, aperte officiebant. Quare opus illud & regia approbatione, & publica luce caruit. Hæc accuratius & distinctius ad calcem ejusdem operis MS. adjecta sunt: *Hoc opus decreti multo labore compilatum, tametsi gravi labore, diligentissimoque studio cunctis regni antiquis decretis, consuetudinibusque, & legibus sedulo revolutis, & ruminatis per compilatores congestum, cum regi Ferdinando exhibitum, & perlectum fuisset, Consilio Germanico examinandum revidendumque fuit traditum. A quo (ipso etiam rege Ferdinando non sine indignatione volente) in tribus præsertim articulis, priusquam procedat in publicum, reformandum insinuabatur; nimirum: Quod rex nec jure conveniri, nec a quopiam judicari possit; item: Quod filii regum non per electionem, sed hæreditario jure succedant in regnum; postremo quod in solo regis arbitrio sit positum capitaneos, officiales, copiasque suas inter fideles suos regnicolas tenere, grassantes, prædantesque quoscumque de maleficio coercere, punire, vel aliter de iis statuere. Ad quam regis postulationem Domini prælati Franciscus de Vilak locumtenens regius, Jaurinensis, Paulus de Gregoriancz divina dispositione Zagrabiensis Ecclesiarum Episcopi consiliarii suæ majestatis, principaliores, nomine etiam aliorum suorum collegarum operis fabricatorum, cum omni modestia & submissione, ad perscriptas Vienna, & exhibitas respondentes regi, aptissimis antiquæ consuetudinis, & decreti auctoritatibus propositis, demonstrando & comprobando sibi inconsuetum, ac a pristinis legibus regni alienum, salva sua integritate, interserere operi non licuisse nec licere. Hinc se se excusando, reformationem, deliberationisque totum negotium ad Status regni rejecerunt; cum ex publica regni constitutione opus ipsum cognoscendum fuerit generalibus quoque Comitiis; eis propositum reservandum credi, dum nec aliter opus esse natura possit, nisi majestas sua cum regnicolis fidelibus pariter consentientibus desuper concluserit. Quo concinnatorum responso accepto, rege etiam diffidente posse regni status in suam sententiam pertrahere, destitutum fuit, ut opus in examen publicum proferatur; in præsensque ejus perfectio sub silentio manet. In quo tametsi adhuc pro regni publica utilitate, & juris æquitate aut addendum minuendumve, vel emendandum foret aliquid; dolendum tamen, quod tantus bonorum virorum, jurisperitorum, & legum patriæ peritissimorum labor perpetuo sit suppressus.*

Opus illud regia approbatione, & publica luce caruit.

Paucis ante annis Canonici Chasmenses, cum statio illa ab Turcis infesta esset, qui post non mul-

Canonici Chasmenses stationem suam ab Turcis infestam relinquunt, & Zagrabiam migrant, cleroque Zagrabiensi aggregantur.

multo Chasmam oppidum & castellum, & omnem, quæ circa est, regionem sub imperium redegerunt, templo cum ædibus Capituli direpto & exusto; Zagrabiam confugerant; benigneque recepti sunt, atque ad clerum Zagrabiensem aggregati; cumque proventibus ac bonis, quæ in potestatem Turcarum venerant, spoliati fuissent; ut haberent unde viverent, sacerdotia Ecclesiæ Zagrabiensis, alii alia, Episcoporum concessu, adepti sunt. Vel enim ad Canonicorum, vel ad presbyterorum secundi ordinis, quos vocant præbendarios, collegium adscripti, cum ex alterutro collegio aliquis loco, aut vita decederet, vel denique aliqua alia præfectura ecclesiastica donati fuerunt; ut docet Thomas Kovascevichius. *Quo vero tunc afflicti Canonici Chasmenses se se reciperent, ubi caput reclinarent, locus alter non suppetebat, quam Zagrabia, ubi inter præbendarios chori Ecclesiæ cathedralis sensim annumerati de hujusmodi beneficiorum fructibus, tam illi, quam eorum successores vixere, & de præsenti etiam major illorum pars vivit. Habent etiam Episcopi in consueto hujusmodi Canonicatus parochis emeritis conferre, & eos de ordinario semper sibi adjunctos habent Plebani de Chasma, & de Caproniza.* Nec vero, ut supra diximus, post Ecclesiam illam, & pristinam sedem amissam, collegium Canonicorum Chasmensium dissolutum fuit; nam quamvis intermisti essent vel Canonicis, vel præbendariis Zagrabiensibus, tamen distinctione duorum ordinum alii ab aliis sejuncti unius collegii corpus efficiunt, nomen, jura, privilegia, dignitates Capituli Chasmensis retinent, & sub proprio tum Præposito, tum Archidiacono inter se consociati, suis legibus utuntur, suos agunt conventus, & quæ pertinent ad consociationem communitatemque Capitularem rite sanciunt ac decernunt. Paullo post illorum Zagrabiam adventum, cum jus signi Capitularis Chasmensis, & publicas privatasque chartas obsignandi privilegium in controversiam vocari cœpisset; Ferdinandus rex Hungariæ utrumque illis confirmavit, regali diplomate in hæc verba confecto.

Diploma Ferdinandi.

Nos Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque &c. Rex semper Augustus, infans Hispaniarum, archidux Austriæ, dux Burgundiæ &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit, universis; Quod fideles nostri Capitulum Ecclesiæ Chasmensis per humillimam supplicationem suam nobis declarandum curarunt, quomodo post devastationem & exustionem Capituli in oppido Chasmensi olim existentis, adiumque suarum, atque templi omnibus ornamentis rebusque, & sacris vasis per Turcas Christiani nominis hostes spoliationem, superioribus annis factam, in Capitulum cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis se se commorandi gratia contulisset; ubi tametsi officio suo tam in conscribendis, consignandisque sigillo suo autentico litteris in Capitulo dari, & emanari solitis, quam etiam executionibus faciendis, rite fungi parati essent; opera tamen eorum pauci uterentur, neque fides auctoritasque litteris ipsorum talis præstaretur, qualis præstari deberet, eam solam ob caussam, quod extra Capitulum eorum residerent; supplicantes nobis humiliter, ut cum Chasma, tum propter præmissam caussam, nempe Ecclesiæ Capitularis, totiusque Capituli exustionem, & in agrum conversionem, tum vero propter vicinum hostem Turcam residere non possent, dignaremur sigillum eorum in pristinam auctoritatem asserere; eisque gratiose concedere, ut eo in litteris de more, & consuetudine regni istius nostri Sclavoniæ conficiendis uti, & executiones quoque in publicis regnicolarum nostrorum negotiis veteri eorum more facere possint, & valeant. Nos itaque accepta, & libenter exaudita humili supplicatione dicti Capituli Chasmensis, præmissis caussis sic, ut præmissum est, stantibus & se habentibus, matura intra nos deliberatione, & ex certa nostra scientia, pristinum sigilli eorumdem usum restituentes, id eisdem gratiose duximus annuendum & concedendum, ut ipsi interim, donec Chasmam ad præscriptam Ecclesiam suam, locum itidem residentiæ suæ reverti & ibi residere poterunt, in dicto Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis, tamquam principali eorum Ecclesia pacifice commorantes, ibique perinde, atque in Capitulo suo Chasmensi, universas litteras, & litteralia instrumenta, quæ antea per eosdem dari, conficique, & emanari solitæ fuerunt, conscribere, sigilloque præallegato suo consignare, & his, quorum interest, extra dare: executiones item in publicis regnicolarum nostrorum negotiis, quæ de jure & consuetudine dicti regni nostri Sclavoniæ fieri solent, absque tamen præjudicio dictæ Ecclesiæ, & Capituli Zagrabiensis, obire & facere possint; ita tamen, quod tempore sigillationis quarumcumque litterarum septem, ut moris est, ex eis Canonici interesse debeant; decernentes ut litteris ipsis, quas ibi Capitulares Ecclesiæ Chasmensis præmisso modo emanari fecerint, ubique tam intra, quam extra judicia ab omnibus fides adhibeatur: immo restituimus, annuimusque & concedimus harum nostrarum vigore, & testimonio litterarum. Datum Augustæ Vindelicorum 12. die mens. Septemb. Anno Domini 1550. regnorum nostrorum Romani 20. aliorum vero 24. Nicolaus Olahus Episcopus Agriensis.

Quamvis autem superiore sæculo Chasma, & pleraque bona Capituli Chasmensis Turcis erepta fuerint, nondum tamen hæc, cum sede pristina, ad veteres dominos rediere. Porro, ut Kovascevichius scriptum reliquit, *id unice superest deplorandum Capitulo Chasmensi, quod bona & possessiones eorum, etsi per Turcas aliquando desolata fuerint, attamen ad hæc usque tempora amplius uno & dimidio sæculo per Christianos obtinentur: erecto enim Generalatu Varasdinensi, partim Catholicis, partim Rascianis eædem possessiones repletæ, cum ad statum confinii redactæ sint, & idcirco ex illis etiam de præsenti Capitularibus nullum commodum referre liceat, videtur illis perinde, ac si sub potestate essent barbarorum. Fuere quidem ex ordine Cæsareo ad instantiam regni Sclavoniæ plures celebratæ commissiones, ut bona diversorum regnicolarum similiter pro parte confinii applicata, suis proprietariis redderentur; sed quemadmodum Canonici Chasmenses, ita & posteri illorum, si qui adhuc vivunt, etiamnum feliciora tempora expectare coguntur.*

Georgius Tompa Præpositus major & Episcopus, Episcopi absentis vice fungitur.

Dum Paullus collectioni legum & decretorum absolvendæ operam dabat; Georgius Tompa Præpositus major, idemque Episcopus tituli nescio cujus, quæ ad rem ecclesiasticam pertinebant, studiose diligenterque curabat. De absentia Sebastiani Keresii Archidiaconi cathedralis, quem Paullus apud se detinebat, magna erat Canonicorum querela; ajebant siquidem,

Digitized by Google

dem, cujus partes essent, ut choro, Capitulo, cleroque universo præsideret, eum abesse, suum officium, ac munus negligere non oportere; nec vero deerant, qui ob eam caussam Episcopum subacerbis sermunculis carperent. Quæ cum ad Paullum delata fuissent, scripsit ad Canonicos *se scire quæ singuli, ac in particulari loquerentur, respectum tamen habere illos debere cathedralis ad latus ipsius existentis, cum duos etiam Canonicorum Episcopum habere liceat.* Cum Archidiacono Camarcensi diffidia nescio quæ Canonicis erant, de quibus Paullus Posonii anno 1551. hæc ad Capitulum. *De Camarcensi necdum satis deliberavi quid agendum, qui spontanea resignatione tantum conflavit negotium, ut integrum fieri non possit, & alioquin desidero Capituli existimationem illibatam, & inconcussam.* Hic temporibus multos Slavoniæ proceres in jus Canonici vocarunt, quod vel invaserant in possessiones Capituli, vel ejusdem agros devastarant, vel denique decimarum solutionem abnuebant, inter hos Franciscum Keglevichium Abbatem, sive Præpositum S. Mariæ Topulzkensis, sive Toplicensis, qui Capitulo maxime infestus atque inimicus erat, & plurima damna intulerat. Huic Ferdinandus præfecturam & sacerdotium Toplicense, post discessum monachorum Cistercienfium contulerat sub ea conditione, ut templum & cœnobium restauraret, ipseque vestitum monachalem indueret. Neutrum præstitit. Urbem regiam Montis Græcensis, quæ ex obsidione, & oppugnatione Zapoliana plurimum damni acceperat, Ferdinandus resarciri, & refectis mœnibus, novisque propugnaculis exstructis firmari jussit, remisso & condonato civibus regio tributo, quod *Tricesimas* vocabant, ut illud in eamdem urbem operibus munitionibusque sepiendam impenderent, ut colligitur ex ejus mandatis: *ipsi etiam commissarii diligenter revideant ædificia civitatis montis Græcensis, & expensas per cives ad ea factas, & rationem ab eis de Tricesimis, annuente majestate sua, ad id perceptis accipiant.* Jam induciæ quinque annorum exierant cum Turcis pactæ. Cum Solimanus Elisabetham Joannis Zapolii viduam in regnum Transilvaniæ, unde per Ferdinandum expulsa fuerat, cum Joanne Sigismundo ejus filio reducere decrevisset, rursus Ferdinando & Hungariæ bellum intulit. Pars exercitus Turcici in Slavoniam, & Chrobatiam effusa, villas & agros pervastavit, prædam mistam homines pecoraque abegit. Paullus Episcopus in suis ad Canonicos litteris Viennæ datis v. Id. Septembr. an. 1551. Capituli & Ecclesiæ vicem dolet, bono animo eos esse jubet, Ferdinandum constituisse castrum Sissechium ab illis exstructum, itemque arcem episcopalem Zagrabiensem novis operibus, & validioribus præsidiis ita munire, ut inexpugnabilis utraque hostibus foret. Anno igitur 1553. Ferdinandus Nicolao Zrinio Bano imperavit, ut præfectum cum delectis præsidiariis militibus Sissechium festinare jubeat, qui castrum illud, Slavoniæ & Chrobatiæ propugnaculum, a vi & insidiis Turcarum defendant. Suis vero ad Canonicos litteris Viennæ datis die 15. Julii scripsit in hanc sententiam, ut est apud Kercselichium: *immissis militibus victualia pro pretio suppeditent; in iis, quæ loci custodiam requirunt, præfecto misso omnes obediant, ne alias, cum arcis, & regni, vicinarumque provinciarum periculo, in defensione confusio aliqua oriatur. Præsidiarios habere in mandatis, ne se in reditus, & bona arcis ulla ratione ingerant; & dum necessarii non fuerint, arcem Capitulo restituendam spondet.* Nicolaus Zrinius cum præfecto regio copiarum permanere in arce voluit unum de collegio Canonicorum, qui personam Capituli sustineret, & capitularem ejus loci dominatum repræsentaret: ex quo factum est, ut quicumque deinceps ex Capitulo hujus castri custodiæ & regimini præponitur, militare præfecti, seu capitanei nomen gerat. Cum Transilvania & Hungaria superior bello Turcico arderet, Slavonia & Chrobatia fœdum in modum devastata est, multæque arces, veluti Chasma, Costanicza, Gradecz, Vinodolium, Sore, Hrasztovicza, & aliæ plures in potestatem Turcarum venerunt. Anno 1555. Carolus Imperator rerum humanarum pertæsus regnum Hispaniarum in Philippum filium, imperium in Ferdinandum fratrem regem Hungariæ voluntaria cessione transtulit.

Civitas Græcensis restaurari jubetur.

Bellum Turcicum.

Milites præsidiarii ad Castrum Sissechium tuendum missi salvo jure & dominatu Capituli.

Dum Paullus huic Ecclesiæ præsidebat, Paullus Zondinus Episcopus Rosonensis, Præpositus Strigoniensis, idemque Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis, collegium Bononiæ instituit, in quo aliquot selecti ex Hungaria, & Slavonia clerici alerentur, atque in illa civitate multo doctissima, majoribus disciplinis operam darent. De institutione & progressu hujus operis præstantissimi hæc ex tabulis Zagrabiensibus: *Paullus Zondini Episcopus Rosonensis, ecclesiarum Strigoniensis, & Zagrabiensis Præpositus major, & Canonicus, nec non vicarius & suffraganeus Episcopi Zagrabiensis præbendam Canonicalem deposuit. Hic prima fundamenta collegii Bononiensis pro juvenibus ex Hungaria & Sclavonia quatuor aut sex, juxta qualitatem temporum, & annonæ ubertatem jecit anno 1553. emendo certam possessionem die 7. Augusti, scutatis in auro bis mille tercentis sexaginta. In anno dein 1556. die 19. Novembris emit domum cum curia, & horto datis itidem in auro scutatis 487. & medio, ac tandem sequenti anno 1557. die prima Februarii Ternariæ instrumentum fundationale dedit in lucem; in quo jus patronatus ejusdem collegii voluit esse penes Ven. Capitulum Zagrabiense, obligando illud, ne vel palmum de domo, aut possessione vendere, abalienare, aut pro se appropriare possit; alioquin ipso facto cadat jure patronatus, & idem jus in Capitulum Strigoniense translatum intelligatur; ita quoque, si aliquando ob persecutionem inimici, Capitulum Zagrabiense, Strigoniensi persistente, dilabi deberet. Si vero & hoc exulare cogeretur, ex tunc regi Hungariæ jus patronatus attributum esse voluit; ita tamen, ut idem denuo ad Vener. Capitulum Zagrabiense redeat, ubi, & dum eidem recollecto ad propria redire integrum erit. Illis autem qui ad dictum collegium mitterentur, præscribit ætatem annorum 25. & qui prius in aliquo generali studio per triennium grammaticæ, & logicæ studuissent, atque singulo biennio, vel triennio aliquis de gremio Capituli cum charactere visitatoris eo exmittatur. Hæc & plura alia in supra attacto instrumento fundationali fusius exposita habentur. Cujus deinde collegii confirmatio a Pontifice Gregorio XV. obtenta est in anno 1623. anno videlicet post fundationem 66. Quamquam vero fundator cavisset, ut dictum est, ne de iis, quæ ipse Bononiæ emisset, aliquid umquam vendatur*

Paullus Zondinus Episcopus Rosonensis clericis Hungariæ & Slavoniæ collegium Bononiense fundavit atque instituit.

Digitized by Google

datur, constat tamen ejus primævam possessionem non esse amplius præ manibus collegialium, cum successu temporis mota lite in fidecommisso fundata, rata medietas actori transactionis cessa fuisset, alia vero medietas ejusdem possessionis veluti lacerata, & minus utilis, nec non etiam extra manum constitutæ divendita fuit, & loco illius altera empta. Porro tractu temporis hæc fundatio Zondini a diversis, qui ejus aliquando beneficio usi sunt, magnum accrementum accepit. In anno 1584. Joannes Monoszloy Episcopus Zagrab. huic collegio testamentaliter legavit capitale florenorum Rhenen. octingentorum. Anno 1650. Georgius Draskovich Episcopus Jaurinensis eximius fundatoris æmulator, testamentaria & ipse dispositione dicto collegio deputat summam floren. Rhenen. decem millium, quam Venerab. Capit. manibus consignatam, ut & aureos trecentos a Gregorio Nogisfavay Episcopo Vaciensi, custode & Canonico Jaurinensi adhuc in vivis per manus datos, ratio Nicolai Dianescuich Præpositi Zagrab. ac piarum summarum præfecti clare demonstrat. Præterea circa annum 1695. Michael Duornecovich Episcopus Vaciensis, & ipse olim scholaris hujus collegii, Vaciæ in suæ residentiæ loco, Joanni Koosz Canonico Zagrabien. ad manus consignavit, pro sæpe fato collegio, perpetuo fructificandam summam floren. Rhenen. duorum millium, cui deinde moriens addidit testamentaliter aureos centum. Plures quoque alii, signanter Canonici Zagrabienses, grata beneficentia, piæ huic fundationi augendæ munificam exporrexerunt manum; quorum deinde accumulatis eleemosynis, non solum possessionum, sed & alumnorum numerus auctus est; quin & ipsum collegium (empto adhuc uno fundo propinquiori) adminiculo dictarum eleemosynarum, a fundamentis in debita forma erectum, urbi Bononiensi non modicum addit decorem. Data autem fuit manus huic gravi operi in anno 1690. & post duos annos finis impositus, in quod erogatas esse libras Bononienses 26976. & Bon. 4. constituentes summam floren. Rhenensium 10790. & aliquos grossos, docent rationes Michaelis Simonich, cui pro tunc rectori concredita fuit tanti ædificii inspectio.

Idem Zondinus in suis litteris Tyrnaviæ datis an. 1557. Kalendis Februarii ad suos collegas Canonicos, quos collegii Bononiensis constituerat patronos, eos rogat, *ut dent omnem operam, & sollicitudinem, ut regia auctoritate, & Reverendissimi Dom. Paulli moderni Episcopi Ecclesiæ nostræ Zagrabien. qui in curia Romana multum favoris obtinet, intervenientibus, confirmatio* (collegii ab se conditi) *necessarium sortiatur effectum*. Hanc demum anno 1623. Canonici Zagrabienses impetrarunt a Gregorio XIV. ut supra dictum est. Qui alumnis præsit, unus e collegio Canonicorum Zagrabiensium altero, vel tertio quoque anno mitti solet. Post biennium ab illis litteris Tyrnaviensibus, senex optimus, ac de juventute clericali Hungarica & Slavonica optime meritus, diem supremum obiit, ut docet epistola, quam alumni ejusdem collegii Bononiensis scripserunt ad Episcopum Zagrabiensem Paulli successorem, in qua orbitatem suam deplorant, orantque ut sibi parentis amissi loco esse velit, suisque rationibus & commodis eadem, qua ille, cura & benevolentia prospicere.

(Rector collegii unus de Canonicis Zagrab.)

Amplissimæ Præsul dici vix potest quanto dolore affecti simus audito nuncio, de morte Reverendissimi Domini Paulli Zondini piæ memoriæ Episcopi Rosonensis, qui dum vita frueretur, pro tenuitate sua, collegium nostrum a se fundatum sollicite fovebat, nec aliud cogitabat in ea ætate constitutus ante quam ex hac misera, & ærumnosa vita migravit in illam æternam consuetudinem divinitatis, quam ut collegium recens inchoatum, aliquod principium caperet, cujus desideriis expletis cum voti compos esset factus, hilari vultu decessit; qua felicitate post animæ suæ salutem, quæ possit esse major, non videmus; perpetuum enim nomen rei honestate impressit; & dum natio nostra durat, & hoc celeberrimum gymnasium orbi terrarum notissimum, a diversis frequentabitur nationibus, ejus nomen prædicabitur, quod relictis, & contemptis caducis, & fluxilibus mundi rebus, ad æternitatem se converterit; & non tantum in vita superstes esse utilis voluerit, verum etiam, postquam debitum naturæ solvens in fata concessit, prospexerit cum fructu longæ posteritati, quæ nos secutura est. Hoc consilium utinam, & alii amplecterentur, ac cogitarent in tantis patriæ ruinis, ac tumultibus, bellicis, domesticis, & exteris, & in tanta rabie Turcica, nihil melius, ac utilius esse, quam juventutem bene erudiri, in tali præsertim loco, quem senex studiis elegit. Quia bonus, ac pius pater, ac sanctissimus Dei vir, cum semper amplitudini tuæ fuit addictus; nos quoque qui sumus ipsius alumni, & orphani, ac nunc amplitudini tuæ dediti, una voce per litteras supplicamus, ut velit eadem collegium nostrum recens fundatum benignitate prosequi &c.

(Epistola alumnorum ad Episcopum Zagr. cujus patrocinio, se & collegium commendant.)

Bononiæ tertio Id. Julii 1559.

Viri quidam præclari ex collegio Hungarico Bononiensi, quos Gregorius Patachichius collegit.

Gloria Collegii Hungaro-Illyrici

Bononiæ fundati sub cura Venerabilis Capituli almæ cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis, sive Viri honoribus, & gestis illustres, qui ex hoc collegio prodiverunt; levi calamo adumbrati ac in perennis observantiæ testimonium dicati Reverendissimo DD. Petro Cheonckovich Præposito Posegiensi, Canonico Zagrabiensi, Protonotario Apostolico, & Collegii ejusdem Rectori dignissimo. A Gregorio Patachich de Zaiezda Canonico Zagrabiensi, & sacræ Theologiæ Doctore ex eodem collegio Hungaro-Illyrico.

Anno M. DCXCIX.

Petrus Heressinczy Episcopus Zagrabiensis, postea Jaurinensis, ac regni Hungariæ Cancellarius collegii hujus alumnus anno 1570. & Rector.

Nicolaus Zelniczay Episcopus Quinqueeclesiensis, postea Zagrabiensis collegii hujus alumnus an. 1573.

Gaspar Ztankovachky Episcopus Zagrabiensis, regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Prorex, sacræ Cæsareæ, regiæque majestatis consiliarius intimus, collegii hujus alumnus anno 1574. ac postea Rector.

Franciscus Ergelius Episcopus Vesprimiensis, ac postea Zagrabiensis collegii alumnus anno 1582.

Petrus Domitrovich Episcopus Quinqueeclesiensis, ac postea Zagrabiensis collegii hujus alumnus anno 1595. & Rector.

Benedictus Vinkovich Episcopus Zagrabiensis, collegii hujus alumnus anno 1606. & Rector.

Joan-

Joannes Erdedy Comes de Monyorokerek Episcopus Agriensis, hic collegialis anno 1610.

Martinus Bogdan Episcopus Zagrabiensis collegi hujus Rector anno 1616.

Georgius Draskovich Comes de Trakostain Episcopus Jaurinensis, hic collegialis anno 1622.

Alexander Mirkulich Episcopus Zagrabiensis collegii Alumnus anno 1668.

Stephanus Doichich Episcopus Corbaviensis, & Canonicus Zagrabiensis collegii Alumnus anno 1668. ac postea Rector.

Joannes Babbich Episcopus Scardonensis Abbas de Gotto, cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis Lector, & Canonicus, ejusdemque Episcopi Vicarius generalis, sacræ Cæsareæ regiæque Majestatis Consiliarius, collegii Rector anno 1671.

Michael Duornikovich Episcopus Vaciensis, Præpositus Jaurinensis, & Abbas sacræ Cæsareæ regiæque Majestatis Consiliarius, collegii Alumnus anno 1667.

Stephanus Selischevich Episcopus Zagrabiensis regnorum Croatiæ, & Sclavoniæ Primas, Abbas de Topuska Comitatus Berzeucze supremus, ac perpetuus Comes, sacræ Cæsareæ regiæque Majestatis Consiliarius, collegii hujus Rector anno 1665.

Paulli Ep. ad sedem Jaurinensem translatio.

Paullus Episcopus intra finem anni 1557. Zagrabiensem cum Jaurinensi Ecclesia commutavit. Cum prioris Ecclesiæ administrationem suscepit, quem ante obtinebat, Canonicatum retinuit, & ejusdem fructus post suam ad sedem Jaurinensem translationem per quadriennium percepit, ac postea dimisit. Hujus exemplum secuti sunt, quicumque ex Capitulo ad sedem episcopalem ascenderunt, usque ad Petrum Domitrovichium; idque, ut existimari licet, ex concessione Sedis Apostolicæ, cum valde diminuti essent proventus mensæ episcopalis, cui oppida, villas, agrosque plurimos Turcæ per eos annos eripuerant,

MATTHIAS EPISC. ZAGRAB. LI.

Matthias Brumanus e Præposito majori Ep Zagrabien.

Cui *Brumano* cognomen fuit. In collegio Canonicorum honorificos capitularis dignitatis gradus tenuit; nam Archidiaconus *Bexinensis*, & *Cantor*, ac demum *Præpositus major fuit*. Anno 1558. Episcopus renunciatus cum esset, annos circiter duos (incertum quam ob caussam) & pontificia confirmatione, & episcopali consecratione caruit; utriusque expertem fuisse usque ad mensem Julium anni 1560. Paullus Ritterus tradit. In litteris trinis Ferdinandi Cæsaris, & regis Hungariæ, mense Junio, Septembri, & Novembri datis anno 1558. *Electus* appellatur. Nondum sedis episcopalis possessionem adierat, cum statim Ecclesiæ suæ & jura defendere, & proventus amplificare cœpit. In Comitiis generalibus Slavoniæ decretum fuerat, ut æque coloni, & cultores agrorum Episcopalium, & Capitularium, ac ceteri Slavoniæ populi, communia tributa solverent. Brumanus a Ferdinando impetravit litteras regias, ad *Petrum Erdodium Banum*, & *Ambrosium Litteratum de Gregoriancis Vicebanum*; quos jubet Ecclesiæ Zagrabiensis immunitatem sartam tectam tueri; *cum*, inquit, *statibus regni Sclavoniæ ignotum esse non possit Ecclesiam Zagrabiensem in conservatione castrorum finitimorum sumtibus propriis, & suorum subditorum immolatione plurimum intendere; immo apud regem impensis suis regni negotia agere*. Idem Ferdinandus rogatu Matthiæ Episcopi litteris regiis confirmavit privilegium quoddam Ecclesiæ concessum ab Rege Ludovico, quem *sororium* suum vocat, quippe Maria soror Ferdinandi Ludovico nupserat; *datæ sunt Viennæ die 2. Septemb. an.* 1558. *Nicolao Olaho cancellario, & Archiep. Strigonien. Paullo de Gregoriancz Jaurinensi, Georgio Draskovich Quinqueccclesien. Matthia Brumano electo Zagrabien. Episcopis*. Franciscus Keglevichius Abbas Toplicensis, de quo supra dictum est, vel obierat, vel ob damna & injurias Ecclesiæ Zagrabiensi illatas, ejusque singularem insolentiam, & non ferendam adversus regis mandata contumaciam, eo sacerdotio privatus fuerat. Matthias auctor fuit Ferdinando ut Toplicensem abbatiam cum Episcopatu Zagrabiensi in perpetuum conjungeret; Paullus IV. conjunctionem confirmavit; ex eo Episcopi Zagrabienses *Abbates S. Mariæ de Topuszka*, sive *Toplica* appellari solent; iique tam insigne beneficium, & immortali memoria dignum Matthiæ Brumano acceptum referre debent, ad quos & castella, & proventus, & privilegia omnia transierunt, quæ ad cœnobiarcham ordinis Cisterciensis pertinebant. Anno 1561. v. Kalend. Aprilis populos omnes, qui terras Capituli Zagrabiensis incolebant, ob pecuniam & operam ad constructionem, & munitionem castri Sissechiensis collatam regiis omnibus tributis, tum ordinariis, tum extraordinariis Ferdinandus ad sexennium exemit. Anno 1563. Comitia Posoniensia totius regni Hungarici indicta sunt ad diem secundam Septembris, S. Stephani regis nomine, & cultu consecratam, in quibus ingenti omnium lætitia & gratulatione Maximilianus filius Ferdinandi titulum regni Hungarici, & sacrum diadema suscepit. Ad ea Matthias Episcopus invitatus, dum ad profectionem Posoniensem præparat res necessarias, letalem in morbum incidit, quo extinctus est xv. Kalendas Septembris, & amplissimo funere elatus more decessorum in æde cathedrali sepulchrum obtinuit.

a Ferdinando Cæsare impetravit ut Abbatiã Toplicensem cum Episcopatu Zagrabienſi conjungeret.

GEORGIUS EP. ZAGRAB. LII.

Georgius Draskovichius

Vir magnus, & omnium laudum genere cumulatus, ex antiquissima & nobilissima Draskovichia gente oriundus, quæ jam inde a sæculo undecimo copiis, honoribus, rerum gestarum gloria florebat. Plerique primævam Draskovichiorum originem ab Dalmatia repetendam censent, eorumque majores a regibus Hungariæ duplici Comitatu in provincia Jadertina Cetinensi, ac Tinniniensi, ob egregiam eorum in rempublicam merita, donatos fuisse tradunt; & præterea in Slavonia principatum Hudinæ eisdem attribuunt. Georgius natus est Bilinæ, quæ arx est in Comitatu Jadertino, Nonis Februarii anno 1515. Patrem habuit Bartholomæum virum clarissimum, matrem vero Annam Martinusiam feminam lectissimam, fratres duos, Casparem, & Joannem. Bartholomæus castellis & bonis fere omnibus, quæ possidebat in Dalmatia, amissis, reductisque in potestatem Turcarum, in Chrobatiam migravit, & in castello, cui nomen Svarzi, rerum ac fortunarum suarum sedem collocavit. Georgius Martinusius Annæ frater, qui fuit Episcopus Varadinensis, ac deinde Archiepiscopus Strigoniensis, & Cardinalis, filios sororis suæ educandos apud se, bonisque litteris ac moribus im-

buendos curavit. Ac Joannes quidem, prælio cum Turcis apud Sighetum commisso, animose & fortiter pugnans, pro patria ac religione mortem occubuit. Caspar vero Catharinam Szekeliam pari splendore ac nobilitate feminam duxit uxorem, & nomen ac genus Draskovichium propagavit. At Georgius, ut erat excellenti ingenio, excelsoque animo, ex ipsa puerili disciplina ingentes hausit spiritus, cœpitque magna quædam & alta spectare; & liberalium artium præsidia, quæ ad dignitatem, opesque augendas viam munirent, sibi parare decrevit, ut familiæ decus, quod amplum a majoribus acceperat, majus & auctius posteris traderet. Nec vero præclaris optimi adolescentis studiis avunculus defuit; eique sumptus large effuseque suppeditavit ad omnes humanas divinasque disciplinas primum Cracoviæ, tum Bononiæ, demum Romæ percipiendas, quibuscum variarum linguarum scientiam conjunxit. Ex Italia reversus clericali militiæ nomen dedit, sacris ordinibus initiatus, post nefariam cædem Georgii Cardinalis & Archiepiscopi Strigoniensis avunculi sui, ad Nicolaum Olahum, qui Martinusio in sedem Strigoniensem successit, se contulit. Hic Georgii eximiam doctrinam & eruditionem plurimi fecit, ejusque consiliis ad res difficillimas expediendas, & conficiendas utebatur. Ante Episcopatum æque honorifica atque opulenta sacerdotia adeptus est; nam Canonicus & cantor Ecclesiæ Varadinensis, & Præpositus Posoniensis fuit. Cum Georgii virtus & doctrina nota esset Ferdinando ac perspecta, eum Episcopum Quinqueecclesiensem nominavit anno 1459. nec solum regii *Cancellarii* titulo ac munere cohonestavit, sed etiam, ut aliqui tradunt, moderatorem atque arbitrum suæ conscientiæ delegit, sibique a confessionibus esse voluit. Cum suo delecti essent, qui nomine missuque cleri Hungarici apud Patres Tridentinos legatione fungerentur, videlicet Chanadiensis, & Tininiensis Episcopi; Ferdinandus Georgium ad Synodum Tridentinam legatum decrevit, qui regis Hungariæ partes ageret, & personam sustineret; eique per litteras Pragæ datas anno 1561. XIII. Kalendas Januarias imperavit, ut Tridentum proficisci maturaret: *Te igitur*, inquit, *ex Hungaria, in persona nostra regia, singularem ob morum integritatem, & scientiarum peritiam ad sacrum hoc Concilium mittendum ante omnes eligimus, committimusque fidelitati tuæ, ut nulla interposita mora, vel difficultate, iter maturare velis, neque expectatis aliis, Chanadiensi nempe & Tininiensi, qui pro universo regno Hungariæ proficiscuntur, antecedere; ut ad 15. Januarii Tridenti adesse valeas*. Idem Ferdinandus in suis ad Patres Tridentinos litteris præclarum eximiæ virtutis testimonium Georgio dedit his verbis: *Nolentes sane propter absentiam nostram tam pio & præclaro instituto quidquam impedimenti vel difficultatis injici, aut quidquam a nobis desiderari, quod ad rem juvandam pertinere queat, confisi de singulari pietate, fide, probitate, eruditione, judicio, ac multarum rerum usu, & experientia Reverendi devoti Georgii Drascovichii, Ecclesiæ Quinqueecclesiensis Episcopi, ac consiliarii nostri, fidelis, dilecti; eumdem in solidum solemniter commissarium, oratorem, nuncium, procuratorem, & mandatarium nostrum facimus, constituimus, ordinamus &c.* Ad Concilium cum venisset, de loci primatu aliqua ei controversia fuit cum legato regis Lusitaniæ; quæ quidem e dignitate tum regis Hungariæ, tum regii oratoris, dirempta fuit; quod ipsemet Georgius in oratione, quam habuit in frequentissimo Patrum consessu, cum summa gratissimi animi testificatione declaravit his verbis: *Et quamvis litteras ejusmodi plenæ auctoritatis mandatique, vobis nuper exhibere certas ob caussas non poteram; locum tamen regi Pannoniæ debitum Amplitudines vestræ Illustrissimæ & Reverendiss. non expectatis litteris, quas jam ad manus habeo, mihi dandum & assignandum benignissime adjudicarunt, imo absque mora humanissime assignarunt, & dederunt. Quod Amplitudinum vestrarum egregium & memorabile factum cum vestræ erga Catholicum Imperatorem regemque meum serenissimum observantiæ & amoris sit illustre testimonium, Majestati suæ gratissimum, omnibusque amoris, & benevolentiæ officiis pensandum accidit*. In augustissimo illo tot Episcoporum, Præsulum & principum virorum conventu illustria sapientiæ suæ, religionis, & prudentiæ documenta dedit, adhibitusque cum esset ad res & controversias gravissimas disceptandas, ejus auctoritas magni fuit, & magnam sibi apud omnes existimationem conciliavit. Illud potissimum urgebat, instabatque, ut Patres omni studio curaque ad corrigendos Christianorum mores, & disciplinam ecclesiasticam collapsam restituendam incumberent. Suasor etiam & vehemens auctor erat usus calicis Germanis poscentibus concedendi; quem ipsemet postea, rationum momentis in utramque partem perpensis, improbavit. Absoluto dimissoque Concilio, in Germaniam cum rediisset, intra finem anni 1563. Ferdinandus egregiam illius operam, sibi ac religioni navatam, remunerari cupiens, cum diœcesis Quinqueecclesiensis per Turcas devastata fuisset, eum inde amovit, & Episcopum Zagrabiæ designavit; Pius IV. regiam designationem approbavit. Samuel Timon initia Episcopatus Zagrabiensis Georgio collati in annos posteriores rejecit. Verum vel ante, vel post Tridentinum discessum hanc Ecclesiam illi demandatam fuisse argumento sunt litteræ Ferdinandi Viennæ scriptæ anno 1564. Kalendis Januarii, quibus tributum extraordinarium populis Slavoniæ indixit, ad perficiendum muniendumque castrum Sisschii. In his siquidem nominatur *Georgius Drascovich Episcopus Zagrabiensis*.

Episcopus Quinqueecclesiensis,

Orator Ferdinandi II. ad Concilium Tridentinum missus.

Episcopus Zagrabien. renunciatus, & approbatus

Georgius ergo suscepta Ecclesiæ Zagrabiensis administratione, illud in primis curare omnique studio eniti cœpit, ut clerum & populum sibi commissum ad sanctissimas Concilii Tridentini leges conformaret; omnemque operam adhibuit, ut decreta omnia Tridentina, sive quæ ad dogmata, sive quæ ad mores & disciplinam referuntur, Slavonia universa reciperet; præsertim cum se ipse, totamque vitæ suæ, ac regiminis episcopalis rationem, ad illorum normam composuerit. Conciones crebras, & frequentissimas habuit; & e loco superiori cum divinæ legis præcepta, quibus omnis honestas, & pietas christiana continetur, tum vero sinceram, incorruptamque doctrinam a Patribus Tridentinis traditam ad vulgi captum dilucide explanabat. Totam diœcesim peragravit; ubique pravas opiniones, quæ ex finitimis regionibus Lutheriana peste infectis irrepserant, ex animis hominum penitus evulsit, depravatos populorum & clericorum mores correxit, recte creden-

Acta & decreta Tridentina promulgavit.

Digitized by Google

Tres Synodi diœcesanæ ab eo habitæ.

dendi, recteque vivendi formulam Tridentinis decretis consentaneam tradidit. Semel iterum, ac tertio parochos, præfectosque Ecclesiarum ad Synodum convocavit; & multo sapienter pieque decrevit, sancivit, instituit, quæ ad cultum divinum augendum, & ecclesiasticam disciplinam restituendam, & stabiliendam pertinebant; nihil vero statuebat, quin cum præscriptionibus & legibus Concilii Tridentini congrueret. Paterna omnes caritate complectebatur, omnibus benefacere studebat; si quis ab eo quidpiam sibi aliisque peteret, vel dabat hilare, vel si abnueret, caussas ejusmodi afferebat, ut qui repulsam ferret, se se contemtum nullo modo existimare posset. Sed potissimum in eo eminebat effusa in egentes ac miseros liberalitas, quos tristes & vacuos ab se discedere numquam patiebatur. Annus 1570. insignis fuit annonæ caritate, ac per hyemem præcipue tanta frugum inopia fuit, ut pauperes quorumcumque vel noxiorum eduliorum genere, quod nancisci possent, ad famem depellendam uti cogerentur; ex quo exitiales morbi existerent necesse erat. Tum vero optimus Præsul viscera suæ caritatis patefecit; horrea, cellas, ærarium non aperuit solum, sed penitus exhausit; quidquid enim proventus annui erat, id omne simulque magnam vim pecuniæ in egenos large effuseque erogavit; ex eoque præclarum illud cognomen invenit, ut *Pater Patriæ & Pauperum* una omnium voce appellaretur.

Pater patriæ & pauperum appellatus.

Disciplinæ & continentiæ ecclesiasticæ custos & vindex acerrimus fuit. Quidam e Canonicis, sive instigante Andrea Duditio, qui per summum dedecus ordinis episcopalis ad partes Lutherianas defecerat, sive ea spe decepti, quod propediem fore putabant, ut Sedes Apostolica, multorum precibus exorata, potestatem nubendi presbyteris faceret, uxorem ducere præoccupaverant. Sacrilegi & exsecrandi facinoris ulciscendi, & prorsus a clero suo eliminandi vehementissimo studio exardescens, nihil animadversionis & pœnæ prætermittendum censuit, ut connubia tam nefanda dissolveret, ac ne in posterum fierent, severissime caveret, ac sanciret. Quem vero ab illicito & sceleştissimo concubitu abducere non potuit, eum Sacerdotio privatum exsilio perpetuo multavit. Nihil in Canonicis, nihil in presbyteris cujusque ordinis, nihil in clericis, quod alienum esset a gravitate, modestia, & sanctitate ecclesiastica, impunitum esse patiebatur. Ut Ecclesiam ac diœcesim sibi commissam ab omni hæreseum labe intactam servaret, summam vigilantiam & sollertiam adhibuit; ac Lutherianæ impietati omnem undique aditum interclusit. Quod Synodus Tridentina omnibus Episcopis magnopere commendavit, primus fere omnium id exsequi ac moliri cœpit. Tridento vix redierat, cum præcipuas cogitationes & curas ad Seminarium clericorum instituendum contulit. Dum opportunitas domicilii comparandi, vel condendi facultas & occasio suppeteret, clericos in ædibus episcopalibus pietate ac litteris imbuendos optimis magistris tradidit; quibus deinde & domum, in qua sub communi disciplina vitam & studia colerent, & proventus annuos, unde alerentur, attribuit.

Seminarium clericorum instituit.

De virtutibus eximiis Draskovichii, & rebus ad salutem atque utilitatem gregis sibi concrediti salubriter, & pie gestis, fama præclara, non solum Hungariam & Germaniam peragravit, sed etiam in Italiam, & Romam pervasit, pervenitque ad aures Pii V. sanctissimi Pontificis, qui egregiis ejus institutis mirifice delectatus, has ad eum litteras dedit.

Epistola Pii V. ad Georgium, qua ejus eximias virtutes magnopere commendat.

Venerabili fratri Georgio Episcopo Zagrabiæ. Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Christianæ charitatis affectus, pastoralisque servitutis commune nobis cum Venerabilibus fratribus, & Episcopis nostris vinculum, non sinit nos expertes esse ejus lætitiæ, quam de illorum virtute conceptam, animo percepimus. Itaque cum de tua eximia in Deum Omnipotentem pietate, religionisque Catholicæ studio, ac divini honoris zelo, multa constanti plurimorum fama ad nos allata essent, faciendum esse existimavimus, ut non solum quantopere hæc nobis grata accidissent, tibi significaremus, sed tibi quoque de eis gratularemur. Vera autem gratulatio est, quam non præsentis temporis, aut necessitas temporalis extorquet, aut terrena commendat utilitas, sed quæ de sanctis, bonisque operibus suscepta, cælestis mercedis gloriam habet. Quod enim in gubernando, custodiendoque grege fidei tuæ ab omnipotente Deo commisso, eam prudentiam, vigilantiamque adhibes, ut bonorum tuorum fama istis Pannonici regni finibus non contenta, huc ad nos usque perferatur; hoc gaudendum esse in Domino cognoscimus. Itaque gratias agimus Redemptori nostro, quod inter cætera pietatis suæ dona, ita fraternitatem tuam catholicæ religionis amore incendit, ut quidquid ad ejus conservationem propagationemque pertinere cognoscit, id & diligenter, & alacriter exequi non desistat. Quamvis autem eum, qui adjuvante Deo ita sit animatus, supervacuum videatur esse magis hortari; tamen quia te inter cæteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verba libenter suscipere existimamus, idcirco hortamur, quam ingressus es ad cælum ferentem viam, ab ea ne iter tuum deflectas; donec eo, quo contendis, pervenias. Sit clero populoque tibi commisso vitæ tuæ sanctitas regula, atque norma; ad quam actiones, moresque suos uterque studeat conformare. Mali vitiorum pœnam, boni virtutum præmium, sibi a te expectandum esse intelligant. Hæreticorum venena, ne gregem tuum inficiant, quanta potes diligentia contende. Quo minus ea semper agas, quæ Deo beneplacita sunt, nullius te hominis metus deterreat. Nemo mercedem tuam evacuet. A nobis autem omnia fraternæ charitatis indicia semper expectato: de qua nostra erga te propensione, cum hoc dilecto Francisco Diatalevio copiosius egimus, qui tibi has nostras litteras reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Augusti MDLXIX. Pontificatus nostri anno quarto.

Quem auctoritatis & gratiæ locum Georgius apud Ferdinandum adeptus fuerat, eumdem perpetuo tenuit apud Maximilianum filium, qui anno 1564. æque in imperium, ac regnum Hungariæ parenti successit. Hic fidei, prudentiæ, sollertiæque Draskovichii Episcopi tantum tribuit, ut post mortem Petri Erdeodi anno 1566. extincti, præfecturam trium regnorum ei contulerit, & Banum Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Slavoniæ constituerit. Nec sane opinionem ac spem Maximiliani Georgius fefellit. Erant ea tempora turbulentissima, tum intestinis seditionibus exagitata, tum vero a Turcis maxime infesta. Ille prope solus rempu-

Banus trium regnorum a Maximiliano Cæsare constitutus.

bli-

Digitized by Google

blicam tot procellis ac fluctibus jactatam, ne funditus interiret, suis quasi humeris sustinuit. Concitationem ac seditionem rusticæ plebis, quæ & servilibus laboribus, & acerbissimis exactionibus per suos dominos gravari se opprimique querebatur, vi atque armis compescuit; simulque eorum onera ac tributa diminui jussit; cavitque etiam, ne Præfecti oppidorum & castrorum episcopalium, subjectis Ecclesiæ populis nova & graviora, quam ex decretis Eberhardi & Osvaldi constituta fuerant, sive opera imperarent, sive vectigalia imponerent. Populi inter Savum & Colapim, itemque viri quidam nobiles Turcicæ ditioni confines, cum Turcarum incursiones repellere se posse diffiderent, defectionem ad Turcas cogitare ac moliri cœperant. Hos Georgius sua lenitate & prudentia in fide atque officio continuit, & contra communes hostes confinia regni validissimis præsidiis communivit. Joannes Vaivoda Transilvaniæ, & aliquot ejus regionis & Hungariæ proceres ad imperium Maximiliani depellendum conjuraverant, miserantque clanculum in Slavoniam, qui populos ad rebellionem sollicitarent, audebantque etiam fidem Draskovichii tentare, litteris Vaivodæ ad eum allatis, & amplissimis præmiis atque honoribus propositis. Perfidiam sane exsecrabilem Georgius exhorruit, & submissos ad se nuncios a tali ac tanto scelere gravissimis verbis deterruit. Rem omnem per litteras aperuit Maximiliano, qui prudentissimis & lenissimis Draskovichii consiliis usus, regionem illam pacavit, & principes auctoresque conjurationis ad fidem atque obsequium revocavit, ut scriptum reliquit Nicolaus Istvanfius æqualis illorum temporum, & rerum gestarum testis locupletissimus, qui ad annum 1582. cum jam Draskovichius ad Ecclesiam Jaurinensem transiisset, huic potissimum, & Episcopo Agriensi laudem pacatæ Transilvaniæ attribuit: *Postremo*, inquit, *cum se Draskovichius Jaurinensis, & Radetius Episcopus Agriensis, ac plerique e magnatum numero, qui Cæsaris Consiliis adhibebantur, partes suas interposuissent, proque Cæsare omnia æqua & honesta, ac toleratu haud indigna, promisissent, oblato ab ordinibus ad biennium subsidio, ac iis, quæ ad confiniorum tutelam contribuenda erant, iis contentionibus querelisque finis impositus est*. Et vero Maximilianus, Draskovichii remunerandi caussa ob proditionem Transilvanam patefactam & compressam, Caspari ejus fratri arcem Trakustayn donavit, *ob merita*, inquit, *Georgii Præsulis in nos patremque nostrum*. Nec majorem intestinis discordiis sedandis, quam hostium externorum conatibus coercendis frangendisque laudem affecutus est. Contra Turcas non acie ille quidem, neque armis, sed consilio, vigilantia, providentia in omnes regni partes intenta pugnavit. Nulla fere militaris expeditio suscepta est, nulla pugna commissa, nisi ex ejus præscripto & imperio. Turcarum vires, & exercitus eo creverant, ut nihil propius esse videretur, quam ut universa Slavonia & Chrobatia potirentur. Patriæ defensionem, salutem suam ac libertatem gentes illæ Draskovichio potissimum debent. Collegam Banatus, sive adjutorem habuit Franciscum Zlanium, virum fortissimum, quem rei militari præfecerat, cujus opera ductuque ad bellum gerendum utebatur. Sed Zlanio intra quadriennium extincto, totius reipublicæ civilis ac bellicæ moles in unum Draskovichium incubuit, quam duos fere annos egregie sustinuit. Quantum ejus virtuti ac prudentiæ fideret Maximilianus, declarant creberrimæ hujus ad illum, & illius ad hunc litteræ; ex quibus apparet Maximilianum plurimi fecisse sapientissima monita, & consilia Draskovichii, & nihil opis & subsidii, quod peteret, ei denegasse. Sub initium anni 1574. Maximilianus cum Rodulpho filio, qui ante biennium in Comitiis Posoniensibus rex Hungariæ inauguratus fuerat, profecturus in Bohemiam, uni potissimum Draskovichio non Slavoniæ solum & Chrobatiæ, sed universæ Hungariæ, dum abesset, tutelam, & defensionem commendavit, itemque Carolum fratrem, quem sui absentis locum tenere jusserat. Reducem e Bohemia Georgius rogavit, quod sæpissime ante fecerat, ut se Banalis administrationis onere levaret, quo impensius ad rem Christianam & Ecclesiasticam gerendam omni cura & cogitatione incumberet. Æqua & honesta postulatio visa est Maximiliano, & quam primum liceret, se illius voluntati satisfacturum respondit; interea dum hominem idoneum reperiret, quem in ejus locum subrogaret, eadem fide ac diligentia, quam hactenus ostenderat, traditum sibi munus & officium exsequi pergeret. Cum vero illi successor datus fuerit, seu potius collega cum jure succedendi, hunc ab eo suis præceptis & exemplis ad provinciam illam bene gerendam institui oportere, antequam ipse magistratum illum deponeret. Si quem huic muneri laborioso sane ac difficili aptum noverit, eum nominet, ac Cæsari eligendum proponat. Epistola Maximiliani ad Georgium, & responsio ad ejus petitionem hæc est:

Turcæ per eum a Slavonia depulsi.

Petit ut liceat sibi Banatum deponere.

Maximiliani ad eum responsio.

Reverende fidelis nobis dilecte. E litteris tuis undecima hujus nobis datis, & nunciorum etiam tuorum ad nos missorum relatione intelleximus quantopere officio isto Banatus hactenus abs te perfuncto eliberari desideras. Recordamur equidem petitionum tuarum super inde sæpius frequentatarum; sed cum nullus nunc sit in præsentia, nec collega, nec alius rerum satis peritus, qui te discedente, munus illud statim in se desumere, & sufficienter administrare queat; hisce te benigne monendum duximus, ut aliquanto ulterius, quod si id amplius fieri non possit, saltem tamdiu perseverare velis, donec novus collega tibi adjungatur, isque rationes modosque regiminis hujus Banalis aliquanto magis addiscat, & concipiat. Fuerat quidem electio nostra in Casparem Alapii antea directa, sed quoniam illum se propter insufficientiam etiam excusare cernimus, uti quidem antea per litteras de ea re sententiam tuam poposcimus; ex usu & nostræ, & tuæ rei feceris, si is Alapii se subtrahere perrexerit, ut quem præcipue, & utilissime tibi nunc pro collega adjungendum, postea in tui locum substituendum censeas, nobis denomines, simul etiam alios, qui adhibendi essent, cum uni soli ista administratio, tam late patens, sit aliquanto difficilior futura, nuncupes. Quod cum factum fuerit, te postmodum, si omnino sic tibi animo statueris, clementer dimittere, & quietem petitam concedere haud abnuimus. Quod si ultra non, tamen ad festum D. Georgii saltem ut perseveres, & administratori novo rectas officii semitas demonstres; & te facturum non diffidimus, quomodo clementi nostræ satisfacies voluntati. Dat. in urbe nostra Vienna 27. die mensis

Digitized by Google

sis Septembris, anno Domini 1574. Regnorum nostrorum Romani & Ungariæ duodecimo, Bohemiæ vero vicesimo sexto.

Alapius collega ei datus & successor futurus.

Anno proximo collegam accepit Casparem Alapium, futurum sibi successorem; nec vero ante annum 1578. Banalem Magistratum deposuit; in quo administrando singularis ejus æquitas & justitia potissimum excelluit, *quam demonstrant*, ait Kereselichius, *latæ in foris sententiæ, leges constitutæ, miserorum oppressiones sublevatæ, mensurarum instituta æqualitas, decreta in favorem subditorum, ... imo pervolante fama de Drasckovichii justitia, incolis repleta Slavonia*. Ecclesiasticam cum civili administrationem pari sedulitate conjunxit; idque satis declarant tres Synodi Diœcesanæ, ut supra diximus, quos, dum Banali munere fungebatur, convocavit annis 70., 73., & 74. hujus sæculi, quorum acta & decreta sapientissima deperdita Scriptores rerum Zagrabiensium merito dolent. Jura ecclesiæ suæ vel amissa recuperare, vel strenue tueri nunquam intermisit. Cum in comitiis generalibus anni *1566.* decretum factum fuisset, ut quæcumque antiquæ immunitates quibuscumque concessæ abolerentur, anno proximo in comitiis itidem generalibus caussam prædialium Ecclesiæ & patrocinium ipse suscepit, effecitque, ut ii de sententia Concilii, decreto superioris anni eximerentur, novumque decretum fieret, quod illorum privilegia, de quibus supra dictum est, confirmaret. Incolas Castri, & territorii SiscIensis Capitulo subditos, Georgio Episcopo postulante, solutos & liberos ab omni tributo & munere Maximilianus esse jussit; præsertim cum illis temporibus, sua vigilantia, suis armis partem illam regni Turcis finitimam defenderent. Duas possessiones cœnobii Franciscani Varasdinensis Christophorus Ungnad Præfectus ejus oppidi, atque arcis annua pensione oneratas conduxerat; nec pensionem solvere, nec possessiones reddere, sed in Arcis, cui præerat, commodum, utilitatemque communem convertere volebat, cum diceret Fratres Franciscanos jure possidendi carere, quod tamen cœnobitæ illi Varasdinenses permissu Pontificis, & ex regis decreto peculiari obtinuerant. Hi caussam suam Episcopo commendarunt, qui facile a Maximiliano impetravit, ut & neglectas superiorum annorum pensiones solvi, & prædium utrumque Fratribus restitui juberet; ut ex litteris regiis apparet *datis anno 1572. in festo S. Margaritæ*. Sed illud in primis cordi & curæ Georgio fuit, ut fidem Catholicam ab omni errore intactam servaret; atque ad coercendos & eliminandos hæreticos potestatem utramque Episcopalem & Banalem adhibuit. Qui ab Ecclesia Romana dissentirent, eos vetuit stabilem adipisci possessionem in universa Slavonia, magistratus gerere, honores assequi, quibuscumque muneribus fungi, ac ne serviles quidem artes exercere, aut cuiquam famulatum præbere voluit; id quod postea lege sancitum est. Ita voluntarium exsilium sibi consciscere illos coegit. Rascianos Schismaticos, & omnes vel hæreticæ vel schismaticæ impietatis suspectos proscripsit; hos qui resciperet, suoque patrocinio foveret, eum perfidiæ ac læsæ divinæ regiæque majestatis reum esse declaravit. Michaelem Buchicium, qui cum in ea regione, quæ Dravo & Muræ fluviis interjacet, concionatoris officio fungeretur, perniciosa dogmata spargebat e pulpito, ac populos a recta fide, & Romani Pontificis auctoritate abducere conabatur, in posteriori Synodo Diœcesana diro anathemate confixit, & perpetuo exsilio mulctavit. Severissimum ecclesiasticæ severitatis exemplum edidit in Franciscum Philippovichium Præpositum Chasmensem, & Canonicum ædis Cathedralis Zagrabiensis. Hic manipulum, ex oppidis vicisque ditionis ecclesiasticæ conscriptum, quod Banderium ecclesiæ vocant, anno 1573. ducebat; cum apud Ivanichium in quasdam Turcarum copias incidit, a quibus captus est, & Constantinopolim abductus. Nihil non egit optimus Episcopus, ut eum servitute barbarica eximeret; prope jam erat, ut vel commutatione captivorum, vel pretio soluto redimeretur; cum ille moræ omnis impatiens, carceris pedore, ærumnis, inedia fractus, quo citius libertatem recuperaret, per summam impietatem, ejurato Christi nomine, ad sectam Mahometanam descivit, & Mahometes appellari voluit; atque ut illorum, ad quos defecerat, gratiam sibi conciliaret, pollicitus est, si se Duce uti vellent, Sissechium Castrum intra triduum in potestatem Turcarum redigi posse; & fama fuit cum copiis Turcicis eum adventare, eoque potissimum spectare, ut Sissechio, Ivanichio, & Crisio potiretur. Infandum scelus & immane, quod magno dedecori erat ordini Sacerdotali universo, pœnis omnibus, dirisque exsecrationibus vindicandum esse Georgius existimavit. Infamem apostatam, ex formula rituque Ecclesiæ Zagrabiensis, publico, solemni, horrendo anathemate confixit, extorrem urbe, regno, cœtu congressuque Christianorum declaravit; exemplum sententiæ in eum prolatæ circa omnes urbes, oppida, viros, villasque omnes misit, & ubique in templis primariis promulgari, illorumque januis affigi jussit. Deinde quidquid supellectilis, & rerum aliarum in ejus ædibus repertum est, veluti eodem scelere contactum, carnificis manu comburi voluit, itemque ejus domum, fenestris portisque diffractis, atro colore extrinsecus oblinIri ad terrorem incutiendum; quæ duos fere annos vacua & deserta fuit, cum illam, ob tale ac tantum ejus domini flagitium, veluti inexpiabilem, non solum ingredi, sed etiam contingere, religioni vulgo haberent. Ejusdem subsellium Canonicale evertit, canonicatum in perpetuum sustulit, & abolevit. Duas vineas habebat, omnes vites & arbores extirpari imperavit, ne ullos ex se fructus progignerent. Hæc summæ severitatis exempla in eum edere voluit, ut plurimis prodessent; & si qui deinceps in eamdem captivitatem inciderent, quod temporibus illis sæpe accidebat, eos a tanta impietate deterrerent. Postea & domum, & vineas illas, inflictis in eas, earumque dominum pœnis, quodammodo expiatas ad pristinam culturam, usumque revocandas censuit. Et vineas quidem, unam Petro Herecsinczio Canonico Lectori, alteram uni de Presbyteris secundi ordinis donavit, & utrique eas conferendi colendique potestatem fecit. Ab utroque vocabulo antiqui Domini, Christiano & Turcico, nomen utraque accepit, ac retinet ad sempiternam memoriam tantæ impietatis, ac turpitudinis; altera siquidem *Franciscus*, altera *Mehemet* appellatur. Domum vero Philippovichii anno *1576.* ad Seminarii usum convertit; & Clericos, quos ad eam

Ecclesiæ, & subditorum Ecclesiæ immunitates ac privilegia vindicavit.

Ad hæreticos eliminandos Banalem & Episcopalem potestatem adhibuit.

Præpositū Chasmensem, qui cum captus fuisset a Turcis, a fide defecerat, diris exsecrationibus confixit.

eam diem in ædibus Pontificiis bonis artibus erudiendos curaverat, in eam migrare jussit. Hæc quoque ignominiosam notam suo vocabulo expressam retinuit; & ab illo colore atro, quo extrinsecus oblita fuerat, *Cherna Skola*, idest *schola Nigra* vocitari solet. Proventus sublati, & extincti Canonicatus Seminario attribuit. Tunc numerus Canonicorum diminutus, & ex undetriginta, ad duodetriginta redacti sunt.

Archiepisc. Colocensis designatus.

Dum Georgius Episcopi simul & Bani personam sustinebat, & munus utrumque sedulo naviterque exsequebatur, titulum Archiepiscopi Colocensis & Bacsiensis obtinuit. Cum Ecclesia Bacsiensis initio subjecta esset Metropoli Colocensi, & postea cum hac illa conjuncta, exinde hic Metropolita alias Colocensis, alias Bacsiensis, alias utroque vocabulo denominari solebat. Porro Colocia jampridem sub potestatem Turcarum ceciderat. Itaque Maximilianus Georgium Episcopum Zagrabiensem, tum honoris, tum remunerationis caussa designavit Archiepiscopum Colocensem & Bacsiensem intra finem anni 1572., vel sub initium sequentis. Anno siquidem 1573. tabulis publicis inscriptus, his titulis ornatur: *Georgius Draskovith miseratione divina Ecclesiarum Bacciensis, & Colocensis electus Archiepiscopus, Zagrabiensis Episcopus, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Banus, ac sacræ Cæsareæ regiæque majestatis Consiliarius*. Post obitum Francisci Frangipanii Archiepiscopi Colocensis, & translationem Georgii ad Ecclesia Jaurinensem, Gregorius XIII. regiam designationem, & decretam ei metropolim Colocensem approbavit, ut est in actis consistorialibus. *Anno 1582. 30. Aprilis ad præsentationem Cæsaris provisum est Ecclesiæ Colocensi sub Turca, cui etiam perpetuo unita esse dicitur Ecclesia Bacchiensis, per obitum b. m. Francisci de Frangipanibus ultimi Archiep. vacanti, de Persona Georgii Drascovich Episcopi Jaurinensis in regno Ung., magni Cancellarii, & Consiliarii Cæsarei, cum retentione dictæ Ecclesiæ Jaurinen. in perpetuam administrationem*.

e Zagrabiensi fit Episcopus Jaurinen. Magnus Cancellarius, & Locumtenens regni Hung.

Anno 1576. iv. Id. Octobris Maximilianus Imperator e viris excessit & Rodulphum filium regni Hungariæ & Bohemiæ atque Imperii heredem reliquit, qui ante aliquot annos regni Hungarici titulum & insignia sumserat. Hic anno 1578. in Comitiis Posoniensibus Georgium Jaurinensem Episcopum nominavit, & perhonorifico *Cancellarii* gravissimoque munere cohonestavit; ille vero in iisdem Comitiis Banatum deposuit; successorque eidem datus fuit Christophorus Ungnadus; sed ejus opera ad rem publicam gerendam cum Cæsar ægre careret, eumdem ex Bano regium in Hungaria *Locumtenentem* constituit. Cum clerus ac populus ab eo peterent, & summe contenderent, ut Ecclesiæ Zagrabiensis administrationem retineret, constantissime abnuit, sive quod religio illi esset duo sacerdotia episcopalia simul obtinere, sive quod se utriusque Episcopatus oneri ferendo non esse sibi videretur; præsertim cum futurum esset, ut in eum Colocensis etiam metropolis gubernatio incumberet. Annos fere novem Ecclesiæ Jaurinensi sapientissime, & sanctissime præfuit, quacum anno 1582. Colocensem, & Bacsiensem per-

fit Cardinalis.

missu jussuque Sedis Apostolicæ conjunxit. Ob ejus illustria in rempublicam & Ecclesiam promerita, quibus vim & pondus addebant litteræ commendatitiæ Rodulphi Imperatoris, Sixtus V. Georgium in Cardinalium collegium cooptavit anno 1585., ac titulum Presbyteralem, ad S. Stephani de monte Cælio affixum, ei decrevit. Viennæ rubrum pileolum a Pontifice transmissum, Episcopo Viennensi tradente, solemni ritu ac cærimonia suscepit, ut tradit Nicolaus Istvansius: *Anno 1585. Gregorio vita functo Sixtus V. successit; Cæsare etiam atque etiam commendante, Georgium Draskovichium Episcopum Jaurinensem, & Cancellarium Ungaricum, virum doctrina, & vitæ morumque sanctimonia, & pietate celebrem, in Cardinalium collegium cooptavit, misso ad eum Viennam per Casparem e familia Armorum, Bononiensem Patritium, purpureo galero, quem cum nomine Summi Pontificis in Templo D. Augustini de manu Casparis Episcopi Viennensis accepisset, ipse demum Ernestum, Matthiam, & Maximilianum Austriacos principes Cæsaris Fratres, cærimoniæ ejus spectatores, nec invitatos, sed pro singulari ipsorum humanitate, erga se & benevolentia, ultro venientes convivio excepit*. Societatem nostram plurimum amavit, & quibuscumque potuit beneficiis per quam studiose coluit. Rodulphum summis precibus exoravit, ut Præposituram Thurocientem societati attribueret ad collegium ibidem fundandum, cujus redditibus ali possent tum aliquot Presbyteri, qui Catholicis excolendis, & hæreticis oppugnandis operam darent, tum Magistri, qui juventutem Hungaricam pietate ac litteris imbuerent. Extat diploma Rodulphi, cui subscriptus est *Georgius Cardinalis Colocensis*.

Presbyteris Soc. Jesu Præposituram Thurocientem a Rodulpho Imper attribuendam curavit.

Diploma Cæsareum.

*Nos Rodulphus II. &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Cum ab eo tempore, quo hæreses, Deo ita permittente pullulare passim, & serpere, ac incrementum habere incæperant, non sine nostri regni Hungariæ, ejusdemque ecclesiarum damno factum sit, quod Sacerdotum Catholicorum numerus diminutus est, & per hoc ipse verus & antiquus Dei cultus decrevisse conspiciatur; idque ideo potissimum accidisse comperiamus, quod scholæ Catholicæ, in quibus ipsa juventus erudiri, & ad Sacerdotium, verumque & antiquum Dei cultum commodis instrui potuisset, vel raro admodum, vel propter defectum bonorum, & doctorum præceptorum, ac ipsorum scholarium sustentationem parum frequentatæ, ac celebratæ fuerint; ut itaque ipsa Catholica juventus deinceps per Dei gratiam accrescat, & major habeatur commoditas cum ipsam veram & catholicam religionem palam profitendi ab omnibus, tum etiam honesta litterarum studia amplectendi, & per hoc ad sacrum sacerdotii Ordinem aspirandi; decrevimus benigne, tum pro nostro in ipsam catholicam & antiquam religionem pio zelo, tum etiam ex consilio Dominorum Prælatorum, & Baronum, aliorumque consiliariorum nostrorum, in dictum regnum nostrum Hungariæ, sicut & in cæteris regnis nostris non sive magna utilitate, & propagatione ipsius catholicæ religionis factum est, religiosos clericos Soc. Jesu introducere collegiumque pro iis instituere ac fundare, in quo dicta juventus erudiatur, ex quo velut ex quodam Seminario Catholici Sacerdotes prodire, atque adeo antiquus verus Dei cultus incrementum, & propagationem habere possit. Quapropter ut dicto collegio Soc. Jesu, & personis Deo jugiter famulantibus, atque erudiendæ juventuti perpetuam operam navantibus, de vita aliarumque rerum necessariis queat esse prospectum præposituram conven-

ventus Ecclesiæ Beatissimæ Virginis Mariæ in Comitatu Thurociensi existentem, per mortem & decessum Reverendi quondam Stephani Radetii Episcopi Agriensis, & Locumtenentis olim nostri, ejusdem præposituræ ultimi, veri, & legitimi possessoris, de jure, & de facto vacantem, auctoritate juris patronatus nostri regii, quo in omnibus prædicti nostri regni Hungariæ Ecclesiis, more divorum quondam Hungariæ regum prædecessorum nostrorum bonæ memoriæ, optimo jure utimur, simul cum omnibus ejusdem præposituræ bonis temporalibus, utpote dotalibus, Castro Zaio, nec non oppidis, villis, teloniis, possessionibus prædiis, curiis portionibus, & quibuslibet juribus possessionariis, tam in dicto Thurociensi, quam vero in aliis quibuscumque ejusdem regni nostri Hungariæ Comitatibus existentibus, & habitis ad eamdem præposituram Thurociensem, de jure, & ab antiquo spectantibus, & pertinere debentibus, memorato collegio Jesuitarum applicavimus, dedimus, donavimus, & contulimus; ita & tali conditione, ut sufficientes societatis illius viri Religiosi in eodem collegio, juxta temporis conditionem continue resideant &c. Datum in arce nostra Regia Pragensi 29. Maji. Anno Domini 1586., regnorum nostrorum Romani undecimo, Hungariæ & aliorum 14., Bohemiæ undecimo.

Georgius Cardinalis Colocensis.

Mors Cardinalis Draskovichii.

Anno 1587., cum a Pontifice Romam accersitus esset, Galeri purpurei more majorum sumendi caussa, dum quæ ad Romanum iter necessaria essent, apparabat, dessenterico morbo correptus, pridie Kalendas Februarii Viennæ obiit non sine bonorum omnium dolore acerbissimo, translatusque Jaurinum in æde Cathedrali conditus est, eique filius sororis titulum fecit marmoreæ tabulæ inscriptum.

Georgio Draskovics S. R. E. Tit. S. Stephani de Monte Cæl. Presb. Card. Archiep. Colocen. Episc. Jaurinen. & Comiti. S. C. R. M. Consil., per Hung. Locumten. prius Episc. Quinqueecclesien. Oratori in Conc. Trident. Episc. Zagrabiensi, Dalmat., Croat., Sclav. Bano, per Hung. Cancell. Avunculo suo, muniis vitaque defuncto pridie Cal. Feb. MDLXXXVII.

Veteri per Turcas exciso eversoque, novum ei monumentum posuit Georgius pronepos Episcopus Jaurinensis. *Georgius Draskovics Episcop. Jaurinen. & Comes, Abbas Tornen. Cruciger Soponien. S. C. R. M. Consil. Pronepos, veteri monumento a Turcis labefactato novum posuit pridie Cal. Feb. MDCXXXVII.*

Elogia Georgio a viris doctissimis tributa.

Ciacconius eum *eximiæ doctrinæ & eloquentiæ virum* vocat, & postquam exposuit quibus quantisque honoribus ac muneribus perfunctus fuisset, *antequam*, inquit, *in urbem veniret Cardinalitium Galerum suscepturus pridie Kal. Februarii 1587. Viennæ obiit, & in cathedrali Giavarini Ecclesia sepultus est*. Summis eumdem laudibus cumularunt Scriptores non solum Hungarici, sed etiam extranei, veluti Spondanus, Pallavicinus in Hist. Conc. Trid., Martinus Cabrera, *de Pontificibus*, Petramellarius in *Elogiis*, & alii plures. Nicolaus Istvansius virum, ac vitæ morumque sanctimonia & pietate celebrem appellat. Gregorius Pettho hoc illi encomium tribuit: *Georgius Draskovich fuit vir timens Deum, probus, spectabilis, Sanctus, idemque Cardinalis, Colocensis Archiepiscopus, Jaurinensis Episcopus, Ungariæ Locumtenens*. Georgius Zvettinovichius in sua ad Ztankovichium Episcopum Oratione: *Omitto*, inquit, *hic columen illud praeclarissimum piæ recordationis Cardinalem sacræ Rom. Ecclesiæ, Georgium Draskovich, quo neque sanctitate, neque litterarum, quantum in Episcopo requirendum est, studiis, non liberalitate, non ceteris virtutibus, Ungaria, Sclavonia, Croatiaque præstantiorem habuerunt. Qui adeo virtute, sanctitate praecellebat, adeoque omnium judicio laudabatur, atque nunc etiam summis laudibus extollitur, ut si quid egregium, si quid magnificum, si quid præsule dignum majores natu meminisse volunt, ex illius rebus fortiter gestis, acutè dictis, prudenter administratis, exemplum ducant.*

Ejus opera litteraria.

Plura ingenii sui, doctrinæ, eruditionis, eloquentiæ ornamenta reliquit, quæ Baltassar Kerelelichius percensuit: Sunt autem hæc: *Philosophus verus; Orationes complures sacræ in Conciliis, Synodis, ad populum habitæ; Romani Pontificis, ac Sedis Apostolicæ auctoritas jussu Ferdinandi ad piissimum Ferdinandum, contra Germaniæ sensum demonstrata; Acta denique Concilii Tridentini, & Historia annos illos complectens*; quibus ipse eodem in Concilio interfuit, & Oratoris regii munere functus est apud Patres Tridentinos. *Hoc postremum opus*, ait Kerelelichius, *anno 1730. a Comite Joanne Draskovich cuidam e Consiliariis Caroli VI. fuit submissum, quo devenerit ignoratur. Nos ejus habendi tenuit animus & sollicitudo, sed inane evasit desiderium.*

JOANNES VI. EP. ZAGRAB. LIII.

Joannes Monoszolojus e Præp. Majore Episcop. primo Quinqueecclesien. deinde Zagrabien.

E patrio municipio cognomentum *Monoszlai* assumsit, sed avito cognomine *Krantsicium* appellatum fuisse tradit Thomas Kovascevichius. Primum Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, deinde Præpositus Major, anno 1573. Episcopatum Quinqueecclesiensem obtinuit. Translato ad Ecclesiam Jaurinensem Draskovichio, Rodulphus Imperator Joannem nominavit Episcopum Zagrabiensem; regiam nominationem confirmavit Gregorius XIII.; & vinculo, quo illigatus erat priori ecclesiæ, dissoluto, Zagrabiensibus Episcopum dedit, ut docent Tabulæ Consistoriales: 1578. 29. *Octobris, absolvit R. P. Joannem Monoszlojum Episcopum Quinqueecclesiensem a vinculo ejusdem Ecclesiæ, & transtulit ad Ecclesiam Zagrabien. per supra dictam translationem* (Georgii Drascovichii) *vacantem in provincia Colocensi, in Slavonia existentem, cum retentione compatibilium*. Retinuit autem more superiorum Antistitum Canonicatum Zagrabiensem. Quæ Georgius Drascovichius egregie constituerat, rata esse voluit, & ab omnibus servari jussit; eamdem, quam ille suis vestigiis impressam reliquit, justitiæ, disciplinæ, religionis viam tenuit; totius vitæ suæ, atque administrationis rationem ad leges & decreta Concilii Tridentini exegit; ad hanc regulam mores cleri populique, quo ad ejus fieri potuit, dirigendos curavit. Ladislavum Kerkem Canonicum in eadem flagitia relapsum, e quibus post salubrem admonitionem Draskovichii, seu ficta, seu vera pœnitentia emerserat, loco movit, & bonis omnibus ecclesiasticis mulctavit. Sex fere annos huic Ecclesiæ præfuit; per hos autem annos nulla quies fuit ab incursionibus Turcarum, quibuscum tamen semel atque iterum prospere pugnatum est. Tres arces annis superioribus amissas *Busin*, *Crasin*, *Zri-*

Georgii Draskovichii egregius imitator.

Zrinium nostri recuperarunt anno 1579.; anno autem proximo, Septembri mense, ut est in codice MS. collegii Bononiensis Hungarici, *magna victoria ab hoste reportata Septembri mense in Sclavonia; nam primo apud castellum Poknpszko rustici aliquot Turcas numero 60. in Colapim impulerunt, qui ibi misere perierunt. Secundo Comites Franciscus de Nadasd, Batthian, Zrinius, cum suis militibus versus Posegam obviarunt* Begho Bolegano, *qui Varasdinensem campum igne & ferro consumere decreverat; eo truncato, & capite in Chaktorniam delato, centum quinquaginta vivis captis, reliquis miserabiliter cæsis adeo, ut cadavera Turcarum per unum milliare Hungaricum cæsa jacuerint.* Anno 1584. Ferhatem Præfectum Bosnæ in Slavoniam cum magno exercitu transgressum, postquam populationes late fecisset, multosque captivos abduceret, nostri milites ad Savum adorti, clade ingenti affecerunt; Turcæ ad internecionem cæsi, decem vexilla erepta, captivi ad sexcentos in libertatem vindicati. Eodem anno Joannes tertio nonas Novembris diem supremum obiit; cum antea testamentum fecisset, quod Rodulphus Imperator regali auctoritate confirmavit & communivit. Cæsari ducentos majores aureos, cum pelvi argentea inaurata, pro defensione finium tria millia florenorum, tria millia ad præsidium Castri *Brest*, octingentos collegio Hungarico Bononiensi, totidem pro tecto ædis cathedralis reparando, totidem pariter pro funere sibi faciendo, sexcentos suis consanguineis, ducentos denique adolescentibus legavit, qui Hungaricæ linguæ addiscendæ operam darent. Tutores testamenti Georgium Draskovichium Jaurinensem, & Stephanum Radetium Agriensem Episcopos, Curatores duos Canonicos Nicolaum Zelniczium, & Casparem Grangium constituit. Funere quam amplissimo elatus, in æde cathedrali penes Osvaldum Episcopum, ut ipse in supremis tabulis jusserat, sepultus est, in sacello S. Ladislavi, prope aram S. Paulli Apostoli; & lapidi sepulcrali inscriptus est hic titulus

Res contra Turcas feliciter gestæ.

Hic ossa Reverendissimi Domini Joannis Monoszlai Episc. Zagrabien. requiescunt
Anno 1584. *reposita.*

PETRUS EPISC. ZAGRAB. LIV.

Petrus Heressinczius.

Heressinczio cognomen ei fuit. Ad collegium Canonicorum aggregatus cum fuisset anno 1566., demandata est illi præfectura & custodia castri Capitularis Sisciensis. Hac perfunctus, Archidiaconatum Kemlechensem obtinuit. Postquam Zagrabiæ liberales artes & Philosophiam coluisset, ad studia illarum doctrinarum incumbere decrevit, quæ virum ecclesiasticum maxime decent. Itaque Bononiam profectus anno 1570. in seminario Hungarico Theologiæ & juris utriusque scientiæ operam dedit. Quattuor fere annos in utraque disciplina diligentissime versatus cum fuisset, ex mandato Capituli regimen ejusdem seminarii suscepit. Sed vix integrum annum illis Alumnis præfuerat, cum eum mors patrui Georgii Heressinczii custodis, & Vicarii generalis Zagrabiam revocavit. Redeuntem perbenigne excepit Draskovichius Episcopus, Lectoris nomen & officium ei contulit, ejusque doctrina atque opera ad rem publicam & ecclesiarum regendam plurimum usus est, & anno 1573., cum Joannes Monoszlojus ad Sedem Quinqueecclesiensem evectus, princeps Capituli subsellium vacuum reliquisset, Petrum in ejus locum substituendum curavit, & Præpositi majoris dignitate ornandum. Comitiis Posoniensibus semel atque iterum interfuit, & in augustissimo illo Antistitum & Procerum conventu tam illustria sapientiæ suæ & utriusque juris scientiæ documenta dedit, ut dignus atque idoneus haberetur, qui unus esset de illis, ad quorum disquisitionem & judicium leges & decreta referri solebant, quæ in iisdem comitiis condebantur; neque antea valere, & promulgari poterant, quam recognita ab illis essent, & approbata. Anno 1584. ex nominatione regia, & decreto Pontificio Sedem Tinniniensem obtinuit, quam anno proximo reliquit, cum a Rodulpho designatus fuisset Episcopus Zagrabiensis; ut ex epistola ejusdem Imperatoris ac regis Hungariæ inscripta Capitulo Zagrabiensi colligitur: *Nos, inquit, ex certis causis Episcopatum Zagrabiensem, cum annexa illi Abbatia de Topulska Petro Heressinczi Episcopo Tinniniensi contulimus. Mandamus ut ei omnia bona possessionaria Episcopatus per vos hactenus ex concessione nostra administrata, & res mobiles cum inventario assignetis; ac rationem de administratione facta ei detis. In Arce Pragensi die* 8. *Martii* 1585. Nec vero ante triennium Zagrabiam venit; quippe eum Rodulphus Georgio Draskovichio Archiepiscopo Colocensi, & Episcopo Jaurinensi ad munus regii Cancellarii fungendum adjutorem dedit. Interea Petrus Joannem Ottauczium Archidiaconum Varasdinensem, qui rebus ecclesiasticis præesset, Vicarium generalem, & Nicolaum Mikaczium Cantorem, qui proventus mensæ episcopalis administraret, procuratorem constituit. Dum regio Cancellario operam navabat, Rodulphus remunerationis caussa ei contulit Abbatiam *de Giach*, vectigalibus sane optimis instructam anno 1586. Stephanum Bodouczium Archidiaconum cathedralem ob insignia illius merita, itemque ejus fratris filium, & heredes onere solvendarum decimarum ex quadam vinea, quam possidebat, liberos & immunes esse Petrus voluit, ut constat ex litteris Pragæ scriptis anno 1587. Kalendis Augusti: *Ob merita*, inquit, *in promovenda doctrina evangelica in Ecclesia cathedrali, Stephani Budouczii J. U. Doctoris, & cathedralis Archidiaconi, studio indefesso temporibus retroactis, ac præcipua in hac longa nostra absentia, nil prætermittens, quod ad Prædicatoris munus spectat, eum, ac nepotem ex ejus Fratre Thoma Nicolaum, cum hæredibus a decimis in vinea Rachinsciak in Laschina libertamus.* Duos oratores anno eodem Capitulum misit, Viennam quidem Baltasarem Napalium Canonicum, Pragam vero Georgium Zalatnokium Archidiaconum Urboczensem, tum de repetundis superiorum annorum pensionibus, quas ærarium publicum pro decimis eidem locatis solvere debebat, tum de subsidio postulando pro reparatione parietum, ac tecti præsertim, ædis cathedralis. Utrumque, adnitente potissimum Petro Episcopo, impetratum est; siquidem Imperator quadringentos pro neglectis pensionibus, ter mille florenos ad restaurandam basilicam Zagrabiensem numerari jussit. Cum Georgius Draskovichius Episcopus Jaurinensis, Archiep. Colocensis, & regius Cancellarius anno 1587. sub exitum Januarii objisset, Rodulphus Imperator in Sedem Jaurinensem Petrum sub-

Præpositus Major.

Episcopus Tinniniensis, deinde Zagrabiensis, & Abbas Topulskensis

absens per Joannem Ottauczium Vicarium Gener. Ecclesiam administravit

Digitized by Google

substituit, & cum Episcopatu Jaurinensi manus Cancellarii eidem contulit. Dum exspectantur litteræ pontificiæ, quibus ab una ad alteram Ecclesiam transeundi potestas ei fieret, utrumque episcopatum retinuit. Exinde in suis litteris hos sibi titulos inscripsit: *Petrus Heresinczi Ecclesiarum Jaurinensis & Zagrabiensis Episcopus, Abbas de Topuscka, & Giak, suæ majestatis Cæsareæ regiæ Consiliarius, & summus regni Cancellarius.* Cum Præpositus major, itemque lector Ecclesiæ Zagrabiensis, certis ac propriis ædibus carerent, suum utrique domicilium in area Capitulari assignavit, ut docent ejus litteræ, quas Pragæ scripsit idibus Octobris anno 1587.

Fit Episcopus Jaurinensis & administrationem Ecclesiæ Zagrab. retinuit.

Præposito majori, & lectori certum in area Capitulari domicilium assignavit.

Nos Petrus Hereſſinczy Dei gratia Zagrabiensis & Jaurinensis Ecclesiæ Episcopus, ac Ecclesiæ Beatissimæ Virginis Mariæ de Thopuszka, & Gyak Abbas, nec non sacræ Cæsareæ regiæque majestatis Consiliarius, & summus per Hungariam Cancellarium &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit, universis; quod nos ex animo nostro cupientes, non solum veterem & approbatam Capituli dictæ Ecclesiæ Zagrabien. nostræ formam, ac consuetudinem in suo statu, prouti a prædecessoribus nostris olim instituta, & ordinata esse dignoscitur, illibate conservare; verum etiam ea, quæ temporum injuria immutata forent, pro posse nostro restaurare; idcirco domus, seu curias Venerabilium Præpositi majoris & lectoris, quæ inter alias domos, & fundos canonicales in ipsa area Capitulari existentes, & habitas a fundatione dicti Capituli nostri, dignitatibus annexæ, ac liberæ, vetustate tamen, & temporum procellis solo æquatæ manifeste cognoscebantur, designandas esse existimavimus. Atque primum domum quamdam lateritiam in dicta area nostra Capitulari per Reverendum quondam Dominum piæ memoriæ Georgium Hereſſinczy Custodem & Canonicum ejusdem Ecclesiæ, patruum nostrum charissimum extructam, ac a parte Occidentali inter duos fundos canonicales sitam, in quibus ad præsens a Septentrionali Vener. Dominus Matthias Dombrinus Camarcensis, a meridionali Caspar Granya Bexin. Archidiaconi, & dictæ Ecclesiæ nostræ Canonici resident; post nostram ad hunc Episcopatum promotionem. Reverendo Caspari Ztankovachky ut Præposito Majori, ac pro subsequentibus quoque Præpositis Majoribus, ad inhabitandum resignatam sub censu centum & viginti quinque tallerorum, vel prout ipsis de inhabitatione ejus transigere visum fuerit, sine tamen præjudicio Ecclesiæ nostræ præfatæ, ipsi præposituræ majori concedimus. Aliam vero similiter domum lateritiam, quæ penes piscinam a parte Orientali in eadem area Capitulari inter alios duos fundos Canonicales, quos ad præsens a meridionali Vener. Stephanus Budoczy Cathedralis, a Septemtrionali Martinus Zempchinus Dubiacensis Archidiaconi & Canonici inhabitant, extructa & sita est, quamque nunc Reverendus Nicolaus Zelniczey Lector more suorum prædecessorum inhabitat, ipsi Lectoratui, utpote jam inde a memoria hominum; sine omni æstimatione, & solutione per Lectores ejusdem Ecclesiæ nostræ libere possessam absque omni solutione & gravamine, annectendas & applicandas duximus, prout annectimus & applicamus præsentium per vigorem; in cujus rei memoriam, & testimonium, firmitatemque perpetuam præsentes litteras nostras, manus nostræ propriæ subscriptione, & autentici sigilli nostri impressione communitas, & roboratas, Præposito Majori, & Lectori, eorumdemque successoribus universis dandas duximus & concedendas. Datum Pragæ 15. die mensis Octobris, anno Domini 1587. Idem qui supra Petrus Episcopus Zagrabiensis & Jaurinensis.

Sub initium anni 1588. Nicolaus Zelniczey Lector, & Orator ad comitia Posoniensia missus, Canonicos admonuit de proximo adventu Petri Episcopi, scilicet post vel ante conventum Varasdinensem, qui ad diem vicesimam primam Februarii indictus fuerat: *Finita jam dieta (Posoniensi) Episcopus noster Zagrabiensis propediem istuc veniet, postquam interfuerit Congregationi regni, per Banum undecima Januarii Posonio jam Varasdini indictæ, pro die 21. Februarii; in qua Oratores conclusos in Dieta articulos referemus; crediturque Archidux Carolus, aut ipse, aut per Speciales Commissarios suos compariturus aderit. Et vel ante vel post Congregationem, ingressum tandem suum intendit. Quod significo, ut eum in die ingressus sui pro more excipiant. Dat. Petovii die 21. Januarii 1588.* Sed vix ad gubernacula Ecclesiæ sibi traditæ accesserat, cum eum Cæsar Pragam revocavit, ut apud se Cancellarii munere fungeretur. Hoc eodem anno Sixtus V. Petrum e vinculo, quo Ecclesiæ Zagrabiensi adstrictus tenebatur, exemptum, Ecclesiæ Jaurinensi præfecit, regiæ nominationi obsecundans; ut est in tabulis consistorialibus: *26. Octob. 1588. Absolvit Reverendiss. P. Petrum Episcopum Zagrabiensem e vinculo ejusdem Ecclesiæ; & ad nominationem Cæs. majestatis reg. Hung., transtulit ad Ecclesiam Jaurinen. per obitum b. m. Cardin. Colocen. vacantem.* Post biennium, Pragæ dum esset, repentina morte sublatus est, translatusque Jaurinum in æde cathedrali conditus fuit. Paullus Fuichichius medicus physicus, memoris gratique animi caussa titulum fecit.

Zagrabiam venit, ac paullo post discessit a Cæsare revocatus, & Episc. Zagrab. deposuit.

Reverendissimo D. D. Petro Hereſſinczii Episc. Jaurinen., & Cons. perpetuo S. C. Reg. M., summo per Hungar. Cancellario Paulus Fuichich Philosoph. & Medic. D. Patrono meritissimo P. Obiit Pragæ X. Junii MDXC.

CASPAR EPISC. ZAGRAB. LV.

Caspar Ztzankovachius.

Ex illustrissima familia Ztzankovachia, cui cum Draskovichia communio sanguinis intercedebat. Ab incunabulis in sinu optimæ parentis & matronæ religiosissimæ educatus, pueritiam egit ex ejusdem sanctissima disciplina. Adolescentia ineunte profectus est in Aulam Georgii Draskovichii Episcopi consanguinei sui, qui eum latinis litteris & bonis moribus sollerti magistro imbuendum tradidit. Ab eo primum Viennam, deinde Bononiam missus, Philosophiæ, Theologiæ, juris utriusque doctrinæ diligentem operam navavit. Bononiæ, dum in eas, quas dixi, disciplinas incumberet, absentem in collegium Canonicorum retulit. Post confectum studiorum curriculum, jubente Capitulo, regimen seminarii Bononiensis Hungarici suscepit. Eidem Draskovichius a Rodulpho Imperatore conferendam curavit Præposituram Chasmensem, & Glongocensem, quæ cum Chasmensi conjuncta fuerat anno 1569. Cum enim Canonici Chasmenses Zagrabiam translati, ob jacturam bonorum suorum, quæ in Tur-

carum potestatem venerant, rerum inopia laborarent, nec sacerdotia civitatis Zagrabiensis, unde viverent, conferri singulis possent, nihil propius factum est, quam ut collegium Chasmense dissolveretur; & alii alio abire jam decreverant, suumque ministerium aliis Ecclesiis addicere, unde illis, quæ ad victum cultumque necessaria erant, suppeditarentur: quæ dissolutio si fieret, tum id regno Slavoniæ dedecori esse videbant; tum vero in Comitiis generalibus ejusdem regni, aliquot subsellia vacua relinqui, & eorum, qui convocari, & de rebus publicis consuli solebant, suffragia & sententias imminui oportuisset. Ergo decretum est, ut aliquot sacerdotia, cum primum vacarent, cum suis redditibus Capitulo Chasmensi attribuerentur. Primum igitur Præpositura Glongocensis anno 1569. vita functo per eos dies Præposito, ad mensam Capitularem Chasmensem adjuncta est, ejusque una cum titulo administratio Præposito Chasmensi in perpetuum commissa. Ita Caspar simul Chasmensis, simul Glongocensis Præpositus fuit. Deinde utraque præpositura dimissa, dignitatem Præpositi majoris Ecclesiæ Zagrabiensis sibi a Rodulpho collatam adeptus est. Sub initium anni 1588. e Comitiis generalibus Slavoniæ, quibus interfuit, missus est in Dalmatiam Austriacam cum Stephano Berislavio, & Gaspare Petriscevicio, ut arces & confinia lustrarent, & regiorum vectigalium, quæ ob injuriam præfectorum, valde diminuta esse ferebantur, rationes reposcerent. Intra finem ejusdem anni cum Petrus Heressinczius administrationem Episcopatus Zagrabiensis deposuisset, Casparem summo omnium regni Slavoniæ ordinum consensu commendatum, & expetitum, Rodulphus Imperator nominavit Episcopum Zagrabiensem; anno autem proximo Sixtus V. regiam nominationem confirmavit: 1589. 20. *Martii ad nominationem* Epifc Zagrab. *Cæsaris Hungariæ regis providit Ecclesiæ Zagrab. in Sclavonia per translat. Petri ad Ecclesiam Jaurinen. vacanti de persona R. P. Casparis Præpositi majoris ejusdem Ecclesiæ, docti & idonei, licet non graduati; super quo sanctitas sua dispensavit, cum retentione compatibilium &c.* Itaque ipse quoque, ut proximi decessores, Canonicatum Zagrabiensem retinuit. Basilicam cathedralem sollemni pompa inter faustas cleri, populique acclamationes adeuntem Matthias Czechovichius Canonicus excepit eleganti oratione; ex qua Kereselichius hanc particulam decerpsit: *Cum in sacris publicisque occuparis operibus, virtutes longe lateque disseminas; ut Hungariæ atque Sclavoniæ primates & proceres, regnis ruinam minantibus, opera bonorum virorum laturi suppetias, te unum Zagrabiensi Ecclesiæ communi suffragio præficiendum censuerint. Ad horum arbitria accessit grata Imperatoris voluntas &c.* Elogia illi tributa. Et in altera oratione quam uno alterove post anno ad eum habuit Georgius Zventinovichius post Turcas ab Sisciensi obsidione depulsos anno 1587. Casparis laudes his verbis persequitur. *Nam dum hostis infestissimus Turca nostros lares, focosque variorum liberos circumdare, ac perpetuæ captivitati subjugare vellet; tua sapientia divinitus illustrata, una cum Siscienfium militum selectissima turma, ad depellendam eorum rabiem, instar Ducis & Imperatoris fortissimi, tua præsentia propulsasti . . . Post valedictionem piæ memoriæ Reverendiss. Petri Heressinczi, ejusdem Episcopatus olim verissimi administratoris . . . te primum invictissimo Imperatori Rodulpho commendavit &c.*

Suscepto Episcopatu, totum se pro gregis sibi concrediti utilitate, & salute devovit, nullis vigiliis neque laboribus parcens, ut illi prodesset; atque ad augenda Ecclesiæ suæ commoda, & avertenda incommoda, omnes suas cogitationes curasque convertit. Haud pauci e clericis, qui humanis sacrisque litteris in seminario sive Zagrabiensi, sive Bononiensi erudiebantur, & sumptibus Ecclesiæ alebantur, ut Deo & Ecclesiæ inservirent, idoneique operarii Evangelici evaderent ad vineam Dominicam excolendam, post absoluta studia, clericali habitu deposito, ad pristinum sæcularis vitæ institutum redibant. Huic malo ut obviam iret, vetuit quempiam in hujusmodi seminaria recipi, quin antea jurejurando fidem suam obstringeret, se cum primum liceret, sibique imperatum foret, ordines sacros suscepturum, seque in perpetuum ecclesiasticis ministeriis addictum iri. Hanc autem juramenti formulam illis præscripsit: *Ego N. N. seminarista Vener. Capituli hujus almæ Ecclesiæ Zagrabiensis, juro per Deum, & per gloriosam Dei genitricem Mariam, & per omnes Sanctos & electos Dei, quod obediens, & gratus ero almæ huic Ecclesiæ Zagrabien. ejusque Prælato, & toti Capitulo, Dominis videlicet ac Patronis meis, sine quorum licentia, & voluntate, ex seminario, in quod gratia eorum receptus sum, non discedam; sed cum, & ubi opus videbitur, sacris initiabor ordinibus, & ecclesiasticis ministeriis in hac diœcesi, fidem Catholicam profitendo, perpetuo inserviam. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* (Clericos alumnos Semin. Zagrab. & Bononien. sacramento adigi jubet ad sacros ordines suscipiendos.) Auctor etiam Capitulo fuit, ut novos colonos castri Capitularis Okuncsiakensis, ad fidem sibi præstandam, seque Dominos agnoscendos & colendos, haud dissimili sacramento adigeret. Hi siquidem post Velikam, Chasmam, Monozlon, & alias Slavoniæ arces amissas, & in potestatem Turcarum redactas, cum ex illis locis ad terras & oppida Capituli Zagrabiensis confugissent, jactabant se liberos esse, neque illis legibus, & obedientiæ vinculis, quibus indigenæ astricti erant, teneri volebant; & Canonicorum in se resque suas dominationem aperte abnuebant. (Itemque novos colonos castri Capitularis Okuncsiakensis ad præstandam obedientiam Capitulo.) In judicium sæpius vocati, cum multorum magistratuum sententiis damnati fuissent, ac demum coacti vel ab illis terris recedere, vel debita fidei atque obedientiæ officia Canonicis præstare, supplices petierunt, ut ibi manere, & quas cœperant, sedes retinere sibi liceret. Et Coloni quidem Okuncsiakenses ex mandato & præscripto Capituli in hæc verba, & hanc formulam jurarunt. *Nos Communitas Colonorum de Okuncsiak, juramus per Deum vivum, & B. V. M. & omnes Sanctos & electos Dei, quod amodo in posterum isti Ecclesiæ D. Regis Stephani, totique Capitulo Zagrabiensi, Dominis videlicet nostris legitimis, & eorum successoribus, erimus fideles, obedientes, & eorum subditi; ipsisque una cum hæredibus, & posteritatibus nostris, semper fideliter serviemus; nec alios Dominos, præter ipsos, quamdiu in illorum bonis manserimus, agnoscemus. Ita nos Deus adjuvet, & fides nostra Christiana.*

Tectum basilicæ cathedralis jampridem inchoatum partim ex pecunia, quam Petrus Heressinczius in id opus reliquerat, partim de suo con-

Leges in Synodo præscripsit curatoribus animarum.

confecit atque absolvit. Anno 1591. Synodum diœcesanam convocavit, & saluberrima decreta constituit, ac præsertim sapientissimas leges parochis, & curatoribus animarum præscripsit, ad quarum normam suam ipsi vivendi rationem, & Christianæ plebis sibi commissæ institutionem exigerent, ut scriptum reliquit Thomas Kovascevichius: *Subalternis curatoribus salutares præscripsit regulas, juxta quarum dictamen ipsi se, & concreditas animas ad viam salutis dirigerent. Quanto vero zelo id præstiterit, optime demonstrant acta ejusdem Synodi ad diem 18. Junii anno 1591. indictæ & celebratæ; quorum exemplar sacris dogmatibus, & salubribus institutis refertissimum, etiamnum videre est in archivo Capit. Zagrab. vulgari idiomate conscriptum; unde intelligi datur iis temporibus in diœcesi hac, propter defectum publicarum scholarum, clerum forensem illiteratis viris, quos Glogolitas vocamus, permistum fuisse.*

His temporibus nulla quies ab incursionibus metuque Turcarum, nullum ab armis otium fuit. Nondum quidem induciæ, superioribus annis pactæ cum Turcis, exierant; sed identidem æque ab hostibus, atque a nostris arma sumebantur ad damna ultro citroque vel inferenda, vel repellenda; nec satis patuit unde initium injuriarum ortum fuerit. Præfectus Bosinæ Hassanes Constantinopolim misit qui regem Turcarum de violatis per Cæsareos & regios milites induciis docerent, simulque subsidium militare peterent, & facultatem aperto Marte ruptam pactorum fidem ulciscendi. Nihil tunc impetratum est. Sed perinde ac si utrinque bellum rite indictum fuisset, in Slavonia & Chrobatia assidue bellatum est; rapinæ, direptiones, vastationes, cædes numquam intermissæ, leviora prælia identidem commissa, fortuna variante, modo Turcis, modo nostris prospera. Hassanes semel atque iterum Sisciam circumdedit atque oppugnavit. Nicolaus Mikaczius, & Stephanus Fabricius, Canonici castello præpositi, hostem repulerunt. Bihaczium, urbem perantiquam & principem totius Chrobatiæ, quam tum propugnacula validissima, tum amnis Unna profundo alveo circumfluens, egregie muniebant, octava, quam obsidere cœperat, die Hassanes ad deditionem compulit; neque umquam postea recuperari potuit. Anno 1593. Conventus generalis Slavoniæ habitus est in area, sive urbe Capitulari, cui Episcopus cum Capitulo interfuit. Cum multa peæclare constituta sunt ad ejus regni defensionem, tum etiam Ernesto Archiduci expositum est periculum, in quo versabatur Siscia, fide ac virtute Capituli ad eam diem defensa; & supplicatum eidem, ut a Rodulpho Cæsare subsidium & auxilium impetraret. Libellus supplex in hæc verba confectus est: *Castrum etiam Szicz̧eg & Drenchina multis calamitatibus & periculis undique circumsepta indigenis militibus majori numero, quam hactenus, necessario munienda essent. At jam sæpius declarata fide, & virtute, qua Vener. Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis contra Bassæ Bosnensis binariam invasionem, Dei gratia, propriis dictum castrum Szisz̧eg sumptibus defendenti, idque palam omnibus constare arbitramur. Verum depopulatis omnibus ejusdem castri bonis, & proventibus, cum per memoratum Capitulum sufficienti præsidio, commeatu, & alii rebus ac munitionibus muniri minime possit; dignetur mature Serenitas sua, aut cum*

Bis Siscia obsessa & hostes repulsi.

Subsidia postulata ab Ernesto Archiduce & Rodulpho Imp. pro defensione castri Sisciensis.

Dominis Styriacis, aut Serenifs. Majestate, pro refundendis bonis eidem Capitulo, ut in posterum etiam præfatum castrum Szisz̧eg, per ipsos Dominos Capitulares commodius defendi, ac conservari queat, modum inire & tractatum. Monasterium etiam ordinis Fratrum S. Paulli primi Eremitæ Lepoglava vocatum, & in hoc regno & Comitatu Varasdinensi existens, ipsis Dominis Capitularibus Ecclesiæ illorum bonis quasi omnino tam per Turcas, quam etiam militum insolentiam desolatis & exiguis, propter illorum summam virtutem in defensione sæpe dicti castri Szisz̧eg, factam & exhibitam, ut a Sua majestate daretur, efficere. Nam prædicti fratres in partibus Hungariæ pauci, & sine omni fructu, tam cultus divini, quam regni commorantes, sufficientissima bona habent, & possident.

Siscia tertio oppugnata, & Turcis ad internecionem cæsis liberata

Eodem anno mense Junio Hassanes ex copiis & præsidiis Bosnensibus ingenti exercitu conflato, Sisciam tertio aggreditur, & vehementissime oppugnat. Adfuit in tempore Echembergius, summus regii exercitus Imperator, cum delectis ducibus ac militibus; & commissa cum hostibus pugna insignem victoriam reportavit. Siscia obsidione liberata est, ad duodecim millia Turcarum partim cœsa, partim dum fugerent, Odræ & Colapis fluviis submersa, ac vorticibus hausta dicuntur. Hassanes quoque cum primoribus Turcarum periit. Quæ clades Amurathem regem Turcarum impulit, ut bellum apertum Rodulpho indiceret, quod vario Marte gestum, annos ferme tredecim tenuit. Hanc tertiam Sisciensem obsidionem, usque ad Echembergii adventum egregie sustinuit, & Turcica clade gloriosæ victoriæ laudem non exiguam sibi vindicavit Blasius Gyurakius Archidiaconus Dubicensis, quem Canonici custodiæ ac defensioni castri Sisciensis præposuerant. Quamobrem præsules, & proceres regni Slavoniæ in conventu generali Zagrabiensi sub initium anni 1595. ejus eximiæ virtuti, & egregiis in rem publicam, & Christianam meritis, hoc illustre testimonium dederunt. *Nos universitas Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & nobilium, ceterorumque statuum, & ordinum regni Sclavoniæ, memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis: Quamquam virtus per seipsam clara sit, æternaque habeatur; nulla etiam sui commendatione indigeat; præclarum tamen ducitur res vita & immortalitate dignas ab hominum oblivione vindicare, perpetuaque memoria custodiendas ad posteritatem transmittere; ut inde omnis ætas & status, exemplum sibi tamquam ex speculo eliciant; & incitamentum ad præclara, & gloriosa quæque auspicanda habeant. Quo nomine cum in omni vitæ suæ cursu, insigni laude semper claruerit Reverend. Dominus Blasius Gyurak tum Archidiaconus Dubicensis, nunc vero Cantor, & Canonicus Ecclesiæ Zagrab. potissimum tamen anno Domini 1593. mense Junio, tertiaria gravissima & periculosissima obsidione arcis Siz̧ek, æternum sibi & immortale nomen apud universum hoc regnum, vicinasque & adjacentes provincias, & ditiones, rebus summa virtute, constantissimoque animo viriliter gestis comparavit. Præfecturam enim arcis Sz̧ianæ a Fratribus & Canonicis suis, æstuantissima illa flagrantium bellorum tempestate, sibi demandatam & commissam ita administravit, ut vix trecentorum militum manu stipatus, Haz̧an Bassæ Bosnen. ferociam, inaudi-*

tam-

Digitized by Google

tumque superbiam imperterritus, obsidionem gravissimam præ oculis habendo, hilari vultu, magnoque animo sustinuit, obsessus, ac undique mira ac stupendæ magnitudinis bellicis machinis tantopere impetitus, ut muris fere solo æquatis, nullum devicti animi indicium dederit. Immo milites ab aquis per hostem prohibitos, & commeatus proprii gratuita ac liberali distributione, quotidie magis magisque ferventiores, ac ad omnia imperata cum aviditate, & summo studio capessenda, & exequenda promptissimos effecit. Amisso autem socio, aliisque duodecim potioribus, cum & ipse grave vulnus accepisset; nec minis, nec pollicitationibus; quæ frequenter per sagittas in arcem mittebantur, ad turpem deditionem compelli potuit; sed extrema quæque prius, dulcemque pro dulci patria mortem Deo, patriaque offerendam ratus, tamdiu omnes hostium calliaissimas, & rabidissimas molitiones sustinuit, donec ille vix expectatus Christianorum exercitus, præsentissimam opem tulit; hostemque aperto marte & campo adortus, laudabili illa, & toti orbi Christiano lænissima de Hazan Bassa cæso victoria fudit; ubi etiam singularem virtutem ipsius Dom. Blasii Gyurak videre licuit; congredientes enim quamprimum vidit duos exercitus, parvumque agmen cum immenso immanium belluarum pelago collatum, non hanc aut illam belli fortunam expectavit; sed protinus ex arce deducto milite in proximos hostes tanto impetu, tantaque animi audacia invectus est, ut egregio stratagemate edito, multisque partim cæsis, partim in aquas conjectis, opima de hoste spolia in arcem reportarit. In ejus itaque rei gestæ immortalem memoriam & documentum, præsentes litteras nostras testimoniales, sigillo nostro impendente consignatas, memorato Dom. Blasio Gyurak dedimus. Dat. Zagrab. fer. 2. proxima post festum Epiphaniorum Domini. Anno ejusdem 1595. in nostra generali Congregatione.

Sissia quarto a Turcis obsessa & capta; sed ab iisdem relicta redit in potestatem Capituli.

Anno eodem Sisciam, Turcæ quartum oppugnare aggressi, tandem ceperunt, e duobus Canonicis arci præpositis, uno interfecto altero in captivitatem abducto. Luctuosissimi hujus facinoris narrationem persecutus est Joannes Tomcus Marnavitius in dissertat. quadam, quam *de sacris Ecclesiarum ornamentis &c.* anno 1635. Romanis typis vulgavit; reique male gestæ caussas consilio attribuit minus quidem pio, at fortassis necessario, quo Zagrabiensis Senatus usus est: cum etenim milites, qui Siscienses arcem incredibili virtute adversus triplicem Turcarum obsidionem defenderant, solvi sibi stipendia minaci, atque acerba contentione postularent, neque exhaustum triennio belli Turcici ærarium pecuniæ tantum sufficeret, quantum militibus redderetur, aurum, atque argentum, quo in sanctiori sacrario sacra lipsana miro, pretiosoque opere circum obducta, atque ornata fuerant, promi placuit, & in monetam conflatum petulanti militi distribui: *Verum enim vero*, scribit Marnavitius post tertiam de immanissimo hoste relatam pro Sisciæ mœnibus victoriam, *præsidiarius Sisciæ miles trino triumpho de fortissimo, & potentissimo Hasane reportato non contentus, prædaque opima ex ipsius adepta spoliis haud exsatiatus, imo tanta felicitate petulantior effectus, cum stipendia plurium mensium a Zagrabiensi Senatu solvi sibi contenderet, nec propter triennale bellum sustentatum apud sacrum collegium modus ullus stipendiorum solvendorum extaret, minus pio consilio, eventu infelicissimo, totum aurum, & argentum, quo in Zagrabiensi sacrario sanctorum virorum ossa, in primis vero venerandum cranium, duæque costæ Hungarorum regis, & Apostoli Stephani, Zagrabiensis Ecclesiæ, & regnorum omnium sacræ coronæ Apostolicæ Patroni per multa sæcula, munificentia piæ vetustatis habebatur obductum, in ferocissimi militis conflatur stipendium. Etenim sequenti anno, victore nostro exercitu ferme inspectante, sed panico quodam terrore perfuso, a longe minoribus copiis Turcicis, quam fuerant Hasani, quinque dierum spatio, Siscia illa, quam integri triennii laboribus obtinere nequiverant, occupatur, præsidio universo, ne sacrilego stipendio gauderet ulterius, cæso, aut in servitutem perpetuam abducto, maxima christianarum rerum per universam Hungariam, quam Turcæ impetebant, inclinatione. Adeo perniciosum in manibus prophanis evadit illud aurum, & argentum, quod, dum sacris usibus inserviret, in oculis divinæ Majestatis pretiosissimum fulgebat.* Hæc Tomcus. Sed anno proximo idem castrum a Turcis relictum in potestatem rediit Capituli Zagrabiensis. Ad mœnia, & propugnacula restauranda, & validius firmanda, Cæsar quatuor millia florenorum e publico ærario contribui, ac fructus Abbatiæ Posnensis impendi jussit. Dombram, seu Dubravam castrum episcopale, quod anno 1533. Turcæ diripuerant atque incenderant, Christiani deinde receperant; & præsidiariis militibus munitum ad hæc usque tempora Cæsarei retinuerunt. Caspar Episcopus demum illud recuperavit, ære suo refecit, novis colonis frequentavit, qui collapsa ædificia restituerunt. Cum his, quod attinet ad decimas, ad hunc modum transegit: *Nos Caspar Ztankovachky Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrab. Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarius, ac regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Banus &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis: quod postquam nos ad curam & regimen dictæ Ecclesiæ nostræ superna disponente gratia, assumpti sumus; id potissimum sedula mentis nostræ meditatione pensandum plerumque suscepimus, ut desolato Episcopatui nostro, quem tot annis Turcica tyrannis ferro & igne vastavit, & nunc quoque vastare non cessat, consulere, illumque populorum in locis in cinerem & favillam redactis collocatione, amplificare, & proventibus augere satageremus. Idcirco castrum Dombro, cum oppido tot annis in turpi, & deformi statu, maximaque vastitate & solitudine situm, alias incensum & relictum, multis expensis, & curis, & laboribus nostris restauravimus, & munivimus, novamque quamdam coloniam, Deo auspice concessam, novis hospitibus & incolis integri septennii proxime præteriti libertate donatis, ibidem instituimus; in quo quidem oppido Dombro, postquam certi cives domos, & ædificia sibi fecerunt, talem cum illis transactionem perpetuo duraturam inivimus. Quod idem Dombrenses cives, universas decimas frugum, tritici videlicet, & siliginis, hordei, milii, & avenæ in manipulis, porcorumque & apum nobis & Ecclesiæ nostræ prænotatæ, semper futuris temporibus, dare & administrare debeant, & teneantur; decimam Hædinæ ibidem ab antiquo dicari & exigi solitæ, per duodecim annorum spatium, nunc statim sequentium,*

Item Dubrava de Turcis recepta.

tium, ab anno præsenti 1595. incipiendo, ipsis civibus Dombrensibus relaxantes. Item si quis eorum civium aliquas extirpaturas in territorio dicti castri, & oppidi Dombro, a dato præsentium fecerit, ex tunc duobus annis a novis extirpaturis inseminatis, nullas decimas nobis & Ecclesiæ nostræ prænotatæ præstet; sed tertio tandem anno decimator, aut officialis noster, illas pro nobis, & dicta Ecclesia nostra exigere possit. Deinde dictis civibus, eorumdemque successoribus universis fundorum, domorum, terrarum arabilium, aliorumque quorumlibet bonorum immobilium invicem vendendarum, & emendarum facultatem perpetuo concedimus, & benigne annuimus; salvis semper proventibus ex hujusmodi bonis, nobis & Ecclesiæ nostræ provenire debentibus. In quorum omnium fidem, testimonium, firmitatemque perpetuam, iisdem civibus Dombrensibus, totique Communitati civium & incolarum ejusdem oppidi nostri Dombro, ipsorumque successoribus universis præsentes litteras nostras, manus nostræ propriæ subscriptione, & autentici sigilli nostri appensione communitas & roboratas dandas duximus, & concedendas. Datum Zagrabiæ die 9. mens. Septembris, Anno Domini 1595.

Anno eodem ante hoc diploma conditum, cum Thomas Erdodius Banali magistratu se abdicasset, Cæsar in ejus locum Casparem Episcopum Zagrabiensem substituit, eique Joannem Draîcovichium collegam dedit; ut constat ex eodem diplomate, in quo sibi titulum *Bani regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ* adscripsit. Sed anno proximo 1596. vita functus, Episcopatum simul & Banatum deposuit. Collegio Hungarico-Illyrico Bononiensi centum aureos florenos Rhenenses, Basilicæ cathedrali centum, quos vocant, talleros, Abbatiæ Topulschensi, sive Toplicensi turibulum argenteum legavit. Annos fere quinque Ecclesia Zagrabiensis Pastore caruit.

Mors Caspari.

NICOLAUS IV. EP. ZAGRAB. LVI.

Nicolaus Zelniczius Præpositus major.

Zelniczius cognominatus, antiqua & nobili stirpe ortus, haud genere, quam doctrina & virtute clarior. Bononiæ in collegio Hungarico-Illyrico Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit. Ad collegium Canonicorum Zagrabiensium aggregatus cum esset, per omnes honorum gradus ad Episcopatum pervenit. Primum Archidiaconus Varasdinensis, deinde Bexinensis fuit; postea Præpositus major ab Rodulpho Imperatore, & rege Hungariæ renunciatus, supremam Capituli dignitatem obtinuit. Alter jam annus ab obitu Casparis intercesserat, cum idem Rodulphus Nicolaum designavit Episcopum Zagrabiensem anno 1598. nec vero ante initium sæculi proximi Clemens VIII. Cæsaream ac regiam designationem confirmavit, ut docent tabulæ consistoriales: 1600. 13. *Augusti, providit Ecclesiæ Zagrabiensi vacanti per obitum Casparis de persona Nicolai Zelniczii, cum retentione omnium, quæ obtinet, præter Præposituram Zagrabien. cum dispensatione super defectu gradus &c.* Itaque exemplo superiorum Antistitum, & permissu Pontificis, quoad vixit, Canonicatum retinuit, ejusque fructus percepit. Nec vero ad fungendum solliciti, & amantissimi pastoris munus expectandam censuit Pontificiam Episcopatus sibi collati approbationem; sed dum adhuc electi nomen gerebat, gregis

Episc. Zagrab.

sibi destinati necessitatibus atque incommodis, calamitosissimo tempore, subvenire præoccupavit. Anno 1600. atrox pestilentia aliquot Slavoniæ partes invasit, nec paucas edebat strages incolarum. Incredibile dictu est quam acerbo dolore, quanta commiseratione animum Præsulis ea calamitas perculerit; & cum ipse ad ferendam opem ubique præsto esse non posset, gravissimis litteris parochos & curatores animarum ad illa omnia, quæ tempus & necessitas postulabat, parochorum officia præstanda vehementer accendit: nihil efficacius esse ad divinam iram placandam, & misericordiam conciliandam, quam sincero humilique animo flagella, quibus atterimur, nostris delictis adscribere, faterique violati Numinis pœnas merito a nobis reposci; anteactæ vitæ flagitia salubri pœnitentia expiare; idque pro certo habere quidquid pœnarum nobis summus ille justissimus & clementissimus Pater infligit, ad nostram emendationem, atque utilitatem spectare. Dominicas oves eorum curæ commissas magnopere illis commendat, pro quibus tamquam boni Pastores animam ponere ne vereantur. Epistolam sanctissimis sententiis & verbis refertam, tanti Præsulis sapientia, Episcopali sollicitudine & caritate dignissimam, hic subjicio.

Pestilentia grassante curam gregis infecti parochis magnopere commendat.

Nicolaus Zelniczy Dei gratia electus Episcopus Zagrabiensis, sacratissimæ Cæsareæ regiæque Majestatis Consiliarius, universis & singulis præfatæ Ecclesiæ, & diœcesis nostræ parochis & animarum curatoribus, salutem in Domino sempiternam. Contemplantes, pro nostra pastoralis officii cura, afflictum hujus nostræ diœcesis statum, magnum in primis dolorem accepimus ex calamitate quorumdam locorum, quæ nunc divina majestas pestilentiæ flagello visitare dignatur. At cum intelligamus Patrem misericordiarum non in furore suo venire ad nos, sed in spiritu lenitatis, ut paternæ virgæ admonitione e peccatorum somno excitemur; nihil sane vehementius optamus, quam ut populus Dei ad unicum & præsentissimum pestis, malorumque omnium remedium, pœnitentiam nimirum, corde humili & animo contrito confugiens, vitæ suæ, dum tempus veniæ est, religiosa sollicitudine recolligat rationes, certo certius sibi persuadendo, quod Deo indignante, talia prodeunt flagella, & vicissim illo miserante cessent. Quorum primum debemus tam nobis ipsis, quam divinæ justitiæ, qua nos propter peccata nostra haud immerito punit, adscribere; alterum vero Domini nostri misericordiæ tribuere, illud semper jugi recolendo memoria, quod quos diligit Dominus castigat; & quod tunc maxime medetur cum sauciat. Sic enim efficit, ut in ipsis plagis non solum nostra recognoscamus peccata, quibus eum graviter offendimus, & ad iracundiam provocavimus, verum etiam nostram sentiamus imbecillitatem, humanarumque rerum instabilitatem; spei denique in iis rebus locatæ & fixæ ..., & quod caput est, divinæ gratiæ vim; dum iis curis exoluti, quibus humi jacentes detinebamur, erigimur ad cogitanda, & optanda summa illa, & sempiterna bona, ad quæ sumus ab eodem ipso Deo facti, & vocati, ne, ut ait Apostolus, cum hoc mundo damnemur. Atque ut quisque debet hoc animo esse in suis malis, sic nemo debet in alienis tantum spectator esse, eaque non ad se pertinere existimare; sed perinde ex aliorum, atque e sui ipsius incommodis, & malis affici, & quacumque ratione possit subveni-

Epistola gravissima ad eos scripta.

re;

Digitized by Google

re ; itemque Deo gratias agere , offerri sibi ab eo duplicem facultatem, tum patientiæ erga ipsam exercendæ, tum erga proximum charitatis; summamque ejus benignitatem agnoscere , qua nihil patitur mali evenire, unde non soleat multa maximaque bona elicere , nosque ad ea invitare . Exprimit hoc gravissimis verbis Cyprianus in ea pestilentia , quæ tum latissime grassabatur ; docetque quod cujusque sit munus , tum eorum , qui morbo ipso jam correpti sunt , tum qui integri a Deo servantur. Pestis ista , inquit , & lues, quæ horribilis, & feralis videtur, explorat justitiam singulorum, & mentem humani generis examinat , an infirmis serviant sani , an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini , an deprecantes ægros non deserant medici, an feroces suam comprimant violentiam , & rapaces avaritiæ insatiabilem semper ardorem , vel metu mortis extinguant , an cervicem flectant superbi , an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis, vel sic aliquid divites largiantur, & donent sine hærede morituris , ut si nihil aliud mortalitas ista contulerit , hoc Christianis , & servis Dei plurimum præstitit , quod Martyrium cupimus libenter appetere, dum mortem diximus non timere; exercitia sunt nobis ista funera, dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam . Quod si tanta cum sollicitudine , Fratres dilectissimi , hac funesta clade Deus suorum fidelium singula examinat officia , justitiam explorat, ponderat merita, vitam contemplatur, scrutatur mores, virtutes remunerat, & punit singulorum vitia ; quanto majore studio ille nostra examinabit officia , quibus curam suarum commisit ovium; pro quibus nempe Agnus ille immaculatus Dominus noster Jesus Christus suum in ara crucis sanctissimum, & pretiosissimum sanguinem effudit . Quæ cum fidei nostræ concreditæ, & commendatæ sint, earum sane incolumitati majori cura & sollicitudine, vel hoc calamitoso tempore , quam alias umquam , a nobis providendum est , si officio nostro satisfacere , si multo magis nostræ , quam ipsarum saluti consulere volumus . Væ enim iis , qui opus Dei negligenter faciunt, væ, inquam, nobis , si tam necessario tempore officio ac muneri nostro defuerimus . Quas per Ezechielem minas Dominicis pastoribus oves sibi commissas negligentibus intimavit , quam acriter , quam severe , quam atrociter gregem suum se de eorum manibus requisiturum ipsis denunciavit? Qui cum primo eorum negligentiam his verbis accusasset: Quod infirmum fuit non consolidastis , & quod ægrotum non sanastis , quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis , & quod perierat , non quæsivistis : paullo post adjunxit : Vivo ego , quod pro eo , quod facti sunt greges mei in rapinam , & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri ; ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum: quod eadem serie, quamquam aliis verbis per Hieremiam minatus est . Utinam vero tam vehemens increpatio in nostra hæc afflictissima tempora minime cadant; non oves a propriis pastoribus destitutæ nostram in sua infirmitate implorent opera . . . . Expergiscimini igitur, expergiscimini, Fratres dilectissimi, per viscera misericordiæ Dei nostri Jesu Christi , & pro suscepti muneris vestri ratione , vel nunc maxime saluti ovium vobis commissarum , ne vestra pereant incuria, invigiletis. Earum enim rationem a vobis in tremendo judicio is reposcet , qui illas sanguine suo redemptas , vobis pascendas custodiendasque commisit . Hinc vos viventis Dei minæ commoveant , cujus in manus incidere horrendum est, si officio vestro defueritis ; inde parata vobis laboris & sollicitudinis vestræ merces excitet , si fuerit per vos Dominici gregis saluti prospectum , atque etiam consultum . Nec quidquam est , quod contagionis periculum adeo paveatis : sic enim credite , aut vos divina spe evasuros, aut si vos quoque Deus ad se vocaverit, nihi optabilius esse, quam ejus majestati inservientes , acceptissimumque ei voluntatis sacrificium offerentes, in ipsa contentione, & labore, ex his miseriarum ærumnis eripi, tandemque immarcescibili illa corona, quam Deus legitime certantibus præparavit , in æternum potiri. Quo autem facilius & vestris officiis incumbere, & hanc luem, tam præsentem, quam etiam imminentem , a vestris parochiis procul avertere, atque extinguere possitis , hunc quem præscripsimus modum, & vos ipsi observabitis ; & per eos , quorum interest , observandum curabitis: Quos de cetero in Domino felicissime valere exoptamus. Datum Ugræ in festo B. Michaelis Archangeli, Anno Domini millesimo sexcentesimo.

Opera pœnalia ad divinam iram placandam præscripta.

Plura deinde opera pœnalia præscripsit clero & populo Zagrabiensi , quæ ad delicta expianda, & divinam indignationem avertendam plurimum valent; jejunia statis quibusdam diebus, subsidia ad pauperum inopiam sublevandam , precationes quotidianas piaculares , & ternas singulis hebdomadis publicas supplicationes indixit, quas nudis pedibus, mœsto & squalido amictu, lugubri psalmodia, profusis lacrymis, ac præsertim summo animi dolore peragerent; nullus autem esset , quin sincera confessione præteritæ vitæ labes elueret , ac divinam Eucharistiam caste pieque susciperet . Admonebat præterea , ut quoniam grassante peste singulis in singulas horas periculum mortis impenderet , ex divina præceptione *suæ quisque domui disponeret* , testamentum conficeret , lites , si quas haberet , componeret , æs alienum , si quod contraxerant, dissolveret, inimicis ex animo parceret , & injurias , si quas acceperat , voluntaria oblivione contereret ; seque totum ad arbitrium superni Numinis accommodans , nihil aliud velit aut cupiat, quam quod Deus ipse vitæ necisque Dominus constituisset . Ad hæc : rationem modumque parochis tradidit caute viteque tum lue affectis sacramenta impertiendi , tum mortuos sepulturæ mandandi. Hæc erant ejus prudentissima & sanctissima monita , pestilentibus ac funestis illis temporibus maxime opportuna & consentanea.

Diœcesim lustravit & Synodū indixit.

Ubi primum vis morbi decessit , salubritas aëri , salus corporibus rediit ; diœcesim ritu episcopali peragravit ; loca illa potissimum obiit , in quibus maxime pestilentia sævierat . Incolas propinquæ mortis aspectu conterritos , & suorum amissione mœrentes, tum blanda oratione, tum omni ope recreavit; & salutaribus præceptis instructos ad spem meliorum rerum ac temporum erexit . Quocumque adiit , pravas consuetudines evulsit , bonas ac pias inseruit, & suarum virtutum , ac præsertim beneficæ erga omnes charitatis suæ vestigia impressa ubique reliquit . Hac lustratione perfunctus , Synodum diœcesanam ad diem nonum Quintilis indixit anno 1602. & multa decreta fecit, quæ

Digitized by Google

quæ ad cleri disciplinam, ad splendorem ac dignitatem cultus divini, ad fidem orthodoxam sartam tectam tuendam, ad sacramenta rite administranda, pieque suscipienda referuntur. Eodem anno ad Comitia Posoniensia evocatus cum esset, antequam Zagrabia discederet, præsagiens animo prope ab se mortem abesse, testamentum fecit, & præfatus nihil sibi esse pecuniæ, quam vel in pauperes erogaverat, vel in communem rei publicæ utilitatem, regnique defensionem contulerat; domesticam supellectilem, & quidquid seu tritici in horreo, seu vini in cella vinaria supererat, quadripartito divisit; partem Ecclesiæ, partem Seminario, partem pauperibus, partem fratribus suis & consanguineis reliquit. Nec sua illum fefellit opinio; nam intra finem ejusdem anni Zagrabiam reversus e vita decessit anno 1602. IX. Kalendas Januarii; & in sanctuario ædis cathedralis prope summum altare sepultus est.

Ejus testamentum,

& mors.

SIMON II. EPISC. ZAGRAB. LVII.

Simon Bratulicius ex Ordine S. Paulli primi Eremitæ.

Bratulicius cognominatus, de quo multa & præclara annales Ordinis Paullini Eremitani, in quem ipse ab ineunte adolescentia nomen dederat. In his ex Istria oriundus fuisse dicitur, contra quam Paullus Ritterus scripsit, qui eum civem Montis Græcensis appellat. F. Stephanus Ternavinus Præses generalis Congregationis S. Paulli primi Eremitæ eum ad suum cœtum aggregavit. Post tyrocinium in monasterio *S. Petri in silvis* laudabiliter exactum, Romam studiorum caussa missus, ad Philosophicas & Theologicas doctrinas percipiendas aliquot annos diligenter incubuit, quibus egregie instructus Roma discessit; & primum *Prioris*, deinde Vicarii generalis titulum ac munus obtinuit. Supremam totius Ordinis administrationem adeptus cum esset anno 1590. nihil sibi magis curandum censuit, quam ut alumni eremiticæ disciplinæ, non solum omnibus virtutibus excellerent, quæ virum religiosum decent, sed etiam humanis, divinisque litteris erudirentur. Cum magistris & scholis domesticis careret, e junioribus eos potissimum, qui acumine ingenii & perspicacia præstarent, delegit; alios Romam, alios Viennam, alios Olmucium, alios Pragam misit, ut in florentissimis illarum civitatum gymnasiis rerum humanarum ac divinarum scientiam perciperent. Disciplinæ monachalis cum ipse tenacissimus fuit, tum omnes ut eam accurate custodirent & colerent, suis exemplis & præceptionibus excitabat. Cum aliis Episcopis & cœnobiarchis regni Hungarici ipse quoque (quæ necessitas erat, & conditio illorum temporum) in expeditionibus militaribus esse consuevit; & armis indutus in acie cum hostibus Christiani nominis confligere. Nec strenui bellatoris animum atque operam in eo desiderare potuisses; nam ut de illo Volphangus Frangipanius Præfectus confinium Chrobatiæ acute & ingeniose scripsit, *in castris loricatus galeam cum thiara & cucullo conjungens, æque gladium audacter in hostes stringere, quam devote coronam Virginis recitare conspectus est*. Maximilianum Archiducem, fratrem Rodulphi Cæsaris, & supremum ducem exercitus Hungarici, ab oppugnatione Canisæ redeuntem, cum nihil propius esset, quam ut in Turcarum insidias incideret, Simon sollicite atque in tempore occurrens, periculi admonuit, atque a progressu revocavit. Salutem ac libertatem ei Maximilianus acceptam retulit, atque ut gratiam quoque referret, apud fratrem summopere institit, ut Simoni Episcopatum Sirmiensem conferret. Litteris humanissimis illum Viennam accersiit, datis anno 1598. pridie Kalendas Aprilis; ibi palam facturum, quantum & deberet, quidve remunerationis caussa eidem a Cæsare impetrasset. Epistola Maximiliani Archiducis ad Simonem hæc est.

Præses generalis totius Ordinis Paullini.

Miles in castris pugnat contra Turcas.

Primum Sirmiensis, deinde Zagrabiensis Episc. fit.

Maximilianus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Ord. Teutonici in Prussia Administrator, ejusdem per Germaniam, & Italiam Magister, Comes Tyrolis &c. Reverende nobis sincere dilecte. Quid Sac. Cæsar. Regiaque Majestas, & Frater noster observandissimus de te statuerit, id a nobis 15. *die futuri mensis Aprilis auditurus es. Ut autem voluntatem & gratiam suæ Majestatis Cæsareæ & regiæ, in tuam personam declaratam, uberius cognoscere possis, serio tibi committimus, & mandamus, ut ad* 14. *diem ejusdem mensis huc Viennam venias, suæ Majestatis mentem altera die a nobis cogniturus; secus non facturus. Datum Viennæ ultima die Martii Domini* 1598. A tergo inscripta erat, *Reverendo F. Simoni Bratulich, Fratrum Eremitarum S. Paulli primi Eremitæ Prioris generali &c. nobis sincere dilecto*. Idem Maximilianus statim post mortem Nicolai Zelniczii, Simonem Episcopum Zagrabiensem a fratre Rodulpho nominandum curavit anno 1603. & regiam nominationem anno proximo approbavit Clemens VIII. 13. *Septemb.* 1604. *providit Ecclesiæ Zagrabiensi vacanti per obitum Nicolai de persona Simonis Bratulicii Ep. Sirmien. quem ad Ecclesiam Zagrabien. ad nominationem Cæsareæ regiæ Majestatis transtulit, cum annua pensione ducatorum* 400. *monetæ illarum partium super Ecclesiæ .... fructibus*. Cum utroque Episcopatu, primum Sirmiensi, deinde Zagrabiensi, supremam ordinis Paullini præfecturam retinuit; & æque huic, atque illis diligenter ac perutilem operam impendit. Verum perinde ac si nihil interesset inter monachos, & Canonicos, pari in utrosque & summa auctoritate dominari voluit. Hinc lites & dissidia inter Episcopum & Capitulum sane frequentia.

Epistola Maximiliani ad Simonem.

Primam dissensionum occasionem ortam ferunt ex transitu Nicolai Micacii ab subsellio Capitulari ad sedem Varadinensem. Relictum ab eo Canonicatum, & proventus eidem annexos ad restaurandam arcem episcopalem, quæ multis in locis vitium fecerat, sibi ad triennium tradi Episcopus volebat, fretus auctoritate & exemplo superiorum Antistitum, qui non ad tempus, ut ille, sed perpetuo, quem antea obtinebant, Canonicatum cum Episcopatu retinere consueverant. At Canonici negabant id moris umquam fuisse, ut qui antea in eorum collegium aggregatus non fuisset, is Episcopus factus Canonicus etiam fieret, & cum Episcopali Canonicalem pensionem conjungeret; jus autem optandi sibi præripi nolebant; nam veteri probataque consuetudine receptum erat, ut si quis e Capitulo, vel morte sublatus, vel sua sponte, aut aliud sacerdotium adeptus decederet, in ejus locum subeundi vel seniori, vel cui libitum esset, optio daretur. Tunc Episcopus Lopoglavæ in cœnobio suorum Fratrum morabatur; & cum Canonicos suæ voluntati repugnare & obsistere cognovisset, optionem fieri

Canonicatus a Nicolao Micatio relicti, quem sibi tradi volebat, optatione a Canonicis fieri vetat.

Digitized by Google

fieri satis pro imperio vetuit. Illi vero hujusmodi interdicto nihil deterriti, jus suum constantissime tueri ac persequi decreverunt. Convocato Concilio Capitulari, cum abesset Franciscus Erghelius Præpositus major, qui princeps erat in dicenda sententia, ejus partes sumsit egitque Baltassar Napulius lector, qui contra Episcopum caussam Capituli egregie peroravit; & cunctis suffragiis in illius sententiam itum est, decretumque, ut Episcopo vel invito optatio fieret; quod cum Simoni nunciatum esset, vehementer excanduit, & abjecta omni cunctatione, Zagrabiam se contulit, conventum Capitularem edixit ad septimam Idus Septembris anno 1604. Quo in conventu primum maxime doluit se in ipso sui pontificatus exordio a Canonicis fratribus suis non curari, despici, & sua mandata contemni; tum omnem orationem convertit in eorum arrogantiam increpandam, & pervicaciam, demum asperrimis verbis in Napulium lectorem invectus est, quem principem & ducem Capitularis in Episcopum contumaciæ, & cujusdam quasi conspirationis hortatorem fuisse criminabatur. Nec vero Napulius imperare sibi potuit, quin Episcopo irreverentius fortasse, quam liberius responsum redderet; & caussam Capituli, ac decretum, cujus ipse suasor fuerat, æque fortiter atque audacter defendit. Ad hæc mirum quantum ille iracundia & stomacho exarsit, sed conceptam animo indignationem ad tempus continuit, dum ejus expromendæ opportunitas adesset. Nec paullo post defuit. In area extrema Capitulari sita erat domus, sive, ut vulgo appellabant, *Curia* Canonici lectoris, in qua Napulius habitabat. Janua minor atrii, seu cavædii egressum ex area septoque urbis Capitularis præbebat ad proximam piscinam, eaque via erat brevior atque expeditior. Ac interdiu quidem ultro citroque commeantibus patebat, noctu vero semper januam illam clausam esse Canonici voluerant, idque inviolabili lege sanciverant, ne furibus, & maleficis ac sceleratis hominibus aditum daret. Verum sive domini, sive servorum incuria, dies & noctes pervia erat. Illum semel, iterum, ac sæpius Canonici admonuerant, interposito etiam Episcopi mandato, ut nocte appetente valvas illius januæ occluderet, validisque pessulis, & repagulis firmaret. Monita neglexit, ac ne ipsi quidem Episcopo jubenti paruit. Episcopus occasionem acerbi doloris ulciscendi, quam ei contemtus superioris interdicti sui, & præsertim nimis libera, & parum reverens Napulii lectoris responsio intulerat, minime prætermittendam censuit; & convocato Capitulo, postquam questus esset de arrogantia, temeritate, contumacia Napulii; de punitione, qua dignus videretur, sententiam Canonicorum rogavit. Horum sententiæ cum ad ejus voluntatem non essent, ira inflammatus e solio surgens in hæc verba erupit: *Qui se pro legitimo suo Episcopo & prælato nollet habere & recognoscere, neque ego illum pro meo Canonico & capellano recognoscere & habere volo.* Sub has voces summa cum indignatione emissas, Napulium nulla ratione habita neque ordinis, neque dignitatis, in carcerem includi jussit, Canonicis, qui aderant, tam insignem ignominiam collegæ suo, totique Capitulo illatam, indigne ferentibus. Expectarunt tamen dies aliquot, dum ira præsulis defervesceret; tunc vero supplices ad eum coeunt, orant, obsecrantque, ut collegam & fratrem suum sibi restituat, ac liberum dimittat; si quid ab illo peccatum esset, veniam petunt, se seque paratos esse ostendunt omnibus rationibus ei satisfacere. Eorum precibus indulsit quidem Episcopus, sed quod se illis beneficii & gratiæ loco dare & concedere ajebat, mala gratia, & novo malefacto corrupit. Nam custodia emissum dignitate atque officio lectoris privavit; in ejusque locum Petrum Domitrovichium Archidiaconum cathedralem substituit. Napulius appellavit ad Metropolitam Colocensem, qui de totius rei & controversiæ statu per litteras & legitimas testificationes doceri voluit, tum a Capitulo, tum ab Episcopo. Dum acriter utrinque decertatur, tres ferme anni abierunt, antequam sententiam proferret. Anno demum 1607. secundum Napulium judicavit; isque in pristinum suum gradum, & officium restitutus est cum tribus aliis Canonicis, quos Episcopus loco moverat, quod Napulii & Capituli partes liberius, quam debita erga Episcopum reverentia postulabat, & vehementius tuerentur. Ex sententia Metropolitæ jussus itidem fuit Episcopus dimittere Canonicatum & prædium Nicolai Micatii translati ad Episcopatum Varadinensem; utrumque Napulius ipse per optationem adeptus fuit, ut est in tabulis Capitularibus: *Anno Domini 1607. fer. 6. post Dom. 2. Quadragesimæ, facta est optio prædii Micatiani dicti Jarum. Idem prædium optavit Dominus Balthasar Napulii; quia triumphavit contra Episcopum fratrem Simonem, qui intrusum Canonicum lectorem* (Petrum Domitrovichium) *debuit deponere, & in integrum præfatum Dominum Napulium restituere, cum tribus aliis Canonicis.* Hi tres Canonici per eumdem Episcopum exauctorati, erant Joannes Puczinicius Archid. Goricensis, Joannes Nardinus Archid. Bexinensis, & magister Ambrosius Jazkajus ex tertio Ordine Canonicorum, qui magistri appellantur. Et Puczinicius quidem, itemque Jazkajus, rogatu Joannis Drascovichii proregis, post aliquod hebdomadas restituti fuerunt, non in pristinum quidem, quem antea obtinebant, sed Puczinicius in Canonicatum Napulii, & Jazkajus in Canonicatum Puczinicii; Nardinus vero post aliquot menses, cum ejus Canonicatus Paullo Jagussicio collatus fuisset, in Canonicatum Jazkaji, qui adhuc vacabat, substitutus fuit. Cum autem Napulius anno 1607. & ordinem canonicalem, & dignitatem lectoris recuperasset, dubitari cœptum est, utrum, quos Episcopus Capitulo moverat, & postea restituerat, eorum anni capitulares numerandi essent ab eo die, quo primum recepti sunt in collegium Canonicorum, an ab eo, quo rursus post eorum depulsionem aggregati fuerant; idque ad jus optandi pertinebat; nam ut quisque antiquitate antecedebat, ita optabat ex ordine, si quis Canonicatus vacaret, & seniores jure optandi junioribus præcedebant. Hinc antiquissimi Canonicorum *in Senio*, novissimi vero *in Noviciatu* constituti esse dicebantur. Decrevit itaque Simon Episcopus ut quos ipse Canonicatu dejecerat, ii prioris Canonicatus antiquitatem retinerent, & ante ceteros Canonicos ætate inferiores optandi jure gauderent; idque notatum est in tabulis Capitularibus: *1607. die 16. Martii Reverendissimus Dominus Prælatus nunciavit gratiam se fecisse Rev. Goricensi, Ambrosio Bazkay, & Bexinensi, ut*

Invehitur in Baltassarem Napulium optationis faciendæ auctorem præcipuum.

Napulium ob neglecta Capituli, & Episcopi mandata in carcerem includi jubet.

Canonicatum & prædium Nicolai Micatii ab Simone dimissum Napulius per optationem obtinuit.

Digitized by Google

ut ipsi de facto sint in senio suo; prædia autem optabunt in senio juxta ordinem positum primis futuris optionibus. Quod decrevit Episcopus, Canonici post ejus mortem de communi sententia confirmarunt & in perpetuum valere voluerunt.

Decretum Capitulare.

Nos Capitulum &c. memoriæ mandamus &c. qualiter superioribus temporibus Reverendiss. olim Dominus Frater Simon Bratulich prælatus noster dictos fratres nostros Joannem Pucziniti, Ambrosium Bazkay, & alterum Joannem Nardinum, nulla prævia citatione, aut juris ordine, indictaque caussa, suis Canonicatus beneficiis, quæ longo tempore in medio nostri, citra aliquam querelam, obtinuerant, privasset; privatosque postmodum per novas donationes hoc ordine ad noviciatum detraxisset: ut præfato Joanni Puczinits Canonicatum A. R. Balthasaris Napulii, tunc lectoris, nunc vero præpositi majoris, qui pariter eadem via spoliatus extiterat; illius vero præfato Ambrosio, bujus Joanni Nardino; istius autem Paullo Jagussich, moderno Domino lectori, tunc in exteris agenti, conferret. In quo quidem noviciatu, licet cum maxima eorum resistentia persistentes, tandem per dictum Dominum prælatum, ex noviciatu in eorum legitima senia an. 1607. die 16. Martii, in frequenti & solito sacrarii nostri consistorio, nemine refragante, sunt restituti, prout idipsum pro majore robore & evidentia in Albo Ecclesiæ (quod pro immutabili lege in medio nostri habetur) est assignatum. Qua quidem restitutione idem Dom. prælatus id sensisse visus est, quod nos tunc, & de præsenti sentire profitemur, & per præsentes testamur; quod videlicet ii, qui privati extiterant, & ad noviciatum regressi, semper sua senia quibus exturbati erant, non vigore novæ, sed antiquæ donationis obtinuissent: & sic hanc loco manere, illam vero cassari debere. Quod vel hinc eumdem Dominum Reverendiss., & nos idem judicasse clarum est, quod certis referentibus testibus, propriis manibus donationem dicti Joannis Puczinits novam, cum dictus Dominus Balthasar Napuly, nunc Præpositus, restitutus fuisset, titulo privationis ejusdem, a se sibi datam lacerasset; & quod nemo a nobis hactenus alio ordine obventiones sui Canonicatus percipere, aut prædia optare, quam ordine senii, juxta tempus datæ sibi donationis admissus est: hi autem & reditus percipere, & prædia optare non secundum posteriorem, sed secundum primam, tamquam antiquiorem, & magis juri consonam collationem, nemine in contrarium sentiente, permissi sunt. Stantibus itaque primis donationibus, stare etiam præfati Joannis Nardini certum est. Unde quid sentiendum sit de donatione Dom. Paulli Jagussich, nunc lectoris, quæ titulo privationis jam fati Nardini emanaverat, Canonum dijudicationi derelinquimus. Saltem hoc affirmare possumus, in consortio nostro sub uno eodemque titulo numquam duos Canonicos, prout hoc videre est, extitisse. Unde nos ad requisitionem dictorum fratrum præsentes litteras testimoniales eisdem duximus concedendas. Datum penultima die Augusti an. Domini 1613.

Triplex ordo Canonicorum Zagrabiensium.

Hic animadverti velim triplicem fuisse ordinem Canonicorum Zagrabiensium, ut supra in præfatione dictum est. Primarii ordinis erant quattuor, quas vocant *Dignitates & columnas Capituli*, videlicet *Præpositus major, lector, cantor, & custos*; ad secundarium ordinem pertinebant *Archidiaconi* omnino quattuordecim; in tertium & extremum conjecti erant reliqui inferiores Canonici, qui *Magistri* appellantur. Canonici primi & secundi ordinis duas veluti personas sustinebant; alteram *Canonicorum* communem omnibus, alteram vel *Dignitatis*, qua quisque præditus est, vel *Archidiaconatus*, quo quisque potitur; & præter Canonicalem e prædiis Capitularibus obvenientem, alteram pensionem percipiunt e fundis, decimis, vectigalibus, cujusque vel dignitati, vel Archidiaconali sacerdotio annexis. Quocirca actis tabulisque publicis sic fere semper inscribi solebant: N. N. *Præpositus major, & Canonicus*; N. N. *Archidiaconus* exempli caussa *Cathedralis & Canonicus*. Hinc fiebat, ut si quis e tertio ad secundum, vel e secundo ad primum ordinem Canonicorum ascenderet, priorem, quam antea obtinebat, vel pinguiorem, si quam per optationem adeptus fuisset, pensionem Canonicalem retineret; eamque cum suæ dignitatis, vel sui Archidiaconatus gradu conjungebat. Ita Balthasar Napulius, postquam in collegium Canonicorum restitutus fuit, Canonicatum & prædium Micatianum per optionem acquisitum, primo cum lectoris, deinde cum Præpositi majoris dignitate conjunxit. Ita etiam Petrus Domitrovichius, quem Simon Episcopus in locum Napulii substitutum, ex Archidiacono cathedrali lectorem fecit, pensionem suam canonicalem in utroque gradu & Archidiaconi & lectoris retinuit. Cum autem Napulio ex sententia Metropolitæ Colocensis suum locum & honorem reddi oportuisset, Petrus munus dignitatemque lectoris dimittere debuit; nec vero ad pristinum Archidiaconi cathedralis subsellium, quod ab alio occupatum fuerat, regredi potuit. Ne vero e primo & secundo Canonicorum ordine dejectus, inter Canonicos tertii ordinis sederet, Simon Episcopus, ut ejus honori consuleret, proximum post Præpositum Chasmensem subsellium ante Archidiaconos, non dissentiente Capitulo, eidem assignavit, ac tenere tamdiu jussit, quoad ei ad primum, vel secundum Canonicorum ordinem regressus pateret; nec illi diu expectandum fuit, dum ad locum sublimiorem ascendendi opportunitas se offerret; anno siquidem 1609. cum Franciscus Erghelius Præpositus major Episcopatum Vesprimiensem obtinuit, supremam Capituli dignitatem ab eo depositam, Simon Episcopus Petro Domitrovichio a Matthia Hungariæ rege conferendam curavit.

Simon Marianam præposituram in area Capitulari fratris filio admodum adolescenti contulit, reclamante Capitulo.

Alias itidem offensionum caussas Bratulicius præbuit, quæ Canonicorum animos ab eo magis magisque alienabant; nam Præposituram S. Mariæ in area Capitulari, cum procuratione animarum conjunctam, Capitulo dissentiente ac reclamante, contulit Simoni fratris sui filio, qui vix e pueris excesserat, cum ad id sacerdotium e clero Zagrabiensi probatissimi viri, nec ætate, quam virtute & sapientia maturiores, deligi solerent; ipse vero ejusdem proventus percipiebat, constituto Vicario, qui munera, & officia parochi exsequeretur. Fratres suos Eremitas Remetenses vetuit titulum & nomen *Patroni* Capitulo distribuere, eique consueta obsequia deferre, a quo & aream monasterii, & fundos acceperant, ut testatur Andreas Eggerus conditor Annalium ordinis Paullini: *Et certe*, inquit, *ob multa in dictum locum Remetensem olim, & nunc collata benefi-*

cia, *ita nos sibi obstrictos reddiderant Capitulares*, *ut merito patronorum Ecclesiæ Remetensis nomen cum laude mereantur*. Prætermitto cetera, quæ invito vel repugnante Capitulo gessit, ac præsertim ejus nimis imperiosum æque in Canonicos, & clericos dominatum.

Nec vero si contentiones fere perpetuas cum Canonicis habuit, idcirco episcopalis officii aut immemor, aut negligens fuit. Illud in primis curandum sibi esse censuit, ut ignorantiam a clero, ac præsertim a parochis depelleret; ex his pauci erant idonea doctrina instructi ad munus suum rite fungendum; nec latinas litteras callebant, & vulgari sermone ad psalmodiam, & liturgiam peragendam utebantur, eosque præterea in sacramentis conficiendis atque administrandis aliquid peccare animadverterat. Quare omne studium adhibuit, ut clericis Societatis Jesu, qui ad juventutem bonis moribus ac litteris imbuendam ex instituto incumbunt, stabile domicilium Zagrabiæ assignaretur; eoque potissimum adnitente in urbem Græcensem recepti sunt anno 1606. traditumque illis fuit cœnobium, quod Patres Dominicani deseruerant. Ut vero haberent unde viverent, ille potissimum auctor fuit Rodulpho Cæsari, & ejus fratri Matthiæ regi Hungariæ, illis Glogoncensis sacerdotii divulsi a præpositura Chasmensi cum omnibus eidem annexis proventibus attribuendi. Extat epistola Matthiæ II. regis Hungariæ, post obitum Bratulicii Episcopi ad Balthasarem Napulium lectorem, & Matthiam Soffronichium cantorem, Canonicos Zagrabienses, qui jubentur presbyteros Societ. Jesu in possessionem Præpositurae Glogoncensis ex juris formula inducere.

Eius opera collegium presbyteris Soc. Jesu in civitate Græcensi traditum, ut ab eis clerici erudirentur.

Matthias II. D. gr. Ung. Boh. Dalm. Croat., Sclavoniæque rex, Archidux Austriæ &c. Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Comes Tyrolis, Balthasari Napulio lectori & Vicario, nec non Matthiæ Soffronich cantori, Canonicis Zagrab. Honorabiles fideles nostri dilecti. Quoniam nos proxime elapsis diebus Præposituram Glogoncensem in isto regno nostro Sclavoniæ adjacentem pro pio paternoque nostro zelo, accedentibus etiam prælatorum & baronum intercessionibus, Patribus Soc. Jesu ad fundationem, & conservationem collegii in civitate nostra Montis Græcensis Zagrab. inchoati, benigne contulimus & concessimus; dederamusque in mandato Rever. quondam Simeoni Bratulich Episcopo utpote Zagrabien. ut juxta litteras nostras donationales, eosdem PP. in dictam Præposituram Glogoncensem, de more in talibus observari solito, introduceret, & installaret; qui cum interea, antequam mandatum nostrum effectui mancipare potuisset, morte præventus sit; eam provinciam vobis delegandam, & committendam duximus, quatenus, acceptis præsentibus, præfatos R. P. Soc. Jesu in ista civitate nostra Zagrab. degentes, in dominium & possessionem supradictæ Præpositurae Glogoncensis introducere, & installare, atque eisdem in perpetuo possidendam, juxta litteras donationales superinde emanatas tradere, & assignare velitis, & debeatis; nec secus facturi. Dat. in civit. nostra regia Pragensi die 11. men. Junii an. Domini 1611.

Ante annos fere quattuor, cum optimates & proceres regni Slavoniæ in arcem, ædesque episcopales ad consultandum de rebus publicis convenissent, Simon Episcopus questus est de contumacia nobilium virorum oppidi & Comitatus Varasdinensis, qui solutionem decimarum pertinaciter abnuebant; & postulavit ut ad eas solvendas suprema Consilii Slavonici auctoritate interposita compellerentur. Justa visa est postulatio; & Projudici illorum nobilium datum est hoc mandatum:

Nobiles Varasdinenses solvere decimas Episc. compulsi.

Nos universitas dominorum & nobilium regnicolarum regni Sclavoniæ memoriæ commendamus tenore præsentium, quod nobis hodierno die, ratione certorum publicum bonum, pacem, & tranquillitatem concernentium negotiorum hic in arce & palatio Episcopatus Zagrabiensis, insimul existentibus & constitutis Reverendiss. Dominus F. Simon Bratulich Episcopus Ecclesiæ Zagrab. ac Beatiss. M. V. de Topuszka Commendatarius Abbas, & S. C. Regiæque majestatis consiliarius, nobis querulose proposuit esse nonnullos in Comitatu Varasdinensi nobiles, qui spretis publicis regni statutis, ac sanctionibus Divorum Hungariæ regum, decimas omnis generis præfato Dom. Episcopo, & mensæ suæ episcopali ex prædicto Comitatu Varasdinensi provenientes hactenus solvere recusassent. Unde firmiter deliberatum esse volumus nostro unanimi voto & consensu, ut hujusmodi nobiles decimas ipsas solvere nolentes, ad solutionem earumdem per varia bonorum, etiam per Vice-judicem nobilium jam fati Comitatus Varasdinensis compelli debeant. Quocirca tibi Nobili Joanni Semoczi de Semoucz Vice-judicem nobilium jam dicti Comitatus Varasdinensis, tenore præsentium committimus firmissime, quatenus omnes hujusmodi rebelles, ac ipsas decimas solvere nolentes, qui tibi per connumeratorem ipsarum decimarum ejusdem D. Episcopi, nominati, & demonstrati fuerint, per varia bonorum eorumdem rebellium, si eas quamprimum, ubi videlicet requisiti fuerint, solvere noluerint, ad solutionem earumdem compellere debeas, & tenearis, possisque & valeas auctoritate nostra tibi hac in parte concessa, & tributa, justitia suadente. Datum in prædicta arce Zagrabiæ ex nostra Congregatione, 13. Novembris, anno Domini 1607.

Seminarium auxit,

Cum pauciores essent pro amplitudine diœcesis, qui ad parœcias administrandas essent idonei, seminarium episcopale & annuis proventibus, & numero alumnorum augere statuit; hinc scilicet sperabat fore, ut viri ecclesiastici virtute & doctrina præstantes prodirent, quibus in oppidis pagisque animarum cura, & rei Christianæ administratio recte ac tuto committi posset. Franciscus Erghelius Canonicus Zagrabiensis, idemque Episcopus Vesprimiensis prædium Capitulare obtinebat, quod bipartito divisum erat; pars una *Vrabsta*, pars altera *Mindszent* appellabatur. Hanc ex illo prædio, ubi primum vel morte, vel cessione voluntaria Erghelii vacaret, simulque aliam ex prædio *Jarum* vocato portionem detrahendam, & utramque seminario attribuendam esse Bratulicius de consensu Capituli decrevit anno 1611. ineunte. Verum portionem illam *Mindszent*, Benedictus Vinchovichius Præpositus major, consentiente Erghelio tunc Episcopo Zagrabiensi, post annos undeviginti centum florenis Hungaricis seminario persolutis redemit, & cum altera *Vrabsta* nominata iterum conjunxit, ac mensæ Capitulari restituit. Hac de re quod scriptum reliquit Thomas Kovacsevichius, huic loco intexere libet: *Anno 1611. die 26. Februarii collatis cum Capitulo consiliis, unanimibus votis conclusum fuit, ut ubi primum prædium Mindszent,*

eique portionem cujusdam villæ Capitularis attribuit.

Digitized by Google

zent, & Vrabsta, cujus tunc possessor erat Franciscus Erghelius Episcopus Vesprimiensis, legitime vacare inciperet, ipso facto portio, quæ est in Mindszent, una cum portione alterius prædii Jarum dicti seminario applicanda perpetuo veniret; reliquæ vero portiones utriusque prædii insimul collatæ unum constituerent prædium; atque ita sublato uno integro Canonicali prædio, quemadmodum olim in erectione seminarii extinctus fuit unus Canonicatus, ita & modo propter majus Ecclesiæ emolumentum unum de toto Canonicorum numero decedere debere statuebatur. At huic statuto satisfactum quidem fuit anno 1622. quoad convulsionem dumtaxat portionis de Mindszent; Canonicorum tamen numerus diminutus non fuit: quia alia ejusdem comportio de Vrabsta pro integro prædio a nonnullis ultro acceptata possidebatur. Demum anno 1630. consentiente Episcopo Erghelio, præfata portio reunita fuit cum portione de Vrabsta, numeratis propterea a Benedicto Vinkovichio seminario florenis Hungaricis centum. Plura quidem Bratulicius ad incrementum atque utilitatem seminarii cogitabat; sed mors intervenit, & facultatem cogitata perficiendi eripuit. Ut ipse erat omnigena doctrina, atque optimarum artium studiis eruditus, ita doctos & litteratos viros summopere amabat, eorumque consuetudine mirifice delectabatur. Capitulum sapientissimis viris refertum esse cupiebat, & nullum ipse in hoc amplissimum collegium cooptavit, quin scientia atque eruditione excelleret; vel illi duo, quos huic ordini adscripsit, Benedictus Vinckovichius, & Martinus Bogdanus satis ostendunt, quanti apud eum esset virtus & sapientia. Alter alteri, primum quidem in Præposituram majorem, quæ princeps est Capituli dignitas, deinde in Episcopatu successit. Bonorum Ecclesiæ tutor, & vindex acerrimus fuit; & militibus præsidiariis, qui nescio cujus ductu Ivanichium castrum episcopale invadere, & jurisdictioni ecclesiasticæ subtrahere parabant, magno animo restitit, eorumque conatus invicta constantia fregit. Hinc illud, quod Martinus Bogdanus Episcopus, si quando vi atque violentiæ magistratuum, & hominum præpotentium obsistendum esset, identidem usurpare solitus fuisse dicitur: *Modo adesse deberet Frater Simon, qui turbulentorum vim reprimeret*. Ædes pontificias restauravit ornavitque, & solido ponte atque eleganti cum basilica cathedrali conjunxit, ut sibi, & successoribus hinc atque illinc transitus commodior esset.

Reliqua ejus acta.

Anno 1611. Simonem Episcopum Rodulphus Imperator Viennam, ut eum de publicis gravissimis rebus consuleret; Franciscus Cardinalis Forgacsius Archiepiscopus Strigoniensis Tyrnaviam evocavit, ut in Synodo provinciali ejus doctrina & prudentia ad decreta condenda uteretur. Utrique paruit, & Synodi decretis tum ipse post Colocensem Archiepiscopum adscripsit, tum Georgius Ottaucius Archidiaconus, & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis *suo & Capituli nomine*, ut fertur in actis, qui eidem Synodo interfuit: ac temporibus illis difficillimis opportunam & perutilem rei publicæ & Catholicæ operam præbuit. Ad suam Ecclesiam regrediens, ex itinere Lopoglavam ad cœnobium sui Ordinis divertit. Ibi paucos dies commoratus cum esset, ad Comitem Christophorum Banfium se contulit, quem ipse ab hæresi Luteriana ad rectam in Deum fidem, & sinum Ecclesiæ revocaverat. Dum apud nobilissimum, sibique amicissimum hospitem diversaretur, febricula, ex calore itineris contracta, tentari cœpit, levi illa quidem, sed assidua & satis molesta; quæ paucis post diebus exitialior, quam initio apparebat, videri cœpit; eo demum crevit, ut nullis remediis depelli potuerit. De letali ejus morbo & periculo extremo cum Zagrabiam allatum esset, statim accurrit Benedictus Vinkovichius Canonicus, qui Præsuli de se optime merito ad ultimum usque spiritum assedit, quæque illi tempori attribui solent, pietatis & caritatis officia præstitit. Mortuus est anno æræ vulgaris 1611. post initum Episcopatum octavo, vicesimo autem a suscepta ordinis Paullini suprema præfectura. Corpus Lopoglavam cum delatum fuisset, orta est contentio inter Canonicos & monachos, cum hi summum suæ Congregationis Præsidem apud se, illi vero Episcopum suum in æde sua cathedrali sepeliri æquius esse dicerent. Vicerunt Canonici; & Zagrabiam translatum post sollemnes exsequias in basilica S. Stephani, prope aram maximam honorifico sepulcro tradiderunt. Anno 1609. tabulas supremas confecerat, in quibus visus est carni & sanguini nimio plus indulsisse. Nam Simonem & Margaritam fratris filios heredes instituit; & exigua bonorum suorum particula pauperes verius aspersit, quam impertiit. Itaque ejus testamento nescio quis hanc notam apposuit: *Testamentum R. Fratris Simonis Episc. Zagrab. anno Christi 1609. post festum omnium Sanctorum ab eodem factum, in quo caro & sanguis præcipua quæque sibi legata, Christus in suis pauperibus pauca habuit*.

Ejus mors.

Addit autem hæc Kovascevichius: *Post fata Bratulichii occasione ejusdem rerum gravior controversia . . . inter Capitulum, & Fratres Lepoglavenses exorta fuit; cui occasionem dederat certa pecuniæ summa, quam Episcopus Lepoglavæ acceptam monasterio se se refusurum obligaverat: ille autem nulla ejus mentione facta; ille autem universorum suorum memoratos nepotes hæredes instituisset. Hinc ordinis Vicarius generalis Zajcz repetendæ pecuniæ intentus non tantum testamento Episcopi contradictionis velamen opposuerat, verum res quoque in sacrario repositas aresto subjicere contendebat. Sed nec his, nec vero diversis item mandatis ex cancellaria, & camera Hungarica pro parte suæ religionis expeditis, quidquam efficere valuit. Capitulum enim testamentariæ dispositioni per omnia inhærens; quidquid institutis hæredibus ab Episcopo ordinatum in sua potestate habuit, totum in manus eorum fideliter consignavit. Tum porro nepos Simon, qui propter collatam sibi a patruo Præposituram B. V. in area Capitulari clericam induerat, opimæ substantiæ hæres factus, ut liberiori vacaret vitæ, Præpositura dimissa, prophanas reassumpsit vestes. At omine minus fausto, dum ampla pecunia partim per convictiones jurium evacuata, partim aliis viis dilapidata, a propriis demum servitoribus in somno oppressus, & miserrime trucidatus interire debuerit: cui nihilominus ob memoriam patrui admissa fuit tumulatio in Ecclesia cathedrali.* Lugubre profecto exemplum, quo ecclesiastici viri intelligant, Ecclesiæ bona, atque dignitates, quibus propinquos ornare, ac ditare student, naturæ nimia indulgentia compulsi, iisdem plerumque, totique familiæ supremum parere exitium.

Digitized by Google

PETRUS II. EPISC. ZAGRAB. LVIII.

Petrus Domitrovichius

Oriundus ex Ivanichio, oppido episcopali, eique cognomen fuit Domitrovichio. Dum intra finem superioris sæculi Bononiæ in seminario Hungarico sacris litteris operam dabat; Caspar Zitanbkovachius Episcopus eum ad collegium Canonicorum Zagrabiensium aggregavit. Præfecturam ejusdem seminarii ex mandato Capituli susceptam annum integrum gessit. Zagrabiam reversus, Archidiaconus primum Goricensis, deinde cathedralis creatus est. Cum Bratulicius Baltassarem Napulium lectorem e Capitulo ejecisset, ex Archidiaconatu in locum & subsellium lectoris conscendit, quæ secunda dignitas est Capituli Zagrabiensis. Sed post triennium Napulio in pristinum lectoris gradum restituto, ut diximus, Petrus in priorem, quem reliquerat, locum redire non potuit; hunc siquidem, eo decedente, alius occupaverat, vel si quod jus ad illum regrediendi haberet, sponte dimisit. Titulum tamen Canonici cum sua pensione canonicali retinuit; ne vero inhonoratus inter Canonicos inferioris ordinis sederet; ei Bratulicius, consentiente Capitulo, proximum a Præposito Chasmensi locum sessionis attribuit; neque jure antiquitatis privatum esse voluit, ut, si quando illustrioris & opulentioris Canonicatus optandi potestas esset, annos ejus Capitulares a prima ejusdem in Canonicos cooptatione numerari oporteret. Cum vero ejus caussa Petrus Archidiaconi & lectoris gradu excidisset, suas partes esse duxit curare & efficere, ut hujus honori ac dignitati consuleret.

Episcopus Quinqueecclesiensis, & Præpositus major Zagrab.

Peropportune accidit, ut anno 1608. Episcopatus Quinqueecclesiensis, & Præpositura B. M. V. in area Capitulari vacarent; hanc ille quidem Petro pro suo jure contulit, illius vero ut potiretur, facile impetravit a Matthia fratre Rodulphi Cæsaris, qui eodem anno in comitiis Posoniensibus titulum & insignia regis Hungariæ sumpsit. Sub idem tempus Franciscus Erghelius Præpositus major, nominatus cum esset Episcopus Vesprimiensis, principem hanc Capituli dignitatem vacuam reliquit; hanc itidem Bratulicius ab eodem Matthia rege Hungariæ, Petro conferendam curavit. Præposituram vero Marianam a Petro depositam in Simonem fratris filium, ut supra dictum est, adhuc puerum, vel invito Capitulo & reclamante transtulit. Ita Petrum, ut compensaret quæ amiserat, amplissimis honoribus, & sacerdotiis decoravit.

Episcopus Zagrabien.

Bratulicio extincto, Matthias rex Hungariæ, qui anno proximo in Imperium Rodulpho fratri successit, nullum esse digniorem putavit, cui Ecclesiam Zagrabiensem demandaret. Sed biennium intercessit, antequam ad regiam nominationem approbatio Sedis Apostolicæ accederet. Illam confirmavit Paullus V. ut docent tabulæ consistoriales: 1613. 15. *Julii. Ad nomin. Cæsareæ Regiæque Majestatis providit Eccl. Zagrabien. in Sclavonia, vacanti per obitum F. Simonis, de persona Petri Domitrovicii Episcopi Quinqueecclesiensis, & ex eadem Cæsarea regia nominatione Episcopatum Quinqueecclesiensem tradidit Joanni Byhero presbytero Strigoniensi, Præposito Zelnevizienfi*. Suscepto Episcopatu, a more & instituto superiorum Antistitum desciscens, Canonicatum, quem antea obtinebat, applaudente Capitulo, sponte dimisit; neque postea ullus inventus est, quin hujus factum egregium, quam decessorum exempla, imitari maluerit.

Ædiculam S. Stephani Protomartyris refecit, ornavit, ac dotavit.

Prima ejus cura versa est ad restaurandam veterem ædiculam S. Stephani Protomartyris. Hanc post cladem Tartaricam Stephanus II. rex Hungariæ exstruxerat; eaque ad publicæ religionis officia, & munera obeunda utebantur Canonici, antequam reædificaretur ædes cathedralis, quam Tartari diruerant. Nondum hæc ex omni parte absoluta erat, cum Canonici huc regressi quotidianæ psalmodiæ, & liturgiæ operam dare rursus cœperunt. Exinde illa neglecta & deserta, situ & squalore obsita, & propter vetustatem collabescens, sacrificiis, omnique cultu divino caruit; ac demum in usus profanos conversa ne vestigium quidem antiquæ religionis retinebat. Petrus ergo quidquid ibi profani & sordidi erat expurgavit, parietes collabentes refecit, aram elegantem sanctissimo Protomartyri construxit. Ædiculam in pristinum statum & nitorem restitutam, duobus prædiis ære suo coemptis dotavit, e quibus rector eidem præpositus annuos proventus perciperet. Hunc e collegio Canonicorum deligi voluit, eique bina sacra singulis hebdomadis facienda imperavit. Jus rectores constituendi penes Canonicos esse jussit. Sed illud deinde dimissum a Capitulo ad Episcopos devolutum est. Ædis restitutæ auctorem declarat inscriptio januæ superimposita:

Quos olim Stephano sacrarunt Martyri honores,
Præsul Domotrovich innovat hosce Petrus.

Vineam nomine *Electam* de Marco Nespovicio viro nobili ducentis & quinquaginta argenteis Hungaricis emptam ad mensam episcopalem adjunxit, eamque hac cautione devinxit, ut si quis de successoribus Episcopis alienare vellet, aut reipsa distraheret; jus Capitulo dedit, vel vineam ipsam repetendi, vel pecuniam ex ejus venditione percepta vindicandi; hujusque accessione augeri voluit annuos proventus Præfecti ædis S. Stephani ea lege, ut ad duo illa sacra tertium singulis hebdomadis adderet. Sed cum vinea illa vinum generosum atque optimum suppeditet, nemo adhuc Episcoporum inventus est, qui se illa, vel si quam optime vendere potuisset, privare voluerit. Domum Episcopalem, qua spectat in septemtrionem, amplificavit, & usque ad turrim occidentalem perduxit.

Episcopus Valachorum & ejus sedes: subjectus Ep. Zagrabien.

Dum Petrus huic Ecclesiæ præsidebat, primus Episcopus Græci ritus datus est Valachis, sive Rascianis, qui e ditione Turcica, ut diximus in Osvaldo, in Slavoniam & Chrobatiam confugerant, receptique fuerant in clientelam regis Hungariæ, & agris ac domiciliis donati sub ea conditione, ut ejurato schismate Photiano, se ad communionem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ adjungerent. Sedes Episcopalis constituta est in oppido & Ecclesia S. Michaelis de Marcha, haud ita longe ab Ivanichio, castello episcopali; ibidem ædificatum fuit cœnobium Calogerorum, idest monachorum e disciplina Basiliana. Episcopus Marchensis, qui etiam Szvidnicensis appellari solet, subest Episcopo Zagrabiensi, ejusque *Suffraganeus*, sive adjutor vocatur; huic enim ad Valachos, seu Rascianos, qui sunt in diœcesi Zagrabiensi, Christianis mysteriis ac præceptis imbuendos, operam vicariam præbet. Eidem se subjectum esse annuo tributo profitetur; & duodecim libras ceræ singulis annis persolvit. Jus nominandi Episcopi Marchensis ad regem Hungariæ pertinet; sed nullum nominat, nisi quem Episco-

Digitized by Google

scopus Zagrabiensis, & orthodoxum, & huic muneri aptum esse judicaverit. Regiam vero nominationem Sedes Apostolica confirmat. Primus Valachorum Episcopus fuit Simon Vratanichius, ut Ritterus tradit, vir apprime Catholicus, qui ut gregem suum ab omni labe schismatica vel purgaret, vel intactum servaret, nihil curæ operæque prætermisit.

Semin. Zagrabiensi Præposituram Mariænam in area Capitulari attribuit.

Seminarium Zagrabiense & accessione redituum, & numero alumnorum auxit, ut ex eo plures operarii ad vineam dominicam excolendam sibi suppeterent. De consilio & consensu Capituli, eidem in perpetuum fruendam dedit Præposituram S. Mariæ in area Capitulari, salvo tamen titulo & jure parochiali, ex æde S. Emerici ante annos amplius centum illuc translato, & eidem annexo, ut supra dictum est in Luca Episcopo. Præposituram cum ejus proventibus, portione illa detracta, quæ ad victum cultumque parochi satis esset, seminario collatam rogatu Episcopi, Ferdinandus II. qui anno 1619. Matthiæ in regnum Hungariæ & Imperium suffectus fuerat, Cæsareo & regali diplomate approbavit anno 1624. VI. Idus Quintilis.

In regno Slavoniæ antiqua consuetudine, communique usu receptum erat, ut creditores ob pecuniam mutuo datam a debitoribus cautionis caussa pignus fructiferum exigerent, nec solum apud se retinerent usque dum pecunia credita redderetur, sed etiam ex re sibi oppignerata fructus perciperent. Id utrum liceret, dubitari cœptum est; & Episcopus Sedem Apostolicam consulendam putavit. Pontifex, cum id, de quo controversia erat, tribus doctissimis Cardinalibus, & Theologis, ac jurisperitis examinandum ac dijudicandum tradidisset; hoc responsum reddi jussit cum litteris Cardinalis Burghesii inscriptis *Perillustri ac Rever. Dom. D. Episcopo Zagrabiensi*.

Perillustris ac Reverendissime Domine.

Epistola Cardinalis Burghesii cum responso ad id, de quo Episc. quæsierat.

Ex litteris Dominat. Vestræ, quibus naturam & conditiones contractus oppignerationis explicat, SS. Dominus noster istarum animarum periculum cernens, pro ea sollicitudine, & providentia, qua procurandæ fidelium saluti sedulo invigilat, tribus Cardinalibus, aliisque viris doctis, tum Theologis, tum Canonistis totum negotium examinandum, excutiendumque mandavit, qui cum non semel una convenissent, omnia scripta huc transmissa studiose expendissent; in eam venere sententiam, quæ scripto quodam his litteris annexo breviter explicatur. Id ad Dominationem Vestram jussit me SS. D. N. mittere, ut postulationibus ejus satisfaciam, quod & libenter facio, ut etiam intelligat me functum esse officio, quod non semel per litteras a me contenderat; idemque me libentissime in posterum acturum pollicetur, quoties existimabit operam meam sibi usui esse posse. Christus Dominus bonorum omnium largitor & conservator Dominat. Vestram, quam diutissime isti Ecclesiæ incolumem servet. Romæ 10. Novembris 1620. Perillustri Dominationi Vestræ addictissimus Cardinalis Burghesius.

Diligenter accurateque perspectis iis, quæ de oppignerationis contractu, ejusque conditionibus, istic usurpari, & frequentari solent, visum est non posse illum absque usuræ pravitate iniri. Ratio autem est, quia Jure Canonico, communi Theologorum, Summistarum, Jurisque Canonici Interpretum sententia rejicitur, cum fructus, qui ex re oppignerata a creditore percipiuntur, non computantur in sortem, sed ratione mutui capiuntur, quod jure divino, & naturali, tamquam usurarium damnatur. Ita fit ut longa & immemorabilis consuetudo nullo modo contractum honestare, aut ad æquitatem quiverit revocare. Quamvis enim nonnullam habere videatur similitudinem cum contractu venditionis, adjecto redimendi pacto, tamen in venditione venditor dominium rei transfert in emptorem, ideoque quamdiu non redimitur, emptor rem suam suo periculo possidet, jureque optimo ex ea fructus percipit: qui vero rem oppignerat, dominium penes se retinet, ac propterea creditor ex re aliena, solum ratione mutui, compendium facere non potest, neque ullum emolumentum capere, nisi forte in certis casibus, de quibus non agitur.

Quod autem spectat ad futurum, illud ante omnia necessarium videtur, ut Episcopus palam declaret contractus injustitiam, eumque tamquam usurarium prohibeat. Ut autem indigentium necessitati consulatur, & prohibitio prædicti contractus benignius accipiatur, monendus erit populus, ut qui pecunia egent, contractum ineant venditionis cum pacto redimendi, qui justo pretio, habita ejusdem pacti ratione, rite & recte absque ullo usuræ vitio celebrari potest; & mutato nomine & natura, cum venditione dominium in emptorem transferatur, & eamdem plane contrahentes percipiant utilitatem; nam venditor accepta pecunia suæ indigentiæ consulet; emptor vero fructus percipiet.

Restat dicendum de restitutione, quæ respectu præteritorum contractuum videtur necessaria. Verum quoniam ea multis difficultatibus & jurgiis, aliisque perturbationibus obnoxia esset; placuit remedium proponere, quod alias in Italia, cum persimiles scrupuli, & dubitationes de usuris extitissent, auctoritate Apostolica adhibitum est; cum enim contractus iste in eodem regno initus sit, si communiter cives sibi condonent quiquid jure exigere possent, omnis restitutionis obligatio cessabit.

Anno 1624. hora nona post meridiem sub vespertinis crepusculis, ictu fulminis tectum, fornix, testudo basilicæ cathedralis conflagravit. Ara maxima tum ferreæ crucis ingentis ponderis, fastigio testudinis infixæ, tum trabum decidentium mole oppressa & confracta corruit, & flammis undique erumpentibus incensa est. Ignis sacrarium pervasit, & sacram supellectilem, ac pretiosissima quæque sacerdotum & altarium ornamenta consumpsit, duasque proximas aras ligneas combussit. Turrim quoque invasit, & ærea tintinnabula liquefacta sunt. Arx etiam episcopalis eodem fulmine perculsa cum fuisset, multis in locis fœdum in modum labefactata est. Ingens sane calamitas; detrimentum acceptum viginti millibus florenorum æstimatum ferunt. Gravis & miserabilis casus sponsæ sibi charissimæ optimum Præsulem incredibili dolore affecit, ut ejus damna resarciret, nihil studii curæque prætermisit; primum de suo quæ potuit, impendit; deinde ab aliis undecumque subsidia corrogavit. Cum pecuniæ inops esset, quidquid in horreis cellisque tritici, vini, & aliarum frugum esset, demptis iis, quæ ad suum & familiæ usum necessaria videbantur, liberalissime contulit. Quæ vero ad reficiendum quod ignis absumpserat, Canonici, viri

Incendium basilicæ cathedralis.

viri nobiles, magistratus, quæstores, Augustissimi Imperator & Imperatrix, vel exemplo & rogatu Episcopi, vel deprecante Benedicto Vinchovichio Præposito majore, qui tum Viennæ de aliis gravissimis Ecclesiæ negotiis apud Cæsarem agebat, pro sua quisque parte contulerint; eorum indicem & catalogum confecit idem Vinchovichius his verbis: *Gravi huic jacturæ reparandæ cum Ecclesiæ facultates non sufficerent, necessarium aliunde subsidium implorandum erat. Et Comes quidem Georgius Zrinius in Comitiis generalibus non multo post celebratis, uti ceteris dignitate magistratus præeminebat, ita religiosæ munificentiæ exemplo cunctis præivit, numeratis in opus pium nummis, quos Talleros vocant, ducentis, & subministrata tanta lignorum materia, quæ fabricæ Ecclesiæ sufficere videretur: cujus alii pietate spectata moti id auxilii adjecere, quo utcumque illatum damnum tolerabile redderetur. Ut autem hujusmodi benefactorum memoria apud posteros vivat, placuit hic nonnullorum catalogum texere. Porrexerant itaque non solum diversi magnates & nobiles regni opportuna subsidia, verum & milites confiniarii de restantiis suorum stipendiorum, æra quædam minuta in gazophylacium mittentes, insimul tamen apud Cameram Græcensem exigenda duo millia Rhenensium cesserunt, per eamdem cameram in pleno persoluta. Contribuerant præterea, deprecante Vinkovichio, Joannes Telegdi Archiep. Colocen. flor. Hung. mille; Cancellarius illius temporis Hungaricus talleros centum triginta octo, Ferdinandus Imperator ex tricesima Nedelicensi floren. Hung. mille, & insuper Præpositura Saghiensis fructus, collata Episcopo administratione, ita ut per triennium universos proventus ad fabricam Ecclesiæ convertat, reliquis vero annis, quod dictaret pietas adjiceret. Fuit in ejus possessione Episcopus usque ad mortem, usus subinde illius titulo, ex ejusque reditibus percepit Ecclesia Rhen. quater mille. Imperatrix quoque Eleonora Augustissimum consortem æmulatura flor. Hung. octingentos viginti, quos titulo honorarii, dum in Reginam Hungar. coronaretur, Status Croatiæ ei detulerunt, in reparationem Ecclesiæ cessit, & per quæstorem regni eleemosynæ perceptori administrati fuere. Tum quid auxilii attulit ipse Episcopus; qui licet in cunctis aliis, dempta pecunia habenda, visus est fuisse felix; in habitione pecuniæ inops fuit, tum quia prius illam expenebat, quam ad manus suas percipiebat, tum quia cupidus pecuniæ corradendæ non fuit. Et sic ille licet in pecunia exiguum ferebat subsidium in reparationem dictæ Ecclesiæ, in frumento tamen, vino, & obsonio, item & mendicatione ad reparationem ejusdem Ecclesiæ concurrebat. De Capitulo autem hæc addo. Præter pecuniarium subsidium, laboribus laboratorum suorum colonorum, item laboribus jumentalibus multum juvit: nam coloni Capituli majori ex parte robora succisa convexerunt. Item circa cæmentum, lateres, lapides necessarios, & reliquam materiam coacervandam laboratores præstiterunt: qui si pretio pecuniæ æstimati fuissent, ultra valorem mille florenorum se extendissent.* Hæc Vinkovichius.

Subsidia principum virorum ad Basilicam reficiendã.

His subsidiis strenue laboratum est in restauranda basilica atque in pristinum statum restituenda; sed opus absolutum videre non potuit optimus Præsul. Cum pro munere episcopali feminam illustrem legitimum torum nefario concubitu coinquinantem graviter acriterque reprehendisset, immissis ab irata muliere sicariis captus est, & dejectus in fossam aqua stagnanti superfusam, quæ Varasdini mœnia circumluit; ibi submersus gloriosam mortem oppetiit; de cujus indigna nece & sacrilega Benedictus Vinkovichius, *Quæ submersio*, inquit, *Dominica Trinitatis anno 1628. per feminam Germanam ratione adulterii per eumdem Episcopum reprehensam, causata communiter perhibetur. Quam feminam licet noverim, quia tamen magni & boni viri consors pro tempore illo extitit, ideo nominare eam prætermitto. Interim corpus exanime Zagrabiam delatum ad antecessores Episcopos positum est fer. 6. post festum Corporis Christi. Pientissimi viri indignum casum, ut orator panegyrica funebri amarius deplorandum afflictis auditoribus repræsentaret, fertur pro themate habuisse, quod in persona Christi patientis mœsta Ecclesia die sacro Parasceves occinit: Popule meus quid feci tibi?* Annos ipsos sexdecim, & octo præterea menses huic Ecclesiæ laudabiliter præfuit. Mors violenta & inopinata facultatem & spatium condendi testamenti eripuit. Itaque bonorum mobilium, sive immobilium, quæ reliquerat, tutela & curatio devoluta est ad Capitulum ex decreto Ferdinandi II. Imperatoris, qui, ut est apud Kovascevichium, *anno 1625. Episcopis Hungariæ decantatum illud diploma dedit; quo illis facultatem impertitur de bonis eorum mobilibus cum rata medietate disponendi, altera medietate in erectionem seminariorum, vel melioratione parochiarum applicanda. Si Episcopi ab intestato, vel testamento condito decedant, ordinat ut Capitulum semper tres probatæ fidei viros de suo corpore (quorum unus regio nomine interveniat) destinare teneatur, qui rerum cujusvis generis mobilium inventarium conficiant: & plura alia addit; quæ brevitatis caussa omittimus. Licet autem virtute hujus diplomatis, substantia Episcoporum tantum mobilis eximatur a potestate fisci, cui alias etiam ipsa hactenus obnoxiabatur, & non immobilis, cum de ea nulla fiat mentio; post fata nihilominus Domitrovicii, quamquam ab intestato demortui, utraque bona præ manibus Capituli manserunt, mobilia quidem ad præscriptum diplomatis dispensanda, stabilia vero usque ad adventum futuri Episcopi curanda & administranda, secluso videlicet fisco regio, qui alias post decessum Casparis Ztankovachii, remoto Capitulo, in gubernium bonorum episcopalium se ingesserat.*

Ob mulierem adulteram reprehensam in aqua Varasdini mœnia circumfluente submersus gloriosam mortẽ occubuit.

De rebus mobilibus & immobilibus Episcopi defuncti variæ & multiplices controversiæ administratoribus & curatoribus ejus bonorum cum Francisco Erghelio proximo successore fuerunt, quas breviter commemoravit Thomas Kovascevichius: *Hic peracta consueta inauguratione continuo graves habuit dissensiones & controversias cum executoribus sui antecessoris, inter quos principalis Benedictus Vinkovicius Præpositus major. Fomes dissidiorum fuere mobilia quædam Domitrovicii, quæ executores solvi ab Erghelio contendebant; is vero aliquo titulo inventarii sibi deberi prætexebat; de nonnullis vero aliquam sibi notitiam esse inficiabatur: ita, quod deductis scripto ab utrinque prætensionibus, cum convenire nequirent, Episcopus rem ad Metropolitanum provocans, favorabiliorem, quam fors sperabat, decisionem nactus est. Novem erant vigentis controversiæ puncta, quæ ab Erghelio proposita, & ab Emerico Losy Archiep. Colocensi, & Episcop.*

De bonis mobilibus Domitrovicii controversiæ quædam inter eorũ administratores, & Episcopum proximum ejus successorem.

Digitized by Google

scop. Varadiensi resoluta, & decisa fuere: quorum duo subnectere visum est, quinto videlicet, & sexto loco posita: illud in terminis sic jacet: Utrum satorum, sede vacante episcopali, & ante emanationem donationis factorum, semina, aut eorum pretium a successore peti, & extorqueri possint. Respondit Metropolita: Sata sunt successoris, cum nondum a terra sint separata. Sextum quaesitum fuit: Utrum inventatores regius, & capitulares de rebus per demortuum relictis, successorem Episcopum in suo ingressu, cum sua comitiva, prandio & cœna excipere teneantur: resolvit Archiepiscopus: dictat urbanitas, ut hoc fiat.

FRANCISCUS EP. ZAGRAB. LIX.

Franciscus Erghelius e natione Turcica oriundus,

Filius Petri Haszanovichii, qui cum e Turcis oriundus esset, Christiana sacra suscepit, & Vaivoda Gradacensis creatus, cum Turcis gentilibus suis in Slavonia egregie pugnavit, & multa dioecesis Zagrabiensis loca de hostibus recepit. Eximie de re publica & Christiana meritum Draskovichius, Monozlajus, & Ztankovachius Episcopi plurimis, & frugiferis terris, villisque donarunt. E muliere Christiana, qua cum matrimonium inierat, Franciscum genuit, qui, cognomine avito & Turcico rejecto, Erghelius cognominari voluit. Patris egregii bellatoris exemplo neglecto, vitae militari Ecclesiasticam praetulit. Eum Georgius Draskovichius sive ob merita parentis, sive ob spem bonam & magnam indolem in adolescente perspectam, primum in collegium Canonicorum cooptavit, deinde Archidiaconatum Vaschensem ei contulit. Bononiam profectus, in collegio Hungarico studiis Philosophicis, & Theologicis annos quattuor impendit; & ibidem dum esset, relicto Vaschensi Archidiaconatum Goricensem obtinuit. Doctoris nomen, & lauream adeptum Petrus Heressinczius Episcopus Zagrabiam revocavit anno 1686. ut ejus virtuti ac sapientiae, quam plurimi faciebat, campum daret, in quo exerceri, & cognosci posset, atque ad summos quoque Ecclesiasticae hierarchiae gradus viam aperiret. Anno 1593. Goricensem cum Bexinensi Archidiaconatu longe opulentiori commutavit; & post sexennium ad supremum Capituli Zagrabiensis subsellium ascendit, cum ei Rodulphus Caesar dignitatem Praepositi majoris contulisset. Anno 1607. idem Rodulphus Franciscum nominavit Episcopum Bosnensem, & Paullus V. Caesaream ac regiam nominationem confirmavit, eique potestatem fecit Canonicatus Zagrabiensis retinendi. Post triennium titulo Episcopatus Bosnensis deposito, ad regendam Ecclesiam Vesprimiensem a Matthia II. rege Hungariae sibi collatam, Paullo V. approbante, migravit. Canonicatum Zagrabiensem annos fere tredecim retinuit; nec vero, quos ex eo percipiebat, proventus inutiles esse voluit Ecclesiae & Capitulo Zagrabiensi, cui numeravit ter mille septingentos & octoginta florenos, ut ex eorum fructu alerentur bini adolescentes consanguinei, vel affines familiae Ergheliae, qui litteris in collegio vel Zagrabiensi, vel Bononiensi operam darent; si nemo esset de sua consanguinitate, vel affinitate, qui eo beneficio uti vellent, aut possent, duos egenos adolescentes, bona indole, & bono ingenio praeditos in locum illorum substitui jussit.

Praepositus major,

Episcopus Bosnen. postea Vesprimien.

Post mortem Domitrovichii Ferdinandus II. Ecclesiam Zagrabiensem Erghelio perspectae sibi virtutis, & doctrinae viro, tradere ac demandare constituit; & suo apud Sedem Apostolicam oratori mandavit, ut Episcopatus ab se in Franciscum collati auctor fieret Pontifex Maximus, ejusque auctoritatis diploma rite confectum ad se transmitteret. Caesareae & regiae voluntati libentissime morem gessit Urbanus VIII. quod de Francisco egregiam opinionem conceperat ex litteris Pontificii apud Caesarem Internuncii; in quibus hoc praeclarum testimonium illi tribuebat: *Transferendus, in Episcopatu Vesprimiensi, & antea Bosnensi, spatio viginti annorum ita se gessit, & pietatis ac fidei Catholicae studium tam enixe ostendit, ut merito ad Ecclesiam Zagrabiensem transferri possit.* Zagrabiam venienti clerus populusque, ac tota fere civitas montis Graecensis obviam processit; & frequentissimo comitatu, inter faustissimas acclamationes, ad basilicam cathedralem deductus, in ipso introitu gravissima atque ornatissima laudatione exceptus, post sollemnes precationes, & gratias Deo ac superis actas, solium episcopale conscendit anno 1628. pridie Kalendas Septembris. Annus alter a suscepto Episcopatu amplissimam materiam, & occasionem illi praebuit suae erga miseros & egentes caritatis ac liberalitatis exercendae. Summa quippe annonae caritas, & tanta frugum inopia universam Slavoniam afflixit, ut vulgares ac plebei ad famem depellendam, vitamque protrahendam, undecumque poterant, victum arriperent, & ne noxiis quidem, ac pestiferis alimentis abstinerent; hinc morbi exitiales, & plurimorum miserandus interitus. Haec ad sempiternam miseri ac luctuosi illius temporis memoriam litteris Tabularii Capitularis mandata reperio: *Hoc famelicosissimo tempore afflictissimi subditi per universam Sclavoniam, victu partim ex cadaveribus animalium, furfuribus, paleis, ac straminibus sectis, partim ex arborum corticibus, putridis lignis, palmitibus vitium amputatis, item fruticibus & radicibus exsiccatis, contusis, & molitis, partim vero ex aliis herbis, & graminibus coctis & insulsis, confecto, miseram vitam miserrime de die in diem protrahentes, ex victu tam insueto luem ac tabem contrahebant, ac tandem toto corpore intumentes, passim animas exhalabant. Ex quibus unus nobilis pauper in Marocha degens, sororem uterinam natu minorem cultro jugulavit, in partes membra illius dividens, prae nimia fame coxit; quam etiam coctam comedisset, nisi ab uxore impeditus fuisset.* Hac malorum atrocitate commotus amantissimus Praesul, tantae calamitati sibi omni ope subveniendum censuit; vix quod tenuem in victum sibi satis esset retinuit; pecuniam, triticum, omnesque proventus ecclesiasticos, & domesticos ad pauperes, & praesertim colonos oppidorum, & cultores agrorum Episcopalium alendos, longe effuseque erogavit. Ejus exemplo multi proceres in gloriosi operis societatem admitti cupientes, Episcopo pecuniae summam non exiguam ultro detulere, quam plebi fame periclitanti dispertiret; sed potissimum Canonici sancta aemulatione incitati, tum vulgarium pauperum, quorum non deerat passim copia, tum maxime eorum, qui agros Capitulares colebant, extremam egestatem, pro suis quisque facultatibus, alieno etiam aere contracto, sublevarunt. Ut vero subveni-

tandem Zagrabien.

Episcopi caritas, & liberalitas ad communem inopiam sublevandam.

venirent incolis castri & territorii Siscienfis, quod Capituli dominio subest, eadem inopia communi laborantibus, mille florenos Hungaricos ex ærario Ecclesiæ mutuos sumpserunt; villa Kelzmicensi eidem ad tempus vendita, ex qua fructus Ecclesia tamdiu perciperet, quoad pecunia eidem redderetur. Ea fames & calamitas fere tres annos tenuit, qua demum perfuncta plebs agrestis, & urbana ad solitos labores, & quæstus, & opificia rediit.

Joannes Tomcus Marnavitius Canonicatum, & Archidiaconatum cathedralem, quem ipse obtinebat, Nicolao Medachio a Pontifice conferendum curavit.

Joannes Tomcus Marnavitius Canonicus idem & Archidiaconus cathedralis, Romæ cum esset, statim atque de morte Domitrovichii nunciatum est, utroque sacerdotio se abdicavit; & traditum in manum Urbano VIII. operam dedit, utrumque ut conferret Nicolao Medachio alumno collegii Germanici-Hungarici S. Apollinaris. Jus utriusque conferendi sibi ereptum ægre tulit Franciscus Erghelius; & ne hujus facti exemplum, sibi suisque successoribus perniciosum, aliis in posterum proderetur; Martinum Bogdanum Archidiaconum Camarcensem Romam misit, ut si res adhuc in integro esset, omni studio operaque se se opponeret; si vero jam perfecta esset, infectam, atque irritam fieri curaret. Sed sacerdotium utrumque jam Nicolao collatum, & Pontificium collationis diploma ei traditum invenit. Itaque cum neque quod factum fuerat, ne fieret, impediri posset, neque Pontifex adduci posse videretur, ut quod Nicolao dederat, pro potestate revocaret, ipso invito, aut non consentiente, illud restabat, ut Nicolaum ad renunciandum Pontifici, quod ab eo acceperat, hortaretur. Quod volebat, ei facile persuasit, cum ostendisset quantum ea res habitura esset offensionis & invidiæ, quantopere displiceret Capitulo & Episcopo, & quantam denique gratiam & benevolentiam promeriturus esset, si quod extra ordinem præterque morem obtinuisset, sponte dimitteret, ejusque facti & exempli auctoritatem posteris præriperet. Bene monenti atque hortanti paruit Nicolaus; nec paruisse illum pœnituit; quippe Episcopus Canonicatum ab Joanne Marnavitio dimissum ei contulit, Archidiaconatum cathedralem, pro re, cujus potissimum caussa Romam iverat, ex sententia & voluntate Præsulis optime gesta, in Martinum Bogdanum transtulit, Camarcensem vero Archidiaconatum optationi Canonicorum reliquit.

Ad perficiendam restitutionem ædis cathedralis plurimum operæ & pecuniæ contulit Erghelius.

Ad perficiendam reparationem ædis cathedralis omni studio curaque Franciscus incubuit, ut Paullus Ritterus scriptum reliquit: *Eam juvandæ domus Dei curam habuit, & operam adhibuit, ut reparato fornice, exstructa ara magnificentissima, inchoata sumptuosi operis e quadrato lapide præalta turri, & priscorum æmulator, & futurorum fuerit impulsor*. Fornicem a decessore restitui cœptum, subsidiis aliunde corrogatis absolvit ac perfecit; summum vero altare, quod Osvaldus extruxerat, & fulmen dejecerat, longe magnificentius & elegantius reædificavit, in cujusque ædificationem quattuor millia Rhenensium impensa ferunt, quæ partim Episcopus de suo numeravit, partim suppeditata sunt ex ea pecunia, quam ad restaurandam basilicam Canonici, & viri principes contulerant. Primarium aræ auctorem conditoremque declarat inscriptio ibidem apposita.

Franciscus Præsul locat hanc Erghelius aram,
Osvaldi postquam concidit igne labor.
Anno Domini MDCXXXII.

quam consecravit Joannes Marnavitius Ep. Bosnensis.

Basilicam restitutam ornatamque eodem anno XIII. Kalendas Januarii sollemni ritu ac cærimonia consecrari jussit ab Joanne Tomco Marnavitio, quem superiore anno ex nominatione Ferdinandi II. & decreto Urbani VIII. Episcopum Bosnensem creatum, Franciscus jam ætate affecta, & viribus infirmis, rogaverat, ut sibi ad munera episcopalia obeunda, si quando opus esset, vicariam operam navaret; eique Canonici & lectoris munus ac dignitatem contulerat. Huic Sacra Congregatio de propaganda fide *Visitationem* Apostolicam cœnobiorum Ordinis Eremitici Paullini tum in Hungaria, tum in Polonia imperaverat. Hungarica lustratione perfunctus, cum aditum ad Poloniam sibi interclusum reperisset, intra finem ejusdem anni Zagrabiam venit, & ab Erghelio Episcopo perhonorifice exceptus, ex ejus mandato, ut diximus, ædem cathedralem, itemque aram maximam, cum duabus aliis eidem proximis consecravit anno 1633. Postea Romam rediit, ut visitationis sibi commissæ rationem redderet. Anno 1635. Zagrabiam reversus, insigne ac pretiosissimum donum a Francisco Cardinali Barberino basilicæ cathedrali attulit; videlicet simulacrum argenteum pulcherrime cælatum, ut in ejus Capite reponeretur cranium S. Stephani regis Hungariæ, quod vulgari theca inclusum, non eo, quod dignum erat, ornatu cultuque, in sacrario ejusdem basilicæ, cum aliis sacris lipsanis asservabatur.

Donum Cardinalis Barberini basilicæ Zagrabien. oblatum.

Anno quippe 1594. pretiosa quæque sacrarii Zagrabiensis lipsana aureis, argenteisque ornamentis exspoliata fuerant, ut Siscienfi militi stipendia solverentur; qua de re ipsius Marnavitii narrationem paullo superius retulimus in Caspare Zagrabiensi Antistite: Barberiniani autem muneris ipse Marnavitius auctor extitit, & pæne hortator; reique hujusce memoriam, & grati animi erga piissimum Cardinalem monumentum in citata a nobis dissert. *de sacris Ecclesiarum ornamentis* reliquit hisce verbis. *Sed hæc infelicitas, Siscianæ nimirum cladis, & sacri thesauri exspoliati, pietate sæculi nostri in omen felicitatis maximæ reparatur; dum Eminentiss. Princeps Franciscus Card. Barberinus... ubi primum nuditatem reliquiæ S. Regis, erga cujus cultum exardescit perpetuo, nuper a me accepit, pretiosissimum ornamentum auro, argento, gemmisque ditissimum, ipsum Apostolici regis caput, humeros, & pectus exprimens, Hungarico regali paludamento insigne, regia corona ad imitationem Angelicæ, Apostolicæque coronæ Hungaricæ superbum, elegantia operis nulli sacro reliquiario secundum, Romana industria elaboratum, mihi ad Ecclesiam nostram Zagrabiensem deferendum ad manus ingenti animi alacritate consignavit. In cujus illustrissimi ornamenti base ejusdem pietatis argumentum incisum est perlegere, quod æque erga sanctissimum regem eminentissimæ tanti Cardinalis pietatis, ut erga gentem nostram paterni affectus argumentum &c.* hæc vero est inscriptionis formula.

Sacro D. Stephani Hungarorum Regis, Apostolique Cranio in Zagrabiensi Ecclesia eidem dicata servato, decentius adservando. Franciscus tit. S. Laurentii in Damaso S. R. E. -Vicecancellarius Diaconus Cardinalis Barberinus piam in S. Regem observantiam humiliter offert.
Anno Domini MDCXXXV.

De-

Digitized by Google

Turris pro sustinendis æreis tintinnabulis inchoata.

Deinde consilia & studia tum Episcopi, tum Canonicorum spectare cœperunt ad turrim excitandam, quæ mole sua, altitudine, operisque elegantia magnificentiæ & dignitati basilicæ responderet. Opus bis mille ac ducentis Rhenensibus faciendum locarunt Joanni Alberto insigni architecto, cum quo ita conventum est; ut ipse quidem turrim exstrueret, in altitudinem *orgias* (est genus mensuræ) omnino quattuordecim perduceret, lapidibus quadratis & scalpro politis convestiret, coronis marmoreis intertextis, & æquali spatio inter se disjunctis, circumligaret ornaretque; saxa vero, ceteram materiam ligneam & ferream, vecturas itidem, & operarios Canonici suppeditarent; Episcopus autem pecuniam contribueret; quæ si pactam mercedem non æquaret, quod deesset, sumeretur ex capsa, in quam conjecta fuerant subsidia pecuniaria, ad reparationem basilicæ collata. His pactis & conventis, utrinque confirmatis & subscriptis, statim manus operi admoveri cœpta est, fundamenta jacta sunt; & intra dies non ita multos e solo eminere jam cœperat, cum duplex impedimentum objectum ædificationem interrupit; alterum ortum ex controversia inter Capitulum & Episcopum; hic siquidem cum tercentos Rhenenses architecto numerasset pro secandis lapidibus poliendisque, pecuniam ex illa, quam dixi, capsula dari volebat, unde secunda, & reliquæ deinceps solutiones fierent; illi vero obstabant, ajebantque ex pactione facta nihil de illa pecunia detrahi, aut diminui debere, antequam ipse ostenderet se in magna difficultate nummaria versari, & solvendo non esse. Alterum impedimentum ædificationi moramque injecit seditio Stibrensium. Hi populi subjecti erant, & vectigales Capitulo, qui vecturis atque oneribus, nimio plus, quam eorum privilegia ferrent, se gravatos esse querebantur; cum autem suis querelis nihil se proficere, nihil de injunctis laboribus sibi remitti ac diminui viderent, primum tumultuari cœperunt, deinde obstinarunt animis quidquid Capitulum imperasset, palam aperteque detrectare. Interea dum opus interruptum pendebat, Episcopus in morbum gravem & periculosum incidit, quo magis magisque ingravescente in extremum vitæ discrimen adductus est. Testamentum fecit, & caussis, quas dixi, expeditis, ob quas Turris exstructio intermissa fuerat, ad eam perficiendam quidquid habuit pecuniæ legavit. Singulari Dei beneficio convaluit; & statim revocatis architecto & operariis, cogitationem curamque inchoati operis persequendi, ad tempus depositam, resumsit. Ne deessent vecturæ necessariæ, quas Stibrenses summa pertinacia negabant, eas sibi aliunde curandas esse Canonici statuerunt. Ergo inter eos pacto convenit, ut quattuor primores Capituli, quos Dignitates & Columnas vocant, id est Præpositus major, lector, cantor, & custos, singuli duodenos, Archidiaconi singuli denos, magistri, seu Canonici infimi ordinis, itidem singuli quinos currus ad ligna, saxa, ceteramque materiam convehendam contribuerent. Ita Episcopo & Canonicis rem assidue urgentibus, & omnia, quæ necessaria erant, sine cunctatione conferentibus, Turris ad constitutam altitudinem pervenit; absolutam tamen & perfectam Episcopus videre non potuit; deerat quippe fastigium: quod demum, quinquennio post ejus mortem anno 1643. impositum fuit.

Episcopus, cum e gravissimo morbo convaluisset, perficiendam curavit.

Ne bona vel Episcopatus vel Abbatiæ Toplicensis ullo modo alienari liceret, interdictum a Ferdinando II. impetravit.

Cum superiores Antistites de bonis ac prædiis tum Episcopatus Zagrabiensis, tum Abbatiæ Toplicensis cum eodem conjunctæ, multa vel oppignerassent, vel jure fiduciario, seu feudali possidenda tradidissent, vel denique pro pecunia accepta ab omni pensione liberassent, Franciscus Erghelius Benedictum Vinkovichium Præpositum majorem Viennam misit, qui Ferdinando II. Imperatori exponeret quantum detrimenti e distractione bonorum illorum res Ecclesiastica cepisset, simulque eum rogaret, ut, Cæsarea & regali auctoritate interposita, ediceret atque interdiceret, ne liceret imposterum Episcopis bona & proventus sive Episcopatus, sive Abbatiæ ullo modo alienare, distrahere, diminuere: quæ vero quacumque ratione divulsa fuerant, ea omnino ab Episcopis recuperari juberet. Si quid tamen de bonis Ecclesiasticis remunerationis caussa ministris & operariis Ecclesiæ dari oporteret, hujusmodi donationes perpetuas esse, & Capitulo inconsulto fieri vetaret. Annuit Imperator; & decretum in hæc verba fecit.

Diploma Ferdinandi II Imp.

Nos Ferdinandus Secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis: quod cum Majestati nostræ per fidelem nostrum Venerabilem Benedictum Vinkovich Præpositum majorem Ecclesiæ Zagrab. dictæque Ecclesiæ Episcopi in spiritualibus Vicarium, nomine & in persona fidelis nostri Rev. Francisci Erghelii Episc. Zagrab. & Consiliarii nostri, expositum fuerat, qualiter Bona Ecclesiastica ad præfatum Episcopatum Zagrabiensem, & Abbatiam Topulskensem, eidem Episcopatui annexam & unitam, spectantia per superiorum temporum Episcopos, partim infeudata, partim pro pecuniis libertata, partim vero etiam pro pecuniis oppignorata extitissent, & quidem, uti prætenditur, talibus personis ut plurimum, quæ vix aliquod notabile servitium in commodum Ecclesiæ prædictæ præstitissent: quorum bonorum infeudatorum, oppigneratorum, libertatorum incolæ, tametsi ex aliqua parte videantur subesse jurisdictioni ipsius Ecclesiæ, & Episcopi Zagrabiensis, exiguam tamen utilitatem tam eidem Ecclesiæ, quam Episcopo præstarent; adeoque per ejusmodi infeudationes, libertationes, & oppignerationes, juribus tam Canonicis, quam etiam patriis prohibitas, imminutus, & extenuatus esset reditus ipse Episcopatus, ut vix decima pars Bonorum Episcopalium pleno jure ad rationem Episcopi pro nunc haberi perhiberetur. Unde ob accisos ejusmodi proventus Ecclesiasticos, & Bona dicti Episcopatus distracta, etiam domesticis usibus quotidianis idonee prospici vix posse; præterquamquod ruinosæ Ecclesiæ, & aliorum ædificiorum ad Episcopatum spectantium restauratione hactenus intermissa & neglecta, structuræ & domicilia Residentiæ Episcopalis penitus collapsa feruntur; & alia ad pios & sacros ritus, & ministeria Ecclesiastica dietim peragi exercerique solita, ac debita officia, cum fidelium profectus spiritualis, & ædificationis defectu, & damno, intromissa ac pene abolita comperiuntur. Ut itaque præmissis defectibus & necessitatibus prælibatus Episcopus succurrere, & remedium adhibere posset, ad majestatem nostram debita cum instantia, medio prædicti Præpositi majoris Ecclesiæ Zagrab. recurrendum duxit, ut de remedio opportuno providere dignaremur. Cum ergo innatus nobis erga religionem & Ec-

& Ecclesias Dei affectus, divinæ providentiæ subsidio in eam inclinationem dirigi cupiat, ut non solum amplissimus divinus cultus, & decor, in istius regni nostri Sclavoniæ partibus, pietasque erga personarum Ecclesiasticarum in dignitatibus & prælaturis constitutarum intertentiones, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, per hostilitates eversorum, & pessundatorum restaurationes, beneficiorum Ecclesiasticorum restitutiones, seminariorum pro juventute instituenda, & erudienda erectiones, eniteat; verum etiam ut Bona Ecclesiastica quævis, signanter autem, & potissimum Episcopalia ad præmissos effectus æque a piissimis regibus Hungariæ prædecessoribus nostris sanctæ memoriæ collata, ac in abusum tracta subleventur, ac quovis modo abalienata, & dissipata rursum recuperentur, & pristino statui decorique restituantur; proinde auctoritate nostra regia, jurisque patronatus bonorum Ecclesiasticorum per regna & provincias nostras, quo ut rex Hungariæ, ad instar prædecessorum nostrorum regum Hungariæ, utimur, per præsens benignum diploma nostrum, & instrumentum litterale, tum suprafato Episcopo moderno, utpote prælato, ceterisque consequenter succedentibus & successuris Episcopis ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis, benignam hanc ordinationem & voluntatem intimandam, notificandamque esse decrevimus, quatenus bona illa Ecclesiastica ad Episcopatum Zagrabiensem spectantia, quæ per feuda, impignorationes, venditiones, donationes, aliosque modos fuissent alienata, & a jure Episcopali illicite avulsa, modis omnibus recuperare studeant; quandoquidem præmissis sub titulis factæ alienationes, non solum juribus & consuetudinibus sacræ regni istius nostri Hungariæ coronæ, & articulis superinde in publicis regni constitutionibus editis, manifeste adversantur, verum etiam censuris Ecclesiasticis, & sacrorum Canonum decretis, ac sanctionibus vetita, ac sub severis interminationibus & pœnis Ecclesiasticis, ac Episcoporum juramentis interdicta esse comperiuntur. In præmissis omnibus ratione recuperationis, ab infeudatione liberationis, oppigneratorum redemptionis, aliisque sub titulis factorum alienationum rehabitionis, id observando, quod complura edicta, publicæ regni Constitutiones, & decreta Tripartiti, ipsiusque regni nostri Sclavoniæ particularia, & municipalia jura dictant, & præscribunt, observandum est. Sed & modis omnibus cautum esse volumus, prælibataque auctoritate nostra regia, & jurispatronatus, præsentium per vigorem constituimus, & decernimus ad tollendos, & vitandos tales abusus, & dispendia, ut supra commemoratum existit, tam spiritualium, quam temporalium profectuum; ne deinceps ipsi Episcopo Zagrabiensi pro tempore constituto, vel etiam futuris in dicto Episcopatu successoribus, tam ex recuperandis, prout & multo minus ex iis, quæ pro tempore residua habentur, Episcopatus Ecclesiæ Zagrabien. bona, & de facto possidentur, una cum bonis Abbatiæ de Topulszka eidem Episcopatui unitæ, quovis modo alienare, infeudare, inscribere facultas fiat. Quia tamen ministris & operariis, servitia salutaria præstantibus, ipsi prælati & eorum Ecclesiæ carere non possunt, & talium merita præclara servitia recompensari quoque necesse sit; tunc, ut præsens benignum nostrum edictale decretum, pro conservatione & restitutione ipsius Episcopatus acsi permaneat, & simul mercede ac remuneratione præfati operarii, & servitia utilia præstantes ministri, haudquaquam destituantur; permittimus posse ipsum prælatum & Episcopum sæpe dictæ Ecclesiæ temporaneam benemeritæ personæ collationem bonorum (si nimirum alia media, & modi compensationis nullo modo suppeterent) conferendo aliquid ex bonis, aut libertando, a servitiisque & oneribus colonicalibus eximendo, id tamen dumtaxat, vel ad dies vitæ, vel certe donec in servitiis prælati, & toties dictæ Ecclesiæ manserit, facere. Quod ipsum etiam, ut pro securitate ipsius Ecclesiæ Zagrabiensis, & corporis bonorum integra permansione, tanto facilius administretur, ut rem maxime ad hoc conferentem; volumus, ut cum præscitu, & conscensu etiam Capituli, ab ipso prælato & Episcopo dicta remuneratio fiat, quatenus casu quo, per decessum ex humana vita, vel etiam translationem ejusdem Episcopi, successores tanto facilius integram & realem possessionem dicti Episcopatus Ecclesiæ Zagrabiensis adeant, & munia Episcopalia obeunda interrupte, & ordinate peragi facere possint, & valeant. In quorum omnium robur, & firmitatem hasce benignas litteras nostras secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, communitas, roboratasque emanari fecimus. Dat. in Civitate nostra Viennensi die 8. mens. Septembris. Anno Dom. 1629. regnorum nostrorum, Romani undecimo, Hungariæ & reliquorum duodecimo, Bohemiæ vero decimo tertio.

Multa sunt quæ hic sapientissimus Præsul pie, utiliter, providentissime constituit; hæc præcipue, ut si quis Canonicorum intestato decederet, duos Canonici e suo collegio deligerent, viros fidei & probitatis integerrimæ, qui pecuniæ, supellectilis domesticæ, rerumque aliarum quidquid ab eo relictum reperissent, accurate in codicem referrent, ex his necessarios in sepulturam & funeris exequias sumptus facerent, & alienum, si quod contraxerat, dissolverent, debitam ejus famulitio mercedem præberent. Si quid vero residuum esset, caveant ne in suos, vel Capituli usus convertant; sed partim Ecclesiæ, partim consanguineis & affinibus demortui Canonici, partim denique pauperibus distribuant. Traditæ susceptæque administrationis rationem, intra quintum ab ejus obitu mensem, Episcopo, vel si Episcopale interregnum fuerit, Capitulo reddant. Ex decreto bene longo hæc decerpsit Kovascevichius: *Teneatur idem Capitulum, semper e medio sui duas personas conscientiosas, & idoneas, executores ad intestati defuncti Canonici Zagrabien. res universas, clenodia, supellectilia, cunctaque alia bona inventanda & consignanda eligere ac deputare. Qui executores, peracta non sumptuosa, sed condigna tumulatione, solutisque prius liquidis debitis, si qua talia fuerint, & servitoribus ac familia pro mercede contentatis; illud quod residuum fuerit, nec ipsi executores, nec antelatum Capitulum in proprios usus sub restitutione duplæ, sive duplicata restitutione rerum ablatarum ipso facto incurrenda, convertere præsumant; sed juxta Canonicas sanctiones trifariam conscientiose dividere debeant, ita nimirum ut in restaurationem & fabricam cathedralis Ecclesiæ pars una, consanguineis & affinibus intestati altera, tertia demum pauperibus cedat, & consignetur; cujus tertiæ partis medietatem Seminarium Zagrabiense habebit. Tandem de jure & laudabili consuetudine tales personæ in executores*

De bonis Canonicorum qui intestati decedunt, sapientissime & providentissime sancivit Erghelius.

Digitized by Google

res per Capitulum deputata, nobis & futuris pro tempore prælatis, & sede Episcopali vacante, ipsi Capitulo, super omnibus inventatis, perceptis, & erogatis, ac extradatis sufficientem, & justam rationem semper intra quinque mensium spatium (si interea executio justa de caussa præpedita non fuerit) dare sint obligati; quam si intra præscriptum tempus non dederint, superiores supradicti ad dandam eamdem rationem eosdem cogent, & in contumaces animadvertant. In æde cathedrali oleum lampadi ante divinam eucharistiam diu noctuque alendæ non suppetebat; neque accendi solebat, nisi statis quibusdam horis diei, cum scilicet Canonici & clerici psalmodiæ, ac divinis rebus operam dabant. Rem indignam, irreligiosam, piæ ac receptæ ubique consuetudini repugnantem ferre non potuit religiosissimus Præsul. Ut lampas illa perpetuo diurnis & nocturnis temporibus arderet, irrevocabili lege sancivit; ne oleum umquam deesset, duodeviginti florenos Hungaricos annuos assignavit, partim e suis, partim e decimis Capituli contribuendos. Hoc tamen onere utroque Ferdinandus Imperator exemit; qui ne umquam lumen ante sacrosanctum Christi corpus deficeret, subsidium perpetuum ex ærario publico suppeditari jussit. Cum ad parochos, & curatores animarum rite formandos scientia morum, sive Theologia moralis pernecessaria sit, hujus scholam instituit in gymnasio Patrum Societatis Jesu; eorumque collegio mille Rhenenses attribuit, ex quorum fructu aleretur qui hanc disciplinam clericis traderet.

De lampade ante divinam Eucharistiam perpetuo alenda pie decrevit.

Synodus Nationalis Tyrnaviensis; in qua quædam decreta sunt, quæ privilegiis Ecclesiæ Zagrabien. officere videbantur;

Anno 1630. Petrus Pazmanus Archiepiscopus Strigoniensis, idem postea S. R. E. Cardinalis Synodum nationalem Tyrnaviam convocavit. Invitatus cum esset Franciscus Erghelius, ætatis & valetudinis excusatione usus, internuncium misit, qui suam & Capituli Zagrabiensis personam sustineret, ac partes utriusque ageret. Hic vero traditæ sibi legationis, & potestatis limites prætergressus, quibusdam decretis, quæ juribus & privilegiis Ecclesiæ Zagrabiensis officere videbantur, atque illi præsertim decreto de abrogando ritu Zagrabiensi, assensum præbuit: quibus tamen & suo, & Episcopi, & Capituli nomine vehementer intercessit Benedictus Vinkovichius, Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis; huic siquidem Synodo jure suo intererat; propterea quod Urbanus VIII. ei, ejusque in eamdem Præposituram successoribus mitræ ferendæ potestatem fecerat; & tum Ferdinandus Cæsar, tum proceres Hungariæ jus sedendi inter Præsules ejusdem regni in omnibus ecclesiasticis ac civilibus conventibus, & ferendi suffragii eidem contulerat; nec multo post Episcopatum Quinqueecclesiensem adeptus, cum eo Præposituram Zagrabiensem retinuit. Hæc decreta Zagrabiam allata cum essent, Episcopus, Canonici, & clerus universus, una omnes voce reclamarunt; & omni ope operaque enitendum esse statuerunt, ut vel irrita fierent, vel in eam sententiam explicarentur, ex qua nullum præjudicium in Ecclesiam Zagrabiensem, nihil detrimenti redundaret. Hanc ob caussam Episcopus Synodum diœcesanam indixit, ut hujus auctoritatem illis opponeret, & Canonicos ac Parochos consuleret, qua ratione incommodis ac damnis, inde sibi, & Ecclesiæ provenientibus, occurrendum putarent. Alia præterea constituta sunt, quæ utilitas & necessitas Ecclesiastica postulabat. Exemplum hujus Synodi, & Actorum ejusdem nacti sumus, quibus multa continentur digna scitu & memoria.

Quibus reclamatum fuit, & Synodus diœcesana opposita.

Anno Domini 1634. die decima nona mensis Julii, & sequentibus immediate duobus diebus celebrata est Synodus diœcesana, ex promulgatione Reverendiss. in Christo Patris ac Domini D. Francisci Ergbelii Episcopi Zagrabiensis &c. eodem præsidente.

Et primo peractis iis, quæ in Pontificali præscribuntur, per Reverendissimum, tam novissimæ, quam præteritarum nationalium, & provincialium Synodorum per Eminent. Dom. (1) Cardinalem Pazmanum celebratarum statuta, in scriptis producta & publicata sunt. Lectæ itaque sunt Constitutiones. 1

I. Quia Cap. 9. eadem Synodus nationalis admittit, quod licitum sit cum charitate, & debita reverentia cuique proponere, siquid forte in statutis Synodorum factis, vel deinceps faciendis, addendum vel minuendum videretur: ac etiam quia nuncius ad prædictam nationalem Synodum pro diœcesi hac per Rever. Dom. Episcopum, & Venerab. Capitulum Zagrabiense, cum limitata potestate missus, in tractandis istius diœcesis negotiis, munere suo, citra instructiones in scriptis sibi traditas, cum evidenti principalium suorum præjudicio perfunctus sit; ideo hæc sacra Synodus, in Spiritu sancto congregata, difficultates, & præjudicia, veluti ea, quæ tamquam propria magis sentit, uti sequitur, discutienda atque tollenda esse duxit.

II. Tertio Capite prædicta nationalis Synodus cum magno istius diœcesis præjudicio, defunctorum quorumlibet prælatorum res, quæ ex tenore Cæsarei, (2) & regii diplomatis an. 1625. seminariis applicandæ forent, soli uni, ex decreto quodam Synodi nationalis, erigendo seminario Hungarico addixit, non habita peculiari ratione ac mentione diœcesis atque regni hujus Sclavoniæ; unde ex quo regnum hoc, licet regi & regibus Hungariæ pareat, non solum longo intervallo, verum etiam terminis atque limitibus, nec non lingua quoque, seu sermone peculiaribus distinctum sit, & ex quo pro diœcesi hac jam a multis retroactis temporibus alumnatus & seminaria, unum hic Zagrabiæ, alterum Viennæ (3) in Austria, tertium Bononiæ in Italia erecta esse visuntur; neque tamen cum iis facultatibus, atque provisione, ut opus non habeant patrocinio & largitione piorum; ideo prælatorum in regno hoc decedentium res, juxta prædictum sacrum diploma, non illi uni Hungariæ seminario erigendo, sed illis tribus, vel uni ex illis, quæ pro diœcesi hac jampridem, licet pro modulo, erecta sunt (cum optima ratio suadeat, ut quod de corpore hujus diœcesis desumitur, in commodum ejusdem corporis redundet) applicandæ esse censentur. Accedit etiam quod tali Constitutioni Synodi nationalis, ex parte diœcesis hujus, nomine & in persona tam Rever. Dom. Episcopi nostri, quam Vener. Capituli Zagrabien. per Reverendissimum Dom. Benedictum Vinkovich Episcopum (4) Quinqueecclesiensem, & Præpositum majorem istius Ecclesiæ, in ipsa illa Synodo nationali contradictum sit. Quapropter decernit S. Synodus, ut super præmisso nationalis Synodi prædictæ, in præjudicium hujus Ecclesiæ, facto decreto, ex præmissis rationibus, primum Eminentissimus Cardinalis Pazmanus, tamquam Primas, demum si is difficilior forte foret, sua Sanctitas respective requiratur. Sperat enim S. Syno- 2 3 4

Synodus suam Sanctitatem, præmissa æqua lance, pro sua in omnes Ecclesias pietate, moderaturam.

III. Eadem Synodus Nationalis de abolendis
5 peculiaribus Ecclesiarum (5) ritibus, ac introducendo per omnes Ecclesias ritu Romano decrevit; in quo quidem negotio nuntius pro hac diœcesi, uti præmissum est, missus, cum se pari, qua præmissum est, methodo contra principalium suorum mentem gessisset; atque viso præjudicio, consideratis item efficacissimis pro Ecclesia hac rationibus, prædictus Reverendiss. Dom. Episcopus Quinqueecclesiensis, & Præpositus major hujus Ecclesiæ Zagrabien. sollemniter protestatus fuisset, & contradixisset; eapropter in hoc quoque puncto statuit sacra Synodus suam sanctitatem debite requirendam esse; demum juxta resolutionem Suæ Sanctitatis, quam Synodus sperat sibi propitiam fore, agendum: interim autem ritus Ecclesiæ hujus, a quattuor & amplius sæculis observatos, retinendos esse.

IV. Nationalis Synodus in obtinendis Episcopatibus titularibus, mentionem facit solummodo Capitulorum Hungariæ, non habita mentione regni Sclavoniæ; ideo sacra hæc Synodus scribet Eminentiss. Cardinali, ut se superinde declarare dignetur, utrum scilicet Capitula Hungariæ ita stricto vocabulo nuncupavit, atque seminarium Hungariæ; & uti sub vocabulo seminarii Hungariæ, seminaria Sclavoniæ complexa esse noluerit; ita etiam sub appellatione Capitulorum Hungariæ voluerit esse exclusa Capitula Sclavoniæ; alioquin cum nullis suis demeritis, id vel de Sua Sacratissima Majestate, vel vero de religione Catholica, quam illibate semper servarunt, servantque, promeruerint Capitula & clerus regni Sclavoniæ, non est, quod tam insigni censura notaretur: indeque enitendum erit, ut, si ea sit mens prædictæ Synodi, etiam super hoc Sua Sanctitas requiratur, & si opus foret, Sua quoque Majestas.

6 V. De Forizatione (6) diebus festis, & Dominicis tollenda, in proxime futura generali Congregatione regnicolarum, agent Dominus Episcopus, & Capitulum Zagrabiense, juxta priores super inde Canonicas pariter & sæcularium magistratuum sanctiones.

VI. Statuitur, ut amodo deinceps nullus parochorum sine expressa licentia Domini Prælati, parochiam, quam obtinet, deserere, sed neque ullam vacantem ullus presbyter apprehendere possit ac valeat; nisi obtenta prius a Reverendiss. D. Prælato, super apprehensione talis vacantis parochiæ confirmatione & consensu in scripto, quæ in cancellaria Reverendiss. gratis unicuique dabuntur; quibus habitis per Archidiaconum loci medio sui Vicearchidiaconi, vel unius ejusdem Archidiaconatus parochi ad id peculiariter destinati, præsente homine patroni, ubi jura jurispatronatus id exegerint, investituram accipiet. Ca-
7 thedraticum, (7) quia jura præscribunt, Dom. Parochi sine ulla renitentia suis Archidiaconis, quotannis administrabunt, & consuetos ab antiquo cereorum manipulos Ecclesiæ matrici.

VII. Ubi Caput secundum Synodi Nationalis perlectum fuisset, atque Dom. Archidiaconi hujus diœcesis animadvertissent, ratione omissæ visitationis personaliter obeundæ pœnam gravissimam, amissionem videlicet beneficiorum, quam pœnam non nisi ob gravissimum crimen Canones sacri infligere consuerunt, appositam fuisse; habita præ oculis sacerdotali modestia, in hunc modum proposuerunt, ut nomine Synodi requiratur superinde Eminentissimus Cardinalis, ut dignetur gravitatem tantæ pœnæ mitigare; alioquin super hoc quoque puncto, uti super reliquis, requiratur Sua Sanctitas, ad cujus Sedem Apostolicam, uti præmissa gravamina, ita hoc quoque gravamen, sacra hæc Synodus provocatum esse vult, prouti & provocat.

VIII. Licet juxta decreta SS. Canonum concionandi munus (8) Episcopo potissimum incumbat; 8
habito tamen Dom. Capitulares Ecclesiæ Zagrabiensis, Rever. Dom. moderni Episcopi prælati sui ingravescentis ætatis condigno respectu, vita ejusdem superstite, omnes hujus Ecclesiæ cathedralis conciones in se ipsos ultro, ac benevole receperunt; ita ut exceptis D. Præposito majore, Lectore, Cantore & Custode ob multiplices eorum occupationes, reliqui omnes ac singuli, tam præsentes, quam absentes, munus concionandi per se vel per alios subeant, atque inter eos conciones æqualiter atque uniformiter interim distribuantur.

IX. Quod cum contingat quandoque ut parochi curam animarum exercentes, vel ob decrepitam ætatem, vel ex alio quocumque accidenti, ad obeunda parochialia munera omnino inhabiles redditi, in summa pauperie, (ex quo nonnullæ parochiæ adeo tenues sint, ut juxta canonicas sanctiones, coadjutores emeritis, seu inhabilibus parochis dari nequeant, cum vix uni alendi reditus sufficere queant, sed administratio parochiæ simpliciter alteri committenda sit) cum evidenti derogatione Ordinis Ecclesiastici reliquum vitæ suæ peragere cogantur; cupiens igitur S. Synodus hujusmodi defectui salubriter subvenire, statuit ut ex diœcesis hujus cleri pia largitione, pro recipiendis, & intertenendis ejusmodi parochis, sive presbyteris, hic Zagrabiæ, in territorio dumtaxat Ecclesiæ fundatio instituatur; & primo quidem domus pro hospitio & receptaculo vel ematur, vel ædificetur, pro cujus quidem domus emptione, vel erectione, singuli diœcesis istius parochi florenum Hungaricum unum polliciti sunt, per Archidiaconos singulorum usque ad festum S. Michaelis Archangeli, proxime venturum, exigendum, atque ad manus per eosdem Archidiaconos Reverend. Dominorum Martini Bogdani Archidiaconi cathedralis, & Petri Kuprez Archidiaconi Dubicensis Canonicorum istius Ecclesiæ Zagrabiensis, quibus quidem S. Synodus curam & administrationem erectionis præmissæ fundationis pro tempore commissam esse voluit, consignandum. De beneficiis vero talium parochorum statuit Synodus, ut singulis his, qui ad præmissam domum recepti fuerint, successores constituantur ea conditione, ut durante vita eorum, quibus in parochiis successerunt, qui non legitimi parochi, sed coadjutoris nomine gaudeant, atque quotannis ex proventibus parochiæ illi parocho in prædictam domum administrent id, quod Reverendiss. Ordinarius, juxta proportionem proventus uniuscujusque parochiæ, duxerit atque statuerit esse administrandum.

X. Ad promovendam piam atque necessariam hanc fundationem statuit S. Synodus, ut parochorum, qui nullo condito testamento ex hac vita decesserint, rerum ac bonorum omnium, quæ videlicet bona esse propria concernere dignoscuntur, rata tertia pars, quæ videlicet juxta Canonicas sanctiones ex trifaria partitione pauperibus cederet, pro domo & fundatione præmissa fideliter convertatur. Dabunt autem operam ii, quo-

Digitized by Google

quorum ex canonica sanctione interesit, ut exactio & applicatio talium rerum ac bonorum rite ac legitime peragatur. Sed eos quoque Dom. Parochos, quibus divina benignitas facultatem condendorum testamentorum elargita fuerit, ex quo hæc fundatio pro ipsis parochis potissimum instituenda fuit, in suis testamentis piæ hujus fundationis memores esse oportebit.

XI. Animadvertit S. Synodus non paucas difficultates & controversias quandoque exoriri inter rectores Ecclesiarum, & inter æditos, ratione piorum legatorum, ac oblationum, quas Christi fideles varios interim ob respectus, diversis quoque intentionibus conficere consueverunt. Ideo statuit firmiter observandum ut legata pia, quæ in suis testamentis Christi fideles, vel intuitu sepulturarum suarum, vel vero quomodolibet alias ipsis Ecclesiis, nulla parochorum vel rectorum habita ratione legaverint, aut legassent; item si vel voti exolvendi gratia, vel ulterius cujuspiam devotionis suæ sub prætextu, nulla pariter parochorum seu rectorum habita ratione, pro ipsis Ecclesiis obtulerint, aut obtulissent quidpiam, totum id ipsis Ecclesiis, pro structura earumdem Ecclesiarum, vel prouti ordinario, seu Archidiacono loci opportunum visum fuerit, convertendum atque applicandum cedere debeat. Cæteræ vero oblationes, & pia legata, quæ parochis, seu rectoribus Ecclesiarum, intuitu dumtaxat piorum suffragiorum offerri consueverunt, pro iisdem percipientur, salva privatarum Ecclesiarum in certis earum sollemnitatibus, vel dedicationibus, ratione ejus temporis oblationum, observata, & per superiores approbata consuetudine.

9 *XII. Constat (9) passim in diœcesi hac multarum Ecclesiarum ac beneficiorum bona & reditus, cum magno status Ecclesiastici dispendio distracta atque abalienata esse. Decernit itaque S. Synodus, ut universi tam parochi, quam vero alii beneficiati, diligentem curam atque operam adhibere teneantur, quatenus intra sextum abhinc mensem catalogum a suo beneficio abalienatorum bonorum, & redituum, suis Archidiaconis, vel vero Rev. D. Prælato exhibere non intermittant; annotando singulorum talium bonorum quantitatem, locum, tempus abalienationis, seu occupationis, nomina personarum, per quas talis abalienatio, vel occupatio facta fuisset; item quo jure, quo titulo talia bona seu reditus ad beneficium suum aliquando spectassent, facta vel privilegii, superinde si supererit, expressa mentione; vel vero si superinde non extaret privilegium, apposito testimonio fide dignorum hominum (quorum nomina & cognomina, sed & conditio specificanda erunt), qui videlicet recordarentur bona talia, seu reditus ad talem Ecclesiam, vel beneficium illud spectasse; verum tandem, & per talem, & tali occasione & via occupata, seu abalienata extitisse. Cæterum de recuperationis demum methodo Rev. D. Ordinarius id, quod opportunius fore duxerit, haud dubie non intermittet constituere.*

XIII. Et quia recuperatio hujusmodi bonorum, præter alia adminicula, periti ac seduli advocati, seu procuratoris operam requirit; sed & ipsi quoque parochi, ac alii clerici nonnunquam per sæculares, non modo in rebus & facultatibus suis, verum etiam in ipsis personis gravibus injuriis afficiuntur; eapropter Rev. Dom. Ordinarius fieri curabit, ut prima occasione idonei ad præmissos effectus procuratores communi totius diœcesis nomine, cum decenti salario conducantur, in quod singuli hujus diœcesis parochi singulos quinquaginta denarios Hungaricales annuos se se collaturos obtulerunt, per Archidiaconos, una cum cathedratico suo, exigendos, & perceptori per tempore constituto consignandos.

XIV. Conqueruntur quoque non pauci parochi, quod religiosi Patres Ordinis S. Francisci de Observantia, irrequisitis, ac sæpe etiam invitis, ac reclamantibus ipsis parochis, in munia parochialia se se perperam ingerere contra Sanctorum Canonum sanctiones, non reformident. Commonefactis igitur per Rev. Dom. Ordinarium prædictorum religiosorum Superioribus, si qui ab hujusmodi ausibus non desstiterint, idem Reverendissimus ex præscripto sacrosancti Concilii Tridentini in eosdem auctoritate sibi competente animadvertet.

XV. Valachorum, seu Rascianorum, qui (10) 10
in finibus hujus regni, & diœcesis jampridem consederunt, sacerdotes ac monachi ritus alioquin Græcensis, & tum ob id, tum etiam graviores etiam alios ob respectus, cum præjudicio fidei orthodoxæ, ac periculo animarum præsumunt quandoque populis diœcesis, præter alia, matrimonii potissimum sacramentum administrare, & homines Romani ritus, more ac ritu alieno copulare: Moniturus igitur erit Rev. Dom. Prælatus eorumdem superiores ecclesiasticos, ut in eos animadvertant; alioquin requirendi erunt superinde, atque invocandi magistratus eorum sæculares, quorum opera coerceantur.

Cæterum quia sancta hæc Synodus præmissos tractatus, ob quos nunc potissimum coacta fuerat, suaviter in Domino propositos, non minus feliciter in publica acta unanimi consensu recensendos esse statuit, ideo Rever. Dom. Prælatus, peractis rite Pontificalibus, Synodo optatum finem cum faustis totius cleri acclamationibus imposuit.

Notæ.

(1) Petrus Pazmanus Archiepiscopus Strigoniensis post Synodum nationalem Tyrnaviensem habitam an. 1630. ab Urbano VIII. ad collegium Patrum purpuratorum, Ferdinando II. postulante, aggregatus fuit; atque inter primos annumerandus est, qui titulum *Eminentissimi* gesserunt, non ita pridem ab eodem Pontifice Cardinalibus S.R.E. concessum.

(2) Hoc diploma a Ferdinando II. confectum fuit; cujus vim ac sententiam ex Kovacsevichio supra descripsimus in Petro Domitrovichio. Cum in eo diplomate de bonis ac rebus Episcoporum Hungariæ & Slavoniæ, qui vita decesserunt, portio quædam in utilitatem atque incrementum Seminariorum converti jubeatur, eam Synodus Tyrnaviensis in unum ac solum Seminarium Hungaricum derivari, eaque cetera extra Hungariam Seminaria privari velle videbatur: cum autem diploma illud generatim de Seminariis loqueretur, & nullum exciperet, iniquum erat verba illius maligna interpretatione restringere, & beneficium, quod commune pluribus esse debebat, ad unum contrahere: nec vero æquitati consentaneum erat bona Episcoporum regni Slavoniæ, alio extra Slavoniam distrahi avertique, cum ea in utilitatem hujus regni impendi recta ratio juberet.

(3) Præter duo illa Seminaria clericorum Zagrabiensium, Bononiense, & Zagrabiense, de quibus alio loco dictum est, tertium Vien-

næ constitutum est anno 1627. Hujus parens & auctor primarius fuit Balthassar Napulius, Canonicus idem, & Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis. Hic quadraginta millia florenorum eoque amplius apud Mensarios collocaverat; ex quorum annuo fructu mille, quadringentos, & septuaginta quinque florenos Rhenenses percipiebat. Anno 1621. cum testamentum fecisset, ex ea pecunia post obitum suum, Græcii, quæ civitas est Styriæ frequens ac nobilis, Seminarium institui jussit, in quo undecim clerici Zagrabienses alerentur, & bonis artibus erudirentur; octingentos & quattuordecim Rhenenses assignavit, septuagenis in singulos distributis. Canonicos Zagrabienses Seminarii Dominos & Patronos constituit; penes quos & jus eligendi alumnos, & administratio ejusdem Seminarii esse voluit. Triennio post mortuus est. Sed illi, quibus negotium supremis tabulis mandatum fuerat, de sententia Capituli maluerunt Viennæ, quam Græcii collegium fundare. Itaque domus empta est in urbe illa apud S. Pancratii; & tandem anno 1627. a clericis Zagrabia missis habitari cœpit; ex quorum numero unus eligi solebat gravitate & prudentia præstans, qui sodalibus præesset, eosque, ubi opus foret, officii ac disciplinæ moneret. Leges conditæ sunt, ad quorum normam alumni vitam componerent, ac studia dirigerent. Scholas proximi collegii Societatis Jesu adire & frequentare jussi sunt. Ad numerum alumnorum augendum, & annuos proventus amplificandos converti placuit quattuor millia Rhenensium, quæ Joannes Monozlaus Episcopus pro quattuor, & ter mille ac septingentos, quos Franciscus Erghelius, dum esset Episcopus Vesprimiensis, pro duobus clericis alendis erudiendisque contribuerant. Anno 1632. cum altera domus empta esset; utraque diruta fuit; & in eo solo collegium a fundamentis exstructum est satis amplum & commodum, suum cuique cubiculum assignatum, accuratior vivendi ratio & disciplina tradita, distributæ per totum diem horæ, quas divinis precationibus, studio, communi mensæ tribuerent; ac demum postea unus de collegio Canonicorum datus est Rector, qui clericorum moribus ac studiis præsit. Alumnorum numerus alias major, alias minor, pro varietate temporum, & redituum incremento, vel diminutione. Hoc Seminarium Viennense, quod Chrobaticum cognominari solet, viget adhuc, pietate ac litteris floret, ex eoque viri plurimi doctrina, virtute, dignitate illustres prodierunt.

(4) Nondum erat Episcopus, cum Synodus illa Nationalis habita fuit; sed cum esset Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis, potestas mitræ gestandæ ab Urbano VIII. concessa, & jus ferendi suffragii in omnibus conventibus regni Hungariæ a Ferdinando ei & successoribus collatum, illi ad Synodum Nationalem, & caussam Ecclesiæ Zagrabiensis agendam aditum aperuerat.

(5) De ritu liturgico Ecclesiæ Zagrabiensis vide quæ dicta sunt in proœmio hujus historiæ. Hic ritus antiquior fuit D. Augustino Gazotto Episcopo, qui sæculo decimo quarto ineunte administrationem hujus Ecclesiæ suscepit; is tamen e ritu Dominicano non pauca sumpsit, addiditque ad ritum Zagrabiensem.

(6) Anno 1621. in comitiis generalibus regni Slavoniæ Episcopus legem ferre curavit, qua cautum fuit ne diebus festis ac præsertim Dominicis ante fores templorum emptiones venditionesque fierent, hac pœna proposita, ut si quis illis diebus & locis res venales exponeret, harum jactura mulctaretur. Hoc autem decreto id commendatum est Episcopo & Canonicis, ut in proximis regni comitiis legem ferendam curent, qua etiam actus omnes judiciales & forenses festis diebus fieri prohibeantur.

(7) *Cathedraticum* est tributum, quod parochi Episcopo, ad suam erga cathedram episcopalem reverentiam & venerationem testificandam, solvere consueverunt. Idem tributum a parochis diœcesis Zagrabiensis Archidiaconis, quibus subditi sunt, solvi debet; quod hi jure quasi episcopali gaudeant.

(8) Munus Evangelii explicandi populis, concionandique jure divino Episcopis impositum, superiores ante Franciscum Erghelium Episcopi fere omnes, e præscripto etiam sacrorum Canonum, per se ipsi obierunt, vel aliis demandabant, si quando ipsi eo fungi non possent. Hoc onere Erghelium, cum esset exacta jam ætate, & infirma valetudine, sacra Synodus eximendum censuit; idque onus Canonici sponte susceperunt, non ultra tamen ferendum, quam hujus Episcopi vita prorogaretur. Verum id semel susceptum perpetuo retinuerunt; idque potissimum in Archidiaconos incumbit; qui singulis festis diebus in æde Cathedrali ad populum de vitiis extirpandis, & Christianis virtutibus colendis e loco superiori concionantur. Ordinem seriemque concionum præscribit Archidiaconus cathedralis, & dies, quibus quisque concionari debet, suos cuique assignat; nec tamen illis munus concionandi æqualiter divisum tradit; sed quo quisque copiosiores proventus e suo sacerdotio percipit, eo plures illi conciones imperari solent. Nec vero propterea Episcopi hoc, quod præcipuum est, munus episcopale negligunt; nam ipsi quoque statis & sollemnibus diebus suas ad populum conciones habent.

(9) Hujus Canonis condendi caussam præbuit diploma Ferdinandi II. supra descriptum, quo jubentur Episcopi omnem curam operamque adhibere, ut bona Ecclesiarum abalienata recuperent.

(10) Hoc decreto cavetur, ne Calogeri & presbyteri Rasciani jus administrandi sacramenta iis Christianis ritus latini usurpent; & qui illis præsunt, ac præsertim Episcopus Valachus Marchensis, monendi esse jubentur, ut eos ab hujusmodi administratione absterreant, & gravissimis pœnis afficiant, si quid tale in posterum audeant. Valachos & Rascianos, populos ritus Græcanici, e Serblia, & Valachia profugos Matthias I. rex Hungariæ intra finem sæculi decimi quinti in Slavoniam receperat. His anno 1615. Episcopus datus fuit; de quo Paullus Ritter: *Eodem Pontifice* (Petro Domitrovichio) *institutus in hac diœcesi novus Rascianorum Episcopatus ritus Græci in Ecclesia S. Michaelis de Marcha; cujus primus Vladika, sive Superintendens, Simon Uratanick, Petro Episcopo Zagrabiensi, transactionaliter se & suos obligavit singulis annis duodecim libras ceræ daturos Episcopo Zagrabiensi*. Ordo seriesque Episcoporum Marchensium, qui etiam *Szvidnicenses* cognominari solent, hæc est. I. Simon Vratanichius. II. Paullus Zorchichius senior. III. . .

Zor-

Digitized by Google

Zorchichius junior. IV. Michael Tarchinovichius. V. Michael Markovichius. Hi omnes apprime Catholici fuerunt, atque ut populares suos ad sinum Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ obsequium, & communionem reducerent, nullis incommodis, laboribus, & periculis pepercerunt. Sed gens illa Photiano schismatico furore, rabieque instincta, odium in Latinos eorumque sacra penitus insitum, quoad licuit, in optimos Antistites expromere numquam desiit; quod demum in apertam seditionem erupit, parochos Catholicos ejecit, & parum abfuit, quin Markovichium Episcopum interficeret, qui præpropera fuga se insectantium manibus eripuit, & Viennam transtulit, ad Cæsaream & regiam opem implorandam. Ceterum boni illi Episcopi nullis vexationibus atque injuriis se deterreri patiebantur, quo minus omne studium atque industriam ad leniendos animos, alliciendosque ad religionem orthodoxam amplectendam impenderent. Præclaris horum conatibus magno adjumento fuerunt tum Episcopi Zagrabienses, tum vero Leopoldus Collonicsius Archiepiscopus, & Primas Strigoniensis, idemque S. R. E. Cardinalis, qui, ut scriptum reliquit Nicolaus Schmitth in Archiepiscopis Strigoniensibus, *curas pastorales, ardoremque apostolicum, quo semper flagravit, in Daciam transmisit; utque Valachorum populus abdicato schismate Romanæ Ecclesiæ se adjungeret, felici sane opere perfecit. Theophilus Valachorum Episcopus, quive eum in hoc munere secutus est, Athanasius, cum omni clero Photium ejuravit, magna utique accessione rei Romanæ, cum facile centum & amplius mortalium millia errorem posuerint.*

Seminarium Valachis adolescentibus Zagrabiæ institutum a Leopoldo Archiep. & Prim. Strigonien.

Seminarii Tyrnaviensis proventus auxit ad clericos alendos, qui excolendis Valachis operam navarent. Neque exiguam partem curæ & cogitationis suæ in conversionem schismaticorum diœcesis Zagrabiensis derivavit. Siquidem Seminarium instituit, & idoneis vectigalibus dotavit, in quo quinque ex natione Valacha adolescentes optimæ indolis, & optimi ingenii alerentur, qui bonis moribus & litteris erudirentur in Seminario Zagrabiensi Soc. Jesu; ut confecto studiorum curriculo in cœnobium Calogerorum migrarent, ibique clericalis, & monasticæ disciplinæ præceptis instituti cum essent, eorum opera Episcopi Marchenses tum ad Valachos sincera veraque doctrina imbuendos, tum ad parœcias ritus Græci regendas uterentur. Idem præstantissimus, & sapientissimus Cardinalis a Leopoldo I. Imperatore impetravit, ut presbyteri omnes Valachi & Rasciani, qui regnum Hungariæ, & annexas eidem regiones incolunt,

Privilegia presbyteris Valachis Catholicis concessa.

modo Catholicam religionem profiterentur, & colerent, participes essent omnium immunitatum, & privilegiorum, quibus gaudent presbyteri latini; idque suis ad eos litteris significavit, quas huic loco intexere libet.

Nos Leopoldus miseratione divina S. R. E. titnli S. Hieronymi Illyricorum presbyter Cardinalis a Kollonicz, Archi-Episcopus Strigoniensis, locique & Comitatus ejusdem supremus ac perpetuus Comes, Primas regni Hungariæ, Legatus natus, summus Secretarius, & Cancellarius, S. Joannis Hierosolymitani Ordinis Prior, & Commendator Egræ, Maylbergæ, S. C. regiæque Majestatis intimus Consiliarius Actualis. Omnibus ad quorum manus præsentes devenerint, maxime vero Græci ritus Valachicis Sacerdotibus per Hungariam, Transilvaniam, partesque eidem annexas existentibus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit universis, quod alte libata Sacratissima Cæsarea regiaque Majestas Leopoldus I. Imperator Semper Augustus, tam die 23. Augusti anni 1692. quam die 14. mensis Aprilis anni currentis, clementissime resolverit qui ex Sacerdotibus Græci ritus edita professione ad observantiam Græci ritus apud Catholicos, cum agnitione Summi Pontificis, se declaraverit, iisdem prorsus juribus, privilegiis, exemptionibus ac immunitatibus frui, & gaudere debeat, quibus Sacerdotes Romano-Catholici, sive ritus Latini juxta sacrorum Canonum sancita, & Divorum Hungariæ regum statuta, frui, & gaudere dignoscuntur. Quam benignissimam suæ Majestatis sacratissimæ resolutionem intelligentes (præterquam quod ingenti gaudio perfusi sumus, quod viam vobis aperiri audiamus, & videamus, quo ad avitum Ecclesiæ Romano-Catholicæ gremium, unionem salvificam redire possitis) illud pariter muneris nostri, & pastoralis curæ, qua per Hungariam universam, uti & regna, provincias eidem annexas, ut Primas Hungariæ, & Legatus natus fungimur, vique auctoritatis nostræ Archi-Episcopalis Metropolitanæ Strigoniensis, speciali sacræ Sedis Apostolicæ privilegio nobis concessæ, esse duximus, ut nostram vobis omnibus ad unionem cum Ecclesia Romana Catholica redeuntibus, ac redituris favorem, & specialem in omnibus protectionem offerremus; quod etiam tanto efficacius præstabimus, quanto vos in dictæ unionis professione ac conservatione ferventiores eo nimirum omnia, quæ S. Mater Ecclesia Romano-Catholica docet, profitetur, & credit, privatim ac publice docendo, profitendo, & credendo, speciatim vero quatuor illa puncta, in quibus hactenus potissimum deviasse videbamini, protestando exstiteritis. Primo nempe: Romanum Pontificem esse caput universale totius diffusæ per orbem Ecclesiæ. Secundo: Panem azymum esse sufficientem materiam sumendæ cœnæ Dominicæ, seu Sacramenti Eucharistiæ. Tertio: Præter cælum sedem beatorum, & infernum carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animæ defunctorum, nondum satis expiatæ, detinentur ac purificantur. Quarto demum: Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate personam, a Patre, & Filio procedere. Quod dum facitis, non solum a Deo bonorum omnium largitore, in præsenti quidem vita, uberem suarum gratiarum influxum, ac largiorem etiam in temporalibus benedictionem, in futura vero æternam felicitatem sperare poteritis: verum etiam Augustissimi Cæsaris favore, & regiæ potestatis plenitudine, tum personæ vestræ, tum Ecclesia, reliquaque ad eandem spectantia, immunitate ac exemptione pari condecorabimini, qua Ecclesiæ persona, resque Ecclesiastica Latini ritus, ex sacrorum Canonum præscripto, effective perfruuntur. Et si quis hoc suæ sacratissimæ Majestatis decretum ausu temerario contemnere, aut prædeclaratæ huic Græci ritus unitorum immunitati Ecclesiasticæ, aperte vel occulte ullo sub prætextu, aut etiam prætensi usus, & consuetudinis, antequam unirentur sub velamine, contraire præsumeret, iisdem prorsus pœnis tum ab Ecclesiastici, tum a sæcularis fori judicibus, tum etiam ab Augustissimo Cæsare, si opus fuerit, infligendis obnoxius erit, & subjacebit, quas fidelium Latini ritus immunitatem

Digitized by Google

tatem Ecclesiasticam lædentes de jure ac consuetudine incurrunt. Ac insuper in hujus Ecclesiasticæ immunitatis usu, universi Domini Episcopi, gubernium regium, magnates, supremi capitanei, ac judices regii, tum Ecclesiastici, tum sæcularis fori judices, & justitiarii, si coram eis in prædeclarata immunitate vos læsos esse questi fueritis, eorumque auxilium, & assistentiam imploraveritis, judicium, & justitiam, non minus ac Latinis S. Matris Ecclesiæ fidelibus eadem immunitate gaudentibus, administrare debebunt, & tenebuntur. Quod si præstare intermitterent, nobisque ac successoribus nostris desuper relationem feceritis, ut malo tam evidenti, severiori etiam manu, medela tempestive adhibeatur, allaborabimus. Datum in Curia Commendæ nostræ Mayibergensi beneficiata, Viennæ Austriæ, die secunda mensis Junii, Anno Domini M.DC LXXXXVIII.

Leopoldus Cardinalis a Kolonicz
Archi-Episcopus Strigoniensis.

Hæc quidem ad posteriores annos pertinet; sed huic loco, in quem de Valachis sermo incidit, annectenda esse censuimus. Nunc ad Episcopatum Erghelii revertamur.

Decretum Synodi Zagrab. de veteri ritu retinendo ægerrime tulit Pazmanus.

Decretum Synodi Zagrabiensis de ritu antiquo retinendo ægerrime tulit Cardinalis Pazmanus Archiepiscopus Strigoniensis; siquidem hoc ei propositum ac deliberatum fuerat, omnes Ecclesias regni Hungariæ ad unam eamdemque ritus Romani formulam revocare, & ritus peculiares quarumcumque Ecclesiarum ab eo discrepantes abolere. Cum igitur id assequi se posse diffideret, auctoritatem Sedis Apostolicæ sibi accersendam putavit. Ab Urbano VIII. Pontifice Max. litteras ad Franciscum Erghelium impetravit, datas anno 1633. IV. Kalendas Octobris, quibus & ipse, & clerus universus Ecclesiæ, & diœcesis Zagrabiensis jubebatur Liturgiam & Psalmodiam tum publicam, tum privatam ad morem ritumque Ecclesiæ Romanæ conformare, cærimoniis omnibus ac ritibus, cum eo non congruentibus, sublatis & abrogatis. Mandatum Apostolicum, qua dignum erat, reverentia & veneratione Episcopus excepit; & eodem anno XIII. Kalendas Novembris Capitulum convocavit, litteras Pontificias per Andream Ottaucsium Archidiaconum Chasmensem recitari jussit; & suprema *Sanctæ Obedientiæ* auctoritate interposita, omnibus & singulis præcepit, ut Summo Pontifici imperanti parerent, atque ad statas preces nocturnas diurnasque privatim ac publice persolvendas, remque divinam faciendam, non alium in posterum, nisi ritum Romanum adhiberent. Pontificium mandatum ut notum esset omnibus, valvis basilicæ cathedralis affigendum curavit. Hoc tamen præceptum non antea, quam post quattuor hebdomadas exactas valere, & urgere voluit, facultas ut esset ac tempus comparandi libros rituales Romanos, quibus ad psallendum & sacrificandum uterentur. Sed postea Canonici impetrarunt ab Episcopo, ut dies præcepti exsequendi, sibi ac reliquis presbyteris, usque ad sollemnia Paschalia sequentis anni prorogarentur. Ritum Romanum non solum in diœcesim universam, sed etiam in ædem cathedralem receptum fuisse, & per aliquot annos obtentum argumento esse potest prægrande volumen, quod adhuc extat, hoc titulo inscriptum: *Psalterium chorale secundum consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Verum brevi intervallo, scilicet post mortem Cardinalis Pazmani & Francisci Eghelii, vetus ritus Zagrabiensis in basilicam cathedralem revocatus est, auctore fortasse Benedicto Vinkovichio Episcopo, ejusdem ritus acerrimo propugnatore, qui decreto Tyrnaviensi vehementissime intercesserat. Ceteræ tamen Ecclesiæ tum civitatis, tum diœcesis rationem psallendi, & sacrificandi, aliasque sacras functiones obeundi, e præscripto Ecclesiæ Romanæ semel susceptum, etiamnum retinent. Ante acceptum Apostolicum mandatum excusaverat quidem se per litteras Erghelius apud Primatem de non recepto ritu Romano, & omnem culpam in Canonicos & Parochos ad Synodum convocatos transtulerat, quibus repugnare sibi fas esse non censebat. Sed Pazmanus excusationem non accepit, & verbis gravissimis rescripsit, auctoritatem Primatis & Concilii Nationalis ei pluris esse debuisse, quam omnium Parochorum & Canonicorum ab eo dissentientium suffragia, eique ab omnibus omnino parendum esse. In Synodo diœcesana, qui ad eam conveniunt de rebus statuendis vel agendis consuli quidem possunt, ac debent, sed leges & decreta condendi penes unum Episcopum summam esse potestatem: *Sicut*, inquit, *in Synodo provinciali nulli vocem definitivam habent, nisi soli Episcopi; ita in diœcesana non alter, nisi solus Ordinarius auctoritatem habet statuendi, & ordinandi, quæ opportuna forent.* Miratur deinde quod Erghelius Canonicorum inter se, & ab se dissensiones, unius hominis protervia & pervicacia excitari foverique patiatur, quem ipse statim omni sacerdotio privatum e Capitulo ejecisset; & simul ostendit quibus gradibus ad extremam schismaticam pervicaciam deveniri soleat: *Isti*, inquit, *sunt gradus, per quos præsumptio in ruinas præcipitat dura capita; primo Ordinarium, deinde Patriarcham, seu Primatem, postea Nationale Concilium, denique Suam Sanctitatem posthabere.* Hujus dissensionis auctorem fuisse Joannem Nardinum Archidiaconum Goricensem tradit Thomas Kovascevichius. Ceterum Episcopi & Canonici, cum post acceptas litteras Pontificias decreto Tyrnaviensi paruissent, cum suo Primate in gratiam redierunt.

Cujus dissensionis sive schismatis auctor fuerit Joannes Nardinus, litteris proditum non invenio. Sed cum postea nescio quid animadversione, & pœna dignum in se admisisset, Erghelius litteris Pazmani exstimulatus, tum hoc postremum, tum superius ejus delictum puniendum censuit. Itaque illum non citatum, non auditum, non legitime convictum, non convocato Capitulo, nec juris ordine servato, utroque sacerdotio, quod obtinebat, sententia Episcopali mulctavit; eique tum Canonicatum, tum Archidiaconi locum ac titulum, & proventus omnes ademit. Ille ad Colocensem Metropolitam appellavit; Erghelius appellationem irritam fecit; & Vicario suo generali Marnavitio Episcopo Bosnensi potestatem delegavit quæstionis in eum exercendæ, & sententiæ ferendæ. Ceterum Nardinus utrumque sacerdotium, quamdiu vixit, retinuit, & proventus utriusque percepit, sive quod Vicarii judicio absolutus fuerit, sive quod Episcopus latam in eum sententiam revocaverit. Paucis, antequam moreretur, mensibus non levis Erghelio controversia fuit cum Capitulo de quadam exigua terræ portione, quæ inter arcem Episcopalem, & arcem

Erghelius Nardinum Archidiac. Goricensem Capitulo movit, qui Metrop. Colocens. appellavit, & suum locum ac sacerdotium retinuit.

Pontificio mandato obtemperat Erghelius.

Capi-

Digitized by Google

Capitularem interjacebat; hanc Episcopus Joanni Ztanicio *Pradiali suo*, id est Conductori prædiorum Episcopalium, donaverat, ut in eo solo domum sibi exstrueret. Sed vix ædificium designare, & fundamenta jacere cœperat, cum Canonici a magistratu Græcensi viatorem mittendum curarunt, qui opus inchoatum inhiberet; quod fundum illum suum esse dicerent, & intra fines aræ Capitularis contineri. Contra vero Episcopus fundum eumdem sui juris esse, & quamdam veluti appendiculam arcis Episcopalis ajebat. Res deducta est in judicium, & tabulis & argumentis utrimque prolatis, diu multumque agitata; nec vero ante obitum Erghelii, unde jus staret, satis liquere, & dijudicari potuit. Anno siquidem 1637. tertio Idus Aprilis, senio & assiduis morbis confectus e vivis excessit; & litem illam sub judice pendentem successori reliquit. Quo Episcopum decebat, funeris apparatu & pompa illatus est in basilicam cathedralem, & post sollemnes exsequias, sepultus inter duas aras, alteram ab cœna Domini, alteram ab D. Luca appellatam. Ex ejus carpento, amictu funereo, & sex equis divenditis secundum morem, perceperunt Canonici florenos centum & quadraginta, quos inter se pro rata portione diviserunt. Ex ejus testamento præbendariis, sive presbyteris secundi ordinis floreni omnino ducenti obvenerunt, cum onere unius menstrui sacrificii apud aram S. Lucæ pro expiatione illius animæ offerendi, seminario autem Zagrabiensi mille Rhenenses ex diplomate supra laudato Ferdinandi II. qui hoc eodem anno, mense Februario diem supremum obierat; cui mirus Catholicæ religionis tuendæ & propagandæ ardor inerat, odium vero implacabile in heterodoxos. Successorem imperii, & heredem regni Hungarici Ferdinandum III. filium reliquit. Hoc Erghelio Pontifice, ut in notis ad Synodum dictum est, sacrarum concionum munus in cathedrali Ecclesia, quod Episcopi est, a Canonicis susceptum fuit, cum is ætate gravis minime posset Christianæ doctrinæ pabulum palam populo præbere. Deinde ea cura stetit apud eosdem Canonicos, & stat adhuc, distributis in singulos concionandi vicibus, ita tamen, ut, pro cujusque Ecclesiastico censu, cui ditior redditus est, hic plures eo munere perfungatur constitutis diebus: quare, subdit Kovascevichius, „ in quavis di- „ stributione concionum Archidiaconos Cathe- „ dralem, Goricensem, Bexinensem, & Ur- „ bocensem videmus gravari duabus, aliis non- „ nisi unam concionem absolventibus.

Episcopi sepulchrũ & legata.

BENEDICTUS II. EPISC. ZAGRAB. LX.

Benedictus Vinkovichius.

Anno 1581. natus est Jazkæ, quod oppidum est Bosinæ admodum frequens & nobile, honesto loco, & bonis parentibus, quibus Vinkovichii cognomen erat. In patria puerilis litteraturæ rudimenta posuit. Ætate grandiusculus, in Transilvaniam profectus, Claudiopoli apud presbyteros Societatis Jesu politioris humanitatis studiis operam dedit. Reversus in Slavoniam clericis in seminario Zagrabiensi præcepta inferioris grammaticæ tradidit. Hoc magisterio perfunctus ad sublimiores disciplinas animum applicuit, & Viennæ totum se Philosophiæ dedit; tantamque & differendi facultatem, & rerum naturalium scientiam adeptus est, ut confecto Philosophico cursu gravissimas & difficillimas ex universa Philosophia theses, publico certamini expositas, in frequentissimo doctorum virorum consessu, cum summa vel ingenii, vel industriæ laude propugnaverit. Zagrabiam regrediens seminario clericorum præfuit; inde Bononiam missus anno 1606. Præfecturam collegii Hungarici suscepit, simulque omne studium, atque ingenium ad rerum Theologicarum, & Juris Civilis ac Pontificii cognitionem contulit. Neque antea discessit, quam in celeberrimo illo gymnasio, postquam sapientissimis illis Magistris & Doctoribus multiplicem doctrinam suam egregie probasset, Philosophiæ, Theologiæ, Juris utriusque laurea, & ceteris insignibus ornaretur. Anno 1609. Zagrabiam reversum Simon Bratulicius Episcopus ad collegium Canonicorum Chasmensium aggregavit, & Lectoris titulo ac dignitate insignivit. Eodem anno tribus ordinibus sacris initiatus cum esset, tamen ut rite se compararet ad primas divinæ Majestati hostias immolandas, annum fere integrum insumpsit; & anno sequenti in æde cathedrali, die proximo post sollemne Paschale initium sacrificandi fecit. Annos natus fere triginta, non solum sacerdotio, sed etiam muneri Apostolico maturus erat, & præterea illis omnibus doctrinis ac virtutibus egregie instructus, quæ ad illud recte obeundum maxime requiruntur. Statim igitur Simon Episcopus eum in expeditionem Evangelicam mittendum censuit; & postquam e Chasmensi in Zagrabiense Canonicorum collegium transtulisset, provinciam transmuranam, quæ insula dicitur Dravo & Mura fluminibus intersecta, sacris concionibus divinisque præceptis excolendam eidem decrevit. Dum in ea vinea Dominica assidue ac strenue laboraret, pluresque tum Catholicos ad Christianam piamque vivendi rationem, tum hæreticos ad rectam in Deum fidem traduceret, egregium messis Evangelicæ operarium, ad sublimiores, alios ex aliis, honorum gradus idem Episcopus evexit. Nam primum ex Canonico Archidiaconum fecit Chasmensem, deinde Camarcensem, postea Cathedralem, qui princeps ac summus est inter Archidiaconos. Anno 1624. cum Balthassar Napulius Præpositus major obiisset, ex nominatione Ferdinandi II. Imperatoris & regis Hungariæ, supremam Capituli Zagrabiensis dignitatem obtinuit; nec multo post Petrus Domitrovichius Episcopus illum sibi Vicarium generalem constituit. Anno 1626. Comitiis Posoniensibus tum Capituli, tum regni Slavoniæ nomine missusque interfuit. In augustissimo illo Antistitum & procerum conventu, illustre sapientiæ suæ, magnique animi in religione orthodoxa tuenda specimen dedit. Cum enim sententiæ multorum eo inclinarent, ut hæreticis, quemadmodum in aliis Hungariæ regionibus, sic etiam in Slavonia & Chrobatia, sedes & domicilium collocandi, agros & fundos emendi, & liberam ac publicam impiis sacris operam dandi potestas fieret, Benedictus gravi vehementique oratione se se opposuit, remque omnem disjecit: quod cum quidam Luteriana, & Calviniana lue infecti iniquissimo animo tulissent, e Comitiis redeuntem in foro expectant; & nulla sacræ personæ ac dignitatis ratione habita, contumeliis, probris maledictisque appetunt; quin etiam in extremam efferati rabiem sacrilegas manus in eum injiciunt, capillos & barbam evellunt, pejora in eum odii sui atque furo-

Præpositus major & Vicarius generalis.

In comitiis Posoniensibus causam orthodoxæ religionis acerrime defendit.

furoris exempla edituri, nisi populi undique accurrentis indignatione & clamore deterriti fuissent. Enorme facinus ex lege regni, ob violatam fidem publicam, quæ quibuslibet ad comitia venientibus dari solet, diminutione capitis, & bonorum publicatione vindicandum erat; sed ne in eos lege ageretur, Benedicto in primis deprecatore perfectum est. Quæ insignis viri caritas, gravissima propter justitiam accepta injuria, illustris Catholicæ fidei defensio magnum illi, ejusque Præpositurae decus atque ornamentum attulit; siquidem ex decreto Ferdinandi Imperatoris, ac totius regni Hungariæ, tum ipse, tum omnes deinceps Præpositi majores Ecclesiæ Zagrabiensis jus perpetuum adeundi ad Comitia generalia regni Hungarici, & suffragium ferendi obtinuit; eique præterea, & omnibus, qui in supremam illam Capituli Zagrabiensis dignitatem ei succederent, Urbanus VIII. mitræ gestandæ potestatem fecit. Magnam quoque laudem, & bonorum omnium approbationem assecutus est, cum omni opera studioque enixus fuit, ut lex illa sane iniqua, & juri æque naturali ac divino repugnans aboleretur, quæ cultoribus agrorum cum Dominis suis lite contendendi, & jus suum persequendi facultatem adimebat. Quanti ejus doctrinam, æquitatem, jurisprudentiam facerent magistratus Posonienses ex eo intelligi potest, quod sententiam suam in quadam periculosa difficilique controversia latam, antequam promulgarent, disquisitioni, judicio, & si opus esset, correctioni ejusdem Benedicti subjecerint. Nec minor de illius sapientia, & virtute opinio fuit, tum Petri Cardinalis Pazmani, tum Ferdinandi Imperatoris; alter eum de gravissimis negotiis explicandis & expediendis legatum ad Cæsarem misit; alter vero eumdem inter suos intimos consiliarios annumeravit; anno autem 1630. Episcopum Quinqueecclesiensem designavit; & Urbanus VIII. regiam designationem approbavit. Internuncius Pontificius apud Cæsarem, Viennæ in templo domus professæ Societatis Jesu, eum episcopali consecratione impertivit, administris ad sollemnem cærimoniam, manusque imponendas adhibitis Stephano Sennichio Jaurinensi, & Joanne Marnavitio Bosnensi Episcopis, cum Cœnobiarcha S. Mariæ Viennensis ad Scotos. Cum civitas, ac diœcesis Quinqueecclesiensis tunc esset sub imperio Turcarum, neque illuc adire potuit, neque Episcopales proventus ac decimas percipere; quosdam tamen ejusdem diœcesis pagos extremos, & ditionis Turcicæ confines, qui adhuc in fide & potestate regis Hungariæ manebant, ab iniquitate & avaritia militum præsidiariorum vindicavit, qui miseros illos paganos acerbissima tributorum exactione vexabant; eosque militari stipendio contentos esse coegit, sibi vero agrorum illorum decimas recuperavit.

Jus adeundi comitia & mitræ gestandæ Præpositis majoribus Eccl. Zagr. concessum.

Ferdinandus Benedictum Ep. Quinqueecclesien.

Nondum a morte Erghelii mensis intercesserat, cum Ferdinandus III. Imperator, & rex Hungariæ Episcopatum Zagrabiensem Benedicto detulit, anno scilicet 1637. mense Majo; digniorem quippe nullum esse putavit, cui hanc nobilissimam Ecclesiam demandaret. Sed diu multumque illi colluctandum fuit cum curia Romana, antequam diploma Pontificiæ approbationis obtineret. De summa enim pecuniaria, quam Romani exigebant pro diplomate conficiendo mittendoque, non conveniebat; hanc ille, vel omnem, vel saltem ex parte remitti, & condonari volebat. Cur æqua sua postulatio videri admittique deberet, hanc caussam subjiciebat, quod de bonis mensæ Episcopalis tanta diminutio facta esset, ut antiquorum proventuum ne decima quidem portio suppeteret: ex tribus partibus suæ diœcesis neque decimas, neque fructus ullos percipi posse, unam siquidem sub imperium Turcicum cecidisse, alteram desertam a plebe, atque a cultura hominum esse, incolis alio atque alio ob metum Turcarum dilapsis; tertiam a Valachis illuc ad confinia tuenda receptis possideri, qui ne obulum quidem Episcopo penderent; ex reliqua vero diœcesi quidquid suppeditant annui redditus, vix pertingere ad summam duorum mille Rhenensium; ex qua si vel exiguam portiunculam detraxeris, neque sibi, neque Ecclesiæ superesse, quod satis esset in sumptus necessarios: præterea ex omni memoria superiorum temporum, ut est apud Kovascevichium, ex Episcopis Zagrabiensibus nullum inveniri, qui, ut diploma Pontificium impetraret, Curiæ Romanæ pensionem ullam contribueret. Dum litteris & nunciis super hujuscemodi negotio, ultro citroque dandis mittendisque tempus teritur, quadriennium effluxit; neque ante annum 1642. vel de summa pecuniæ conveniri, vel Pontificia approbatio obtineri potuit; pro cujus impetratione Rhenenses octingentos a Vinkovichio numeratos invenio.

deinde Zagrabiensem nominavit Episc.

Episcopatum Zagrabiensem sibi a Ferdinando traditum annos quinque & menses fere septem tenuit, quos quidem omnes sine ulla propemodum intermissione, in litigia & contentiones molestissimas insumere necesse habuit. Jam inde ab anno 1632. duas Abbatias obtinebat, quas ei Sigismundus Erdodius Banus, seu Prorex Chrobatiæ ex suo jurepatronatus contulerat, alteram S. Georgii in oppido Diacensi, & Comitatu Castri ferrei, quæ ad Cistercienses, alteram eidem Georgianæ annexam, ut vocant filialem S. Mariæ Cattharienfis in Comitatu Zeladiensi, quæ ad Benedictinos Monachos olim pertinebat. De hac posteriori aliqua illi controversia fuit ante susceptum Episcopatum Zagrabien. cum Nicolao Erdodio, quem ex hac duas portiones retinere arguebat, quas ad sacerdotium Marianum Cattharienf. spectare ex tabulis, & testimoniis seniorum compererat. An vero quod actione in eum instituta petebat, obtinuerit, litteris traditum non invenio. Longe gravior ac diuturnior illi fuit contentio cum Georgio Erdodio Sigismundi herede, qui ex possessionibus Abbatiæ Georgianæ silvam detraxerat, suisque colonis attribuerat. Amice quamvis placideque admonitus, tamen ut eam restitueret, adduci non potuit. In judicium vocatus noluit comparere, & rei deposita, actoris personam sumpsit; Vinkovichio denunciari jussit, ut vel Abbatiam illam dimitteret, vel in vico Diacensi apud ædem S. Georgii sedem suam stabilem, & fixam collocaret; neque enim illinc abesse per sacros Canones ei liceret; siquidem Abbatem S. Georgii Diacensis simul esse ejus loci parochum ajebat. Cum Emericus Losyus Archiepiscopus Strigoniensis anno 1638. Synodum provincialem Tyrnaviam convocasset, illuc Georgius advolavit; & circumiens domicilia Episcoporum, quos officii caussa se invisere simulabat, singulis persuasit, ut communi consensu sancirent, neque in regno Hungarico duo, vel plura sacerdo-

De duplici Abbatia controversia illi fuit, cum Georgio, & Nicolao Erdodiis.

tia,

Digitized by Google

tia; quibus annexa esset curatio animarum, retinere posset. Itaque in hanc sententiam decretum factum est; illudque Georgius Benedicto Vinkovichio denunciandum curavit per Georgium Draskovichium Episcopum Jaurinensem, cujus in diœcesi erat Abbatia S. Georgii. Decreto Tyrnaviensi suum mandatum addidit Draskovichius, sane imperiosum, quo Benedictus jubebatur, ut nisi vellet Episcopatum Zagrabiensem deponere, Abbatiam Georgianam intra quindecim dies, nulla mora, nulla tergiversatione, nulla appellatione interposita dimitteret, & Georgii Erdodii ejus patroni arbitrio conferendam cui vellet, relinqueret. Nec vero hæc denunciatio Benedictum deterruit, quo minus Metropolitam & Primatem Strigoniensem appellaret, ac præsidium ab illo peteret, scriptis ad eum litteris in hanc sententiam: mandatum Episcopi Jaurinensis æquitati repugnare, cum se inaudito, caussa incognita sententiam tulerit; nec magis sibi, quam ipsi Primati injuriosam esse, cum de hujus auctoritate ac jurisdictione Primatiali non parum derogaret; deinde subjecit rationes, cur Abbatia Diacensis cum Episcopatu Zagrabiensi, salva lege Ecclesiastica, conjungi potest. Emericus rescripsit Synodum Tyrnaviensem, de pluribus Sacerdotiis simul non retinendis, nihil aliud decrevisse, nisi quod antea in Synodo Tridentina interdictum fuerat; id autem non obesse quo minus qui plura obtineret sacerdotia, coram Judice legitimo caussam suam agere, & probare posset illam conjunctionem neque Tridentino, neque Tyrnaviensi decreto repugnare; cum autem ipse *Primatis*, & *Legati nati* potestate præditus sit, hujusmodi caussarum cognitionem ad se, vel ad judicem, quem ipse delegaret, pertinere. In eamdem sententiam ad Georgium, & Nicolaum Comites Erdodios scripsit, vetuitque Vinkovichium, ante caussam cognitam, de possessione illius Abbatiæ depelli. His litteris acceptis, uterque litem illam persequi ad tempus intermisit. Interea Georgius cum diffideret probari posse conjunctionem Abbatiæ Georgianæ & Episcopatûs Zagrabiensis illicitam esse; satius esse duxit, hac prætermissa, alteram de silva controversiam cum Vinkovichio per arbitros transigere. Ad litem ex æquo & bono componendam usus est interprete & conciliatore Georgio Draskovichio Episcopo Jaurinensi. Sed cum conditiones a Vinkovichio propositæ iniquiores sibi viderentur, exarsit iracundia & stomacho; neque antea per se, suosque omnem operam atque artem adhibere destitit, quam a Primate mandatum extorqueret, quo Vinkovichius sine ulla cunctatione Abbatiam illam dimittere jubebatur. Ex fautore infensum sibi Primatem sentiens, præter omnem suam expectationem, primum quidem obstupuit, deinde cum se collegisset, epistolam bene longam ad eum fecit, in qua ostendit plura illum & graviora peccasse, quam quæ in mandato Episcopi Jaurinensis peccata fuisse ipsemet coarguerat; verba & formulas, quibus sibi dimissionem Abbatiæ imperabat, nec esse legitimas, & in eos tantummodo adhiberi solere, qui postquam convicti & damnati fuissent, priora mandata contempserant; se neque auditum, neque convictum, neque damnatum, neque contumacem esse. Ut vero demonstret se nulla lege domicilii apud S. Georgium constituendi teneri, ex antiquis tabulis ac testibus idoneis comperisse ait Abbatiam & Abbatem Diacensem sic institutum fuisse, ut nullum ei parœciæ administrandæ onus impositum fuerit; quare Sacerdotium illud Georgianum ex sua institutione ab omni animarum procuratione liberum esse atque immunem; presbyterum ab se præpositum esse more & exemplo Abbatum Cisterciensium, qui parochi munera, & officia exequatur. Ceterum se pactum esse, modo ne cogatur, sponte, & cum sibi liberit, Abbatiam ejus patrono renunciare; idque fortasse facturum post proxima comitia, quibus interesse debebat. Veritus tamen ne sibi crimini daretur, non paruisse mandato sui Primatis, neve invitus ad parendum anathematis pœna interposita compelleretur; Georgium Draskovichium Episcopum Jaurinensem, quem antea suæ caussæ infensum expertus fuerat, sibi conciliare, atque in Archiepiscopum concitare statuit; datis ad eum litteris admonuit, caveret ne quid detrimenti caperet jurisdictio Episcopalis, si Metropolitam sineret jus indebitum in Abbatiam diœcesis Jaurinensis usurpare, suaque abuti auctoritate; primam ejus caussæ cognitionem ad curiam Episcopalem pertinere, neque antea ad Metropolitam deferri posse, quam ad hunc ab illius sententia appellatum esset. Bene monere visus est Episcopo, & omni ope operaque sibi obsistendum censuit, ne Archiepiscopus in alienam, ut ajunt, messem falcem immitteret. Ita factum est, ut molestam contentionem litemque ab se in Metropolitam & Episcopum averteret, eosque inter se committeret. Dum autem de jurisdictione inter se confligerent, & colliderentur, ille Abbatiam Diacensem, quoad vixit, retinuit.

Nec solum cum extraneis, sed etiam cum suis Canonicis lites habuit fere perpetuas; & qui antea Capituli bona, privilegia, immunitates sæpissime defenderat, post Episcopatum susceptum cum eo contendere, & alia ex aliis litigia serere numquam destitit. Primam cum Canonicis contentionem suscepit pro retinenda exigua illa soli portione inter arcem Episcopalem, & forum areæ Capitularis, quam Erghelius cum juris episcopalis esse, Canonicis ei contradicentibus, ad seque pertinere affirmaret, Joanni Ztanicio prædiali suo donavit, ut domum sibi ibidem exstrueret. Donationem sui decessoris tuendam, quamvis reclamarent Canonici, & Joannem in ejus soli possessione retinendum esse statuit; eique domus ædificandæ potestatem ab Erghelio traditam confirmavit. Sed quantum ædificii diurno labore assurgebat, tantumdem per emissarios Capituli noctu diruebatur. Ita ædificatio interrupta est, cum eamdem disturbare Canonici, & quod exstructum fuerat, dejicere numquam desierint. Itaque inchoati ædificii ne vestigia quidem supersunt. Extat tamen ibidem quædam ædicula male materiata & ruinosa, episcopalem arcem adeuntibus obvia, quæ nullum habet usum, nisi quod tutum ab imbribus receptaculum præbet. De quadam etiam silva, & de terminis, qui non satis certi ac definiti erant, inter duos montes, alterum Episcopi, alterum Capituli controversia fuit, quæ tamen de consensu partis utriusque per arbitros utrinque delectos composita fuit. Illud etiam in controversiam vocavit sibine, an custodi vinum illud contribuendum esset, quod laicis ad abluendum os post divinam

Metropolitam & Primatem Strigoniensem appellavit,

qui in eum sententiam tulit:

de qua graviter questus Vinkovichius

ostendit Abbatiæ illius & Episco-

patus Zagrabiensis conjunctionem, sacris Canonibus non repugnare.

Plures habuit cum Capitulo contentiones.

nam Euchristiam perceptam porrigi solet. Sed cum ex antiqua consuetudine, & testimonio seniorum Canonicorum tam Chasmensium, quam Zagrabiensium, qui sacrario præfuerant, compertum esset illud e cella vinaria Episcopali semper suppeditatum fuisse, nihil habuit, quod alterutris opponeret. De Theologica, ut ajunt, *Præbenda* ex præscripto Concilii Tridentini instituenda, invehendaque in Capitulum, gravior illi & vehementior cum Canonicis contentio fuit; ne unum quidem de collegio Canonicorum reperit, qui ejus sententiæ & voluntati non repugnaret; quippe e proventibus Capitularibus detrahendum erat, unde pensio annua Canonico Theologo, hujus muneri ac dignitati consentanea, suppeditaretur. Hujusmodi Theologo opus non esse ajebant, cum in Gymnasio Societatis Jesu esset, qui scholam Theologicam regeret, & Christianam morum disciplinam cum scientia juris pontificii conjunctam traderet; nec vero vel inter Canonicos, vel cœnobitas deesse complures, Theologicis institutionibus præclare eruditos, Doctorisque titulis atque insignibus decoratos, qui consuli possent, si qua orta esset difficilior controversia de fide ac religione, de recta sacramentorum administratione, de interpretatione sacrorum Canonum, & rebus omnibus, quæ ad scientiam Theologicam pertinent; quique, si quando re posceret, insana hæreticorum dogmata voce & scriptis egregie refutarent. Ut Canonicos ad suam sententiam & voluntatem perduceret, Emerici Loly Primatis Strigoniensis auctoritatem interposuit, quæ tanti non voluit, ut eos de proposito susceptoque repugnandi consilio dimoveret. Ita quod maximopere volebat, neutiquam efficere potuit. Nihilo felicius pro amplificandis proventibus seminarii Zagrabiensis, qui pro numero alumnorum tenues erant, cum Capitulo decertavit. Decrevit sacerdotium S. Stephani Protomartyris, ejusque annuos fructus seminario addicere; ab omnibus Canonicis reclamatum fuit: id contrarium esse, atque statuerat Petrus Domitrovichius, qui de suo ædiculam illam fere collapsam restituit, & idoneis vectigalibus dotavit; hanc autem fuisse ejus voluntatem scripto traditam, ut ejus præfectura cum annexis reditibus, & cum onere sacri semel atque iterum singulis hebdomadis faciendi, uni de Capitulo demandaretur, ejusque conferendæ jus & arbitrium penes Capitulum esset. Contra ea Episcopus, cum res & caussa seminarii ageretur, epichiæ locum esse ajebat; nec dubitari posse, quin Domitrovichius, si viveret, illius sacerdotii cum seminario conjunctionem approbaturus esset, ut alumnorum commodis, atque utilitati consuleretur: more institutoque majorum jamdiu receptum esse, & Sedis Apostolicæ auctoritate firmatum, ut ad sublevandam seminariorum inopiam, iis adjungerentur hujusmodi sacerdotia, quæ curatione animarum carerent. De hac re diu multumque disceptatum est; & annum fere integrum Canonici obstinatis animis Episcopi sententiæ ac voluntati obstiterunt. Cum nihil, invito Capitulo, effici posse intelligeret; ad consensum Canonicorum eliciendum hoc temperamentum invenit, & hanc conditionem proposuit, ut seminarium illius sacerdotii usumfructum tamdiu retineret, quoad ejus indigentiæ aliunde subventum esset; ubi primum subsidii quod satis esset, ex liberalitate piorum hominum acquireret, idem Sacerdotium in arbitrium potestatemque Capituli, atque in pristinum statum rediret. Æqua visa est conditio, ac nemo illam repudiandam censuit, præsertim cum post mortem Vinkovichii, ætate jam longe provecti, de illius bonis pars dimidia ex decreto Ferdinandi II. Cæsaris obventura esset seminario, cui si qua deinde piorum legatorum accessio fieret, spes erat brevi fore, ut illius sacerdotii fructibus seminarium non indigeret; jusque illud conferendi, atque obtinendi Canonici recuperarent. Porro Benedictus Domitrovichium duobus illis sacrificiis, quæ singulis hebdomadis fieri jusserat, fraudari nolebat. Cum itaque seminario donavisset mille & quingentos Rhenenses, ex horum annuis fructibus, viginti quidem Rhenenses presbytero tradi voluit, eique onus imponi bina illa sacra faciendi; reliquos vero ad septuaginta, in usum seminarii commodumque converti. Verum quod Vinkovichius decreverat, & Canonici approbaverant, effectu caruit; cum mors illius non multo post secuta, rei perficiundæ facultatem intercepit. Alias præterea lites habuit cum Capitulo, quibus exasperati Canonici litigiosa certamina sibi ab eo illata in eum retorquere, & repetundarum actionem eidem intendere, ex reis se accusatores facere decreverunt. Martinus Oborotzius Archidiaconus Chasmensis, & Canonicus, actor caussarum Capituli, jussus est exponere coram Capitulo Chasmensi, & nominatim percensere terras, prata, silvas, metas agrorum, quas per Episcopos superiorum temporum Capitulo ereptas, & a Vinkovichio contra jus fasque retentas querebantur, simulque ab illis retinendis, & fructibus percipiendis Episcopum inhibere; & litteras quascumque refellere, si quas pro tuenda illarum possessione a magistratibus haberet, aut impetraret; easque subreptitias esse, irritas, inanes declarare. Quæ Martinus nomine jussuque Capituli Zagrabiensis exposuit, inhibuit, declaravit, Capitulum Chasmense excepit, atque ad verbum expressa tabulis consignavit.

Canonici in Episcopum de bonis sibi ereptis actionem intendunt corã Capitulo Chasmen.

Nos Capitulum Ecclesiæ Chasmensis memoriæ commendamus per præsentes; quod Reverendiss. Dom. Martinus Oboeroczy Archidiaconus Chasmensis, & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, director nempe causarum Ven. Capituli ejusdem Ecclesiæ Zagrabien. suo ac totius annotati Capituli Zagrabien. nominibus & in personis, nostram veniens in præsentiam, per modum solemnis inhibitionis, protestationis & contradictionis, nobis detegere, & significare curavit hunc in modum; qualiter his superioribus non ita dudum annis & temporibus (prout ipsis Dom. protestantibus, Capitulo Zagrabiensi innotuisset) nonnulli ex Rever. Domin. Prælatis Zagrabiensibus infrascriptas occupationes bonorum infra citatorum, alias omnino intra metas jam fati Capituli Zagrabien. consequenter in territorio ejusdem, & Comitatu similiter Zagrabiensi existentium, & habitorum, particulariter & concomitanter fecissent, & patrassent, ejusmodique bona occupata præter jus & æquum possedissent: prout modernus quoque Rever. Dom. Prælatus Benedictus Vinkovich eadem via occupationis non solum teneret possideretque, sed etiam in eisdem bonis occupatis certas locationes, & alias inconvenientias minus juste, & præjudiciose exercuisset, & in dies via juris sane omni exercere

Litteræ Capituli Chasmensis de usurpatione bonorum Capitularis.

non

Digitized by Google

non veretur, non sine evidenti juris & justitiæ communis læsione, atque etiam gravi damno, & præjudicio juris metarum, & territorii ipsius Ven. Capituli Zagrab. legitime protestantis manifesto. Cum itaque præallegati Dom. Episcopi Zagrab. per interpolatas, ut præmissum est, vices, diversisque temporibus, præmissas occupationes patrando, inter alias quidem, certum fœnile ipsorum Dominorum protestantium Zighechicza vocatum, cum terra arabili vicina, adeoque etiam in continuo eidem fœnili adhærente, quod videlicet fœnile, terraque arabilis vicina, ad terras sive tlacas ipsius Capituli Krogh vocatas semper de jure & ab antiquo spectassent, & de præsenti quoque pertinere deberent. Item certum terragium, sive terrenum vulgo Bokanzkopolie nuncupatum, cunctasque ejusdem terragii pertinentias. Item certas terras arabiles, prata & silvas prope Dusiczam Episcopalem, supra autem, & ad possessionem Greda ejusdem Capituli Zagrabiensis, omnino in provincia ipsius Szisziensi, Comitatuque Zagrabiensi existentem, adjacentes & pertinentes. Item piscinam Capitularem, tam juxta, quam supra Ecclesiam ipsam cathedralem Zagrab. ad partem, ut puta septemtrionalem, situatam, consequenterque totum colliculum penes, & supra eamdem piscinam ad partem orientalem adjacentem, seseque ad viam in ipsa valle, seu declivitate proxima ab eadem plaga orientali collimando, extendentem, suosque terminos claudentem. Item arcem, seu castrum per ipsum Capitulum ædificatum, & a fundamentis erectum dictæ Ecclesiæ Zagrabien. consequenterque ipsius toties fati Capituli Zagrabien. cum fundo pariter arcis ejusdem, alias in territorio annotati Capituli Zagrabien. existens & habitum; prout etiam hortum infra eamdem arcem penes molendinum ad partem meridionalem situatum, & ad metas usque liberæ regiæque civitatis montis Græcensis protensum, metamque Capitularem, & non Episcopalem, cum metis ejusdem civitatis in se claudentem, & repræsentantem. Immo Xenodochium infra castrum annotatum cum fundo ejusdem penes hortum episcopalem, Allodium vocitatum, in quo alias Congiæ etiam habentur, & per dictum Capitulum Zagrabien. in præsentiarum quoque locari solerent. Ac insuper id totum, & omne, quidquid esset, haberetur, contineretur intra prætactum hortum ad molendinum, & fluvium Medvednicza, Xenodochium item ac viam in valle præscripta exclusive, juxta & penes prænotatum colliculum supra piscinam, & ipsam Ecclesiam, ut prætactum est, adjacentem modo præcensito; iidem Episcopi Zagrabienses illegitime indebiteque occupassent, possedissent, & usurpassent; exinde annotatus quoque modernus prælatus Benedictus Vinkovich, eadem via occupationis minus juste, & indebite omnia præmissa teneret & possideret etiam modo; quin etiam idem Dom. Benedictus Vinkovich, præter nocivas, & multum præjudiciales certas inconvenientias, & violentias suas contra præfatum Capitulum Zagrab. hactenus patratas, certas incolas, seu inquilinos inter, & subter prætactam arcem Zagrabien. & ipsum fluvium Medvednicza locasset, & in dies magis ac magis locare intenderet, & præsumeret; omnia omnino in grave damnum, & præjudicium juris, metarum, & territorii ipsius Ven. Capituli Ecclesiæ Zagrab. prout ex tunc, ita etiam ex nunc, & in futurum manifeste, & evidenter vergentia & militantia. Eapropter memoratum Vener. Capit. Zagrab. tam per se, quam medio præfati Domini fratris, & concanonici, veluti etiam in caussis Directoris sui, præmissa prius, sollemnissimeque coram nobis celebrata, super omnibus & singulis actibus præcensitis protestatione, annotatos Dom. Prælatos Zagrab. præmissorum actuum, violentiarum, occupationum, & insolentiarum patratores, consequenterque modernum, & futuros Dom. Episcopos Zagrab. ab hujusmodi præcitatorum, metarum, ac territorii ipsius Capituli Zagrab. anteacta, subsecuta, continuata, minus justa & indebita, ac prorsus legitima occupatione, apprehensione, detentione, conservatione, vindicatione, sibique ipsis usurpatione, & appropriatione, exindeque etiam quovis exquisito sub colore in dominium omnium prætactorum ingessione, intromissione, aut sibi ipsis statuifactione, usuum & fructuum quorumlibet perceptione, seu percipi factione; sacratissimam vero Cæsaream Majestatem, & regiam, Dominum Dom. nostrum Clementissimum, & Domin. Comitem Palatinum regni Hungariæ, tam præteritos quam etiam præsentes & futuros; omnes etiam judices regni Hungariæ; partiumque sibi annexarum ordinarios, ipsorumque magistros Protonotarios; universa insuper Capitula, & conventus, ac alia quavis loca credibilia, personasque autenticas, a litterarum suarum tam introductoriarum, & statutoriarum, prout etiam metalium, seu reambulatoriarum superinde relatoriarum, quam fassionalium, & aliarum quarumlibet, sub quavis verborum forma, vel jam datarum, vel in posterum extradendarum, juribus, metis, ac territorio præfati Capituli Zagrab. legitime, ac indefesse protestantis derogantium emanatione, inhibuit contradicendo, & contradixit inhibendo, publice & palam, itidem coram nobis, harum nostrarum vigore, & testimonio litterarum mediante. Datum Zagrabiæ die 16. Augusti. Anno Domini 1641.

De fundis & bonis Capitulo ereptis, & contra jus fasque retentis, quæ objiciunt Canonici, tum Episcopis superiorum annorum, tum ipsi Benedicto, an probare potuerint, ac veritate nitantur, mihi non liquet. Super his nullam postea, neque huic, neque successoribus Episcopis litem a Canonicis indictam, vel actionem judicialem institutam reperio. Nec vero inter illas, quas diximus, litigiosas contentiones, Ecclesiæ suæ consulere ac benefacere intermisit. Statim atque a Ferdinando traditus illi fuit Episcopatus Zagrabiensis, de cogenda Synodo diœcesana cogitare cœpit; nec decretum Pontificiæ confirmationis, ob eam caussam, quam supra exposui ex die in diem dilatum, exspectandum censuit, quin eam indiceret. Neque illum a suscepto consilio revocarunt litteræ Francisci Cardinalis Barberini; a quo, ut est apud Kovascevichium, *monitus fuit, ne ad ejus celebrationem se immisceat, antequam Bullas ad manus haberet. Is tamen zelo victus Synodum &c.* Ergo Canonicis, parochis, & ceteris, quibus jus erat Synodi adeundæ, dies edicta est vicesima sexta Quintilis ad conveniendum in ædem cathedralem. Anno igitur 1638. die constituta omnes, qui vocati fuerant, adfuerunt. Nullum decretum condidit, quod sibi fortasse non licere putabat, antequam collatum sibi Episcopatum Pontifex Maximus approbaret; sed quæ ante aliquot annos Franciscus Forgachius Archiepiscopus & Primas Strigonien-

Synodum diœcesanā coegit, in qua decreta Concilii Nationalis Tyrnaviensi promulgari, & observari jussit.

goniensis in Concilio Nationali Tyrnaviensi de fide, de cultu divino, de administratione sacramentorum, de disciplina ecclesiastica sapienter pieque sanciverat, promulgari & accurate observari jussit. Hæc Synodus tres ipsos dies tenuit; & seni singulis diebus conventus habiti, matutini & pomeridiani, totidemque conciones a doctissimis viris e Capitulo & clero delectis; quibus ipse materiam præbuit, quam tractarent, & in qua versarentur. Hoc autem fuit argumentum isque ordo concionum ex Thoma Kovascevichio: *Primo die*, inquit, *oratori agendum erat in prima parte de vita & honestate bonorum sacerdotum; in secunda vero de honestissimis titulis, quibus in Sacra Scriptura decorantur. A meridie concio patrio sermone dicenda erat de contractibus matrimoniorum. Altera die prima sermonis materia fuit mala & inhonesta vita clericorum, & tituli ignominiosi, quibus in Sacra Scriptura afficiuntur, secundi vero potestas clavium, & censura Ecclesiastica. Tertio die Concionator egit mane de præmiis bonorum, vespere de pœnis malorum sacerdotum.*

Decretum Ferdinandi II. de non alienandis bonis ecclesiasticis, a Ferdinando III. confirmandum curavit.

Quod de bonis Episcopatus & Ecclesiæ Toplicensis nullo modo alienandis decretum a Ferdinando II. ante annos fere novem, nomine jussuque Erghelii Episcopi, dum esset Præpositus major, impetraverat, a Ferdinando tertio confirmandum curavit, qui gravioribus formulis idem sancivit, & præterea jussit, mandavitque, ut quilibet Episcopus non ante in possessionem Episcopatus sibi collati mitteretur, quam jurejurando pollicitus esset, se accurate ac fideliter servaturum quod uterque Ferdinandus præscripserat. Ferdinandus igitur decretum fecit, cui parentis sui diploma inseruit.

Nos Ferdinandus III. &c. memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod pro parte & in persona fidelis nostri, Rev. Benedicti Vinkovich Episcopi Ecclesiæ Zagrab. & Consiliarii nostri, exhibitæ sunt nobis, & præsentatæ certæ quædam litteræ prædefunctæ Sac. Cæs. Regiæ Majestatis, Domini & genitoris nostri desideratissimi felicis. memoriæ, privilegiales, in regali papyro patenter confectæ, ac secreto sigillo suo, quo ut rex Hung. utebatur, impressive communitæ, pro conservatione & augmento jurium prædicti Episcopatus Zagrab. nec non Abbatiæ de Topuszka eidem annexæ, & unitæ, adeoque in propagationem S. Matris Ecclesiæ clementer elargitæ, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Majestati nostræ pro parte & in persona dicti Episcopi Zagrabien. humillime, quatenus easdem litteras prædefunctæ Sacræ Cæsareæ & Regiæ Majestatis privilegiales, omniaque & singula in iisdem contenta, ratas, gratas, & acceptas habentes, litterisque nostris inseri & inscribi facientes, approbare, roborare & ratificare, Cæsareumque & regium Domini genitoris nostri in prætactis gratiosis litteris suis contentum diploma, certis adhuc ordinationum articulis benigne meliorare, augere, atque pro ipso Benedicto Vinkovich, moderno Episcopatus & Abbatiæ possessore, sed & futuris successoribus Episcopis ejusdem universis clementer confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum privilegialium tenor talis est: Nos Ferdinandus secundus &c. hic insertum est diploma, supra in Erghelio descriptum.

Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione pro parte præfati Benedicti Vinkovich Episcopi, nostræ, modo quo supra, porrecta Majestati, regia benignitate exaudita, clementer & admissa, præinsertas litteras prædefunctæ Sacræ Cæsareæ & regiæ Majestatis, Domini & genitoris nostri, gratiosi diplomatis privilegiales, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, ac suspicione carentes, præsentibus litteris nostris privilegialibus, de verbo ad verbum, sine diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas, quo ad omnes earum continentias, clausulas, & articulos, eatenus, quatenus eædem rite & legitime existunt emanatæ, juribusque earumdem veritas suffragatur, ratas, gratas, & acceptas habentes, approbamus, roboramus, & ratificamus; nec non subsequentium articulorum ulteriori ordinatione meliorando, & adaugendo, pro præfato Benedicto Vinkovich, ejusdem posteris & successoribus universis perpetuo valituras gratiose confirmamus. Et primo quidem pro augmento clementer haberi volumus, quod si quis Episcoporum contra præinsertam ordinationem, constitutionem, ac etiam prohibitionem; sine legitimis, & necessariis caussis & rationibus per prædictum Dominum & genitorem nostrum pro pio erga Ecclesiam Dei affectu institutam, ex bonis & obvenientibus ad prædictum Episcopatum Zagrabien. nec non Abbatiam Topuszkensem eidem annexam & applicatam, tam ex iis, quæ pro illo Episcopatu, vel prædicta Abbatia, jure mediante, recuperabuntur, & per defectum seminis, aut alio legitimo modo ad eumdem Episcopatum & Abbatiam condescenderent, quam etiam ex iis, quæ ad præsens penes eumdem Episcopatum Zagrabien. Abbatiamque Topuszkensem extarent, aliquid abalienare, vendere, infeudare, donare, impignorare, & inscribere, sive etiam aliquem subditum colonum liberare, aut etiam prædialem, sive nobilem regni, ex bonis & juribus Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabien. aliquid possidentem, a servitiis, & pensionibus eidem Ecclesiæ & Episcopatui Zagrabien. de jure præstandis in perpetuum eliberare, extra casum superius declaratum, & concessum, præsumpserit, id totum vanum, cassum, irritumque, non solum extra judicium, sed etiam coram quovis judice, & justiciario præmissorum regnorum nostrorum, tam fori spiritualis, quam etiam sæcularis, habeatur, & pronuncietur. Et in tali casu liceat Capitulo & Fiscali dictæ Ecclesiæ Zagrabien. contradicere, & bona seu obventiones per Episcopum, contra præscriptam normam & prohibitionem, vel abalienata, vendita, infeudata, vel autem donata, impignorata, & inscripta, immo etiam colonum extra casum supra notatum libertatum, præsentium nostrarum vigore occupare, apprehendere, & tamdiu possidere, quamdiu talis Episcopus abalienans, vendens, infeudans, & donans, vel impignorans, aut libertans, Episcopatum sæpe dictum Zagrabien. possederit; eodem vero decedente, vel aliorsum migrante, rursus ad eumdem Episcopatum bona eadem redeant, salvis cunctis pœnis Canonicis in suo esse permanentibus circa tales transgressores latis. Et quia Episcopi Zagrabienses, a die installationis, sive introductionis suæ usque ad confirmationem a Summo Pontifice acceptam, & juramenti super non infeudandis, donandis, & impignorandis, aut quovis modo abalienandis Ecclesiæ suæ bonis & obventionibus, depositionem, sive præstationem, plerumque soleant tales venditiones, infeudationes, donationes, liberationes, & oppignerationes, in, & ex bonis

Digitized by Google

nis prætactæ Ecclesiæ Zagrab. & Abbatiæ Topuszkensis facere, ad obviandum huic tanto malo per vigorem præsentis nostri novi diplomatis, & augmenti, benigne decernimus ex Prælatorum etiam Consilio, ut quilibet futurus Episcopus tempore installationis, sive introductionis suæ, ante ipsam confirmationem fiendæ coram Capitulo, & reliquo etiam clero Ecclesiæ Zagrabien. toto denique populo pro tunc inibi existente, sollemne deponat juramentum super eo, quod ex bonis, & obventionibus ad eumdem Episcopatum Zagrabien. Abbatiamque Topuszkensem ipsi Episcopatui unitam, spectantibus, tam iis, qui vel jure recuperabuntur, aut in eumdem Episcopatum & prætactam Abbatiam per defectum seminis, aut alio legitimo modo condescendent; quam etiam illis, quæ adhuc penes eumdem Episcopatum & prætactam Abbatiam eidem applicatam extarent, nihil alienabit nihil infeudabit, vendet, aut donabit, impignorabit, & inscribet; nullum etiam subditum colonum libertabit, nullum quoque prædialem, sive nobilem regni ex bonis & juribus Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabien. aliquid possidentem a servitiis, & pensionibus eidem Ecclesiæ & Episcopatui Zagrabien. de jure præstandis eliberabit, extra casum in præinsertis gratiosis litteris prædefunctæ Majestatis sacratissimæ diplomatis privilegialibus præscriptum & concessum. Quod si quis autem Episcoporum Zagrabiensium tale juramentum præstare recusaret, tamdiu suspensa, & invigorosa sit installatio seu introductio illius, donec tale præstiterit juramentum. Immo acceptamus, roboramus, ac præmissa ordinationis melioratione, dictum Dom. genitoris nostri diploma, adaugendo, & superinde præinsertas ejusdem litteras privilegiales emanatas innovando, pro sæpe dicto Vinkovich Episcopo, ejusdemque posteris & successoribus universis, perpetuum valituras gratiose confirmamus, salvis juribus alienis; harum nostrarum secreto sigillo, quo ut rex Hungariæ utimur, impendenti communitarum, vigore & testimonio litterarum. Datum per manus fidelis nostri dilecti Reverendi Georgii Lippay de Zambor Episcopi Ecclesiæ Agrien. perpetui Comitis de Heves Consiliarii nostri, & aulæ nostræ per regnum nostrum Hungariæ Cancellarii in civitate nostra Posoniensi die 15. mensis Martii Anno Domini 1638. regnorum nostrorum Romani secundo, Hungariæ, & reliquorum decimo tertio, Bohemiæ vero anno undecimo; Rever. ac Venerab. in Christo Patribus, Dom. Emerico Losy Metropolit. sedis Strigonien. & Joanne Telegdi Colocensis, & Bacsiensis Ecclesiarum canonice unitarum Archiepiscopis, præfato Georgio Lippay Agriensi, Benedicto Vinkovich. Zagrabien. Ladislao Hustoty electo Varadinensi, Stephano Simondi electo Transylvaniensi, Georgio Jakusith electo Vesprimiensi, Joanne Cheb electo Quinqueecclesiensi, Georgio Draskovich de Trakortany Juriensi, Georgio Nagysalvay electo Vaciensi, dicto Joanne Telegdi Administratore Nitriensi, Nicolao Peothe electo Sirmiensi, Fratre Georgio Biclavich electo Tiniensi, Joanne Puski electo Chanadiensi, F. Joanne Baptista Agatich Segniensi, & Modrussiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item spectabilibus, ac magnificis Comite Nicolao Eszterhazi de Galantha præfati regni nostri Hungar. Palatino, Comite Joanne Drugoth de Hommona judice curiæ regiæ nostræ, Comite Sigismundo Erdeody de Moniorokerek dictorum regnorum nostrorum Dalmat. Croat. & Sclavoniæ Bano, Comite Christophoro Banffii de Asolindoa tavernicorum, Comite Stephano Nyarii de Bedegh janitorum, Comite Joanne Palfii de Erdeod cubiculariorum, Stephano Ostrosith de Diletincz dapiferorum, Comite Paullo Palfii de dicta Erdeod pincernarum, Emerico Czobor de Czoborszentmihali curiæ nostrorum regalium magistris, ac Comite Stephano Palfii de præfata Erdeod Comite Posoniensi; ceterisque quamplurimis regni nostri Hungariæ Comitatus tenentibus & honores. Ferdinandus m. p. Georgius Lippay Episcopus Agrien. m. pr. Ladislaus Ferenczffii m. pr.

Decretum utriusque Ferdinandi Leopoldus I. confirmavit anno 1679. Ritus vero jurisjurandi a novo Episcopo exigendi, & ipsius sacramenti formula est hujusmodi ex codice rituali Zagrabiensi: *Præpositus major dicat sequentia: Reverendissime Domine, præsentia diplomata sacratissimarum Cæsarearum regiarumque Majestatum dictant, ut singuli Episcopi electi Zagrabienses, antequam installentur, omnia contenta horum diplomatum observanda sub juramento recipiant. Oportet ergo ut regiis voluntatibus Dom. Vestra Reverendissima se se conformet. Electus dicat: Legantur regia diplomata. Dominus Lector, vel alius eo absente dignior, stans e regione altaris, ex cornu Evangelii, eadem diplomata legat; quibus peractis accedens Reverendiss. ad altare, in supremo gradu genuflexus, accipit diplomata ad manus, & jurat in hæc verba: Ego N. N. electus Episcopus Zagrabiensis juro & spondeo, quod quæcumque in omnibus, & singulis benignis diplomatibus, pro conservatione, & augmento jurium Episcopatus Zagrabiensis, nec non Abbatiæ de Topuszka, eidem Episcopatui annexæ & unitæ, emanatis, Augustissimorum felicis reminiscentiæ quondam Cæsarum, & Apostolicorum regum Hungariæ Ferdinandi secundi de dato Viennæ Austriæ, die 8. mensis Septembris, anno 1629. & Ferdinandi tertii de dato in civitate Posoniensi, die 15. mensis Martii anno 1638. nec non Leopoldi primi de dato Viennæ, 25. mensis Augusti, anno 1679. continentur, eadem in toto, & qualibet sui parte fideliter & inviolate sim observaturus. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Quo finito Pontifex, & reliqui dicant: Deo gratias.* Ratio exigendi & præstandi juramenti.

Visum est mihi hic subjicere quasdam in hanc jurisjurandi formulam animadversiones Balthassaris Kereselichii: *Sed dices, vigore præmissorum cum diplomatum, tum juramenti, qua ratione Zagrabienses Episcopi conferre possunt prædia. Res hæc anxium multum tenuit Excellentissimum Dom. Franciscum Comitem Klobusiczky, antequam juramentum deposuisset, multumque fuit sollicitus. Et cum a diversis sententias exquisivisset, remque serio examinari, & indagari curasset, deprehensum est.* Animadversiones Balthassaris Kereselichii in eam formulam, & in ea diplomata.

1. Privilegium hoc in usu non esse, nec hactenus fuisse, cum ipsi illi, eorumque successores, vacantia prædia contulerint hactenus, uti ex eorum expeditionibus, & protocollo pateret.

2. Privilegiis præmissis Croatiæ Banos contradixisse, ac semper contradicere, caussa Banderii, quod alias Episcopus intertenere non deberet; petieruntque producendas a Banderio absolutionales regias.

3. Cum pro defensione Ecclesiæ sint prædiales, tolli sine præjudicio Ecclesiæ non possunt; ubi enim in necessitate congregabit milites qui tueantur?

4. Suprascripta diplomata accipienda censeri pro avulsis, vel avellendis, quæ mensæ Episcopalis sunt; nullatenus vero de aliis; hinc & Ferdinandus tertius dixit: „ tam ex iis . . . . „ quæ jure mediante recuperabuntur.

5. Iisdem privilegiis conceditur, ut personis de Ecclesia benemeritis, & servitia præstantibus conferri possint; ergo simpliciter prædia relaxata non sunt; neque nisi talibus conferri consueverunt.

6. Sensum horum diplomatum perceptime intellexerunt Erghelius, & Vinkovich impetrantes; & tamen prædiis non privaverunt prædiales, nec eos extinxerunt; igitur nec mens hæc est, vel fuit diplomatum. Immo si articuli, qui in corpore juris nostri continentur, accuratius fuerint examinati, profecto Ecclesiarum prædiales confirmati adeo videntur, ut dubitem an sine sacræ regni coronæ præjudicio tolli possint. Quoniam articulo 46. an. 1681. præfatis diplomatibus posteriore, & 63. an. 1741. Ecclesiarum prædiales insurgere, & exercituare jubeatur; quomodo ergo tolli poterunt? Hinc præfatus Zagrabiensis Episcopus cum juramentum illud deposuisset, addidit: quod quæcumque &c. secundum usum intellectis. Quare præfatorum diplomatum sensus iste videtur, ex Episcoporum Zagrabiensium factis hactenus; quod de bonis Episcopalibus exscindere novum amplius prædium non possint, neque ex iisdem oppignorare, inscribere, hypothecare; dein quod possint prædia legitime ad ipsos devoluta retinere, nec obligentur statim ea sæcularibus conferre; seu in ipsorum sit arbitrio vel ea tenere, vel conferre, sique contulerint, hoc non esse obligationis, sed gratiæ. Ita plura hodie possident, quæ olim prædia sæcularia fuerunt.

Occasione etiam prædii Bresane, per Episcopum Klobusiczky fratri suo Antonio cum prædio Biszkupecz collati, magnum habuit idem Episcopus Klobusiczky dubium, ex eo quod antecessor suus Georgius Braniugh prædium Bresane cum prædio Lukarich, etiam per scriptum quoddam suum, perpetuo Ecclesiæ univisset; remque examinari curavit, etiam cum Capituli voto, quod medio duorum a sui gremio ad eumdem exmissorum, cum censuisset dicta prædia, non obstante illo Braniughiano statuto, posse libere conferre Episcopum, eo quod consensu regio destitueretur statutum, consequenter obligare non posse successores. Ipse re bene examinata, prædium Bresane ex rationibus etiam aliis, quas hic omittimus, fratri suo Antonio contulit, cum prædio Biszkupecz ad Varasdinum. Lukarichianum autem penes Ecclesiam reliquit, eo quod Dombra fundationalis Episcoporum Zagrabiensium esset, ubi dictum Lukarichianum prædium situatum esset, consequenterque credebat illud esse mensæ Episcopalis; hinc vi juramenti neque conferri posse.

Benedictus januam maximam ædis cathedralis ornare cœpit. Januam maximam, & faciem basilicæ cathedralis selectis marmoribus, egregieque elaboratis ornare cœperat, in eumque ornatum florenos Rhenenses quingentos jam insumpserat Benedictus; cum ei mors præclari operis absoluti laudem præripuit, quod demum post annos fere triginta Ludovicus Ukoszlavichius perfecit, ut docet inscriptio ibidem incisa:

Cœperat hæc Præsul Benedictus Vinkovich olim
Pectore flagranti dona parare Deo.
Hæc Ludovicus ego feci Wkoszlavich ipsa,
Ut queat optatum finis habere decus.

De primordiis & incrementis Ecclesiæ Zagrabiensis Commentarios scribere instituerat; sed hos quoque imperfectos reliquit; de quibus Paullus Ritter: *Aggressus fuit scribere opus fundationis, & auctionis Ecclesiæ Zagrabiensis, quod irrecognitum & imperfectum reliquit morte præventus.* Commentarios Eccl. Zagrab. scripsit sed non perfecit. Diploma Pontificium, quo potestas illi fiebat Episcopatus Zagrabiensis ineundi, ob eam, quam dixi caussam tamdiu dilatum, tandem anno 1642. Zagrabiam pervenerat, cum ille paucis post mensibus diem obiit supremum. De cujus morte, & funere, hæc Thomas Kovacsevichius: *Mortuus est plenus dierum die 2. Decembris, an. 1642. & honorifice sepultus penes aram S. Lucæ. De ejus substantia participavit Seminarium Rhenenses ter mille. Capitulum ex equis, veste hyemali, moceto, & rocheto, quæ ipsi de veteri consuetudine, in morte singulorum Episcoporum cedunt, percepit Rhenenses 462.* Obiit. Testamentum ante obitum aliquot annos fecerat, & anno ante obitum proximo confirmavit in hæc fere verba, ut est apud Kovacsevichium: *Ut rata medietas mobilium, juxta tenorem diplomatis Ferdinandi II. Seminario applicetur, altera inter pauperes, consanguineos, & Ecclesiam suam æqualiter dividatur; cui etiam nonnulla vasa argentea addi voluit, signanter duodecim crateres inauratos, qui etiam de præsenti deserviunt ad usum Canonicorum, qui in die Cœnæ Domini duodecim Apostolos repræsentare solent. Universis sui Episcopatus subditis, qui sibi aliquos proventus administrare neglexissent, eosdem relaxat, illis quidem, qui solvendo essent, in dimidio, aliis ex toto. Pro perpetua sui, ut vocamus, Altaria, per unum ex Canonicis tenenda, ordinat domum angularem in foro Capitulari ad portam inferiorem; vineam item supra piscinam Capituli, Mladina dictam cum Allodio infra, & terris supra ipsam existentibus, uti & terras trium jugerum, quas ab Episcopo Erghelio in præmium servitiorum collatas habuit, imposito talis beneficii administratori onere legendi sacrum unum in mense, & absolvendi duo anniversaria pro se cum cantu, aliud legendum pro Martino Antolovich, olim Canonico Zagrabiensi, cujus etiam in sacris pro se dicendis commemorationem fieri voluit.*

Elogium insigne F. Raphaelis Levacovichii Benedicto tributum. P. Raphael Levacovichius ex Ordine S. Francisci in dialogo de antiqua Illyricorum lingua, quem Francisco Cardinali Barberino inscripsit, præclarum Benedicto Vinkovichio Episcopo Zagrabiensi elogium contexuit, alloquens ipsum Cardinalem his verbis: *Conspice Reverendissimum D. Benedictum Vinkovich in Philosophorum, & Theologorum studiis apprime eruditum, juris utriusque Doctorem, in sacris litteris, ecclesiasticis rebus, religionis dogmatibus, Catholicæ veritatis fundamentis, historicorumque monumentis versatissimum, qui pectoris sui bibliothecam morum probitate, vitæ innocentia, atque integritate, incorruptæ fidei in Deum & homines conservatione ita exornavit, ut quemadmodum rerum omnium cognitione, virtutumque excellentia se admirabilem præbuit, & illustrem, neque enim illa inflari, neque hac extolli visus est umquam; sic servata ubique fide ad Deum, ad Ecclesiam, ad Cæsarem, ad regem, ad rempublicam, ad patriam, ad universos denique & singulos, factus est illustrissimus. Novit Croatia in qua natus est, novit Slavonia, novit Hungaria, norunt optimates & proceres, norunt prælati & antistites, & dictorum regnorum, & proximorum; novit rex ipse, or-*

bisque

Digitized by Google

bisque Imperator Ferdinandus , qua hic animi præsentia , qua constantia & firmitate audax intrepidusque publicis in comitiis Catholicam religionem , pietatem in Deum , observantiam erga Romanam Ecclesiam , obedientiam & fidem erga regem adversus hæreticorum molimina propugnavit. Non ego hic Antistitis hujus in rebus gerendis vigilantiam , non in caussarum cognitione diligentiam , non æquitatem in dijudicandis controversiis , non studium in conficiendis negotiis , non demum laudabiles ceteras animi affectiones , perfectionesque ejusdem absolutissimas numerabo , quorum intuitu piissimus Cæsar fel. record. Ferdinandus II. Romanorum Imperator semper Augustus , & plurimi eum fecit , & charissimum habuit , usque adeo , ut majorem eidem in Ecclesia Zagrabiensi Præposituram primo , deinde Quinqueecclesiensem quoque prælaturam contulerit . Neque minoris eumdem æstimat Ferdinandus III. similiter Rom. Imperator , Catholicæ religionis , Christianique imperii hostium debellator gloriosissimus , qui graviora eidem sæpius committere consuevit ; & præfatam Zagrabiensem Ecclesiam regia munificentia , atque auctoritate jurispatronatus dandam & conferendam duxit . Cujus collationis confirmationem quod tandem aliquando , post quadriennium videlicet , multo sudore ac labore a Sede Apostolica quæsitam acceperit , favore tuo in primis , & memor , & gratus acceptam refert . Episcopus certe numeris omnibus absolutus , & quemadmodum Episcopatus honore ornatur , ita purpura , & rubro galero dignissime decorandus .

MARTINUS EP. ZAGRAB. LXI.

Martinus Bogdanus Præpositus major,

Cognomento Bogdanus. Anno 1611. ad collegium Canonicorum Zagrabiensium aggregatus fuit ; & post sexennium Bononiam profectus Præfecturam illius Seminarii Hungarici quattuor annos gessit ; qua dimissa jussu missuque Capituli , & Petri Domitrovichii Episcopi Romam adiit ; & quæ sibi commissa fuerant negotia apud Sedem Apostolicam peragenda , e sententia confecit . Zagrabiam reversus an. 1621. responsa Sacræ Congregationis retulit , quæ interrogata fuerat , utrum creditori liceret fructus ex re oppignerata percipere , ut supra dictum est in Domitrovichio . Vix Zagrabiam redierat , cum iterum jussus est Romam repetere , ut Gregorio XIV. qui non ita pridem in Sedem Romanam Paullo V. suffectus fuerat , tutelam collegii Hungarici Bononiensis commendaret , ejusque institutionem auctoritate Apostolica confirmandam curaret , litteris commendatitiis tum Episcopi , & Capituli , tum Ferdinandi II. & omnium ordinum regni Slavoniæ ad Pontificem allatis . Utrumque impetravit ; & cum Fabius Victorinus civis Bononiensis , cui possessio quædam ejusdem collegii locata fuerat , nec illam dimitteret , & pensionis constitutæ solutionem pertinaciter obnueret , res delata fuit ad præsules Romanos sacræ Rotæ præpositos ; ex quorum sententia tum pensiones neglectas solvere , tum locatione cedere coactus est . Ante Episcopatum tres Archidiaconatus , alium ex alio obtinuit , Chasmensem , Chamarcensem , Cathedralem , ex quo postremo ad primariam Capituli dignitatem ascendit , Præpositi majoris titulum & subsellium adeptus . Anno post obitum Vinkovichii proximo , Ferdinandus III. tertio Id. Aprilis Martinum designavit Episcopum Zagrabiensem , Urbanus VIII. regiam designationem tertio Nonas Augusti approbavit . Cum propter incommodam valetudinem , & longinquitatem itinerum Episcopos , a quibus consecraretur , adire non posset ; ab Innocentio X. petiit impetravitque potestatem consecrationis suscipiendæ a quocumque vellet Catholico Episcopo , seclusa necessitate duos alios Episcopos accersendi , qui ei manus imponerent ; sed duobus Cœnobiarchis , quibus jus esset mitræ , & baculi pastoralis , ad sollemnem illam functionem adhibitis.

electus Episcop. Zagrabiensis pro suscipienda consecratione

Innocentius Papa X.

singulare privilegium ab Innoc. X. impetravit.

Dilecte fili , sal. & Apost. bened. Alias felicis rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster , Ecclesiæ Zagrab. certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutæ , de persona tua , eidem Urbano prædecessori nostro , & Vener. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta , de eorumdem Fratrum consilio , Apostolica auctoritate providit ; teque illi in Episcopum præfecit & Pastorem , curam & administrationem ejusdem Ecclesiæ Zagrabien. tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ; tibique ut a quocumque , apud quem malueisses , Catholico Antistite , gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente , accitis , & in hoc tibi assistentibus duobus , vel tribus aliis Catholicis Episcopis , similes gratiam & communionem habentibus , munus consecrationis recipere valeres ; ac eidem Antistiti , ut recepto prius per eum a te , ejusdem & S. R. E. nomine , fidelitatis debitæ solito juramento , munus consecrationis Apostolica auctoritate licite tibi impendere posset , facultatem concessit , prout in ejusdem Urbani prædecessoris sub plumbo desuper expeditis litteris , quas præsentibus pro expressis haberi volumus , plenius continetur. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecisti , tum ob adversam , qua uteris , valetudinem , & propter Episcoporum in illis partibus penuriam , itinere quinque , sex , & quindecim dierum a se invicem distantium , munus consecrationis hactenus minime recipere potueris , eaque de caussa susceptio muneris consecrationis hujusmodi tibi difficillima reddatur ; idcirco Nos commoditati tuæ paterno affectu consulere , teque specialis gratiæ favore prosequi volentes , & a quibusvis excommunicationis , & suspen. & interdicti , aliisque ecclesiasticis impedimentis , censuris , & pœnis a jure , vel ab homine quavis ratione , vel caussa latis , si quibus quomodolibet innodatus existis , ad effectum præsentium tantummodo consequendum , harum serie absolventes , & absolutum fore censentes , supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati , tibi , ut a quocumque , quem malueris , Catholico Antistite , similes gratiam & communionem habente , accitis , & in hoc tibi assistentibus duobus Abbatibus usum mitræ & baculi , & similes gratiam & communionem etiam habentibus , munus consecrationis præfatum , servata alias in omnibus & per omnia præfatarum Urbani prædecessoris litterarum , super dicto munere tibi impendendo , emanatarum forma , recipere libere , & licite possis & valeas , Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus . Non obstantibus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris , die XII. Octobris 1644. Pontific. nostri anno primo.

Consecratur a Michaele Lamber-

Itaque ex potestate sibi a Pontifice facta , Michaelem Lambergium Episcopum Christopolita-num

gio Episc. Christopo-litano, & Præposito Lubacensi. num Præpositum Lubacensem adscivit, qui eodem anno XII. Kalendas Decembris in æde Cathedrali Zagrabiensi, cum duobus Abbatibus nescio unde advocatis, eidem manus imposuit, & consecrationem impertiit. A Capitulo postulavit, ut fructus sui Canonicatus, qui ante susceptam Episcopalem consecrationem maturuerant, sibi redderentur. Negarunt Canonici perceptionem illorum fructuum ei deberi; idque ex quodam decreto Eberhardi Episcopi, qui statuerat familiam Canonici demortui non ultra diem ab ejus obitu tricesimum, fructus ex ejus Canonicatu postea provenientes debere aut posse percipere; Martinum vero, statim atque renunciatus fuisset Episcopus Zagrabiensis, Canonicum esse desiisse, & pro mortuo eum haberi oportere, nec solum Canonicatu, sed etiam jure fructus ex eo percipiendi privatum esse; nisi eos, qui forte intra dies triginta, qui jam effluxerant, post decretum illi Episcopatum maturuerant. Itaque ad normam sanctionis Eberhardinæ decretum fecerunt, cujus auctoritas valeret apud posteros, si qui e collegio Canonicorum ad sedem Episcopalem evehe-

Decretum Capituli. rentur: *Juxta privilegium Eberhardi Antistitis de dato Zagrabiæ in festo S. Valentini, anno 1407. de intertenenda familia Canonici alicujus in Domino defuncti, cum triginta dierum fit mentio, intra quos triginta dies ad rationem defuncti Canonici proventus etiam pro tempore currentes, ac insuper si qui in vita illius casu aliquo retenti fuissent, intra prædictos dies, eidem dari & numerari jubentur; cum autem Dominus Reverendiss. Capitulo moraliter esset mortuus, dierum etiam triginta tempus jam effluxisset; ideo Vener. Capitulum se in hanc partem Domino Reverendiss. excusare, quod de divisionibus, terminis consuetis, ultra triginta supra memoratos toties dies, ab antiquo annexis, nihil participare possit vigore prædeclarati privilegii.*

Incendium ... Græcensis. Anno primo Episcopatus Martini, summum fastigium turri ædis Cathedralis, ære sumptuque Canonicorum, impositum fuit, quod quingentos Rhenenses Capitulo stetisse ajunt; nihil in id operis Episcopo conferente, propterea quod repulsam sui postulati iniquo animo tulisset. Sed eadem basilica S. Stephani, quæ ante annos unum & viginti de cælo tacta, non levem ruinam, & plurimum vitii fecerat, vix in pristinum statum, ornatumque restituta fuerat, cum iterum ejus restaurandæ, ac resarciendæ necessitatem nova & gravior calamitas attulit. Anno igitur 1645. IV. Kal. Aprilis, sub horam decimam noctis, incendium in civitate montis Græcensis, nescitur unde ortum, postquam multa urbis ædificia conflagrassent, in aream Capitularem, & arcem Episcopalem, vento impellente illatum, tum plures Canonicorum ædes absumpsit, tum basilicæ itemque palatio Episcopali magnam vastitatem intulit. Prima cura Episcopi & Canonicorum versa est ad restaurandam basilicam, & præsertim tectum reficiendum, quod ventos pluviasque defenderet, ne fornicem, totumque ædificium labefactarent. Verum quantalibet celeritate & sollicitudine adhibita, tectum antea confieri non potuit, quam fornix imbrium ac tempestatum labe tabescens corruerit; & odæum, organum, solium Episcopale, subsellia Canonicorum, & aliquot aras ingenti ruina oppressit, diruit, confregit, ut tradit Georgius Ratchajus: *Fornix multis imbrium, pluviarum, ventorumque impulsibus labefactatus, cadenteque, cui innitebatur, columna, eo corruit detrimento, ut chorum, Episcopi thronum, quinque sub choro aras, stallos sinistræ partis dimidios, & quod sine animi dolore, dici nequit, nobilissimum, multorumque millium organum, omnia veteris magnificique operis, oppresserit, comminuerit.* Architectis igitur, fabris, operariis magna mercede undique accitis, intentiore cura, operaque nunquam intermissa laboratum est, ut quam celerrime posset, & fornix, & tectum, & cetera omnia, quæ vel ignis absumpserat, vel fornix contriverat, in integrum restituerentur. Episcopus vero, postquam palatium episcopale restaurasset, ære suo tum odæum, tum organum refecit, ut versiculi ibidem inscripti declarant: Martinus Odæum & organum ære suo refecit.

Osvaldi sternit fornix chorum, & organa Lucæ,
Bogdan Martinus Præsul utrumque locat.

Anno ætatis quarto & sexagesimo, quinto Episcopatus, æræ vulgaris 1647. IV. Id. Decembris, optimus Præsul vivere desiit. Nullum testamentum condidit; sed ex ejus bonis, & rebus divenditis confecta sunt millia Rhenensium octo, & sexcenti; quæ partim Seminario juxta diploma Ferdinandi II. partim ædi cathedrali, partim consanguineis, partim pauperibus attribuendi erant; verum Georgius Lippajus Archiepiscopus Strigoniensis, idemque Primas Hungariæ, singulari decreto, tum eam, quæ Seminario obtigerat partem, tum ex ea, quæ in pauperes erogari debuerat, quintam portionem, ad reædificandam perficiendamque basilicam S. Stephani converti jussit. *Capitulo cessit*, ut est apud Kovascevichium, *de veteri consuetudine, pro offertorio, carpentum cum sex equis, vestis hyemalis subducta pellibus pretiosis, mocetum & rochetum.*

PETRUS III. EPISC. ZAGRAB. LXII.

Sæculo decimo septimo ineunte honestis parentibus natus est Sefficzi, qui vicus est territorii Sihembergensis; eique avitum cognomen fuit *Petreticio*. Zagrabiæ politioribus litteris eruditus, Viennam migravit, ibique in Seminarium clericorum Zagrabiensium receptus, Philosophiæ, ac Theologiæ, quadriennium operam dedit; & cum ætate graviter ac prudentia maturus esset, & nondum Theologiæ cursum confecisset, alumnis nomine *Curatoris* præesse jussus est. Annos natum duos & triginta Franciscus Erghelius in collegium Canonicorum cooptavit, eumque triennio post clericis Seminarii Zagrabiensis rectorem præfecit. Anno 1637. ad comitia Posoniensia missus, caussam Canonicorum egregie propugnavit contra Stibrenses, qui Capituli, cui subditi erant, imperium detrectabant, ejusque potestati cum se vellent eximere, temerarios illorum conatus confregit. Tria deinceps in Capitulo munera perhonorifica obtinuit, Decani, Archidiaconi Kemlechensis, ac demum Præpositi majoris an. 1643. ex nominatione Ferdinandi III. Dum Præfectum gerebat Seminarii Viennensis, post obitum Martini Bogdani, idem Ferdinandus Cæsar anno 1648, eum designavit Episcopum Zagrabiensem; & anno proximo Innocentius X. Cæsaream ac regiam designationem confirmavit, ut est in tabulis consistorialibus; 1649. *prima Februarii providit Ecclesiæ Zagrabien. per obitum Martini Bogdani vacanti, de persona Pe-*

Petrus Petreticius (margin). Præpositus major (margin). Episcopus Zagrabien. Posonii consecratus (margin).

Digitized by Google

Petri Petreſtiſch a Cæſare nominati. Eodem anno Poſonii cum Georgius Lippajus Archiepiſcopus Strigonienſis, Georgio Dizskovichio Jaurinenſi, & Petro Mariano Sirmienſi Epiſcopis, adminiſtris ad manus eidem imponendas adhibitis, ſollemni conſecratione Epiſcopum inauguravit in frequentiſſimo Præſulum & procerum conventu, quem ipſemet Ferdinandus ſua præſentia cohoneſtavit. Paullus Ritterus præclarum virtutis eximiæ teſtimonium Petro tribuit: *Fuit vir ſeverus, ſcientiaque juris patrii, & rerum Theologicarum apprime gnarus, egregius cultor litterarum, multos in aula ſua pauperes aluit, & ad litteralium ſtudiorum abſolutionem intertenuit*. Verum in eo fallitur, quod ei laudem ſcholæ Philoſophicæ in urbem Græcenſem invectæ adſcripſit: hanc ſiquidem Nicolaus Dianeſevicius Præpoſitus major teſte Kovaſcevichio inſtituit, annuiſque proventibus dotavit. Petrus huic Eccleſiæ annos fere undeviginti præfuit. E patrimonio eccleſiaſtico maximos ſumptus in ædem cathedralem ornandam, & ſacram cujuſque generis ſupellectilem comparandam fecit. Organum pneumaticum, quod Bogdanus refecerat, inſigni pictura decoravit; itemque horologium faciendum curavit, turrique baſilicæ impoſuit: in utrumque opus Rhenenſes amplius ſeptingentos impenſos ferunt; & Capitulum etiam pro ſua parte haud exiguam ejus pecuniæ ſummam contuliſſe ajunt. Alia vero ſane multa, & magnifica ære ſuo perfecit, nihil Capitulo, vel alio quolibet contribuente; & horum recte factorum gloriam ſibi unus vindicat. Ut baſilicam & arcem epiſcopalem ab omni fortuito incendio tutam præſtaret, amotis ligneis, tegulis lapideis operuit; itemque turri teſtudinem ſtamneam ſuperimpoſuit. Sacrarium ædis cathedralis, æque pretioſa, & multiplici ſupellectili locupletavit. Ornatus aræ maximæ tum albi, tum rubei coloris, aureis floribus intertextos, & opere phrygio conſpicuos, itemque ex eadem materia quattuor Sacerdotum, & totidem veſtes miniſtrorum ſollemni cærimonia ſacrificantium, eximium ex auro contextum Epiſcopi, ritu Pontificali divina officia celebrantis, amiculum, quod pluviale vocant, & ſex ejuſdem formæ togas pro illis, qui Epiſcopo ſacris operanti inſerviunt, & alia hujuſmodi ornamenta, & ſacras veſtes ingentis pretii & præclari operis ſuis ſumptibus fieri curavit. *Verum*, ut Kovaſcevichius ſcriptum reliquit, *quod Petreticii immortalem omnino memoriam ad poſteros tranſmiſit, eſt ſepulchrum mundi Salvatoris, nulli facile tota Europa ſecundum, mira arte, & incomparabili labore cujuſdam Alemanni conſumatum anno 1659. quæ ſane tanta zeloſiſſimi Antiſtitis raræ munificentiæ monumenta, uti modo cum admiratione recolimus, ita profuſorum ſumptuum genuinum calculum cuperemus noſſe; & cum alibi notatos reperiri fas non ſit, ſufficiat nobis illos annalibus divinis inſcriptos, de quibus tunc clare conſtabit, quando liber ille ſcriptus proferetur, qui totius anteactæ vitæ hiſtoriam complectitur*. Commodis etiam utilitatique Antiſtitum, qui deinceps ſibi ſuccederent, inſerviendum putavit. Hi ſiquidem habent Varaldini domum ſatis amplam & opportunam, ejus ære coemptam, qua utantur, cum illuc accedunt, vel cum vocati ad regni comitia illac tranſeunt. Auxit præterea proventus menſæ Epiſcopalis prædio luculento ſane & fructuoſo, cui nomen *Suſin*, in territorio caſtri Gorenſis; illud florenis octingentis emit a Petro Pataciſcio. Dum huic Eccleſiæ præſidebat, diœceſis Zagrabienſis duobus cœnobiis Franciſcanis aucta eſt; alterum in oppido Cakornia Comes Nicolaus Zrinius Banus, ſive Prorex Chrobatiæ fundavit; alterum Criſii, a monachis Auguſtinianis deſertum, Petrus Epiſcopus fratribus ejuſdem Ordinis Franciſcani tradidit; eodemque Antiſtite Petro ſingularis cultus accrevit, & devota Zagrabienſium civium religio erga D. Franciſcum Xaverium; quod ita acciſſe ferunt litteræ Zagrabienſis collegii Societatis Jeſu. Cum etenim prænobilis quidam Erdodiæ familiæ vir nomine Nicolaus patrata Xaverii ope prodigia in Siciliæ regno forte legiſſet, ſumma exarſit in Franciſcum religione, & præcipuo cultus honore Xaverii nomen atque ſanctitatem augeſcere ſecum ipſe conſtituit. Tum re quibuſdam e Zagrabienſi collegio Patribus communicata, pari voluntatum conſenſu ſuburbanum ad S. Emerici vineam, ut appellant, locum delegere, in quo ſacellum Xaverio ſacrum, & publica populi veneratione maxime illuſtre viſitur a Nicolao extructum in exiguo colle amœnis undique arboribus conſito, atque vinetis, qua religionis ſpecie gens illa præſertim delectatur, & remotiora in ſolitudinibus loca, ceu magis fovendæ pietati idonea, frequentat. Anno 1658. Petrus Epiſcopus ſacellum hoc ſollemni pompa, & ingenti civium concurſu in Xaverii nomen, cultumque Deo dedicavit xv. Kalend. Septembr., ipſo Nicolao præſente; & jam tum accolarum pietas augeri magis, magiſque cœpit accendi, qui frequentiſſimi diſſitis etiam ex locis illuc conveniunt Franciſci opem deprecaturi, cum potentiſſimam ejus beneficentiam quovis morborum genere affecti, afflictique perſentiant, & plura quotannis grati animi inſignia voti compotes offerant ſoſpitatori Franciſco, cujus collata in ſe beneficia anathemate teſtantur. Hinc alii quoque principes cives ſua ipſi pietate, ſuoque religionis exemplo popularium erga Franciſcum reverentiæ, atque venerationi ſtimulos addidere; quidam præſertim inter primores e Zagrabienſi Canonicorum Capitulo dignitate haud ſecus, quam religione illuſtris & ſui juris aram in cathedrali templo conſpicua Xaverii ſtatua adornavit, & columnam via urbis publica erigi juſſit ſuperpoſito Franciſci ſimulacro inſignem, quo major populi in Xaverium cultus quotidiano ſimulacri hujus adſpectu ferveret. Emericenſe vero ſacellum celebriori frequentia poſtea nobilitatum eſt, quod illuſtriſſima femina Helena Ruchichia ære ſuo ampliorem ad templi formam illud exſurgere voluit, & navicula, quam vocant, aliiſque adjectis altaribus auctum ſpecioſiori auguſtiorique conſpectu decoravit: quare effuſa in dies tum incolarum, tum peregrinorum pietas augeſcit, & tertius quique cujuſque anni Dominicus dies poſt Paſchalia feſta, quo dedicationis memoria ſollemni religione colitur, incredibili civium, atque externarum gentium multitudine, affluentiaque honoratur.

Ejus inſignis & profuſa in ædē cathedralē liberalitas.

Duo cœnobia Franciſcana in diœceſi Zagrab. inſtituta.

S. Franciſci Xaverii cultus Zagrabiæ.

Duobus decretis atque interdictis Ferdinandi II. & Ferdinandi III. Imperatorum & regum Hungariæ, bonis menſæ Epiſcopalis ſatis cautum eſſe videbatur, omni omnino poteſtate adempta Epiſcopis ea quoquo modo abalienandi, ac diſtrahendi. Sed quod Epiſcopi facere prohibiti fuerant, id præ-

De fundis Epiſcopalibus per prædiales non abalienandis.

diales, sive conductores prædiorum Episcopalium per summam temeritatem atque injustitiam licere sibi volebant; & agros ac fundos sibi locatos oppignerare, vendere, commutare passim audebant. Id fieri Ferdinandus III. a Petro Episcopo admonitus rogatusque gravissime & severissime vetuit. Extat regium interdictum in hæc verba.

Decretum Ferdinandi III.

Ferdinandus tertius Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ &c. Fidelibus nostris universis, & nobilibus Prædialibus, aliisque Episcopatus Ecclesiæ Zagrabiensis subditis; sed & quibuscumque confinariis, aut regni nostri Sclavoniæ indigenis salutem & gratiam. Expositum est Majestati nostræ nomine & in persona fidelis nostri Reverendi Petri Petretich Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, & consiliarii nostri: Quod tametsi per peculiare diploma Suæ Cæsareæ Regiæ Majestatis Ferdinandi secundi genitoris nostri, & immediati prædecessoris nostri felicissimæ reminiscentiæ, pro residuitate bonorum dictæ Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabien. partim per varias distractiones, partim injuria temporum, & per hostilitates Turcarum, imminutorum conservanda severe cautum fuisset, ne in posterum de bonis ejusdem Episcopatus, aut Abbatiæ Topuskensis eidem Episcopatui unitæ, novi prædiales, vasalli, infeudationes, donationes, collationes, aut quæcumque inscriptiones in diminutionem bonorum Ecclesiæ & mensæ Episcopalis vergentes, fierent: aut etiam prædia antiqua in Ecclesiam sive per caducitatem, sive alio legitimo titulo devoluta, rursus infeudari, conferri, aut inscribi possint, sub pœna in dicto diplomate expressa; non scitur tamen nonnulli prædiales & vasalli, sed & alii ignobiles præfatæ Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis subditi, quo prætextu & licentia ad id inducti, aliam rationem bona & possessiones ab Ecclesia & Episcopatu alienandi invenientes, prædia, possessiones, terras arabiles, fœnilia, vineas, molendina, hortos, aliosque fundos, dum se legitimo jure in iisdem persistere posse non confidunt, vel etiam alia quacumque de caussa, præspecificata bona immobilia, & jura possessionaria, sine præscitu, & legitimo consensu Episcopi in similibus necessario requisito, vel inter se invicem, vel Capitaneis confiniorum, præsertim autem Ivanicensibus, Valachis, Prædauciis, aliisque confinariis, sed & externis regnicolis jurisdictioni Ecclesiæ non subjectis, vendere, impignorare, cambiare, inscribere, cum defraudatione servitiorum, censuum, & decimarum, aliarumque obventionum, mensæ Episcopali cedentium, præsumerent, in grave damnum & præjudicium Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis manifestum. Supplicatum itaque extitit Majestati nostræ, nomine & in persona præfati Episcopi humillime, quatenus eidem circa præmissa de opportuno remedio providere gratiose, & hujusmodi bonorum Ecclesiæ ejusdem abalienationibus, & mensæ Episcopali cedentium imminutionibus alio benigno mandato nostro occurrere dignaremur, nec pateremur eumdem justis Ecclesiæ suæ juribus improvise destitui. Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, & alioquin nos pro pio nostro erga Ecclesiam Dei zelo & affectu singulari, earumdem jura sarta tectaque conservari velimus; quocirca vobis, quibus supra, harum serie firmiter committimus, mandamus, quatenus rebus, sic ut præfertur, stantibus & se habentibus; Vos quidem universi & singuli prædiales, vasalli, aliique ignobiles sæpe dictæ Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis subditi, nulla omnino prædia, possessiones, terras arabiles, fœnilia, vineas, molendina, hortos, aliosque fundos, bona immobilia, & jura possessionaria, sine præscitu, & legitimo consensu dicti Episcopi moderni, & futurorum, vel inter vos invicem, vel Capitaneis confiniariorum, Valachis, Prædaucils, aliis confiniariis, sed & externis regnicolis jurisdictioni Ecclesiæ non subjectis, vendere, impignorare, cambiare, inscribere, neque Capitanei confiniorum quorumcumque, Valachi, Prædaucii, aliique confiniarii, sed & externi regnicolæ jurisdictioni Ecclesiæ non subjecti, præspecificata bona immobilia, & jura possessionaria emere, hypothecare, aut quovis alio titulo, sine præscitu, aut legitimo prævio, alioquin de jure requisito, consensu Episcopi comparare præsumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Hoc per expressum declarato, quod si quispiam in futurum quandocumque nobilis prædialis, aut alius Ecclesiæ subditus, aliquid de præmissis prædiis, aliisque quovis modo denominatis juribus possessionaribus Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis vendere, impignorare, hypothecare, cambiare, aut quovis titulo inscribere, vel quemcumque super iisdem bonis immobilibus contractum facere aut celebrare præsumpserit, talem venditionem, impignorationem, hypothecationem, aut quamvis aliam inscriptionem, sive contractum ipso facto invalidum, ac nullius firmitatis, roboris, aut valoris, nisi præscientia talium, & prævius legitimus sæpe fati Episcopi accedat consensus, esse volumus, & declaramus. Ac insuper emptor, hypothecarius, conductor, aut quivis alius præscriptorum Ecclesiæ & Episcopatus bonorum immobilium, juriumque possessionariorum comparator, & acquisitor absque depositione vel restitutione pretii dati pro ejusmodi bonis taliter comparandis, a dominio, & possessione talium bonorum cadere, eademque Ecclesiæ restituere, prout etiam venditor, aut quivis alius quovis modo alienator, ejusmodi pretium acceptum fabricæ cathedralis ejusdem Ecclesiæ reddere, vigore solum præsentis benigni nostri mandati, abscissis omnibus juridicis remediis, debeat ipso facto & sit obligatus. Nolentes autem Vicarius Episcopi, pro tempore constitutus, qui in similibus ordinarius prædialium esset judex, cogere possit ac teneatur: secus itaque non facturi. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ, die 18. mensis Junii, Anno Domini 1649. Ferdinandus m. p. Georgius Szelepcsenii &c. Episcopus Nitriensis m. p. Georgius Groffit m. p.

In illis partibus & parœciis Slavoniæ inferioris Turcarum imperio subjectis, quarum aditu Antistites prohibebantur, ne aut vitam & libertatem in discrimen committerent, aut dignitatem Episcopalem ludibriis barbarorum & injuriis objicerent, Vicarium constituit F. Petrum Nicolichium ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, custodem provinciæ Bosnensis Argentinæ. Hic anno 1660. ex potestate sibi delegata omnes regiones illas peragravit; remque Christianam & Ecclesiasticam iis, quibus indigebat, præsidiis firmavit. Sacræ hujus lustrationis, & locorum, quæ adierat, accuratam descriptionem confecit, ex qua particulas aliquot decerpendas censui, ut plane & perspicue constet partes illas Slavoniæ inferioris, quæ

F. Petrum Nicolichium Vicarium suum constituit Petrus in illis locis, quæ in potestate Turcarum erant.

quæ in solem orientem spectant, ad diœcesim Zagrabiensem pertinere. Eas siquidem, cum alii finitimi Episcopi, tum potissimum Bosnenses ad suam jurisdictionem pertrahere, atque adjungere studebant, ut in Episcopo Silesivichio dicendum erit: *In Dei nomine Amen. Cura, & vigilantia & sollicitudine D. Petri Petretich Episcopi Zagrabiensis feliciter eamdem Ecclesiam regentis, anno 1660. die 28. Maji per me F. Petrum Ordinis Minorum provinciæ Bosnæ Argentinæ custodem, & Patrem inter provinciales suæ provinciæ, nec non ejusdemmet amplis. præsulis in spiritualibus Vicarium inter Szavum & Dravum, sub ditione Turcica, parochias, parochos, Ecclesias, ceteraque necessaria in his partibus Zagrabiensis diœcesis fideliter, sincere, uti ad præsens existunt, scriptis per me annotata, & ipsi Domino Episcopo oblata*. Parœcias, pagos, ecclesias, cœnobia nominatim percenset, ac describit, & extremas ad meridiem intra Savum diœcesis Zagrabiensis parœcias ait esse *Czernovichium*, & *Jankovam* prope Savum: *nec ultra*, inquit, *trans Savum nos habemus parochias, sed ibi Bosnensis Episcopus administrat, & ultra versus Bosnam*. Savus Chrobatiam, & Bosnam a septemtrione præterfluit, & utramque a Slavonia disjungit. Ultra Savum, qua Bosnam præterluit, nihil habet jurisdictionis Episcopus Zagrabiensis; sed ultra eumdem Savum, qua Slavoniam & Chrobatiam discriminat, diœcesis Zagrabiensis longe lateque porrigitur. Extremam vero ad septemtrionem parœciam Ozygium ad Dravum idem Vicarius constituit. Sed eadem diœcesis occidentem versus ultra Dravum parœcias aliquot transmuranas ex litteris & sententia Sigismundi regis Hungariæ complectitur, ut alio loco dictum est. *Hæc omnia*, inquit, *magno labore, & ex ore parochorum omnium, quos accersivi, excerpsi, & conscripsi, prout loca, & res in præsentiarum se se habent; & pro certo & certissimo omnes audientes & legentes hisce fidem adhibeant; & pro certitudine, Patris nostri provincialis confirmari dextera decrevi, & sigillo illius communiri exoravi. Dat. Naschize die 13. 1660. F. Petrus Nicolich de Posega scripsi omnia manu propria. Ego F. Franciscus Ogramich a Posega Minister provincialis m. p. L. S. impressive*. Quæ litteris mandavit Petrus Nicolichius, iis magna auctoritas postea accessit ex testimonio Leopoldi Cardinalis Kolonicsii, tunc Episcopi Jaurinensis, deinde Archiep. Strigoniensis. Hæc ille ad an. 1688. VI. Kalendas April. *Intra Savum & Dravum, illa facies terrarum, & parochiarum, numquam pertinuit ad Episcopum Bosnensem, multa legi, expertus plurima, non scio aliter, quam quod Zagrabiensis Episcopus erat semper diœcesanus illarum partium*. Excipias tamen velim quæ inter Savum, & Dravum pertinent ad Episcopos Varadinensem, & Sirmiensem, itemque ad sedem precariam Episcopi Bosnensis, in Slavonia fere media, Diacovi constitutam.

Fines diœcesis Zagr.

Mors Petretícii Ep.

Cum Petrus annos fere duodeviginti Ecclesiam Zagrabiensem sapienter pieque gubernasset, de religione, reque ecclesiastica optime meritus, IV. Id. Octob. an. 1667. e vivis intestatus excessit. Ex ejus pecunia, & supellectili argentea, Seminario floreni Rhenenses quingenti & octoginta, argenti unciæ tercentæ; ædi cathedrali floreni itidem quingenti cum unciis argenti quattuor & octoginta obtigerunt. Quidquid argenti facti supererat, & tritici in horreo erat, partim pauperibus, partim consanguineis distributum fuit. Pro menstruo sacro, & sollemni anniversaria commemoratione, Rhenenses quingenti assignati sunt, ex quibus positis in fœnore annui fructus perpetui suppeterent. De funere illius & sepulcro hæc Thomas Kovacevichius: *Celebratis pro condigno inferiis, laudatus fuit inter sollemnia patrio sermone a Ludovico Bedekovichio Archidiacono cathedrali; & panegyri a Gabriele Krisanicio, ea eloquentia, & facundia, & viri laude, quam Suada eis instillaverat, melleam, & quam merita præsulis postulabant. Capitularibus funus comitantibus, præter sex equos, carpentum & alia, quæ de veteri consuetudine ipsis cedunt, præsentati fuere pro offertorio aurei quinquaginta. Sepulturæ locus corpori assignatus est prope aram S. Lucæ, decenti lapide de marmore contectus. Sed qui anno 1703. cum ceterorum Antistitum monumentis, dum sanctuarium marmore sterneretur, sublatus est*.

Lites & contentiones rursus inter Canonicos & cives Græcenses exortæ, & in annos fere ducentos productæ.

Acerrimas lites, & contentiones, odiis atque inimicitiis incensas, & cruentas etiam, quæ inter Canonicos & cives montis Græcensis sæpius exarserant, pax demum, & concordia anno 1469. inter utrosque inita, prorsus extinxerat, ut dictum est in Osvaldo Episcopo. Sub initium sæculi decimi sexti cœperunt iterum recrudescere; novis litibus ac dissidiis occasionem præbuit libertas fori Capitularis, quam Græcenses ægerrime ferebant; nec fere umquam deinceps aliæ ex aliis caussæ semina ac materiam discordiarum suppeditare desierunt usque ad exitum sæculi decimi septimi; quas omnes accurate persecutus est Thomas Kovacsevichius; & interrupta historia serieque Antistitum Zagrabiensium post Petreticii, & ante Borgovichii Episcopatum, ex annis superioribus in unum locum collectas, sub uno veluti aspectu exposuit. Easdem ex eodem Thoma hoc quoque loco interserendas esse putavimus, brevi contractas narrationis compendio.

Ineunte itaque sæculo decimo sexto novi quidam civitatis præsides nova in Capitulum moliri, & fori Capitularis jura per vim quoque convellere adorsi sunt: dum Hungariæ rex Uladislavus repetitis interea decretis anno 1510. Francisco Marachæ *regio Locumtenenti, & Slavoniæ Protonotario* totius controversiæ quæstionem haberi, litemque dirimi, si jure posset, aut saltem de libertate fori Capitularis nova adhiberi testimonia præceperat. Quare eo anno in Crisiensi totius regni conventu semel atque iterum rei publicæ caussa convocato de libertate areæ Capitularis indictum est judicium, & universi conventus auctoritate semel atque iterum secundum Canonicos lata sententia. At cum Græcenses gravissimo tributorum onere adhuc eos vexarent, qui in area Capitulari mercaturas faciebant, Canonicis hac de re expostulantibus, Ludovicus rex novo edicto anni 1516. dissidium composuit; & ad annum 1534. pax inita stetit inter Capitulum, & cives montis Græcensis; quibus denuo obstinantibus animo, ne areæ proventus, atque vectigalia Canonicis redderentur, Ferdinandus I. anno 1537. omnes ejusdem areæ fructus Capitulo deberi sua sententia decrevit; *Nolumus enim*, inquit, *ut ex inde in divinis officiis aliqua imminutio subsequatur*. Regiæ tamen voluntati invito acquiescentes Græcensium animi,

quæ

Digitized by Google

quæ primum illis oblata est occasio potiundi vectigalibus, ac reditibus areæ Capitularis, avidissime præripuerunt anno 1548. hinc recrudescere lites, fervere dissidia, quæ neque Petrus Erdodius, neque Georgius Draskovichius Episcopi Zagrabienses summa, qua pollebant auctoritate, sedare potuerunt; donec anno 1590. Capitulo obnitente, integra areæ, ejusque jurium possessio eidem judicum sententia penitus confirmata fuit. Erat autem etiam de nundinis in ipsa area celebrandis vetus contentio, quarum jus sibi Capitulum vindicabat: quare nequis præterea ambigendi locus superesset, Matthias Archidux Austriæ, & Chrobaticæ provinciæ administrator, Capituli rogatu, Simonem Bratulicium tum Ordinis Paullini in Hungaria præsidem inquirere de re tota jussit, & in judicium adlectis *Thoma Erdodio regalium Dapiferorum magistro*, *Joanne Keglevicio*, *Joanne Batkaio*, *Benedicto Turoczy*, *ac Vice-Protonotario Stephano Beriszlavicio*, supremam ferre sententiam: quæ anno 1602. communi judicum consensu ex voto Capituli cessit: licet biennio post, cum cives Græcenses *regiæ præsentiæ Locumtenentis tribunal* appellassent, iisdem areæ usum, atque nundinarum reddi jussum est, frustra Capituli nomine intercedente Michaele Gregorevicio, ejusque collegis Francisco Erghelio Præposito majore, & Balthassare Napuly lectore. Verum enimvero his non contenti Græcenses, quos odium in Capitulum Zagrabiense exstimulabat acerbius, ejusdem Capituli agros quosdam per vim occuparunt an. 1608. VII. Idus Novembris; & facinoris audaciam justo legitimoque judicio infringi, ac legum jure puniri Canonici quidem conatu omni efflagitabant; pluribus autem in utramque partem quæstionibus habitis, demum insequenti anno 1609. pridie Kal. Majas Capitulum decreto Lucæ Chernkoczy Vice-comitis, penes quem juris dicundi potestas erat, caussa cecidit; sed rursus anno 1610. iidem agri Capitulo adjudicati: quo etiam anno multæ utrinque tum de agris, tum de areæ Capitularis usu & nundinis quæstiones habitæ, & variæ pronunciatæ sententiæ, usque ad annum 1623. Tum Petro Domitrovichio Episcopo Zagrabiensi, Thoma Mikulicio, & Petro Ghal pacis arbitris, & mediis, auctoribus vero præcipuis Balthassare Napuly Præposito majore, Georgio Ortaucio lectore, Nicolao Jalkoczy cantore, Petro Selniczey custode, Stephano Medak Præposito Chalmensi, Benedicto Vinkovicio Archidiacono cathedrali, Ambrosio Jazkay Archidiacono Dubicensi, Petro Eupresz Camarcensi, Joanne Puczinicio Goricensi, quos Kovascevichius nominatim percenset, aliisque, haud sine ingenti Capituli Zagrabiensis incommodo, publica ac sollemni transactione ita inter Canonicos, & Græcenses de utraque controversia convenit, ut unus tantum areæ Capitularis mercator quam ei libuerit, & quovis in loco mercaturam faciat, stato die Dominico: tum ut mercium quarundam venditio fit uni Græcensium foro propria; has tamen merces libere emant etiam subditi Capitulo, eisque ad victum, & vitæ commodum utantur, sed extra areæ Capitularis fines: nundinæ autem, quæ festo D. Stephani regis Hungariæ die solent celebrari, utrique parti communes sint: civibus, ut appellant Capituli liberum esto mercimonium præterquam die Dominico, & in nundinis Græcensis civitatis; quo tempore licitas sibi merces vendant in utrovis aut Capituli, aut Græcensium foro: de agris Capituli a Græcensibus occupatis, ceterisque controversiis quæstiones omnes ac lites omnino abrogatæ; pascua vero in agris Capitularibus, & Græcensibus communia sunto utriusque partis civibus & colonis. Hæc summa, & graviora transactionis capita: cujus violatæ quinquennio post arcessiti sunt Græcenses: & inquieti animorum motus quandoque in novas, gravioresque dissensiones exardescere visi. Sane hisce erecti Græcenses majora moliri ausi sunt. Inter Capitulares agros, & fines urbis Græcensis *Medevenicza* præterfluit, fluvius lato quidem alveo, sed humilibus ripis conclusus, quas cum Græcenses urbem versus munitiores aggere fecissent, si quando aquæ exundassent, in adversam agrorum Capitularium partem toto amne irrumpebant, ingenti rerum, atque hominum detrimento. Id accidit revera anno 1566. quare Capituli coloni, quorum id plurimi intererat, reficiendis ripis, iisque exaggerandis laborem, opemque, quam maxime poterant, adhibuerunt; at ab opere per summam vim, & injuriam a Græcensibus exturbati, facinoris duce & auctore Georgio Vernicio Judice civitatis, ægre urgebant incœpta; cum in publicis regni Comitiis Zagrabiæ eodem anno habitis vehementer adeo Capitulum adversus iniquas Græcensium aggressiones intercessit, ut Comitiorum decreto sancitum fuerit, fluvii caussam in *Tabula regia* dicendam, pontis vero eidem fluvio impositi, cujus dimidiæ partis extruendæ sibi jus arrogabant Græcenses, integram possessionem, & jura omnia penes Capitulum esse. Ita quietæ res visæ mensibus aliquot; dum Vernicius ad novas turbas commotos civium animos iterum ad pontem occupandum accendit. Quare, agmine facto, tabulata, ligneasque columnas alveo infixas pro dimidia pontis parte, quas Capitulum refici jusserat, ipsi dejiciunt primum, evertuntque, tum suo ære, suisque impensis rursum eam pontis partem, quasi sui juris foret, exstrui, atque instaurari præcipiunt. Neque Canonici veluti otiosi adversariorum molimina, & injustos conatus spectabant; sed interpositis identidem ad regni judices, ac magistratus querelis, & appellationibus illorum imminuere audaciam, atque infringere nitebantur: hinc mutuæ crebro contentiones, & violenti ab adversariis armorum concursus facti ad annum ferme 1667. quo cum efferati ira, atque odio Græcenses totius pontis sibi demum possessionem arripere ausi essent, illumque penitus a se disjectum, & eversum ipsi refecissent, Capitulum armis, si opus esset, haud abstinendum censuit; & apud Petrum a Zrinio summa auctoritate proregem graviter conquestum ejus opem, auxiliumque efflagitavit. Annuit Petrus; & Græcenses primum blande monet, ab incœptis desistant; pontis possessionem Capitulo reddant; legum denique, atque magistratuum auctoritati obtemperent: at ii contra tergiversari, moras texere, fallaces caussas, & inanes prætendere. Quorum ambages, fraudesque cum prorex animadverteret, demum Capitulo præcipit, ut pontem adeant, illiusque per suos colonos refecti jus potestatemque retineant; si Græcenses contra obnitantur, armata militum *Banalium* manu hostem aggredi liceat,

Digitized by Google

ceat, & ad officium compellere. Rem ita gestam narrat scriptor quidam, qui acta collegii Zagrabiensis compendio collegit; & a Kovacsevichio ejusdem verbis in hunc fere modum describitur: *Anno Christi 1668. Dies Virgini sine macula conceptæ sacer, qui ob anniversarium nundinarum recursum hoc in loco fit celebrior, miserandum exhibuit spectaculum. Vetus enim inter Capitulum, & civitatem odium sæpius sopitum, nunquam extinctum in flammam publicam erupit. Præcesserant annis proxime evolutis rixæ inter utramque partem de ponticuli decurrenti fluviolo impositi proprietate, paucisque ante diebus partem illius restauraverant, quod est signum assumptæ proprietatis. Hoc viso Capitulum, requisito Domino Bano (erat ille Comes de Zrinio) obtinuit brachium, ut dicitur, Banale equitum, peditumque Colapianorum octingentorum circiter, qui ex condicto ductore Francisco Bukovacski irruerunt a porta septemtrionali impedituri cives, siquis præsumeret resistere destructioni restaurati ponticuli, quam eodem tempore Capitulares exequebantur. Cives dato quidem feralis campanæ pulsu ad arma confugiunt, sed nimiæ multitudini armatorum occurrere non sunt ausi, præter paucos, qui temerarii potius quam magnanimi extra urbis portam excurrerant. Eorum vulnerati aliquot, occisus unus, diruto ponte, tota illa armatorum copia in direptionem miserorum civium suburbii inquilinorum dato quasi signo conversa, despoliavit domos, & prædia omnibus, quæ reperit, nemine resistere valente, ab hospitali incipiendo usque ad puteum Mandussevecz, & oppositam partem usque ad Ecclesiam S. Margaritæ.* Hactenus ille, qui in diei, & anni nota erravit; funesta quippe calamitas in actis Capituli Zagrabiensis consignatur anno 1667. 16. Kalend. Januarii. Tum Græcenses inopino casu vehementer commoti, cum neque armis pertinaciam suam tueri se posse intelligerent, ad Cæsarem oratores Viennam miserunt, qui supplici postulatione querimoniis plena, & iniquis in Capitulum accusationibus, ejus justitiam, æquitatemque implorarent; at Canonici internuncium item Viennam ablegant Michaelem Boczak Archidiaconum Bexinensem, qui apud Cæsarem Capituli caussam omni vigilantiæ, & operis studio tutaretur: cui demum hoc in responsis eidem commissum a Cæsare, ut Capitulum amice, & quiete cum Græcensibus convenire satagat. Utrum Cæsaris jusso obtemperatum fuerit, nullis proditur monumentis. Anno quidem 1681. in comitiis Soproniensibus Græcenses diu sopitos discordiæ, & contentionis ignes excitarunt, contra quos Capituli jura fortiter tueri haud veriti sunt Petrus Antolcsizius *regni Protonotarius*, & Stephanus Scliscsevicius Archidiaconus Bexinensis. Et, cum anno 1687. publica regni comitia Posonii celebrarentur, ne tum quidem lis in judicium constituta videtur. Illud compertum est, nullum postea a Græcensibus intentatum facinus fuisse adversus Capitulum, nullaque vi aut aggerum, aut pontis instaurandi opera interrupta, vel impedita; *cum pontis*, inquit Kovacsevichius, *sive in parte, sive in toto restauratio occurrit, operariis Capituli obstaculum non ponunt, viventes cum Capitulo amice & concorditer in charitate Christiana, & unione animorum, ut bonos convenit vicinos*.

MARTINUS II. EP. ZAGRAB. LXIII.

Intra finem sæculi decimi sexti, nobili genere natus in pago, cui nomen est Domogovicio, familiam suam Borkovichiam egregiis virtutibus & factis illustravit. Commendationem ineuntis ætatis ab innocentia morum, & eximia in Deum & Superos pietate duxit. Verum sive incuria parentum, sive aliam ob caussam, serius quam oportuit, animum ad studia litterarum applicuit; longe jam adolescentia processerat, cum rudimenta linguæ latinæ in oppido Jaczæ prope a natali solo, ponere incœpit; quibus utcumque imbutus Zagrabiam se contulit, in eaque civitate ab infima ad reliquas grammaticæ classes progressus, in his, audiendo, legendo, scribendo tamdiu se diligenter exercuit, quoad in pure ac latine loquendi scientia satis profecisse visus est. Deinde haud minori assiduitate ac diligentia ad superiores poeseos, & rhetorices disciplinas percipiendas incubuit, in quibus, ut erat ingenio excellenti, tantos progressus habuit, ut nemo e condiscipulis se cum illo æquare auderet. Quam domo paterna extulerat, illibatam vitæ integritatem, modestiam, religionem cum studio litterarum perpetuo conjunxit; atque ita in omnibus, quæ ad recte pieque vivendi rationem pertinent, officiis exsequendis excellebat, ut tum æqualibus, tum quibus ætate antecedebat, ad virtutem ac pietatem colendam exemplo & incitamento esset. Annos natus fere triginta, parentibus, & rebus mortalibus valere jussit, in sanctissimam Eremitarum Ordinis Paullini sodalitatem nomen dedit; Lopoglavæ in cœnobium Fratrum illorum receptus, eremiticam vestem induit, & religiosæ vitæ tyrocinia posuit, atque ita transegit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tamquam exemplar continentiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnium denique virtutum proponeretur. Post exactum tyrocinium philosophiæ operam dedit; deinde Præsidum jussu Romam profectus, in collegio Germanico, & Hungarico quattuor ipsos annos in Theologia studia insumsit. Reversus in Slavoniam, cœnobii Lopoglavensis præfecturam gessit. Semel atque iterum Vicarius generalis cunctis suffragiis electus & confirmatus fuit primum anno 1640. deinde 1644. Demum anno 1657. regimen totius Ordinis vel invitus suscepit. Quibus in magistratibus, etiam in supremo, ita se gessit, ut fratribus suis, quemadmodum dignitate & potestate præerat, sic animi submissione, jejuniis, vigiliis, precandi studio, summa in victu cultuque abstinentia, & ceteris omnibus virtutibus antecederet. Custodia disciplinæ monasticæ in primis curæ fuit; quam ut, vel restitueret, sicubi collapsa erat, vel magis magisque, ubi vigebat, firmaret ac stabiliret, hortatione potius, & precibus, quam auctoritate & imperio, & suis exemplis efficacius, quam verbis & præceptis, utebatur; si qui vel muneri suo deessent, vel delinquerent, in eorum officiis exigendis, erratisque puniendis, severitatem admirabili lenitate mistam adhibebat; in sublevandis vero omnium, & animi & corporis necessitatibus, curam & vigilantiam plusquam paternam impendebat. Tribus cœnobiis, Cromoloviensi in Moravia, Varsaviensi in Polonia, Vlimiensi in Styria, sodalitatem Paullinam amplificavit, quæ

Martinus Borkovichius.

Institutum eremiticum Paullinum amplectitur.

Præses generalis totius Ordinis.

sub

sub ejus regimine virorum illustrium numero, doctrina, & sanctitate floruit. De illius vero sanctimonia, quam divinis etiam significationibus, & prodigiis testatam ferunt, magna erat tum apud domesticos, tum apud extraneos opinio; ac nemo fere fuit, qui eum familiarius nosset, quin sanctum appellaret. Eadem opinio Leopoldi Imperatoris & regis Hungariæ animo penitus insederat, qui auditus est augustissimæ conjugi hæc dicere in aurem; *Si cælitem in terris agentem videre cuperet, in eum*, videlicet Martinum, qui tunc præsens aderat, *oculos converteret*. Quanti eum faceret, & quantum ejus sanctimoniæ tribueret, satis aperte declaravit, cum post obitum Petreticii Martino digniorem Episcopatu Zagrabiensi neminem judicavit. Itaque nullo suasore, vel suffragatore, sed sua sponte, suoque judicio eum Episcopum nominavit anno 1667. XIV. Kalen. Januarii. Regia nominatio gratissima fuit Clementi IX. qui multa & præclara de virtutibus ac meritis Martini fama & auditione acceperat; & libentissime judicium atque electionem Leopoldi Cæsaris approbavit; ut docent tabulæ consistoriales: 1668. *undecima Junii providit Ecclesiæ Zagrabiensi per ob. Petri Petretic vacanti, de persona F. Martini Borcovich Ord. S. Paulli I. Eremitæ &c.*

Fit Episcopus Zagr.

Suscepto Episcopatu nihil de prioris vitæ institutis immutavit; eamdem in victa cultuque parsimoniam retinuit; eadem jejunia erant, idem affligendi corpusculi studium, eædem vigiliæ, & preces, eadem statis diebus a certis ciborum generibus abstinentia, eadem interioris vestitus asperitas, & laneam zonam, qua utebatur, dum esset in monasterio, adduci non potuit, nisi importunis Canonicorum precibus fatigatus, ut cum serica commutaret. Hanc vivendi rationem, quamquam & affecta ætate, & corpore admodum imbecillo, numquam tamen, ne in summa quidem & extrema senectute intermisit. Omnia vero, quæ sunt Episcopi, munera, naviter, sedulo, constanter usque ad ultimum usque spiritum peregit. Diœcesim sæpe lustravit. Conciones frequenter habebat, tum ad vitia pravasque consuetudines eliminandas, tum ad Christianas virtutes colendas, & pietatem excitandam maxime accommodatas. Nihil industriæ diligentiæque prætermisit, ut clericos ad vitæ honestatem, ac disciplinam ecclesiasticam confirmaret. Quatuor Synodos convocavit; in quibus tum decreta Draskovichii, Erghelii, Vinkovichii confirmavit, tum vero alia ipse addidit, plena sapientiæ & sanctitatis, quibus & sacramenta rite conficiendi atque administrandi, & Christianæ catecheseos tradendæ, & omnia denique religionis officia recte pieque peragendi ratio continetur. Decrevit etiam, ut quilibet Sacerdos unum pro quolibet diœcesis Presbytero vita functo, bina vero pro Episcopo vivis exempto sacrificia offerret. Statuit præterea, ut nemo sacerdotio initiaretur priusquam Philosophiæ ac Theologiæ morali diligentem operam navasset; nec antea primum sacrum faceret, quam octo ipsos dies, apud Patres Societatis Jesu, piis meditationibus & commentationibus e præscripto S. Patris Ignatii tribuisset: qua de re decretum fecit in hæc verba: *Nos F. Martinus Borkovich Dei & Ap. Sedis gratia Ep. Eccl. Zagrabien. Beatissimæ Mariæ de Topuszka Abbas, S. C. R. M. Consiliarius, damus pro memoria; quod nos ex debito pastorali officio considerantes pericula, quibus Ven. Ordo cleri expositus esset, utpote cui, præter salutem propriam animæ, proximorum etiam incumberet salus curanda, advertimus ad dictis periculis obviam eumdum exercitia spiritualia salutare esse remedium. Inde factum ut sacra Synodus diœcesana in Spiritu sancto congregata in basilica regi Apostolico dicata S. Stephano 1673. 16. Junii communibus votis decerneretur, ne ullus ad Sacr. Ordinem presbyteratus promoveretur, qui philosophicum ad minus studium, aut casuisticum non absolvisset; nec primum Missæ sacrosanctæ sacrificium facere præsumeret, nisi octo dierum spatio per sacra spiritualia exercitia animum prius purgasset; quæ salutaris hæc institutio non sine fructu, promotoribus Patribus Societ. Jesu collegii Zagrabien. hactenus perseveravit. Ceterum cum præter cibum animæ, clericis in salutari hoc opere occupatis, corpori pariter eadem occasione iidem RR. PP. magno cum charitatis affectu alimenta suppeditent; nos vel in signum aliquod gratitudinis, memoratis Patribus, id minime exigentibus, mille florenos Rhenenses in scudatis, R. P. Michaelis Skerlecz manibus, loci rectoris assignavimus, littera ejusdem R. P. hoc in casu extradata, dante testimonium; qui mille Rhenenses in scudatis ponendi erunt in securo loco ac certo, ad semper fructificandum, accedente præmissis Ad. R. P. Alocedo Provinc. religiosa annuentia. Proinde rogamus, ac obtestamur per viscera Jesu Christi successores nostros, ut dignentur supradictam S. Synodi ordinationem illibate conservare, ac mediis ad id aptis toto conatu promovere, velut tantum bonum inde resultans, habita zelosa correspondentia cum iisdem RR. PP. Soc. J. collegii Zagrabien. quibus cum juxta sanctum eorum institutum prædicta exercitia sint cordi, eosdem rogamus demississime, pro casu, quo Reverendiss. Domini nostri successores, multarum rerum mole oppressi, non operi huic sancto invigilare possent, per eosdem Patres certiores redderentur de profectu, aut defectu exercitandorum. Ita præter casum supra positum, alio quoque tempore, si Domini Sacerdotes sponte, vel ex ordinatione suorum superiorum, sancto huic labori operam dabunt, eosdem dignentur (in quo minime dubitamus) benigne efformandos suscipere, quibus incumbet pro tali ac tanto beneficio gratiarum actiones reponere, & ultro convolare ad Angelicam hanc scholam. Dat. Zagrab. in solita nostra residentia 9. Septemb. An. Dom. 1674.*

Vitæ religiosæ rationem in Episcopatu retinuit.

Decretum de Sacerdotibus.

In postrema Synodo dies SS. Antonii Patavini, Ignatii Lojolæ, & Francisci Xaverii nomine cultuque consecratos, anniversaria psalmodia & liturgia juxta ritum Zagrabiensem in tota diœcesi celebrari jussit, & fastis divorum Ecclesiæ illius adscribi. Cultum vero, diemque festum S. Josephi, & S. Quirini Episcopi Sisciensis & Martyris ad ritum sublimiorem evexit, atque inter dies maxime sollemnes, alterum primæ, alterum secundæ classis, haberi agique voluit. Jejunium in pervigilio Beatissimæ Mariæ Virginis sine labore conceptæ, ab omnibus servandum præscripsit, atque indixit; quod summo omnium totius regni ordinum consensu approbatum, & receptum fuit. Venerabatur siquidem jam inde ab ipsa pueritia præcipuo quodam, & singulari cultu Virginem Deiparam, eamque loco matris carissimæ habebat: quæ quidem erga illam religio cum ætate accrevit; nullum diem elabi sinebat,

Divorum cultum amplificat.

Digitized by Google

bat; quin plura eidem sinceri piique amoris officia, more optimorum filiorum, præstaret. Nullam Mariani cultus amplificandi, & propagandi occasionem prætermittebat; nullus in familiari convictu, & quotidiano colloquio, nisi de Virginis excellentia & laudibus sermo ei dulcior erat & frequentior; nulla seu domi, seu foris effigies Deiparæ ejus oculis occurrebat, quin eam detecto capite salutaret, eique pia oscula infigeret; ægre ferebat locum ullum seu privatum, seu publicum, sive sacrum, sive profanum carere Virgineo simulacro, cujus aspectu mirifice delectabatur. Viri quidam religiosi Martinum Episcopum ad sacellum domesticum consecrandum accersierant. Oculos quacumque circumferenti, cum nulla imago Dei Genetricis, neque picta, neque sculpta appareret, ad eos conversus: *Mei Patres*, inquit, *quid peccavit in vos Maria?* quo hæc verba spectarent, cum satis intelligerent, pudore quodam suffusi obmutuerant. Ille vero eos leniter inculans; *Scitote*, inquit, *Patres mei*, *quod nullum locum libenti animo possum ingredi*, *ubi Virginis figura non me delectat*. Singulari studio & cultu prosequebatur effigiem Virginis templi ac cœnobii Remetensis, horæ unius spatio ab Zagrabia disjuncti, plurimis & maximis miraculis illustrem, & populorum illuc peregre adeuntium frequentia ac religione percelebrem Nec solum ipse illam singulis fere hebdomadis religiosissime invisebat; sed identidem cleri & populi supplicationes ad eam colendam, ejusque patrocinium implorandum instituebat. Nec vero assiduum precandi studium, & numquam intermissa in Deum, Deiparam, & Superos pietatis officia, ab actione, & cujusque generis operibus disjunxit, quæ vel necessitas, vel utilitas postulabat. Sacrarium ædis cathedralis, quod pro numero clericorum & sacerdotum nimis angustum erat, non solum amplificavit, sed etiam commodis aptisque ad sacram supellectilem custodiendam armariis, & loculis auxit. Plures aras in templo Mariano cœnobii tum Remetensis, tum Lopoglavensis, vel marmoreas, vel ligneas inauratas, eleganti opere, nec exiguo sumptu ædificavit. In arce domum familiæ episcopali, cum ædibus pontificiis conjunctam, exstruxit; & turres quasdam inchoatas ad fastigium perduxit, & tegulis lapideis obtexit. Cum Episcopatu etiam rerum civilium administrationem conjunxit; & regii Locumtenentis munus in Slavonia & Chrobatia egregie sustinuit ac gessit, temporibus illis difficillimis, cum seditionibus ac bellis intestinis ardebat Hungaria, auctore potissimum Petro Zrinio Bano Chrobatiæ, qui cum Francisco Nadasto, & Christophoro Frangipanio contra Leopoldum sceleratissimæ perduellionis societatem coierat. His comprehensis, & extremo supplicio affectis, successit Emericus Techelius, qui primarias conjurationis partes sibi desumpsit, & Turcarum arma in Hungariam evocavit. Anno proximo ante bellum Turcicum & Viennensem obsidionem, æræ vulgaris 1682. Martinus a Leopoldo Imperatore impetravit, ut arcem Sisciensem, quam ante decem annos summus Varasdini Præfectus Capitulo ademptam ad Comitatum Varasdinensem adjunxerat, Canonicis restitui juberet.

Crebræ supplicationes ad Virginem Remetensem institutæ.

Avaritiam, & iniquitatem quorumdam

Ad superiores annos ut revertamur, Patroni ecclesiarum, si quis parochus vita decederet, in ejus bona invadere, eaque diripere atque intervertere consueverant, contra quam tum sacri Canones, tum leges ecclesiasticæ regni Hungarici plenissime vetabant. Horum iniquitatem & avaritiam ut coerceret, Leopoldo Cæsari magnopere auctor fuit Martinus Episcopus. Extat diploma Leopoldinum in hæc verba:

Patronorum ecclesiarum, Leopoldi auctoritate implorata coercuit.

Decretum Leopoldi Imperatoris.

Nos Leopoldus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque rex &c. memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis: quod nos ex demissa, & simul querulosa fidelis nostri Reverendi Martini Borkovich Episcopi Zagrabiensis, & Consiliarii nostri, medio sui supplicis libelli, Majestati nostræ facta expositione, intelligentes non deesse plerosque parochiarum Patronos, in diœcesi sua Zagrabiensi constitutos, qui spretis legibus patriæ constitutionibusque Canonicis, & Synodi Nationalis decretis, nec non certo benigno regio indulto, signanter autem duabus Synodalibus Diœcesanis Zagrabiensibus Constitutionibus, ubi & quam primum aliquis parochorum sub eorumdem patronatu moreretur, illico per officiales, hominesque suos in domum parochialem involent, omniaque ibidem reperta diripiant, & pro se usurpent, gravi libertatis ecclesiasticæ cum præjudicio, consanguineorumque, & creditorum detrimento manifesto. Ideo cum ad humillimam dicti Episcopi Zagrabiensis petitionem, ac instantiam nostræ propterea factam Majestati, tam vero benigne ruminatis præcensitis legibus patriis, sanctionibusque Canonicis, & Synodalibus decretis, præsertim vero articulis 10. 1552. ubi expresse cavetur, ne bona parochorum, sive testati, sive intestati decesserint, a Patronis loci, sive dominis terrestribus occupentur, quod ipsum art. 102. 1647. circa finem, uti & decretis Concil. Trident. sessione 22. de refor. c. 11. pariter etiam statuto 14. Syn. Provinc. Tyrnaviensis 1630. sub Cardinale quondam Petro Pazmani celebratæ, confirmatur, id eidem Martino Borkovich, successoribusque ejusdem futuris, videlicet Episcopis Zagrabiensibus, clementer annuendum, & concedendum esse duximus; ut iidem, & non prærepetiti parochiarum Patroni, seu domini terrestres, plenariam ac omnimodam eatenus disponendi habeant facultatem atque potestatem; decernentes insuper & statuentes, quod si quispiam Patronorum, seu dominorum terrestrium, amodo in posterum aliquid de substantia cujuscumque demortui parochi, propter ordinationem toties fatorum Episcoporum, & consequenter testamentariam similium parochorum dispositionem, distraxerit, distrahive fecerit; ex tunc liceat ipsis Episcopis, vel loci Archidiaconis, talem Patronum, sive dominum terrestrem super facta ea in parte violentia, jure convenire & aggravaret immo annuimus & concedimus, decernimusque ac statuimus, harum vigore, & testimonio litterarum. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ die 20. Martii, Anno Domini 1672. regnorum nostrorum Romani decimo quarto, Hungariæ & reliquorum decimo septimo, Bohemiæ vero decimo sexto. Leopoldus Imp. Thomas Palffi Episcopus Nitrien. m. p. Stephanus Orban manu propria.

Nihil umquam a Leopoldo religiosissimo Imperatore postulavit, quod ad Dei gloriam, & salutem animarum pertineret, quin cumulatissime impetraverit. Eum siquidem Cæsar summopere amabat & colebat; & nullam suæ erga illum

A Leopoldo designatus Archiepiscopus Colocen. obiit.

illum propensæ voluntatis declarandæ occasionem prætermittebat. Inter intimos suos Consiliarios locum sane honorificum eidem attribuit; & cum Georgius Szecsenus, ad Strigoniensem sedem translatus, Colocensem vacuam reliquisset, Martinum Colocensem Archiepiscopum designavit. Sed amplissimæ huic dignitati mors illum præripuit. Anno siquidem 1687. cum iter ad comitia Posoniensia apparasset, letali morbo correptus, anno ætatis nonagesimo, pridie Kalendas Novembris, meritis, quam annis plenior, ad superos migravit. Multa de illo miranda narrantur, quæ vim & efficientiam naturalem exsuperant; sed quia mihi haud satis explorata sunt, necesse non habui adscribere.

Ejus pium testamentum. Ejus testamentum æque legatis piis refertum est, atque documentis & hortationibus sanctissimis, quibus Banos & magistratus ad tuendam, & propagandam Catholicam religionem vehementer accendit. Ut dum viveret, effusa illius fuit in egentes & miseros beneficentia, sic post mortem suæ in eos charitatis perenne monumentum extare voluit. Paucis annis, antequam moreretur, domum hospitalem ad pauperes recipiendos, & alendos ædificare cœpit, quam cum perficere non potuerit, ad eam perficiendam & dotandam satis pecuniæ reliquit; atque iis, quos sui testamenti curatores instituerat, magnopere in tabulis supremis opus illud eximiæ charitatis commendavit: *Hospitale*, inquit, *rogo ad nostram intentionem ex substantia nostra perficiatur, cum conventum sit per omnia*. Piæ illius voluntati obsecundatum fuit; & intra quadriennium ab ejus obitu, totum ædificium absolutum, & supellectilibus, ceterisque rebus necessariis instructum. Huic adjecta est ædicula S. Martini Turonensis Episcopi nomine consecrata, & nomen auctoris inscriptum duobus hisce versiculis:

Borgovich has ædes posuit Martinus egenis
Zagrabiæ Præsul, Metropolita Coloc.
MDCXCI.

ALEXANDER EPISC. ZAGRAB. LXIV.

Alexander Mikulichius. Illustribus & opulentis ortus majoribus, ex ordine illorum Dynastarum, quos *Liberos Barones* vocant; cognomen avitum illis erat Mikulichiis; alterum cognomen e castello Brukonouczio, in quo dominabantur, acceperant. Thomas avus fuit Alexandri, vir clarissimus, juris civilis scientissimus, qui primum Georgio Zrinio proregi, sive Bano Slavoniæ & Chrobatiæ, per aliquot annos Vicebani operam navavit, deinde in judiciis locum *Præsentiæ Regiæ* tenuit, munusque gessit quæstuosissimum, ex quo immensam pecuniam confecit, & castellis non paucis ære suo vel coemptis, vel ædificatis familiam locupletavit; nemoque erat ex omnibus Slavoniæ Dynastis vel amplissimis, qui divitiarum copia cum eo conferri posset. Bonorum omnium hæredem reliquit Alexandrum filium parenti longe dissimilem, qui per intemperantiam, & libidinem fortunas omnes effudit, & consumpsit; idemque ob immania flagitia capite damnatus, ut meritam pœnam effugeret, apud Turcas se recepit, & extorris a solo patrio, egensque rebus omnibus miserandum in modum interiit. Antequam exsulatum abiret, anno 1650. filium genuerat, cui nomen suum imposuit, & Ignatium quoque appellari voluit, qui avi, quam parentis vestigia sequi maluit. Post fugam patris, Leopoldus Imperator Alexandri veluti orphani, & pupilli tutelam suscepit; eumque optimo viro exactori tricesimæ Nedelicensis curandum & educandum dedit. Postquam e pueris excessit, Zagrabiam se contulit ad Vukokavichium Canonicum, & consanguineum suum, qui eum domum suam recepit, filii loco habuit, & dilexit, victum & vestitum ei præbuit, & litteris latinis, ac studiis humanitatis erudiendum curavit. Deinde suis impensis Græcium misit, aluitque per triennium in ea civitate, ubi philosophicis disciplinis operam dedit. Zagrabiam reversus, & ordini clericali adscriptus, locum obtinuit inter alumnos Seminarii Bononiensis; in quo cum aliquot annos Theologiæ, & juris utriusque doctrinæ tribuisset, Doctoris nomen & insignia sumpsit. Bononiæ dum esset, eum Martinus Borkovichius Episcopus in collegium Canonicorum cooptavit, Capitulum vero alumnis Bononiensibus rectorem præfecit. Hac præfectura functus rediit Zagrabiam; & per varios Capitularium honorum gradus, ad supremam Capituli dignitatem pervenit; nam primum Archidiaconus cathedralis, deinde lector, idemque Vicarius Episcopi, demum ex diplomate Leopoldi Imperatoris Præpositus major fuit. Jus usumque mitræ ferendæ, ab Urbano VIII. ut dictum est, Benedicto Vinkovichio Præposito majori olim tributum, & huic dignitati annexum, ceteri post Vinkovichium Præpositi neglexerant. Ne hoc privilegium longiori desuetudine exsolesceret, & antiquaretur, illo sibi utendum Mikulichius censuit; & in æde cathedrali sacram tiaram, Episcopo Borkovichio tradente, duobus cœnobiarchis Sitticensi & Londostroffensi ad eam cærimoniam peragendam adhibitis, sollemni apparatu rituque anno 1686. suscepit. Anno proximo Episcopi Tinniniensis titulum obtinuit, quo cum Præposituram majorem conjunxit. Ab obitu Borkovichii vix tres menses intercesserant, cum anno 1688. Leopoldus Cæsar ei successorem dedit Alexandrum Ignatium Mikulichium in comitiis Posoniensibus, quibus ipsemet Alexander interfuit. Cæsaream ac regiam electionem Innocentius XI. approbavit, ut constat ex tabulis consistorialibus: 11. *Octob.* 1688. *Providit Ecclesiæ Zagrabiensi vacanti per obitum Martini Borkovich, de persona Alexandri Ignatii Mikulich Episcopi Tinniniensis*. Eodem anno e domo Præpositi majoris, Capitulo & clero præeunte, & tota propemodum civitate montis Græcensis prosequente, ad basilicam cathedralem processit, & solium episcopale conscendit. Annum fere integrum gessit titulum Episcopatus Tinniniensis ab omni administratione vacuum, & expertem consecrationis episcopalis; quam illi anno 1688. vel sequente in basilica Tersectana Episcopus Vegliensis impertiit, duobus aliis Dalmatiæ Episcopis adscitis, qui cum eo manus eidem imponerent.

Præpositus major, Episcopus Tinniniensis, ac demum Zagrabien.

Comitatus Gerzencensis de Turcis receptus & Ecclesiæ Zagrab. restitutus. Cum post Turcas a Viennensi obsidione depulsos, & ingenti clade prostratos, prosperæ res deinceps multæ ad voluntatem fluerent, recuperatus est Principatus seu Comitatus Gerzenczensis, quem Stephanus V. rex Hungariæ anno 1277. Timotheo Episcopo, & Ecclesiæ Zagrabiensi donaverat. Ut eum Leopoldus Ecclesiæ restitui juberet, effecerat quidem Martinus Borkovichius, sed paullo post cum morte sub-

sublatus fuisset, neque jurisdictionis usurpandæ tempus illis & facultas fuit. Restitutionem, seu potius novam donationem ejusdem Comitatus confirmandam curavit Mikulichius, ex eoque veterem, sed antiquatum titulum sibi sumpsit, appellarique voluit in suis litteris ac decretis *Supremus perpetuusque Comes Comitatus de Gerzenze*. Sed tum ipse, tum ejus successores eo titulo contenti, ab omni jurisdictione usurpanda ad hanc usque diem abstinuerunt.

Ratio Ecclesiæ gubernandæ ex decretis Conc. Trident. ab Alexandro petita.

Ecclesiæ administrandæ, & cleri populique ad omne Ecclesiastici, & Christiani officii munus instruendi rationem perfectam, expletamque omnibus suis numeris & partibus, non aliunde petendam censebat, quam ex præceptis & decretis Concilii Tridentini, quæ diurna & nocturna manu versabat; hæc assidue meditari & commentari solebat; ad hanc regulam tum suam, tum aliorum, ac præsertim clericorum vitam exigebat; hinc omnia desumpsit, quæ ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, & stabiliendam, ad plebis Christianæ mores corrigendos & recte conformandos, ad Deum rite & caste colendum, in Synodo diœcesana sapienter pieque constituit, & prudenter ad rationem usumque Ecclesiæ ac diœcesis suæ accommodavit. Quæ de vita & honestate clericorum a Patribus Tridentinis tradita sunt, ea quam accuratissime servari cupiebat. Si quis e clero deliquisset, priusquam in eum lege ageret, verbis quam lenissimis operam dabat, ut suam ipse culpam agnosceret, atque ultro fateretur se illa pœna dignum esse, quam in ea, quæ commiserat, delicta sacri Canones constituerunt; de pœnæ tamen acerbitate, illa confessione contentus, haud parum minuebat. Qui vero nec salubria monita recipere, nec meritam punitionem subire, nec se ad bonam frugem revocare vellent, cum omnia nequidquam expertus fuisset, ut eos in viam reduceret, ad extremum tamquam desperatos e clero pellebat. Majestas, & dignitas cultus divini in primis illi cordi fuit; frequens aderat choro, ut sua præsentia & exemplo omnes ad pie, articulatim, distincteque psallendum excitaret; omnia & singula, quæ rituales libri ad sacras functiones rite obeundas, remque divinam faciendam præscribunt, quam diligentissime servari volebat; si quid in eo peccari animadverteret, magistrum cærimoniis præpositum admonebat, & corrigi jubebat. Ut insignem aliquam particulam ex corpore B. Augustini Episcopi Zagrabiensis obtineret, Magistrum generalem Ordinis Dominicani omnibus precibus rogavit; sed nihil aliud impetravit, nisi lineum amictum, quo ille ad sacrificium faciendum utebatur. Hunc serico aureoque panno involutum in sacrario reposuit. Sacram supellectilem tum sacerdotalibus vestibus auro & argento contextis, tum vero candelabris argenteis magni æque pretii ac ponderis plurimum auxit. Missale perantiquum ritus Zagrabiensis, litteris Gothicis conscriptum, mysteriis sollemnium dierum, imaginibusque Divorum, eleganti pictura expressis, ornatum ac refertum, utrinque operiendum curavit serico villoso, argenteis tabellis apte intextis ac dispositis, in quibus effigies Divorum nationis Illyricæ mira arte cælatæ visuntur. Litteras & litteratos homines summopere amavit, & coluit; nec solum hortationibus, sed etiam præmiis clericos ad studia litterarum excitabat, atque alliciebat. Ne subsidia optimorum codicum ad doctrinas cujusque generis percipiendas deessent, amplissimam Bibliothecam in palatio episcopali exstruxit; in eamque conferri jussit vim haud sane exiguam librorum, qui ab Episcopis & Canonicis e vita decedentibus Ecclesiæ relicti fuerant; & simul sine ordine congesti, & pulverulenti, veluti in epulas blattarum ac tinearum sepositi, jacebant. Hos ille, pulvere discusso, diligenter expolitos, involucris membraneis, vel chartaceis utrinque obtectos, in loculis ad id apte, & ex ordine dispositis collocavit. Ingens Bibliothecæ incrementum accessit ex varia & multiplici copia librorum, pro quibus emendis tria millia Rhenensium Valvasori cuidam Patritio Carnioliæ numeravit; & mille Rhenenses fœnori dedit, ex quorum annuis fructibus Præfecto Bibliothecæ stipendium suppeteret.

Bibliothecam exstruxit in palatio episcopali.

Cum Mikulichius de custodibus, præsidibus, conservatoribus hujus Bibliothecæ, nihil scripti, statutique reliquisset, post ejus mortem Episcopus ab eo proximus hæc statuenda & præscribenda censuit, quæ Thomas Kovascevichius his verbis exposuit: *Cum ad ipsum ædificium Bibliothecæ non modo notabilis pecuniæ quantitas nonnullorum Canonicorum ex hac luce decedentium applicata fuisset, verum etiam in convectione materialium ad illius exstructionem Capitulum Zagrabiense validam manum porrexisset, determinavit idem Præsul* (Stephanus Selicsevicius) *ut dicta Bibliotheca, una cum libris, curæ & ordinationi Capituli, cum correspondentia actualium Episcoporum, subsit ac maneat; utque habeat Capitulum jus Bibliothecarium pro inspectione, conservatione, & purgatione librorum, præsentandi Episcopis actualiter existentibus, penes quos confirmationis momentum, ex eo quod de fundatione Episcopi Mikulich inspector ejusmodi solvendus veniret, mature judicavit. Et siquidem domus illa Bibliothecæ intra ambitum Episcopii ædificata consisteret, & libri in ea repositi ad Ecclesiam cathedralem spectarent, conclusum ulterius est, ut ad sarta tecta domus, si quæ reparanda occurrerent, æquali sumptuum erogatione Episcopi & Ecclesia concurrere debeant; librorum autem reparatio soli Ecclesiæ curanda incumberet.*

Ejus obitus, testamentum & sepulchrum.

Annum ætatis quartum supra quadragesimum Mikulichius vix attigerat, cum Romam cogitans, ut sacra limina viseret, & traditæ sibi administrationis rationem supremo Hierarchæ more majorum redderet, repentinus eum morbus invasit, & post omnia remedia nequidquam adhibita, vitam illi eripuit v. Idus Majas, anno 1694. In supremis tabulis Ecclesiam, & clerum universum, & populum Cæsari, magistratibus, & proceribus regni impense commendavit; quam alienus esset a carne & sanguine satis ostendit, cum signati, infectique argenti, & reliquarum suarum rerum portiunculam exiguam consanguineis, partem maximam seminario, Ecclesiæ, pauperibus legavit. In æde cathedrali eodem, quo Borkovichius, sepulchro tumulatus fuit, & eodem lapide obtectus; cui nihil aliud præter nomen utriusque inscriptum est.

STEPHANUS V. EPISC. ZAGRAB. LXV.

Stephanus Selicsevicius

Alexandro Mikulichio successor datus est a Leopoldo Imperatore, & Hungariæ rege Stephanus Selicsevicius anno 1694. Hic nobilibus pa-

Digitized by Google

parentibus ortus in vico & parœcia Tuhlensi, egregiis virtutibus ac meritis viam sibi ad Episcopatum munivit. Post studia humanarum ac divinarum doctrinarum, Petreticius Episcopus Stephanum ad collegium Canonicorum aggregavit; Capitulum vero Rectorem collegio Hungarico Bononiensi præposuit. Zagrabiam reversum Borkovichius Episcopus administratorem Abbatiæ Toplicensis constituit; quam ne Generalis Varasdinensis per vim, aut fraudem Episcopo adimeret, quemadmodum castrum Silciense Capitulo eripuerat, acerrime obstitit; nec antea repugnare desiit, quam ab iniquo conatu desisteret. Cum Petrus Zrinius, & alii proceres contra Leopoldum conjurassent, ab Episcopo & Capitulo Viennam missus est, qui communem utriusque fidelitatem erga Cæsarem testificaretur, & omnem, quam possent, operam adversus perduelles ei deferret. Ex mandato itidem Episcopi & Capituli, Comitiis Sopronienfibus interfuit; & tum nomine rogatuque Canonicorum, tum præsertim interposita commendatione & auctoritate Borkovichii Episcopi, quem Leopoldus plurimum amabat & colebat, demum obtinuit, ut castrum Silciense ab Generali Varasdinensi per summam injuriam ereptum, Capitulo restitui juberetur. Dum bellum Turcicum fervebat, jussus ordines Capitulares ducere, togam clericalem, ut tempora illa postulabant, cum chlamyde & galea commutavit; multaque militaris scientiæ & fortitudinis documenta dedit. Præclarum ejus & insigne facinus fuit in prælio apud Essechium cum barbaris commisso. Conspicatus primarium exercitus Turcici signiferum, equo generoso in hostes medios invectus, illum plumbea glande confixit, prolapso ex equo, cui insidebat, vitam & vexillum eripuit: quæ magni invictique animi audacia, in castris omnium sermone, & summis laudibus celebrata est. Verum postea canonicum impedimentum, quod ei propter cædem hominis, quamvis, ut in bello justo, & contra Christiani nominis hostes suscepto, laudabile & gloriosum, sacrificandi potestatem abstulerat, necesse fuit auctoritate summi Pontificis amoveri: id quod Innocentius XI. libentissime præstitit, levissimis eidem ad labem quamlibet ex homicidio illo contractam expiandam pœnis canonicis impositis. Sed Leopoldus Cæsar egregium factum præmio dignum censuit; & primarium Capituli subsellium, quod Mikulichius ad Episcopatum evectus vacuum reliquerat, Stephano contulit, eumque Præpositum majorem nominavit anno 1688., tertio Idus Januarii, cum insigni testificatione ejus virtutis & meritorum, ut ipsemet in Cæsareo diplomate declaravit: *quod*, inquit, *in præcipuis, arduisque præteritorum temporum motibus, & continuatis bellicis expeditionibus, Capituli Zagrabiensis gentibus præsidens, in omnibus occasionibus, Christianæ pietatis zelum demonstrasse perhibeatur; atque in publico ad Ezechum conflictu ex manibus æmuli sui Turcæ primarium vexillum manu victrici eripuerit*. Deinde anno 1691. Stephanum designavit Episcopum Corbaviensem; sed titulum Episcopatus Corbaviensis, non item administrationem obtinuit; reclamante ac repugnante Sebastiano Glavenichio Episcopo Seniensi, qui Ecclesias tum Corbaviensem, tum Modrussensem cum Seniensi jam inde a plurimis annis conjunctas fuisse asserebat; effecitque apud Sedem Apostolicam, ut

Præpositus major,

Episcopus Corbaviensis designatus,

Stephanus Episcopatus sibi collati approbationem pontificiam impetrare nequiverit. Qua de re acris, & diuturna Martino Braichovichio proximo post Glavenichium Episcopo Seniensi contentio fuit cum Stephano Doichio designato itidem Episcopo Corbaviensi. Hic demum caussa cecidit, & victoria penes Martinum fuit. De hac controversia in historia Ecclesiæ Seniensis satis superque dictum fuit.

Stephanum Corbaviensis Episcopatus adipiscendi spe dejectum, Leopoldus Alexandro Mikulichio in Sedem Zagrabiensem substituit. Sed hoc quoque Episcopatu ne statim potiretur, aliquid impedimenti Romæ objectum est. Erat tunc in urbe F. Nicolaus Plumbeus Episcopus Bosnensis, qui seu laudabili, sed non secundum scientiam zelo ductus, seu veritus ne novus Episcopus Posegam sibi adimeret, oppidum Slavoniæ frequens ac nobile, ante tres annos Turcis ereptum, quod ipse ad suam diœcesim ac jurisdictionem adjunxerat, Stephanum apud Pontificem, & Patres purpuratos criminari cœpit, hominem sanguinarium esse dictitans, manus humano sanguine inquinatas indignas esse, quæ sacro chrismate inungerentur; militaribus expeditionibus, quam episcopalibus functionibus aptiorem esse. Sed hujusmodi criminationem Stephanus suis ad Pontificem litteris facile depulit; nam quod ipse pro sacris & aris egregie contra Turcas pugnaverit, id sibi non crimini, sed laudi dandum esse; si quam vero labem e Turca cæso contraxerat, eam canonica expiatione elutam fuisse; & quod obstabat impedimentum, ne vel sacris muneribus fungeretur, vel consecrationem episcopalem susciperet, auctoritate pontificia sublatum fuisse. Itaque Innocentius XII. collatum illi Episcopatum approbavit, ut scriptum est in Tabulis Consistorialibus: 10. *Januarii 1695. ad nomin. Cæsareæ Majestatis, tamquam Hungariæ regis providit Ecclesiæ Zagrabien. vacanti per obitum Alexandri Ignatii Mikulich, de persona Stephani Selischevich Presb. & Præpositi majoris dictæ Ecclesiæ, cum decreto, quod Præpositura vacet eo ipso*. Leopoldus Kolonicsius tunc Episcopus Jaurinensis, postea Archiepiscopus Strigoniensis, idemque S. R. E. Cardinalis, Jaurini in æde cathedrali Stephanum episcopali consecratione inauguravit an. 1695. XIII. Kalendas April. Nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Posegam Ecclesiæ ac diœcesi suæ recuperaret; litem statim Plumbeo Episcopo Bosnensi intendit, qui jus episcopalia munera ibi exercendi, & decimas indidem exigendi usurpaverat. Posega, ut dixi, civitas est Slavoniæ, caput & princeps Comitatus Posegani. In ea ædes primaria Principis Apostolorum nomine consecrata est, & insigne fuit collegium Canonicorum. In antiquis monumentis alias Quinqueecclesiensi, alias Zagrabiensi Episcopo attribui videtur; nec satis ex illis liquet, utri adjudicanda esset. Pro varia & multiplici temporum & rerum publicarum conversione, alias uni, alias alteri Episcopo subjectam fuisse existimo. De Posega fuit etiam aliqua controversia sæculo decimo tertio inter Joannem Strigonii, & ejus fratrem Bertholdum Colociæ Archiepiscopos, e Ducibus Meraniæ oriundos; hic Posegam ad suam provinciam, ille vero, quod civitas libera & regia esset, cujuscumque Archiepiscopi ditione exemptam esse, atque ad suum Primatum Hungaricum pertinere ajebat,

demum Episcopus Zagrabiensis,

De Posega litem intendit Episcopo Bosnensi,

bat. Andreas II. rex Hungariæ, cum ad fines diœceseon regundos singulari studio curaque incumberet, Posegam, & Capitulum S. Petri, quod Bertholdus Archiepiscopus Colocensis instituerat, provinciæ Colocensi, & Ecclesiæ Zagrabiensi attribuit, ut docet Kerefelichius. Exinde in vetustis monumentis, ut dixi, alii Quinqueecclesiensi, alii vero Zagrabiensi Episcopo subjiciunt. Anno 1535. Mehemetes præfectus Jaurini Posegam utrique Episcopo ademit, ut tradit Istuanfius: *Posega est citerioris Pannoniæ regio, vicina Illyrico*, (quinimmo sita in Illyrico) *quæ inter duos fluvios Savum & Dravum, paribus fere intervallis sita est. Huic provinciæ occupandæ Mehemetes Jaurino Præfectus inhiabat . . . . . Itaque Jaurino Essechum profectus, arcem Posegam, a qua omnis regio nominatur, a paucis custoditam aggressus, facili negotio cepit &c.* Hæc ille ad an. 1535. Cum Posega aliæque regiones finitimæ sub potestate Turcarum essent, Episcopi Scardonensis, Belgradensis, & Bosnensis itidem Turcis subjecti, quos sacra Congregatio de Fide Propaganda partibus illis imperio Turcarum subjectis præficere solebat, cupidi jurisdictionis suæ quisque amplificandæ, tum Posegam, tum alias Slavoniæ parœcias, quæ Turcis suberant, ab Zagrabiensi diœcesi avellere, suæque potestati subjicere studebant. Et Scardonensis quidem cum in aliis quatuor parœciis, tum vero Posegæ jus Episcopale usurpabat, & omnia, quæ sunt Episcopi, munia peragebat. Anno 1650. Marianus Maravichius Episcopus Bosnensis, quem Petrus Petreticius Episcopus Zagrabiensis Vicarium suum constituerat in iis diœcesis suæ locis, in quibus Turcæ dominabantur, decretum a sacra Congregatione obtinuerat, qua Scardonensis Episcopus Posega, & aliis parœciis diœcesis Zagrabiensis, quas occupaverat, decedere jubebatur. Sed brevi patuit non eo spectasse Maravichium, ut jura Zagrabiensis Ecclesiæ recuperaret, verum ut sui Bosnensis Episcopatus jurisdictionem amplificaret. Nam Posegæ, & aliis in locis, ubi episcopali munere sibi delegato fungebatur, perinde ac si ordinarius esset, & proprius Episcopus, se gerere cœpit, nihil de re christiana & ecclesiastica referre ad Episcopum, e cujus nutu pendere debuerat, administrationis sibi commissæ nullam ei rationem reddere, omnia ad suum arbitrium, suamque auctoritatem revocare. Quæ caussa fuit, ut Petreticius vicariam potestatem eidem traditam abrogaret; in ejusque locum, ut supra dictum est, F. Petrum Nicolichium Ordinis Franciscani substitueret. Hic de arroganti & injusta Maravichii usurpatione per litteras sacram Congregationem de Propaganda Fide admonuit, quæ illum ex omni possessione, & administratione parœciarum inter Savum & Dravum depelli jussit, relicta tamen illi urbe & sede Diacovensi, quam Imperatores & reges Hungariæ Episcopis Bosnensibus attribuerant, quibus nulla statio tuta, nulla sedes certa erat in regno Bosinæ, quod Turcæ jampridem in suam potestatem redegerant. Maravichio Nicolaus Plumbeus anno 1669. æque in Episcopatum Bosnensem, atque in ejus sensa & conamina successit, qui per annos quinque & viginti administrationem Posegensis, & aliarum parœciarum ditionis Turcicæ, quæ Savo & Dravo interjacebant, sibi usurpavit, Borkovichio, & Mikulichio Episcopis conniventibus, vel certe non repugnantibus, quibus ad ea loca ob metum dominatumque Turcarum tutus accessus non patebat; nullam per eos annos ei litem illatam, aut molestiam exhibitam invenio. Anno 1687. Cæsarei milites tum alia oppida & arces, tum Posegam Turcis eripuerant; hanc rursus amissam anno 1691. recuperarunt. Quare Nicolaus vereri cœpit ne Selischevicius, urbem illam Turcis ademptam, & regno Hungariæ restitutam, sibi & Ecclesiæ suæ vindicaret. Nec sua illum opinio & metus fefellit. Vix enim Selischevicius Ecclesiæ sibi traditæ possessionem adierat, cum statim, ut dictum est, Nicolao Plumbeo ex formula juridica denunciandum curavit, ut Posega decederet; neve ullam ibidem juris & officii episcopalis partem attingeret; abnuentem & repugnantem citari jussit ad tribunal Paulli Secheni Metropolitæ Colocensis, ad quem prima hujus caussæ cognitio pertinebat. Hic diligenter perpendens momenta rationum, quæ utrinque afferebantur, secundum Ecclesiam, & Episcopum Zagrabiensem judicavit. Ab hujus sententia Plumbeus ad Pontificium apud Cæsarem Internuncium appellavit. Hujusmodi appellationem, tum Leopoldus Cardinalis Kollonichius Archiepiscopus Strigoniensis, & Primas Hungariæ, tum Leopoldus Cæsar & rex Hungariæ irritam fecerunt; nam secundam hujusmodi caussarum ecclesiasticarum cognitionem ad Primatem Hungariæ, tertiam vero & postremam deferendam esse ajebant ad tribunal supremum Regis Apostolici Hungariæ, cui inde usque ab S. Stephano, regni Hungarici conditore, id privilegii a Sede Apostolica concessum esse ferebatur, ut ab eo appellari alio non liceret. Itaque hanc controversiam cognoscendam ac dirimendam suscepit Kollonichius Primas Hungariæ; ne vero exinde caussa offensionis summo Pontifici præberetur, Cæsar huic disceptationi & judicio Pontificium Legatum interesse voluit. Uterque igitur & Primas Hungariæ, & Sedis Apostolicæ Internuncius, sententiam a Metropolita Colocensi prolatam recognoverunt, & confirmarunt. In hujusmodi litem maximos sumptus cum Selischevicius fecisset, majores etiam deinde ab eo fieri oportuit, ac multum temporis & laboris insumere, ut decimas Poseganas recuperaret, quas magna ex parte quæstores Cæsarei averterant, atque in ærarium publicum inferebant. Ita demum post Turcas ex inferiori Pannonia depulsos Posega in jus ditionemque Episcopi Zagrabiensis rediit, cum omnibus decimis & proventibus ecclesiasticis, quos ex longo intervallo Selischevicius de integro percipere cœpit. Quamvis vero in hujusmodi litigiis, & contentionibus ingentem vim pecuniæ profuderit, tamen ut castra episcopalia de Turcis recepta, veluti Ivanichium, Dombram, Gradacium, & alia restauraret; & in iis domicilia Episcoporum collapsa reficeret atque ornaret, nullis sumptibus pepercit; & nulla fere fuerunt pietatis ac religionis opera, quibus ille adjutrices & beneficas manus non porrexerit. Ad duo templa & cœnobia Ordinis Franciscani, alterum Ivanichii, alterum Chactorniæ restauranda & ornanda duo millia Rhenensium numeravit. Annos amplius octo Ecclesiæ Zagrabiensi præfuit, quam non solum proventibus locupletavit, sed etiam sanctissimis institutis & exemplis instruxit. Annum agebat ætatis sextum supra sexagesimum, cum

Eamdem Episcopus Bosnensis jussus est relinquere ex sententia Metropolitæ Colocensis, a quo ad Pontificium Legatum appellavit.

Ex judicio Primatis Strigoniensis, & Apostolici Internuncii caussa cecidit.

Digitized by Google

cum violenta tussi oppressus obiit Kalendis Aprilis anno 1703. & in æde cathedrali tumulatus fuit.

MARTINUS III. EP. ZAGRAB. LXVI.

Martinus Braicovichius

Civis Seniensis ex illustri familia Braicovichia; litteris politioribus apud Flumen S. Viti, Philosophiæ partim Zagrabiæ, partim Græcii, Theologiæ vero Tyrnaviæ apud Presbyteros Societatis Jesu operam navavit; & Theologici magisterii laurea & insignibus ornatus Doctoris titulum sumpsit. Sacerdotio initiatus, patrocinio & commendatione fretus Comitis Adami Bathiani, cujus filium Sigismundum in disciplinam sibi traditum optimis litteris, & moribus instituit, Canonicatum Zagrabiensem obtinuit. Anno 1698. Leopoldus Cæsar ei contulit Episcopatum Seniensem, quo cum conjunctus est Modrussensis. Quemadmodum Sebastiano Glavenichio cum Stephano Selischevicio, sic etiam Martino illius proximo successori cum Stephano Doivichio gravis contentio fuit de Corbaviensi Episcopatu, quem Stephanus uterque a Modrussensi, cui jam inde a sæculo decimo quinto post urbem Corbaviam a Turcis direptam & eversam annexus fuerat, avellere conabatur, ejusque titulum ab Cæsare, Canonicæ alterius cum altero conjunctionis ignaro, impetraverat. Quæ controversia ad curiam regiam Hungaricam delata cum fuisset, Martinus caussam obtinuit. Annos fere quinque Ecclesiam Seniensem prudenter pieque gubernaverat, cum eum Leopoldus, Stephano Selischevicio vita functo, Canonicis Zagrabiensibus summopere expetentibus Episcopum dedit; Clemens vero XI. ad Cæsaream ac regiam voluntatem Pontificiam approbationem adjungens, vinculo dissoluto, quo Seniensi Ecclesiæ astrictus tenebatur, ad Ecclesiam Zagrabiensem transtulit: 14. *Januarii* 1704. *Providit Ecclesiæ Zagrabiensi vacanti per obitum Stephani Sel.schivich, de persona Martini Braichovich translati ab Ecclesia Segn. & Modrus. &c.* Arcem episcopalem in oppido Poskuplo a Turcis dirutam reædificavit; mapalia colonorum episcopalium vetustate labentia restauravit, bona ecclesiastica per laicos homines interversa recuperavit. Juxta præscriptum Concilii Tridentini unum de Canonicis esse voluit, qui, dum alii psalmodiæ & liturgiæ operam darent, in exedra sederet ad confessiones excipiendas, & graviorum criminum reos absolvendi potestate præditus esset; eique annuam pensionem assignavit. Quod quidem munus, & præclarum institutum, licet aliquibus invitis ac repugnantibus, Martino auctore in Capitula & Ecclesias regni Hungariæ invectum ferunt. Ajunt præterea omni ope operaque enixum fuisse, ut Ecclesia Zagrabiensis ad titulum ac dignitatem Archiepiscopalem eveheretur; & Nicolaum Gottalum Vicarium suum generalem, virum in primis doctum, & negotia cujusque generis gerendi conficiendique peritissimum Romam misisse, ut ea de re cum Pontifice ageret, efficeretque, ut Episcopi voluntati ac postulato annueret; præsertim cum Metropolita Colocensis auditus fuisset dicere, nullum ab se impedimentum futurum, quo minus Ecclesia Zagrabiensis ab sua provincia divelleretur. Sed institutæ rei exitus ob mortem Martini expediri non potuit. Jampridem phthisi laborare cœperat; & Posonium ad comitia regni profectus, sive ob longinqui & incommodi itineris jactationem, sive quod in conviviis optimatum & procerum, quæ lautissima instrui solebant, epulis & vino liberalius indulserit, morbus vehementer invaluit, cujus curandi caussa, cum se Viennam contulisset, ibi paucis post diebus mortuus est anno 1708. pridie nonas Junii, cum vix quartum & quadragesimum ætatis annum attigisset. Illius corpus depositum fuit in collegio Chrobatico ejus civitatis, deinde aromatibus conditum Zagrabiam, ut ipse jusserat, translatum est, atque in æde cathedrali ad latus dexterum aræ maximæ tumulatum.

Episcopus Seniensis,

deinde Zagrabiensis.

Ejus Acta in Episcopatu.

EMERICUS EP. ZAGRAB. LXVII.

Gens Eszterhasia opulentissima & nobilissima, ex qua Emericus.

Gens Eszterhasia Hungarica, æque opulentia, atque nobilitate clarissima est, jam inde antiquitus in duas familias divisa, alteram *Comitum*, alteram *Baronum* titulis insignitam; sed hæc quoque Paullo Eszterhasio Principe & Palatino Hungariæ, eumdem atque illa dignitatis gradum, ac titulum *Comitatus* adepta est. Ex hac natus est Emericus, patre Emerico Eszterhasio *de Galantha*, matre Susanna Bucsanyia, anno 1666. XVI. Kalendas Januarii, qui egregiis factis & virtutibus, amplissimisque Ecclesiasticæ hierarchiæ, quibus perfunctus est, muneribus atque honoribus, generis claritati splendoris vel plurimum addidit. Tyrnaviæ prima grammaticæ rudimenta posuit; Soproni latine loquendi scribendique præceptis bene ac perfecte instructus cum esset, optimis magistris se Poeseos ac Rhetorices studiis excolendum tradidit. Prope ab ea urbe cœnobium erat Eremitarum S. Paulli, Bondorfense appellatum, in quo tyrones ad vitæ ac disciplinæ religiosæ officia instruebantur. Dum litteris operam dabat, frequens illuc loci amœnitate captus animi caussa itabat, præsertim diebus illis, quibus ab scholis vacari solebat. Cum pia Patrum illorum consuetudine, & tyronum gravitate & modestia mirifice delectaretur, propenso quodam erga illum ordinem studio paullatim affici cœpit; cumque ad idem vitæ genus amplectendum acriores quotidie stimulos sibi divinitus addi intimo quodam sensu perciperet, Dei ad se vocantis imperium minime negligendum putavit; & rebus omnibus humanis nuncio remisso, inconsultis & insciis parentibus, ne sibi ad divina jussa exequenda impedimento essent, suppliciter petiit impetravitque, ut Patres illi ad suum institutum, cœtumque suorum novitiorum aggregarent. Tyrocinio peracto, & solemnibus votis Deo in perpetuum obstrictus, Neostadii Philosophiæ, Romæ in collegio Germanico Theologiæ studuit, & selectas ex hac theses publico certamini expositas, summa cum laude ingenii, & doctrinæ propugnavit. Revocatus ex urbe, Philosophiam Lopoglavæ alumnis sui ordinis explanavit, & primo confecto, alterum ejusdem scientiæ docendæ curriculum remensus est. Ibidem iisdem juris Pontificii præcepta annum integrum tradidit. Deinde Theologicæ scholæ regendæ præpositus, universam rerum divinarum doctrinam partim Lopoglavæ, partim Tyrnaviæ in celeberrimo illo gymnasio explicavit; atque in his gravissimis & sublimioribus disciplinis tradendis, acutissimi & subtilissimi Doctoris laudem, cum summa docendi perspicuitate conjunctam, sibi con-

Ordini Eremitarum S. Paulli adscribi voluit.

Digitized by Google

conciliavit. Ab regimine scholarum ad magistratus, & præfecturas suæ Congregationis traductus, primum cœnobio Remetensi præfuit, postea Præsidi generali totius Ordinis ab arcanis consiliis & epistolis fuit. Exinde cum ex una duas Paullinas provincias fieri, sejungique placuisset, quorum altera Hungarica, altera Germanica & Chrobatica appellata est; huic Emericus nomine & imperio Vicarii provincialis præpositus fuit. Demum in comitiis Thallensibus suprema universæ Paullinæ eremiticæ Congregationis administratio ad Emericum cunctis suffragiis delata est, & Præpositus generalis renunciatus. Nondum a suscepto regimine sextus annus effluxerat, cum Josephus Imperator idemque rex Hungariæ, Emerico Episcopatum Vaciensem contulit; eique Christianus Augustus e Ducibus Saxoniæ, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Strigoniensis, consecrationem episcopalem impertiit anno 1708. IV. Nonas Martii. Eodem anno, mense Junio ineunte, Martinus Braicovichius Episcopus Zagrabiensis vivere desiit; & idem Josephus Imperator, multis & illustribus competitoribus posthabitis, Emericum Vaciensi Ecclesiæ ademptum, & a Capitulo Zagrabiensi vehementissime postulatum, eodem anno, VII. Id. Octobris, Episcopum Zagrabiensibus dedit. Nicolaus Schmitth in suis Archiepiscopis Strigoniensibus tradit Emericum anno 1706. Vaciensem, & biennio post Zagrabiensem infulam suscepisse. Quæ Thomas Kovascevichius Cantor & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, locuplex auctor, itemque testis oculatus de regia Emerici ad Ecclesiam Zagrabiensem translatione, ejusque in Episcopatu præclare factis copiose & gravissime scripsit, ea huc transferenda esse existimavi. His autem quæ addi præterea possint, aliunde non habeo.

Præses generalis totius Ordinis Paullini.

Episcopus Vaciensis, & paullo post Zagrabiensis.

Renunciatus in Episcopum Zagrabiensem Eszterhasius, & obtentis ex cancellaria, & camera Ungarica necessariis litteris, Augustissimo præ primis pro collato novo sacerdotio devotas dixit gratias, tum & apud ministros, quorum patrocinio portabatur; dum idem officium persolvit apud principem Salmensem supremum aulæ præfectum, qualiter officium episcopale administrandum sibi foret, vere Apostolicum, ut ipse retulit, documentum excepit. Tandem omnibus e voto peractis, ad Croatiam citatis passibus per Styriam iter dirigenti, Varasdini se se stitere obsequiosi Franciscus Novacsicius Archidiaconus Goricensis, & magister Emericus Nyllas, qui ex parte Capituli gratulationis debitum eidem deposuere. Inde movens in castello familiæ Draskovicianæ Posiaco dicto, die 10. Novembris noctem egit; & sequenti D. Martino sacro Zagrabiam adventanti, in campo proximo, quem latum vocant, denuo nomine Capituli, magister Christophorus Luclani gratulabundus occurrit, in cujus dein, & plurium aliorum Comitatu recta ad civitatem montis Græcensis festinans, in curia Casparis Domech Tricesimæ Zagrabiensis administratoris condescendit, qui uti homo regius pro inauguratione peragenda a camera Posoniensi deputatus, cum lecto affixus id muneris in Ecclesia cathedrali more solito absolvere nequiret, in domo sua quæ desiderabantur, traditis clavibus coram testimonio Capituli Chasmensis, rite perfecit. Inde ad partem Capituli cum frequenti nobilium comitiva descendens, e regione xenodochii pauperum, universum Ecclesiæ clerum in processione obvium habuit, brevique oratiuncula per Paullum Tuskar Archidiaconum cathedralem (quod lector, cujus id officii est, ægrotaret) salutatus, omnes ad osculum manus excepit. Tum sonantibus campanis, & concinente choro responsorium: Ecce sacerdos magnus &c. *ad basilicam deductus, super diplomatibus Ferdinandeo & Leopoldino, quæ abalienationem bonorum Episcopalium vetant, ad aram majorem sollemne juramentum deposuit; dictoque hymno Ambrosiano, ad locum residentiæ episcopalis ductum executores prædecessoris lauto prandio exceperunt.*

Zagrabiam venit.

Jam dispositis subinde circa bona episcopalia negotiis temporalibus, ad reformandam disciplinam ecclesiasticam animum adjecit; & præ primis expediens judicavit, ut visitationes ecclesiarum totius diœcesis ad unguem instituantur; ipseque cum suo Vicario, & nonnullis Canonicis Ecclesiam Zagrabiensem visitandam suscipiens, cum rigente bruma pluribus horis in templo sanctis operibus insistendum esset, gravissimo morbo articulari manus infestante correptus, ne ad alias Ecclesias, idem officii genus executurus, progressum faceret, præpeditus fuit: nec deinceps ob alias caussas . . . intervenientes, apostolico hoc munere fungi voluit. Cum vero anno 1709. Posonium ad reassumptionem comitiorum generalium venisset, mox inter ipsum, & Emericum Csaki Varadiensem, ac Adamum Erdody Nitriensem Episcopos de loco sessionis controversia exorta est; illo, quod primus esset suffraganeus Archiepiscopi Colocensis, his, quod consecratione senium reportarent, ordinem præcedendi prætendentibus, quamquam priori anno in conferentia cleri pone duos Archipræsules, & Episcopum Agriensem locus immediatus Zagrabiensi assignatus fuerit, ut in suo diario rerum gestarum in diæta Martinus Braichovichius hisce refert: „Die, inquit, 3. Martii per modum conferentiæ in domo viridi incœpit sessio. Hac die apud Eminentissimum Cardinalem convenimus omnes, id est Archiepiscopus Colocensis, Ego, Varadiensis, (non comparuit Segniensis ob malam constitutionem) Nitriensis, & alii nominales Episcopi; ubi conclusum fuit, ut duo Archiepiscopi, Agriensis & Zagrabiensis, eorum primi suffraganei, sedeant primi juxta seriem antiquam a pluribus annis practicatam, & præscriptam, cum quibus nemo competere potest, etiamsi sit senior consecratus Episcopus. Reliqui consecrati Episcopi sedere debent juxta senium consecrationis. Nominales, seu titulares Episcopi juxta prioritatem nominationis, & non installationis. Abbates in sua tabula juxta tempus benedictionis; & sic de reliquis.„ Deinde commemorans ea, quæ quarto ab inde die acta fuerunt; sic scribit: „Die septima, inquit, in indicta conferentia ab Eminent. Cardinali proposita primo est coram convocato clero prætensio D. Episcopi Quinqueccclesiensis, quod ad diætam se sistere nequeat, nisi illi detur competens sessionis locus, tamquam Episcopo usum pallii vigore Canonum habenti. Sed votis plenis totius cleri, excepto Capitulo Quinqueecclesiensi, illius cecidit prætensio ex variis rationibus. Nam usum pallii ab origine fundati Episcopatus non habuit, & post acquisitum subreptitium dicitur, quia sine scitu regis & cleri; adeoque in sua Ecclesia utatur pro decore, sine præjudicio aliorum Episcoporum. Accedit quod neque lege, neque consuetudine, sed nec legali ratione, neque auctoritate, neque exemplo demonstrare poterit aliquando in usu pallii fuisse Episco-

In comitiis cum Episcopis Varadinensi, & Nitriensi de primatu loci contendit.

scopos Quinqueecclesienses. Bulla non sufficit, quia sine præjudicio cleri esse debet, qui numquam consensit. Est ergo evidens pallium illud sine jurisdictione, quam ille numquam ostendet, nisi tamquam Episcopus. 2. Est itaque unanimi voto resolutum, ut Episcopi consecrati ad titulum Ecclesiæ suæ, aut populi, sedeant juxta senium consecrationis, habito solo erga characterem respectu, excepto Episcopo Agriensi, & Zagrabiensi, qui omnes Episcopos, sicut semper præcesserunt, ita & in posterum statim locum habeant post suos Archiepiscopos, tamquam primi suffraganei, etiamsi consecrati non fuerint. 3. Nominales Episcopi juxta senium denominationis suæ, non installationis, quod est ceremonia, sedeant. 4. Abbates quoque juxta senium benedictionis sedebunt, exceptis Archiabbate S. Martini, Generali Ord. S. Paulli primi Eremitæ, & Præpositi Zagrabiensis, qui inter magnates sessionem pridem cum voto obtinuerunt. 5. Capitula quattuor prima juxta sedebunt, prouti Archicapitulum Strigoniense, & Colocense, Capit. Agriense, & Zagrabiense; de aliis non est conclusum; nam Abbates & Præpositi prætendunt præcedentiam; & Capitulares exmissi nolunt cedere ob consuetudinem allegatam, sed non probatam. Quinqueecclesiense Capitulum, quod non obtinuit locum a multis annis ob Turcicam potentiam, capessat locum post alia Capitula, sine tamen præjudicio suo, & ulteriori consequentia.,, Hæc ille.

Ad quæ quidem definienda in diæta illa, de qua Braichovichius, tametsi præfati Episcopi Varadien. & Nitrien. vota sua contulerunt; superveniente tamen novo Episcopo Zagrabiano, quod iis posterior senio consecrationis esset, nulla habita ratione primi suffraganeatus, ordinem præcedendi in sessionibus ad senium reducendum contendebant in his comitiis Posoniensibus an. 1709. Et licet Archiep. Colocensis Georgius Secseny in comitiis an. 1687. Alexandrum Mikulicium in Episcopum Zagrabiensem recenter electum, & consecrationis prærogativa necdum insignitum, dum diætæ fine imposito, clerus ad osculum manus Leopoldi Cæsaris accederet, se dudum consecratum, cum nondum esset Archiepiscopus, a Mikulicio præcessum fuisse, testimonium omni exceptione majus redderet; & insuper clarum esset, quod in conclusione actuum ejusdem diætæ idem Mikulicius statim post Agriensem locum obtinuerit; hæc tamen quamquam suo pondere non destituta, Primatem in instituta super hoc nonnullorum Episcoporum in domo Archiepiscopi Colocensis conferentia (Eszterhasio ad objecta adversariorum sufficienter, & erudite respondente) movere haud poterant, ut huic locum per antecessores debite possessum deferret, & adjudicaret. Quinimmo dixisse fertur Zagrabiensem Episcopum non in Hungaria, sed in Zagrabia competere debere; unde quis non inepte concluderet, Episcopum Croaticum etiamsi consecratione senior esset, cum iis de loco disputare haud debere. Ne itaque Eszterhasius ejus deliberationi in favorem actorum latæ quoquo modo deferre videretur, quando in publico ad negotia tractanda comparuit, non ad tabulam, sed ad latus sessionis locum capiebat.

Qui interim vertente anno, cum ex eadem diæta Zagrabiam rediisset, maturiori certo judicio gravissimam litem inter Capitulum Zagrabiense ac Præpositum & lectorem ejusdem decidit, & terminavit, ac hac sua Posonii definita fuerit. De cujus (alias adhuc coram illius prædecessore motæ) exordio, progressu, & fine ut amplius publico constet, quadam altius repetita hisce proponimus.

Postquam anno partæ salutis 1706. die XIV. Junii, tertio quadrante, ad horam tertiam pomeridianam, nullis sat lachrymis deplorandum, in seminario clericali exortum incendium, totam quidem civitatem montis Græcensis, Capituli vero partem inferiorem usque ad conventum Patrum Franciscanorum exclusive miserum in modum ad cineres redegisset, quisque ex damnificatis Canonicis eo primum animum, & vires contulit, quatenus spectata vi propriarum facultatum, vel in securo loco praeservatarum, aut a sæva Vulcani voragine quoquo pacto subductarum, domum habitationis vel a fundamentis erigeret, vel jam muratam restauraret. Fuit eadem sollicitudo etiam Præpositi & lectoris Capituli Zagrabien., sed prætendentium de communi ærario, suarum residentiarum, veluti eorum dignitatibus & officiis annexarum, reparationem institui debere. Cumque hujusmodi prætensionem iteratis vicibus in publico consessu (aliis semper resistentibus) innovassent; tandem ex certis rationibus conclusum fuit, quod si prætendentes in se pecuniariorum impendiorum onus assumere velint, ex parte Capituli in puris materialibus (quæ citra æris dispensationem commode haberi quirent) & subditorum laboribus, iisdem succursus præberetur; idque non aliter, quam puræ liberalitatis gratia. Et quoniam Præpositus tum clavos pro tecto necessarios obtulisset, Capitulum de opportunis materialibus, & laboratoribus providendo, ei primo domum lapideam sub tectum posuit; nec ulterius in opere processit, quia reliqua subsidium pecuniæ exposcebant. Cum deinde pari ratione ad cooperiendos muros domus lectoralis manus apponeret, & jam in adaptatione præparatorum materialium pauci aliquot dies insumpti fuissent; en tibi denuo memorati prætendentes priorem instantiam renovant, Præpositus quidem inchoati jam operis continuationem adurgens, lector vero vel ipsos clavos tecto necessarios administrare recusans: expensas namque non solum pecuniarias, verum nec ullas alias, sine præjudicio suorum successorum se facere haud posse arguebat; quodque alter illorum clavos ad tectum juppeditasset, protestaret, id non ex debito, sed ex pura liberalitate a se factum intelligi debere. Ex adverso Capitulum quoque ad sumptus pecuniarios se descendere non posse, neque obligari reponebat, quod id in manifestum suorum successorum præjudicium vergeret; & quod hactenus præstitisset, non alio, quam liberalitatis titulo præstitisse identidem protestabatur.

De resciendis ædibus Præpositi & lectoris controversia inter hos & Capitulu;

Accepta ergo rotunda negativa prætendentes decernunt cum Capitulo jure contendere, ac tandem die IV. Septembris cum libello querulose coram Martino Brakovichio, ut in prima instantia competente judice se se sistere. Quibus ceteri de Capitulo, ut se solidius opponant, quia rationabiliter metuebant, ne aliqui de corpore eorum, sive pollicitationibus, sive auctoritate actorum, sive quovis alio ex motivo, a communi causæ defensione resilientes, se vel neutrales constituerent, vel parti adversæ, si non aperte, ad minus clam per proditionem secretorum faverent, statuendum judicarunt, ut omnes primis consultationibus præsentes, ad calcem responsi ad libellum actorum dati, nomen & cognomen subscribant, ut hoc pacto de cujusque constantia in

con-

Digitized by Google

conservanda defensionis unione major obligatio, & fiducia lucraretur. Cui statuto plures postmodum, qui abfuerunt, redeuntes manum dedere, fueruntque in illud consentientes Canonici viginti duo.

Cum vero Capituli responsum actores secundo libello enervare conniterentur; quem Præsul veluti nullis fundamentis innixum (ut referebat) judicavit non esse pretium Capitulo communicare; atque ita suppressa eorum replicatione, hæsit deinceps negotium in suspenso, anno amplius integro, donec quandoque plurium captata absentia, lector apud paucos, qui domi erant, renovaret instantiam, ut opus reparandæ suæ curiæ reassumatur, offerens pro tecto clavos de proprio se se daturum. Annuere quidem tunc congregati, sed præter clavos recognitionem scripto dari prætendebant, qua idem instans fateretur sibi pro eo Capitulum in materialibus, & laboratoribus non aliter succurri, quam ex gratia & liberalitate. Quo stipulato, iterum lectoris domui restaurandæ manus admovetur. Ast ubi absentes rediissent, viso operis progressu sine prævie recepta promissa recognitione, stomachati non poterant non improbare incautum confratrum procedendi modum. Convenientes perinde simul omnes de errore corrigendo consultant; scilicet quod lector promissis non steterit, integrum esset ab opere cessare, cum liceat frangenti frangere fidem; consultius tamen videbatur, prius monendum esse de præstanda stipulata cautela, nec alia in forma, quam quæ sibi a Capitulo præscriberetur. Ast obnitente illo ejusmodi formularium dare, Capitulum aliud facere haud potuit, quam opus inconsulte cœptum, mox consultius interruptum facere; sicque domus lectoris mansit de cetero in sua imperfectione toto residuo vitæ cursu Episcopi Braikovichii; immo sub regimine ejusdem successoris Emerici Eszterhasii integro biennio.

Qui anno 1708. die XI. Novembris inauguratione peracta, & sequenti obtentis confirmationis Bullis, quinto Idus, seu nona Septembris Romæ expeditis, mox in ipso curæ pastoralis exordio nihil ita in votis habuit, ac præfatam controversiam ex officio aut componere, aut dirimere; compatiens namque non solum miserabili ruinæ, quæ in ædificiis residentiæ lectoralis per injurias temporis in dies augebatur, sed ad removendum ibidem scandalum, quod plures, signanter exteros occupabat, qui visis muris illis jam per quatuor annos desertis, & quasi nulli curæ deberent esse, pertransseuntes capita movebant. Sæpius itaque partes tam in publicis consessibus, quam in privatis colloquiis paterne exhortandos ducebat, ut rem accommodent, suggerendo media compositionis: minitatur ceteroquin sub hasta fundum lectoralem se se venum expositurum. His tamen non obstantibus res in statu, quo hæsit, etiam sub illo mansit usque ad an. 1710. quo tandem tam a privatis, quam a publicis signanter diætalibus curis & negotiis non nihil respirans, cum partium animos adhuc longe a compositione dissitos adverteret, eamdem caussam jure decidere, & per sententiam in prima sua instantia definire resolvit. Mense itaque Martio admonet ex officio Præpositum, & lectorem uti actores, ut si quam occasione restaurationis domuum suarum, servitutis possessionem Capitulum stare existimarent, eamdem per libellos jure deducant: quibus vicissim, quæ ad sui defensionem suffragari quirent, ut reponat, Capitulum monitum itidem voluit.

quam Eszterhasius Episcopus ad suum tribunal revocavit;

Quæ de hac controversia variis utrinque contentionibus diu multumque agitata Thomas Kovascevichius distincte fuseque persequitur, ne tædio sint lectoribus, ea paucis complectenda censeo. Ergo Emericus Episcopus, qui pro jure suo litem istam cognoscendam ac dirimendam susceperat, post multiplices libellos utrinque oblatos, in quibus suas Canonici, suas Præpositus & lector rationes exponebant, & contrarias refellebant, hisque diligentissime in utramque partem perpensis, secundum Canonicos judicavit. Illi vero ad Metropolitam Colocensem appellarunt; sed cum per duos fere annos appellationem urgere, & jus suum apud Metropolitam liti atque judicio persequi neglexissent, veriti fortasse ne iterum caussa caderent; Canonici arguebant illos beneficio hujusmodi appellationis amplius uti non posse, & jure rursus appellandi decidisse; ac propterea sententiæ episcopali standum esse. Quare satius esse duxerunt, Capitulo consentiente rem omnem arbitrio Episcopi permittere, qui per compositionem amicabilem ex æquo & bono tandem huic controversiæ finem imponeret. Verum oblatas per Capitulum conditiones neque Præpositus, neque lector acceptare voluit, præsertim illam, ut quingentos Rhenenses Præpositus, totidem lector apud mensarios collocarent, ex quorum fructu utraque domus in posterum restaurari posset, si quando vitium fecisset, aut labasceret; ne utriusque resarciendæ onus Capitulum suscipere cogeretur. Emericus justa quidem & æqua Canonicorum postulata esse judicabat; sed cum aliis, atque aliis litis componendæ rationibus propositis, efficere non potuerit, ut de iis inter se consentirent, rem injudicatam reliquit. Quare tum Præpositus, tum lector, ne domo carerent, suam quisque suis sumptibus reficere ac restaurare debuerunt. His litigiosis contentionibus expositis, acta & res gestas Eszterhasii Kovascevichius accurate persequitur.

& secundo Canonicos judicavit.

Anno obtentæ salutis undecimo sæculi decimi octavi, Josepho I. Romanorum Imperatore & rege Hungariæ ad superos translato, frater germanus Carolus in utroque honore succedit; & quemadmodum eodem anno die 12. Octobris imperialis fastigii insignia Ratisbonæ suscepit, sic, ut sacra quoque Hungariæ corona redimeretur, sequenti anno Posonii comitiis indictis, sacræ functioni diem 21. Maji destinavit. Quo profecturus Præsul Eszterhasius nihil ita in votis habuit, quam ut regnum Croatiæ, in cujus bonum totis affectibus propendebat, ultro avitam erga domum Austriacam fidelitatem cumulatius adhuc apud novum principem benemeritam redderet. Id vero præ primis mente revolvendum occurrebat, quomodo Augustus jam aliquot annis serenissimam Elisabetham e domo Vuolffembyteliana matrimonii fœdere junctam haberet, nullam tamen spem hæredis dedisset. In casu proinde defectus ejusdem, ut hæreditaria successio, quæ in masculo sub Leopoldo I. an. 1687. firmata fuerat, ad femineum sexum transiret, omne in id studium impendit, ut prima Croatia hoc jure se illi in perpetuum consecret, ac devoveat. Congregatione itaque universis Statibus, & ordinibus Zagrabiæ indicta, ac cum nonnullis pravie collatis consiliis, quæ animo nutriebat, tandem in publico planum fecit. Et cum res graviores pateretur difficultates, ad easdem superandas triduanum laborem impendere oportebat. Demum

Auctor fuit Primoribus Chrobatiæ ut jus hereditarium regni Chrobatici etiam feminis e domo Austriaca oriundis concederent.

in

in obsequium feminei sexus, unanimi quasi consensu, eo modo concludebatur, quod etsi Hungariæ regnum eidem renueret se hæreditario jure subjicere, Croatia tamen (cui per se corona competit, veluti quam habuerit antequam a D. Ladislao Hungariæ aggregata fuisset) ejusdem hæreditaria esse vellet.

His in acta relatis, placuit publico quatuor gravissimos viros deputare, ipsum nempe Præsulem, Comitem Joannem Draskovicium, Baronem Christophorum Dellissimunovicium, & Georgium Plenicium regni protonotarium, qui aliunde ad comitia profecturi Augustum (rem ceteroquin, quantum fieri possit, silentio pressuri) accedant, ac ea, quæ regnicolæ in favorem suæ domus conclusissent, ex ordine referant, ipsumque instrumentum ad manus repræsentent. Gratissima fuere hæc nuncia augustissimæ domui, utque summo secreto tecta maneant, ipse Imperator admonuit ablegatos. Verum, ut sunt res humanæ, negotium hoc ita intra cancellos contineri haud valuit, quin ante congressum comitiorum in publicum prodiret. Cum enim sive casu, sive e re, dictum Croatorum instrumentum cum nonnullis aliis scripturis ex aula ad Hungariæ Cancellarium perlatum fuisset, moxque cum admiratione in cancellaria, ac tandem apud magnates Hungariæ divulgatum extitit. Unde Eszterhasii nomen ubique odiosum, honor a detractoribus dire laceratus, commota denique tanta indignatio a sacratis æque ac laicis viris, ut illi nihil prorsum voluerint, nisi quod fecisse non poterant. At ille cuncta forti animo sustinens, eo confidentius divinam assistentiam implorabat, quod omnes adversarios experiretur. Id nihilominus desolato animo supererat solatii, quod unius Archiepiscopi Strigoniensis Cardinalis a Saxonia favoribus foveretur, quod in aula sua hospitio collectus, commensalis ejus esse mereretur. Interea ut se Posonio ex conspectu se se insectantium opportunius subduceret, occasionem dederat superveniens pestifera lues, propter quam abruptis diætalibus sessionibus, cum quisque ad propria festinaret, ipse quoque in Croatiam rediit; ubi dum se ad portum quietis venisse existimat, subinde & hic a nonnullis tempestatum procellis exagitatus fuit, sed quæ brevi evanuere.

Tandem sedata peste, ut abrupta toties comitia finem aliquando accipiant, unaque sollemnitas coronandæ Imperatricis in Reginam Hungariæ, nec non Palatini electio institui queat, visum fuit Cæsari anno 1715. pro festis Pentecostalibus denuo Posonii conventum generalem indicere. Peracta tum coronatione, tum electo in Palatinum Com. Nicolao Palffy, post paucos dies Episcopus Zagrabiensis cum novo judice curiæ Stephano Kobary in cœtum intimorum & actualium consiliariorum cooptatur. Et quia elevatis ad prærogativam Comitum Eszterhasiis illis, qui de linea Baronum erant, noster Emericus, quod religiosum institutum professus sit, non videbatur ad gradum hujus honoris assumptus, ne proinde in hoc inferior censeretur pluribus Hungariæ Antistitibus, qui de Comitum prosapia erant, principis benignitate, Comitis titulo & ipse insignitus est. Quibus honoribus adjiciebatur præterea securitas Eszterhasio (expeditis in cancellaria Archiepiscopali litteris) ut vacante primitus sede Archiepiscopatus Strigoniensis, nulla ulterius expectata donatione, ipso facto gaudeat beneficio successionis. Sed nec illud silentio prætereundum, quod sub decursu hujus diætæ, ad sollicitam Cardinalis de Saxonia instantiam, & persolutam taxam Rhenensium centum millium, futuros suos in Archiepiscopatu Strigoniensi successores Cæsar collegio Principum imperii (obtento eorum consensu) incorporaverit, ac ad titulum & dignitatem principatus imperialis, cum omnibus honoribus, & prærogativis eidem competentibus auxerit, & sublimaverit. Ad hoc autem sollicitandum referunt fide digni non modice motum Cardinalem affectu, & propensione, qua specialiter ferebatur in Episcopum Zagrabiensem, ut veluti suus immediatus successor futurus, primus audiat Principis titulo salutari.

Carolus Imperator eum in collegium consiliariorum cooptavit, & Comitis titulo ornavit, ac demum Augusti Archiep. Strigonien. successorem designavit.

Hinc Episcopus Eszterhasius, ut etiam cum damno suo respondeat tam vivis expressionibus & favoribus purpurati, non poterat non ejus mediationi locum dare, cum eum ad certum contractum in facto decimarum Poseganarum cum Episcopo Quinqueecclesiensi celebrandum hortaretur. Quæ ut planiora fiant, breviter repetenda sunt quæ præcesserunt. Eo tempore, quo Episcopus Silisevicius occasione dictarum decimarum cum Episcopo Bosnensi F. Nicolao Plumbeo lite contendebat, ex parte Episcopatus Quinqueecclesiensis ingessio facta fuit, facultasque reservata circa eas suo tempore jus deducendi. Triumphante interim Silisevicio, non solum ipse, sed & successor Braikovichius earumdem decimarum proventus usque ad obitum percepere. Superveniente dein Eszterhasio, cum Episcopus Quinqueecclesiensis Batt. Niszelrot eas ad mensam suam pertinere contenderet, nec litem ingredi animus sibi esset, Cardinalis mediationem deposcendam judicavit, ut quem auctoritate pollere, & de Episcopo Zagrabiensi pluribus titulis benemeritum non ignoraret, confidebat, tanto mediatore, procul dubio aliquid lucrari posse. Nec spes sua illum fefellit. Cardinalis enim (ut qui cuique complacere gestit) rem zelosius premendo, movit demum Episcopum Zagrabiensem, ut ob bonum pacis dimidiatam controversarum decimarum partem (confectis eatenus tabulis) Quinqueecclesiensi cederet, & resignaret; idque tamen nonnisi usque ad futuram revisionem jurium, & fundamentorum utriusque partis. Ast quia transactio hæc inscio & inconsulto Capitulo celebrata est, & propterea male audiendum erat Episcopo, quamquam is pro tempore suæ administrationis poterat se illis proventibus, uti suis, privare, ne tamen ad successores istiusmodi jacturam transmitteret, jure caussam experiri decrevit.

Emericus jus decimarum Poseganarum liti atque judicio persequi decrevit.

Antequam tamen litem ingrederetur, cum singulari esset devotione erga animas, ignis purgatorii pœnas exolventes, quam ad eas juvandas liberalitatem hactenus pluribus millibus Missarum oblatis exercuerat, augendam censuit, ut post itidem sua fata idem suffragii auxilium de pietate sua eædem animæ (signanter, quæ præ ceteris proximæ essent ad æternam beatitudinem, & quæ magis oblivioni traditæ sunt) sentiant, sex millia, & trecentos Rhenenses destinavit, & Capituli Zagrabiensis curæ & inspectioni subjecit, cum ea dispositione, ut annuus census ejusdem summæ faciens Rhenenses 378. ad rationem Ecclesiæ cathedralis exigatur; de illius autem ærario custodes obligati sint quotannis circa Pascha Rhenenses ducentos quinquaginta ad manus Episcopi, vel sede vacante, Vicarii Capitularis, exacte numerare; qui distribui debeant pro sacris legendis iis animarum curatoribus, quibus de fun-

Liberalitas erga Animas Purgatorio igni addictas.

fundatione eorum minus congrue provisum haberetur, misereque subsisterent. Et ut hæc fundatio diuturnam consequatur stabilitatem, instituit præterea singulis mensibus legendum sacrum unum, dato eatenus capitali Rhenensium ducentorum; cui aliam similem summam adjecit eo fine, ut pro felici successu caussæ decimarum Poseganarum legatur itidem in mense sacrum unum, duo vero superata, in gratiarum actionem, & pro necessitatibus Ecclesiæ, eadem sacra applicari voluit. Hæc acta sunt die 27. Januarii, an. 1717.

Primi judices ad eam controversiam dirimendam a Cæsare dati inter se non consentiunt;

Quo etiam anno obtentis a Cæsare delegatis judicibus, in quibus vel ipse non mediam reposuerat spem, Comite Villelmo Lesle Episcopo Vaciensi, postea Labacensi, Barone Balthassare Pataccicio cancellariæ Hungariæ consiliario, & Stephano Nagy protonotario Palatinali, in civitate Posoniensi præfixum habuit terminum. Ubi judices auditis caussantibus, dum in ferenda definitiva convenire non possent, in diversas abiere sententias; primus enim & ultimus in eo stetere, quod siquidem, (ut ipsis videbatur) neutra partium proprietatem sufficienter docuisset, veluti in dubio, standum contractui coram Cardinali Archiepiscopo Strigoniensi olim celebrato concluserunt. Pataccicius vero utroque collega jurium patriorum peritia, & in penetrandis involutis caussis peritior, suis argumentis in scripturam deductis, universas controversas decimas Episcopo Zagrabiensi competere definivit; sicque adinvicem diffidentes, utrique seorsim judicium suum Cæsari repræsentarunt.

secundi vero decimas Poseganas Ep. Zagr. adjudicant.

Quibus taliter gestis, siquidem uniformiter ad ferendam sententiam non convenissent; alii denuo a Principe judices sollicitandi erant, fuitque provincia hæc toti cancellariæ Hungaricæ delata: in qua discussis exactissime utriusque partis, coram primis judicibus, productis fundamentis, unanimi demum omnium consiliariorum voto conclusum est, Episcopum Zagrabien. melius probasse, atque adeo ipsi & suæ Ecclesiæ competere universarum decimarum perceptionem: reservata tamen pro parte altera facultate jus suum, si quando vellet, melius prosequendi. Quæ sententia ubi primum Cæsari relata fuit, ejusdem confirmatione, & subscriptione firmitatis robur accepit, brevi etiam executioni mancipata.

Porro antequam liti hujus dirimendæ manus apposita esset, Cæsar curam gerens, ut ad postulatum regnicolarum super universo jure Hungarico quodpiam systema formaretur, quem tam laborioso, & diuturno operi præficeret, in Antistite Zagrabiano plurimam posuerat fiduciam; cui cum adjunctis Barone Josepho Kropff cameræ aulicæ, Balthassare Pataccicio cancellariæ Hungaricæ consiliariis, ac nonnullis aliis, in id incumbendum erat, ut universum jus tripartitum, & decretorum Hungariæ exacte reviderent, nonnullis in meliorem ordinem redactis, ac quæ correctione indigerent, emendatis, sic & quæ jam obsoleta essent, expunctis, unum tandem systema figuraretur, quod dein in comitiis generalibus primitus celebrandis ad trutinam exhiberi deberet.

Viennæ detinetur a Cæsare;

Itaque plurium annorum suscepto labore, postquam illud cum collegis indefesso studio consumasset; id tum in desiderio fuit, ut expedito jam principis servitio, & caussa etiam Ecclesiæ suæ superata, post ductas Viennæ quasi triennii moras, ad sponsam suam reverteretur. Verum Augustissimus, qui & ipse princeps altissimi consilii est, tum per se, tum per ministros necessitudine Eszterhasio conjunctos, observans virum non solum summæ jurisprudentiæ, verum incorruptæ etiam conscientiæ, morumque esse probatissimorum, qui inter prælatos & humilitate, & raro exemplo præluceret; parumque, & nisi quod necessarium judicaret, tametsi amplissimis instructus scientiis loqueretur, quod denique muneribus a fide & officio abduci non posset, Viennæ omnino detinendum judicavit, diurnumque stipendium, quod hactenus a camera percipiebat occasione laboris in reformatione juris Hungariæ impensi, non modice augeri curavit.

qui gravissima negotia eidem expedienda tradit.

Jam quia virtuti æmulus nunquam deest, cum Eszterhasii fortunæ adversarios lateret, quidnam de eo Cæsar disposuerit, dum eum negotiis absolutis ulteriores moras Viennæ trahere observant, variis conceptibus mentem fatigant, animoque non modice anguntur, de illo ne, an de seipsis magis solliciti problema esto. Ejus interim servitium a principio usque ad præsens aliud non est, quam, dum diversa controversa negotia, sive Germanica, sive Hungarica ad Cæsarem deferuntur, eidem passim communicari soleant, ut scrutatis scripturis rem revideat, suamque desuper exponat opinionem. Concurrunt autem sæpe tot, ut nox diesque labori ferme non sufficiant: vix subinde 24. horarum spatio ad respondendum concesso, nisi morbo articulari manus aut pedes infestante præpediatur. Ceterum ad alia aulæ negotia non se commiscet, variusque ingreditur Consilium intimum, quamquam frequentissime vocatus, cum id ipsi ex officio incumbat. Ministros pariter non frequentat, nisi cum quibus ad consultandum a Cæsare ordinatur; persæpe autem ab aulæ cancellario vocatus Austriacorum negotiorum conferentiis interest, uti & particularibus commissionibus, dum Princeps jubet. Vacantibus quandoque in Hungaria pinguioribus beneficiis, ut se pro aliquo insinuaret, non defuere amici, qui suaserunt, seque manus adjutrices daturos spoponderunt; at adduci nunquam potuit; renitentiæ caussam suis familiaribus detegens, quod Episcopatui suo adnexam haberet Abbatiam de Topuska, quamquam a Turcis jamdudum ruinatam, & necdum ad priorem felicitatis statum revocatam. Quin immo ab aulæ cancellario Comite Czinczindorff non semel ex parte Cæsaris interrogatus quidnam sibi, ob fidelia plurium annorum præstita servitia, concedi desideraret; responsi loco aliud non dabat, nisi quod gratissimum sibi foret, si placita essent in conspectu Principis servitia sua, & ut in gratia ejus conservari possit.

Deo & reipublicæ Christianæque utilior ejus commoratio Viennensis, quam Zagrabien.

Cum vero nonnullis principalibus ministris confidentius detexisset, se non parum conscientiæ stimulis scrupulisque laborare, quod pluribus jam annis a sponsa sua Ecclesia abesse debeat; & tametsi sæpius Augustissimum deprecari haud omisisset, ut ad minus pro duobus, aut tribus mensibus pro disponendis tam spiritualibus, quam temporalibus negotiis Zagrabiam excurrere posset, pro responso tamen aliud non acceperit, nisi quod id fieri non possit, vel ut ad aliud tempus desideratum iter differret. Ad quæ illi reponentes arcano ajebant hoc consilio Dei fieri, quod summis monarchis & magnis Principibus, quibus ad regendum populum suum imposuit sceptra & coronam divina Majestas, eisdem identidem providere dignatur de talibus viris, qui eis assistant, & pondus gubernii sui portare adjuvent. Cum igitur Cæsar fidelibus Domini Episcopi servitiis sibi complacuerit, sciat eidem assistendo

plus

plus a se præstari, quam si quotidie in Ecclesia sua divinæ legis mysteria pro concione explicaret: id quod exemplis comprobantes, ut demum conscientiæ scrupulum secure deponat, persuadere sunt conati.

Et vero de hac absentia, tametsi in sextum annum producta, neque Ecclesiam, neque diœcesim aliquid passam, quod justam querendi ansam præberet, ultro fatemur. Fuit namque nobis Vicarius Nicolaus Gothal lector, vir & a spiritu commendatus, & a doctrina excellens, omnique mitra dignissimus, qui universæ diœcesis negotia (tradita sibi plena potestate) ea sollicitudine tum per se, tum per alios dum ægrotaret, curabat, & expediebat, ut quod amplius desideraretur, advertere facile neutiquam fas fuit. Neque in iis defectu laboratum, quæ characteris episcopalis ministerium unice exposcunt, puta consecratio olei, ordinum collatio, & similia &c. ad quas functiones peragendas ex dispositione absentis Episcopi copia nobis vicinorum Præsulum haud defuit. Denique id libenter fatemur, quod Ecclesia nostra plus utilitatis ex absentia sui Antistitis retulerit, quam præsente sperare poterat. Voluit ille esse & priscorum æmulator, & futurorum impulsor Episcoporum, qui totus sacræ supellectili augendæ, & illustrandæ intentus, ceteris donariis prætermissis, pluviale, casulam cum quatuor Dalmaticis, & antipendium contulit; quæ omnia ex singulari, & pretiosa materia, diversis argentei fili figuris miro labore, & opere phrygio ornata, non possunt non spectantium oculos delectare. In anno 1720. prodiit de ejus munificentia ex auro puro insignis calix, innumeris pretiosis gemmis (quarum aliquot majores Rhenensibus trecentis æstimantur) adeo rara arte elaboratus, ut ejus fama per urbem Viennensem circumlata, in ipso plane Cæsare, suaque aula desiderium ejus videndi excitarit. Absumpsit autem ejus labor Rhenenses sex mille quadringentos triginta; exhibetque sequens chronographicum:

Donaria pretiosissima eidem ab Emerico missa & collata.

Me Deo ConseCro eX Voto perpetUo.

Hunc sequebatur nobilissimum Domini sepulchrum manuale ter mille Rhenenses exæquans, quod ex argento mirifico opere cusum, ac frequentissimis lapidibus pretiosis collustratum, in intimo continet cor ex puro auro, perquam belle corpori Christi in die Parasceves recipiendo accommodatum, cum hoc lemmate:

TheSaUrUs aManter In CorDe
FLagrantI SepULtUs.

Nec minus splendidum argenteum inauratum ciborium, quod Dominicæ Passionis mysteriis, innumerisque preciosis margaritis eximie ornatum, pretium refert Rhenensium ter mille septingentorum, cum hac inscriptione:

CIborII SpLenDore ornaVIt SponsaM
PræSUL eJUS ZagrabIensIs.

Descriptio ornatus, seu frontalis aræ maximæ, pulcherrimis figuris cælati.

At in antipendio aræ summæ habet lector quod mireris & munificentiam Præsulis, & curiosam figurarum, quibus adumbratur, adinventionem. Est illud cum duobus lateralibus ex puro argento, habens cum illis insimul pondo centum sexaginta quinque, & aliquot lothones, seu ut alii vocant, marcas trecentas triginta. In medio majoris (ut descripta mente intuearis) repræsentatur domuncula D. Joseph, quam idem dum sepire condit, ascia palum dolans, Christum æque palum in terram malleolo urgentem identidem miratur. In proximo ad partem dexteram est Angelus, qui sepimentum positurus, infra palos virgulta collocat & disponit; quæ dein alter Angelus, ut magis coalescant impellit, & protrudit; tertius vero excitato igne palorum adustioni incumbit, eidemque superstat grandis arbor quercea, folio & glande explicata. Ad partem demum sinistram est Virgo in actu sessionis acu & filo suitioni intenta, habens in latere plures quercus foliis, & fructibus fœcundas. Porro ex lateralibus unum exhibet D. Stephanum paludatum, aliud S. Ladislaum thoracatum, reges Hungariæ, & Patronos Ecclesiæ. Uterque de genu offert coronam, ille Christo & Virgini, hic sanctissimæ Triadi. Omnium autem valor est exæquat summam Rhenensium octies mille; & in majori hæc inscripta leguntur.

HoC a Mater SponsæbInaqUe LaterIs AntIpendIa
PræsentaVerat PræUL ZagrabIensIs.

Alia aliis Ecclesiis dona collata.

Neque vero ille exornandæ Ecclesiæ suæ ita intendit, ut ad alias munificam manum non extenderet. Poseganam videlicet religiosorum D. Francisci Seraphici nobilissima ara sub invocatione omnium Sanctorum eximie decoravit; nec minus Zagrabiensium Vestalium D. Claræ, ubi honori D. Catharinæ Bononiensis aram erexit, capellamque exædificavit. Erga Virginem Remetensem (veluti cui suam ad Episcopatum Zagrabiensem provectionem potissimum tribuit) eam animo nutrivit devotionem, ut nullum sabbathum omitteret, quin ad eam venerandam sacrum eo die faciendum curaret; cui etiam casulam pretiosissimam, & calicem protiosissimum dono consecravit. Divum quoque Franciscum Xaverium speciali cultu prosecutus, ad ornatum ejus capellæ prope Zagrabiam tot singulis annis Rhenenses, quot ætatis annos numeraret, administrari curavit, composita etiam ad ejus venerationem devotissima oratione. Ut præterea Augustissimæ Eucharistiæ publica veneratio frequentior fieret in Ecclesia sua, instituit, ut singulis diebus Dominicis novilunii in summa Missa Venerabile exponatur, præmissa processione, & recitatis in fine litaniis Lauretanis. Eodem pariter sedente, ut in dominiis & statibus domus Austriacæ atque adeo & in diœcesi Zagrabiensi, officium de Corpore Christi, quavis feria V. non impedita de præcepto, recitetur, ad preces Augustissimi obtentum est placitum summi Pontificis Clementis XI. an. 1715. Denique fuerat pio ac munifico Præsuli firmum propositum ad decorem Ecclesiæ suæ adjicere adhuc quatuor grandes statuas argenteas, jamque ad hoc necessarias præmiserat delineationes: ast superveniente diæta Posoniensi æs copiosum absumptum, non sine dolore, optimarum intentionum filum præcidit, utinam vero tantum ad tempus.

Ejus erga divos & divinam Eucharistiam eximia religio.

In comitiis Posonienfibus de communi sententia decreta est successio feminei sexus in regnum Hungariæ.

Porro horum Comitiorum (ut de iis aliquid attingamus) scopus præcipuus fuit assequendi regnicolarum vota, ut coronæ Hungaricæ hæreditaria successio, domus Austriacæ deficiente masculo, pro femineo sexu decerneretur. Quemadmodum autem talis successionis in Croatia obtentæ primarius auctor fuit Eszterhasius, ita & apud Hungaros adipiscendæ principalis erat impulsor. Post superatam namque litem decimarum (de qua superius) iis annis, quibus Viennæ in servitio Principis detentus moram traxit, inter alia negotia, quæ sibi pertractanda committebantur, non minori curæ fuit, qualiter Primores Hungariæ ad conferenda vota in favorem dicti sexus disponi, & allici possent. Et quamvis propterea universale odium in se attraxerat, nihil tamen concepti fervoris in navanda Cæsari fideli

opera

Digitized by Google

opera remisisse visus est: deducens prolixe leges, & rationes efficaces proferens, quibus convictus quisque in obsequium feminei sexus manum daret. Dispositis demum plurimorum animis, indicendus erat generalis Posonii conventus pro die 10. mensis Junii an. 1722. Quo progressuri ablegati Capituli Zagrabiensis, cum Viennam divertentes, quae in instructione a principalibus sibi datas haberent, suo Praelato aperuissent, & hic Principi suum Capitulum ad secundandas ejus intentiones voto iturum retulisset, hoc responso consolatus recessit: Numquam dubitavimus de vestra, & Capituli vestri erga nos, & domum nostram fidelitate.

Ceterum comparentibus Posonii frequentissimo numero regnicolis (Episcopo tamen Zagrabiensi Viennae manere jusso) primis continuo sessionibus, omnium omnino calculis, non sine admiratione, conclusa est tot votis suspirata successio feminei sexus; moxque ordinata ex singulis statuum ordinibus sollemnissima ad Caesarem ablegatio, sub ductu Cardinalis Emerici Csaky Archiepiscopi Colocensis, & administratoris Varadiensis: cui Viennae antequam accessus admitteretur, voluit Imperator ut eorum, quae coram esset peroraturus, prius sibi copiam faceret. Quae si praejudicium quoddam continerent, Episcopo Zagrabiensi ad censuram communicata, ab eodem corrigerentur; sed quoad substantiam inoffenso pede percurri posse existimata fuere. Descendente dein Posonium Caesare, ipse etiam Episcopus in medium aliorum consultaturus, eo se contulit. Ubi desiderantibus cunctis diuturniori praesentia Augustissimi frui, nulli dubitabant se se consolandos, si Eszterhasium oratorem ad hoc deprecandum destinarent. At Caesare negotiorum imperii, totque regnorum ac provinciarum molem causante, & quod plus Viennae, quam Posonii reipublicae Hungaricae se se profuturum arbitraretur, sibi eo loci diutius immorari non esse expediens respondit; monitos autem vellet status & ordines, ut illo ipso die articulum super admissa feminei sexus successione sibi praesentari haud tardent. Morem ergo jussis Principis gesturi non modice disputarunt, cui ejusmodi provincia deferenda foret; cum alii Eszterhasium, alii alios, distractis opinionibus, denominarent; placuit demum, ut siquidem de condito articulo omnes benemeriti essent, ejusdem quoque repraesentationis honorem omnes una referant. Porro post discessum Caesaris Episcopus Zagrabiensis frequentavit quidem sessiones usque ad Novembrem; sed recedendo a veteri praetensione habendi locum immediate post Episcopum Agriensem, locum deinceps tenuit juxta senium consecrationis: in cujus etiam senii favorem articulus in hac diaeta conditus est.

Emericus Posonium venit,

& conventibus omnibus interfuit.

Interea dum Posonii moras trahit Eszterhasius, sensim a Caesare disponitur per litteras ad permutationem Episcopatus Zagrabiensis cum Sacerdotio Vesprimiensi, quod a morte Comitis a Folkoa jamdudum vacans, licet plures habuerit competitores, nullus tamen eo rerum statu utilior Zagrabiensi judicabatur. Fuerat illi propensio Aulae statim post fata dicti Episcopi insinuata. Sed cum, eo diutius deliberante, interea Capitulo quae aguntur ad notitiam pervenissent, quidquid occurrere poterat, ne se pius Pater deserat, neve desolatum relinquat, id magno spiritu, & tenero affectu litteris deprecatoriis exprimere maturavit; & vero eo affectu, ut illi lachrymas exprimerent, & titubantem animum Zagrabiae obfirmarent. Verum Caesar, quamvis hac vice ejus excusationi locum dederit, quia tamen ex una parte vacantem Episcopatum per praeteritos Episcopos, sua plus, quam Christi quaerentes, valde neglectum intellexerat; ex altera consideratis competitoribus existimabat potius eos praedecessorum vestigia pressuros, quam quod ad reparandas ruinas aliquid de suo impenderent; ideo maluit Ecclesiam illam Pastore destitutam ad tempus gementem relinquere, quam talem ei praeficere, qui nullam aut exiguam ejus curandae spem promitteret. Unicus itaque qui desolato Episcopatui credebatur non denegaturus opem, Eszterhasius assidua mente revolvebatur, utpote qui contempta divitiarum copia, quidquid de proventibus beneficiorum caperet, ad cultum divinum, ecclesiarumque nitorem mox conferre in deliciis habet. Et quidem eo major spes affulgebat, hoc Antistite neglectum Episcopatum resurrecturum, quod Ecclesiam Zagrabiensem, aliunde per praedecessores suos optime excultam, in dies locupletare, diversaque pretiosa supellectili ornare non cessaret. Tentandum ergo disponendumque denuo Caesar judicavit, tum per proprias litteras, tum medio cancellarii Comitis Georgii a Stisk, intima illi consuetudine conjuncti. Et quamvis durum illi fuerat contra Principis voluntatem calcitrare, antequam tamen victum se profiteretur, luctandum secum ipso diutius, & deliberandum erat. Arduum prae primis molestumque videbatur Episcopatum Zagrabiensem deserere, pro quo aliquando superos votis & precibus diu fatigavit. Deinde utrumque Episcopatum adinvicem penitius conferendo, haud ignorabat Zagrabiensem in flore esse, Vesprimiensem in desolatione. Illius Ecclesiae aedificium dudum absolutum in desiderata perfectione consistere, hanc maxima indigere restauratione; illam pretiosa omnis generis supellex eximie ornat, haec ne calicem quidem argenteum habet; illi amplum adhaeret Episcopium, non modo Praesulum, verum & hospitum commoditati opportune deserviens; illa Canonicos numerat viginti octo, praebendarios duodecim, & clericos frequentissimos, hanc frequentant Canonici tantum sex, inter quos duo tantum dignitate praediti, Praepositus & lector, nec Seminarium habet; illius dioecesis, ultra complures capellanos, numerum parochorum extendit ad personas ducentas octo, haec septemdecim tantum habet, reliquum supplentibus laicis, ut vocant, licentiatis, qui unice infantes sacra unda abluant, matrimoniis assistant, sepeliendis mortuis comitivam praestent, & verbum divinum rudiler populum annuncient. In Episcopatu Zagrabiensi unice ad salutem necessaria Catholica religio, vel ipsa lege firmata, habetur; in Vesprimiensi silva ingredienda est frementium bestiarum, cujus videlicet majorem partem occupant perversorum dogmatum Lutheri & Calvini sectatores. Denique numquam adhuc aliquis Episcoporum Zagrabiensium legitur translatus ad Ecclesiam Vesprimiensem; contra ab hac ad Zagrabiensem transiisse Franciscus Ergbelius, ut supra docuimus. Demum his non modicam animo angustiam addebant litterae sacerdotum Zagrabiensium, quibus eum non minori amaritudine, quam olim discipuli D. Martinum Turonensem, ut secum maneat, deprecabantur. Verum tametsi haec gravissima fuerint argumenta, etiam maximam cupiditatem ad Episcopatum Vesprimiensem transeundi, ex animo expellendi; quia tamen ex adverso pugnabat Principis voluntas, quam

Agi coeptum de Emerico transferendo ad Ecclesiam Vesprimien.

Rationes Eszterhasii a commutanda Zagrabien. cum Vesprimiensi Ecclesia deterrentes.

Digitized by Google

Parendum tamen censuit Cæsaris voluntati.

quam Eszterhasius periude ac imperium observabat; maluit potius ex feliciori statu ad deteriorem, ex quiete ad laborem transire, quam Domino non gerere morem. Totum igitur in manibus ejus se resignando, tandem die 27. mensis Septembris pronunciatus est Episcopus Vesprimiensis; moxque sequenti die hoc ipsum Capitulo suo significando, una defectuum veniam deprecatus est bisce litteris.

„ Venerabile Capitulum, desideratissimi Domini Fratres.

Ejus ad Capitulum Zagrabiense epistola.

Dolorem dolori addunt, dum se invitos invito mibi adjungunt. Feci omnia, quæ reverentis renitentiæ fuerunt, exaratis super inde epistolis compluribus; verum Princeps se scivit principem esse, me quoque quod subditus sim, cogebar agnovisse. Heri percepi rudera Vesprimiensia, cum certa aulica pensione Rhenensium 6000. resoluta, meque in metallum clementer condemnatum esse. Eruperat mæsta teneritudo de oculis, sed monasticæ indifferentiæ captiva in Deum suspiria flumen siccabant. Restat unice, ut flexo poplite veniam delictorum defectuumque efflagitem; & infixo madentibus labris cujusque propitio pectori osculo emorior. Posonii 28. Septembris, an. 1722. P. S. Thaumaturgæ illius Ecclesiæ continuis precibus me totum devoveo. Desideratissimorum Fratrum minimus & indignus F. Emericus Eszterhasy E. Z. „

Quibus publice lectis, nemo ex præsentibus fuit qui non continuo, composito ad mœstitiam vultu, adversum fortunam gemeret, quod a desideratissimo Patre separari cogatur, cum quo vivere & mori optaret; nonnullis etiam a lachrymis se se temperare haud valentibus. Ut vero illi sincere constaret, quanto nos sua divulsione mœrore affecisset, sequentibus litteris pro responsione datis detexi mus.

„ Reverendissime Excellentissime & Illustrissime D. Comes Episcope, D. D. Patrone, & Prælate nobis gratiosissime.

Responsio Capituli.

Ad lectas Reverendiss. Excellent. Vestræ paterno affectu plenissimas litteras, ex imminenti sua a nobis divulsione inter indignos filios ortum est magnum in ore silentium; sed oculi cum mœsto admodum vultu cœperunt loqui. Verumtamen quia Apostolico regi & Domino parere necesse est, non audemus ultra tam charissimo Præsuli & Patri nostro importune esse molesti. Immo autem consolamur, quod adhuc usque Pascha, ut audimus, nomen suum invocabitur super nos; & quod viscera Patris in dimissos, sed non amissos subditos filios identidem benigne reflectent. Nostra autem Ecclesia, uti debet, pro Reverendissima Excell. Vestra etiam absente humillimas preces ad Deum Patrem omnipotentem fundet. Quoniam vero nos omnes tandem segregari oportet ab invicem, donec iterum occurramus in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut & in absentia Reverendiss. Excell. Vestræ illius habeamus typum, qui & specialiter Reverend. Excell. Vestræ luget abitum, & regni ac diœcesis hujus habet experimentum, nostrum Reverendiss. D. Præpositum Paulum Cheskovich, ut Reverend. Excell. Vestræ, per ejusdem gratiosissimam & efficacem apud suam sacratissimam Majestatem intercessionem, succedere valeat, denuo ut nuper per litteras Domini lectoris, communi voto demississime commendamus. Nos autem Excellent. Vestræ fimbriam submisso venerabundi osculo persistimus. 8. Octobris 1722. Reverendiss. Excell. Vestræ servi & capellani humillimi obsequentissimi Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis. „

Ejus acta munifica in Episcopatu Vesprimiensi.

Porro licet Eszterhasius denominatus sit Episcopus Vesprimiensis die 27. Septemb. Cæsar tamen ob rationes sibi unice notas, instrumentum donationis in cancellaria Hungarica expediri noluit ante sequentem annum 1723. ita quod solita inauguratio ad Episcopatum non nisi die 4. Februarii, ad supremi vero Comitis officium, die 5. Julii peracta fuerit. Tum vero ille assumpta novi Episcopatus possessione, mox restaurandis geminis Ecclesiæ suæ turribus, ac capellæ D. Emerici (ubi olim oratorium suum fuerat) manum & curam adjecit, pactis eatenus cum magistro murario & lapicida Rhenensibus ter & decem mille. Ostensorium quoque pretiosissimum ejusdem Ecclesiæ apprime necessarium, pluresque calices elaborari jussit: facturus indubie plura quæque pro gloria Dei, & Ecclesiæ emolumento, si Deus longiorem concessisset vitam, quam ob rara talenta, pietatem in superos, munificentiam in Ecclesias Dei, omnibus calculis meretur. Fuerat quidem desiderium regnicolarum, & Capituli, ut aliquot adhuc annis Ecclesiam Zagrabien. simul cum Vesprimiensi administraret, fuereque propterea coram augustali throno humiles effusæ preces. Sed sive Eszterhasio renitente, sive Sede Apostolica id admittere renuente (quod in medio relinquimus) oportebat tandem nos amittere Præsulem desideratissimum. Sedis Zagrabiæ a die obtentæ donationis regiæ usque ad denominationem successoris (quæ incidit in diem 20. Augusti anno suprascripto 1723.) annis 14. mensibus XI. & diebus decem, creatis Canonicis viginti, uno lectore, uno cantore, & uno custode.

Ejus ad Metropolim Strigoniensem translatio,

Hactenus Kovascevichius. Ecclesiæ Vesprimiensi duos annos præfuit; ex qua anno 1725. translatus ad Metropolim Strigoniensem, & summum Ecclesiæ Hungaricæ Primatum plurima gessit memoria & litteris digna. De utraque Ecclesia Zagrabiensi, & Strigoniensi optime meritus, Posonii anno 1745. VIII. Id. Decembris sanctissime obiit; delatusque funebri pompa ad basilicam S. Martini in sacello S. Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini, quod ipse ingenti sumptu, opere ornatuque magnifico & eleganti exstruxerat, sepultus est; sibique hoc epitaphium vivens composuit, & inscribi jussit:

obitus, sepulchrum & epitaphium.

SUB HOC
ADMIRANDÆ COMMISERATIONIS
PRODIGIO
DIVO JOANNE ALEXANDRINO
EGO IN TE,
DEUS MEUS MISERICORDIA MEA,
ASSISTENTE MIHI
DULCI MISERICORDIÆ MATRE
DORMIAM ET REQUIESCAM
FRATER
EMERICUS.

Nomina & acta reliquorum Antistitum hujus sæculi vergentis, cum mihi deessent, breviter ac dilucide descripta Balthassar Adamus Kereselich Abbas & Canonicus Zagrabiensis pro sua singulari humanitate ad me transmisit. Pro his, & aliis pluribus documentis mihi liberaliter impertitis ei plurimum debeo, tantum quidem, quantum persolvere difficile est. Præterea vitæ Emericianæ, quam modo descripsi,

Digitized by Google

psi, Synopsim confecit. Hanc ergo, & illa hic subjicio.

Emericus Eszterhasius

Emericus Eszterbazy patre Emerico Eszterhasy, matre Susana Bucsani natus 1663. Partim Soproнii, partim Tyrnaviæ humaniores scholas absolvit. Institutum Eremitarum a S. Paullo primo Eremita, in Bondorff 25. Julii 1680. secutus, & hoc anno sequenti 27. Julii professus est. Terminata Neostadii Philosophia, Romæ in collegio S. Apollinaris Theologicis disciplinis est institutus. Lepoglavæ in Sclavonia suis Philosophiam bis prælegit, dein Theologiam Tyrnaviæ. Ex secretario P. Generalis anno 1702. totius Ordinis Prior generalis effectus; tum 1706. Decembri mense Vaciensis Episcopus, ad cujus titulum die 4. Martii 1708. occasione diætæ Hungaricæ, Posonii per Hungariæ Primatem, & Cardinalem Augustum Saxoniæ est consecratus. Eodem anno, Episcopo Zagrabiensi Martino Braicovich, die 4. Junii Viennæ mortuo, ad Episcopatum Zagrabiensem translatus est; & die xi. Novembris ad hunc canonice institutus. Egregiam in comitiis regni Sclavoniæ navavit operam, ut status Sclavoniæ anno 1212. ad successionem coronæ sexus feminei consenserint; tracta debinc in idem Hungaria, & anno 1723. per legis articulum successionem hanc corroborante. Regnorum Dalm. Croat. & Sclav. officii Banalis egit Locumtenentem; item commissionis systematicæ præsidem; ob quæ annis pluribus absens, in cathedrali basilica reliquit memoriam in calice uno aureo, antipendio aræ majoris argenteo, & eleganti conditorio sacræ bostiæ, pro die Parasceves. In templo PP. Societatis Jesu Zagrabiæ, ex marmore nitido elegans ara S. Ignatii, hujus stat liberalitate; & pluribus in templis stant ejus memoriæ. An. 1723. ad Episcopatum Vesprimiensem translatus est; ad hujus attamen titulum bullas Romanas non accepit. Basilicæ Vesprimiensis fabricam auxit & ornavit. An. 1725. die 25. Januarii factus supremus aulæ per Hungariam cancellarius; & post mortem Augusti Saxoniæ ducis, 23. Augusti, Ratisbonæ secutam, Hungariæ Primas, & Archiepiscopus Strigoniensis evasit. In Romanis bullis ex Zagrabiensi sede ad Strigoniensem translatus exprimitur, quod pro Vesprimiensi sede confirmatus Romæ non fuerit. Obiit Posonii die vi. Decembris anni 1745.

Præfes generalis Ordinis Pauliniani, Ep. Vaciensis, Zagrabiensis, Vesprimiensis, Primas Strigoniensis.

GEORGIUS II. EP. ZAGRAB. LXVIII.

Georgius Braniugh Pragæ die xx. Augusti, anno 1723. a Carolo VI. Imper. & rege Hungariæ nominatus Zagrabiensis Episcopus. Ne statim Bullas Pontificias obtineret, nescio quid impedimenti fuit; bis obtentis anno 1728. die vii. Martii primum fuit consecratus; & hoc anno die xix. Martii ad Zagrabiensem sedem canonice introductus. Natus est Georgius an. 1677. die xi. Novembris, nobilibus parentibus, Zagoriæ, in districtu Batkaiszko, Comitatus Varasdinensis. Absolutis Zagrabiæ litteris humanioribus, Viennæ, ut collegii Croatici clericus, Philosophiam excepit. Bononiæ a Ludovico Gotti, postea S. R. E. Cardinali, in Theologicis disciplinis est institutus. An. 1702. die 2. Julii, ut sacerdos primum Deo obtulit sacrificium; tum parochus B. M. V. in Zlatar factus, quodvis diligentis pastoris explevit officium. Anno 1708. a morte Georgii Funsek, Canonicatum Zagrabiensem ab Episcopo Martino Braikovich accepit; 1713. fit Archidiaconus Chasmensis, & 1716. Kemlekensis; ex quo ad Episcopatum est sublimatus. Ut Canonicus, egit decanum Capituli, dein Sisciæ præfectum, ac demum Dubiczæ Commendantem, qui ab anno 1750. Pro-Tribuni, seu Vice-Colonelli charactere gaudet.

Georgii egregiæ virtutes,

Quæ magnus ille, & immortalis memoriæ egit Episcopus, si speciatim singillatimque recensenda forent, magnum volumen efficerent. Erga Deum pietate summa fuit. Quotidie Deo obtulit sacrificium ipse, tum duo alia per presbyteros, pro ovibus suis. Meditationem numquam neglexit; concionibus interfuit; litteras, litteratosque amavit, promovit, fovit. Missiones Apostolicas introduxit, catecheses etiam. Animo erat singulari; inimicis non solum parcebat, sed benefecit, ut longum esset referre exempla. Pauperum egit patrem; ut admirentur omnes, unde tantas fecerit eleemosynas; nullum templum, nullum monasterium est, quod suæ charitatis demonstrare nequeat testimonium & opus. Pauperes nobiles fovit; dotem plurimis dedit virginibus; pater omnium. Residentiam episcopalem magnificam e fundamentis erexit, & plura per diœcesim templa. Populo providit belli, famis, & pestis temporibus. Religionem Romano-Catholicam promovit, & vigilantissime servatam voluit. Multa reevindicavit ecclesiastica jura. Egit officii Banalis annis pluribus Locumtenentem regium, & ab administrata justitia celebratur. Sane fassione & consensu omnium, ad leges D. Paulli egit Episcopum, & a morte irreprehensibilis evasit, dum in omnium est votis, in singulorum memoria, & suspiriis. Egit ipse omnia, & plurima conscripsit. Opus singulare de Immunitate ecclesiastica ab eo conscriptum est. Devota sanctissima morte, sacramentis munitus, diei 28. Aprilis in aurora, anno 1748. obiit. In cathedrali sepultus sine epitaphio; dicens memoriam sui se nolle relinquere in lapide, at in affectu, & ovium suarum voluntate.

& pie, praeclare, utiliter facta.

FRANCISCUS XAVERIUS EP. ZAGRAB. LXIX.

Franciscus Xaverius L. B. Klobusiczki de Zeklanis in Comitatu Zemplinienst superioris Hungariæ, patre Francisco, matre Clara Kapi, die 31. Octobris 1708. natus est. Inferiores scholas partim Eperiessini, partim Cassoviæ absolvit. Ut clericus Viennæ Pazmaniani collegii, Philosophiam biennio excepit; Romæ in Apollinari Theologiam; inde redux & factus presbyter, egit ad Posonium parochum, a Primate Emerico Eszterhazy primo ad collegiatum Capitulum Scepusiense creatus Canonicus, & loci illius parochus, dein 1733. motu proprio Primatis ad Metropolitanum Strigoniense Capitulum translatus, ut Abbatia obtenta anno sequente 1734. Capituli illius lector, & archidiœcesis generalis Vicarius. Primatis nomine canonice visitavit Capitula illa; & plurima ad decorem, & utilissima constituit, ut nunc laudetur ab omnibus, tunc pugnandum habuit cum senioribus, ex usu & præjudiciis vitam transigentibus. Episcopatum titularem, sive in partibus Romæ accepit 1736. Nemesinum vocatum, & ad hunc die vi. Maji fuit consecratus. Egit in pontificalibus suffraganeum Primatis; tandem 1741. sub diætam, ad Transilvaniensem sedem & Episcopatum translatus. Inde 1748. die 13. Maji Viennæ resolutus fuit a Maria Theresia in Zagrabiensem Episcopum,

Franciscus Xaverius Episcopus titularis, deinde Transilvanus,

Digitized by Google

pum. Sed illic Carolinæ, caussa publicorum negotiorum, jubente rege, retentus; post Romanas bullas obtentas 1749. Aprili mense Viennam appellens, & solitum præstans coram Cardinali Sigismundo Kollonich juramentum, mense Junio 1749. Zagrabiam venit. Mortuo antecessore, quia de bonis quibusdam avellendis, & militaribus extradendis fuisset agitatum, in merito hoc, adveniens Zagrabiam, regiam commissionem invenit. Sed esto extraneus sic egit quævis, ut commissio dilapsa sit, & jura Ecclesiæ aliorumque servata. Occasione regulatorum Banalium confiniorum, hoc eodem anno, magna usus fuit prudentia & nil præjudicatum est Ecclesiæ. His bene prudenterque gestis, restauravit sacrum diœcesis officium, ac nescio an non instituerit. Anno 1750. Confirmationis sacramentum per diœcesim, ultro citroque administrabat, & Petovi suas Majestates excepit. Anno 1751. Martio mense ad diætam Posoniensem profectus, istic die 30. Julii ad Archiepiscopatum Colocensem translatus est; nec Zagrabiam rediit. Qua Archiepiscopus, elevatus est cum gente sua vel potius familia ad honores Comitis, *ut nunc Comites Klobusiczki sint. Obiit Pesthini in horto suo, die* VI. *Aprilis 1760. Colocsim delatus ad tumulum. Vir statura parvus & gibbosus fuit. Cœtus religiosos, vel maxime Jesuitas amabat; litteris litteratisque favit. Facilitate ac familiaritate cum inferioribus famulis nimia, prouti & erga hos indulgentia; ut sæpe perpeti multa debuerit, & servorum suorum servus esse.*

postea Zagrabiensis,

demum ad sedem Archiep. Colocensem translatus

FRANCISCUS II. EP. ZAGRAB. LXX.

Franciscus Thauszy ex Bosnensi Ep. Zagrab.

Die 30. Julii 1751. ex Bosnensi Episcopo, Posonii fuit resolutus Zagrabiensium Antistes. Ceterum 1698. die 23. Martii ex Wolffango Thauszy, & prima ejus uxore Krisanich natus est. In pueritia clero adscriptus, in Seminario clericorum Zagrabiensium humaniora studia absolvit, Viennæ in collegio Croatico Philosophiam & Theologiam triennio frequentavit. Sacerdos factus, primum ad S. Dominicum Kenschinæ parochus, dein B. V. M. in Sztenicvecz prope Zagrabiam. Anno 1729. die 1. Maji factus Zagrabien. Canonicus, dein Commendans Dubicze, an. 1739. Chasmensis Archidiaconus, & 1745. Goricensis factus, 1749. Archidiaconus, die VI. *Augusti, Viennæ Episcopatum Bosnensem obtinuit; atque ad hunc, Zagrabiæ 1750. die 12. Aprilis in Dominicam II. post Pascha incidente, consecratus. Nondum biennium effluxerat, cum ob insignia ejus merita ad sedem Zagrabiensem evectus, quam eximiis virtutibus, & præclaris institutis ornavit, & summa cum laude adhuc tenet; diuque & feliciter teneat.*

Præclare ab eo gesta.

Hactenus Balthassar Kereselich. Multa sunt hujus præclare facta; sed hæc præcipua. Plures ecclesias vetustate collabentes refecit, & sacra, copiosaque supellectili locupletavit: optimos quosque curatores animarum e suo clero delectos constituit, quorum opera, & sollertia religio, & pietas incolarum refloresceret, sicubi vel decursu temporum, vel humana fragilitate elanguesceret. Tria sacra ædificia ære suo, sumptuque e fundamentis exstruxit, unum D. Theresiæ, opere, ornatuque magnifico Possegæ in oppido Slavoniæ primario, alterum D. Francisco Xaverio in pago Vagrovetzio, tertium D. Petro Principi Apostolorum prope Zagrabiam. Seminarium clericorum condidit apud Possegam, atque idoneis vectigalibus dotavit. Nobiles familias de patria, & republica optime meritas plurimis prædiis, & amplissimis privilegiis donandas curavit. Ingentem pecuniæ summam apud viros religiosos, quibus cura incumbit captivos ab hostibus Christiani nominis redimendi, collocavit, ex qua sumptus annui, & perpetui suppeterent ad filios Ecclesiæ, & incolas diœcesis Zagrabiensis tyrannide Turcarum eximendos, si quando, quod sæpe accidit, in eam miserabilem servitutem inciderent; itemque pecuniæ vim nihilo minorem contulit, ac seposuit, ad sarta tecta basilicæ cathedralis tuenda, eamque, siquo casu collabesceret, aut vitium faceret, restaurandam. Anno 1769. III. Id. Januarii e vivis excessit, illatusque in ædem cathedralem ante aram S. Lucæ sepultus fuit. Ejus obitus.

JOANNES BAPTISTA EP. ZAG. LXXI.

E Sirmiensi Ecclesia, quam post obita plurium dignitatum munera regendam susceperat, ad Zagrabiensem translatus anno 1770. vir nobilitate generis clarus, quippe ex antiquissima, eaque illustri Paxiorum familia natus, sed religione, virtute, doctrina multo clarior, & Mariæ Theresiæ Augustæ in primis acceptus, quæ ob præclara pastoralis sollicitudinis merita illum nobilissimæ hujus Ecclesiæ Episcopum nominavit. Suscepto Zagrabiensi Episcopatu multa cum fide, integritate, & vigilantia laudabiliter gessit, summa divinæ propagandæ gloriæ, & dominici gregis excolendi cupiditate incensus. Sed immaturo præreptus funere an. 1772. ingens sui desiderium Zagrabiensi Ecclesiæ, & bonis omnibus reliquit. Huic

JOSEPHUS EPISC. ZAGRAB. LXXII.

Suffectus est, Idibus Decembris ejusdem anni renuntiatus Antistes in sacro Cardinalium collegio ab Clemente XIV. P. M. Theresiæ Augustæ nomine cum postulante Fabritio Cardinali Serbellonio. De hoc plura scribere pro ejus dignitate, ac meritis sane cupieramus; sed monumenta defuerunt, quæ pluries vehementer expetivimus ad ornandam hujus Episcopi historiam.

Digitized by Google

ADDITAMENTA

AD TOMUM V. ILLYRICI SACRI.

CUm eximius plane vir Daniel Farlatus supremum diem ante obiisset, quam quintus hic Tomus Illyrici sacri prodiret in lucem, nonnulla mihi præ manibus obvenere, quæ historiam Jaderensis Ecclesiæ, tum aliarum, quibus ipsa præest jure metropolitico, magis ac magis ornarent; Farlato tamen vel ignota prorsus, vel certe ab ejus memoria delapsa, & inter mss. suorum plurimam congeriem deperdita, cum forte ea quoque huic Tomo inserere cogitaverit. Hæc itaque hunc in locum chronologico ordine descripta rejeci, quippe prima jam Tomi pars typis fuerit impressa; & hinc occasio patebit, ut, si quæ fortassis occurrant corrigenda, ea corrigam, atque illustrem.

§. I.

ADDITAMENTA

Ad Ecclesiam Jadertinam.

Donationes factæ monasteriis S. Mariæ minoris.

DUo monasteria, S. Mariæ majoris alterum, alterum S. Chrysogoni, novis ditata, & aucta reditibus comperio in monumentis Jadertinis medii sæculi XI. Anno etenim 1052. Cresimirus Chrobatiæ rex agrum *Berda* donavit Virginibus S. Mariæ, quibus Agape Antistita præerat; eaque prima est, cujus perstat memoria in quodam catalogo sacrarum Virginum, quæ Antistitæ dignitate ac munere Marianum cœnobium rexerunt: eas hic subjicio ex eodem catalogo ad annum 1228. producto.

Antistitæ Monasterii Jadrensis S. Mariæ minoris.

An. 1052. Agape.
1066. Cicca.
1072. Cicca soror regis Cresimiri.
1087.) eadem.
1094.)
1105.) Vekenega filia Ciccæ.
1107.)
1199. Tollia.
1228. Bona.

Cresimiri regis diploma ex tabulario ejusdem Mariani cœnobii exscriptum nihil præsefert, quo videatur esse rejiciendum: quare cum Agape illius Antistita nominetur, huic primæ idem munus, eamdemque dignitatem tribui oportet, quippe ante annum 1052. hoc virginum collegium fundatum non fuit. Equidem scio tum Valerium a Ponte in Comment. Rer. Eccl. Jaderens. tum Farlatum in Stephano Episcopo Jadertino XIII. hujusce monasterii institutionem consignasse anno 1066. ex tabulis Cichæ, quæ cum Domnana filia, aliis nobilibus, ac ingenuis virginibus monasterii, ac monasticæ vitæ prima jecit fundamenta. Sed obstat auctoritas Lucii, qui in lib. 2. de regno &c. cap. 9. profert privilegium Cresimiri regis secundum Virgines S. Mariæ datum anno 1052. & ex eo probat, Cresimirum hoc anno titulum Dalmatiæ, Chrobatiæque regis obtinuisse: *sed a quo regni titulum, Dalmatiæque accessionem consecutus sit, non constat*, subdit idem Lucius. Hujus ego testimonio fretus ante annos circiter quatuordecim Mariani monasterii primordia rejicerem, quin Cichæ tabulæ quidquam obsint sententiæ nostræ: reor enim, exiguum Virginum Deo sacratarum domicilium ab Agape primo fuisse institutum, ubi nullis certis subjectæ legibus libere divinis rebus, piisque exercitationibus vacarent: at paullo post Cichæ consilio, & universo civium, ac nobilium cœtu probante, idem locus delectus fuit, ubi ad normam & regulam S. Benedicti verum, sacrumque cœnobium construeretur. Quod autem Agape in diplomate Cresimiri *Antistita* nominetur, hoc minus proprio hujusce vocabuli usu factum est, ut inde liceat intelligi, ipsam aliquo honoris, atque auctoritatis titulo sociis virginibus præfuisse: quamquam cum *monasterii* appellatione domicilium illud distinguat Cresimirus, vero quam simillimum est, & virginum numero, & impenso Deiparæ cultu, jam sub ipsis institutionis exordiis clarescere cœpisse: Vekenega vero, quæ in catalogo & *filia Ciccæ*, & *Antistita* dicitur, eadem est, quam Cicha parens nuptui dederat nobilissimo, & opulento viro; sed anno 1091. *viri sui videlicet Dobroslavi thorum custodiens viginti annis, Deo devota monastico utebatur habitu;* quod legimus in sententia Andreæ Episcopi Jadrensis, & Dragi Prioris eo anno 1091. lata ipsius Vekenegæ rogatu secundum Marianum cœnobium: *scilicet post mortem viri sui Dobroslavi* in illud virginum collegium *apud matrem Ciclam Antistitam se receperat, & monachalem habitum induerat;* ut subjicit Farlatus in notis eidem adjectis sententiæ. Itaque Cresimiri diploma est ejusmodi.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quinquagesimo secundo. Ego Cresimir Dei providentia Rex Croatorum, & Dalmatinorum pro remedio animæ, & parentum meorum dono monasterio Virginum .... Jadræ in honore beatissimæ Virginis Mariæ præsentia Agapis Abbatissæ terraticum in loco, quod Berda vocatur, quondam possessum a duobus colonis nomine uni Benach, alteri Benada, jure perpetuo possidendum. Siquis autem meorum ... id vitare temptaverit, pavendi incurrat supremi Judicis iram, damneturque cum iis, qui lævam .... partem. Joannes Causidicus regis testis, Dragana Scutarius regis testis, Adam Jupanus Nonensis testis, Desina Jupanus testis, Trodano Jupano testis, Zovinna Setnico testis, Vekenego testis.

Et ego presbyter Michacio Capellanus regis scripsi, & corroboravi.

& S. Chrysogoni. Nunc tabulæ donationum, quarum una anno 1070. duæ autem anno 1072. collatæ sunt monasterio S. Chrysogoni, ex lib. 2. de regno &c. cap. 15.

Anno Dominicæ Incarnationis 1070. Indictione 9. Romano tertio imperante, Croatiæ vero R. Cresimiro regnante, Zuonimiro Bano. Ego Croatinus & frater meus Luca Stian concedimus monasterio S. Grysogoni territorium in loco quod dicitur Secbivani contiguum territorio ejusdem Ecclesiæ, præsente Petro Abbate perpetuo retinendum. Qui autem hanc nostram donationem subtrahere voluerit, Omnipotentis iram incurrat.

Actum hoc est in civitate Jaderæ his coram testibus, Drago teste Priore, Cusma Jupanus de Licca testis, Adamizo None Jupanus testis, Majus Jaderæ judex testis, Andreas (1) Episcopi filius. Ego Adam presbyter monacus rogatus a donatore, & veritate comperta manu mea scripsi. 1

Anno ab Incarnatione D. N. J. Christi 1072. Indictione septima Reg. glorioso Croatiæ Dalmatiæque rege Cresimiro. Visum est nobis fratribus Zovine, Dosimiro, Petro, Gromile, & Slavizo, ut pro remedio animarum nostrarum, vel parentum nostrorum defunctorum, quorum nomina sunt hæc, Veliacus, Stephanus, Tomigrad, Vachemir, Radomir, feminarum quoque defunctarum nomine Petrona Bolenega Clare cœnobio S. Martyris Chrysogoni &c.

Actum Civitate nova in præsentia præfati regis, Druzinie Ded testis, Pribidrago Postelnic testis, Draganna Scutarius regis test. Adamizo Jup. testis, Desina testis, Trodanus Jup. testis, Majus Judex testis, Præstantio Doda testis, Petrus Comerzarius testis, Candidus testis, Michifoves testis. Ego Adam (2) a prædictis donatoribus rogatu manu mea scripsi. 2

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXII. per indictionem septimam. Ego Petrus Jupanus de Sidraga cum fratre meo Slavizo pro remedio animarum nostrarum & parentum nostrorum vivorum, & defunctorum tradimus cœnobio S. Chrysogoni Martyris omnem terraticum quod possedit pater noster in loco qui appellatur Bravizo. Siquis autem hoc irritare temptaverit, quod cavet reperiat, quod vitat inveniat.

Actum est hoc in civitate Jadera præsente Petro Abbate, & his coram testibus Martino Commerciario teste, Sergio teste, Majo Cerneca testis, Neupras testis. Ego Adam rogatus a prædictis fratribus manu mea scripsi.

Notæ.

(1) Hic Andreas *filius Episcopi* forte Stephani filius erat, quem hinc cognoscimus uxorem ante Episcopatum duxisse; eaque vel vita functa, vel religiosam vitam agente in aliquo Virginum cœnobio viri consensu, Stephanus clericali militiæ nomen dedit, & ad regimen Ecclesiæ Jadertinæ postea evectus fuit.

(2) Idem hic & presbyter & monachus monasterii S. Chrysogoni, qui superiores tabulas scripsit, & tertias, quas adjicio.

Quartum adjungo alius donationis monumentum, & testem præterea miraculi ope D. Chrysogoni patrati, quo Posil quidam se se e captivitate ereptum testatur; isque grati animi pignus prædium *Meate* monasterio beatissimi Martyris dono dedit, quod hisce tabulis sartum tectumque tuetur.

Ego Posil filius Adam cognoscens in tribulationibus me positum divina misericordia visitatum S. Chrysogoni intercessione, & in die Natalitii hujus Martyris a vinculis liberatum, mea sponte salvo ductus consilio (1) die post mensem septimo IV. feria in Natali S. Andreæ Apostoli ad monasterium præfati S. Chrysogoni veniens ubi & excompeditatus fui; dono meam possessionem terræ quæ est juxta viam in Seovani in perpetua potestate habendi, & ut placuerit faciendi dicto monasterio; quam possessionem Sclavi Meates domos vocant, quæ paternaliter est mihi propria, in qua peccatis exigentibus neminem habeo participem, & per hujus cartulæ confirmationem subscribo. Quod siquis protervus meorum posterorum quidquam huic monasterio subtrahere voluerit, Dei Sanctorumque omnium habeat maledictionem. Terra illum velut Dathan & Abiron deglutiat, cum Juda gehenaliter mancipetur, & insuper quinque auri libras persolvat sic ut Rex medietatem, & monasterium aliam habeat, & mea meæ proprietatis denario firma perpetualiter maneat. Hoc factum est Jaderæ M.... (2) Præsulante, & Lampridio Priorante hic coram testibus prænuncupato Principe, & Priore teste, Desinna Judex testis. Vitazza Prior testis. Cando Prior testis, & universus clerus, & populus Jaderensis. Et ego G. G. Scriptor hujus cartulæ his interfui, & testis sum. 1 2

Notæ.

(1) *Die post mensem septimo*, ex quo scilicet captivus fuerat abductus, aut libertatem adeptus.

(2) Marcus ne, an Micha seu Michael notetur, conjici ex membrana non potest. Uterque est Episcopus Jadertinus, Marcus ante annum 1124. cui hoc anno suffectus fuit Micha sive Michael: in hæc tempora consignanda videtur chronologica nota hujus donationis.

Ac de D. Chrysogono in Episcopatu Jadrensi S. Donati recte animadvertit Farlatus, ignotum hactenus esse locum, ubi corpus S. Chrysogoni conditum sit: de hoc vero in hanc sententiam scribit Flaminius Cornelius in Tom. V. monum. Eccl. Venet. pag. 236. *Os in hac Ecclesia* (SS. Gervasii & Protasii) *asservatur S. Chrysogoni Martyris, cujus venerandum corpus, ut ex traditione acceptum est, Jadra delatum in hac Eccle-*

Digitized by Google

Ecclesia, cujus contitularis patronus ideo electus fuit, diu requievit: cum vero inter collapsæ Ecclesiæ ruinas confuso ordine res ageretur, eam nactus occasionem quidam Jadrensis civis Venetiis eo tempore degens noctu clam D. Chrysogoni corpus inter acervos lapidum delitescens collegit, Jadramque retulit, ubi adhuc maxima colitur religione.

Opinio de Episcopatu Præstantii II.

Nunc paullo inferius regredi oportet, ut de Episcopatu Præstantii II. quem Valerius a Ponte Ecclesiæ Jadertinæ Episcopum subjecit Andreæ itidem Antistiti Jaderensi anno circiter 1059. Nititur is auctoritate regii diplomatis a Cresimiro dati eodem anno, quod in Theodosio Episcopo Belgradensi habes descriptum Tom. IV. pag. 2. sed Valerio Farlatus repugnat; eæ autem rationes, quibus adducitur, ut Præstantium II. e catalogo horum Antistitum expungat, satis non esse videntur ad persuadendum. Nam, licet sententia Acuzonis Apostolicæ Sedis legati secundum monachos S. Chrysogoni rejici queat in annum 1059. ad exitum vergentem, vel in proximum ineuntem, id intelligi revera debet de promulgatione ejusdem sententiæ, quam prorogari necesse fuerit gravi quapiam de caussa: hinc Andreas Episcopus, qui ferendæ sententiæ testis interfuit, in tabulis promulgationis *Andreas quondam Episcopus* dicitur, quippe e vita jam excesserat: quare hoc anno 1059. potuit sane Præstantius Jadertinam sedem obtinere. At, inquit Farlatus, in diplomate Cresimiri mensis Februarius ejusdem anni consignatur, cum Maynardus, cujus nomen eidem diplomati inscriptum est, legatione Apostolica adhuc in Dalmatia fungebatur; propterea Acuzonis legatio postponi omnino debet huic mensi, & Andreæ Episcopatus ita ulterius produci, ut locus Præstantio II. nullus, nullum tempus regendæ Ecclesiæ Jadertinæ supersit. Et recte quidem, si cetera sibi constarent: video enim in regio diplomate Laurentium Antistitem Absorensem *Archiepiscopum Spalatinum*, in sententia vero Acuzonis eundem *a Spalatinis, & a cuncto Concilio Archiepiscopum electum* dici; igitur, si Laurentius Archiepiscopatum adierat mense Februario anni 1059. cur *electus* solummodo dicitur in tabulis Acuzonis, cujus adventu Archiepiscopatus sibi delati jura, & insignia, tum litteras Pontificias, & pallium ab ipso Acuzone receperit, ut in Tom. III. pag. 131. fuse narrat Farlatus? isthæc sane inter se non cohærent; utque Acuzonis sententiam rejicere non ausim, ita regio Cresimiri diplomati aliquid fidei videtur adimi, atque auctoritatis. Adde his maximam discrepantiam unius ab alio ex hisce monumentis in nota chronologica indictionis, quorum alteri decima, alteri tertia indictio inscripta est, & neutra congruit cum anno 1059. neque veri similitudinem habet, librarii errorem irrepsisse in utramque. Tum animadvertas velim, Joannem IV. Spalatensi Pontificatu se abdicasse anno jam inito 1059. & paullo post, *cum quidam Apostolicæ sedis legatus ad Ecclesiam Spalatensem accedens provincialem Synodum* coegisset, ut tradit Archidiaconus, in eo concilio *omnium mentes & vota in personam Vener. Laurentii Apsorensis Episcopi . . . . . .* convenerunt, *ipsum in Patrem & Archiepiscopum unanimiter proclamantes*: hic vero legatus, cujus nomen Archidiaconus reticet, is est Maynardus, ut recte conjicit Farlatus in *Illyrici Sacri Tom. V.* Tom. cit. pag. 129. ejusque in Dalmatiam adventum refert ad exitum anni 1059. aut insequentis initium; & cum negotia eidem concredita ejusmodi essent, ut haud brevem temporis moram sibi deposcerent (erat enim de usu linguæ Slavonicæ in rebus sacris definiendum, dissidiaque componenda profecto gravia de metropolitico jure inter Spalatensem & Diocletanum sive Antibarensem Antistites) quis non videt Maynardo multo longius Dalmaticæ commorationis tempus esse tribuendum, quam quod paucis mensibus possit contineri? quapropter Acuzonis legatio, & Andreæ Episcopatus ad dimidium saltem annum 1060. eoque inferius protrahi debet, quam velit Farlatus. Quæ autem caussa, cur legatus in Dalmatiam mitteretur? siquidem a Maynardo res probe compositæ fuerant; neque credimus, ideo in eam provinciam legatum unice fuisse, ut Laurentio pallium deferret; id enim negotii Spalatensibus legatis committi æquius fuit, qui Romæ aderant, ut de confirmanda Laurentii electione agerent cum Pontifice. Fallitur autem Farlatus, cum ait, nullum civem Jaderensem nominari testem in diplomate Cresimiri; extat enim nomen *Druse*, sive *Drase* filii *Præstantii Episcopi*, de quo mentio in Præstantio I. cive, & Antistite Jadertino. Neque Valerius satis se se tuetur, cum affirmet, Dragum quemdam, qui Præstantii Episcopi e filia nepos dicitur in monumentis Jadrensibus anni 1091. & 1093. non posse cum Præstantio I. conjungi adeo arcta sanguinis propinquitate; unde Præstantius, quem illa monumenta commemorant, alter sit hoc nomine Episcopus Jaderensis: etenim Præstantii I. Episcopatus initium habuit anno circiter 1018. ideoque tantum temporis superest, quod & filiæ, & nepotis ætatem commode eodem sæculo complectatur. Atque hisce in utramque partem perpensis, mihi certum fit, de Episcopatu Jadrensi Præstantii II. nihil posse tuto decerni.

Monumentum Jadrense regis Colomanni.

Gregorio Jadrensi Episcopo XVII. Colomannus regiis muneribus Jadertinam Ecclesiam, & universam Dalmatiam cumulavit; quod narrat etiam Farlatus ex dec. 2. lib. 5. non vero 1. Bonfinii; sed Andreas Dandulus clarius hæc in Annalibus scripsit: *Apud Jadram curiam tenens*, Colomannus, *Dalmatas in suis libertatibus & consuetudinibus conservare promisit, & Spalatinæ, Jadrensi, & Arbensi Ecclesiis pro unaquaque crucem unam contulit*. Extat sane Jaderæ in principe Ecclesia prædives opus nobili marmore elaboratum, *Ciborii*, ut ajunt, formam exhibens, & aræ maximæ impositum, quod majorum memoria traditum est, ab ipso Colomanno Jadrensi Ecclesiæ donatum fuisse: huic summo in vertice crux eminebat, & chronologica nota insculpta erat anni 1105. in hunc pæne modum:

M ✠ CV

qui annus est deditionis Jadrensis constitutus a Farlato.

Cum Lampridius Archiepiscopi dignitate primus regeret hanc Ecclesiam, exortum de prædio quodam dissidium inter Antistitas, Uraniam Platoniani, Scemosam Mariani monasterii ipse composuit, lata secundum Scemosam sententia, quam Farlatus describit pag. 59. sed cum tabulas omiserit, quarum testimonio freta Scemosa prædium illud sibi jure vindicabat, eas lubet proferre, quippe quæ & ab ipsa Scemosa

mosa in Lampridii sententia citatæ sint, & donationem prædii, de quo lis erat, aperte confirment.

Donatio Petri Semiviti monasterio S. Mariæ, *Ego Petrus Semiviti filius una cum filiis Ctina, & omnes mei propinqui donamus pro animabus nostrorum parentum, & pro salute nostra, & nostrorum successorum cœnobio S. Mariæ Ecclesiam, quæ est in Bracsizo dedicatam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, & cum omni territorio nostro incipiente a territorio S. Chrysogoni ex utraque parte descendentem usque ad rivum, & ex alia parte rivi ascendentem usque ad silvam juxta territorium S. Nicolai, excepto quasdam terrulas, quæ est in medio S. Chrysogoni, ut habeant, & possideant in perpetuum. Siquis hoc nostrum factum frangere præsumpserit, maledictionem Dei incurrat, & secundum morem terræ satisfaciat. Actum est hoc coram horum nobilium præsentia, videlicet . . . Jadertini Episcopi, & Drago Prioris, atque Madio Judicis, necnon Slavizi Tregnani, & aliorum nobilium. Et ego presbyter Martinus capellanus interfui, scripsi, & testis sum.*

Alius sententiæ auctor fuit Lampridius cum Dominico Mauroceno Jadræ prætore in controversia, qua de fundo Petrizani contendebant Damania quidam, & Rolanna Antistita ejusdem monasterii S. Mariæ; cumque juramento obstringi se se Damania abnueret, ut fundum sui juris esse fateretur, Lampridius agrum Rosannæ, quæ fidem suam sacramento probaverat, & Mariano cœnobio adjudicavit.

& Lampridii Archiepiscopi pro eodem monasterio sententia, *Anno Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi MCLXXIV. quartodecimo die mensis Novembris Indictione VIII. Jaderæ temporibus equidem Sebastiani Ziani Ducis Venetiæ, & Lampridii Venerabilis Jadertini Archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni ejusdem civitatis Comitis. Divina providentia ideo Principes & judices in mundo constituuntur, ut prava corrigant, & quæ justa videntur legaliter examinantes ad rectum deducant tramitem. Igitur nos quidem Lampridius Dei gratia sanctæ Jaderensis Ecclesiæ Venerabilis Archiepiscopus & Dominicus Maurocenus Comes egregius, dum in nostræ civitatis platea resideremus una cum nostris judicibus Chrysogono filio Zavarelli, Votivara Bergulli, & David Grubinisce, atque Consulibus Petrizo Michaelis Pancæ, Gregorio Coce, Dimitrio filio Sanæ de Spirco, ac Micha Petrici, multisque aliis nobilibus justitiam pertractantes, & unicuique eam poscenti legaliter diffinientes, tunc venit ante nostram præsentiam Damania filius Zigali cum filiis ser Jacobo, & Joanne, & filiis Vitale Petrizo, & Lampridio Maldenacio, Petrissa filio . . . re, Lampridio filio Bogdani & conquerebantur se adversus Rosanam Abbatissam S. Mariæ de illa terra quæ permanet juxta Ecclesiam Sancti Vigilii in loco qui dicitur Petrizani a mari usque ad rivum, & a rivo usque ad burgum quemadmodum vadit usque ad alium rivum, suamque esse dicebant; Nos vero prænominatus Archiepiscopus Lampridius, & Dominicus Maurocenus Comes cum Damiano filio Sloradi Prodano Karaticæ Madio Joanni Greci multisque aliis nobilibus, & cum ipsismet euntes vidimus dictam & assignatam terram, & post Jaderam sumus reversi. Nam & prænominati nostri judices & consules justo legis judicio decreverunt ut dicta Abbatissa Rosana cum tribus sanctis monialibus juraret, quod dicta terra sua foret; & si Damania Zigali cum duodecim suis propinquis secundum quod dicebat juramento vellet firmare, præscriptam terram acciperent; qui penitus jusjurandum spernentes illud sæpedictæ Abbatissæ Rosanæ dederunt, cui namque coram nobis jurans assignatam & prædictam terram dedimus, & hæc nostræ dijudicationis pagina in sua semper maneat firmitate,*

Ego Lampridius D.G. Jadræ Archiepiscopus.

Ego Dominicus Maurocenus D. G. Jadræ Comes testis. Ego Grisogonus judex testis. Ego Voticara judex testis. Ego David judex testis. Ego Petrizo Michael Pance testis. Et ego Gregorius Coce testis. Ego Dimitrius MM. testis. Ego Micha Petrici MM. testis. Ego Matheus S. Anastasiæ subdiaconus Jadrensis notarius jussu curiæ scripsi, roboravi, & consueto signo signavi.

Lampridio suffectus est Thebaldus anno circiter 1177. de quo hæc in Annalibus Camaldulensium ad an. 1177. *Thebaldus ex Priore monasterii Fontis-Avellanæ, suscepto regimine Ecclesiæ Eugubinæ anno 1160. post mortem Ubaldi sanctissimi Episcopi, per aliquot menses tanquam electus præsedit ei Ecclesiæ: inde secedens sive malevolorum factione, sive ne cum schismaticis Episcopis participaret, locum fecit Bonacto, & Bonacti successoribus Episcopis vel pristinam suam Font-avellanensem solitudinem petens, vel episcopali bonore contentus privatam vitam agens, vel demum mortuo aut exturbato Bonacto, rursus post annum 1163. accitus ab Eugubinis ad ipsorum Ecclesiam regendam*: quod postremum vero videtur similius; quippe Thebaldus expetitus fuit Archiepiscopus ab Jadrensibus, cum adhuc regeret Eugubinam Ecclesiam, ut Farlatus suo loco notavit, cui tamen monastica vita Thebaldi ante Episcopatum ignota fuit. De Thebaldi Episcopatu & sanctitate judicium. Subdunt præterea Camaldulenses sententiam Ughelli de Episcopatu Thebaldi, quam, uti Farlatus, & ipsi recte rejiciunt; etenim, inquiunt, *jam constat ad Jaderensem Ecclesiam ipsum transisse*; quo ipsorum testimonio, ceterisque a Farlato adductis monumentis omnis dubitatio adimitur, utrum *solidæ sint conjecturæ de ipsius translatione ab una ad alteram Ecclesiam*: ut ad annum 1190. scribitur in Annalibus laudatis; atque inde de Thebaldo judicium ab eruditissimo viro P. Sartio prolatum duximus huic loco inferendum. *Miratur Sartius scriptorum complurium bonam fidem, qui Theobaldum Jaderensem Archiepiscopum Beati, immo Sancti titulo ornatum volunt; quorum aliqui sanctum ejus corpus in cathedrali Eugubina Ecclesia, cujus fuerat Episcopus ante translationem ad Jaderensem, religiose adservari subdunt, atque ut annum ipsius emortualem assignant eum fere, quem Ughellius astruit, nempe 1170. ita & ejus obitum in diem 20. Februarii conjiciunt. Inter quos totus est Jacobillus in extollenda ipsius sanctitate, quam non ex alio fonte haurit, nisi quod Theobaldus scriptis tradiderit vitam S. Ubaldi antecessoris sui. Quibus reponit Sartius, nullum Theobaldo cultum Eugubii adhiberi, nullam ipsius corporis memoriam extare, nullas tabulas, nullum monumentum, nullumque idoneum auctorem occurrere ad ejus sanctitatem comprobandam; idque unum verissime posse de Thebaldo dici, dignum ipsum judicatum fuisse a S. Ubaldo, qui ei in Episcopatum succederet. Cur enim tam sæpe affirmasset Ubaldus, eum recturum esse Eugubinam Ecclesiam, nisi tali eum munere dignissimum putaret? Quæ omnia asserit Sartius etiamsi in dubium revocaret aliquis, an unquam*

Theo-

Digitized by Google

Theobaldus ex Eugubina ad Jaderensem Ecclesiam fuerit evocatus. Si vero solidæ sint conjecturæ de ipsius translatione ab una ad alteram Ecclesiam, honorem profecto in hac postrema obtinuit. Anne, qui Theobaldo sanctitatis laudem tribuunt, ipsum confundunt cum Theobaldo, seu Theudaldo altero Episcopo Eugubino, quem pariter faciunt Avellanensem monachum, quique vixit sæculo antecedenti temporibus S. Petri Damiani? cui illorum conjecturæ facile assentior, cum neque in Jaderensi Ecclesia ullum sanctitatis, cultusque honorem obtinuerit: quin, ut dies, & annus, quibus vita excessit, ipse sepulchri locus penitus ignoratur.

De Leonardo Archiepiscopo.

Thebaldi successor Leonardus monasterium S. Felicis regebat Venetiis ante susceptum Jadrensem Archiepiscopatum, ut notat etiam Farlatus. Monasterium hocce in insula Amiani situm fuit, quæ in Venetis æstuariis haud ab Altino procul *multis referta erat Divorum Ecclesiis*, inquit Flaminius Cornelius in monum. Eccl. Torcellanæ part. 3. cujus auctoritate hæc de Leonardo adjicimus suismet verbis. *Innocentius III. cœnobium S. Felicis de Amianis sub Apostolicæ Sedis protectione suscepit anno MCIC. die XVI. Novembris amplissimis ad Leonardum Abbatem datis epistolis, in quibus bona ab ipso cœnobio tunc temporis possessa singillatim enuntiantur, eique Pontificia auctoritate confirmantur.* Meminit Leonardi etiam scriptor vitæ Innocentii III. apud Raynaldum in Tom. I. Annal. an. 1206. *Defuncto apud Constantinopolim Henrico Dandalo, Petrus tyrannus* (Petrus Zianus) *apud Venetias est promotus in ducem; qui Abbatem S. Felicis de Venetiis eligi fecit in Archiepiscopum Jadertinum, & auctoritate Patriarchæ Gradensis confirmari, & consecrari, mittens sollemnes nuncios ad summum Pontificem pro pallio impetrando, quod ei altera vice fuerat denegatum.* Hunc igitur Leonardum Jadertinæ Ecclesiæ præfecit Petrus Zianus, Jadertinis ipsis poscentibus, ut asserit Farlatus; sed, pergit Anonymus scriptor, Innocentius *memor offensæ, quam in destructione Jaderæ Veneti commiserunt, taliter ei* (*Petro Ziano*) *Dominus Papa rescripsit.* „ *Apostolicæ servitutis officium laudabiliter exercemus, si juxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia . . . Non ergo duritiæ imputetis, sed vestræ ascribatis offensæ, quod preces, quas pro pallio destinando Abbati S. Felicis, quem vos Jadertinum appellatis electum, per præfatos nobis nuncios porrexistis, non duximus admittendas, quia, cum ex iis, quæ per vos acta sunt contra Jaderam, nimis contra nos scandalizatus sit populus Christianus, noluimus propter vos aliquid agere circa Jaderam, pro quo amplius scandalizari possit contra nos Ecclesia generalis, quod utique fieret, si ad petitionem vestram ei pallium largiendo absque omni satisfactione factam remisisse videamur offensam . . . Dat. Ferentini non. Aug. anno nono*, idest 1206.

Duæ tabulæ cessionis monasterii S. Platonis factæ PP. Dominicanis.

Cum anno 1228. Patres Dominicani Jaderam accersiti angustiores ædes obtinuissent, quam & Fratrum numero, & incolarum ad apostolica eorumdem ministeria frequentiæ satis esset, tandem sub Laurentio Archiepiscopo Ecclesia, & monasterium S. Platonis illis ultro concessa fuit anno 1248. ab virginibus ibidem degentibus; cujus cessionis tabulæ a Farlato omissæ hujusmodi sunt.

In Dei æterni nomine amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. Christi 1248. mense Junii die 16. intrante Indictione 6. Jadræ in præsentia subrogatorum testium quorum nomina inferius inseruntur, Bona Abbatissa Monasterii S. Platonis de Jadra præsentibus, & consentientibus monialibus suis sororibus ipsius monasterii sponte, libere, & absolute resignavit ipsam Abbatiam, atque locum ipsum cum horto & omnibus adjacentiis suis circa monasterium prout ipsa possidebat, & omne jus eis competens in eisdem, vel aliquo casu competere posset, in manibus Laurentii D. G. Jaderensis electi, & ejus Capituli, dicens, quod tam de Abbatia quam de ipso loco seu monasterio & ipsius adjacentiis facere & disponere secundum suæ arbitrium voluntatis, renuncians litteris impetratis, & impetrandis appellationibus factis & faciendis & omni juri atque constitutioni, defensionis & legum auxilio & omni privilegio, quibus in hac parte se defendere posset; quam cessionem, seu resignationem præfatus D. Laurentius electus una cum Capitulo suo ad hoc convocato acceptavit & approbavit ibidem providens ipsis in continenti de alio loco decenti. Ad cujus rei perpetuam firmitatem nos prædictus Laurentius electus sigillo nostro & Capituli Jadratini præsens scriptum fecimus communiri. Actum est hoc & confirmatum coram his vocatis & rogatis testibus scilicet D. Nicolao Abbate S. Grisogoni, Marino de Calcina & Petro fratre Bene presbyteris S. Petri novi de Jadera & aliis multis.

Ego Petrus Scand. &c.

Extant præterea tabulæ, quibus idem Laurentius Archiepiscopus eodem anno testatur, se Platonianas ædes Patribus Dominicanis tradidisse consilio, jussuque Jacobi Theupoli Ducis Venetiarum, & Leonardi Quirini Patriarchæ Gradensis; cum anno ante ipse Theupolus litteras dedisset Dominico Laurentii decessori, ut locum opportunum ad cœnobium, & templum Dominicanæ familiæ ædificandum seligeret.

In nomine Dei æterni amen. Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 1248. mense Aprilis die octavo intrante Indictione 6. Jadræ in præsentia subrogatorum testium, quorum nomina inferius inseruntur. D. L. D. G. S. Jadrensis Ecclesiæ electus taliter in scriptis pronunciavit dicens.

Nos Laurentius D. G. S. Jadrensis Ecclesiæ electus universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, in Christi sanguinis aspersione salutem. Universitati vestræ præsentibus innotescat quod cum viri religiosi . . . ordinis Prædicatorum jam dudum per Venerabilem Patrem bonæ memoriæ Dominicum Francum prædecessorem nostrum, necnon clerum & populum Jadertinum ad ipsam civitatem liberaliter advocati propter diversos eventus, qui ibidem accidere, locum suo ordini congruentem non fuissent hactenus assecuti, & hoc scientes illustris vir Jacobus Theupulus D. G. Dux Venetiarum ac Venerab. Pater L. Quirinus eadem gratia Gradensis electus & Dalmatiæ Primas nobis suas litteras transmisissent preces & mandata continentes ut eisdem Fratribus in loco competenti & honesto infra muros civitatis providere deberemus. Nos attendentes eorumdem fratrum præsentiam nobis & populo Dei esse perutilem eo quia incorruptum legis lumen sæculo præbeant verbo prædicationis & exemplo, necnon prædictorum virorum illustrium Ducis scilicet & Patriarchæ preces exauditionis gratia privari non debere, de

de bona voluntate nostro consilio, & assensu totius Capituli nostri Comitis Consiliariorum fundatorum ac civium aliorum Ecclesiam S. Platonis, in qua paucæ moniales residebant cum domibus, horto, & certis circumadiacentiis ad monasterium pertinentibus in giro prout ipsæ possidebant ipsis sponte cedentibus & renunciantibus omni juri & actioni, quæ tam Abbatissæ quam monialibus nomine monasterii competebat vel competeret in futurum, ipsaque Abbatissa quæ pro tempore fuerat cum suis monialibus de mandato & voluntate D. Patriarchæ decenter & honeste prout commodius fieri poterat alibi collocatis & locum pro loco competenti assecutis ut ex tali translatione nihil possit Ecclesiæ matri ex parte monialium diminui vel deperire quæ debite recipere consuevit, prædictis fratribus Prædicatoribus contulimus perpetuo possidendam.

Verum quia locum effluentiæ largitatis requirit influentia gratitudinis ut illic se dirigat gratiarum actio ubi beneficiorum se extulit magnitudo, jam dicti Fratres nobis renunciantibus omni juri qui in eodem monasterio videbamur habere & præcipue correctioni, visitationi, procurationi, cathedratico, & similibus, singulis annis in festo S. Anastasiæ nobis solvent quinque libras incensi & duos cereos quorum quilibet libram ceræ continebit, & duas angastarias vini puri liberaliter & devote, & ut omnis processus malignandi penitus auferatur & Fratribus quies contemplationis augeatur, præsentes litteras nostri sigilli & Capituli munimine roboratas eisdem duximus concedendas. Actum est hoc & confirmatum coram his testibus vocatis & rogatis scilicet D. ... Justiniani Comite Jadræ, Johanne Gradonico & Matheo Cornario consiliariis, Marino Bono milite dicti Comitis & aliis multis.

Ego Petrus Scandolarius presbyter S. Apollinaris Jaderæ notarius his prædictis interfui rogatus, ut audivi hanc cartam scripsi & signo consueto signavi.

Initia Archiepiscopatus Laurentii, & pontificiæ ad eum litteræ.

Hic autem corrigenda Farlati, atque Ughelli opinio de initiis Archiepiscopatus Laurentii: cum tabulæ Patriarchalis archivi Venetæ Ecclesiæ anno 1245. descriptæ, queis Petrus Pino Castellanus Antistes cuidam Joanni presbytero SS. Trinitatis Ecclesiam D. Marci de Baruto attribuit, & a Cornelio editæ in Dec. XVI. monum. Eccl. Ven. part. 2. pag. 225. præferant Laurentium hoc anno Archiepiscopum renunciatum fuisse: *In Nomine Dei æterni amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1245. mensis Februarii die 13. Indict. IV. &c. In cujus rei testimonium præsens instrumentum nostri sigilli munimine jussimus communiri, præsentes fuerunt D. Magister Laurentius electus Jadrensis &c.* Igitur huic anno initia affigenda Archiepiscopatus Laurentii; cui etiam scriptæ fuerint litteræ Innocentii IV. quas protulit Farlatus in Dominico Laurentii decessore pag. 76. Ad eundem Laurentium spectant hujus Pontificis aliæ litteræ, quas, Lugduni cum esset post absolutum hoc anno 1245. Concilium, ad Spalaten. Jadren. Raguf. Metropolitas misit, atque ad provinciales illorum Episcopos; iisque B. Diaconum Cardinalem legatum ad partes Dalmatiæ commendat, & ut eum reverenter excipiant, ejusque monitis ac præceptis obtemperent, hortatur: hac vero de re fusius in historia Ecclesiæ Ragusinæ.

Confirmatur Jadrensibus possessio corporis S. Simeonis.

Contigit per hæc tempora translatio corporis S. Simeonis Prophetæ ad urbem Jadertinam, cujus possessione jure gloriantur Jadrenses cives; & Farlatus cum in Laurentio Archiepiscopo, tum aliis in locis omnia fuse accurateque argumenta congessit, quæ certissimam rei hujusce vindicant veritatem. Hæc si animo evolvisset scriptor quidam, qui edito libro adversus Jadrensem Simeoniani corporis translationem disseruit, neque sibi illaudatam inussisset notam, neque Jaderensium in se commovisset indignationem. Extant Anonymi litteræ, quibus is illius scriptoris argumenta solide, eruditeque refellit; sed in hoc leviter errasse mihi videtur, quod in testimonio ex Codini *Excerptis* allato Θεοτόχου vocabulum Simeonis nomini adjectum a Codino pro *Theotochi* cujuspiam martyris nomine acceperit. Mirortamen, Flaminium Cornelium illustrem profecto & genere & eruditione virum Jaderensem S. Simeonis translationem unius *traditionis* testimonio innixam credidisse. Tuetur ipse antiquam fidem, atque opinionem, qua creditur corpus S. Simeonis Prophetæ in ecclesia conditum esse ejus nomini, cultuique Venetiis dicata anno 967. sed si Danduli testimonium excipias, de quo inferius, quodnam Venetæ translationis rationum momentum affert, quo veram esse, tutamque existimemus, præter inscriptionem a Bartholomæo Ravachalo ædis Simeonianæ Antistite quatuordecim supra centum post annos ab transvectis Venetias Simeonis reliquiis insculptam arcæ marmoreæ, ubi sacrum corpus inclusum fuit anno 1318.? hujus vero auctoritas, quo alio nititur monumento, nisi vulgata populi opinione, & fama? dum cetera interea desunt, quæ Jaderensium possessionem suffulciunt, atque confirmant. Neque Andreæ Dandulo major adhibenda fides, quippe qui chronicon scripserit sæculo XIV. & num ex popularium voce, num ex litteris, monumentisque suam narrationem hauserit, incertum omnino est, quam Carolus du-Cangius in lib. 4. Constantin. Christ. ff. 1. ex eo reprehendit, quod corpus S. Simeonis in æde Constantinopolitana S. Jacobi Minoris conditum erat, unde Venetias transferri debuit, non *de oratorio S. Mariæ adhærente Ecclesiæ S. Sophiæ*, ut Dandulus tradit: quare ff. 5. subdit Cangius; *S. Jacobi ædem juxta Chalcopratianam exædificavit Justinus Junior Imperator, in qua extitere reliquiæ SS. Innocentium, S. Simeonis, S. Zachariæ Prophetæ;* fretus scilicet Codini auctoritate, qui in Excerpt. de origin. Cp. cap. de ædific. testatur, S. Simeonis Prophetæ reliquias in Ecclesia S. Jacobi extitisse; *ἔνθα εἰσὶν ἐν σοροῖς λείψανα τῶν ἁγίων νηπίων, Συμεὼν τοῦ Θεοτόχου* &c. Scio in Menæis ad diem 2. Februarii hæc legi: *Celebratur festus dies SS. Simeonis & Annæ Prophetissæ ἐν τῷ σεπτῷ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, τῷ ὄντι ἐν τῷ σεβασμίῳ ναῷ τῆς ἁγίας Θεοτόκου, πλησίον τῆς ἁγιοτάτης μεγάλης Ἐκκλησίας:* quibus innuitur, ædem D. Jacobo sacram sacellum potius fuisse Marianæ ædi interius exteriusve adjectum a Justino, ubi ea Divorum lipsana condi jusserat: ædes autem Mariana proxima erat *Magnæ Ecclesiæ*. In hanc sententiam forte pendet animo etiam Bandurius in Antiq. Constantinop. Tom. 2. sed obscurus verborum sensus videtur: quippe ædem Deiparæ Chalcopratianam minime distinguit ab eo loco, quem *ἁγίαν σορὸν* appellant Græci scriptores, seu sacrum *Conditorium* a Justino, ut ferunt, ædificatum: tum prope *ἁγίαν σορὸν* templum Divi Jaco-

Digitized by Google

Jacobi extitiſſe affirmat Menæorum auctoritate, quæ tamen illi pótius adverſatur: demum ἐν τῇ σορῷ ea Divorum corpora collocat, ſcilicet *in ſacello ipſi Eccleſiæ* D. Jacobi *proximo ac contiguo*, ut Marianæ ædi prope aderat *ſacrum conditorium* Chalcopratianum. Verum hæc hujuſmodi ſunt, quæ Danduli errorem minuere quidem poſſunt, immo etiam auferre, nihil vero addunt hominis auctoritati, quo Venetæ Simeoniani corporis translationi fides adjungatur. Equidem corporis S. Simeonis Hieroſolyma primo delati Conſtantinopolim extat memoria in Martyrologio mſ. Arabo-Ægyptio in latinum ſermonem converſo ab Gratia Simone Maronita, ubi Kalendis Decembris notatur *ſollemnitas translationis corporum S. Jacobi fratris Domini & SS. Simeonis & Zachariæ;* quæ uno eodemque in loco ſepulta fuerant, ut ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 1. mirac. cap. 7. *ſepultum*, ſcilicet S. Jacobum, *in monte Oliveti, in memoria, quam ipſe ſibi prius fabricaverat, & in qua Zachariam ac Simeonem ſepelierat*, ante nimirum, ut ego reor, quam Epiſcopus Hieroſolymitanus creatus eſſet; niſi *ſepulturam* pro *translatione ad aliud ſepulcrum* hic velis aptius intelligi. Idem aſſerit Arculphi Epiſcopi teſtimonio, qui ſacra Paleſtinæ loca inviſerat, Adamnanus Scotus ſæculi VII. ſcriptor in lib. de loc. Terr. Sanct. cum ait, *De rupe exciſa, & ſeparata montis Oliveti, in qua intrinſecus ferramentis cavata duo monſtrantur ſepulchra, ſine aliquo ornatu: quorum unum illius Simeonis Juſti eſt, qui infantulum Dominum Jeſum in templo ambabus manibus amplexus de ipſo prophetavit*. Sed Arculphi, & Adamnani ætate vacuum erat ſepulchrum, ſiquidem Conſtantinopolitana ſacri corporis translatio facta eſſe videtur ſæculo VI. cum ſanctis hiſce exuviis excipiendis locandiſque templum exſtruxere Juſtinus Junior & ejus uxor Sophia Jacobi Minoris titulo inſigne: nam laudatus Codinus ipſi Juſtino, ac Sophiæ erecti templi laudem attribuit: *Idem Imperator*, Juſtinus, qui Chalcopratianam ædem ædificaverat, *Eccleſiam S. Jacobi extruxit, ubi in ſuis conditoriis aſſervantur reliquiæ SS. Innocentium, & Simeonis Theodochi, & Prophetæ Zachariæ, & Jacobi τοῦ Ἀδελφοθέου*. Igitur uno, ac eodem tempore translata, uno itidem, ac eodem in loco tria hæc corpora condita fuerunt, in templo nimirum S. Jacobi Minoris; unde vel clam ſurreptæ, vel a Græcis templi cuſtodibus divenditæ Simeonis reliquiæ, dum fides interea penes populares ſtetit ſacrum corpus adhuc in ſuo loculo ſervari, Jaderam felicibus auſpiciis appulerunt. Sane, ſi de Simeoniano integró corpore intelligantur verba Codini, æque de Veneta, ac Jaderenſi translatione actum omnino eſſet; cum, ſive Cantacuzeno, ſive poſtremo Conſtantino Imp. vixerit, ejus ætas incidit in ſæculum XIV. aut XV. poſteaquam hujus corporis exuviæ Conſtantinopoli fuerant avectæ: quare aut veſtium, aut etiam exiguas ejuſdem corporis particulas ibidem extitiſſe oportet, quarum meminit Codinus; integri autem corporis veritas cujuſque oculis manifeſta patet, qui Jaderam ejus viſendi, colendique cauſſa adeat. Hiſce adde Nicolai de Malerbio auctoritatem ſane graviſſimam: hic Venetus civis, & monachus Camaldulenſis cum opus de vita Sanctorum a Jacobo de Voragine ſcriptum in Italum ſermonem verteret, Jacobi teſtimonium de Simeoniano corpore ita eſt interpretatus, ut ne ullo quidem verbo ejus ſententiam in dubium revocaret: ita vero Jacobus de Simeone teſtatur; *Perfectis omnibus juxta legem . . . Simeon poſt diem tertium obdormivit in Domino, & ſepultus fuit Hieroſolymis: ſed ejus corpus Jadræ integrum perhonorifice conditur*; quæ ex Malerbii verſione huc tranſtulimus: ſive autem Jacobus id revera ſcripſerit, ſive additamentis ab aliquo ſcriptore inſertum ſit, quibus Jacobi opus auctum fuerat, mirum profecto eſt, Nicolaum, qui Venetiis ortus prope eam urbem in inſula Muriani florebat ſæculo XV. doctrinæ & eruditionis fama merito illuſtris, cum Jacobi libros in Italicam linguam converrit, quique Venetæ urbis monumenta, & veteres hiſtorias probe callebat, nihil omnino Jacobi objeciſſe ſententiæ, quo patriæ ſuæ beatiſſimi corporis poſſeſſionem ſervaret. Sauſſajus in Martyrologio Gallicano ad diem octavum Octobris liberrime affirmat, *S. Simeonis brachium, quo Chriſtum amplexus eſt, a Carolo Magno . . . Aquiſgrani in Baſilica ipſi glorioſo Regi dilectiſſima almæ Dei Genitricis collocatum, a Carolo Calvo ejus nepote ex nobilis ædis ſacrario depromptum ad cœnobium regale ſancti Dionyſii prope Auguſtam Lutetiam perpetuo honore colendum magna devotione delatum eſſe . . . Ceterum alterum S. Simeonis brachium dudum in Liſbornenſi Abbatia Ordinis Benedictini Monaſterienſis diœceſis conditum integrum illic ſervatum fuit, donec dimidia ejus pars ab illius loci Abbate dono data Alberto, & Iſabellæ Archiducibus in Belgicam Galliam advecta, & condigna reverentia in ſacrario Bruxellenſi repoſita eſt, ubi hactenus pie & devote adſervatur. At vero reliquum tanti Beati corpus in Baſilica Metropolitana Jaderenſi quieſcit, quæ urbs eſt, & inſula Venetorum in Liburnia*. Sed ex iis, quæ in medium attulimus, error Sauſſaji facile deprehenditur; & præterquamquod conſtat, corpus S. Simeonis in ea æde ab Jadrenſibus præcipua coli veneratione, cui ab ejus nomine titulus inditus eſt, miror ſane, eruditiſſimum Ordinis Benedictini ſcriptorem Mabillonium ſilentio præteriiſſe hocce adeo pretioſum Caroli Calvi munus, cum ejus donaria Dionyſiano templo collata diſtincte enumerat in Tom. 3. Annal. Benedict. lib. 37. cap. 100. hiſce verbis; *In altare S. Trinitatis . . . tria ſanctorum brachia collocavit, nempe Jacobi fratris Domini in medio, ſancti Stephani martyris a dextris, & ſancti Vincentii a ſiniſtris;* & in Tom. 6. ubi de Liſbornenſi monaſterio ſcribit, ne verbo quidem uno innuit S. Simeonis brachium illic extitiſſe: quamvis haud negaverim in Tom. V. Scriptorum Hiſt. Franc. pag. 288. vetus *Fragmentum de vita Ludovici VIII.* editum fuiſſe, in quo narratur, Ludovicum adhuc puerum, & gravi morbo affectum *ad tactum ſacri clavi, & ſpineæ coronæ Domini, & brachii ſancti Simeonis per totum ventrem in modum crucis*, eodem die fuiſſe *ab imminenti periculo* liberatum: cum antea communi procerum conſilio decretum fuiſſet, *quod Conventus beati Dionyſii jejuniis & orationibus devote præmiſſis, portans ſecum clavum & ſpineam coronam Domini, & brachium ſancti Simeonis ſenis, cum proceſſione cleri & populi nudis pedibus incederent*. Fama quidem populari vulgatum fuit, Carolum Magnum ſacris Simeonis reliquiis donatum a Græcis fuiſſe, & Dandulus rei hujuſce memoriam retulit in Chronicon; *Indicto ergo triduano jejunio &*

pera-

peracta litania Carolus obtinuit Coronæ & signi crucis partem . . . & brachium senis Simeonis, quas rediens in capella sua Aquisgrani deposuit: at ingenue fateor, cum Tom. 2. Annalium Francorum diligenter evolverem gesta Caroli Magni complectentem, cum in ejus vita ab Eginhardo descripta aliquod facti monumentum perquirerem, nihil licuit invenire, quod vel levem veritatis suspicionem Danduli testimonio attribuat; in Synopsi tamen vitæ Caroli Magni ab anonymo scriptore exarata sæculo XII. & a Bollando producta ad diem Januarii vicesimam secundam quinque capita comperii lib. 2. quibus Caroli Magni cum Constantino Græcorum Imperatore colloquia proponit, hujusque sacra munera innuit Carolo oblata: sed Caroli Magni iter Constantinopolitanum omnino confictum est, & inter cetera *a turpi Turpino* depromta, ut ait Bollandus, rejiciendum; cum interea Anonymus ipse Simeoniani brachii munus silentio prætereat. Alterius S. Simeonis brachii reliquiæ coli dicuntur in Ecclesia Virginum Liguriensium Petragoricensis diœcesis in Gallia: idque testantur litteræ Petri Episcopi Petragoricensis scriptæ anno 1263. quas hic ex Tom. 2. Gall. Christ. subjicio. *Venenabili in Christo Patri Pontio Dei gratia Xantonensi Episcopo, & Venerabilibus viris Decano & Archidiacono ejusdem Episcopatus, Petrus ejusdem miseratione Petragoricensis Episcopus salutem & sinceram charitatem in Domino. Per præsentes litteras vobis facimus manifestum, quod brachium S. Simeonis pro certo creditum esse in Abbatia de Ligurio nostræ diœcesis, & quod ibi fuit allatum de Constantinopolitana civitate, prout a viris intelleximus fide dignis: & dum Almoicis Venerabilis Abbatissa ejusdem loci, de cujus vita, & moribus vobis laudabile testimonium perhibemus, quæ modestissime a pueritia sua in dicta Abbatia vixit, dictum brachium per vestram diœcesim portare secum proponat, & se transferre ad partes vestras, fidelium eleemosynas petitura, discretionem vestram affectuose rogamus, quatenus Abbatissæ eidem vestras litteras, & indulgentias ad inferiores prælatos & capellanos vobis subjectos pro necessitatibus monasterii sui misericorditer concedatis, & eam in suis justis & honestis petitionibus audiatis; tantum inde facientes, si placet, quod dicta Abbatissa preces nostras in iis, quæ ad nos pertinent, apud vos sibi sentiat fructuosas. Datum die Lunæ post Invocavit me. Anno Domini M.CC.LXIII.* Verum quinam hic Simeon fuerit, litteræ non indicant; & Simeoniani corporis integritas adeo est conspicua, & piæ ceteroquin hujuscemodi opiniones rejici facile queant; hinc utor Farlati verbis, cum in partibus Orientis plures alii fuerint sanctitatis excellentia celebres viri, quibus Simeonis nomen fuit, quibusque titulus, cultusque Divorum attribuitur, ex his ii fuisse videntur, quorum brachia alio translata Christiana religione coluntur.

De Andrea Gausono Archiep. Andream Gaussonium Archiepiscopum Jadrensem electum antea Canonicum Patavinæ Ecclesiæ fuisse autumat Farlatus. Sed revera fallitur, cum in monumentis paullo inferius subjiciendis idem & *Canonicus Ecclesiæ S. Marci de Venetiis, & Jadrensis electus* nominetur. Cum de adeunda Ecclesia Jadertina adhuc dissidium perstaret anno 1290. Venetiis degebat; eique a F. Marino Priore monasterii Tarvisini SS. XL. mandatum est, ut sententias, quas ipse Judex *delegatus* a Nicolao IV. confirmaverat secundum monasterium Venetum S. Salvatoris, exsequeretur. Litteras Marini ad Andream habes descriptas in Supplem. monum. Eccl. Ven. pag. 138. quarum hoc est initium: *Ven. in Christo Patri D. Andreæ Causono Dei gratia electo in Archiepiscopum Jadrensis Ecclesiæ . . . F. Marinus Prior &c. Dat. Tarvisii die Jovis III. intrante Novembris;* quibus ab Andrea acceptis, illico monasterium & Canonicos S. Salvatoris in possessione jurium suorum juxta Marini sententiam constituit; ut probant tabulæ in eodem Supplem. vulgatæ pag. 141. *Anno Domini MCCLXXXX. Indictione III. die Sabbati IV. intrante Novembris præsentibus Damiano Canonico Jadrensis Ecclesiæ . . . Ibique Ven. viri D. Andreas Causono Canonicus Ecclesiæ S. Marci de Venetiis electus in Archiepiscopum Jadrensem &c.* quo intelligimus Andream hoc etiam anno 1290. Archiepiscopi electi nomen retinuisse.

Anno 1306. cum Cardinalis Neapoleo Clementis V. vice, ac legatione fungeretur in Italia, Patres Franciscani *Minores* dicti, qui illius curæ ac tutelæ se commiserant, ab eo litteras obtinuere, quibus jussum est, ut alius cœnobii ædificationi extra urbis muros, quam Cosa Paladinus testamento legaverat, initium darent Jaderenses; ita enim legi in vetusta membrana ex archivo Fratrum *Minorum de Observantia* descripta: *Anno 130. . . . Clementis V. anno II. mandatum est a Cardinali Neapoleone Diacono Legato Apostolico, ut executioni mandaretur testamentum Cosæ Paladini, qui ex bonis a se relictis disposuerat, ut monasterium, sive hospitium pro octo FF. Minoribus construeretur, & substantaretur extra mœnia patriæ suæ Jadræ; idque tempore F. Jacobi Dei, & Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopi Jadertini.* Sed litteræ Legati, nescio quam ob caussam, irritæ fuerunt. Extat tamen aliud Neapoleonis diploma eodem anno iisdem Patribus concessum, quoad augendam populi in eorum templum frequentiam tantumdem de pœnis canonicis remittit iis, qui statis sollemnibus diebus *Deiparæ Virginis, B. Francisci, B. Antonii, & B. Claræ, ac etiam illorum Sanctorum, in quorum honore præfatæ Ecclesiæ sunt constructæ, necnon in consecrationibus Ecclesiarum, & altarium earundem, & per octo dies ipsas festivitates immediate sequentes,* idem templum adeant, quantum piis religionis, ac laboris operibus expiari centum dierum spatio oporteret. Card. Neapoleonis in Franciscanos benevolentia. Eandem porro pietatis benevolentiam expertæ sunt Virgines Jadrenses Dominicanæ familiæ anno 1302. a F. Nicolao Ostiensi, ac Velitrensi Episcopo, & Apostolicæ Sedis legato, ut quisque nimirum *in dedicatione Ecclesiæ & die anniversario dedicationis, necnon in B. Mariæ perpetuæ Virginis, SS. Dominici ac Petri martyris, ac etiam aliorum Sanctorum, in quorum honore majora altaria constructa sunt, festivitatibus,* earum adiret Ecclesiam *caussa devotionis,* parem debitæ criminibus pœnæ veniam consequeretur: extant litteræ in archivo cœnobii Jadrensis Patrum Prædicatorum. *Dat. Viennæ XV. Kalend. August. Pontificatus Dom. Bonifacii PP. VIII. anno VIII.*

Jadrensis controversia cum Sibenicensibus de insulis Mortario, Surio, & Jarte. Dictum jam est in Laurentio Periandro pag. 80. de controversia, quæ inter Jaderenses, & Sibenicenses exorta est de possessione trium insularum, quas *Surium* vocant, *Mortarium*, & *Jartem;* iisque demum imminuta fuit Jaderensis

Digitized by Google

sis diœcesis anno 1324. Joanne III. Antistite Jaderensi; quam rem cum breviter innuat Farlatus pag. 93. præstat integram facti narrationem ex iis repetere, quæ Lucius fuse scribit tum in lib. 4. cap. 1. Monum. Tragur. tum in libris de regno; libro etenim 4. cap. 15. hæc narrat: *Cum Sibenicenses petiissent insulas Srimac* (Mortarium scilicet) *Zuri & Jarte, quas tempore, quo a Traguriensibus victi fuerant, sibi Jadrenses occupaverant, ob idque eos in judicio coram Duce vocassent, Jadrenses asseruerunt Venetos teneri ex pactis sibi servare insulas a se possessas*. At Sibenicenses, cum indigne ferrent, Veneti Ducis sententiam ab Jadertinis contemni, iterum illos ad quosque juris sapientissimos, qui tum in Europa plurimi æstimabantur, in judicium provocarunt, ut sua in eas insulas ipsi jura, sua Sibenicenses proferrent, & lis omnino tolleretur; idque per Traguriensem Comitem effectum est, quocum, & Traguriensibus aliæ exortæ erant ab Jadertinis contentiones: quare missis Jaderam legatis hæc in mandatis dederunt Comes, & Commune Tragurii: 1324. *Indictione 7. die 27. Madii. Nos Marinus Maurocenus Co. & Cap. Tragurii cum nostris judicibus, & consilio a viginti committimus vobis nob. viris Greg. Salinguerre, & Vicentio Ampleusi dilectis fidelibus, & Amb. nostris quod eatis Jadram, & quod D. Com. Jadræ, nobiles, & Commune dictæ civitatis ex parte nostra, & nostrorum Nob. & Com. Trag. salutetis cum illis pulchris & decentibus verbis, quibus vobis videbitur convenire.*

Item quod ex parte nostra, & Comm. Trag. exponatis eis, quomodo dicitur per nob. Siben. quod super eo, quod ipsi detinent Sibenzanis quasdam insulas, quas ipsi Sibenzani dicunt ad se spectare, nolunt se compromittere in D. Ducem, nec in communes amicos, nec volunt, quod per sapientes juris ipsarum insularum quæstio terminetur offerentes se Sibenzani jura sua quæ habent super inde sigillata transmittere Venet. Paduam, Bononiam, Parisam, vel quocumque placet Jadratinis, & ipsi Jadratini sua jura similiter mittant ad hoc, quod dicta quæstio sine debito terminetur; de quo si ita est nobis displicet cupientibus, quod ipsi Jadratini, & Sibenzani quiete & amorose vivant ad invicem sicuti debent facere boni vicini &c. Hæc Lucius citato in lib. Monum. Tragur. Nihilo tamen mitiores Jaderenses redditi *neque extra suam civitatem a quocumque in judicio trahi debere protestati sunt*; & in tabulis controversiæ, quas ex Sibenicensi archivo protulit Lucius lib. 4. de Regn. cap. 15. quæ sibi pacta a Venetis servanda forent, quid sibi juris in illas insulas esset, hisce ad Ducem Venetum litteris exposuerunt: *Item allegamus & exponimus cum omni reverentia ac honore . . . quod prædictis Sibenicensibus respondere non debemus, & hoc ex pactorum forma . . . quod Commune Jadræ debet habere unum Comitem . . . qui cum tribus Judicibus regat & judicet prædictos Jadratinos . . . cujus rei caussa non possumus nec debemus coram vobis ad judicium citari . . . Unde si ad placitum, vel ad respondendum prædictis Sibenicensibus traheremur, vel vocaremur, nobis pacta ut evidenter apparet, minime servarentur, quod nostra fidelitas eximiæ benignitati vestræ credimus absque dubio non placere. Item non debemus nec possumus cogi Sibenicensibus de prædictis insulis aliquid respondere . . . qui secundum omnem bonam consuetudinem, & secundum jura, siquidem prædictæ insulæ nostræ sunt jure præscriptionis, nam prædictas insulas libere . . . possidemus tamquam rem propriam pacifice ultra annos 46. Item allegamus punctum illud in pactis . . . Quod omnes insulæ Jadratinorum . . . Jadratinis libere dimittantur . . . quare si nos cogeritis . . . ad respondendum de prædictis insulis Sibenicensibus, nobis prædictas insulas non dimiseritis libere juxta pacta. Item . . . . quod Jadratini habebunt inimicos Venetos pro inimicis, & amicos pro amicis ... quare tunc temporis quando pacta facta fuere, non mittebatis illis de Sibenico dominium, possumus contra dictos Sibenicenses de jure & de facto nostrum beneplacitum facere . . . & quamvis ad præsens sit Sibenicum sub vestro dominio non derogat pacto . . . Quæ omnia suprascripta sive superius narrata vel pro nobis allegata dicimus, posito sine præjudicio non responsionis caussa, diximus, nec respondemus, propterea quod dici possit nobis, quod aliquo modo subintravimus litem, placitum &c.* Hisce rationibus nimirum obfirmati Jaderensium animi cum omne judicium detrectarent, nullique componendæ litis arbitro subesse vellent, tandem a Venetis sublata penitus contentio fuit, & sollemni sententia tres insulas Mortarium, Surium, & Jartem Sibenicensium possessioni reddendas, atque servandas decreverunt.

In Christi nomine Amen: Dum die infrascripta post Missarum solemnia, & ante tertiam Ma . . . DD. Joannes Superantio D. G. inclytus Dux Ven. &c. in loco qui dicitur Cancellaria ducalis Palatii cum suis consiliariis pro tribunali solemniter more solito resideret, de voluntate dictorum suorum consiliariorum de 40. & rogatorum . . . cum ostensum sit, & constet, Jadertinos violenter expoliasse Sibenicen. prout in petitione Siben. continetur. Quod dicti Sibenic. in possessionem insularum Srimaz, Suri, & Jarte restituantur, & ponantur infra unum mensem postquam requisitum fuerit per nostras litteras Comune Jadræ salvo jure omnium &c. lecta &c. 1324. die 5. Decembris octava Indictione. Ex tabulis Sibenic. apud Lucium citato in loco, qui subdit; *Quam sententiam Jadrenses iniquo animo tulere, sæpeque deinde easdem insulas recuperare nisi sunt.*

Litteræ Bertrandi legati pontificii ad Joannem III. Arch. Jad.

Anno 1326. cum Joannes Jadertinam adhuc regebat Ecclesiam, Bertrandus, sive Bernardus, Pontificis in Italia legatus ad Metropolitas Spalatensem & Jaderensem litteras misit, queis injunctum erat, ut Episcopos, clericosque omnes compellerent ad solvendum Romanæ Ecclesiæ tributum. Hasce litteras habes descriptas in Tom. III. hist. nostræ pag. 310. sed non est hic silentio prætereunda nescio quæ legati pontificii cum Baliano Spalatensi Archiepiscopo disceptatio de Ecclesiis Jaderensi Metropolitæ subjectis, quam hisce verbis narrat Farlatus citato in loco: in iis quippe litteris ad Joannem *tres Episcopos Pharionsem, Nonensem, & Seniensem ita nominabat* Bertrandus, *ut viderentur ad Metropolim Jadertinam pertinere; quod cum Balianus cognovisset, veritus ne quid præjudicii ex hujusmodi nominatione fieret Ecclesiæ Spalatensi, statim Bertrandum erroris, quo videbatur deceptus esse, per litteras admonuerat, simulque rogaverat, ut, quod scripserat, aut revocando aut explicando præjudicium omne amoveret, quod in detrimentum juris*

ris metropolitici Spalatensis vergebat, afferrique aliquando potuisset. Æqua Baliani postulatio visa est Bertrando, qui litteris ad eundem eodem loco (Parma) datis, sed postridie, declaravit, ac testatus est, se quibusdam scriptis deceptum fuisse, in quibus tres illos Episcopos provinciæ Jadertinæ adscriptos invenerat: nunquam vero id suæ voluntatis fuisse, ut quicquam de jure & auctoritate Metropolis Spalatensis diminueret. Litteras ex archivo Capit. Tragur. eodem in loco habes exscriptas pag. 311.

Consecratio principis aræ in templo Platoniano.

Nova in templo Dominicano Jadrensi peracta est consecratio anno 1360. unde reor nomen, ac titulum a S. Dominico inditum eidem fuisse. Tabulas consecrationis testes ex archivo cœnobii Dominicani Jadrensis depromtas hic exhiberem, nisi a Farlato editæ antea fuissent in Tomo IV. ad Guillelmum Episcopum Scardonensem XVI. qui consecrationis hujusce munus obivit, & majorem templi aram Divis Dominico ac Platoni sollemniter dedicavit; tum huic, & aliis duobus altaribus, alteri beatis Apostolis Thomæ & Bartholomæo, alteri Andreæ sacro indulgentiam dierum quadraginta affixit, quam ii obtinerent, qui pœnitentiæ sacramento expiati ea pie, castèque adirent statutis diebus, vel eidem templo perficiundo aliquid subsidii conferrent.

Dissidium Traguriensium cum Phariensibus.

Dominico II. Jadrensi Archiepiscopo XIX. narrat Lucius in lib. 5. Monum. Trag. cap. 7. exortum fuisse dissidium inter Traguriensés, & Pharienses cives, qui onerariam Traguriensium per vim detinuerant. Facinoris quæstione delata ad Ladislavum Episcopum Nitriensem, qui cum Saraceno regia legatione fungebatur in Dalmatia nomine Ludovici regis, is Dominici consilium, & judicium adhibuit, quo usus sententiam dixit adversus Pharienses in hæc verba, uti a Lucio descripta accepi.

Nos Ladislavus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Nitriensis, & magister Sarecenus Comes Cameræ Quinque Ecclesien. legati visitatores regiæ Majestatis Hung. in partibus Dal. & Cro. pro tribunali sedentes in palatio Communis Trag. ad jura reddenda de cons. & communi assensu, & voluntate infrascriptorum Rev. & petentium Dom. vid. Rev. in Christo Pat. D. Fratris Dominici Archiepiscopi Jadren. religiosi viri D. fratris Baudoni Cornuti Prioris Cruciferorum Ordinis Jerosolymitani de Aurana &c. Rev. in Christo Pat. D. Nicolai Dei & Ap. Sedis gratia Episcopi Tr. & egregii regii militis D. Joannis de Grisogonis de Jadra supra lite &c.

Dat. Trag. die 20. mens. Maj. anno Nativit. 1370. octava Indict.

Paulli Tininiensis Episcopi beneficentia in Dominicanos Jadrenses.

Hoc anno 1382. Paullus Tininiensis Episcopus, cum Jaderæ versaretur, singulare beneficentiæ, gratique animi monumentum exhibuit Patribus Dominicanis cœnobii Jaderensis, a quibus *Confratris* titulo donatus fuerat, & in partem vocatus bonorum operum, ac promeritorum totius Dominicanæ familiæ; quippe decimas omnium fructuum iis concessit, quos singulis annis percipere solebat mensa episcopalis ex villa Terebech: id autem oneris impositum esse voluit iisdem, ut quotidie ante sollemne sacrificium breves quasdam precationes Deo, ac Deiparæ offerrent pro ipsius æque humana incolumitate, ac pro æterna. Habes tabulas donationis in Tom. IV. pag. 292.

Controversia Jadrensium adversus Leonem de Arbo.

Eodem tempore gravis extitit controversia Communi Jadrensi adversus quendam F. Leonem de Arbo, qui a Romano Pontifice impetraverat, ut Abbas, & monasterium S. Chrysogoni *quadringentos florenos* sibi suæque familiæ annuatim penderent. Hac de re acerbe conquesti sunt Jadertini, quippe vetustissimum illud monachorum cœnobium Jadrensis civitatis tutelæ, ac patrocinio fuerat commendatum, ipsiusque subsidium, & decus vehementer erat omnibus curæ. Igitur ad regem Hungariæ, cui tum Jadrenses parebant, delata res est, a quo Thomas Rosa monasterii Abbas vetitus fuisse videtur, ne Pontificis mandato obtemperaret. Sed F. Leonis adeo vis, & auctoritas valuit, ut Abbas ficto contumaciæ crimine accusatus sisti coram Pontifice juberetur. Id tamen minime passi Jadrenses; & per litteras iterum regem orarunt, ut penes Pontificem intercedere vellet; nam, inquiunt, *aperte videmus, quod si ipse Abbas citaretur, & Romam accederet, maxima damna, & importabilia sequerentur eidem monasterio in spiritualibus & temporalibus, & turbatio immodica huic regiæ civitati. Majestati vestræ humiliter supplicamus, quatenus dignemini scribere dicto Domino Papæ, quod ipsum monasterium, & Abbatem habere dignetur sua sanctitas recomissum; adeo quod non gravetur ad curiam accedendum nullo pro crimine perpetrato, nec ad tributum hujusmodi sibi . . . siquidem ad hæc pondera gravaretur præfatum monasterium; monachis privaretur non absque maximo scandalo civitatis &c.* Harum litterarum exemplar, quod nobis traditum est, præfert annum 1382. & hinc Ludovico regi scriptas fuisse existimo, qui cum eodem anno excesserit vita, lis sub judice stetit, neque in monumentis nostris comperio, quo tandem modo fuerit diremta.

Laurentii Venerii Archiep. monumenta.

Laurentius Venerius, quo tempore Jadrensi præfuit Ecclesiæ, cultum apud Jadertinos instituit erga D. martyrem Georgium, & inter cetera sacrorum lipsana, quæ in *sanctuario* basilicæ metropolitanæ coluntur, pretiosum ex capite sanctissimi Martyris frustum visitur argenteæ thecæ ad formam humani capitis elaboratæ, auroque obductæ inclusum, quæ cælata præfert insignia Veneriæ familiæ. Hoc Antistite, *Eremitarum tertii Ordinis S. Francisci adventus primus in agro Jadrensi fuit, anno 1430. die 4. Decembris; nam Ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam tunc possidebat titulo Rectoris quidam presbyter Paullus de Littera Slava, resignata fuit in manibus Laurentii Venerii Archiepiscopi, qui eam concessit, & contulit fratri Martino q. Novatii ejusdem Ordinis, ut ibi sui fratres habitarent, & conventum construerent, accedente sponsione Gregorii Mangane civis Jadræ, qui instaurare ecclesiam, & monasterium ædificare professus est.* Hæc ex Commentario Valerii a Ponte, quæ in monumentis de Archiepiscopatu Laurentii erant describenda. Sed, ut rei hujusce narratio uno sub aspectu constituatur, hic addo, quæ insequentibus annis evenisse discimus huic Franciscanæ familiæ: etenim paullo post idem Gregorius morti proximus hæredem ex testamento instituit *Universitatem* civium Jadrensium, ut ex bonis suis nosocomium exstruerent viris, feminisque commune, quod deinceps S. Jacobi titulo appellatum fuit. Anno autem 1537. Patres tertii Ordinis intra urbem admissi S. Silvestri templum, cui nunc a S. Joanne titulus inest, & proximas ædes obtinuerunt; Sodalitati vero

Digitized by Google

vero S. Silvestri, ad quam templum illud pertinebat, possessio tradita fuit Ecclesiæ D. Thomæ sacræ, quam modo veteri S. Silvestri titulo appellant. Valerius in laudato Comment. urbanam horum Patrum receptionem contulit in annum 1527. *Verum circa annum 1527. Turcis in Dalmatia omnia flammis, & ferro miscentibus, jussu publico dicta Ecclesia demolita fuit, receptis Fratribus ex Veneti Senatus C. 1521. 30. Junii in Ecclesia S. Silvestri dicta, juxta pomœrium urbis posita, cum hortulis adjacentibus, ac subinde tractu temporis, adeptis solo, & ædibus contiguis monasterium construxere.* Hisce tamen Farlatus non consentit, qui anno 1537. id factum autumat: quare sic statuo, anno 1521. Patres tertii Ordinis intra mœnia receptos fuisse Senatus Veneti decreto; anno 1527. cum identidem Turcarum metus ingrueret, Ecclesia S. Joannis, quam ii reliquerant, solo æquata fuit; subinde, indicto Venetis bello a Solimano, quidquid ruderum, aut ædificiorum supererat, penitus dirutum est, atque eversum anno 1537. Subdit porro Valerius: *Confraternitas vero S. Silvestri in Ecclesia S. Thomæ secessit, quæ erat Plebania nuncupata sine cura, & sine clero. Hanc plebanus cessit Confraternitati, reservato sibi canone unius cerei, & certa portione obventionum funeralium. Eadem Ecclesia etiam S. Crucis dicitur, & ob celebre, & antiquum D. N. J. C. simulacrum valde veneratur. Habetur mentio de hac Ecclesia in testamento Andreæ Prioris anno 908.* quod exscriptum vide pag. 40.

Litteræ Paulli II. ad Maphæum Valaressum, De Maphæo Valaresso Jadrensi Archiepiscopo XXVI. id reperio in Episcopis Sibenicensibus, fuisse illi munus commissum a Pontifice Paullo II. ut Joanni Tolonich Canonico Sibenicensi sacerdotium traderet S. Danielis Campi superioris in diœcesi Sibenicensi, quod jure patronatus eidem contulerant nobiles Coslevianæ oppidani. Paulli litteræ descriptæ sunt in historia Ecclesiæ Sibenicensis, quarum hoc est initium: *Paullus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Archiepiscopo Jadrensi, & dilectis filiis Archipresbytero, & Joanni Procopovich Canonico Ecclesiæ Sibenicensis salutem, & Apostolicam benedictionem*: datæ sunt Romæ *apud S. Mariam Anno Incarnationis Domini 1466. idibus Novembr. Pontificatus nostri Anno III.* Præterea in Monum. Venet. Eccl. a Flaminio Cornelio collectis dec. 16. part. 2. extant ipsius Valaressi litteræ ad Laurentium Justinianum Patriarcham Venetiarum, quibus caussam exponit, cur provinciali Concilio a Laurentio indicto nequeat interesse, eique suæ sententiæ arbitrium, ac potestatem permittit, quamvis in partem trahere voluerit, spondetque decreta omnia, quæ Concilium sanciverit, sibi rata fore, ac firma. & Maphæi ad D. Laurentium Justinianum.

Reverendiss. in Christo Patri, & Domino D. Laurentio Justiniano miseratione divina Patriarchæ Venetiarum &c. Patri, & Domino colendissimo.

Reverendissime in Christo Pater, & Domine colendissime. Superioribus diebus accepi litteras Reverendissimæ D. V. quibus me invitat ad comprovinciale Concilium. Quod eadem Reverendiss. Dominatio V. in civitate Venetiarum, cui Deo disponente præest, celebrare decrevit quarta ebdomada immediate sequenti post festum Paschæ proxime præteritum. Sancta profecto, & salubris V. Reverendiss. Paternitatis deliberatio; cui parvitas mea prompto, & devoto animo parere desiderat; sed cum in præsentiarum multimodis negotiis, & quidem gravibus distinear, adeo ut ad præfixum terminum, nisi cum maximo meo ac multorum detrimento, & incommodo interesse non possim; vocem & auctoritatem meam non video apud quem melius, ac decentius pro securitate conscientiæ meæ collocare possim, quam apud Reverendiss. D. V. quæ quicquid statuerit, & ordinaverit in hac sancta Synodo, & cui parti vocem meam applicare voluerit, faciat pro libito arbitrii sui, quia mihi rata & firma procul dubio erunt omnia. Valeat Reverendiss. D. V. cujus orationibus me commendatum semper cupio.

Ex Jadra die 7. Kalend. Majas 1455.

Reverendiss. D. V.

Devotus filius Maphæus Valaressus Archiep. Jadræ indignus.

Præclaras Ægidii Archiepiscopi laudes egregie persequitur Farlatus; cui tamen avitum cognomen *Antonino* tribuit Felicianus Bussus in hist. Viterb. part. 1. lib. 6. Præceptorem habuit Marianum Genezanensem Augustinianæ familiæ alumnum, quem summis laudibus ornat Politianus; longe tamen magistri merita superavit Ægidius; de illo hæc Jovius in Elog. Viror. Ill. *Non est, cur te prætercam, Ægidi, humili quidem loco, verum maxime illustri fato Viterbii nate . . . Christiani scilicet oratoris in sacra pergula primum atque ultimum decus merite . . . præstantissimum enim præceptorem facile superasti Marianum scilicet Genezanensem Pontani & Politiani admiratione, atque præconio inclytum*. Patavii in gymnasio sui Ordinis celeberrimo studiis operam navavit: *erat autem ejus ingenium exquisito litterarum omnium delectu graviter extructum sic, ut in omnes exemplorum casus peramplas opes alacris & expedita memoria suppeditaret: facundia porro tanta dissimulatis illecebris audientes semper exhilarans, atque demulcens, ut ipso concionante vel maxima templa complerentur*; subdit Jovius; *& in suggestu vere admirabilis æquo judicio per omnes urbes oratoriæ facultatis lauream promeritus est*. Sane cum civiles motus ingentes Viterbium agitarent, ibique degeret Ægidius anno 1503. ab urbis prætore rogatus tanta facundiæ vi populum allocutus est in templo sui Ordinis, ut ad pacem, ac publicam tranquillitatem compositos civium animos confirmaverit, ut narrat Bussus, qui in Chronologia Antistitum Viterbiensium suæ historiæ adjecta Viterbiensem Ægidii Episcopatum consignat anno 1517. ad quem a Leone X. fuerat evectus. Ab eodem Leone in collegium Cardinalium cooptatus insignia sibi, familiæque sumpsit tribus montibus distincta viridi colore depictis, æthereoque e campo assurgentibus, quibus singulis crux imposita eminebat: hæc cum cœnobio S. Salvatoris a se in Etruria exstructo præfixisset, unicam medio monti crucem imponi jussit, ceteris ramos virides; tum consilii sui caussam reddens ejus cœnobii alumnis, ita ad illos scripsit: *Accepi montes ilicum vestrarum, imposui illis cruces tres, ut tria miseriæ meæ monumenta semper ante oculos obversarentur*. Anno 1528. Clementem VII. Pontificem Maximum Viterbii perhonorifice excepit. Ejus scripta, *egregia*, inquit Jovius, *ex arcanis Moscos deprompta sublimis ingenii monimenta*, in Romano Augustinianæ familiæ cœnobio servantur. Ægidii Archiep. elogium.

Digitized by Google

Cornelius Pisaurus consecrat Venetiis aram D. Leonardo sacram in monasterio S. Mariae Vallis viridis.

Ægidio vita functo, Cornelius Pisaurus Jadrensem Ecclesiam regendam suscepit; cujus gestis haec adde ex Monum. Eccles. Torcellanae part. I. pag. 370. *Iis*, scilicet Divorum reliquiis, quae in monasterio S. Mariae Vallis-viridis in insula Majurbii conditae sunt, *accedunt sacrae reliquiarum portiones, quas in ara Divo Leonardo confessori sacra reposuit Cornelius Pisauro Archiepiscopus Jadrensis, dum ipsam solemni ritu consecravit die* XIX. *Maii anno* 1539. *ut ex pergamena in archivio asservata traditur haec exhibente.*

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MDXXXIX. Indictione XII. die vero Dominico XIX. *mensis Maii. In hoc altare dedicato in honore S. Leonardi confessoris jacent reliquiae S. Andreae Apostoli, S. Silvestri Papae, S. Leonardi confessoris, S. Nicolai Episcopi, & sanctae Ursulae Virg. & Mart. Consecratum per Reverendiss. in Christo Patrem & Dominum Cornelium Pisauro Dei gratia Archiepiscopum Jadrensem, cujus Reverendissima Dominatio concessit omnibus eum visitantibus in die ejusdem Dedicationis quadraginta dies de vera Indulgentia.*

Ego Presbyter Johannes Vio Plebanus Burani Maris Notarius de Mandato scripsi.

Aloysii Cornelii elogium.

Aloysius Cornelius, qui post Cornelium Pisaurum Jadrensis Archepiscopus renuntiatus fuit, ut generis nobilitate, ita eximiis in Christianam rempublicam meritis maxime claruit. Is Georgii Cornelii filius, & Catharinae Reginae Cypri pronepos Venetiis natus est pridie Idus Februarii anno 1516. pluribus ejusdem gentis Corneliae Cardinalibus sanguine junctus, nimirum Marci, cui Alexander VI., & Francisci, cui Clemens VII. purpuram tribuit, ex fratre nepos, Andreae autem, quem Paullus III. Cardinalem creavit, consobrinus, tum Friderici a Sixto V. in sacrum collegium cooptati germanus frater, demum Francisci patruus, qui idem decus a Clemente VIII. adeptus est. Adolescens ob praeclara virtutum, rerumque pro patria gestarum merita Eques Hierosolymitanus creatus est, & paullo post primam sui ordinis praefecturam Cypri gessit. Hinc illi ad majores dignitatum gradus via patuit. Etenim anno 1550. Cardinalis electus fuit a Julio III. die 25. Julii; & anno insequenti titulum S. Theodori suscepit in ordinem Cardinalium Diaconorum admissus, quem retinuit inter Presbyteros Cardinales adlectus; *mox Francisco Cardinali Pisano cedente sub ea conditione, ut sibi dum viveret, in D. Marci aedibus habitare liceret, ad titulum S. Marci gradum fecit*: ait auctor libri, cui titulus *Tiara, & purpura Veneta*, qui tamen fallitur, cum Aloysium ante Jaderensem Antistitem, quam Cardinalem fuisse scribit. Marius Petruscus vir egregie doctus illi orationem inscripsit, quam *de litterarum ornamentis & laudibus* recitaverat in aede Romana S. Eustachii, eidemque plures scripsit epistolas Julius Petruscus Marii pater editas Romae anno 1571. Quae deinde gessit Aloysius, cum bello Cyprio subsidia comparavit, Philippum II. Hispaniarum regem, & Venetam Rempublicam foedere junxit adversus Selimum Turcarum Tyrannum, & *Camerarius* pontificius a Pio V. nominatus, aliisque dignitatibus auctus sane locupletibus opimos earum reditus, fructusque in ejusdem belli auxilium congessit, & contulit, haec omnia in annos insequentes rejicienda sunt, postquam Jadrensem Ecclesiam dimisit anno 1555. Fuit Aloysius ordine quartus inter Cardinales gentis Corneliae, eumque hisce carminibus ornavit Janus Vitalis.

„Ocia non melius lassis indicere Musis
„Quam poteram auspiciis, Stirps generosa, tuis,
„Corneli, claros atavos de gente vetusta
„Nam tibi Scipiadum maxima Roma dedit;
„Majoresque tui Adriacas coluere lacunas,
„Publica qua Venetum res viget inter aquas.
„Hinc tibi mox genus, atq; domus, patriiq; penates,
„Hinc vitae hausisti prima alimenta tuae.
„Denique Roma sibi te mater prisca poposcit,
„Purpureoque tuum cinxit honore caput:
„Ut, quae per gentis horrentia fulmina vestrae
„Disjecit Lybiam fortis, & Hesperiam,
„Non omnino ingrata fuit; tibi reddet honores
„Quasque aliis laudum parca negavit, opes.
„Pluraque non dederit, tibi; plurima danda reponit
„Praemia splendori luminis apta tui.

De reformatione Breviarii Slavonici.

Inter cetera, quae ecclesiasticae disciplinae reformandae aptissima Synodus Tridentina decrevit, fuit divini officii correctio; quam in curam Pius V. Pontifex Maximus praesertim incubuit: tum Gregorius XIII. eidem rei perficiundae, & in omnes Catholicae Ecclesiae partes propagandae operam praestitit atque auctoritatem. Sed Slavi presbyteri vel negligentia, vel quadam vetustos suae gentis ritus servandi firmitate nondum Romanam illam sacrae liturgiae correctionem in suos usus converterant, cum Natalis Venerius Jadrensem regeret Ecclesiam. Idcirco Gregorius Pontifex graviter ea de re conquestus est; & opera Ptolemaei Gallii Cardinalis Comensis scripsit ad Natalem, ut consilium suum aperiret, & quid ad obtinendam Breviarii Slavonici emendationem aptius sibi, validiusque videretur, per litteras exponeret. Epistolam pontificio nomine ad Natalem missa iisdem verbis, eodemque, quo scripta est, Italico sermone hic subjicio.

litterae Card. Comensis ad Natalem Venerium Archiep.

Molto Rever. Mons. come fratello. N. S. è informato che in Dalmatia si recita da li Preti generalmente il Breviario antico & non quello che è stato riformato dopo il Conc. Trident. & publicato da la Sede Apostolica; & che la causa di cio è, perche essendo quel Breviario antico tradotto in lingua Schiavona, quei preti, che non intendono latino, seguitano di dirlo come prima: & pero è stato ricordato di far similmente tradurre questo nuovo in lingua Schiavona, sperandosi che a questo modo si ridurrebbe quel Clero à l'ubidienza, & si cavarebbe de le censure, dove tuttavia per tal causa stanno. Pertanto S. S. ha voluto, che io scriva a V. S. quanto è detto, acciochè avvisi qua tutto quello, che potrà intendere & sapere di questo fatto, & insieme dica quel che à lei parrebbe espediente. Il che sarà contenta di far quanto prima. Et non essendo questa per altro, resto offerendomi a lei di buon core, & desiderandole ogni piena prosperità.

Di Roma a XXIX. *di Ottobr. MDLXXX.*

Di V. S. Rever.

Come Fratello Th. Card. di Como.

Quid Natalis responderit hisce litteris, mihi est incompertum; irrita quidem cessit reformatio, quae deinde, Urbano VIII. Pontifice, coepta Raphaelis Levacovichii studio, ac fide, demum a Matthaeo Caramano Jadrensi Antistite fuit omnino perfecta.

Vi-

Digitized by Google

Annus initii Episcopatus a Victore Ragazzono: Victoris Ragazzoni Episcopatui primus annus tribuitur 1604., ut vero propius videtur, ait Farlatus; id tamen certum probatur auctoritate Valerii a Ponte, qui ad Joannem Lucium scribit, in Archiepiscopali *Cancellaria* Jadrensi notatum esse, idibus Julii hujus anni 1604. Victorem adiisse possessionem Jaderensis Ecclesiæ. Idem vita functus Venetiis anno 1615. illatus est in tumulum, ante principem januam effossum in ipsa S. Catharinæ ecclesia, cui pontificius galerus impendet; quem falso quidam existimant, esse insigne Marini Grimani Cardinalis, qui Sacerdotium in illa æde instituit, aut Hieronymi Ragazzoni Antistitis Bergomensis; hic enim Romæ obiit, & in æde Marciana sepulcrum obtinuit. In eodem, quo Victor, tumulo alii ejusdem gentis Ragazzonæ sepulti sunt.

ejus sepulcrum.

Unio cœnobii S. Chrysogoni Cassinensi Sodalitati. Post Victorem Lucas II. Jadrensem rexit Ecclesiam; eoque Antistite, cœnobium S. Chrysogoni Cassinensi sodalitati S. Justinæ unitum fuit anno 1622., Romano Pontifice probante; lege tamen sancitum, ut Abbas & monachi patria sint Jaderenses; quippe id constituant tabulæ ejusdem cœnobii; sin numero deficiant, alii ejusdem ordinis, sed natione Dalmatæ, possunt in cœnobium admitti: verum lex eadem paullo post abrogata videtur, cum anno 1627. ei monasterio præfuerit *Henricus a Venetiis*, qui XII. Kal. Augusti hujus anni consecravit altaria *SS. Crucifixi*, *ac S. Antonii*, *& SS. Trinitatis*. Lucas vero inter cætera, quæ Ecclesiæ suæ præstitit, ornamenta illud etiam effecit, ut justas ob caussas muliebre xenodochium tolleretur, quod ad atrium Templi Metropolitani extabat, qua parte visitur forum herbarium; ipsumque atrium muro occlusum nobili & amplo januæ vestibulo decoravit.

Octaviani Garzadori decreta. Nec minorem curam adhibuit Octavianus Garzadorus, quo Jadrensem urbem sacris ædificiis ornaret; major tamen illi inerat sollicitudo corrigendi pravos mores, & inductos in religiosas familias abusus: vetuit autem religiosis Ordinibus, ne, cum conventus celebrant, ecclesias sacrarum Virginum circumirent in singulis, stato cuique die, sacra sollemnia peragentes, tum ne piis, quibus solebant, agminibus easdem ecclesias ingrederentur; cumque vetus consuetudo obtineret, ut quisque ex aliquo religiosæ familiæ cœtu ad aras primo litaret, ingentibus donis, xeniisque cumularetur, cavit, ne in posterum sollemni pompa, ac ritu fierent hujusmodi sacra. Inscriptam ejus sepulcro epigraphem, typisque impressam pag. 163. ita corrige: *Humanæ vitæ conditio*, *sepulturæ tantum requies est*.

Translatio corporum DD. Anselmi, Ambrosii, & Marcellæ. Jaderensis migratio Virginum Benedictinarum Nonensium, quæ Turcarum metu ad hanc urbem profugerant, consignata est a Farlato sub initium sæculi decimi sexti in Episcopatu Joannis V. Iis vero minime licuit sacrum corpus Divæ Marcellæ secum deferre, quod in earum ecclesia honorifice colebatur. Bello Cyprio ardente, tum Marcellæ, tum Divorum Anselmi, & Ambrosii lipsana Jadram translata fuere ex urbe Nonensi, quæ a Turcis capta paullo post fuit; eadem vero recuperata e barbarorum potestate anno 1573. incertum mihi est, utrum hæ reliquiæ Nonensibus redditæ fuerint; quippe Farlatus sollemnem translationem describens sacrorum corporum in Tom. IV. pag. 230. aperte innuit, hæc Jadræ in æde Anastasiana ab initiis belli Cyprii propemodum ignota jacuisse usque ad annum 1656; idem vero pag. 205. narrat, ipsa corpora anno circiter 46. sæculi decimi septimi, ne barbarorum injuriis essent exposita, cum bellum Creticum ferveret, Jaderam transvecta fuisse: quæ sane non cohærent. Ad rem nostram quod attinet, cum Franciscus Nonensis Antistes Jaderæ sederet in urbe munitissima anno 1656. propter Cretici belli tumultus, ac pericula, quibus Dalmaticæ etiam urbes erant obnoxiæ, actum est de sollemni beatorum corporum translatione ex Anastasiana Basilica ad Marianam ædem Virginum Nonensium; cujus translationis pompam, quippe quæ ad fastos Ecclesiæ Jaderensis pertineat, hic describendam censui ipsismet fere Farlati verbis ex pag. 230. Tomi IV. Itaque annuentibus Provisore generali Dalmatiæ, Prætore & Præfecto urbis, tum Nicolao Ventura ob mortem Bernardi Florii Archiepiscopi Vicario Capitulari, tertio nonas Augusti, dieque Dominico, multo mane supplicatio instituta est Capitulo, & Clero, Senatu, populoque utriusque urbis Jaderæ & Nonæ publice convocatis. Præibant sacræ sodalitates cum suis vexillis atque insignibus argento auroque fulgentibus; deinde Ordines religiosi, tum clerus & Capitulum utriusque civitatis: agmen Sacerdotum claudebat Episcopus amictu ornatuque pontificali, medius inter duos Canonicos Nonenses dalmaticis vestibus indutos: novissime sequebatur feretrum, cui sacra corpora imposita erant, sane magnificum, & pretiosa veste constratum, quod quatuor Canonici Nonenses sacerdotali amictu gestabant. Umbellam auro & argento contextam, cui suberat feretrum, Provisor generalis, Prætor, Præfectus, & Quæstor omnes togati, & purpurati ferebant; dum festa bombardarum displosione, læto tubarum clangore, hymnis & canticis omnia personabant. Hac pompa triumphali per celebriores urbis vias deducta est supplicatio; & ubi ad Marianam ædem ventum est, sacrum feretrum aræ maximæ impositum fuit, quæ immensa luminum copia collucebat. Interea Episcopus Nonensis pontificali ritu, ac cærimonia litavit; utque infinitæ multitudinis cupiditati ac religioni satisfieret, totum diem sacrosanctæ illæ exuviæ omnium oculis expositæ fuere. Sub vespertinos psalmos hymnosque sollemniter decantatos, Divorum corpora rite recognita in arcam marmoream inclusa sunt, & subter aram maximam collocata. Tum templum & cœnobium Jadertinum Virginum Nonensium, antiquo titulo abolito, exinde ab S. Marcella vulgo cognominari cœpit: utrumque subjectum est jurisdictioni Antistitis Jadrensis, quippe ea conditione illis domicilium & templum Jaderæ fuit attributum: arcæ tamen, quæ Divorum corpora continet, possessionem, itemque curam & custodiam sacri ærarii Nonensis ibidem depositi Episcopus, Capitulum, & Commune Nonensium retinuit. Hinc fit, ut Episcopus Nonæ cum arcam aperire, & sacrum ærarium invisere & recognoscere velit, longiori pallio-lo, quo tunica linea operitur, deposito, breve amiculum sumit, quod est jurisdictionis argumentum.

Paullo post novus Jaderensibus datus est Antistes Theodorus Balbus XII. Kal. Octobris ejus- Theodori Archiepisc. obitus.

Digitized by Google

ejusdem anni. Ejus sepulcrum in Veneta æde Gregoriana, ubi situm, ignoratur: in libro autem primo Necrologii ejusdem ecclesiæ hæc leguntur: XIV. *Kal. Junias anni 1669. obiit Theodorus Balbus Archiepiscopus Jadrensis ætatis anno sexagesimo primo, cum decem integris mensibus febri contabuerit; sepultus est, Marco Antonio Balbo fratre funus curante.*

De reficiundis ædibus Chrysogonianis

Ineunte hoc sæculo decimo octavo Ecclesia, & cœnobium S. Chrysogoni tum vetustate collabascere, tum Monachorum defectu pio religionis ac disciplinæ cultu destitui cœperant: lis præterea oborta, cujusnam munus, jusque foret ædificii sarciendi, & sacræ supellectilis instaurandæ, vetabat, ne quis tam necessario, religiosoque operi manus admoveret. Itaque Petrus Calcina suo, & collegæ nomine, qui Ecclesiæ hujusce curam gerebant, Venetias adiens litteras a Senatu impetravit, obtinuitque, quibus decretum, ut in divinæ gloriæ augmentum, & animorum salutem sacra ædes, & cœnobium reficerentur, monachorum vero augendæ, servandæque familiæ prospiceretur. Litterarum exemplar est hujusmodi ex Italico in latinum sermonem conversum.

Litteræ Veneti Senatus,

Joannes Cornelius Dei gratia Dux Venetiarum nobili & sapienti viro Domino Vincentio Vendrameno Provisori nostro generali in Dalmatia, & Albania, fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

Recta, & honesta, eoque magis, quod divinum cultum spectat, supplex est petitio fidelissimæ Jadertinæ civitatis, quam vestræ litteræ nobis exponunt, ut Ecclesia, & monasterium S. Chrysogoni refici, & sacra instrui, ornarique supellectile jubeamus. Igitur quo majori Dei cultui, atque animorum utilitati tum monachorum numero, tum stabili Abbatis commoratione consulatur, Triumviris monasteriorum præfectis injunctum est, ut Cassinensis sodalitatis Præsides moneant de constituendo Abbate monasterii hujusce, certoque monachorum numero stabiliendo, qui divinæ liturgiæ inserviant. Quidquid vero e monasterii reditibus sequestro captum est, quod probamus, absque ulla mora in reficiendis Ecclesia, monasterio, & sacra supellectile impendatur; si satis id non esse impensis videatur, alia ejusdem monasterii bona sequestro capi jubemus, quotquot operi perficiundo sufficiant. Hoc tamen decreto nullum præjudicium iis rationum momentis volumus irrogari, quibus in novo civilium caussarum Consilio lis de jure agitatur sarta tecta tuendi Chrysogoniana ædificia.

Dat. in nostro ducali palatio die 3. Julii, Ind. 3. 1710.

Senatus decreto obtemperatum est, nec multo post novi altaris dedicatio peracta est D. Chrysogono sacri, de quo pag. 167. dictum jam est.

& de Sacerdotiis Jadrensis urbis, aut agri.

Alio ejusdem Senatus decreto cautum est anno 1719. ne sacerdotia, & dignitates Jadrensis Ecclesiæ sive quæ in urbe, sive quæ in diœcesi Jadertina, extraneis presbyteris deferrentur, qua de re civitas, & clerus Venetum Principem humillibus, enixisque precibus oraverant, hinc fore sperantes, ut agri, & urbis Jaderensis incolæ, qui clericali militiæ nomen dabant, propositis sibi studiorum, laborumque præmiis ferventiori cura in id incumberent, quod sacerdotalis honos, ac ministeria deposcunt cum ecclesiasticæ doctrinæ intelligentia, tum vitæ morumque integritate, atque exemplo. Decretum hisce litteris continetur, quas in latinum sermonem convertimus.

Joannes Cornelius D. G. Dux Venetiarum nobb. & sapp. viris Aloysio Mocenico Provisori nostro Generali in Dalmatia, & Albania, & successoribus fidelibus dilectis sal. & dilect. affectum.

Cum civitas, & clerus Jaderensis devota, humilique prece a nobis postulaverint, ne sacerdotia urbis, ac diœcesis Jadrensis alienis hominibus tribuantur, tumque ea intellexerimus, quæ per vestras, vestrorumque consiliariorum litteras nobis significata sunt, perpendentes æque rationi, & æquitati, ac sacris Canonibus & reipublicæ legibus esse consentanea, censuit Senatus, Jaderensem Antistitem per vos admonendum, hanc esse sui voluntatem, ut sacerdotia quælibet Jadertinæ Ecclesiæ iis tantummodo deferantur, qui ejusdem sunt diœcesis, dum jure meritoque digni habeantur, alienæ diœcesis clericis, ac presbyteris omnino rejectis. Hac præmii, atque remunerationis certitudine allecti ecclesiastici viri impensius studiis operam dabunt, aptioresque fient ecclesiis regendis sibi creditis, & cultui divino servando, quo constans spectat Senatus cura & consilium. Vobis autem, ac vestris successoribus injunctum esse volumus, ne cui civilis cujusque sacerdotii, atque ecclesiasticæ dignitatis possessio tribuatur præterquam iis, qui aut urbis, aut agri Jaderensis fuerint indigenæ.

Dat. in nostro pal. duc. die 7. Oct. Indict. XIII. 1719.

Hæc decreta sunt, Vincentio Zmajavichio Antistite Jadrensi XLIX. cui post Matthæum Caramanum postremus in hac serie suffectus est Michael Trialius. Is, dum Tomum hunc typis edimus, post egregia in Jaderensem Ecclesiam merita, cum ne triennio quidem illi præfuisset, supremum diem obiit Jaderæ Idibus Januariis anni 1774. triduo post in æde metropolitana eo, quo decuit, honore tumulatus.

Michaelis Archiepiscopi obitus.

JOANNES VII. ARCHIEP. JADREN. LII.

Joannes Chersana

Honesto loco natus, cui Chersana cognomen est. A prima ætate militiæ ecclesiasticæ nomen dedit, & humanis, divinisque litteris excultus ac sacerdotio initiatus in Capitulo Ecclesiæ metropolitanæ Jadertinæ Theologici Canonici titulum, munusque obtinuit; deinde principem inter Canonicos locum dignitatemque Archidiaconi adeptus clero Jadertino præfuit, & plures annos Matthæo Caramano Archiepiscopo Jadrensi Vicarii generalis operam summa cum laude, ac sedulitate navavit. His honorum gradibus ad Episcopatum primum ascendit. Clemens enim XIV. Joanni, ut ejus singularem virtutem, doctrinam, egregia merita, quibus digna erant, præmiis remuneraretur, ei Corcyrensem Ecclesiam decrevit anno 1771. Suscepto episcopali munere totum se commodis gregis sibi concrediti, utilitatique devovit: cumque plura jam animo versaretur, quæ animorum incolumitati, Ecclesiæque ornamento majores fructus essent allatura, triennio regiminis pastoralis nondum expleto, ab eodem Pontifice Archiepiscopus Jadrensis creatus IV. Id. Martias anni 1774. & in sollemni Consistorio publice renuntiatus est VIII. Idus Junii ejusdem anni, bono quidem, felicique Jadrensis Ecclesiæ auspicio, at justo Corcyrensium mœrore, quos præclara ejus cœpta, & consilia

e Corcyrensi ad Jadrensem Ecclesiam translatus.

Digitized by Google

lia in spem, atque expectationem erexerant summæ in omnes obventuræ felicitatis. Venetiis VI. Kal. Octobris ejusdem anni pallium ab Episcopo Torcellano accepit, propediem Jaderam, Ecclesiæque sibi traditæ regimen aditurus. Deus Optimus Maximus egregiam præstantissimi Præsulis mentem, animumque uni divinæ gloriæ augmento devotum secundet, successusque det prosperos, qui, quidquid boni conamur homines, efficimusque, princeps & dux ipse est, & laudem omnium benefactorum, gloriamque, siqua proveniat, jure suo sibi unice vindicat.

§. II.

ADDITAMENTA

Ad Ecclesiam Absorensem.

MEminit Farlatus in Episcopis Absorensibus, quo anno cives Absorenses novo sacramento Venetorum subjectioni se se obstrinxerint; idque ex chronico Andreæ Danduli exscripsit; sed habeo publicæ sponsionis tabulas, quas Martinus Absorensis Antistes civitatis totius nomine confecit; quæ a Farlato omissæ hujusmodi sunt.

Tabulæ sponsionis initæ cum Venetis ab Absorensibus.

In nomine Æterni &c. In mense Augusto Indictione I. in civitate Absaro. Promittentes promittimus, spondentes spondemus per hoc vinculum repromissionis. Ego quidem Martinus hujus civitatis Episcopus simul, & Joannes Prior ita, & omnes habitantes in jam scripta civitate tam clerus, & populus cum successoribus, & hæredibus, & prohæredibus nostris vobis quidem Domino Ottoni seniori nostro Duci Venetiarum, & Dalmaticorum, & successoribus vestris tributum dare promittentes vobis, & vestro palatio, omnique anno in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi pelles marturinas numero quadraginta, quod si hoc recte in præstituto tempore ut superius legimus non observaverimus, componere promittimus cum successoribus & hæredibus nostris vobis & successoribus vestris auri Z. quinque & hæc promissionis chartula plenissime maneat in sua firmitate.

Signum m. Prioris, qui hoc fieri rogavit
Signum m. Viatro g. b. f. r.
Signum m. Dannuloret q. b. f. r.
Signum m. alterius Viatro ut supra.
Signum m. Dabro ut sup.
Signum m. Petri ut sup.
Signum m. Martini ut sup.
Signum m. Adami ut sup.
Ego Marius Diaconus m. m. f.
Ego Ursus Diaconus ut sup.
Ego Presbyter Petrus ut sup.
Signum m. alterius Viatro q. b. f. r.
Signum m. Amnino ut sup.
Signum m. Barba.
Signum m. Georg.
Signum m. alterius Petri.
Signum m. Leonis.
Signum m. Andreæ.
Ego . . . . Presbyter.
Ego Petrus Presbyter.
Ego Marcus Presbyter.
Ego Petrus adi litterat. m. m. p.
Signum manus omnium habitantium in supradicta civitate.
Ego Martinus Episcopus hanc cartulam scripsi, firmavi, atque complevi.

Hisce Martini Episcopatus confirmatur.

De S. Gaudentio monumenta ex Annal. Camald. deprompta.

Successit Martino Gaudentius, de quo plura Scriptores Annalium Camaldulensium, sane non prætermittenda. Ac de Gaudentii nomine, quem S. Petrus Damianus *Petrum* modo appellat in Apologetico ad Alexandrum II. modo *Gaudentium* in Opusc. ad Nicolaum II. ita quidem differunt, ut censeant, vel Damianum memoria errasse, qui Petrum Episcopum Absorensem post Gaudentium pro Gaudentio ipso posuerit, vel a Gaudentio aliud sibi nomen adjunctum fuisse quodam veluti animi obsequio erga Petrum monasterii Portus-novi conditorem, præsertim cum vetera doceant monumenta, Chrobatis, Dalmatis, ac Slavis more gentis sollemne fuisse, duplex sibi nomen imponere. Sed Farlati sententia est vero similior; neque crediderim, Petrum Damianum in Apolog. ad Alexandrum alium Petrum indicasse Antistitem Absorensem, qui Laurentio Episcopo suffectus est, & ex duobus tantummodo monumentis solo suo nomine innotescit. Hisce ex Tom. II. ad ann. 1048. descriptis addimus eorumdem doctissimorum virorum opinionem, qua in Tom. I. an. 1002. facile sentiunt, Gaudentium sanctissima Romualdi disciplina fuisse institutum; *quem*, inquiunt, *Romualdi discipulum faciunt cum plures auctores, tum traditio oppidanorum insulæ*: idem affirmant in Tom. II. an. 1038. *Hic discipulus, quod alibi asseruimus, Romualdi in Histriensibus solitudinibus &c.* Hinc tamen ne conjicias, Gaudentium Camaldulensium familiæ nomen dedisse, eorumque institutis fuisse obstrictum: mihi quidem hæc est sententia ipsum a Romualdo sanctioris vitæ præcepta edoctum comitem se se eidem dedisse Dalmatici itineris, vel cum Parentium primo secessit in solitudinem Romualdus an. 1001. vel cum eo iterum advenit an. 1010.; tum insigni sanctimoniæ exemplo, quam opere habituque præferebat, suisque hortationibus Absorenses incolas, finitimosque circum oppidanos cum ad vitæ, morumque sanctitatem allexisset, iisdem auctorem fuisse, ut monasteria per eas regiones exstruerent, & monastica instituta amplecterentur. Consentit huic sententiæ Farlatus, eique adhærent laudati Annalium Scriptores tum in Tom. II. an. 1030. in quo legimus; *Per plures annos monasticam simul & eremiticam vitam in suis regionibus propagavit*; tum in Tom. I. an. 1002. ubi plura commemorant de monasteriis a Gaudentio exstructis, quæ lubet hic describere. *Ferunt Gaudentium nobilissima stirpe natum in urbe Absaro Dalmatiæ provinciæ, exemplo & auxilio monachorum Casinensium, qui ex eo sacro monte per hæc tempora in Histriam, & Dalmatiam transmissi fuere, ope etiam, consilio, & sub norma S. Romualdi, qui incola erat his annis circumjacentis & conterminæ regionis, monasteria plura erexisse, quæ seminarium fuere sanctorum, & præclarissimorum virorum, qui Dalmatiam illustrarunt hoc potissimum sæculo, Laurentii præsertim prius Absarensis, inde Spalatensis Archiepiscopi, & Johannis Traguriensis Episcopi. Recensetur in his monasterium S. Petri intra mœnia Absarensis urbis, cujus monachi Canonicorum vicem supplebant in Ecclesia principe ejusdem insulæ. Unitum subinde fuit monasterium hocce celebre Abbatiæ S. Mariæ Portus-novi Anconæ. Post annum 1440. commendatariis concessit. Aliquando monasterium S. Petri*

tri obtinuit titulum etiam S. Gaudentii a corpore sui illustris Fundatoris, quod translatum ex Abbatia Portus-novi conditum fuit, ut fertur, in Ecclesia ejusdem cœnobii: nunc omnino locus est desertus, subsistente tamen Ecclesia, & redditus ipsius assignati fuere hoc nostro sæculo a Clem. XI. novo seminario clericorum Slavorum erecto in metropolitana urbe Jaderensi. Sed monumentum, quod afferunt, de translatione S. Gaudentii, ignotum fuit Farlato; nec discepandum censeo inter utrosque: re tamen vera redditus monasterii S. Petri Jaderensi Seminario attributi fuerunt a Benedicto XIII. anno 1729. Alterum, inquiunt Camaldulenses Scriptores, pro sacris virginibus asceterium ædificavit .... sub invocatione S. Benedicti, subinde appellatum S. Mariæ Gratiarum. Olim intra urbem continebatur; postea vero urbe angustiori reddita, extra ipsam remansit ad partem orientalem prope veterem cathedralem Ecclesiam. Anno 1521. moniales piratarum excursus formidantes intra urbem receptæ fuere ad cœnobium S. Mariæ Angelorum; paullo post regulam S. Francisci amplexæ sunt; & earum ecclesia titulum adepta fuit S. Claræ. Celebre est in eo cœnobio nomen Cæciliæ Coppæ Abbatissæ sanctæ feminæ, cujus annulus, & pœnalia instrumenta cum veneratione custodiuntur. Tertium appellabatur S. Michaelis a Sanselongi tribus milliaribus dissitum a monte Absarensi in eadem insula ... fundatum, etiam adjuvante Martino Episcopo Absarensi. In veteribus chartis aliquando etiam profert nomen S. Nicolai. Abbatia hæc progressu temporis præpositura, & prioratus evasit; ipsiusque loci monumenta supersunt in chartis monasterii Montis-cassini, cui annuam pensionem solvebat prioratus S. Michaelis. Quartum S. Nicolai Montis-garbi. Subjectum erat hoc monasterium cœnobio Portus-novi Anconæ. In summitate montis, ubi situm est monasterium S. Nicolai, visitur ædicula sancto Gaudentio sacra, prope quam vestigia conspiciuntur ecclesiæ amplioris. Prior S. Nicolai præerat eremo, quæ hodie appellatur Stramnich, id est, domunculæ, quarum cellarum adhuc supersunt vestigia, ad instar eremorum, quas fundabat hoc tempore S. Romualdus. Vertex montis distat quinque milliaribus ab urbe Absarensi ad meridiem; eremus parum ab ipso dissita proxima erat castello nunc demolito, vocato olim Tersich. Prope hoc castellum exsurgebat alia ecclesiola S. Petro dicata, nunc affatim subversa, quæ bona possidebat in loco nominato Poglie, quorum jus devolutum fuit postea ad Abbatiam S. Petri. Ecclesiæ præterea, altera, quæ a S. Francisco de Neresine nunc appellatur m. p. duos Absaro distans, altera S. Martini Chersum versus dissita m. p. decem, tertia S. Mariæ de Viaro conditæ feruntur a Gaudentio: harum possessionem obtinent Patres Franciscani. Hinc laudati Camaldulenses opinionem improbant, quæ memoriæ tradita est in quibusdam catalogis mss. Episcoporum Absorensium; Gaudentium scilicet a Petro Damiano in Camaldulensium familiam cooptatum fuisse: Petrus fundator monasterii Portus-novi male, aut saltem sine fundamento in quibusdam mss. catalogis Episcoporum Absorensium asseritur fuisse idem Petrus Damianus, a quo monasticum habitum receperit Gaudentius; id profecto non tacuisset Damianus, qui familiaritatis tantum dulcedinem, & colloquia Gaudentii se meruisse scribit. Initia aditi a Gaudentio Episcopatus rejiciuntur ab ipsis Scriptoribus in annum circiter 1038. qua de re nihil Farlatus definivit: scribunt enim in Tom. II. ad eundem annum: Gaudentius valedicens suæ Ecclesiæ post decennium circiter ab hoc anno in Anconitanam oram maris Adriatici se contulit, aliamque Abbatiam & monasterium de novo conditum habitavit in eo maris situ, qui appellatur Portus-novus, quique duobus milliaribus distat a Monte Conero, & quattuor ab Ancona. Igitur Absorensi Episcopatu se abdicavit anno circiter 1048. cumque biennio post obierit, anno 1050. emortualis dies Gaudentii erit consignandus: sed & cum Farlato, & secum ipsis pugnant viri eruditi; ille enim emortualem annum Gaudentii constituit 1044. ipsi, cum ad an. 1050. hæc scripserint, Gaudentius ad superos anno jam 1059. (corrige 1049.) convolaverat, teste Damiano. Scribens enim eo anno Nicolao II. ait: A qua, urbe Ancona, non longe post biennium feliciter obiit, sane huic biennio locum minime relinquunt. At enim Damianus, inquiunt, anno 1058. erat Auximi, quæ urbs parum distat Ancona, & a monasterio Portus-novi; quo tantum tempore idem Damianus familiaritatis Gaudentii dulcedinem potuit mereri, & cum ipso plurima colloquia miscere. Dum itaque exploratus non est annus verus obitus Gaudentii, ad hunc circiter annum ipsum statuimus. Sed multo gravior exoritur ex hisce verbis dissensio: quippe si biennio post Dalmaticum discessum Gaudentius vita functus est, cum ejus mors in annum incidat 1050. Damianus ejus consuetudine uti certe non potuit anno 1058. sin post biennium ab inita cum Damiano familiaritate is ad superos evolavit, igitur duodecim ferme annos ab dimisso Episcopatu in monasterio Neo-portus monasticam vitam transegit. Is tamen annus omnino decerni debet, quo sollemnis commemoratio Christi Domini ascendentis in cælum adscripta fuerit ad diem primum, & tricesimum Maii; siquidem Gaudentius postridie hujus diei assumptus est cum gloria, inquit ejus vitæ Scriptor, ut obsequium compræberet in ejus, Christi, Ascensione: quæ tamen verba postrema facile innuunt, hoc ipso festo die Gaudentium vita abiisse; cujus diei propterea commemoratio vel Kalendis Juniis consignata fuerit, si laudatum vitæ Gaudentianæ scriptorem sequaris, Assumptus est cum gloria Kalendis Junii; vel pridie Kalendas Junias, si Matthæi Jaderensis auctoritati assentiare, qui vitam Gaudentii descripsit ex vetusto exemplari, eumque obiisse testatur pridie Kalendas Junii, ut Camaldulenses Scriptores affirmant in Tom. IV. ad ann. 1180. Verum enimvero integro undecim annorum spatio ab anno nimirum 1049. ad annum 1060. dies festus Christi Domini ascendentis in cælum nunquam incidit in diem Maji tricesimam primam, aut in Kalendas Junias, ut indicant chronologicæ Paschatis notæ eo annorum cursu deductæ; quare, siquid conjiciendo assequi possumus, multo fit veri similius, annum Gaudentii emortualem fuisse 1044. quo anno postremus Maji dies iis sollemnibus dicatus fuit, & Gaudentii obitus potius diei primæ supra tricesimam Maji videtur affigendus juxta Matthæi Jaderensis testimonium, quam ipsis Kalendis Juniis ab anonymo vitæ Gaudentianæ scriptore indicatis, cum hic etiam fateatur, Gaudentium fuisse assumptum cum gloria, ut obsequium compræberet in Christi Ascensione:

Digitized by Google

sione: ita vero Damiani verba intelligimus, cum scribit, sanctissimum Antistitem *post biennium* decessisse, ut *biennium* hoc ab dimisso Episcopatu, & Romana professione tantummodo numeretur. Et si quæras, quo tempore Damianus Gaudentii consuetudine uti primo, fruique potuerit, id facile contingere debuit vel anno 1042. cum Gaudentius Roma regressus est, ut Anconitanum secessum adiret; etenim celebritate nominis permotus, qua Damianus tota pæne in Italia æque doctrinæ, ac sanctimoniæ meritis illustris jam erat, mirum esse non debet, si illum in monasterio Fontis-avellanæ convenerit, ubi tum degebat e Pomposiano monasterio evocatus; vel anno insequenti 1043. cum Damianus ipse Ravennam petiit ab Archiepiscopo Gebehardo arcessitus, qui propterea brevi itinere & Anconam proficisci, & cum Gaudentio aliquo temporis spatio commorari sane potuerit: ipse vero Damianus nihil indicat, quo Anconitanæ hujusce commorationi tempus, longius ne, an brevius, & suavissimæ Gaudentii consuetudini certo tribuamus.

De translatione Dalmatica corporis S. Gaudentii multiplex in vulgus opinio fertur; suam Farlatus proposuit pag. 191. suam produnt Camaldulenses Scriptores hisce verbis in Tom. II. anno 1050. *Legitur in iisdem catalogis*, mss. Ecclesiæ Absorensis, *an.* 1177. *Venetis Anconam obsidentibus sublatum fuisse corpus S. Gaudentii ex monasterio Portus-novi, atque annorum* 83. *spatio sub terra tumulatum jacuisse in loco appellato Portus-bonacia prope Absarum; anno demum* 1260. *sollemnem indictam fuisse ipsius corporis translationem ad urbem Absarensem, & super altare princeps Ecclesiæ cathedralis depositas fuisse ipsius exuvias; alii tamen referunt translationem corporis S. viri e cœnobio Portus-novi ad aliud S. Petri Absorensis urbis ad annum* 1317. quod evenisse ajunt *tempore Rustici Abbatis monasterii S Mariæ de Portu-novo*, in Tom. IV. ad an. 1180. Rei fides esto catalogis istis, quos Farlatus non vidit; in re autem adeo ancipiti, adeoque obscura non controvertimus. Postrema translatio, quam Farlatus silentio penitus præterivit, 3. Kal. Junias anni 1748. peracta est a Nicolao Dinaritio Antistite Absorensi: hujus monumentum ex publicis tabulis Absorensis Ecclesiæ descriptum est a laudatis Scriptoribus in eodem Tom. IV. anno 1180. quod hic subjicio.

Sacra lipsana S. Gaudentii Episcopi Auxerensis, quæ in perantiqua arca lignea lævigatis cancellis obstrusa primis ævis asservabantur, & quæ postea anno MCCCCXII. in alia arca lignea varie depicta, & imaginem ejusdem sancti Pontificis interius præseferente, cancellis pariter, sed ferreis deauratis munita custodiebantur, ac denique anno MDCCXI. in arca marmorea, in qua adhuc hodie super ara majori Ecclesiæ cathedralis fidelium venerationi exhibentur, ab Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Nicolao Dinaritio moderno Episcopo anno MDCCXLVII. sub die XIII. *mensis Aprilis visitata fuerunt, inspectoque aditu, quem sibi mures fecerant a posteriori arcæ parte, quæ simplici tabula tuebatur, idem Illustrissimus, & Reverendissimus Præsul ipsas sacras reliquias inde extraxit, & ea, qua par est, reverentia in alia simplici lignea capsula, quinque sigillis in cera hispanica impressis munita inclusit, & in supradicta arca lignea ferreis cancellis ac tribus iterum sigillis communita recondidit, & super aram B. V. de monte Carmelo collocavit. Peracta interim nova cupressina capsa exterius ex aurichalco circumtecta, ipsa sacra lipsana fuerunt in eadem anno MDCCXLVIII. sub die* XXX. *mensis Maji reposita, chrystallo ex anteriori parte defensa, & per laudatum Illustrissimum & Reverendissimum D. D. Episcopum duabus seris clausa super mensam aræ majoris iterum exposita usque ad diem primam Junii, natalis ejusdem sancti Gaudentii, in qua pro majori sollemnitate indicta publica processione ipsa sacra lipsana humeris sacerdotum imposita magna populi frequentia ex finitimis urbibus affluentis per totam civitatem circumlata fuerunt. Perventum autem in Ecclesiam, denuo super aram majorem deposita capsa publicæ venerationi fuit exposita usque ad diem quartam Junii. Quibus omnibus rite ac pie perfunctis Illustrissimus ac Reverendissimus Præsul ipsam novam capsam cupressinam cum sacris reliquiis in arcam marmoream introduxit, quam tribus seris reseravit. Præsentibus ad hæc omnia Reverendissimis DD. Archidiacono Antonio-Jacobo Moise, Archipresbytero Jacobo Zentilini, Canonico Decano Francisco Tentor, aliisque pluribus ecclesiasticis, & laicis, & ita &c.*

Quare ad perpetuam rei memoriam hoc præsens publicum instrumentum de mandato ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi ego Canonicus Julius Antonius Bertoli Cancellarius Episcopalis confeci & manu propria exaravi.

Loco ✠ sigilli.

Ego idem Canonicus Julius Antonius Bertoli ex actis sacræ Visitationis in Cancellaria Episcopali existentibus præsens instrumentum fideliter exemplavi & in fidem &c.

Tum hæc subdunt Camaldulenses: *Non sine peculiari divino beneplacito contigit recentissima hujusmodi translatio, solemnissima pompa, & devotissimo studio ab urbe Absarensi, & a circumjacentibus populis celebrata; novimus enim ex eo tempore aerem regionis salubriorem factum, fecundioresque feminas ex sterilibus redditas, atque loca incolarum frequentia magis habitata. Addimus etiam, capsam ligneam affabre sculptam a celebri Franciscbio Veneto ad condenda Sancti Gaudentii ossa una cum chrystallis ejusdem unice recuperatam superfuisse naufragio, quod passa fuit navis, super quam imposita fuerat; meritis certe & intercessione sanctissimi Absarensis Episcopi Gaudentii, qui protectionem suam specialem donat urbi & regioni, præsentia sua dum viveret, & sacris reliquiis post aliquot sæcula a suo obitu illustratis.*

Beatissimi Antistitis effigiem hic exhibeo ære incisam sollerti cura, ac pietate P. Philippi Receputi de Illyrici Sacri historia egregie meriti, qui Gaudentii præterea vitam descripserat, ut Absorensium oculis proposita eorum religionem erga B. virum foveret, spemque in ejus præsenti patrocinio repositam augeret.

Hunc



Hunc sibi, suæque urbi patronum antiquitus elegerunt Absorenses: constat tamen ex Absorensibus monumentis hoc honore donatum antea fuisse S. Nicolaum Mirensem Episcopum: uti etiam Crepsi princeps patronus extitit ab antiquissimis temporibus S. Isidorus Episcopus & Martyr, cujus tamen sacri corporis nullas possident reliquias cives Crepsenses. Ejus festam commemorationem sollemni ritu, & publica supplicatione concelebrant die 2. Februarii; & in liturgia divini Officii hanc de illo Antiphonam, & orationem recitat clerus Crepsensis.

S. Isidorus Crepsæ patronus.

O martyr invictissime Isidore urbis Chersinæ protector, & refugium nostris acquiesce precibus, & pro salute omnium funde preces ad Dominum.

Oremus.

Deus, qui B. Isidorum virtute vera fidei, & constantia in sancta confessione roborasti, quique illum B. Martyrum, pariterque Pontificum collegio associasti, ejus quæsumus precibus nos ab omni adversitate libera, & æterna felicitatis concede perfrui gloria. Per &c.

Deditio Absori, & Crepsæ Venetorum dominio.

Pontificatus Mauri Episcopi Absorensis XXIII. insignis est illustri nota deditionis, qua Absorenses, & Crepsenses se se Venetorum dominio ultro subjecerunt. Extant litteræ Michaelis Steni Ducis, queis insulas hasce in Reipublicæ Venetæ potestatem, ac patrocinium recepit.

Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Prudentibus & discretis viris Nicolao, & Petrisio Locumtenentibus nostris, ac judicibus & consilio Chersi & Ausseri fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuerunt ad nostram præsentiam providi viri Antonius Stepani de Cherso, & Colizza de Contixelis de Absero fideles nostri, qui pro parte vestra, & totius universitatis insularum Chersi, & Ausseri sub credentialibus litteris vestris exposuerunt nostro dominio omnia, quæ sibi per vos fuerunt imposita. Unde sicut dictis vestris Ambasciatoribus diximus, & respondimus, ita vobis scribimus, & denotamus, quod nos accepimus & assumpsimus insulas prædictas, & vos sub protectione & umbra nostri dominii, & dispositi sumus vos, & dictas insulas habere, & tenere pro nobis, & sub regimine & protectione nostri dominii, & non intendimus ullo modo vos, aut dictas insulas dare vel alienare alicui personæ de mundo, & propterea vos hortamur & inducimus, quod sitis fideles servitores, & devoti nostri dominii, sicut speramus in bonis dispositionibus, quia semper invenietis nostrum dominium benignum, & bene dispositum ad vestra commoda, & honorem, & dispositi sumus de brevi mittere illuc nostrum Rectorem, qui vos

& di-

Digitized by Google

& dilectas insulas regat & gubernet ad nostrum honorem, & statum, & vobis & cuilibet vestrum jus & justitiam certe & aequaliter ministrabit, taliter quod habebitis causam merito contentandi, & sub vera obedientia & fidelitate Dominii nostri permanendi.

Data in nostro Palatio Ducali die 27. Aug. Indict. ii. 1409.

De Martini Fojettae Episcopatu Absorensi.

Flaminius Cornelius in Tom. II. monum. Eccel. Torcel. commemorat pag. 81. Martinum quemdam cognomine Fojettam *J. U. D. Protonotarium Apostolicum*, *postea Episcopum Auxerensem*: quo fretus testimonio id afferat, non comperio. Martinus parœciae S. Mariae in insula Muriano Torcellanae diœcesis praepositus fuit a Stephano Antistite Torcellano; cumque Angelus a Gallo *Murianensis Presbyter praetextu cujusdam electionis Parochianorum dictae plebis*, *& incolarum*, illum de gradu dejicere conaretur, Julius II. Pontifex a Martino rogatus controversiae dirimendae potestatem fecit Hieronymo Trivisano Episcopo Cremonensi electo, qui secundum Martinum sententiam tulit anno 1508. Kalend. Decembris, & in litteris ejusdem sententiae Martinus dicitur *Archipresbyter Auserensis*. Igitur si catalogo Absorensium Antistitum Martinus est inserendus, is Episcopatum obtinuit an. insequenti 1509., cui Joannes decessor praefuerit usque ad hunc annum; sed ne triennio quidem Ecclesiam suam gubernavit: quippe Andreas II. Episcopus Absorensis an. 1512. Romae jam intererat Lateranensi Concilio.

Decreta ecclesiastica Antonii Cappi Antistitis Absorensis.

Antonius Cappus, ubi primum Absorensem Episcopatum adivit, saluberrimis, piisque decretis cleri utriusque Absorensis, & Crepsensis dignitati, moribusque consuluit, quippe in deterius ita ruere videbantur quotidie, ut solo nomine Sacerdotii honos dignosceretur. Decreta ipso anno 1533., quo Episcopale munus suscepit, edita sunt in haec verba.

Nos Antonius de Cappo Episcopus Aufferensis Dei & Apostolicae sedis gratia. Quum boni pastoris officium sit gregem suum diligenter custodire, ac omni cura & sollicitudine super ipsum intendere: quia non sine gravi animi nostri molestia percepimus, quamplures clericos tam in sacerdotio, quam in aliis sacris, ac minoribus ordinibus constitutos, Dei timore postposito . . . . sui neglecta dignitate, circa divinorum officiorum celebrationem minus, quam deceat, frequentes, immo valde negligentes, & minus quam deceat reverenter celebrent, & quod deterius est, plures habitu saeculari induti incedunt de nocte cum armis varia & enormia perpetrantes delicta in maximum opprobrium & vilipendium Ecclesiae pessimumque aliorum exemplum. Propterea ne de crassa negligentia in die Judicii rationem reddere teneamur, volentesque ea, quae tam circa divinorum officiorum celebrationem, quam circa morum, & vitae reformationem in sacrorum Conciliorum praesertim Lateranensis nona sessione constitutionibus salubriter ordinata sunt, inviolabiliter observentur. Vos omnes & singulos diœcesis nostrae, & in ea commorantes, ac jurisdictioni nostrae subjectos monemus, & in virtute sanctae obedientiae, ac poenis infra contentis praecipimus, & mandamus, ut infra.

Et primo mandamus & praecipimus omnibus & singulis Dominis Canonicis & Capellanis, & cujuscumque gradus, status, & conditionis existant, quod singulis diebus juxta laudabiles, & antiquas consuetudines horis debitis & consuetis interesse debeant in ecclesiis suis, & quilibet eorum ad eas accedere teneatur ad matutinum, missas, vesperas, & omnes alias horas, & ipsum vel ipsas indutus cotta & superpelliceo legere, sive decantare, ut moris est, sine murmuratione, seu vaniloquio in choro, dum missa & officium legitur, & recitatur sub poena solidorum sex . . . pro qualibet vice Aufferen. . . . & hoc modo dividendorum, videlicet, quod ambo Sacristae habeant de dictis sex solidis unum pro quolibet contrafaciente pro labore seu officio spontandi non interessentes ipsis divinis officiis; quae poena duplicetur diebus festis & solemnibus: declarando quod si fuerit Sacerdos non possit missam celebrare, nisi prius soluta dicta poena Sacristis, vel alteri eorum. Quod si contrafecerit, & non solverit, ut supra, intelligatur suspensus a divinis per mensem. Reliqui vero quinque solidi debeant per sacristas consignari decimario Capituli, sub poena standi in carceribus per unum diem, qui decimarius habeat dividere ipsas pecunias inter Sacerdotes interessentes divinis officiis salvo tamen semper justo impedimento per nos, vel per Vicarium nostrum declarando. Sacrista vero, seu ad quem tale officium spectat, qui non spontaverit non interessentes divinis officiis, stare debeat per tres dies in carceribus.

Item mandamus, & praecipimus, quod nullus ex praedictis audeat, nec praesumat tam in Ecclesia, quam in sacristia alteri injuriari, nec verba contumeliosa dicere sub poena unius ducati pro qualibet vice ipso facto incurrenda, & irremissibiliter auferenda, & plus arbitrio nostro, seu nostri Vicarii secundum atrocitatem injuriae, habita consideratione de qualitate personarum injuriatae, & injuriantis: cujus poenae medietas sit accusatoris, qui tenebitur secretus: alia dimidia distribuatur amore Dei.

Item mandamus, quod nullus audeat ferre arma offensibilia de die, nec de nocte, neque ire de nocte per civitatem Aufferi, vel Chersi post horam secundam noctis; praeterquam cum licentia nostra, vel Vicarii nostri, nisi ex legitima causa, quae probari debeat sub poena L. 5. ipso facto incurrenda, & irremissibiliter auferenda, cujus poenae medietas sit accusatoris, alia distribuatur, ut supra.

Item volumus, & mandamus, quod nullus ex praedictis debeat nutrire comam, neque barbam, sed unusquisque debeat deferre capillos detonsos, ita quod pateant extremitates aurium sub poena L. 3. applicanda, ut supra. Sacerdotes vero celebrantes omnino debeant barbam radere, seu radifacere sub poena excommunicationis: quibus barbam deferentibus praecipimus, quod nullo modo possint celebrare sub poena standi in carceribus per menses sex.

Item mandamus omnibus, & singulis Sacerdotibus, ac clericis, ut supra, tam Canonicis, quam capellanis, & aliis cujuscunque conditionis, gradus, & dignitatis existant, quod non audeat, vel praesumat quovis quaesito colore tenere in domibus suis, vel extra mulieres suspectas, & a jure non permissas: sed eas expellere debeat in termino unius mensis a die publicationis, seu affixionis praesentis constitutionis, seu monitorii: ut . . . sub poena ducatorum centum quoad tenentes illas in domo, & quinquaginta quoad tenentes illas extra domum; & si non habuerint modum solvendi, stent, & stare debeant per menses

sis sex in carceribus in primo casu. In secundo casu per tres menses: quæ pœna pecuniaria applicari debeat per quartam partem accusatori; qui tenebitur secretus, alia quarta distribuatur inter pauperes, & duæ reliquæ partes cameræ episcopali pro reparatione palatii.

Item præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis clericis, & sacerdotibus in diœcesi nostra commorantibus ad abolendam execrabilem blasphemiam, quæ in maximum divini nominis, & Sanctorum contemptum supra modum inolevit: ut quicumque clericus, vel Sacerdos Deum, vel beatam Virginem ejus matrem maledixerit, seu verba obscœna de eis, vel altero eorum dixerit, vel aliter blasphemaverit, sive publice, & palam, sive clam, dummodo possit probari, privetur fructibus beneficii per unum ... si habuerit beneficium, & verba sint maledictionis, vel obscœna: si vero sine verbis aliter blasphemaverit puniatur, in L. 25. applicanda per dimidiam accusatori, alia vero dimidia distribuatur amore Dei; & si non habuerit beneficium aliquod ecclesiasticum, nec modum solvendi, stet, & stare debeat in carceribus cum cibo, & potu limitato, arbitrio nostro, vel Vicarii nostri; si autem Sanctos, vel Sanctas blasphemaverit, seu maledixerit .... liter arbitrio nostro, vel ut supra: secundo vero convictus de tali crimine privetur beneficiis si habuerit, vel aliter si non habuerit arbitrio nostro: tertio autem convictus dignitatibus ... omnibus eo ipso privatus existat: quæ libere impetrari, & conferri possint ab habente potestatem; si autem non habuerit beneficium, talis tertio convictus stet, & stare debeat per annum continuum in carceribus pane tantum, & aqua alendus arbitrio nostro. In foro pœnitentiali prohibemus omnibus, & singulis sacerdotibus absolutionem super tali crimine nobis, vel Vicario nostro reservantes.

Item præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Canonicis, capellanis, & aliis quibuscumque sacerdotibus, & clericis cujuscunque gradus, conditionis, & dignitatis existant, ut teneantur, & debeant in termino unius mensis post præsentium publicationem, vel affixionem, nobis vel Vicario nostro ostendisse bullas beneficiorum suorum quarumcunque; quo termino elapso ipsis non comparentibus exhibentibus ipsas bullas infra terminum statutum, ex nunc prout ex tunc, ut e contra tales inobedientes mandatis nostris stante eorum contumacia, & contemptu ipsis eorum beneficiis privamus, ac privatos esse declaramus, exceptis tamen illis, qui reperiuntur extra diœcesim, quibus statuimus terminum trium mensium ... scientiæ probatæ, vel præsumptæ, nisi forte tantum abesset a diœcesi nostra, quod verosimiliter de prædictis non posset habere notitiam.

Item mandamus, & præcipimus omnibus sacerdotibus, & clericis, ut sup. quod incedant honeste, & cum habitu clericali conveniente secundum gradus eorum, & dignitatem ipsorum sub pœna unius ducati qualibet vice irremissibiliter auferenda & applicanda pro dimidia accusatori, alia vero dimidia distribuatur amore Dei, ut sup. & Rever. Domini Canonici debeant portare al .... in suis Ecclesiis, & omnes habentes dignitates in Ecclesiis cathedralibus, sive majoribus; & rectores ecclesiarum, seu plebani, qui sunt in diœcesi nostra, caputium in publico deferre debeant sub eadem pœna applicanda ut sup.

Item mandamus sacristis Ecclesiæ nostræ Auserensis, & Chersi, quod debeant pulsare matutinum, vesperas, & Missam majorem horis debitis, & consuetis; per spatium unius horæ saltem post pulsum matutini expectari debeat tantum tempus, quæ remotior possit venire ad Ecclesiam, & non audeant dicti sacristæ, sive eorum alter, nec præsumat de choro discedere dum cantatur, aut legitur divinum officium, sub pœna standi in carceribus per unum diem pro qualibet vice.

Item præcipimus, seu potius declaramus, quod quilibet sacerdos, seu clericus in sacris ordinibus constitutus, vel in minoribus si beneficium ecclesiasticum obtinet, teneatur singulo die cessante legitimo impedimento dicere divinum officium, alias autem habens beneficium ecclesiasticum si cessaverit, per sex menses post illud obtentum non faciat fructus suos: sed expendatur pro dimidia in fabricam palatii: alia vero dimidia distribuatur amore Dei pro rata temporis, quo non dixerit officium prædictum, nec possit absolvi in foro conscientiæ: nisi fructus prædictos non suos restituerit: si vero per annum omiserit dicere dictum officium, & constare possit, beneficium vel beneficia, si plura habuerit, amittat: non habentes beneficium, & in sacris existentes, qui omiserint dicere prædictum officium per tres dies continuos, seu plures, stare debeat in carceribus per tot dies, quot omiserit dictum officium: in minoribus vero ordinibus tantum constituti carentes beneficio tenentur dicere singulo die officium B. Virginis; quod si dicere omiserit per tres dies, vel ultra absque legitima caussa, & constari possit, puniatur arbitrio nostro, vel Vicarii nostri, & pœna applicetur, ut sup.

Item ludos quoscunque tam a sacris Canonibus, quam a jure civili prohibitos jubemus sub pœna unius ducati pro qualibet vice, si in publico ludetur, si in privato L. 3. applicanda ut sup. quam si non solverit, stet in carceribus arbitrio nostro.

Item mandamus, quod nullus sacerdos de nostra diœcesi, seu in ea moram trahens, cujuscunque conditionis existat, audeat, vel præsumat audire confessiones, nec Missam celebrare per totam diœcesim nostram in domo alicujus personæ absque expressa licentia nostra, nec ferre eucharistiam, vel baptizare, præterquam in casu necessitatis: sub pœna excommunicationis.

Præterea constitutiones, & ordinationes fel. rec. SS. Domini nostri Leonis Pp. Decimi, in prædicta nona sessione sacri Lateranensis Concilii editas, & promulgatas, vitam, & mores, ecclesiasticamque disciplinam conservantes, vos omnes prænominatos sacerdotes, & clericos ad eorum observantiam inviolabiliter teneri volumus, & intimamus, quemadmodum SS. Dominus noster mandat, & præcipit in eisdem. Si quis autem horum mandatorum, aut alicujus eorum contemptor extiterit, vel ausu temerario præsentes amovere, lacerare, aut quovis modo deturpare præsumpserit, ex nunc pro ut ex tunc, & e contra excommunicationis sententiam in his scriptis ferimus, & fulminamus, ejus absolutionis nobis, vel locumtenenti nostro facultate retenta; reservamus nihilominus nobis arbitrium, & facultatem faciendi gratiam de præmissis, sed & pro ut nobis videbitur.

Dat. Auseri in episcopali palatio die 6. mensis Decembris 1533.

Hieronymus Sestius
Sac.

Iis,

Digitized by Google

Gesta quædam Joannis II. Episc.

Iis, quæ gesta a Joanne II. Antistite Absorensi XLI. memoriæ commendavit Farlatus, hæc præterea addenda sunt eximiæ pietatis, ac religionis monumenta. Nam tertio quoque die Dominico per menses singulos instituit publicas supplicationes, quibus Absori, Crepsæ, Capite-insulæ, Lubenizzæ, & in utroque Lossinio Eucharistia deferretur sollemni ritu, cultuque: cum vero frequentes aeris procellæ agro Absorensi, & Crepsensi impendant, jussit, ut, ingruentibus nimbis, sonitus e sacris turribus ederentur, tum parochi stola amicti ante aram, ubi divina Eucharistia colitur, sisterent oraturi, & precibus expletis, præeunte cruce ad fores Ecclesiæ, ipsi aqua lustrali adversus impendentem tempestatem, & ecclesiastico ritu bene precarentur. Ubi quis proxime moriturus esset, sancivit, ut e vicinioris Ecclesiæ turri signum populo daretur, qui pias preces funderet pro æterna ægrotantis incolumitate. Vetuit, ne Slavi presbyteri parum aquæ, qui mos inter illos invaluerat, vino miscerent ante sacrificium; tum qui pauperes erant inter illos, ut agrorum cultui pro gentis consuetudine incumberent, non invitus concessit. Magnam penes sapientes, ac religiosos viros sui existimationem adeptus est, & Senatus Veneti auctoritate ejus Synodus valde commendata fuit: tot vero, quibus gravissime illum lacessebant improbi homines, molestiæ, accusationes, & convicia nunquam ejus constantiam deterrere potuerunt, ne tuendo, fovendoque gregi sibi concredito pastorali cura, ac sollicitudine invigilaret. Eo Antistite, Ecclesia S. Clementis restituta fuit Absori, novumque erectum altare, cui stemma impendet familiæ *de Petris*, inscriptione hac subjecta.

Franciscus de Petris Primicerius, ac Illustrissimi & Reverendissimi de Rubeis Episcopi Auxeren. Vic. Gen. hoc fieri jussit Anno a Nativ. Dom. 1657.

Cornelii, & Sajanelli error notatur.

Lapideum monumentum consecrationis Venetæ Ecclesiæ S. Sebastiani, quam obtinet religiosus ordo Hieronymianus, præfert nomen Joannis Francisci de Rubeis Episcopi Auxē, quem eruditus vir Joannes Baptista Sajanellus in historia Hieronymianæ Sodalitatis beati Petri de Pisis autumat Episcopum Absorensem fuisse. Cum vero Ecclesiæ illius consecratio a Joanne Francisco peracta sit an. 1562., recte animadvertit Flaminius Cornelius tum hic in Tom. V. monument. Eccl. Venet., tum in postremo Supplem. eo anno locum non esse Joanni Francisco inter Absorenses Antistites; siquidem Antonius Cappo Absorensem tenuit sedem episcopalem integro viginti annorum cursu; eique vita functo an. 1553. successit Marcus Fidelis Gonzaga, quem Antonius adhuc vivens adjutorem sibi postulaverat *cum futura successione*, isque vitam, & Episcopatum produxit ad annum 1583. Hinc Cornelius conjicit, Joannem Franciscum e nobili inprimis Forojuliensi familia de Rubeis, & Episcopum Aurensem in Thracia fuisse, cujus imago in ædibus familiæ ejusdem conspicitur, subjecto titulo *Episcopus Aurensis*. Verum fallitur in hoc Supplem. Tom. pag. 289. idem Cornelius, qui Antonium Episcopum Absorensem, de quo mox diximus, familiæ Coppo, seu Coppinæ Veneta nobilitate illustri attribuit; huic enim Cappo cognomen fuit, patria insula & civitas Pagus in Flanatico sinu. Gravius tamen erravit, cum in Tom. V. inter monumenta Ecclesiæ SS. Gervasii & Protasii lapidem consecrationis testem hac chronologica nota anni 1557. inscriptum profert; & in Tom. XIV. Supplem. Joannem de Rubeis, a quo eadem Divorum Gervasii, & Protasii Ecclesia dedicata fuit, cum Joanne Francisco, de quo mox diximus, permiscet, atque confundit. Sed hujus sacræ ædis consecratio an. 1657. peracta est a Joanne de Rubeis Antistite Auxerensi septem supra sexaginta post annos, quam ædificata iterum fuit an. 1590. hi vero Antistites uti ætate, ita patria, atque Episcopatu omnino sunt inter se se diversi. Vide Farlatum in Joannis de Rubeis Absorensi Episcopatu pag. 219.; & pag. 217. corrige typographicum errorem, qui in chronologicam notam irrepsit monumenti Coriolano Garzadorio inscripti Absorensi itidem Episcopo: siquidem annus is est MDCXIV.

Sodalitiū Crepsense doctrinæ Christianæ.

Simonis Gaudentii haud minus præclara fuerunt in Absorensem Ecclesiam merita, totique diœcesi egregia præstitit dilectionis, atque vigilantiæ monumenta. Quod Absori instituit sodalitium Christianæ doctrinæ, etiam Crepsæ statuendum sancivit; ut vero amplioribus privilegiis, ac indulgentiis ditaretur, quo sodales promptiores, ferventioresque fierent in Christianis præceptis, institutisque tradendis, actum est, ut primariæ Romanæ sodalitati Crepsensis quoque uniretur, eaque cura Georgio Georgicæo Romæ degenti studiosissime injuncta fuit. Hic porro in re perficienda egregium studium impendit P. Philippus Ricputi Soc. Jesu; ejusque opera plurimum usus est Gaudentius, ut diœcesim universam sacris missionibus, aliisque pietatis, ac religionis operibus excoleret. Simon nonnihil molestiæ pertulit in ea contentione, qua tum Crepsenses Canonici negabant se obstrictos esse, ut diœcesanam Synodum adirent, cum ab Episcopo indiceretur. Obstiterunt Crepsensi Capitulo Canonici Absorenses; & rei quæstione delata ad tribunal Internuntii pontificii, hujus *Auditor* & Episcopi Absorensis decretum adversus Crepsenses confirmavit, & sententiam tulit secundum Absorense Capitulum. Nihilo tamen secius Canonici Crepsenses repugnare visi sunt, dum judicii delegatione ab Internuncio commissa Marco Antonio Ferro Protonotario Apostolico an. 1699., eodem anno die Maii XI. priorem sententiam ita probabit, ut Crepsenses Canonici in posterum diœcesanæ Synodo interesse tenerentur; cujus decreti hæc formula est.

Canonici Crepsenses abnuunt interesse synodo diœcesanæ.

Lata contra eos sententia.

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, Nos Marcus Antonius Ferro J. U. D. Prothonotarius Apostolicus, nec non in causa .... Judex, & Commissarius per Illustrissimum & Reverendissimum D. Nuntium Apostolicum Venetiarum specialiter delegatus. Per hanc nostram sententiam definitivam, quam de Jurisperitorum consilio fecimus .... Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitive sententiamus bene fuisse judicatum per D. Auditorem generalem Nunciaturæ Apostolicæ Venetiarum tam in ea parte, qua confirmavit decretum, seu decreta lata per Illustrissimum & Reverendissimum D. Episcopum Auxerensem, quam in ea parte, qua decrevit, & declaravit prædictos Dominos Canonicos Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Chersio dictæ Auxerensis diœcesis teneri, & obligatos esse accedere ad Synodum diœcesanam, eidemque inter-

tereſſe, quotieſcumque congregari contigerit .... maxime in caſibus .... de vita, & honeſtate clericorum, pro morum reformatione, ſtatu univerſali, & regimine eccleſiaſticorum, & beneſitiatorum, horis canonicis, chori diſciplina, reſidentia, diſtributionibus, aliiſque conſuetudinibus, & ferenda ſint decreta eoſdem quoquo modo tangentia .... & ſententiamus .... ne eccleſia detrimentum patiatur, & divinus cultus fraudetur obſequio, per D. Epiſcopum Auxerenſem proque illius prudentia proferendos eſſe tres Canonicos, duos Manſionarios, & quatuor Sacerdotes omnes ex ejuſdem collegiatæ ſenioribus, ut remaneant in ſervitio, & officio chori, aliiſque obſequiis ad eoſdem ſpectantibus obeundis; reliquos vero nempe D. Archipresbyterum, alioſque Canonicos, & Manſionarios, & Sacerdotes ejuſdem collegiatæ ad Synodum accedere, eidemque perſonaliter intereſſe debere, & teneri, niſi aliquis ex eiſdem juſto, legitimo, & canonico impedimento detentus fuerit, in quem eventum poſſe, eidemque licere ad proponendam excuſationis cauſam de eademque docendum medio procuratoris comparere, & non alias &c. ..... Data die Lunæ XI. *Maii 1699.*

Ita pronunciavi Ego Marcus Antonius Ferro Judex Commiſſarius Apoſtolicus.

Franciſcus Fabri Cancell.

Litteræ Silveſtri Valerii Ducis Venetiarum pro Simone Gaudentio Antiſtite Abſorenſi.

Extant præterea litteræ Veneti Senatus decreto ſcriptæ Jacobo Mauroceno Crepſi, Abſorique Comiti, quibus Gaudentii decreta probantur, quæ ad incrementum divini cultus religioſe prudenterque tulit, eoſque in obedientiæ officio contineri jubetur, qui hiſce legibus morem gerere abnuebant. Datæ ſunt in hæc verba anno 1699.

Silveſter Valerius Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobili & ſapienti viro Jacobo Mauroceno de ſuo mandato Comiti & Capitaneo Cherſi, & Auxeri, fideli dilecto ſalutem & dilectionis affectum.

Cum intellexerimus ab iſto Antiſtite ſancita quædam fuiſſe, quæ chori diſciplinam, eccleſiarum, ſacrarumque veſtium decus ſpectant, viſumque nobis ſit ea eſſe ejuſmodi, quæ omnino ſerventur, cum ad Dei cultum, & Chriſtianam pietatem pertineant, Senatus auctoritate mandamus, hiſce Epiſcopi decretis tum a Canonicis, tum a ceteris quibuſque eſſe parendum, eoque magis, quod ab Internuncio Pontificio ſecundum Epiſcopum de iis judicatum fuiſſe cognovimus. Siquis tamen contendat, ſuo juri per haſce Epiſcopi leges quidquam derogari, aliiſve tum cleri, tum diœceſeos eccleſiaſticis decretis, quod ad res civiles attinet, iiſdem Canonicis, ceteriſque fas ſit coram ſe ſiſtere, ut jus cuique reddatur.

Datum in noſtro ducali palatio die XX. *Julii Ind.* V. *MDCLXXXXVII.*

Elogium Matthæi Caramani.

De Matthæo Caramano in Archiepiſcopis Jadertinis plura dicta jam ſunt; ſed non eſt hoc in loco prætermittendum Vincentii Zmajevichii Jadrenſis itidem Antiſtitis nobile teſtimonium, quo Matthæi virtus, & egregia promerita maxime commendata fuere antea, quam ad regendam Abſorenſem Eccleſiam mitteretur.

Vincentius &c. Univerſis &c. atteſtamur Reverendiſſimum Matthæum Caraman e gremio Metropolitanæ Eccleſiæ Spalatenſis annorum 39. circiter, expleto laudabiliter ſtudiorum ſuorum curriculo in Archiepiſcopali Seminario Spalati, anno ætatis ſuæ 24. ad hanc urbem (Jadram) dimiſſorialibus ſui Ordinarii acceſſiſſe, ibique in ſeminario Florio per octennium Rhetoricorum Magiſtri, ac philoſophiæ Lectoris munus exercens, inſignia equidem tum in ſcientiis, tum in moribus ſuis præbuit experimenta virtutum, tum inſuper tanto munere gravatum ad graviora quoque ſubeunda promptum, ac paratum conſpeximus: quippe apoſtolico zelo in omni doctrina, & pietate in pluribus quadrageſimis ſacri Concionatoris opus complevit coram nobis Italico æque, ac Illyrico idiomate. Mox Ruſſiam profectus de mandato ſacræ Congregationis, ubi per quinquennium demoratus, Miſſionari Apoſtolici munus patientiæ, ac perfectæ doctrinæ ſplendore fideles diffuſos inter barbarorum inſidias continuo pavitantes, in unitate fidei caritate duce complectens, egregie confecit. Deinde ſe Illyrici idiomatis ſtudio tradidit, multiſque exantlatis laboribus perfectus evaſit, unicus quidem, cui totius cleri in germana Breviarii, ac Miſſalis lectione (qua vere uſque modo caruit) facultas debeatur. Curſu denique operum ſuorum fideliter conſummato Jadram revocatus fuit; ibi eum noſtra diœceſana viſitatione Verbi Dei miniſtrum, ac præconem ſuſcepimus, in quo tali ac tanta virtute præfulſit in peragendis miſſionibus, & confeſſionibus audiendis, ut iniquitatem aperiens cunctos ad pœnitentiam provocabat; in inſula quoque Pagi hujus noſtræ diœceſis, elapſa quadrageſima, Concionator fuit; noſtrum inſuper ſynodalem examinatorem conſtituimus, totque curis gravibus diſtentus clericos Illyricos provinciæ in ſacra Theologia Morali, ac Illyricæ linguæ diſciplina inſtruendos elaboravit. Quem propterea virum omni virtutum genere præclarum de nobis, ac de univerſo clero Illyrico optime meritum noſtris hiſce litteris muniendum reputavimus, omnique eccleſiaſtica dignitate, etiam Epiſcopali dignum cernentes ſanctæ Sedis Apoſtolicæ in obſequium flexis genibus enixe in Domino commendamus.

Dat. Jadræ ex noſtro Archiepiſcopali palatio die 12. Octob. 1738.

Hæc, quæ Matthæi vitam, & res geſtas ante Abſorenſem Epiſcopatum complectuntur, quiſque pluris æſtimabit, qui Zmajevichii doctrinam, ejuſque ſapientiæ, prudentiæque laudem habeat perſpectam.

§. III.

ADDITAMENTA

Ad Eccleſiam Arbenſem.

Domana civis Abſorenſis, & Arbenſis Antiſtes.

UBi primum de Domana ſeu Dabrana Epiſcopo Arbenſi VI. duo monumenta profero, quæ & ejus nomen aliquantulum immutant, & civem Abſorenſem illum fuiſſe indicant: alterum eſt ex vetuſto *Breviario* Gothicis litteris deſcripto, in quo ad pervigilium S. Chriſtophori hæc leguntur inſerta liturgiæ illius diei: *tempore Venerabilis viri Dom. Domæ nate Abſarenſis Arbienſium Epiſcopi*; alterum ex mſſ. Tiburtii Adrani civis Abſorenſis: *tempore Ven. viri D. Domani natione Abſarenſis, Arbinenſis Epiſcopi.*

De Andrea Epiſc. Arbenſi XI.

In Epiſcopatu autem Andreæ Epiſcopi Arbenſis XI. uno anno poſterior ſignanda eſt ſententia cleri Arbenſis ſecundum diaconum Joannem, id eſt an. 1178. cui anno congruit Indictio XI., idque certum habeo ab exemplari

plari ejusdem sententiæ mihi perhumaniter a Joanne Garagnino Archiepiscopo Spalatensi ex *Sanctuario* Arbensis Ecclesiæ communicato. Idem Andreas interfuit consecrationi Rhadagasti Episcopi Bosnensis, ut in Cosmo Episcopo Absorensi notavit ipse Farlatus, quo tamen anno incertum. Hoc Antistite monasterium S. Joannis Evangelistæ jam Arbi extabat, idque in monumentis Arbensibus comprobatur ex tabulis quibusdam Minojæ ejusdem monasterii Antistitæ anno 1190.

Arbi privilegia. Anno 1307. cum Georgius Arbensem Episcopatum teneret, Paullus Chrobatiæ Banus, & Dominus Bosnæ, civitatis, & cleri Arbensis privilegia suo diplomate confirmavit, quod Scardonæ datum est *die IV. intrantis Januarii*, & in urbis *Sanctuario* servatur.

De Ecclesia Arbensi S. Luciæ. Ecclesiam Arbensem D. Luciæ sacram olim in hac urbe extitisse produnt monumenta tabularii Capitularis pag. 143. quæ fertur ædificata a quodam Arbensi cive, cui *Paganinus* cognomen erat; utrum diruta fuerit, an alius Divi titulo dicata adhuc existat, comperire non licuit in catalogis Ecclesiarum Arbensium; ejus autem erectio Episcopatui Georgii III. adscribitur. Hic interfuit Gradensi Concilio an. 1330. de quo in additamentis ad Episcopos Veglenses.

Cum per hæc tempora quotidie magis Arbensium religio, & cultus in D. Christophorum augeretur, & præ reliquis sollemnis esset festa dies ejus commemorationi dicata, civitatis consulto decretum est, septenos dies ante, ac totidem post illam celebritatem feriis omnino vacandum, eademque lex in festum *Victoriæ* diem constituta; tum quicumque alieno ære essent obstricti, iis liberrime adeundæ urbis facultas permissa, Consiliariis vero civitatis, qui in urbe degerent, munus injunctum, ut in *Victoriæ* pervigilio cereum quisque deferret Marianæ basilicæ offerendum. Decretum est hujusmodi, quod ab eodem Spalatensi Antistite nuperrimis ejus litteris gratiæ officiique plenis accepi.

De festis diebus S. Christophori decretis. *MCCCLXIIII. die 21. Julii. Congregato generali Consilio civitatis Arbe in sala domus consueta, ubi fuerunt Consiliarii XLVIII. Pars fuit posita in hac forma. Ad laudem & extollentiam summi regis, & gloriosæ Virginis Mariæ, atque gloriosissimi Martyris sancti Christophori protectoris nostri pars ponitur, Dominorum Vicarii, & Judicum, quod deinceps in festo S. Christophori, videlicet in ejus nativitate, quæ de mense Julii celebratur, & in festo Victoriæ, quod celebratur de mense Maji: septem diebus ante, septem diebus post sit tempus feriatum, quo ad jus civile, nec jura reddantur: & omnes debitores aliquarum personarum, dummodo criminaliter non sint debitores, possint tute Arbum decedere, & secure morari per totum dictum tempus XV. dierum, securatim procedere ab omni molestia creditorum, pro celebritate ipsarum festarum. Itaque elapsis ipsis terminis ipsi debitores non habeant licentiam in Arbo standi vel habitandi, nisi fuerint concordes cum creditoribus suis, & omnis Consiliarius, qui tunc temporis erit in civitatem, vesperis majoribus Victoriæ detulerit ad Ecclesiam S. Mariæ unum candelotum saltem pretii unius grossi, vel ab inde supra sicut personarum divotioni maluerit, salvo quod ægroti sint in hoc excusati, & si sani manentes in civitate contrafecerint, in pœna privationis consilii per sex mensibus continuis incurrant. Capta fuit per balotas XL. de sic, quatuor de non, non sinceras quatuor.*

Eidem humanissimo Præsuli acceptum debeo aliud Arbense monumentum anni 1406. de electione Præsidum, quibus *Sanctuarii* custodia, & cura incumbit, quosque *Sanctuarios* iccirco appellant. Cum enim de jure, & ratione eligendi contentio fuisset exorta inter Comitem Arbi, & viros principes civitatis, demum publico decreto sancitum fuit, Comiti, adscitis sibi in collegium novem e primaria nobilitate viris, jus in posterum esse, & potestatem creandi *Sanctuarios*, eosque in possessione muneris confirmandi: in quam sententiam Arbensium Consiliarii liberrime concesserunt: hæc omnia ex monumento, quod subjicimus.

Millesimo quadringentesimo sexto, Indictione quarta, die Dominico, decima mensis Martii. Decretum de eligendis Sanctuariis. *In sala residentiæ Domini Comitis congregato & coadunato publico & generali Consilio nobilium civitatis Arbi per Bertum præconem, & nuntium consilii ad somnum campanæ, & voce præconis, ut moris est, de licentia, mandato, & auctoritate suprascripti Domini Comitis, in quo quidem consilio interfuerunt consiliarii 38. qui totam, & majorem partem nobilium, & consiliariorum civitatis Arbi repræsentant, oretenus propositum fuit, per dictum Dominum Comitem, qualiter congregare fecit consilium prædictum pro tractando, & creando unum Sanctuarium Ecclesiæ cathedralis ut moris est in similibus vacationibus substituere, & creare, & juxta illud stilum ter in dicto consilio requisivit, & partem ad bussulas circum circa cum balotis, ut moris est, destinavit: in quibus consiliis minime fuit capta: & hoc quia per plures consiliarios arrengatum fuit, quod Dominus Comes habeat libertatem cum viginti Domibus nobilium Arbensium, & non cum novem, ut prædicti præcessores habuerunt: ita quod inter dictum Dominum Comitem, & nobiles Arbenses ac etiam in parte ipsorum multæ & diversæ fuerunt ortæ differentiæ, & scandali taliter, quod tranquillitas, & amor non erat inter dictum Dominum Comitem, & parte nobilium prædictorum: eo quia tractare non intendebat cum præcessoribus suis, ut justum & æquum erat. Tandem hodie inspirante divina humanitate, ut pax, & amor sit inter caput, & membra, hodie in prædicto consilio iterum, & denuo dictus Dominus Comes intendens creare, & substituere unum Sanctuarium loco ut supra, secundum quod per præcessores suos fuit observatum, vel in habendo libertatem a majori consilio posse eligere dictum Dominum Comitem novem nobiles Arbenses vel de novem domibus, vel de stirpe, seu prosapia, & cum illis per modum observatum per præcessores posse eligere, & confirmare illum, qui fuerit per majorem partem illorum electus in Sanctuarium, qui sit firmus, & validus, qui continetur in quinterno partium captarum in consilio Arbi, quæ partes pluries per me cancellarium fuerunt lectæ, & vulgarizatæ coram ut supra vel in ipso consilio, quia supplicabat ipse Dominus Comes, quod dignarentur dicti consiliarii ipsum Dominum Comitem tractare, & amare æqualiter, ut præcessores ipsius in talibus fuerunt electi, & tractati. Tunc surrexerunt quamplures videlicet unus post alterum more solito concionantes, quod dignum est, ac ex debito teneri se honorandum Dominum Comitem creatione Sanctuarii, quod aliis Rectoribus præcessoribus suis ex injuriis, & inhonestis modis*

dis observatis contra honorem ipsius, rogantes Dominum Comitem quod dignetur ipse solus Dominus Comes acceptare hanc libertatem, & eligere, ac confirmare unum de nobilibus, ut moris est, & similiter libertates, & auctoritates habeant, & habere debeant etiam ipsi successores, ut in posterum ulla discordia, vel zizania oriatur inter caput, & membra: asserentes cum caput dolet, cetera membra languent, fuerunt in consiliariis, replicantes quod aequum & justum est attribuere ipsi Domino Comiti liberam auctoritatem, & bayliam de ponendo partem in dicto consilio ad omnem modum, & utilitatem ipsius, ut juxta ipsam voluntatem complacere, & adsentire illi pro injuria, & contrastu, ter ipso Domino Comiti illata: Tandem propter magnam disputationem factam ut supra, visa, audita, & intellecta bona & optima voluntate, & dispositione dictorum nobilium versus Dominum Comitem: posuit partem destinando more solito ballotas cum bussolis circum circa in hunc modum, videlicet quod ultrascriptus Dominus Comes habeat libertatem, & veram auctoritatem, & bayliam eligendi, & accipiendi novem nobiles, de novem domibus nobilium Arbensium, videlicet unumquemque de sua stirpe vel prosapia, cum quibus novem vel pro majori parte ipsorum eligere debeat, & confirmare unum nobilem Arbensem in Sanctuarium loco ut supra, qui sit homo honestae vitae, ac sufficiens sit, & immaculus & legalis, & bonus, & optimae opinionis, & famae, & ille qui fuerit electus sit firmus & validus Sanctuarius Ecclesiae Arbensis: & ut litibus, & differentiis, discordiis, & erroribus finis imponatur, quia saepe accidit tempore creationis dictorum Sanctuariorum, ut publice constat, tam inter dictum Dominum Comitem, & nobiles, quam inter dictos nobiles, quia deinceps dictus Dominus Comes, & sui successores in perpetuum observare debeant hunc stilum, videlicet quod libertatem liberam habeant eligendi novem nobiles, de novem domibus, ut supra, pro creando, & confirmando unum vel plures Sanctuarios dictae Ecclesiae Arbensis, absque aliqua congregatione maioris consilii, intelligendo quod Sanctuarii sint de domibus antiquis secundum quasdam litteras ducales Domino Marco Michaeli, & successoribus suis transmissas. Quae pars capta, & confirmata fuit per consiliarios de sic 28. & decem de non, & supra.

Arbensium querelae ad versum Nicolaum Episcopum. Ad Nicolaum Arbensem Antistitem XXXV. gravissimae spectant Arbensium civium querelae, qui diutinam ejus ab urbe absentiam aegre quidem ferentes, cum justis ipsorum postulatis, & querimoniis nollet Episcopus acquiescere, demum Veneti Principis sententiam, atque auctoritatem, consultius id rati, deprecari statuerunt, ut ad officium, cui se minus intentus praestare videbatur, pro ipsa Episcopi dignitate revocaretur. Itaque per oratores Hermolaum de Hermolais, & Marinum de Nimira Venetias missos graviter apud Senatum conquesti sunt, sibi quidem eos Antistites olim praefuisse, qui sedulo, vigilanterque, ut Episcopum decet, animarum curae vacarent, earumque aeternae incolumitati prospicerent; nunc vero eum Praesulem Arbensi Ecclesiae praepositum esse, qui in terrenam solummodo Episcopalium redituum administrationem avide incumbat, &, quo aliis praeterea alicujus sacerdotii bonis, ac fructibus augeatur, illud commisisse, ut Episcopo Vicetino se *Suffraganeum* subjiceret majori cum Arbensis Ecclesiae detrimento, atque dedecore; igitur orare se, ut hujusmodi injuria Veneti Senatus judicio, ac auctoritate avertatur, cogendum Episcopum esse, ut Arbi consistat, suaeque Ecclesiae regimini pastorali sollicitudine consulat; si abnuat, Episcopatus bona in sarciendis Episcopi aedibus intra urbem impendi jubeat Senatus, ne penitus corruant; hinc spem fore, ut Episcopus nova, eaque commoda aedium suarum restitutione illectus stabile in urbe domicilium figat. Quibus rationibus permoti Sapientes reipublicae viri publico decreto sanciri voluerunt, nequis Episcopus Episcopatus bona, fructusque percipiat in posterum, nisi intra Arbensis dioecesis fines commoretur: decretum vero est hujusmodi.

Veneti Senatus in eundem decretum. *Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum nobilibus & sapientibus viris Zaccariae de Musto de suo mandato Comiti Arbi & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Venerunt ad praesentiam nostram sapientes viri Hermolaus de Hermolao, & Marinus de Nimira oratores fidelissimae nostrae Communitatis Arbi, & parte dictae Communitatis praesentaverunt nonnulla Capitula, ad quae cum nostro collegio & auctoritate Consilii rogatorum fecimus nostras responsiones &c.* (hic Arbensium postulata, & senatus responsa subjiciuntur; atque postremam adversus Episcopum querelam haec responsio sequitur) *Dicatur quod contentamus & volumus, ut sequestrentur introitus Episcopatus, quos Episcopus non habeat, nisi quando facere: in Episcopatu residentiam. Quare &c. Datum in nostro Ducali Palatio die 24. mensis Junii. Indictione 12. 1449.*

De Vincentio Necusantio monumenta. De Vincentio Neculantio monumenta quaedam mihi suppetunt ex historia Fanensis urbis a Petro Maria Amiano descripta, & Fani typis vulgata anno 1751. quae Farlatum latuere. Vincentius patrem habuit Andream Ugolinucci e Neculantia familia; Romae a secretioribus consiliis fuit Cardinalis Hadriani de Corneto, quocum illi affinitas intercedebat; tum Pontificiae aulae *Praelatus*, & Apostolicus Protonotarius creatus. In Tridentino Concilio primus ipse sollemne sacrificium peregit coram augusto illo Patrum consessu. Anno 1558. Fani cum esset, Ecclesiam S. Salvatoris sollemni ritu consecravit; cujus consecrationis hoc extat marmori inscriptum monumentum.

Haec Venerabilis Basilica consecrata fuit a
Reverendissimo D. D. Vincentio Negusantio Fanensi, Arbensi Episcopo, XV. Kal.
Maji 1558. Quae quidem dies fuit
Dominica in Albis in honorem D. N. J.
Salvatoris Mundi, & S. Paterniani hujus Magnificae Civitatis Protectoris
Sedem Sanctam tenente Paulo Quarto
Pontif. Max. Pontificatus sui anno III.
Et Abbatiae administrationem P. Angelico
Bononiensi.

Hippolyto autem Mediceo Cardinali & in Germania Pontificis legato additus fuerat comes, & consiliarius Vincentius a Clemente VII. Post abdicatum Arbensem Episcopatum in oppidum Saltariae prope urbem Fanum cum se recepisset, ibi etiam supremum obiit diem annos natus sex supra octoginta; & in sacello sancti Christophori Fanensis cathedralis sepulchrum obtinuit; quod sacellum jure patronatus ad Necusantiam familiam attinet.

Cum Vincentius huic Ecclesiae praeesset, Arben-

Digitized by Google

De redditibus monasterii S. Petri in Valle. bensis S. Petri in Valle monasterii reditus, ac proventus cessere Venetæ Marcianæ Basilicæ, ut ex iis, quod opus erat pecuniæ, ad illud perficiendum ædificium impenderetur. Monasterium *commendatario* jure tunc obtinebat Petrus Bembus, qui ab epistolis aderat Leoni X. Pontifici; ejusque fortasse consilio, Leo hisce litteris, quas ex Tomo X. Monum. Eccl. Venet. contractiores tamen hic exhibeo, Marcianam basilicam novo sacrorum redituum munere auxit. „ Leo Episcopus servus servorum Dei. Ad „ perpetuam rei memoriam. Creditum &c. Cum „ itaque monasterium S. Petri in Valle Ordinis „ S. Benedicti Arbensis diœcesis, quod dilectus filius Petrus Bembus clericus Venetiarum Secretarius familiaris, & continuus commensalis noster ex concessione & dispensatione apostolica „ in commendam nuper obtinebat, commenda „ hujusmodi ex eo quod dictus Petrus illi hodie „ in manibus nostris sponte, & libere cessit &c. „ modo vacare noscatur ad præsens, & sicut accepimus, Ecclesia sancti Marci Venetiarum in „ partibus illis plurimum insignis, in qua divinus cultus jugiter viget, & ad quam dilecti „ filii nobilis vir Leonardus Lauredanus Dux, & „ Dominium Venetiarum singularem gerunt devotionis affectum, nec non quamplurimi Christi „ fideles earundem partium devotionis caussa confluunt, ab ejus primæva fundatione usque in „ hodiernum diem sumptuosissimo opere cepta, constructa & ædificata sit, & quotidie in hujusmodi structuris & ædificiis augeatur, propter quod „ nonnulli redditus & proventus ad illius fabricam deputatis ... non suppetunt ... Nos ... „ Motu proprio... Monasterium prædictum, cujus fructus ... ad quinquaginta ducatos auri „ in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur „ ... eidem fabricæ auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus annectimus & „ incorporamus ... proviso quod per unionem „ &c. divinus cultus & solitus monachorum & „ ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur &c.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXVIII. Idibus Januarii, Pontificatus nostri anno VI.

De Arbensi Sanctuario. Arbensis *Sanctuarii* antiquissimam religionem, tum splendorem, dignitatemque fuse commendat Farlatus in Blasio Episcopo Arbensi XL. Ad rem hanc spectat epistola Augustini Valerii Antistitis Veronensis, & Apostolici Visitatoris ad Dalmaticas Ecclesias visendas missi in Venetam ditionem a Gregorio XIII. P. M. Cum enim *Sanctuarii* Præsides sacramentum prætenderent, quo erant obstricti, ne cui sacras reliquias in abdito obscuroque repositas conclavi proferrent, hisce litteris Augustinus Præsides sacramento absolvit, jussitque pretiosa Divorum lipsana publico cultui, ac venerationi in posterum coram proponi, quo die religiosius esse duxerint Episcopus, & Canonici Arbenses. Eas hic describimus Italico, quo fuerant exaratæ, sermone.

Magnifici Fratelli

Epistola Augustini Valerii Visitatoris apostolici. *Sarà con le presenti il decreto mio fatto, che si mostrino quelle sante reliquie, che le S. V. conservano nella cathedrale di quella città; non ostante qualsivoglia statuto ed ordine in contrario; anco confirmato con giuramento; il qual ordine sia annullato & rilassato il giuramento a chi lo avesse prestato; dal quale io le ho liberate & libero in tutto & per tutto, perchè non mi par cosa conveniente, che quel pretioso tesoro resti tenuto nascosto, che non possi esser veduto & honorato con accrescimento della devotione de' fedeli. V. S. non mancheranno di esequirlo, ricordandosi che io resto molto affecionato a quella magnifica città, & desideroso di farle piacere. N. S. Dio sia in custodia sua.*

Di Ossero a 6. di Giugno 1579.

Del giorno che si avranno da mostrare V. S. potranno consultarsi col Reverendiss. Vescovo, e col Rev. Capitolo.

Come Fratello

Ag. Vescovo di Verona.

Cum Valerius Dalmaticam provinciam, & Arbensem diœcesim inviseret, huic Ecclesiæ præerat Blasius Sideneus, cui ætate grandævo adjutoris opus esse in regimine Episcopatus censuerunt cives Arbenses. Propterea ad Pontificem supplicem commendationem dedere an. 1579. vellet nimirum eorum postulatis annuere, eumque, quem ipsi huic obeundo muneri idoneum fore existimabant, eligere. Erat is Andreas Cernota Franciscanæ familiæ alumnus, patria Arbensis, quem meritis sane laudibus cumulant; & hinc haud abs re mihi videtur, Arbensium litteras hic describere, quas Farlatus omisit, ut Andreæ bene gestis rebus ante Episcopatum laus amplior addatur: vernaculum, quo scriptæ sunt, sermonem retineo, nequid nativæ illarum simplicitati videar detraxisse. Andreas Cernota adjutor Blasii Ep. Arbensis XL.

Noi Gabriel Cernotta Giudice, & Marino Nimira Dottor di leggi Sindico, Agenti della Magnifica Communità di Arbe, col tenor delle presenti nostre facemo ampia fede, & publico testimonio, qualmente ritrovandosi al presente il Reverendissimo Monf. Biasio Sidineo Vescovo di questa Città per la sua senile etade, & per la continoa indisposizione, ch'egli patisce, inhabele & impotente affatto al governo di questo Vescovato, & alla cura di queste anime, come de tutto ciò l'Illustrissimo Monf. Vesc. di Verona, già Visitator Apostolico ne è benissimo informato. Considerando noi, che non provedendo la Santità de N. S. presto di uno coadiutore & governatore a detta Chiesa, qual con santa vita, essemplar, & ottimo governo abbi a pascer questo povero gregge, il culto divino in detta Città nostra ogn'hora più si andarà scemando, però un'animi & conformi per il carico dell' officio publico che tenimo, habbiamo dato auttorità, & così col tenor delle presenti damo & concedemo all' Magnif. & Illustre Sig. Conte Giulio Savorgnano, Camarier secreto de sua Santità, acciò a nome di noi raprefentanti tutta la Communità nostra, habbi a supplicare alli Santissimi Piedi di sua Beatitudine che a onor del sommo Iddio, & a consolatione di questa devotissima città, si degni proveder di uno coadjutore al detto Vescovato, qual se bene è di rendita solamente di cento ducati di Camera desideramo per nostra universal sodisfatione si degni sua Santità elleggier il Reverendo Padre frate Andrea di Arbe del ordine di osservanti, nostro compatrioto, religioso di dottrina & vita essemplare, qual da vintiquatro anni & più così nelle parti di questa Provincia di Dalmatia, come anco nelle principal città d'Italia si è affaticato a predicare il verbo d'Iddio, essendo noi securi, che sotto la cura & governo di così bono pastore tutto questo devotissimo popolo s'incaminarà di ben in meglio nella via della salute a honor & gloria di sua Divina Maestà, la

la qual pregamo & pregaremo continoamente per il felice stato della Santa Chiesa, vita lunga & salute, di S. Beatitudine, & in fede della verità habbiamo fatto far le presenti per il Cancell. nostro, sottoscritte di nostra mano & sigillate col solito sigillo de Santo Marco.

Di Arbe alli 25. Novembre 1579.

Gabriel Cernotta Giudice, con man propria.

Marino Nimira Dottor Sindico.

Hieronymus Nimireus Cancellarius Magnificæ Communitatis Arbi m. subscrip. ac sigillavit.

De SS. Marino, & Leone civibus Arbensibus.

Neque caruit effectu supplex Arbensium petitio, cui Pontifex ultro est assensus. Andreæ suffectus est Arbensis Episcopus Paschalis Padavinus, quo Antistite Arbum delatæ sunt sacræ reliquiæ S. Marini civis olim Arbensis e beato ejus corpore avulsæ, quod in oppido conditur ejusdem Divi titulo maxime illustri. Hic vero Farlatus Marini, ejusque socii Leonis historiam inseruit, quippe uterque patria Arbenses extiterint; sed fateor revera, non pauca fuisse ab illo prætermissa, quæ vetustissimam in utrumque religionem, & pium cultum summopere commendant, tum haud studiose de illorum sacris lipsanis, ut par erat, differuisse: propterea, cum id a nobis tum Arbenses, tum Sanmariniani cives vehementer expectent, & historiæ dignitas, & grati animi officium jure postulat, ut nihil monumentorum, quæ ab utrisque nobis perhumaniter collata fuere, silentio, atque oblivione tegatur, quo major in hosce Divos reverentia crescat, & obsequium. Atque, quod ad Marinum attinet, de illius corporis possessione vetus est Ticinensium cum Sanmarinianis contentio; quam si auctoritate dirimi oporteat, videor mihi habere pro certo posse, veras, genuinasque ejusdem corporis exuvias esse oppido, & civibus S. Marini jure concedendas: hoc autem in loco ita pro iis mihi differendum est, ut etiam de corpore S. Leonis Arbensis ea proponam, quæ facile ostendunt ejus reliquias Ticini non extare. Vetustiora, quæ Ticinenses proferant, monumenta desumpta sunt ex Chronico S. Rodobaldi Antistitis Ticinensis anno 1236. descripto: ibi enim Divorum reliquias enumerans, quas ipse in ea urbe, ipsiusque suburbanis ecclesiis recognoverat, de Ticinensi templo Mariniano hæc memoriæ commendavit: *Item in monasterio omnium Sanctorum, quod hodie dicitur monasterium S. Marini factum per regem Astulphum regem Longobardorum ad honorem omnium Sanctorum jacet corpus ejusdem regis . . . . Item in fondo dictæ Ecclesiæ in archa quæ est in confessorio jacent corpora Sanctorum Marini & Leonis fratrum*: quo ex testimonio nihil argui licet præter quam duorum Divorum corpora in eo templo tumulata esse, quorum alteri Leo, alteri Marinus nomen est; utrum vero ii sint, qui Arbo profecti Ariminensem Italiæ oram incoluerunt, quis inde ne suspicari quidem queat? præsertim cum hi nullo fraterni sanguinis vinculo juncti fuerint, neque id uspiam innuant antiquissima illorum vitæ exempla. Post Rodobaldum ceteri Ticinensium rerum Scriptores nihil Rodobaldi testimonio addidere, quod Ticinensium opinionem sane probabiliorem efficiat: quippe id unum affirmant, sacras reliquias, queis Ticinensis civitas religiosissime locupletatur, eo delatas fuisse ab Aistulpho rege Longobardorum, cum ab Romana, & Ravennati expeditione Ticinum regrederetur; hæc inter Divorum lipsana ipsa quoque Marini, & Leonis corpora in eam urbem avecta, & in templo condita ab eodem Aistulpho regio sumptu exstructo. Verum quo id probent argumento, jure ab ipsis postulamus: neque in disputationem revoco, Templum ne Marinianum ab Aistulpho recte dicatur ædificatum; ipsi inter se disceptant Ticinenses historici, & alii fundatum fuisse tradunt an. 553., ante duo ferme sæcula, quam Aistulphus regnaret; alii solius monasterii ædificationem eidem attribuunt, quem ferunt nonnulli amplis solummodo vectigalibus illud donasse: id autem pæne omnes testantur, Templum ipsum *Sanctorum omnium* titulo dicatum primo fuisse, quo tamen tempore in D. Marini nomen titulus immutatus sit, non produnt.

Corpus S. Marini non in urbe Ticinensi.

Hisce vero extra aleam rejectis, si inter reliquias Ticinum ab Aistulpho devectas ea quoque corpora extitere, quo anno, & unde allatas fuisse existimant? Roma, inquiunt, & post Romanam expeditionem, auctoribus Stephano Breventano in historia Ticinensi, Bernardo Sacco in opere *de Italicarum rerum varietate, & elegantia*, qui tamen pia hæc lipsana non enumerat, Antonio Spelta in Episcopis Ticinensibus, & Octavio Ballada in opere ms. *Ticinum* inscripto: at inde Aistulphus auferre nequivit Marini, & Leonis corpora, quippe alterum in monte Titano, alterum in monte Feltrio condebantur in Umbriæ provincia: sed partim Roma, partim Ravenna pretiosa Divorum spolia abstulisse dicitur Aistulphus tum a Jacobo Gualla in *Ticinensi Sanctuario*, tum a P. Romualdo a S. Maria in opere, quod *Ticinum sacrum* inscribitur; hic vero addit, *ac aliis urbibus, suis armis superatis*. Verum enimvero, si Aistulphi regis historiam consulas, ab antiquis scriptoribus posterorum memoriæ traditam, aliter plane sentias oportet, ac malint Ticinenses historici: equidem fatentur ii, plures beatorum Martyrum, aliorumque Sanctorum reliquias a Longobardis vi abreptas fuisse, cum post urbis depopulationem Ticinum regrederentur: rem tamen ita narrat Anastasius, qui uno tantum ab Aistulphi ætate sæculo posterior illorum temporum monumenta descripsit: *Furore vehementi repletus* (Aistulphus) *adversarius ille & suæ animæ inimicus Romanam advenit urbem, quam per trium mensium spacia obsidens, atque omni circumdans parte, quotidie eam fortiter expugnabat, omnia extra urbem posita ferro & igne devastans, atque funditus consumpsit . . . . Nam & multa corpora Sanctorum effodiens eorum sacra cœmeteria ad magnum animæ suæ detrimentum abstulit*. Hæc autem gesta sunt anno 755. ablatas autem Ravenna, atque ab Exarchatus provinciis Divorum reliquias cum Aistulphus an. 753. per summam vim totius Exarchatus regiones invasit, nullus est ex vetustis auctoribus, qui tradat, nulla monumentorum auctoritate id affirmant historici Ticinenses: &, cum Anastasius, quo *fideliorem habemus neminem*, inquit Baronius ad an. 753., tum Baronius ipse scripserint, Aistulphum abnuisse ea restituere, quæ Romanæ Ecclesiæ abripuerat, solummodo innuunt, ille quidem, regem a Pipino *bis & tertio juxta sæpe fati beatissimi Papæ* Stephani *admonitionem* rogatum, *ut tantummodo pacifice propria restitueret* pro-

Digitized by Google

propriis : sed illum peccato imminente obedire distulisse; hic vero ad an. 755. *ne glebam quidem eorum, quæ abstulerat,* redditam fuisse ab Aistulpho Romanæ Ecclesiæ : de Divorum reliquiis neuter quidquam meminere . Neque e monumentis translationum, quæ peractæ dicuntur sexto, atque octavo supra decimum sæculo major additur fides, atque auctoritas piæ Ticinensium sententiæ, unde credamus, ea Arbensium Divorum corpora esse: anno quippe 1586., auctore Antonio Spelta in libro, qui hunc titulum præfert *Patriæ actionis patrocinium,* edito Papiæ 1607., *in subterraneo sacello vas quoddam marmoreum cum arcis duabus ligneis repertum est : quarum in altera, prout inscriptio docebat, reliquiæ quiescebant SS. Leonis, Marini, & Euphrasiæ*. Hæc Spelta, qui subdit : *Leguntur hæc etiam carmina in choro antiquitus sculpta*.

Corpora sancta jacent hic quæ celebranda viator
Descende : invenies marmoreum lapidem.
Sunt Leo : Barnaabas Euphrasia tumque Marinus:
Sumat : magna datur : quilibet hic veniam.
Præclaros posuit monachos Hieronymus isto
Cœnobio : laudat quos bona religio.

Epigramma hoc, ubi alias, ut dictum est, immorabantur reliquiæ, probat; quæ in altare majus tunc fuere translatæ: & hic animadvertendum est, inscriptionem hanc non esse sæculo XV. vetustiorem; cum Hieronymiani Ordinis Fratres cœnobium Sanmarinianum adierint post annum circiter 1477. At cum anno 1717. x. Kal. Novembres iterum detecta fuere sacra hæc lipsana, quid corpori D. Euphrasiæ factum esse putarunt; siquidem ab utraque lignea capsa majori aræ inclusa illud aberat, quarum una Marini & Leonis corpora, alia exiguas D. Barnabæ reliquias ex ejus capite continebat, ut in lib. monument. cœnobii Mariniani scriptum esse intelleximus. Quid illa inscriptio albo marmori insculpta, & in eadem, qua duo corpora, capsa reperta : *Sanctorum Marini, atque Leonis Fratrum?* si eadem, quam Spelta commemorat, ubi nomen Euphrasiæ? si alia, tria tamen corpora uno eodemque in loculo condita fuisse testatur subtus majorem aram Templi Mariniani. Sane confusa adeo, & ambigua, & obscura hæc apparent, ut nullum omnino argumentum efficiant, quo Divorum Arbensium legitima, ac tuta possessio ne suspicando quidem Ticinensibus adscribatur. In hanc sententiam ipsi concedunt Antuerpienses Hagiologi, quorum hoc est testimonium ad diem quartum Septembris: *Ceterum per* corpus, idest S. Marini, de quo hac die disserunt, *hic*, nempe in Ticinensibus monumentis, quæ adducunt, *aliquæ duntaxat reliquiæ intelligi possunt, & recte illud Ticino non attribuit memoratus Saccus : constat enim ex instrumentis postea edendis, corpus S. Marini anno 1586. in ejus nominis oppido inventum, ibidem abhuc fuisse anno 1661, si costam excipias; nec uspiam occurrit mentio aliqua translationis corporis Ticinum facta, vel Ticino Marinum*. Eorundem pro corpore S. Leonis auctoritatem inferius proferam; verum animadverte, ne *aliquas* quidem S. Marini Arbensis *reliquias hic intelligi posse;* etenim e libro monumen. Mariniani cœnobii Ticinensis constat, duo humani corporis capita in lignea capsa inventa fuisse an. 1717., tot vero ossa, quot duobus itidem efformandis corporibus satis essent. Sed ad monumenta progrediamur inspicienda, quibus constat beatissimi hujus Levitæ corpus in oppido S. Marini perpetuo extitisse. Equidem antiquissimus ejus vitæ codex sæculo IX., aut saltem XI. descriptus jam tum testabatur, Marinum in Titano monte, ubi oppidum Sanmarinianum ædificatum fuit, & vita functum, & tumulatum fuisse in Ecclesia a sancto viro exstructa : *sepultus est in monte Titano, in Ecclesia, quam ipse ædificavit :* quibus verbis innui quodammodo videtur, eam sententiam incolis tunc insedisse, & a majoribus acceptam memoriam, Marini corpus in sacra æde conditum esse, quæ iis etiam temporibus ejus nomini fuerat dedicata. Hanc vero traditionem posteri hujusce oppidi cives fideliter servavere; cum in antiquissimo codice, quod *Antiphonarium Sanmarinianum* inscribitur, & anno 1628. pluribus, quam discerni facile queat, vetustius sæculis judicatum fuit ab Generali Vicario Ecclesiæ Feretranæ, hæc ad diem festum S. Marini leguntur in altero *Divini Officii nocturno : Laudemus Dominum in B. Marini Levitæ meritis pretiosis: Ad sepulchrum ejus ægri veniunt, & sanantur :* huic autem testimonio fidem addit supplex oratio, quam in vetusta ejusdem festi liturgia recitare consueverat clerus Sanmarinianus.

Sed in oppido S. Marini in Umbriæ provincia conditum.

Oremus.

Propitiare nobis famulis tuis quæsumus Domine, per hujus S. Marini Confessoris tui, qui in præsenti requiescit Ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum nostrum &c.

Quæ quidem sin minus Rodobaldi Ticinensis testimonio antiquiora, parum tamen ab illius absunt ætate : idque hoc præterea monumento certissimum cuique probatur. Nam in prima sancti corporis translatione anni 1586. præter marmoream urnam, in qua & beatum corpus inclusum, & hi versus erat inscripti:

Clusa ab antiquis nobis aperta Marini
Sancta manent membra nobis cunctis recolenda;

lapis quoque repertus fuit, qui annum hisce notis exhibebat, quo consecratio illius Ecclesiæ peracta est.

✠ ANNO AB INCARNATIONE DOMINI
MCCLXIII.
CONSECRATIO

Hoc igitur anno idem corpus aut denuo inventum, aut certe ad principem Ecclesiæ aram translatum fuisse oportet; siquidem pæne junctim latebant sub principe altari & corporis urna, & lapis consecrationis testis : & hinc discimus, eo sæculo, qui tertius supra decimum fuit æræ Christianæ, vetustam stetisse fidem de possessione corporis Mariniani apud oppidanos, cujus pias exuvias *ab antiquis clusas* eo in loco aut primum repererant, aut ad summum templi altare transtulerant : quibus addo, hujusce oppidi Ecclesiam ab eodem sæculo *Collegiata* titulo insignem & sedem, & collegium Canonicorum obtinuisse : uti certum fit *ex tribus antiquissimis instrumentis, nempe de annis 1221. 1321. & 1395.* a Vincentio Baldinaccio productis in ea sententia, quam protulit secundum Marinum Bonettum Ecclesiæ Sanmarinianæ Archipresbyterum.

Verum enimvero quæ deinde subsecuta sunt translationem corporis peractam anno 1586., tanti valent, tantique sunt momenti, ut, sive sollemnes rerum gestarum ritus, sive testium dignitatem, ac fidem perpendas, nullum dubita-

tationi locum relinquant, quin tuta, legitimaque sacri illius corporis possessione jure glorientur cives Sanmariniani. Ea hic describimus ex Hagiologis Antuerpiensibus, & ex monumentis, quæ nobis perhumaniter tradita fuerunt; ex iisque præcipua religio, & insignis cultus patebit, quo præclaram Marini sanctimoniam venerantur piissimi illius oppidi incolæ.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab ejus Nativitate sacratissima MDCXXVIII. Indictione Romana XI., *sedente sanctissimo D.D. Urbano VIII. divina providentia Pont. Max. die vero ultima mensis Octobris anni antedicti. Universis & singulis sit notum & evidenter pateat, comparuisse in terra S. Marini Feretranæ diœcesis coram perillustri & Reverendissimo D. Joanne Baptista Cionino J. U. D. Abbate, Protonotario Apostolico, & Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Episcopi Feretrani* (is erat Consalvus Durantius vir apprime doctus, & pius) *Vicario Generali, perillustrem, & admodum Rev. D. Michaelem Thomam de civitate S. Leonis J. U. D. Archipresbyterum matricis Ecclesiæ seu Plebis S. Marini Terræ prædictæ perpetuæ libertatis ejusdem S. Marini, & pro dicta ecclesia, atque ad gloriam & honorem ipsius Sancti titularis, ac tutelaris, perpetuamque memoriam in termino competenti produxisse, & exibuisse in suo proprio originali fidem scriptam & subscriptam manu propria quondam Illustrissimi & admodum Rever. & Excellentissimi D. Marini Bonetti, dictæ ecclesiæ Archipresbyteri confectam sub die* 4. *Octobris* 1595. (*incipiens, Quia in terra perpetuæ libertatis; & finiens; Idem Marinus manu propria*) *concernens inventionem, & translationem sacri corporis præfati S. Marini Patroni in eadem ecclesia sua, & petens illam recipi, & admitti, & recognosci mandari per testes habentes notam manum in forma ad perpetuam memoriam ut supra omnemque alium bonum finem, & effectum &c. omni &c.*

Et insuper pro negotiis in Romana curia susceptis ad magis promovendum honorem & cultum erga eundem Sanctum petiisse & institisse D. D. Comparentem unum vel plures Notarios deputari ad suscipiendas testificationes, ac testimonia in forma probanti super infrascripta, videlicet solemnitate festi ipsius Sancti agi solita die tertia Septembris ab immemorabili tempore citra ejusdem gloriosi natalis. Item super processione generali solemnissime in eadem festivitate quotannis celebrari solita cum delatione per terram ipsam sacri capitis ejusdem Sancti. Item quod in libris antiquissimis cantus firmi ecclesiæ prædicta extent antiphonæ ac responsoria officii ex propriis ejusdem S. Marini, illudque solitum fuisse decantari in dicta ecclesia, deque aliis hujusmodi necessariis & opportunis. Et similiter ad d. effectum institisse accedi ad eandem ecclesiam per D. I. R. ad faciendum visum & repertum de sacro deposito ejusdem Sancti necnon votis appensis sacrisque ejus lectulis, libris, ac memoris &c. ita &c.

Qui perillustris & Reverendissimus D. Vic. Gen. Feretranus sedens &c. prædicta admisit, si & in quantum & successive fidem supradictam recognosci mandavit in forma & ad supradicta omnia in notarium ac notarios in solidum deputavit DD. Lactantium Vallium, & Livium Pellicerium de S. Marino, offerens se paratum ad dictum accessum juxta petita. Ita &c. omni &c.

Ita pronunciavi ego Jo: Baptista Cioninus Vic. Gen. Feretranus. Tenor vero fidei supradictæ est qui sequitur, videlicet.

Hic insertum est testimonium Marini Bonetti Archipresbyteri Sanmariniani, quomodo Farlatus jam protulit; cui graviorem fidem adjungit auctoritas Joannis Francisci Sormani Antistitis Feretrani, quocum consilium suum Bonettus communicaverat. Ille vero Antistes patria Mediolanensis, & æque doctrina, ac religione illustris, carus in primis Pio V. Pontifici Maximo, a quo Feretranum Episcopatum acceperat, sane non ignorabat, quæ forent Ticinensium consilia, & opiniones de corpore S. Marini, quantumque fidei, atque auctoritatis eorum monumentis inesset. Notat autem hoc in loco Antuerpiensis Hagiologus Joannes Veldius, testimonium Bonetti consignandum esse anno 1595.; aliter ac Coletus uno anno serius signavit in Tom. II. Ital. Sac. ad Episcopos Feretranos; sed monumentum a Coleto productum idem est, ac nostrum a Farlato editum, idemque P. Philippo Riceputo traditum ab erudito quodam viro, & cive Sanmariniano, qui plura eidem in hanc rem monumenta suppeditavit: quare non est, cur Veldius fidem sui *Ms. potiorem* esse contendat. At enim cetera persequamur. Itaque

Die dicta ultima Octobris 1628. *Coram dicto Reverendissimo D. Vicario Generali Feretrano in accessu facto ad ecclesiam matricem prædicti S. Marini personaliter constituti perillustris ac admodum excellens ac R. Dom. Camillus Bonellus J. U. D. & Protonotarius Apostolicus de S. Marino ætatis suæ annorum* 70, *necnon illustris & admodum R. D. Aurelius Bellutius Rector parochialis S. Michaelis de Domagnano Comitatus dictæ Terræ S. Marini Feretranæ diœcesis annorum* 60. *singuli singillatim diligenter interrogati & servatis servandis medio juramento tactis Scripturis unus post alium tenens in manibus propriis fidem supradictam in suo Originali existentem in calce libelli, in quo est vita S. Marini descripta, recognoverunt, & ipsorum quilibet recognovit illam formiter scriptam & subscriptam manu propria ipsiusmet D. Archipresbyteri Bonetti bon. me. concludentibus rationibus, quia scilicet notam habebant et habent manum illius, quippe qui erat consobrinus d. D. Camilli, & docuit scribere præfatum D. Aurelium, videruntque pluries illum scribere &c. omni &c. Præsentibus ad prædicta in Sacristia dictæ Plebis Reverendiss. Francisco Georgio de S. Agatha, & D. Gregorio Plombono de S. Leone testibus rogatis.*

Die dicta, eodemque accessu. Reverendissimus D. Vicarius supradictus præmissa debita Oratione ante Divinissimum Sacramentum Eucharistiæ in Sacello D. Petri dictæ Plebis, ubi dicitur constructam fuisse ab eodem S. Marino sacram illam ædiculam eidem Apostolorum Principi dicatam, & ubi juxta dictum altare retro extant duo lectuli in saxo excavati; ingressus postea ipsam plebem eidem D. Marino dicatam structuræ antiquissimæ ac venustæ multis capellis, ac altaribus exornatam, & perpulchris inauratis pellibus vestitam, & cui inserviunt regulariter decem Sacerdotes, ultra alios clericos, una cum D. Archipresbytero, & Magistro capellæ accessit ad sacrum altare majus decenter ornatum, & eidem D. Marino dicatum, ut ipse vidit legitque sculptum in summitate Iconæ lapideæ albæ assa-

Digitized by Google

affabre fabricata, intra quam pulchra extat similis lapidis statua ejusdem S. Marini habitu Diaconali, manibus Terram ipsam sustinentis. Et subtus basim, ac planitiem statuæ prædictæ vidit, & veneratus fuit sacrum Caput ejusdem S. Marini ibidem theca argentea reverenter asservatum, & custoditum sub pluribus clavibus ac seris: in qua theca legitur inscriptio infrascripta, videlicet:

Auctori Perpetuæ Libertatis Suæ Divo Marino
Respublica S. Marini fieri Curavit
Anno 1601. & die 4. Mens.
Septembris.

Atque ibidem intrinsecus e regione ejusdem sacri Capitis vidit immuratum sacrum depositum corporis ejusdem, ut per inscriptionem, quæ ibi extat, sequentis tenoris videlicet.

Aurato hoc Argento Divi Marini
Caput includitur: Reliquo intus
Corpore asservato. Opus autem stipato
Hinc inde aere confectum opera Fabricii
Bellutii, ac Flaminii Cionini Tutorum
Kal. Sept. 1602.

Vidit orationem manuscriptam in tabella ad ipsum Sanctum directam hujus, qui sequitur, tenoris videlicet:

Salve pater sancte, flamma charitatis, speculum pœnitentiæ, propugnaculum castitatis, gloria Titani Montis, prædicator Evangelii, fundator libertatis: familiam tuam respice, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium, ut prostratis inimicis animæ & corporis tecum in cælis triumphare valeamus.

Oremus

Deus, qui nos beati Marini meritis temporali libertate donasti, concede propitius, ut ejusdem intercessione ab omnibus peccatis liberi, libertatem æternam consequamur. Per Dominum &c.

Vidit lampadem pendentem accensam ad prædictum sacrum corpus, quæ, ut fuit affirmatum, & est notorium, perpetuo ardet ære publico, & speciali cura Reipublicæ, quæ quidem singulis annis ab antiquissimis temporibus citra creat in Consilio generali duos cives, quos appellant Massarios de Sancto, curam gerentes dictæ lampadis, & eleemosynarum oblatarum, ac etiam quinque clavium supradicti Sanctuarii, associantes etiam ipsum sacrum caput funalibus accensis cum defertur in generali processione in Natali ejusdem Sancti die 3. Septemb.

Vidit multa, ac multa vota argentea, & alia appensa hinc inde ad d. sacrum depositum ex voto & gratia obtenta. Vidit deputatos esse perpetuo legato ad altare prædictum de Sancto nuncupatum duos particulares capellanos similiter de Sancto nuncupatos inservientes illi ultra D. Archipresbyterum ejusque capellanum cum aliis ut supra destinatis.

Accessit postmodum ad lectum ejusdem Sancti excisum in saxo, ac rupe ad cornu Evangelii supradicti altaris majoris, ibique invenit lampadem appensam, ac accensam ex legato positam.

Vidit etiam ibi magnam votorum quantitatem & accepit a multis multum eundem lectulum a populis frequentari, ac venerari.

Vidit statuam S. prædicti Anachoretæ præparatam exponi in eodem lectulo repræsentantem eundem Sanctum pœnitentem.

Vidit tabellam appensam continentem orationem sequentem.

Clementissime Domine Jesu Christe, qui beato Marino Patri nostro tantum spiritum conferre dignatus es, ut jejuniis, laboribus, ac vigiliis fatigatus etiam nec duro lapide cubaret, largire quæsumus, ut nos eodem spiritu repleti rebellem carnem nostram domantes castitate floreamus, & jugiter in sancto amore tuo crescamus. Qui vivis &c.

Vidit etiam in alia tabella carmina in hæc verba videlicet:

Ad pium Lecti S. Marini Visitatorem
Saxea qui recolis devote cubilia Sancti,
Saxea corda pone:
Dumque colis, perpende animo dulcedine quanta
Ferrea corda doment.
Deinde animo reputes, quinam, queve altius ipsa
Aurea corda trahant.
Quas etiam hæc pennas dederit, mirere, Marino
Saxea mollities.
Sic non vana tibi fuerit visitatio, multus
Sed tibi fructus erit:
Teque suos inter poterit laudare, tremendus
Cum stabis ante Deum.
Franciscus Paradisus Parisiensis posuit An.D. 1628.

Accessit deinde idem Reverendissimus ad sacristiam a dextero cornu prædicti altaris majoris, & a choro jussit asportari ad eum libros cantus firmi ejusdem Ecclesiæ, & duobus maximis libris allatis antiquissimis in pergameno folio, in altero illorum tabulis cooperto constante foliis in totum 154. notis cantus firmi ad concentum Ecclesiæ, & verbis subtus insignito adeo eleganter, ut non facile possit dijudicari an sint excusa, an vero manuscripta, incipiens (Incipit proprium Sanctorum per anni circulum) & finiens (Pie Jesu Domine dona eis requiem) nullibi apparente anno ac millesimo ex nimia vetustate, invenit, vidit, & legit fol. 70. & seqq. ejusdem libri immediate post festum Decollationis S. Joannis Baptistæ Officium proprium de S. Marino, tenoris ut infra, videlicet.

Hoc nimirum vetustissimum esse autumo *Antiphonarium*, de quo superius meminimus, & *Antiphonas*, adjectosque *versiculos* continet sacræ liturgiæ Psalmis, hymnisque insertos; quæ lubet omittere.

Quibus omnibus ad dictum Officium spectantibus visis, & perlectis ut supra ab eodem Reverendiss. D. Vicario generali præsentibus ibidem inter alios admodum Illustri Rever. & Excell. D. Jo: Antonio Bellutio J. U. D. olim d. Ecclesiæ Archipresbytero antecessore moderni, & Ill. ac Rever. D. Aurelio Bellutio Rectore S. Michaelis, & antiquissimo d. Plebis chorista, nec non admodum Rever. D. Matthæo Mazzochetto Capellano similiter antiquo ejusdem Ecclesiæ unanimi consensu ipsi affirmaverunt, & ipsorum quilibet affirmavit officium prædictum fuisse ab immemorabili tempore in usu in parte cantari solita in dicta Ecclesia, & choro, præterquam a viginti annis citra, cum D. Archipresbyter Marinus prædefunctus cœpit illud intermittere ex se ipso absque aliqua prohibitione (quod sciatur) assumendo in festo S. Marini, & per octavam omnia de communi Confessorum.

Anno 1710. novum divinæ liturgiæ officium, D. Marino sacrum duobus hymnis & tribus alterius *Nocturni* lectionibus constans, tum Antiphonis præpositis utrique Psalmo *Magnificat*, & *Benedictus*, ceterisque, qui ad *Laudes* legi solent, exhibitum fuit sacræ Rituum Congregationi, ut ejus suffragiis probaretur: idne clerus Sanmarinianus obtinuerit, mihi non constat.

Atque idem admodum Rever. D. Aurelius chorista,

Digitized by Google

rista, & musicus ostendit, & effective exhibuit in continenti hymnum ... in cantu figurato cantari solitum, ut ipse testatus est, in solemniis sacri corporis ejus, præsente Reverendiss. D. Antistite Sormano, & assistente uti Episcopo Feretrano; prædictaque notoria fuisse & esse &c. Acta, gestaque in locis supradictis, ibidem præsentibus supra memoratis R. D. Francisco Georgio de S. Agatha, & D. Gregorio Plombono de S. Leone, testibus rogatis &c. Ego Livius Pellicerius notarius rogatus &c. omni &c.

Magistratus Sanmariniani publicum testimonium de corpore & cultu S. Marini. Huic testimonio publicis adeo, ac sollemnibus auctoritatis, fideique notis illustri, illud sane nobilissimum subjiciendum est, quo principes Sanmarinianæ reipublicæ viri, ii præsertim duo, qui *Capitanei* appellantur, quique illius administrandæ, tuendæque cura, ac dignitate præcellunt, quidquid ad sacrum Marini corpus, ejusque cultum spectat, complexi sunt. Est autem hujusmodi, ex latina Antuerpiensis Hagiographi interpretatione descriptum.

Die 7. mensis Novemb. 1628.

Constituti personaliter coram me notario Episcopali in hac parte, testibusque infrascriptis, perillustres viri infrascripti, videlicet

D. Julianus Bellutius annorum 58.) Capitanei
D. Michael Angelus Bassignanus an. 62.) reipublicæ.
Adm. Excellens D. Camillus Bonellus an. 70.
Adm. Excellens D. Horatius Bellutius an. 66.
Adm. Excellens D. Petrus Tonsinus an. 50.
Adm. Excellens D. Marcus Antonius Bonettus an. 30.
D. Franciscus Gianinus an. 89.
D. Bellutius de Bellutiis an. 68.
D. Federicus Gotius an. 51.
D. Vincentius Zampinus an. 45.

De S. Marino cives & consiliarii ejusdem Reipublicæ, omnes & singuli unus post alium pro veritate requisiti, una pariter unanimi consensu testificati sunt, & indubiam fidem fecerunt universis & singulis, ut infra sequitur, videlicet. Nos pro veritate perquisiti testificamur, & certam fidem facimus, primo verum fuisse & esse, quod festum S. nostri fundatoris, & gloriosi protectoris Marini semper quotannis celebratum fuerit a tanto tempore, ut non sit memoria in contrarium; celebraturque assidue cum omni solemnitate possibili & magno concursu advenarum & nobilium & præsulum III. Septembris in plebe hujus patriæ dedicata eidem Sancto. Secundo quod semper instituta fuerit, & quotannis dicto festo instituatur generalis & solemnis supplicatio numerosi cleri cum selecta musica ex finitimis civitatibus modo Cæsenna, modo Arimino, & interdum Pisauro, Fano, Foro Sempronii & Urbino. In qua supplicatione semper huc usque a translatione sacri corporis ejusdem Sancti solemniter circumlatum fuit, & assidue circumfertur sacrum illius caput argento inclusum, quod portant in tabernaculo quatuor diaconi cum magna veneratione & devotione populorum.

Tertio quod idem sacrum caput conservatum sit & conservetur in dicta Ecclesia parochiali super altari majore, quod communiter vocatur altare Sancti: illudque semper tale indubitanter existimatum & habitum fuerit: ac veluti tale cultum semper fuit, coliturque a populo, & ab Episcopis Feretranis, qui fuere pro tempore, & speciatim ab hodierno, & a multis Eminentissimis DD. Cardinalibus ut Sforza, Ursino, & Rivarola, dum erant Legati Romandiolæ, aliisque præsulibus veluti D. Lapio Episcopo Fanensi, D. Pavone Episcopo Ariminensi, D. Mantica Vice-Legato Romandiolæ, D. Scotto gubernatore Arimini, D. Pavone olim cubiculi Præfecto Pauli V. & Gregorii XV. aliisque. Quarto, quod memoratum sacrum caput foris reservatum sit, ut exponatur ad honorem ipsius Sancti & consolationem hujus populi, quando facta est translatio solemnis omnium sacratissimorum illius ossium tempore D. Sormani quondam Episcopi Feretrani, & D. Bonetti archipresbyteri dictæ plebis.

Quæ ossa omnia ejusdem sacri corporis Sancti Marini opera PP. Capuccinorum, & quorumdam nostrorum civium fuerunt, servatis servandis, detecta & reperta examussim eo ipso in loco, ubi antiqua traditio ferebat illa requiescere, id est, sub altari majore dictæ parochialis Ecclesiæ, in pede illius intra urnam e saxo montis nostri candido marmore coopertam, cum duobus versibus, qui declarabant, illud reapse verum corpus esse ejusdem Sancti cum infinito jubilo & applausu hujus patriæ. Et instituta post cum eodem sacro corpore solemnissima supplicatione ipso ejus natali III. Septembris, assistente & facultatem concedente prædicto D. Episcopo Sormano loci ordinario, illud ipsum fuit translatum & repositum intra eandem urnam in eodem altari, verumtamen sursum e regione mensæ altaris illius intra murum, & sub statua, quæ hac tempestate illic cernitur supra erecta: ibique ad latus custoditur sacrum caput illius supradicti.

Denique quiescit ibi reipsa ipsum sacrum corpus, & per misericordiam Dei ipsiusque Sancti fruimur tam pretioso thesauro, atque ibi semper in veneratione fuit, hodieque est omni populo. Ibi ante illud sumptibus publicis curatur, ut perpetuo ardeat lampas, & singulis annis creantur a republica nostra duo custodes, Massarii nominati, qui curam sacri istius depositi gerant. Illuc quotidie ob favores recurritur ab omnibus, etiam a peregrinis. Apud illud appenduntur votiva anathemata argentea, aliaque ut cernitur. Illic quotidie curantur celebrandæ Missæ votivæ etiam a devotis remotarum regionum, ibique ex piis legatis habentur sacellani perpetui, lampas argentea centum & amplius scutorum, ornamenta & pecuniæ, quibus tota Ecclesia ornata est pellibus colore aureo ductis, atque etiam corona argentea concinna & pulchra ad sacrum illud caput coronandum.

Postremo testificamur etiam, tres lectos supradicti Sancti excavatos in rupe, ubi pœnitentiæ vacabat, hoc est, duos in ejus sacello S. Petri, & alterum in Ecclesia parochiali ad cornu Evangelii altaris majoris, venerationi semper fuisse hodieque esse populis; potissime tamen illum, qui est in Ecclesia parochiali prope sacratissima ejus ossa: apud quem lectulum continue ardet lampas, multæque sunt tabellæ votivæ & devotiones. Ita dicimus & attestamur pro veritate quisque nostrum, quia sic vidimus, intelleximus, estque publicum & notorium, ac certa vox & fama in loco & alibi: singula singulis referendo &c. rogatis &c. jurantes tactis scripturis ad delationem mei &c. Actum in palatio ejusdem Reipublicæ Sancti Marini, ibidem præsentibus DD. Jacobo Seraffino & Evangelista Bellutio testibus &c.

Anno post nequid Marini cultui deesset, Reipublicæ decreto sancitum fuit, ut sacrum ejus caput argentea inclusum theca, argentea itidem corona donaretur: quod singulari religionis apparatu, sollemnique ritu præstitum est ab Feretra-

Digitized by Google

retrano Antistite Consalvo Durantio, qui pretiosum illud Reipublicæ munus suis ipse manibus eidem beatissimo capiti imposuit: de quo tamen non est silentio prætereundum, quod legimus in ejus vita italice descripta: *Thesaurus venerabilis ejus capitis exponitur quotannis admirationi non minus, quam venerationi: siquidem conspicitur id post tredecim sæcula præservatum a corruptione cum aliquot dentibus, qui vivaci rubore gingivæ conjunctæ minime cedunt dentibus viventium*. Sed Sanmariniani oppidi pietas, atque religio ita se se in Marini honorem, cultumque effundere visa est, cum suprema ejus corporis translatio peracta est anno 1713. ut nihil aut magnificentia ornatius, aut dignitate illustrius, aut veneratione religiosius esset optandum. Feretranus Antistes Valerius Martorellus totum translationis munus ipse exsequutus est VI. Kal. Octob. In veteri arca eadem beati corporis ossa inventa fuere, quæ primo detecta anno 1586. eaque numero, & forma, quæ integro humano corpori necessaria, minutioribus quibusdam ossibus demptis, qui in pulverem abierant, & costa, qua Arbensis civitas donata fuit: tum plumbeo loculo iterum inclusa fuerunt serica veste intus obducto, & serico tegmine cooperta aureis litteris ita inscripto, *Joannes Antonius Bellucci Anno Domini* 1713. & in interiori ejusdem loculi sinu inscriptio hæc inserta est aureis itidem litteris efformata: *Ossa Divi Marini Diac. Confess. hujus Reip. assertoris, quæ multis abhinc sæculis reposita lapidea in arca asservabantur, Illustrissimus ac Reverendiss. Dom. Petrus Valerius Martorellus Patritius Auximanus Episcopus Feretr. in hanc urnam marmoream intus altare hoc recens, & elegantius exstructum solemni pompa ac ritu transtulit VI. Kal. Octobris Anno Domini MDCCXIII. Reip. Capitaneis Illustriss. Dom. Jo. Antonio Bellucci, & Jo. Antonio Fattori*. Plumbeum loculum urna excepit vario lapide venusta, & hoc titulo notata: *Divi Marini*: hæc vero subtus principem templi aram novis Reipublicæ sumtibus, novoque opere affabre elaboratam a Francisco Tedeschio cive Sanmariniano condita est, quam frequentis populi concursus pia religione quotidie adit, & præstita in dies Marini ope cælitus beneficia multo reddunt venerabiliorem.

Hæc de sacro Marini corpore, ejusque cultu addidisse nequis tamen censeat supervacaneum: id enim tribuendum erat Ecclesiæ Arbensis ornamento, & decori, quo Arbenses ipsi cives intelligant, se vera ejusdem beati corporis particula ditatos olim fuisse, & in Marini, quem concivem habent, sanctimonia, & cultu jure meritoque glorientur. Utinam vero & D. Leonis exigua saltem exuviarum parte insigne Arbensium *Sanctuarium* exornaretur, quippe cui civitatis, sanctitatisque communio eosdem, ac Marinus obtinuit, honores, eadem religionis decora ab Arbensibus concedi peroptat. De illo autem hæc mihi supersunt, quæ addam, ut nihil, quod nostræ sit diligentiæ, curæque ad [illegible]dam Arbensem Ecclesiam, desideretur. In [illegible] sunt nonnulli sententia, primum Fere[illegible] Ecclesiæ Antistitem fuisse Leonem; quo[illegible]i maxime procul dubio favent ar[illegible] antiquis monumentis deprompta ab [illegible] viro Joanne Baptista Marino in opere I[illegible] se confecto pro Feretrano Episcopatu. [illegible] vetus sigillum Benvenuti Feretrani Antistitis sub initio sæculi XIV. exhibet D. Leonem Episcopali amictu indutum pro illius ævi consuetudine, qua Divorum Antistitum effigies, quorum titulo insigniuntur cathedrales urbium ecclesiæ, imprimi solebant Episcoporum sigillis: Feretrana vero princeps ecclesia jam tum Leonis nomine, ac patrocinio erat illustris. Extat porro in libro de Censibus a Cencio Romanæ Ecclesiæ Quæstore descripto sæc. XII. hoc testimonium: *Gregorius Junior Lupicinio presbytero duo monasteria locavit, scilicet* S. Leonis confessoris & Pontificis, *& Sancti Severini sita intra castrum Montisferetrani*; in quo revera monasterium, & sacra ædes eidem Leoni dicata fuerunt, quem Feretrani sibi patronum adoptaverant: nomine autem *Gregorii Junioris* Romani Pontificis intelligit Marinus significari Gregorium II. qui sæc. VIII. Pontificatum gessit. Deinceps in veteri liturgia Ecclesiæ Ferrariensis, qua clerus olim utebatur die festo S. Leonis, ejus translationi sacro, hæc oratio descripta est: *Fac quæsumus Domine Deus noster, corporis, & sanguinis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quæ sumpsimus, proficere, qui Beatum Leum Præsulem tuum ejusdem corporis & sanguinis tui constituisti consecratorem*: at Leus iste, cui pontificalis tribuitur dignitas, idem est, qui Feretranus; quippe in prece secreta, quæ liturgicam *Præfationem* antecedit, ejus commemoratio cum Marini nomine conjungitur; & post *Epistolæ* sacræ lectionem subditur: *Sacerdos magne Leo per orbem venerande, qui Viguentiæ elegisti habitare diœcesi Ferrariæ*. Nec leve est argumentum, quod ex antiquæ picturæ tabula desumtum producit ibidem Marinus: siquidem Deiparam Virginem exhibet, cui adstant utraque ex parte viri duo, alter Dalmatica indutus veste, & malleum prælongum dextera tenens, alter pontificali distinctus amictu; & illa quidem Marini, hæc Leonis imago esse videtur, quorum effigies Feretranus clerus venerabatur depictas, positasque in abside principis aræ cathedralis Ecclesiæ. Addi demum potest sigillum Ennii Filonardi Cardinalis, & Antistitis Feretrani sæculo XVI. cum enim is titulum Presbyteri Cardinalis obtineret in Romana ecclesia S. Michaelis Archangeli, & Abbas esset *Commendatarius* monasterii S. Anastasii in Valle, & præterea Verulensem Ecclesiam regeret, hinc insculptæ sigillo visuntur Divorum effigies, quorum cultus singulis in hisce Ecclesiis præcipuus est, & iis, veluti Patronis, sollemnis honos impenditur, atque veneratio: prima autem conspicitur Archangeli Michaelis imago, altera S. Anastasii, qui cœnobio Anastasiano præest, subjecta nota: S. ANAST. tertia S. Andreæ, cui sacra est Verulana princeps Ecclesia, adjecta itidem nota: S. ANDRE. quarta vero pontificiis insignibus ornatur, eamque esse effigiem Leonis indicant verba adscripta S. LEO PP.: neque alium præter Feretranum Episcopum, hunc esse existimes: cur nam, qui suum sigillum ita jussit effingi, ut Divos harum Ecclesiarum patronos intuentium oculis exhiberet, Leonem aliquem Romanum Pontificem Feretranæ Ecclesiæ tribueret, quem illa sibi nunquam patronum adsciverat? & notula PP. uti crebrius Romanum Pontificem significat in veterum monumentis, ita non raro hunc sensum præfert, auctore Muratorio, *Perpetuus Protector, Pater Patriæ*; eaque legitur

De Feretrano Episcopatu S. Leonis.

tur inscripta nummis antiquis Anconitanis, Aretinis, Ariminensibus, & Asculanis, queis imago inest Quiriaci, Donati, Gaudentii, & Emidii, qui sunt harum Ecclesiarum, atque urbium Antistites, & patroni, teste eodem Muratorio in Tom. II. Antiq. Ital. Differt. 27. Hæc Marinus cap. vi. operis laudati, graviora quidem, quam ut facili negotio possint refutari. Sane obstant huic sententiæ veteres inscriptiones lapidi insculptæ, qui D. Leonis sepulchrum olim tegebat; atque in iis *Presbyter* appellatur.

Sancs: Leo presb. Hic peregrinus
Dum vixi hoc amavi hoc dixi hoc scribsi
Omnes dicamus Deo gratias semper
Deo gratias semper Deo gratias semper
Hæc requies mea in sæculum sæculi
Hic habitabo quoniam praelegi eam orate
Orate dñum semper orate dñum semper.

& in adversa parte:

Sancte Leo presbiter
Ora pro serbo tuo
Custantio bora pro me
Orate pro serbo tuo malo.

quæ licet ante xi. sæculum fuerint sepulcro inscriptæ, quo contigit ejus corporis translatio, minime ad eam ætatem videntur spectare, qua *Presbyteri* titulo ipsi Episcopi appellabantur, ut probat Binghamus in Tom. I. de Origin. Eccles. Et in antiquo Capituli Ferrariensis Ecclesiæ Kalendario commemoratio S. Leonis ita consignata est, *XVIII. C. XVII. Kl. Martii. S. Valentini Martyris, & S. Lei Confessoris*; qui utrum idem sit, ac Feretranus, paullo inferius expendam: quin & Romana sacrorum rituum Congregatio in nova liturgia D. Leonis festo die celebranda illum *Confessoris* titulo solummodo impertiit; quamquam non dubitet Marinus, quin Romanæ Congregationis Præsules aliter sensissent, si ea comperta habuissent, quæ ipse protulit monumenta; idque Pinnensium civium studio, atque æmulationi tribuat, quibus gravissimæ diu contentiones, atque simultates fuerunt adversus Feretranos de antiquo jure, ac titulo Feretrani Episcopatus. Hac in re nihil mihi decernere licet: Presbyter vero, an etiam Episcopus Leo fuerit, ambigere non possumus de patria urbe, quam opinio constans, & traditio vetustissima, Dalmatis æque, ac Umbris monumentis firmata Arbum fuisse affirmat, atque tuetur; neque contraria Marini conjectatio tantum vis continet, ut vel minimum illam infirmetur: ex eo quippe, quod in antiquissimo Mediolanensis Ecclesiæ Kalendario ad diem tertium Septembris hæc legantur, *Passio S. Leonis, & Marini ad S. Margaritam*, non recte conjicit, natione fortasse Italos, ac Mediolanenses patria Divos hosce exstitisse: ideo enim in Kalendarium Mediolanense Leonis, & Marini nomina irrepsere, quod horum festa commemoratio inserta sit Fastis Ticinensis Ecclesiæ; & hanc in rem satis, ut opinor, antea disserui.

ejusque corporis translatione, & loco, in quo conditum est. Sed de translatione corporis S. Leonis eo diligentior habenda est quæstio, tum de loco, ubi sacræ ejus reliquiæ nunc coluntur, quo obscuriora sunt veterum monumenta. Certa quippe fides est, & fama pluribus ab hinc sæculis posterorum memoriæ commendata, beatas Leonis exuvias e Feretrano monte Vico-habentiam in Ferrariensem diœcesim delatas fuisse: sed translationis hujusce caussa, & annus haud æque certa auctoritate probatur. Laudatus Marinus id in sæculum xi. conjecit; & vetus inscriptio olim apposita ad aram principem Vico-habentinæ Ecclesiæ ita rem gestam commemorat, Henrico II. Imperatore.

D. O. M.

Henricus secundus Imperator corpus S. Lei e monte Feretro, alias Feliciano, in Germaniam deferre cupiens, cum ad hunc locum pervenisset, dimisit; divinitus enim factum est, ut arca marmorea, in qua adhuc reconditum est, nec hominum, nec jumentorum vi unquam dimoveri potuisset.

Hæc sæculo saltem xiv. descripta videtur Hieronymo Baruffaldo ex ipsa characterum forma, ut perhibet Anonymus Sanmarinianus in commentariolo nobis transmisso ejusdem Baruffaldi auctoritate, quem per litteras consuluerat: eadem novis characteribus alio in lapide sculpta in interiori fronte principis januæ conspicitur ejusdem Vico-habentinæ Ecclesiæ, unde Marcus Antonius Guarinus illam exscripsit, & retulit in Comment. Hist. Ferrar. Eccl. Hinc, quantum conjectura assequi possumus, esset valde probabile translationem corporis Leoniani esse tribuendam Henrico II. Imperatori, qui primus hoc nomine a Baronio distinguitur ad annum 1014. sed certius translationis tempus indicatur ab vetustiori epigraphe in summa sepulcri parte insculpta, ubi beatum corpus depositum est. Exhibet hæc formulas monumentis inscribi solitas sæculo adhuc xi. tum sepulcrum illud constructum fuisse notat *temporibus Domini Mauricini Venerabilis Episcopi .... per Indictionem XI.* Abest quidem Mauricini nomen a catalogo Ferrariensium Antistitum, sed in eorum serie mihi videtur collocandum; quippe ægre crediderim, pium virum, certe Vico-habentinum incolam, qui sepulcrum exstrui jussit, illud alieni Episcopi nomine decorasse, proprio Antistite neglecto, cujus nomen æquius erat posteritati commendari: ut vero lapidis utriusque auctoritas, quoad fieri potest, concilietur, cum anno ante, quam Henricus Imperator esset renuntiatus, id est anno 1013. congruat Indictio xi. & ab anno 973. ad annum usque 1014. uni Ambrosio inter Ferrarienses Antistites sit locus, post hunc collocare licet Mauricinum, quo Episcopo, & Henrico Cæsare translatio corporis S. Leonis contigerit anno 1013. Indictione xi. dum auctor inscriptionis sæc. xiv. satis esse autumavit chronologicam notam ab Henrici nomine desumptam indicare, cujus ætate translationem fuisse peractam fama perhibebat; sed patrati prodigii fides tum pereat necesse est, quippe Henricus eo anno jam exeunte in Italiam venit ut imperii insignia a Romano Pontifice acciperet. Equidem toto sæc. xi. plures præterea annos Ferrariensis Ecclesia Antistite caruit, qui nobis innotescat, iisque cohæret Indictio xi. cuivis tamen Mauricini Episcopatum attribuas, difficilius erit rei veritatem dignoscere: quare priori sententiæ libens acquiesco, dum nova prodeant e vetustate monumenta, quibus hic historiæ, ac chronologiæ nodus dissolvatur. Anno certe 1055. Vico-habentina Ecclesia distincta erat titulo S. Leonis, ut constat ex diplomate Victoris II. PP. ad Rolandum Episcopum Ferrariensem dato *6. Idus Novembris per manus Hildebrandi Vice-cancellarii*, & a Guarino in suum Comment. relato.

Tum

Digitized by Google

Tum anno 1315. memoria & fama Leoniani corporis Vico-habentiæ depositi, in eaque Ecclesia pia religione culti certius confirmata fuit auctoritate F. Vidonis de Pileo Antistitis Ferrariensis, a quo piaculari indulgentia donati fuerunt ii, qui Vico-habentinam S. Leonis Ecclesiam oraturi adirent; ejusque litteræ *ex rogitibus Uguccionis de Monticulo notarii* in Capitulari archivo Ferrariensi repositæ, & anonymo Sanmariniano transmissæ præferunt hæc verba: *Cupientes corpus sacrum, seu reliquias beati Leonis Confessoris: quod quidem corpus, seu reliquiæ in ipsius Ecclesia S. Leonis de Vicoventia Ferrarien. diœcesis requiescunt, & tumulata esse noscuntur, a cunctis Christianis fidelibus honorare, & fidelium mentes ad ejusdem corporis sacri, seu reliquiarum reverentiam & honorem induci &c.* Interea hæc eadem erat cleri Ferrariensis opinio, qui in liturgia pro festo die S. Leonis instituta hasce precationum formulas antiquitus recitabat: *Nimis honorata est civitas Ferrariensis, in cujus diœcesi est corpus S. Lei: Viguentiæ magis voluit manere, quam cum rege ire: O sacerdos magne Leo, per orbem venerande, qui Viguentiæ elegisti habitare diœcesis Ferrariæ.* Sub initia autem sæc. XVI. quo vividior cresceret in cultum D. Leonis religio, Vico-habentini, qui tum quoque ejus corporis possessione gloriabantur, ipsius et S. Marini vitam ab egregio picturæ arte viro Panetto cive Ferrariensi depingi curarunt in primaria Ecclesia, subjectis cuique tabulæ inscriptionibus, quæ Leonem hunc & Dalmatam natione, & Feretranum incolam fuisse declarabant: nimirum

Ex Dalmatia Ariminum Leo, & Marinus profecti jussu Imperatoris ad montes marmoreos incisuri missi sunt.

S. Gaudentius Ariminensis Episcopus Sanctum Leum ad Sacerdotium & S. Marinum ad Diaconatum promovit.

S. Leo & Marinus socii spretis sæculi voluptatibus Deo inserviebant.

S. Leo virtutibus & miraculis clarus animam Deo reddidit.

Sed muro fatiscente, in quo tabulæ depictæ fuerant, eoque refecto anno 1714., & tabulæ, & inscriptiones una periere, quas tamen antea Oliverius inseruerat monumentis Montis Feretrani ab se diligenter erudjteque collectis. Porro nullum fortasse, certius adduci potest argumentum, quo credamus S. Leonis reliquias in Vico-habentina ecclesia conditas esse, quam nova illa translatio a Joanne Fontana Antistite Ferrariensi peracta anno 1599. ipsis Kalendis Sextilibus festæ ejusdem Divi commemorationi decretis, jubente Clemente VIII. P. M., cum anno ante Ferrariam adiisset. Itaque sollemni, quo par erat, ritu marmorea urna detecta, in qua sacrum corpus quiescebat, plumbea lamina reperta est hisce litteris incisa,

✠ RE. S. LEO.

& summæ ipsius urnæ parti hæc epigraphe erat insculpta:

INNI ✠ DNI TEMPORIBUS DNI MAURICINI VB EPISC. SERVVS TVVS SERVIENS TIBI FECIT ℞ INDIC. XI.

Tum Episcopus, demptis e reliquo corpore sacri capitis reliquiis, quæ argenteæ lipsanothecæ inclusæ in altari positæ fuerunt eidem Leoni dicato, aliisque ejusdem corporis particulis, quas sibi ipse attribuit, beatum corpus iterum in sua urna condidit, & subtus principem Ecclesiæ aram jussit collocari, apposita in marmoreo lapide inscriptione translationis teste.

Corpus S. Lei Confessoris recognitum, ac solemni ritu reconditum a Jo: Baptista Fontana Ep. Ferrariæ Kal. Aug. MDIC. qui illius festum eodem die celebrari mandavit.

Veteris inscriptionis in summa urnæ parte incisæ meminit etiam Muratorius in Tom. V. Antiq. Ital. dissert. 64., quam ei tradiderat Joseph Antenor Scalabrinus Ecclesiæ Ferrariensis S. Mariæ in Bucca Rectoris; & hæc subdit: *Hanc descripsit Scalabrinus supra laudatus e chartis Matthæi Fiaschi Notarii. Pro* INNI *legendum fortassis est* INNO, *ut sit* IN NOMINE. *Vereor etiam, ne in vocabulis* SERVVS *&* SERVIENS *aliquid vitii lateat.* Ejus tamen animadversiones non improbo, eique assentior, ignotum nobis esse Mauricini Episcopalem Ecclesiam, cui ipse præfuerit: sed cum affirmat, corpus S. Leonis *postea translatum* esse Ferrariam, confidenter nimis id asserit, quod productis hactenus monumentis validissime rejicitur, & descriptæ translationis notitiam ignorare se penitus ostendit; cujus testes sunt litteræ ipsiusmet Fontanæ Ferrariensis Episcopi: quippe rogatus a Consalvo Durantio Antistite Feretrano, ut sibi, suæque ecclesiæ aliquam saltem Leoniani corporis particulam largiretur, æquæ Consalvi postulationi, & supplici Feretranorum voto libenter annuit, & ex iis, quas sibi retinuerat, reliquiis sacræ tibiæ particula Feretranam Ecclesiam donavit anno 1609. Harum litterarum fides & auctoritas ita nequit infringi, ut mentis impos certe videri debeat, siquis iisdem obtrectaret: eas vero ad Joannem Bollandum primo missas anno 1638. ex tabulario Ecclesiæ Feretranæ, & iterum ad Danielem Papebrochium anno 1666. ab Episcopo Bernardino superius commemorato hic describo ex Actis S. Leonis Tom. I. mensis Augusti insertis a Joanne Baptista Sollerio, qui, si omnia, quæ in hunc locum congessimus, de Leoniano corpore testimonia sub oculis habere potuisset, æquius fortasse judicium tulisset de litteris Antistitis Bernardini ad Papebrochium. Igitur hoc est litterarum Episcopi Joannis exemplar.

Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus &c.

Quæ fidelium excitant pietatem omni, quo possumus, studio libenter amplectimur. Dudum siquidem Illustriss. ac Reverendiss. D. Consalvus Episcopus Montis Feltri desiderio, quo flagrat, amplificandæ disciplinæ & devotionis ecclesiæ suæ, litteris ad nos singulari pietate plenis significavit, & humiliter petiit aliquid ex sacris reliquiis corporis S. Lei confessoris quiescentis in ecclesia parochiali Viguentiæ nostræ diœcesis, olim civitatis; cujus translationem solemnem celebravimus Kal. Aug. anni MDXCIX. ejusque festum eodem die ibidem perpetuo observari mandavimus, & quasdam sacras ejus reliquias penes nos reservavimus, & præsertim partem unius tibiæ, quam per Reverendum Cæsarem de Antimis, parochum ecclesiæ parochialis S. Martini civitatis nostræ, eidem religiosissimo & vigilantissimo pastori ob maximas virtutes, quæ in eo relucent, pari pietate nos commoti, & ea quoque adducti memoria, quod ecclesia sua cathedralis dicata sit eidem sancto glorioso confessori nostro Leo, impertiri & mittere in eam veni-

nimus deliberationem; prout impertimur & mittimus, & pia largitione concedimus & donamus. In cujus rei testimonium & fidem has litteras manu & sigillo nostro muniri, & obsignari jussimus. Dat. Ferrariæ die v. Novembris MDCIX.

Extant præterea litteræ ejusdem Antistitis ad Feretranum Episcopum, quibus tarditatem suam in mittendis sacris reliquiis excusat; tum eæ, quas publice inscripsit *Populo urbis, ac diœcesis Ferrariensis*, ut celebrandæ translationi pie, ac religiose adesset: datæ sunt Ferrariæ die mensis Julii duodecima anno 1599.; earumque hoc est exemplar a nobis breviorem in formam contractum.

Joannes Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Ferrariensis Episcopus Populo urbis, ac diœcesis Ferrariensis.

Tum proposito translationis consilio, & historica S. Leonis vita breviter descripta, hæc subdit. *Ejus sacrum corpus Vico-habentiam aliquot post annos delatum præcipua veneratione ibi colitur ad hæc usque tempora &c. Nos igitur, quo commodius Christianorum pietati tempus inserviat, statuimus, natalem diem ejusdem cultui sacrum consignandum Kalendis Augusti juxta sollemnem ecclesiæ ritum, veteri ad diem quartam supra decimam Februarii celebritate abolita; ipsique illius mensis Kalendis translationem, quæ fieri potest, sollemniori pompa peragemus;* & innuit huic translationis diei decretam a Clemente VIII. *plenariam indulgentiam, qui anno ante singulari pietate sacrum Divi hujusce sepulcrum invisit*: demum hortationem subjicit, quo alacrius promptiusque totius diœceseos incolæ, præsertim Vico-habentino pago finitimi, religiosis hisce sollemniis intersint. Sed Clementis VIII. consilium, atque voluntatem de transferendo Leoniano corpore testatur inscriptio principe in ara Vico-habentinæ Ecclesiæ legentium quorumque oculis objecta in hæc verba.

Corpus S. Lei Confessoris recognitum Clementis VIII. jussu, & præsentia, ac solemni ritu reconditum a Joanne Fontana Episcopo Ferrariensi Kalendis Augusti 1599.

Celebrem vero translationis hujusce pompam, & ingentem religionis apparatum hisce describit Horatius Oliverius in hist. ms. Montis Feretri, quæ in Bibliotheca Oliveriæ familiæ servatur. *Sequenti igitur anno 1599. eadem Sancti festivitate ab Episcopo Ferrariensi tanta fuit solemnitate translatum Divi Leonis corpus, talique populorum frequentia, ut non solum Vigoentiæ, quo ad translationem parochi omnes diœcesis Ferrariensis, necnon Canonicorum pars convenerunt sacris induti vestibus, luminibus, & intorticiis accensis processionaliter incedentes, sed etiam per diœcesim totam in signum solemnitatis, campanarum sono excitato, lætitiæ ac festivitatis signa ubique dabantur. Pontificali Missa peracta, ossa S. Leonis ad solis usque occasum steterunt populorum conspectui; mox in eadem capsa recondita.] Caput vero in altero . . . fuit argenteo sub altare collocatum.*

Luculentissimum profecto testimonium, quo nihil firmius, nihil validius, ut probetur, corpus S. Leonis Vico-habentiæ ad sæculum usque decimum septimum extitisse; quin & adhuc extare certa res est; etenim Ferrariensis translatio, de qua paullo inferius agemus, eodem xi. sæculo, quo Vico-habentina, dicitur celebrata fuisse. Interea Feretranus Episcopus, ne qua temporis injuria rei hujusce memoriam deleret, perenne ipsemet testimonium Feretranæ Ecclesiæ reliquit de sacris lipsanis sibi a Fontana dono missis, earumque a se peracta biennio post translatione, in hæc verba.

Reliquiæ S. Leonis Confessoris, sanctæ Feretranæ Ecclesiæ advocati, ac titularis, a Joanne Fontana Ferrariensi Episcopo ad Consalvum Durantium Feretranum Episcopum transmissæ in hanc cathedralem ecclesiam maxima omnis ordinis ac sexus totius diœcesis frequentia & religione in secunda diœcesana Synodo ab eo celebrata translatæ fuerunt atque sub altari majore collocatæ anno MDCXI. die XVII. Maii.

Demum sæculo hoc ipso supra decimum octavo majorem addidit auctoritatem rei gestæ veritati Thomas Cardinalis Ruffus, Archiepiscopus Ferrariensis, qui, cum reliquiis Leonis nostri, iis fortasse, quas Fontana penes se retinuerat, aut e sacro ejus capite demptis parochialem ecclesiam D. Leoni dicatam ornasset in diœcesi Bononiensi, Fontanæ translationem ratam habuit, ejusque sententiam suomet testimonio confirmavit. Hactenus de translatione corporis S. Leonis, & de loco, in quo conditum esse produnt, atque testantur monumenta producta. Nam quod ad cultum attinet, quo illius memoria quotannis celebrari solet a Vico-habentinis, hæc summatim perstrinxit Episcopus Bernardinus in litteris superius laudatis: *Prima ejus solennitas celebratur Viguentiæ Kal. Augusti, ac tanta populorum frequentia, tum nationalium tum advenarum (& præsertim Bononiensium) ut juxta rationem qua subducitur, numerum circiter duodecim millium hominum sane tetigerit. Celebratur & altera sub die XIV. Februarii, ad memoriam illius translationis, quæ quidem sequitur haud singulari ornatus splendore, sacrificiorum veneratione, ac larga copia munerum accedentium ibi. Quamobrem unusquisque sibi certo persuadere potest, tantam fidelium multitudinem ibi sacri corporis mansionem indicare.* At enim quid tandem de Ferrariensi translatione sentiendum est? cujusve Leoniani corporis possessionem sibi jure vindicet Ferrariensis civitas? Historiæ hujus narrationem hisce complexus est Ughellus in Tom. II. Ital. Sac. pag. 517. ex Guarini *Compendio Historic.* perhibet enim, sacrum illud corpus cuipiam D. Leoni Romano Pontifici attribui, quod a S. Silvestro II. PP. dono traditum Anselmo Nonantulani monasterii Abbati, nescio quo casu, Vico-habentiæ depositum est anno 1006, inde vero Ferrariam translatum a Gratiano Episcopo Ferrariensi post annum quartum supra septuagesimum sæculi XI., & in æde Stephano Protomartyri sacra reconditum; tum subdit, *Cum quatuor tantum summos Pontifices Leones sanctos adoret Ecclesia Romana, quorum corpora in Vaticana Basilica sub altari Leonis magni a Paulo V. reposita recenseantur, oportet asserere Leonem hunc diversum esse ab iis, & Ferrariensis Ecclesiæ Episcopum fuisse, cum etiam in Nonantulanis monumentis de Leone illo Pontifice nulla reperiatur mentio; de qua re judicent alii, fidesque apud illos sit, qui hæc scriptis mandarunt*: atque in Gratiano Episcopo Ferrariensi undevicesimo eandem translationem commemorat. Mihi sane vetera Nonantulani cœnobii, & Anselmi Abbatis monumenta perscrutanti, quæ Muratorius edidit in opere Antiquit.

Digitized by Google

tiquit. Italic., præsertim in Tom. V. pag. 667., nihil hujusmodi licuit reperire: & Guarini narratio, quippe quæ vetustioribus XI. sæculi testimoniis careat, nullam præseferre potest auctoritatem adversus Vidonis Antistitis Ferrariensis litteras, qui sæc. XIV. testatus est, corpus S. Leonis in Vico-habentina Ecclesia extare. Sed Hieronymus Baruffaldus in historia Ferrariensi quid hac super re gestum sit Ferrariæ an. 1683. in hunc ferme modum descripsit lib. 6. pag. 324. Cum enim Franciscus Rossetus Ferrariensis e primaria nobilitate civis religiosos e sodalitate S. Philippi Nerii presbyteros, quos penes est S. Leonis corpus, impulisset, ut ejus reliquiis cultum augerent, & honorabiliori, quam antea, in loco collocarent, eorum postulatis libenti animo assentitus est Carolus Cardinalis Cerrus Ferrariensis Antistes, & mense Majo illius anni coram Episcopi Cancellario, & probatis testibus pii cineres & ossa beati corporis reperta fuere in plumbea capsula haud exigua, cui hæc erant inscripta.

Hic requiescit corpus S. Leonis Pontificis, & Sacerdotis Christi translatum huc a Vicoventia sub Gratiano Ferrariensi Episcopo Anno Domini MLXXXI. XVI. *Kal. Martii, Indictione* IV.

Hanc inscriptionem se quoque legisse testatus est, inquit Baruffaldus, Hippolytus II. Cardinalis Atestinus, & Episcopus Ferrariensis, cum anno 1509. III. Kal. Quintil. hæc lipsana recognovit, reique gestæ monumentum membranæ inscripsit, & sepulcro inclusit, quæ hujusmodi erat: anno nimirum 1509. III. Kal. Quintil. *hora 16. in eodem sepulcro inventa fuit præfata capsula plumbea cum relatis inscriptionibus*. Hippolyti testimonium itidem viderat Carolus Cardinalis Pius, qui anno 1657. XII. Kal. Majas D. Leonis sepulcrum aperuit, cum Ferrariensi Ecclesiæ præesset. Postea vero Joannes Stephanus Donghius idem Cardinalis & Ferrariensis Antistes anno 1665. die Februarii vicesima, *auditis Theologorum & Juristarum votis*, restituerat *pristino cultui adorationis corpus illud*, de quo dubitare visus fuerat Laurentius Magalottus ejusdem Ecclesiæ Episcopus, qui alteri inscriptioni haud a sepulcro procul appositæ hanc formulam, *ut asserunt*, jusserat adjungi. Quare Cardinalis Cerrus, re bene comperta, atque probata, eo anno 1683. profana sepulcri decora, & Anniæ Faustinæ nomen eidem insculptum abradi primum jussit, atque auferri, tum Leonis nomine inscripto eidem sepulcro, in quo sacra lipsana iterum condita fuere, subtus principem ecclesiæ aram sepulcrum ipsum collocari. Hæc Baruffaldus, qui præterea perhibet, Joannem Fontanam, a quo Vico-habentinæ Leonis reliquiæ translatæ fuerant, in diœcesana Synodo anni 1592. liturgiam die festo hujus Leonis celebrandam decrevisse, distincte Ferrariensium reliquiarum adjecto testimonio. Nequid vero prætermittere videamur, quod Ferrariensis Ecclesiæ monumenta confirmet, inscriptionem hic subjicimus, quæ in eadem D. Stephani ecclesia visitur, & ante Ughelli citato superius in loco narrationem præposita est.

D. O. M.
A partu Virg. anno M.D.IX.
III. *Kalend. Julii*
Pont. Max. Julio II. Alphonso Estensi
Ferrariæ Duce III.
Hippolytoque ejus fratre S. R. E. Card.
Ferrariæ Episcopo
hoc in sepulchro, ubi Faustina
olim cinis reconditus, venerabilis Jacobus
Bencivenis
Ecclesiæ Prothomartyris Antistes
Arcam plumbeam ossibus instratam
deprehendit,
in qua hæc incisa legebantur:
Hic requiescit corpus S. Leonis
Pontificis & Sacerdotis Christi
translatum huc a Vicoventia sub Gratiano
Ferrariensi Episcopo
Anno MLXXXI. XVI. *Kalen. Martii*
indict. IV.
cujus rei causa indicta supplicatione
per venerabilium sacerdotum collegium
Religio.
Eodem loco eadem ossa reposita sunt
eodem anno ibid. * *Julii*

* forte *Idibus*.

Tot igitur, iisque gravissimis suffultam testimoniis Ferrariensium fidem nemo in dubium revocare profecto audeat: sed nihil inde deperit Vico-habentinis reliquiis. Quamobrem absque partium studio recte perpensis in utramque partem tum sepulcrorum, quibus sacra lipsana includuntur, dissimilitudine, tum titulo, quo Divus uterque distinguitur, alter *Confessoris* solummodo, alter *Pontificis & Confessoris*, demum & Vidonis sæc. XIV. Ferrariensis Episcopi pro Vico-habentino Leonis corpore, & Joannis Fontanæ sæc. XVI. itidem Ferrariensis Antistitis testimonio pro Vico-habentina æque ac Ferrariensi Ecclesia S. Stephani, sic mea quidem sententia statuo, Vico-habentinis denegari ullo modo non posse corporis S. Leonis Arbensis civis, & Feretrani incolæ possessionem, Ferrariensibus vero alterius Leonis corpus jure concedendum. Quisnam vero is fuerit, omnino incertum: de hoc Papebrochius in itinere Italico hæc notavit, quæ a Sollerio exscripta sunt in Actis laudatis S. Leonis: *Ex latere vero dextro chori* (Ecclesiæ S. Stephani) *corpus S. Leonis Pontificis elevatum est, quod quia ipsi* (Ferrarienses) *volebant esse Papæ, cultum ejus noluit Nuntius confirmare, qui propterea intermissus; etsi ex vetusto qui est ad parietem lapide, de modo ac tempore solennis ex Vicohabentia, veteri Episcoporum sede, translationis, elevationisque satis certo constare possit*. Recte Ughellus autumat, ipsum Ferrariensem fuisse Antistitem, & inter Vico-habentinos collocandum: ejus festæ commemorationi decreta est a Joanne Fontana dies quarta ante Kalen. Quintil., quæ antiquitus ejusdem cultui sacra jam fuerat; & novo quidem argumento satis convincimus inter Leonem utrumque, eorumque beata corpora discrimen sane maximum intercedere.

Monumentum ad Paschalem Ep. Arbensem pertinens.

Ut ad Arbensem Ecclesiam redeam, cum Paschalis Padavinus illi præesset, reperio molestum aliquid accidisse, quo de abrogando titulo, ac munere Vicarii Episcopalis nonnulli excogitarunt, idque videntur moliti esse. Nihil tamen de hujusmodi controversia certo constitui potest, neque habeo quid referam præter litteras ipsius Paschalis ad Archiepiscopum Jaderensem, cui negotium hocce studiose commendat.

Illustrissimo Reverendissimo S. mio Osservandissimo. Comparerà alla presenza di V. S. Illustrissima Mons. Paolo Antonio Badoaro Primcerio di questa mia Chiesa, & già mio Vicario ge-

Digitized by Google

generale per presentarle lettere della Sacra Congregazione di Roma, in materia della restituzione di esso Vicariato, cosa molto desiderata da me. Laonde quanto più posso, & debbo, lo raccomando a V. S. Illustrissima, & sopra tutto a presto ispedirne, perchè dovendo io in brieve co' l'ajuto di N. S. Dio, e buona licenza di lei partirmi per Roma, le cose mie riposino sopra questo Reverendo, huomo di bontà intiera, & esperto ne' l'arte giudiciaria più che ogni altro di questo Capitolo. E col fine di questa a V. S. Illustrissima e Reverendissima riverentemente baccio le mani, con pregarle contentezza, e salutare di cuore il molto Magnifico & Eccell. Sig. suo Auditore.

Di Arbe li xv. Novembre MDXCIII.

Di V. S. Illustriss. Reverendissima.

Cordialiss. S.

Il Vescovo d'Arbe.

De Theodoro Arbensi Episcopo XLIII. Theodorus Paschalis successor anno 1626. interfuit translationi sacri corporis S. Theobaldi, quod in Vangaticiensi pago agri Rhodigini præcipua veneratione colitur. Rem narrant Annalium Camaldulensium Scriptores in Tom. II. ad an. 1078. hisce verbis: *quapropter altare de novo erecto & marmoribus ornato . . . . . anno 1626. ab Augustino Triolo abbate itidem Commendatario* (Vangaticiensi) *& Matthæi fratris successore, ac a Theodoro Georgio Episcopo Arbensi denuo reliquiæ sancti viri aptatæ & recondita intra aliam lapideam recentem urnam &c.* Theodori nomen ipsis translationis tabulis inscriptum fuit, quæ in archivo Vangaticiensi servantur; *quibus visis, & ex dicta capsula extractis* (reliquiis) *ea iterum reverenter reposita sunt in ea capsula una cum tabula plumbea dicto ordine supra descripto, præsente illustrissimo & reverendissimo Domino Abbate supra dicto, illustrissimo & reverendissimo Domino Domino Theodoro Georgio Veneto Monacho Cassinensi, Episcopo Arbensi ec.*

Tabulæ vero plumbeæ hoc insculptum fuit monumentum.

Anno 1626, die dominico, septimo Junii, Summi Pontificis Urbani VIII. anno tertio, Joannis Cornelii Ducis Venetiarum secundo, & Augustini Trioli Abbatis Vangaditiensis nono, assistente Reverendissimo domino domno Theodoro Georgio Monacho Cassinensi, Episcopo Arbensi, Episcopatus sui anno quinto, facta fuit Translatio harum reliquiarum corporis S. Theobaldi Ordinis Camaldulensis cum solemnibus cærimoniis ad altare eidem Sancto dicatum.

De administratione bonorum cathedralis ecclesiæ. Anno 1662. Antonius Molinus nomine & vicaria auctoritate Hieronymi Contareni Provisoris Generalis in Dalmatia, & Albania, Visitator & Inquisitor missus ad insulas sinus Flanatici cum Arbum appulisset, gravia pro munere, quo fungebatur, damna deprehendit, quæ in administrandis cathedralis ecclesiæ bonis sequebantur in Dei cultum, ipsiusque ecclesiæ decus, atque ornamentum. Id vero erat in caussa, quod laici sacrorum bonorum curatores, absque Ecclesiasticorum consilio, & consensu, quibuscum communem habebant administrationem, omnia sua sponte, suoque arbitrio gerebant contra, atque publicis decretis anni 1593. & 1624. fuerat constitutum. Quare Molinus, lata lege die IV. Januarii an. 1662, quam Contarenus suis litteris ad Comitem Arbensem v. Kal. April. insequentis anni confirmavit, primum sancivit, Curatores ambo, laicus, & Ecclesiasticus, ubi ad id munus fuerint electi, ne ante sacrorum redituum curam suscipiant, quam fidem suam per idoneos testes probaverint coram Episcopo, & Comite civitatis, tum ne alter absque alterius consilio & assensu rei quidquam gerat; munere vero perfuncti gestæ administrationis ut rationem reddant Episcopo, & Comiti; multis præterea, ac pœnis indictis, quarum metu deinceps in officio se continerent, & studiosius divino cultui augendo, ornandæque cathedrali ecclesiæ vacarent.

Ob eximiam, qua in D. Antonium cognomento Patavinum ferebatur, religionem Franciscus Brazza Presbyter Arbensis nova æde ejus titulo, cuituque sacra urbem decoravit anno 1678; & ne loci religioni quidquam deesset, quattuor instituit sacerdotia, quibus ceterisque sollemniis obeundis ii eligerentur, quos Arbensis Capituli *Dignitates*, ut ajunt, probarent: cum vero bona sua testamento legasset Venetæ sodalitati S. Joannis Evangelistæ, eidem stipendii solvendi munus sacerdoti cuique, sacrisque functionibus, & ecclesiasticæ supellectili curandis imposuit. Ædes Arbensis D. Antonio Patavino dicata.

De Antonio Rosignolo, quem Episcopum XLVII. habuit Arbensis Ecclesia, hæc præterea ex monumentis Traguriensibus accepi. Familia Rosignola eadem est, quæ Slavichia antiquitate, ac nobilitate apud Traguriensis illustris, & gravioribus patriæ muneribus, & Magistratibus perfuncta. Ex hac prodiit Georgius Slavich vir sapientia, morumque integritate eximie præditus, cujus nomen inter Traguriensis civitatis Consiliarios legitur in quodam Traguriensium decreto anni 1353. apud Lucium Tragur. monum. pag. 508. & ex eadem natus est Antonius an. 1660. VI. Non. Julii, parentibus Joanne Rosignolo, & Andreana Tetta Sibenicensi femina nobilissima. Ab ineunte ætate animum pietati ac litteris maxime adjecit, & in clericalem militiam admissus cum annum ferme decimum quintum attigisset, Romæ deinde in collegio Urbano de Propaganda Fide animi, atque ingenii dotes totos decem annos adeo impense excoluit, ut hoc laudis testimonium ab Andrea Bonacino collegii Rectore promeritus fuerit. De Antonio Arbensi Episc. XLVII.

Andreas Bonacinus J. U. D. Proton. Apost., necnon Ven. Coll. Urbani de Propag. Fide Rector. Ut eorum qui pietati ac religionis Catholicæ studio incensi ad nos veniunt, nostræque fidei ac curæ committuntur, quantum in nobis est, dignitati consulamus; propterea fidem facimus, atque his præsentibus litteris testamur, honestum clericum Antonium Rossignolum Traguriensem in hoc almæ urbis Collegio Urbano de propaganda Fide per annos decem alumnum fuisse; ex quibus tres humanioribus litteris, & rethoricæ, tres Philosophiæ, & quattuor Theologiæ tam Dogmaticæ, quam Scholasticæ, cujus simul & Philosophiæ Laurea Doctorali est insignitus, sedulam operam impendisse sine ulla intermissione, & bonis moribus, variis pietatis exercitationibus, & probitatis officiis ita se gessisse, ut & nobis charus valde semper extiterit, & alumnis omnibus multa virtutum exempla prætulerit, necnon magno patriæ emolumento esse speretur. Quamobrem &c.

Romæ 26. Junii 1685.

Andreas Bonacinus Rector.

Hujusce testimonii, cujus extat exemplar in Ro-

Digitized by Google

Rosignola familia, ipse Antonius veritatem comprobavit, cum eodem anno 1685. in patriam redux, postea quam Venetiis Sacerdotio initiatus primum sacrum peregisset, concionandi, ac publice graviores disciplinas tradendi adolescentibus munus suscepit; tum quibusque virtutum exemplis civitati universæ prælucere cœpit. Quare cum ædis Cathedralis Traguriensis Canonicus jam esset, Simon Cavagninus Episcopus eum sibi Vicarium adhibuit toto Episcopatus sui tempore; quo vita functo Vicarius quoque Capitularis cunctis suffragiis creatus fuit. Jamque Innocentius XII. Pontifex Maximus Antonii meritis in Traguriensem Ecclesiam permotus illum Simoni successorem sponte designaverat; sed mutato justas ob caussas consilio, Antonium Arbensibus Episcopum dedit an. 1700. Quæ deinde in Episcopatu gessit, habes suo loco descripta in Episcopis Arbensibus. Anno 1713. ad Nonensem Ecclesiam translatus vix biennium eidem præfuit: nam ægra utens valetudine Tragurium secessit, quo e salubriori illius regionis aere aliquod sibi remedium, atque levamen procuraret; sed desperata medicorum judicio optimi Præsulis vita, anno 1715. piissime obiit Tragurii XI. Kal. Julii, annos natus fere quinque supra quinquaginta. Ejus corpus funebri pompa ornatum, & in sacello D. Hieronymi cathedralis Ecclesiæ Traguriensis depositum, insequenti anno 1716. post renovatas sollemnes exsequias in sepulcrum Traguriensium Antistitum illatum est. Fuit vir morum innocentia, pietatis, ac religionis officiis, sedula in egentes caritate, animi constantia & magnanimitate conspicuus, sacrarum vero litterarum doctrina excellens, & concionandi vi, ac gratia plurimi habitus. Ingenii sui plura supersunt mss. monumenta apud Rosignolam familiam. Ex hisce vides, quid prætereа addendum iis quæ in Episcopis Nonensibus dicta sunt in Tom. IV. hujus Operis pag. 237., ejusque Nonensem Episcopatum ultra biennium protrahi non debere: hinc annum pene integrum Nonensis Ecclesia Antistite caruit.

§. IV.

ADDITAMENTA

Ad Ecclesiam Vegliensem.

Tabulæ deditionis Vegliensium sub Venetorum dominio. UTi in Absorensibus Episcopis, ita in horum serie hic primum publicas deditionis tabulas subjicio, quibus anno 1018, Ottone Urseolo Duce, civitas & clerus Veglensis Venetorum dominio se se subdiderunt: iisque habes inscriptum nomen Vitalis Episcopi Veglensis primi, quem etiam Dandulus in Chronico commemorat.

In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris nostri millesimo octavo decimo mense Augusti Indictione I. In civitate, quæ vocatur Vegla. Spondentes spondemus, & promittentes promittimus Nos quidem Godostro, qui modo vocatur Serenico habitans in Cbd Fisole una pariter cum Dabro Presbytero, atque omnibus habitatoribus prædictæ nostræ civitatis Cbd Fisole cum nostris bæredibus, ac probæredibus, & successoribus urbis Domno Ottoni Duci Venetiarum, atque Dalmatiarum Seniori nostro, & ejus bæredibus ac probæredibus & successoribus videlicet a modo in antea dare vobis debeamus pro tributo usque in sempiternum per omnem annum pelles marturinas bonas quindecim in Nativitate Domini nostri Jesu Christi per nostrum proprium missum, ac fideles esse debeamus nos cum bæredibus, ac probæredibus nostris vobis & successoribus vestris, & nullam contrarietatem, nec damnitatem vestris fidelibus facere debeamus, quod plus citius poterimus tam in die quam in nocte & adjutores & defensores eis esse debeamus. Hæc autem omnia ut supra legitur observare & adimplere promittimus sine omni intermissione, aut aliquo interposito capitulo. Si autem per quodvis . . . . prædictum tributum vobis non dederimus omni anno in constituto tempore, & non observaverimus omnia sicut superius legitur, tunc componere promittimus cum nostris bæredibus & probæredibus vobis & vestris successoribus auri obrizi libras quinque. Et hæc promissio usque in perpetuum maneat in sua firmitate.

Signum manus Serenico, qui hoc fieri rogavit.
Ego Presbyter Dobro mm. ss.
Signum man. Petri Scamini g. b. f. r.
Sig. man. Marini Stredrago m. s.
Signum manus Resinico f. m. Vecinto.
Ego Vitalis Episcopus de civitate Vegla t. ss.
Ego Marius Presb. t. ss.
Ego Joannes t. ss.
Ego Andreas Prior de Civitate Veglensi.
Ego Dominicus Frutanis Maydiati ss.
Ego Marinus Presbyter, & Notarius scripsi, & per tradita complevi, & roboravi.

In quibus præter interturbatum subscriptionum ordinem nihil deprehendimus, quo sint, ceu falsæ, rejiciendæ.

PETRUS II. EP. VEGLIENSIS V.

Cujus nomen e tenebris eruit Flaminius Cornelius in part. 3. monum. Eccl. Torcell. Hunc Farlatus omittit, recte tamen advertens post Dominicum Vegliensem Antistitem IV. unum, aut alterum Episcopum desiderari. Extat laudato in loco pag. 217. ejus diploma anni 1153, quo comperimus, monasterium Benedictinum ab eo fuisse Vegliæ exstructum, cui Ecclesiam S. Martini, & ædiculam S. Apollinaris adjunxit, quarum bona reditusque in Monachorum victum, cultumque impenderentur, integro sibi Episcopali jure in ipsas ædes, agroque Monachorum possessioni concesso. Illud Cornelius exscripsit ex Veneto Patriarchali Archivo; & hujusmodi est. Petrus II. Episcopus Veglien.

Anno salutifere Incarnacionis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinquagesimo tercio Indictione prima mense Decembrio. Ego Petrus divina opitulante clementia Veclensis Episcopus (1) presidens una cum fratribus nostris fratrum Monasterii S. Cipriani, (2) & Benedicti super Padum, religiositatem, viteque honestatem cognoscentes, & earum sanctissimis disciplinis nostra monasteria (3) instituti, & in melius provei cupientes, illorum vite testimonia quibus Domino aderere possemus penes nos habere curavimus. Consilio igitur D. Doymi Veglensis felicis comitis & aliorum quorumdam bonorum hominum quorum subscripta sunt nomina nobis cum astantibus ejusdem Ecclesie advocatis (4) Dedorba videlicet, & Rado Sclavo, tibi Dom. Uberto Monasterii S. Benedicti super Padum Vener. Abbati loco tuo recipientibus instituit cœnobium Benedictinum Vegliæ. 1 2 3 4

5 *Dom. Henrico (5) sancte Romane Ecclesie subdiacono Apostolice sedis tunc Legato, & Domno Alberto tuo monacho pro anima nostre Domine bone memorie Marie olim nostre Comitisse Ecclesiam sancti Martini tradimus, tuisque successoribus cum capella sancti Apollinaris, & cum omnibus pertinentiis tuis tam mobilibus, quam immobilibus, quatenus hinc in antea habeatis, dominemini, possideatis & salvo nostri Episcopatus jure quicquid in ea, & ex ea volueritis, faciatis. Preterea nos nostrosque successores obligantes ne imposterum aliqua oriatur questio, pena excommunicationis mulctamus, quod si aliquando nos vel nostri successores vobis aut vestris successoribus calumniam infecerimus, vel molestiam per nos aut per submissam personam fecerimus, jaculo anatematis perpetuo feriamur. Insuper quicumque contra fas hoc rescindere ausus fuerit a gremio Sancte Matris Ecclesie separantes, ut Ecclesiæ violatorem extorrem esse censemus predicta tradicione salva, & inconcussa suo jure manente.*

Ego Petrus Veclensis Sedis Episcopus subscripsi.
Ego Doymus Veclensis comes subscripsi.
Ego Juresclavus subscripsi.
Ego Archipresbyter Petrus subscripsi.
Ego Primicerius Johannes subscripsi.
6 *Ego Andreas Debudimeo (6) advocator scribere rogavi.*
Ego Johannes Debrito scribere rogavi.
Ego Dominicus Grotulus Presb. & Not. hoc exemplum exemplavi Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo nono mensis Augusti sub indictione secunda, ut vidi in littera D. Petri Episcopi Veglensis, nec minui, nec ampliavi, sed complevi & roboravi.

Notæ.

(1) Cujus dignitatis jure se *præsidentem* appellet, non comperio; forte quia hisce donationis actis præerat.

(2) Monasterium S. Cypriani in Methamaucensi litore fundatum an. 881. a Vitali Michaele Venetorum Duce concessum Villelmo Abbati S. Benedicti de Pado Vetulo an. 1098. & anno 1108. translatum in insulam Murianum prope Venetias: cum vero monachi hujus cœnobii Benedictino monasterio de Pado Vetulo subessent, utrumque Petrus nominat, & Uberto suum donationem largitur, qui monasterium S. Benedicti regebat, idem ac Padolironense olim celeberrimum in agro Mantuano haud a Pado flumine dissitum; quare & hic, & in aliis antiquitatis monumentis dicitur *Monasterium S. Benedicti super Padum*.

(3) Hinc discimus in urbe, ac diœcesi Vegliensi monasteria virorum extitisse, qui D. Benedicti leges, ac disciplinam sectabantur, quæ in jus commendatarium cessisse videntur, cujusmodi tres vulgo *Abbatias* nominat Vincentius Lessius Episcopus Vegliensis in descriptione hujus Ecclesiæ.

(4) Ecclesiarum *Advocati* iidem, qui *Defensores*, quorum erat res, ac jura Ecclesiæ sibi creditæ tueri.

(5) De Dalmatica Henrici legatione vide Tom. III. hujus Op. pag. 174. col. 2.

(6) *Advocator* idem, ac *Advocatus*, quo munere Andreas fungebatur pro cathedrali Vegliæ Ecclesia.

Petri donationem eodem anno, & mense suis litteris confirmarunt Dedocha, & Rado Sclavo advocati Ecclesiæ S. Martini, & ædiculæ S. Cypriani, earumque exemplum ex eodem archivo protulit Cornelius, in hanc sententiam. A Petro institutum cœnobium confirmatur.

Anno salutifere Incarnacionis Domini, & Salvatoris Nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinquagesimo tertio Indictione prima mense Decembrio. Nos Dedocha, & Rado Sclavo de Castro Musclo advocati Ecclesiæ S. Martini, & S. Apollinaris ejus capelle de insula Vegle cum voluntate & assensu aliorum confratrum, & patronum, tibi D. Uberto monasterii S. Benedicti super Padum Ven. Abbati loco tui recipientibus D. Henrico Sancte Romane Ecclesie subdiacono Apostolice Sedis tunc legato, & Dompno Alberto tuo monacho pro anima nostra, & propter religionem tuam, & honestatem consilio Dom. Doymi Veglensis felicis Comitis Ecclesiam S. Martini tradimus, tuisque successoribus cum capella sancti Apollinaris, & cum omnibus pertinenciis suis tam mobilibus, quam immobilibus & possessionibus suis, que ita continentur. A maceria vetere que tenet unum capud in castellare, & aliud in mare eundo continuo usque ad maceriam, que est prope mertandam, & a maceria predicta eundo continue usque ad tres monticellos, & abbassus tribus monticellis, eundo continue usque ad lacum de Morincalo. Has autem suprascriptas Ecclesias ut dictum est cum omnibus eorum habentiis, & pertinentiis, ac adjacentiis in vestra vestrorumque successorum damus, & transactamus potestatem habendi, tenendi, dominandi, cultandi, meliorandi, & in perpetuum possidendi, vel quicquid inde vobis placuerit faciendi nullo vobis homine contradicente. Si vero unquam aliquo tempore nos aut aliquis contra hanc offercionis cartam ausus fuerit venire vinculo anathematis perpetuo feriatur, & cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi perpetuo dampnetur incendio.

Ego Doymus Veglensis Comes suscripsi.
Ego Dedocha Auvocato ss.
Ego Radosclavo Advocato ss.
Ego Johannes Presb. tt. ss.
Ego Tolizo tt. ss.
Ego Debritero tt. scribere rogavi.
Ego Andreas Notarius, & predicti Domini Legati scriba his presens fui; & rogatus scribere scripsi.

DABRO EP. VEGLIENSIS VI.

JOANNES EP. VEGLIENSIS VII.

Hic etiam a Cornelio detectus in laudato Venetæ Patriarchalis Ecclesiæ tabulario ex duplici diplomate ab eodem Joanne concesso itidem monachis utriusque monasterii Padolironensis, & S. Cypriani: & altero quidem iis Ecclesiam S. Joannis Baptistæ in *Portalusso*, ejusque fundos, & vineam donat, cujus ipse possessionem obtinebat, altero Ecclesiam urbanam S. Joannis, quam ære suo se ædificasse affirmat ante initum Vegliensem Episcopatum: illud vero datum est anno 1186. hoc anno 1188. *Rivoalto*, cum forte Joannes Venetiis degeret. Utrumque est hujusmodi in part. 3. Monum. Eccl. Torcell. pag. 230. Joannes Vegliens. Episc.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto, Mensis Novembris Indictione quarta. Quod conceditur ne forte oblivioni tradatur, expedit ut scri- Ejus donationes Padolironensi, & S. Cypriani monasteriis.

scripture vinculo confirmetur. Quapropter ego
quidem Johannes Veglensis Ecclesie Episcopus pro
divino amore & remedio anime mee & patris &
1 *matris mee vel parentum meorum ab hodierno*
die in antea, do, concedo & offero Deo & (1)
S. Benedicti & monasterio S. Cypriani de Vene-
tiis. Videlicet unam meam Ecclesiam que est con-
secrata, ad honorem Dei & B. Johannis Bapti-
ste secundum quod est posita prope portam supra-
dicte civitatis in loco qui vocatur Portasusso.
Videlicet cum tota sua vinea & orto, & cum
omnibus suis habentiis & pertinentiis, que ibi-
dem adesse videntur. Et secundum quod a me
usquemodo dominata & possessa fuit, ita amodo
in antea plenissimam virtutem & potestatem ma-
neant in fratribus ejusdem Monasterii S. Cypria-
ni habendi, tenendi, & in perpetuum possidendi
2 *& divinum (2) officium diurnum & nocturnum*
ibi faciendum. Insuper autem absolvo eam ab o-
mni subjectione Episcopali, excepto quod in omni
anno persolvat Ecclesie S. Marie nostrum Epi-
scopium libram unam incensi. Similiter autem
do ad predictam Ecclesiam S. Johannis aliam
meam vineam posita in loco qui dicitur Ceroclo.
Et insuper do ei tantam terram quantum labo-
rare possit tria paria boum que terra est partim
in loco qui dicitur Berguto, partim ad lacum
de campis, & etiam tota animalia que ad ean-
dem Ecclesiam pertinent. Verumtamen & si in
aliquo tempore mee vite fuerit mea voluntas ve-
niendi, & habitandi in predicta Ecclesia, cum
fratribus, qui ibidem habitaverint, nullus debet
mihi esse contrarius, nec in aliquo debet me su-
perare: permanente me sub obedientia Domni Ab-
batis S. Benedicti & Prioris S. Cypriani. Et si-
quis hoc frangere vel corrumpere voluerit, habeat
sibi contrarium Deum Patrem Omnipotentem, &
Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum,
cum Spiritu Sancto & sit sub anathemate trecen-
torum decem & octo patrum. Et hac concessio-
nis pagina in sua firmitate permaneat.

Ego Johannes Veclensis Ecclesie Episcopus dedi & confirmavi & manu mea scripsi & hanc cartulam exemplare jussi. Nos quidem Plesa & Dominicus & Andreas Fr. Episcopi predicti laudamus & confirmamus.

Ego Dominicus Archidiaconus ejusdem Ecclesie tt. ss.

Ego Johannes Primicerius tt. ss.

3 *Ego Bonus Presbyter & Canonicus tt. ss. (3)*

Ego Cernota Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Miro Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Marinus Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Johannes Cayse Presb. & Canonicus tt. ss.

Ego Barba Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Nicola Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Andreas Presb. & Canonicus tt. ss.

Ego Dominicus Presbyter & Canonicus tt. ss.

Ego Johannes Abbas de Castellione tt. ss.

Ego Sabazo Diaconus & Canonicus tt. ss.

Ego Belletto Diacon. & Canonicus tt. ss.

Ego Gregorius Diacon. & Canonicus tt. ss.

Ego Johannes Diacon. & Canonicus tt. ss.

Ego Bonetus Diacon. & Canonicus tt. ss.

Ego Johannes Diacon. & Canonicus tt. ss.

Ego Dominicus Subdiaconus tt. ss.

4 *Ego Bartholomeus Frater Comitum tt. ss. (4)*

Ego Petrus Avunculus jam dicti Episc. tt. ss.

Ego Andreas Avunculus jam dicti Episc. tt. ss.

Ego Cayfas tt. ss.

Ego Saracenus tt. ss.

Ego Drabro tt. ss.

Ego Volcinna tt. ss.

Ego Rigale tt. ss.

Ego Leogna de Drasi tt. ss.

Ego Bonzo de Dragomero tt. ss.

Ego Ramdulfus tt. ss.

Ego Leogna de Mira Gamba tt. ss.

Ego Martinus de Crevia tt. ss.

Ego Symon tt. ss.

Homines de Venetia testes.

Leonardus Augustinus.

Petrus Aymus.

Mayranus.

Angelus Balbus.

Frandizone.

Ego Johannes Subdiaconus tt. ss.

Ego Dominicus Acolythus filius Johannis Barbe tt. ss.

Ego Dominicus Clericus tt. ss.

Ego Stephanus Clericus tt. ss.

Ego Bonifacius Subdiaconus tt. ss.

Ego Frater Dominicus S. Cypriani Monachus hoc exemplum ex jussione prædicti Episcopi exemplavi & ipse manu propria confirmavi.

Notæ.

(1) Deest vox *Monasterio*, & ita corrige: *& Monasterio S. Benedicti super Padum*, ut in diplomate insequenti.

(2) Hinc intelligimus, permissam monachis potestatem fuisse, ut novum cœnobium exstruerent, alterum quidem ad urbem, alterum in ipsa urbe situm: quod confirmant donationes, quarum tabulas testes paullo inferius producemus. Quare brevi temporis spatio Benedictina familia tribus monasteriis aucta fuit in urbe ac diœcesi Vegliensi; primum SS. Martini, & Apollinaris extra urbem Petri II. Episcopi opera ac munificentia, alterum D. Joannis Baptistæ prope urbem, tertium itidem D. Joannis forte Evangelistæ in ipsa urbe exstructum pia hujus Joannis Vegliensis Antistitis liberalitate.

(3) Major hic Canonicorum numerus, quem diplomatis subscriptiones præferunt, satis indicat, ornatiorem tunc fuisse Vegliensis Ecclesiæ formam, splendidiorem cultum, reditus locupletiores.

(4) Hæc subscriptio dubium movet, ne forte ii Comites Frangipanii fuerint, quorum frater esset Bartholomæus: ideo ante sæculi XII. exitum illis tribuenda foret fiduciaria possessio insulæ Vegliensis, qua a Veneto Senatu donati fuerunt Joannes, Guido, & Emericus fratres e Frangipania familia: sed certi nihil ausim definire, nec licet, Vegliensium monumentorum defectu.

Nunc de altero Joannis Episcopi diplomate.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi anno Domini millesimo centesimo octagesimo octavo mense Junii Indictione sexta Rivoalto. Quidquid datur vel offertur, oportet, ut scripture vinculo confirmetur. Quapropter nos quidem Johannes Dei gratia Veglensis Episcopus, cum nostris successoribus per presentem offercionis cartulam, ab hodie in antea damus, offerimus Deo & monasterio S. Benedicti super Padum & monasterio S. Cypriani de Murianis & Abbati atque Priori supradictorum monasteriorum & vestris successoribus Ecclesiam nostram S. Johannis positam in civitate Vegle, quam nos, antequam ad Episcopatus offitium adscendissemus, pro-

propriis nostris expensis edificare fecimus. Hanc autem supradictam Ecclesiam, cum libris & sacerdotalibus indumentis, & cum omnibus edifitiis & possessionibus, que in circuitu ejusdem Ecclesie sunt, vobis, & vestris successoribus & eisdem monasteriis damus, offerimus atque transactamus habendum, tenendum, cultandum, dominandum, edificandum, vel quidquid exinde vobis placuerit faciendum nullo vobis homine contradicente. Unde omni anno perpetuis temporibus dare & solvere debetis nobis & nostris successoribus & eidem nostro Episcopatui pro incenso libram unam incensi. Super hec autem damus, donamus, offerimus, atque transactamus vobis & vestris successoribus, & eisdem monasteriis duas nostras vineas & terras nostras proprias quas nos habemus, & eas adquisivimus & recuperavimus propriis nostris expensis antequam ad supradictum offitium Episcopatus adscendissemus quas sic distribuuntur. Ab uno capite versus Zacarinum & maceria vetere prope lacum deregna ab alio latere mare, usque ad rivum de Zaulo, & a dicto rivo usque Burguldum, & insuper dictum Burguldum & polize, cum omnibus pertinentiis suis. Has autem suprascriptas duas vineas nostras cum suprascriptis terris, & cum omnibus earum habentiis & pertinentiis ac adjacentiis, & cum vigore & robore de omnibus cartulis novis & veteribus, ad suprascriptas vineas & terras pertinentes, atque cum virtute & potestate quam inde habemus in vestram vestrorumque successorum damus & transactamus potestatem habendi, tenendi, dominandi, cultandi, meliorandi, in perpetuum possidendi vel quidquid inde vobis placuerit faciendi nullo vobis homine contradicente. Amodo igitur in antea semper inde securi & quieti permaneatis: ita ut nullis diebus nullisque temporibus vos inde amplius requirere valeamus. Quod si ullo unquam tempore contra hanc offercionis & transactionis cartulam per aliquod vis ingenium ire temptaverimus, componere promittimus cum nostris successoribus vobis & vestris successoribus auri libras quinque, & hec offertionis & transactionis cartula maneat in sua firmitate.

Ego Johannes Veglensis Episcopus m. m. ss.

S. Johannis Primicerii Veglensis Ecclesie ne-
1 *sciente (1) scribere pro se rogavit scribere.*

Ego Paternianus de Putheo Subdiaconus tt. ss.

Ego Johannes Vilionis tt. ss.

Ego Dominicus Arduinus Presb. Plebanus S. Johannis Evangeliste tt. ss.

Ego Johannes Presb. m. m. ss.

Ego Marcus Paulinus Diaconus ac Notarius
2 *complevi & roboravi (2).*

Ego Nicolaus Presb. S. Canciani & Notarius ut vidi in matre testis sum in filia.

Ego . . . . .

Ego Marcus Presb. Ecclesie S. Stephani de Muriano & Notarius hoc exemplum exemplavi anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo nonagesimo nono mense Novembri die septimo exeunte Indictione tertia decima Rivoalti nihil addens vel minuens quod sensum vel sententiam mutet, complevi & roboravi.

Notæ.

(1) *Mirum non est iis sæculis, quibus barbaries & ignorantia etiam in Ecclesiasticis viris longe lateque dominabantur, Primicerium Cathedralis Ecclesiæ litteras ignorasse, siquidem eo tempore bonarum artium cura apud monachos tantummodo in usu erat.* Cornel. Alius tamen hic Joannes ab eo est, qui biennio ante manu propria descripto superius diplomati adscripsit. 1

(2) Adverte distinctum esse subscriptionum ordinem, alterum eorum qui *autographo* diplomati adscripsere, quod publici scribæ Marci Paulini auctoritate & fide confirmatum fuit, alterum eorum, qui descriptum ejusdem exemplar testimonio suo comprobarunt, cum anno 1299. a Marco presbytero in alias tabulas fuit relatum.

Porro quantum pia religiosæ vitæ consuetudine allexerint Veglienses cives alumni Benedictinæ familiæ, & quanta ab iis religione coleretur, inde licet cognoscere, quod Antistitum suorum Petri II. & Joannis munificam pietatem æmulati novis deinceps amplisque muneribus fundata ab iisdem cœnobia cumularunt. Anno 1239. Anthasius quidam filius Bontii Dragomiri, cujus nomen legimus adscriptum diplomati primo Joannis Episcopi, cum plura antea detrimenta intulisset monasterio S. Joannis de Portasusso, male actæ vitæ pœnitentia ductus nedum se se monachorum famulatui addicere inter demissiorem *Conversorum*, uti appellant, ordinem, sed totam etiam familiam patronatus jure donare constituit in Ecclesiam, ejusque fundos, quam ipse, & ejus frater Joannes diaconus Ecclesiæ Vegliensis titulo S. Marci & SS. Cosmæ & Damiani in urbe exstruxerant. Habeo hujus donationis tabulas, quas hic exhibeo a Flaminio Cornelio itidem descriptas ex patriarchali archivo, & in eundem, quem ante innuimus, librum relatas.

Donatio facta monasterio Vegliensi D. Joannis Bapt. de Portasusso.

In Nomine Dei æterni. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono mense Octubris die quarto intrante Indictione XII. In presentia Martinusii & Deodati Diaconi & testium quorum nomina inferius subscribentur. Ego Anthasius filius quondam Bontii Dragomiri in Christi nomine trado me ipsum, ad serviendum Deo, & Ecclesie S. Johannis de Portasuso Veglensis diocesis, & stare sub obedientia Prioris ipsius Ecclesie more conversi donec vixero, & quia olim instigante diabolo dicte Ecclesie intuli multa dampna in recompensatione dampnorum, & in remissione peccatorum meorum & in salute anime mee & parentum meorum spontanea mea voluntate, ab hodie in Christi nomine, do, offero, dono & concedo Ecclesie seu altario S. Johannis de Porta suso Veglensis diocesis obedientie S. Cypriani de Murana Torcellane diocesis omnibus pro futuris temporibus tempore D. Petri Prioris suprascripte Ecclesie videlicet totum juspatronatus Ecclesie, quam cum fratre meo Johanne Diacono & Notario Veglensi hedificavi & construxi ad honorem Dei in memoria B. Marci Evangeliste & Sanctorum Martyrum Cosme & Damiani in contrata de ppll. (i. e. populo). Videlicet totum superius juspatronatus omnium rerum pertinentium & spectantium ad jamdictam Ecclesiam secundum consuetudinem terre quibus ipsa Ecclesia dotata fuit in die consecrationis sue, vel pro ea ei oblate & date fuerunt. Ut sunt terre vinee ortus domus lacus & omnia aliarum rerum cujuscumque speciei ad suprascriptam Ecclesiam pertinentium, ut plenam habeat virtutem & potestatem de jure patronatus voluntatem suam in perpetuum cum suis successoribus ordinandi, faciendi, & disponendi, sicut ego cum suprascripto fratre meo Johanne

haeus aliquo tempore habui nemine contradicente. Ut me plenarie foris facio & promittens promitto.

Anthasii propositum summopere probavit Joannes, & ut fratris aeternae incolumitati tutius consuleret, justum ejus consilium, rectamque voluntatem suo ipse consensu, atque testimonio, quod ex laudatis saepe Cornelii monumentis hic subjicio, ratam firmamque voluit haberi.

In Nomine Dei aeterni. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono mense Octubris die quarto intrante Indictione XII. In praesentia D. Martinusii & Deodati diaconi & testium quorum nomina inferius subscribentur. Ego Johannes Diaconus & Notarius Veglensis Ecclesie Canonicus filius quondam Boncii Dragomiri bone memorie nullo penitus cogente aut suadente nec vim inferente immo spontanea mea voluntate pro divino silicet amore & remedio anime mee sive parentum meorum ab hodie in Christi nomine, do, offero, dono, & concedo ecclesie seu altario S. Joannis de Portasuso Veglensis diocesis obedientie S. Cypriani de Murana Torcellane diocesis omnibus pro futuris temporibus tempore Dompni Petri Prioris suprascripte Ecclesie videlicet totum juspatronatus Ecclesie quam cum fratre meo Anthasio hedificavi & construxi ad honorem Dei in memoria B. Marci Evangeliste, & Sanctorum Martyrum Cosme & Damiani in contrata de ppll. Videlicet totum superius juspatronatus omnium rerum pertinentium & spectantium ad jamdictam Ecclesiam secundum consuetudinem terre, quibus ipsa Ecclesia dotata fuit in die consecrationis sue, vel pro ea ei oblate & date fuerunt, ut sunt terre vinee ortus domus laccus & omnia aliarum rerum cujuscunque speciei ad suprascriptam Ecclesiam pertinentium ut plenam habeat virtutem & potestatem de jurepatronatus voluntatem suam in perpetuum, cum suis successoribus ordinandi, faciendi, & disponendi sicut ego cum suprascripto fratre meo Anthasio aliquo tempore habui nemine contradicente, ut me plenarie foris facio & promittens promitto (1). *Ego ut pro nullo unquam tempore contra hanc presentem offertionis vel oblationis cartam ire audeam. Set si necesse fuerit ab omnibus eam defensare & manifestare debeam, quod si quocunque tempore contra hanc presentem offertionis cartam ire temptavero quam feci puro animo meo, incidat ira Dei in me & in omnibus illis quicunque inde aliquid subtrahere vel minuere presumpserint, sub anathemate* 300. *&* 8. *patrum constrictus permaneant, & insuper ipsi Dei Ecclesie componere debeant libras denar.* 100. *& hec offertionis cartula in sua permaneat firmitate.*

Actum est hoc Vegle sub porticalle dicti monasterii S. Johannis testes interfuerunt Otubellus Quirinus de cuna & aliis.

Et Ego Presb. Honoratus Veglensis Ecclesie Canonicus & Notarius his interfui, & rogatus ut audivi scripsi complevi & roboravi.

Nota.

(1) Haec, quae subsequuntur, vel priori donationis tabulae desunt, vel utraque conjunctim scripta fuit, & unius scribae auctoritate confirmata.

MARINUS EP. VEGLIENSIS VIII.

Hic innuit Farlatus tria tantum ordinis Benedictini coenobia in insula extitisse per haec tempora; sed tria insuper adjungenda, de quibus hactenus.

LAMBERTUS EP. VEGLIENSIS IX.

HIERONYMUS EP. VEGLIENSIS X.

In litteris *Indulgentiarum Ecclesiae S. Michaelis de Arretio* Ordinis Camaldulensis datis anno 1295. nomen inscriptum est Hieronymi Heglensis Episcopi, quem Vegliensem Antistitem fuisse suspicantur Scriptores Annalium Camaldulensium in Tom. III. Ego quidem iisdem facile assentior, & Hieronymum medium inter Lambertum, & Matthaeum recte collocari existimo. Equidem annorum ordo, quibus Lambertus Vegliensi praefuit Ecclesiae, huic sententiae non congruit; sed vel ejus Episcopatus tempus contrahere oportet; vel Hieronymus ante Episcopus renunciatus, quam Lambertus Aquinatem Ecclesiam obtineret, casu quopiam, aut immatura morte sedem suam adire prohibitus est. Hieronymus Ep. Vegl. X.

MATTHAEUS EP. VEGLIENSIS XI.

THOMAS EP. VEGLIENSIS XII.

JACOBUS EP. VEGLIENSIS XIII.

Quae de Jacobo scribit Farlatus, corrigenda omnino sunt fide atque auctoritate Flaminii Cornelii in Tom. II. Monum. Eccl. Ven. pag. 363. *Jacobus Bertoldus seu Bertaldus ab aliquibus in Plebanorum* (Ecclesiae S. Pantaleonis) *serie enumeratur; attamen cum eo titulo nusquam invenerim insignitum, malim presbyterum (ut in actis legitur) tantummodo dicere; Congregationis D. Lucae Archipresb. atque aulae inclyti Ducis cancellarius librum concinnavit ms. cui titulus*, Opus de consuetudine urbis Venetae. *Servari in Caesarea Bibliotheca mihi traditum est; sed de hac re alii certiora dabunt.* Quare in clericalem militiam a prima aetate cooptatus Jacobus deinde sacro Ecclesiae S. Pantaleonis ministerio se addixit; & in monumentis anni 1310. idem *Presbyter S. Pantaleonis, Archipresbyter Congregationis S. Lucae, & Cancellarius Principis* appellatur, quod Cancellarii munus a suprema magni Cancellarii dignitate plurimum differt; tum anno 1311. librum, quem innuit Cornelius, scripsisse perhibetur. Triennio post sacra lipsana D. Pantaleonis, quae penes D. Marci Procuratores servabantur, *Jacobus Bertaldus, seu Bonfaldus Ecclesiae S. Pantaleonis Presb. & ducalis Notarius suae Ecclesiae impetravit, ut majori magisque publico cultui darentur*, tradit idem Cornelius pag. 341. Hinc ejus Episcopatus initia non ante annum 1314. constitui debent, quo etiam anno die x. Septembris primo Vegliensis Episcopus nominatur in monumentis ejusdem Ecclesiae. Jacobus Vegl. Ep. XIII.

Quinam post Jacobum Vegliensem Ecclesiam adeptus sit, omnino incompertum, nisi Lompradio, de quo postea, locum tribuas. Interea Benedictinum coenobium S. Joannis, quod in urbe erat, insignem munificentiam expertum est Nicolai Com. Veglae munificentia in coenobium S. Joannis.

Digitized by Google

est Nicolai Comitis Vegliæ, qui anno 1323. Ecclesiam D. Nicolao sacram a se in insula ædificatam, & quidquid bonorum, ac redituum eidem fuerat attributum, monasterio quidem S. Cypriani Torcellanæ diœcesis, cui Vegliense S. Joannis suberat, largitus est, sed revera, ut in commodum, utilitatemque, ac decus Vegliensis cœnobii potissimum cederet ejus donatio. Publicas hujus donationis litteras, & adjectas illi conditiones nobis exhibet Cornelius in part. 3. Monum. Torcell. Eccl. pag. 235. quas hic integras exscribo; in iisque plura reperies, quæ virorum, locorumque illius ævi pergratam, opinor, Vegliensibus ingerent notitiam.

In Christi Nomine Amen. Anno ejusdem millesimo tricentesimo vigesimo tertio Indictione sexta die penultimo mensis Decembris. Actum est hoc Vegle in sala egregii & magnifici viri D.
1 *Comitis Friderici (1) Veglie, Modiulle, Vinodoli, atque Vezebe Comitis, necnon Segne dominatori perpetuo. Coram dicto D. Comite Frederico & Dominis Nicolao judice communis Vegle filio olim D. Marini condam Marchesii & Jacob cio de monte Rubiano habitatoribus Vegle Juaicum Dominorum Comitum de Vegla in presentia mei Notarii & testium infrascriptorum ad infrascripta spetialiter congregatis. Videlicet D. Jacobo vicecomite supradicti D. Comitis Frederici, D. Justo Vicecomite Vegles prenominati D. Comitis Frederici, D. Francinello Canonico Ecclesie Veglensis, Cleto Primocerio dicte Veglensis Ecclesie atque Notario prelibati D. Comitis Frederici, Domino Dymo filio naturali condam bone memorie D. Bartholomei Comitis Vegle, Quari, & Braxi, Domino condam Judice Almoro de Venetiis habitatore Vegle, D. Bonizzo condam Judice Nicolao de Vegla dicto Gospondino, Domino condam Judice Cosme filio olim Barbenno de Vegla, Johanne dicto Sob ... ena de Vegla, Natali advocato communis Vegle, Dominico Subdiacono & Notario filio olim Magistri Jacobi Notarii denpantrason habitatore Vegle, & Nicolao Notario filio condam Domini Bartholomei mercatoris de Venetiis habitatore Vegle, & aliis testibus ad hec specialiter congregatis. Magnificus vir D. Nicolaus Comes Vegle Quaris & Brazis filius bone memorie D. Bartholomei Comitis Vegle, Quaris & Brazis fecit infrascriptam donationem & submissionem monasterio S. Cypriani de Muriano Torcellane diocesis quod est membrum S. Benedicti de Padalirono, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis de Ecclesia sui oratorii, quam idem Comes Nicolaus fundavit & bedificari fecit in honorem B. Nicolai in suo patrimonio apud Castrum Verbenicum Insule Vegle in loco qui dicitur Rogosinich, Sic dicens: Ego Nicolaus de Dei misericordia Comes Vegle Quaris & Brazis. In Christi nomine ad honorem Dei & B. Marie Matris ejus & B. Cypriani martiris atque B. Nicolai Confessoris mirifici Patroni & advocati mei. In presenti dono, offero, concedo & submitto monasterio S. Cypriani de Murano Torcellane Diocesis in manibus fratris Paschalis Prioris S. Johannis de Vegla Procuratoris predictorum Abbatis & Monasterii ad hoc specialiter constituti, Recipientis ipsorum Abbatis & Monasterii nomine, ut apparet clare per quoddam instrumentum procurationis confectum. Qui tenor hic interserui ad majorem rei evidentiam de verbo ad verbum. In Dei Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo secundo Indictione quinta die vigesimo octavo intrante mense Septembri in claustro Monasterii S. Cypriani de Murano. Presentibus Petrino quondam D. Bartholomei de Rippa, Laurentio quondam Jacobi, Martivo q. Philippi & aliis. Ibique Ven. Pater Dominus D. Morandus Abbas S. Cypriani de Murano Torcellane Diocesis ad Romanam Ecclesiam mediante monasterio S. Benedicti de Padolyrono pleno jure spectantis infrascriptis fratribus presentibus & consencientibus scilicet D. Johanne, D. Manuele, D. Nicoleto, D. Bartholomeo, D. Tomaxino, D. Jacomino, qui sunt Capitulum & Conventus dicti monasterii S. Cypriani, fecit, constituit & elegit D. Paschalem Priorem S. Johannis de Vegla ipsi Monasterio S. Cypriani immediate subjecti absentem, suum & dicti Monasterii S. Cypriani Procuratorem & Sindicum & Nuncium specialem ad recipiendam pro se & dicto Monasterio S. Cypriani perpetuo quandam donationem cujusdam Ecclesie, quam magnificus vir Comes Nicholaus filius quondam bone memorie D. Bartholomei Comitis Veglensis intendit facere ipsi Monasterio S. Cypriani de Ecclesia quam idem comes fundavit & bedificari fecit in honore B. Nicolai in suo patrimonio apud castrum Verbonicum insule Veglensis in loco qui dicitur Rogosinich, ita videlicet quod predictus comes & sui heredes & proheredes de suo corpore masculina linea descendentes tantummodo habeant in ipsa Ecclesia S. Nicholai plenum juspatronatus & presentationem rectoris quociescunque vacaverit. Et Abbas S. Cypriani qui est & qui pro tempore fuerit, habeat examinare & confirmare dictum rectorem & visitare dictum rectorem, corrigere & amonere, prout postulaverit ordo juris. Promittens dictus D. Abbas ratum & firmum habere quicquid in predictis, & circa predicta per dictum suum procuratorem factum procuratum fuerit sive gestum sub allegatione omnium Bonorum dicti Monasterii. Et ego Bonifatius quondam D. Bonafidei Imperiali auctoritate Notarius hiis omnibus interfui & rogatus scripsi. Ecclesiam sive oratorium, quam ego pro remedio animarum parentum predecessorum meorum, & meorum peccaminum interventu fundavi & bedificari feci in honorem B. Nicholai apud Castrum Verbonicum Insule Veglensis in loco qui dicitur Rogosinich, cum omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus videlicet domo de petra & alias domos curiam cum orto viridario & toto territorio circumstante, usque ad dragam sive vallem que dicitur terraraz, & usque ad piros qui sunt in via publica qui dicuntur perarii drasebie versus aquilonem, cum tota costeria monte sive colle, usque ad viam publicam qua vadit debonovicho dobregnum desuper versus orientem Costeriani, versus austrum usque ad territorium heredum condam D. Comitis Marci olim fratris nostri. Item campum magnum de ponte, usque ad fontem cum tota costeria, monte sive colle, usque ad terras S. Marie de Castillione in parte occidentali versus Veglam tantum, quantum durat campus magnus, usque ad territorium D. Comitis Frederici, & D. Andree Michaelis de Venet. versus Aquilonem. Item terras, & totam contratam que est & dicitur prapragnach, quam contratam sive terras hujus a Plebano de Verbonich tertiam partem, aliam tertiam partem hujus a filiis condam Ruciz, alia tertia pars mea est. Item terram que dicitur marrinus vealas, cujus confines sunt hii; ab uno latere est territorium D. Co-*

D. Comitis Frederici, ab alio territorium Domini dicti Andree Michaelis, ab alio territorium nepotum meorum predictorum, ab alio latere est via publica. Item partem meam de prato cujus hii sunt confines, ab uno latere scilicet pars prati est nepotum meorum heredes comitis Marci condam fratris nostri, & a parte superiori versus Veglam sunt terre dictorum meorum Nepotum, ab alio latere sunt terre D. Comitis Frederici, ab alio est via publica, & quicquid aliud territorii habeo in contrata Rogosnich predicta. Item vineam unam, que fuit fratris nostri comitis schinelle in valle Dobregni super S. Maurum quam tenebat Cozich, cum domo & omnibus suis pertinentiis cujus hii sunt confines. Nam ab omni parte est territorium meum & Nepotum meorum filiorum condam Comitis Marci fratris mei. Item unam aliam vineam in Magna Valle dicti Castelli dobregni, que vinea fuit bratnich cum domo, & aliis suis pertinentiis, confines cujus sunt hii, ab uno latere est vinea Plebani de dobregno, ab alio latere est vinea Usenich, ab alio latere est vinea Sitogna solisiza, & ab alio latere est via publica. Item unam vineam sub S. Mauro prope Verbonicum, cujus confines sunt hii. Scilicet vinee dicti S. Mauri a duobus lateribus, ab uno latere vinea manzeslavich, ab alia parte est via publica. Item terram que dicitur Raponiulglodaz prope dictum Castrum Verbonicum, cujus hii sunt confines, scilicet vinea Belzedragha, ab uno latere vinea ghitpoliza, ab alio latere via publica. Item unum neresium supra ortos prope Civitatem Vegle qui dicitur Neresius d. Rainerii, cum aulivariis & aliis arboribus. Item dono quadraginta pecudes magnas, triginta Capras, viginti anuclos pecurinos, & decem anuclos caprarum. Item duas magnas vacas cum duobus vitulis. Item duas vacas terzaninas. Item quatuor boves magnos arantes. Item unum equum, unam asinam, & unum asinum. Reservans michi & filiis meis heredibus & proheredibus legitimis de meo corpore per lineam masculinam descendentibus in ipsa ecclesia B. Nicholai plenum juspatronatus, & ellectionem & presentationem capellani sive rectoris, & rectorum qui pro tempore fuerint perpetuo & examinatio & confirmatio visitatio & amotio, prout postulaverit ordo juris, sit penes Monasterium S. Cypriani predicti & Abbatem qui nunc est & Abbates qui pro tempore fuerint perpetuo. Quibus heredibus supradictis deficientibus dicta Ecclesia S. Nicholai, cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus supradictis que ad presens dono & offero, & que temporibus Domino annuente habere contigerit, remaneant in dispositione & libera potestate Abbatis Monasterii S. Cypriani predicti, qui pro tempore fuerint. Hiis insuper conditionibus adjectis quod D. Abbas S. Cypriani qui est vel qui pro tempore fuerit Ecclesiam predictam ad honorem S. Nicholai constructam, teneatur & debeat eam facere & consecrare & hoc cellerius & commodius, ut potest, non prolongando tempus aliquo dolo vel fraude quod si facere obmitterit vel neglexerit volo hanc donationem sive obligationem penitus irritam esse & nullam. Hanc autem consecrationem quantum ad Episcopum, qui eam consecraverit, & alia que in ipsa Ecclesia tunc temporis sunt fienda, volo fieri meis expensis volo etiam eligere Capellanum sive rectorem ejusdem Ecclesie unumcunque & quemcunque mihi placuerit, & hoc inde inteligo de heredibus meis & proheredibus si habuero. Item volo quod si Capellanus & rector qui pro tempore fuerit, si se male haberet de Ecclesia quantum ad offitium & ad bona Ecclesie predicte amoveatur per D. Abbatem qui pro tempore S. Cypriani fuerit, cum sibi significatum fuerit per me vel heredes meos, si habuero, volo etiam, quod ipsa Ecclesia nunquam sit quod non habeat Capellanum sive rectorem & ille, qui electus & confirmatus fuerit, in vita sua remaneat & post obitum meum si bene se habuerit nisi renuntiaret. Hoc etiam addito quod rector qui pro tempore fuerit in dicta Ecclesia S. Nicholai in festivitate ejusdem teneatur facere cunctis venientibus unam ellemosinam sive caritatem pro anima mea & antecessorum meorum de una vaca vel bove, sex castratis, quatuor modiis frumenti, & octo modios vini, & ad hanc faciendam deputari specialiter campum magnum de ponte & vineas de dobregno, vineas de verbonico vacas & pecudes. Quam caritatem sive elemosinam si capellanus sive Rector qui pro tempore fuerit facere obmitteret, vel negligeret, volo quod amoneatur per D. Abbatem qui tunc fuerit, & ejus loco alius instituatur qui hec compleat. Item volo quod de territorio quod dedi ipsi Ecclesie, Capellanus sive rector qui fuerit pro tempore laborando per se quantum quod vel quale voluerit aliud residuum, alia parte residui quantum petivero pro me laborare possim facere dando terraticum sicut daret alius quicumque. Omnia autem bona que dicta Ecclesia in futurum annuente domino poterit acquirere liberalitate comitum, largitione fidelium, Pontificum oblatione, seu aliis justis modis firma sibi & illibata permaneant absque mea & meorum heredum, & proheredum contradictione, quod si unquam contra hanc donationem venire temptavero Ego sive heredes vel proheredes mei si quos me habere contigerit, vel si Abbas qui pro tempore fuerit pacta predicta non observaverit mille libras denariorum Venetorum parvorum teneamur. Ego si contra hanc donationem & pacta suprascripta venero vel heredes vel proheredes mei Domino Abbati dandas, & si ipse D. Abbas contra hec suprascripta pacta fecerit teneatur michi vel heredibus vel proheredibus meis solvere. Qua pena soluta vel non, presens instrumentum nichilominus in suo perpetuo robore maneat & firmitate. De hoc etiam fieri volui & mandavi duo publica instrumenta unius ejusdemque tenoris unum D. Abbati aliud michi reservans in perpetuam rei firmitatem & evidentiam.

Ego Comes Fredericus manum misi.

Ego Judex Nicholaus manum misi.

L. S. Ego Blasius filius condam Serachatabene depedraffitis de Foriivio Imperiali auctoritate Judex ordinarius hiis omnibus interfui scripsi & corroboravi.

Nota.

(1) Fridericus, & Bartholomæus Frangipanii Senia civitate donati fuerunt a Bela IV. Hungariæ rege anno 1255. Fratres fuisse autumo, & Fridericum natu majorem, cujus proinde filiis, atque heredibus ejusdem familiæ dominium in Seniensem urbem hereditario jure obveniret. Hinc Fridericus Seniæ Dominus appellatur: Nicolaus vero hujus donationis auctor, & Marcus ejus frater Bartholomæi filii erant, qui, dum vixit, Vegliensem ipse etiam Co-

Comitatum rexit, quem Frangipania gens a Veneto Senatu adepta est; eo vero vita functo, in insulæ possessionem successit filius Nicolaus, ejusque imperium utrique Bartholomæi, & Friderici familiæ commune extitisse arbitramur: quare Nicolaus idem Vegliæ tantummodo, Quari, & Braxi dicitur Comes, non Seniæ Dominus.

LOMPRADIUS EP. VEGLIENSIS XIV.

Lompradius Ep. Vegliensis XIV.

Notus ex litteris Concilii Gradensis anni 1330. datis Idibus Juliis, quibus piacularis venia conceditur iis, qui opem quamcumque contulerint ad exstruendam Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ in oppido Valvasono diœcesis Concordiensis. Hujus Concilii acta interiere: litterarum exemplar editum fuit primo in tertio Tomo supplem. Collect. Concil. sed emendatiores illas protulit Flaminius Cornelius, inseruitque Tom. III. Monum. Eccl. Venet. quarum est hujusmodi initium. *Divina Miseratione Dominicus Sanctæ Sedis Gradensis Patriarcha Venetiarum Dalmaciæque Primas, Frater Bartholomeus Torcellanus, Petrus Equilinus, Andreas Clugiensis, Georgius Arbensis, Lompradius Veglensis, Angelus Castellanus, Frater Fridianus Civitatis Novæ Ecclesiarum Episcopi:* datæ sunt *Gradi die XV. Mensis Julii sub annis Domini* 1330. *Indictione XIII.*

NICOLAUS EP. VEGLIENSIS XV.

Nicolaus Ep. Vegl. XV.

Præerat huic Ecclesiæ an. 1332. ut perhibent tabulæ cujusdam sententiæ eo anno latæ ab Andrea Michaelio Comite Arbensi in controversia, quæ huic Antistiti intercedebat adversus Comites Veglienses.

NICOLAUS II. EP. VEGLIENSIS XVI.

ANGELUS EP. VEGLIENSIS XVII.

FRANCISCUS EP. VEGLIENSIS XVIII.

Cui ab Eugenio IV. Pontifice mandatum est, ut controversiam de decimis Novaliæ inter Episcopum, & Capitulum Arbi dirimeret. Vide Historiam Arbensis Ecclesiæ ad annum 1446.

NICOLAUS III. EP. VEGLIENSIS XIX.

NATALIS EP. VEGLIENSIS XX.

EUSEBIUS EP. VEGLIENSIS XXI.

De Eusebio Vegl. Ep. XXI. monumenta.

De quo hæc addimus ex Tom. VIII. Annal. Camald. ad an. 1531. *Is* (Petri Prioli filius) *monasticam vitam induerat in Cœnobio S. Michaelis de Muriano an.* 1502. *die* 29. *Martii. Trigesimum vix annum agens Delphino* (Petro Delphino supremo Ordinis Camaldulensis Moderatori) *acceptissimus, post concionatorium munus probe expletum, Philosophiæ etiam, & musarum studiis addictus ad abbatiales infulas in eodem sancti Michaelis monasterio evectus est annis* 1517. 1518. *iterumque annis* 1520. 1521. 1522. *Anno* 1524. *monasterium S. Mariæ de Carceribus rexit; tertia vice annis* 1526. 1527. 1528. *monasterii S. Michaelis regimen tenuit, post quos anno sequenti* 1529. *ad regendam Veglensem Ecclesiam fuit assumptus:* intellige, hoc anno Episcopatus possessionem adiisse, siquidem anno ante Vegliensis Antistes fuerat renunciatus: hinc ad eundem annum hæc recte subjiciuntur in laudatis Annalibus: *Eusebius Priolus Abbas S. Michaelis de Muriano possessionem accepit medio mense Februario Episcopatus Veglensis ab Excellentissimo Consilio Rogatorum, ut ipse adnotat de se in libro introitus & exitus ejusdem Monasterii pag.* 162. Et rursum ad annum eundem 1531. *Dum pontificias curas eo dirigit, ut cohibita clericorum licentia ecclesiasticam restituat disciplinam, cibis nerariorum opera infectis e medio tollitur. Scripsit Eusebius de mundi miseria tractatum, carmina latino metro, orationem in funere Petri Delphini editam anno* 1525. *rursusque insertam thesauro Anecdot. Martene & Durand. Laudant Eusebium Paulus Orlandinus in Theologia mixta, Possevinus, Sansovinus, Fortunius, Minius, Bucellinus, Wion. Eusebium Priolum virum profundæ cognitionis in scientiis, eximiæque vitæ bonitatis vocat Jacobus Alberici Ordinis S. Augustini in suo Catalogo Scriptorum Venet. laudatque devotum ejus opusculum de mundi miseria. Joannes Castagnizza in vita S. Romualdi in medium profert Eusebii Prioli historiam, in qua differitur de Petro, & Paulo magnis luminaribus eremi Camaldulensis, Quirino nimirum, & Justiniano. Idipsum repetit in sua Romualdina Lucas Hispanus, ex quorum scriptorum testimoniis in lucem venimus Eusebium confecisse historiam monasticam Camaldulensem, quæ ad nos non pervenit, vel latet.*

JOANNES II. EP. VEGLIENSIS XXII.

ALBERTUS EP. VEGLIENSIS XXIII.

PETRUS III. EP. VEGLIENSIS XXIV.

JOANNES III. EP. VEGLIENSIS XXV.

ALOYSIUS EP. VEGLIENSIS XXVI.

CONSTANTINUS EP. VEGLIEN. XXVII.

A Farlato appellatus Constantius, qui Venetiis in Ecclesia D. Josepho sacra *Sacelli majoris aram consecravit die XXIV. Junii anno MDCXLIII. SS. Martyrum reliquiis rite in ea collocatis appositaque scheda his notata verbis.* Constantinus Ep. Vegl. consecrat aram principem Ecclesiæ Venetæ S. Joseph.

MDCXLIII. Die XXIV. Mensis Junii.

Ego Constantinus de Rubeis Episcopus Veglensis consecravi hoc Altare in honorem S. Joseph, & Reliquias Sanctorum Viti, Justi, & Florentii Martyrum in eo inclusi singulis Christifidelibus hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ concedens. Ex Tom. IV. Monum. Eccl. Venet. pag. 287.

GEORGIUS EP. VEGLIENSIS XXVIII.

FRANCISCUS II. EP. VEGLIEN. XXIX.

THEODORUS EP. VEGLIENSIS XXX.

STEPHANUS EP. VEGLIENSIS XXXI.

BAL-

Digitized by Google

BALTHASSAR EP. VEGLIENSIS XXXII.

Balthassar Ep. Vegl. XXXII. Hic paullo post adeptum Vegliensem Episcopatum munus consecrationis impendit Alexandro Mikulikio electo Antistiti Zagrabiensi in æde Lauretanæ Virgini sacra Tersacti, quo fuerat a Mikulikio invitatus.

PETRUS PAULLUS EP. VEGLIEN. XXXIII.


His, quæ de Petro Paullo narrat Farlatus in Episcopis Traguriensibus, adde ex Tom. V. Monum. Eccl. Venet. pag. 24. illum anno 1697. præpositum fuisse regendo Veneto Cœnobio sui Ordinis *S. Mariæ de Salute* titulo insigni.

VINCENTIUS EP. VEGLIENSIS XXXIV.

FRIDERICUS EP. VEGLIENSIS XXXV.

PETRUS ANTONIUS EP. VEGL. XXXVI.

F I N I S.



I N-

Digitized by Google

INDEX RERUM

ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Prior numerus paginam, alter columnam notat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Be-

Digitized by Google

C

D

De-

Digitized by Google

Digitized by Google

F

G

Digitized by Google

Digitized by Google

Jo-

Digitized by Google

Dom-

L

Digitized by Google

Digitized by Google

N

Digitized by Google

P

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ve-

Digitized by Google

Z

Digitized by Google

Tabulæ V. in ære incisæ collocentur pag. 162.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Google

